This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

4916
7.9
1.6
Gerhard, Johann

IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIPTUM

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1776 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

INDICIBUS GENERALIBUS POST G. H. MULLERUM ADAUCTIS

ADDITA DENIQUE

VITA IO. GERHARDI.

EDITIO ALTERA CUI PRAEFATUS EST

FR. FRANK

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR ILLIUSQUE IN UNIVERSITATE ERLANGENSI PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

TOMUS SEXTUS.

LIPSIAE

J. C. HINRICHS

1885.

BT
70
.G4
1863
v.6

LOCUS VICESIMUS TERTIUS

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

I.

1. Quemadmodum inter angelos sanctos, qui contra *draconem* infernalem et *ipsius angelos* in perpetua acie versantur Apoc. 12, v. 7. certi ordines divinitus constituti sunt, (unde *τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἀόρατα* distribuuntur ab apostolo in *θρόνους, κυριότητας, ἀρχὰς, ἐξουσίας, δυνάμεις* Ephes. 1, v. 21. Coloss. 1, v. 16. quo etiam pertinet appellatio *cherubim* Gen. 3, v. 24. *seraphim* Esa. 6, v. 2. *archangelorum* 1. Thess. 4, v. 16); ita quoque in ecclesia in his terris *militante, quae triumphantis* ecclesiae in coelis est quoddam *ἀπεικόνισμα* et *ἀποσπασμάτιον*, certi ordines ac status itidem divinitus sunt definiti, unde Cant. 6, v. 3. dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata* Hebr. כַּנִּדְגָּלוֹת, ad verbum *ut vexillatae*, id est ut castra cum suis vexillis, quod latius diducitur Psalm. 68, v. 14: *Si accubueritis inter terminos, quasi alae columbae, quae opertae videntur argento, et alae, quae fulgorem habent auri*, hoc est ut in exercitu arma ob splendorem solis in ea incidentem ita refulgent, ac si omnia essent argentea et aurea, quales colores in pennis columbarum conspiciuntur, quasi argento et auro sint obductae, prout diversimode versus solem convertuntur; ita quoque ecclesia Spiritus s. charismasi in membris suis a Christo justitiae sole pulcherrime exornata conspectum sui exhibet spiritualibus oculis longe suavissimum, cum non sit confusa quaedam multitudo et colluvies, sed aciei probe instructae, ordinatae et vexillis certis distributae faciem obtineat. Respicit dubio procul Spiritus s. ad *castra Israëlitarum* in deserto, quae certo ordine divinitus instituto erant collocata Num. 2, v. 1. et seqq. ita ut tabernaculum seu sanctuarium, in quo erat arca foederis, esset in medio, quem castrorum Israëliticorum ordinem respiciens Bileam dicebat Num. 24, v. 5. et 6: *Quam pulchra tabernacula tua Jacob et tentoria tua Israël, sicut torrentes extenduntur, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quae plantavit Dominus, quasi cedri prope aquas!* Quem-
2 2 admodum igitur castra Israëlitica in deserto certo ordine erant disposita; ita quoque in ecclesia militante certi sunt ordines ac status divinitus constituti, in *quorum medio*, perinde ut olim in castrorum Israëliticorum meditullio, *Deus habitat* Psalm. 46, v. 6. Chrysostomus homil. 5. in 1. Tim. p. 1546: *καθάπερ ἐπὶ τῶν στρατοπέδων οὐ πάντες εἰς ἓν εἶδος στρατεύονται, ἀλλ᾽ ἐν διαφόροις τάγμασιν, οὕτω καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὁ μὲν εἰς διδασκάλου τάξιν, ὁ δὲ εἰς μαθητοῦ, ὁ δὲ εἰς ἰδιώτου; quemadmodum in exercitu non omnes una figura, sed in distinctis ordinibus militant, sic etiam in ecclesia alius docentis alius discipuli, alius idiotae locum habet.* Quare cum de ecclesia in genere hactenus dictum fuerit, convenienti ordine succedit tractatus de statibus distinctis divinitus in ea institutis.

2. Tales status sive ordines in ecclesia a Deo instituti numerantur tres, videlicet *ecclesiasticus, politicus et oeconomicus*, quos etiam *hierarchias* appellare consueverunt. Oeconomicus ordo inservit generis humani multiplicationi; politicus ejusdem defensioni; ecclesiasticus ad salutem aeternam promotioni. Oeconomicus ordo oppositus est a Deo vagis libidinibus; politicus tyrannidi ac latrociniis; ecclesiasticus haeresibus ac doctrinae corruptelis. In lingua Germanica hi ordines vocantur: 1. Der Lehr-, 2. Nähr- und 3. Wehrſtand, officia ipsorum comprehenduntur hoc versiculo: Tres status in ecclesia.

Tu supplex ora, tu protege, tuque labora,

ad imitationem Anselmi, qui in lib. de similitud. c. 126. inquit: *Tres sunt hominum ordines, videlicet orantes, agricultores et defensores.* **Lutherus in c. 19. Gen. f. 234: *Instituit Deus tres ordines, quibus mandatum dedit, ne peccata sinant impune abire. Primus est parentum, qui domi suae disciplinam custodire debent in regenda familia et liberis. Secundus ordo est politicus, magistratus enim gladium gerit, ut contumaces et negligentes disciplinae vi cogat. Tertius est ecclesiasticus, qui verbo gubernat. Sic adversus diabolum, carnem et mundum munivit Deus genus humanum hac triplici auctoritate in eum finem, ne scandala crescerent*

sed praeciderentur. Parentes sunt ceu paedagogi, hos qui adulti sunt et negligunt, coërcet magistratus per carnificem. In ecclesia contumaces qui sunt, excommunicantur. Sicut Noa arcam a se fabricatam in tristega, id est in tres distinctas contignationes divisit Gen. 6, v. 16. ut omnis generis animalia ad ipsum ingressa *κατὰ τάξιν* easdem occuparent; sic Deus ipse universam hominum societatem in tres vitae ordines divisit. Potest huc applicari typus arcae foederalis In ea erat virga Aaronis, quae denotat ordinem ecclesiasticum; tabulae decalogi, quae denotant ordinem politicum, quia magistratus est custos utriusque tabulae; et urna cum manna, quod denotat ordinem oeconomicum victui parando incumbentem. De tribus illis hierarchiis vide b. Lutherum tom. 3. Jen. Germ. fol. 511. tom. 5. f. 205. tom. 6. f. 128. tom. 7. f. 275.** De ecclesiastico ordine primo loco agendum, tum propter dignitatem *objecti* sive *materiae circa quam*, quae sunt animae hominum; tum propter dignitatem *materiae in qua*, quae sunt mysteria divina; tum denique propter dignitatem *finis*, hujus enim ordinis institutio atque constitutio immediate animarum salutem ac propagationem et incrementum ecclesiae spectat, politicus vero et oeconomicus ordo mediate duntaxat ac certo respectu; politicus ordo est ecclesiae septum, vallum ac propugnaculum, oeconomicus est ejusdem seminarium, ideo siquidem ac fine eo per ordinem politicum conservatur disciplina externa, administratur justitia, asseritur tranquillitas et *εὐημερία*, ut per ministerium verbi Deo ex genere humano colligi possit ecclesia. Cum enim per lapsum ac post lapsum genus huma-
XII. 2. 3. num tam misere ac horribiliter peccato sit corruptum, ut absque politico regimine omnia in eo sint confusa atque *ἄτακτα*, ideo propter ecclesiam etiam politias Deus instituit, quo respicit apostolus praecipiens, *obsecrationes fieri pro regibus et omnibus in sublimitate constitutis, ut quietam et tranquillam sub eis agamus vitam in omni pietate et modestia* 1. Tim. 2, v. 2. Ideo etiam ac fine eo per conjugium sive ordinem oeconomicum generis humani propagationem, liberorum generationem et educationem Deus fieri voluit, ut ecclesiae termini longius propagarentur et ex seminario illo plantulae paradisi et arbores justitiae in coeleste viridarium transferrentur.

Ministerii ecclesiastici 1. necessitas.

3. Commendat vero nobis hanc doctrinae coelestis partem ministerii ecclesiasti *1. necessitas*; *2. utilitas*; *3. dignitas. Necessitas* dependet ex divina ordinatione. *Placuit enim Deo per stultam praedicationem salvos facere credentes* 1. Cor. 1, v. 21. cujus *εὐδοκίας* consequens est effecti illius summi et pretiosissimi, conversionis scilicet et salutis hominum a praedicatione evangelii ac proinde etiam a ministerio ecclesiastico dependentia et necessaria utriusque connexio. Rom. 10, v. 14: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent in eum, de quo non audiverunt? aut quomodo audient sine praedicante?* Ephes. 4, v. 11: *Christus ad dextram Dei collocatus dedit ecclesiae quosdam quidem apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas,* v. 12: *ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* 1. Tim. 4, v. 16: *Hoc faciens te ipsum salvabis et eos qui te audiunt.* Unde etiam in Obadia v. 21. vocantur *servatores.* Hanc suam ordinationem atque institutionem adeo sancte et intemerate Filius Dei observavit, ut ne ipsum quidem Cornelium per angelum, qui cum ipso loquebatur, de via salutis erudire voluerit, sed ad ministerium ecclesiasticum, videlicet ad Petrum, eum remiserit, a quo *audire debuit*, *quid ipsum facere oportuerit*, Act. 10, v. 6. ac licet Paulum extraordinarie per coelestem apparitionem converteret, (unde is negat, se suum *ab homine* evangelium accepisse Gal. 1, v. 12.) tamen in honorem ministerii ad Ananiam ipsum remisit, a quo itidem discere debeat, quid ipsum facere oporteat, Act. 9, v. 6. Augustinus in prolog. lib. 1. de civ. Dei: *Cogitemus, ipsum apostolum Paulum, licet divina et coelesti voce prostratum et instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet atque ecclesiae copularetur.* Necessitas illa ministerii confirmatur etiam tristissimis exemplis Israëlitarum et gentilium praedicatione verbi publica destitutorum De Israëlitis dicit Asarias propheta ad regem Asam 2. Paral. 15, v. 3: *Transibunt dies multi in Israël absque Deo vero, absque sacerdote, absque doctore et absque lege.* De gentilibus nondum ad Christi regnum per evangelii praedicationem vocatis dicit apostolus Ephes. 2, v. 12: *Eratis in illo tempore sine Christo, alienati a republica Israëlis et hospites testamentorum promissionis non habentes et sine Deo in hoc mundo.* Et quam tristis sequi soleat effectus sublato verbi ministerio, brevibus sed valde emphaticis verbis docet Salomo Prov. 29, v. 18: *Cum non fuerit visio* sive prophetia, hoc est cessante publico verbi ministerio, יִפָּרַע *rebellis erit populus.* פרע varias habet significationes, quae pleraeque omnes huic loco congruunt. Significat enim 1. denudare; 2. rebellare; 3. feriari; 4. dissipare; sublata enim verbi praedicatione populus denudatur vera et salutari Dei cognitione, rebellis et inobediens fit Deo creatori, feriatur ac cessat a studio bonorum operum et *dissipatur instar ovium non habentium pastorem* Marc. 6, v. 34. Quo pertinet etiam gradatio apostolica Rom. 10, v. 14. evidenter ostendens, sublato ministerio verbi tolli fidem, invocationem et salutem hominum. si nimirum ordinarium agendi modum respicere velimus. Notandum, tamen quod haec necessitas non sit *absoluta*, posset enim Deus immediate et extraordinarie etiam absque verbi praedicatione et absque ministerii ecclesiastici X
συνεργείᾳ homines convertere ac salvare; sed hypothetica, ex hypothesi divinae *εὐδοκίας* institutionis atque ordinationis unice dependens.

4. *Utilitas* ministerii elucet ex praestantissimis 2. ta
illis effectis, quae mediante ipsius opera a divina gratia ad nos descendunt, qualia sunt *hominum conversio a tenebris ad lucem et a potestate Satanae ad Deum* Luc. 1, v. 16. Act. 26, v. 18. *reconciliatio cum Deo* 2. Cor. 5, v. 20. *illuminatio spiritualis*

Matth. 5, v. 14. *Spiritus sancti collatio* Gal. 3, Digni- t. v. 2. et *salvatio* 1. Tim. 4, v 16. *Dignitas* ejusdem ex necessitate et utilitate conspicitur, ad quam accedit, quod Deus hunc ordinem non solum instituerit, sed etiam benigne hactenus conservarit contra Satanae et mundi furores, **(Lutherus tom. 3. Latin. in c. 40. Esai. f. 356: *Praedicare verbum Dei nihil aliud est quam derivare in se furorem totius inferni et Satanae, deinde omnium sanctorum in mundo et omnem potentiam mundi. Est autem periculosissimum vitae genus tot dentibus Satanae subjici.* Tom. 4. Lat. f. 326. super 12. c. Matth.: *Similiter significat ministros verbi versari in periculis tantis a diabolo, mundo, carne, ut egeant etiam divino auxilio, nec defendi possint nisi solius Dei auxilio, postquam contra eos fremunt gentes, reges consurgunt et quidquid est aliquid mundi vexat legatos Dei. Ideo promittit, se ipsum fore defensorem contra illos omnes. Et nisi hoc faceret et nos facturum sciremus, quis vellet subire docendi laborem et pericula? Quod enim Christo accidit, omnibus ministris accidet.*)** quod tota sacrosancta Trinitas eo fuerit perfuncta officio, quod honor et contemtus ministerii ad ipsum Deum ordinis hujus auctorem redundet Matth 10, v. 40. Luc. 10, v. 16. quod propheta *speciosos* appellet *pedes evangelizantium, annuntiantium pacem* Esa. 52, v. 7. et ex illo Paulus Rom. 10, v. 15. quod Deus donorum necessariorum largitionem, successum in laboribus vocationis et peculiarem defensionem hujus ordinis hominibus promiserit, Luc. 21, v. 15. 1 Cor. 15, v. 57. Esa. 51, v. 10. etc. Summatim, dignitas ministerii ubique elucet, sive respiciamus ad *causam efficientem*, Deum scilicet ordinis hujus auctorem; sive ad *subjectum*, in quo occupatur, mysteria scilicet divina; sive ad *objectum*, circa quod versatur, animae scilicet hominum; sive ad *effectus* divinos, hominum scilicet conversionem et salutem; sive ad *socios* hujus ordinis, Christum scilicet, patriarchas, prophetas, apostolos etc. sive ad honorifica *encomia* huic ordini attributa, quorum enumerationem paulo post subjungemus. Succedit igitur

CAPUT I.

QUOD *ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑΝ* COMPLECTITUR.

ztas eccle- siasticus catar Scri- ura ra Ordo eclesia- cus.

5. Ad ὀνοματολογίαν et *ministerii*, et *ministrorum* appellationes pertinent. Illas nominare possis abstractivas, has vero concretivas. Ad abstractivas pertinent voces ordinis, διακονίας, ministerii, λειτουργίας, custodiae, militiae, ἐπισκοπῆς, οἰκονομίας, ἱερουργίας et ἱεραρχίας. *1. Ordinis* ecclesiastici appellatio est ἄγραφος, nisi quis ex sacerdotii Levitici descriptione, vel quod verisimilius, ex 1. Cor. 4, v. 1. eam transsumtam esse statuere velit. Admonet autem nos 1. de ministerii ecclesiastici auctore sive causa efficiente, qui est Deus, de quo apostolus testatur, quod non sit ἀκαταστασίας, sed *pacis et ordinis Deus* 1. Cor. 14, v. 33. Is enim, cum in aliis operibus suis omnibus, tum vel maxime in ecclesiae collectione et propagatione omnia certo ordine peragit, ideo etiam instituit in ea certum personarum ordinem, ut quidam sint docentes, quidam vero auditores. 2. De administratione Levitici XII. 2. 5. sacerdotii in Veteri Testamento, Num. 7, v. 5. Moyses jussu Domini donaria et oblationes principum Israëliticorum tradit Levitis *juxta ordinem ministerii sui.* Hebr. אִישׁ כְּפִי עֲבֹדָתוֹ, ad verbum *viro juxta os servitii sui*, id est unicuique secundum opus et servitium suum, prout scilicet quisque ratione ministerii sui illis indiguit. 2. Reg. 12, v. 6. accipiant sacerdotes pecuniam sanctuarii *juxta ordinem suum*, sed in Hebraeo ibi aliter legitur, מֵאֵת מַכָּרוֹ, *a noto suo*, id est ab Israël noscente ipsum, ita quoque vertit Lutherus. Osiander *de pretio* id est, de salario suo eam detrahent. 2. Reg. 23, v. 4. nominantur *sacerdotes secundi ordinis*, Hebr. כֹּהֲנֵי הַמִּשְׁנֶה ad verbum *sacerdotes secundi*, qui inferioris erant gradus, quam primus sive summus sacerdos. Targum סְגַן כָּהֲנַיָּא, *praefecto sacerdotum*, qui constitutus erat sub sacerdote magno, ut ipsius loco ministraret, si quid labis ei accidisset. Eodem modo explicat Targum locum Jeremiae c. 52, v. 24: *Et tulit magister militae Saraim sacerdotem primum et Sophoniam sacerdotem secundum*, כֹּהֵן הַמִּשְׁנֶה, quod accipiendum sit de סגן כהנים, praefecto sacerdotum vicario ac subsidiario. 1. Par. 23, v. 6. commemoratur, quomodo David propheta regius circa vitae suae finem Levitas distribuerit per vices יֶחָלְקֵם מַחְלְקוֹת *partitus est eos in partitiones* id est, in certos ordines eos distribuit et per sortem ministeria obeunda eis assignavit, unde cum postea Salomon templum erigeret, primo dedicationis die illum ordinem sacerdotum non potuisse statim observari dicitur 2. Par. 5, v. 11: *Nec adhuc in illo tempore vices et ministeriorum ordo inter eos divisus erat*, postea vero ille ordo sacerdotum et Levitarum exemplo patris Davidis a Salomone in templum fuit introductus. c. 8, v. 14: *Constituit juxta dispositionem patris sui officia sacerdotum in ministeriis suis et Levitas in ordine suo* מִשְׁמְרוֹתָם, *in custodiis suis*, id est in functione sua (divisi enim erant in 24 custodias et singulis sabbathis permutabantur) *ut laudarent Dominum et ministrarent coram sacerdotibus juxta ritum uniuscujusque diei. Et janitores in divisionibus suis per portam et portam, sic enim praeceperat David homo Dei.* Pari modo a Nehemia in templo secundo tales ordines sacerdotum ac Levitarum in obeundis ministeriis sunt constituti. Nehem. 13. v. 30: *Statuerunt sacerdotes in ordinibus suis, Hebr.* בִּפְלֻגָּתְהוֹן *divisionibus suis, et Levitas in partitionibus suis super opus Dei quod in Jerusalem.* Esdr. 6, v. 18. 3. De distinctis gradibus personarum, quas Deus ministerio ecclesiastico praefecit. Quamvis enim quoad spiritualem potestatem ac jurisdictionem eadem omnium ministrorum sit conditio, tamen gradus et ordines distinctos inter ipsos esse divina voluit providentia, ut inferius pluri-

bus demonstrabitur. 4. De officio ministrorum ecclesiae, quod in verbi praedicatione, sacramentorum administratione ac reliquis officii sui partibus omnia *κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως* instituere debeant 1. Cor. 14, v. 40. nisi enim omnia debito ordine peragantur ac singula suo tempore et loco habita diligenti circumstantiarum ratione curentur, sperandum non est, ut cum fructu quidquam in ecclesia peragatur.

6. 2. *Διακονίας* sive *ministerii* appellatio in sacris
3. Διακονία. literis ecclesiastico ordini saepissime tribuitur. Est autem vox *διακονίας ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων*. 1. In genere significat quodvis ministerium sive servitium alteri exhibitum. Luc. 10, v. 40. Martha *περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν*. Hebr. 1, v. 14. angeli mittuntur *εἰς διακονίαν*. Ac monent grammatici, *διακονίας* vocem originem ducere a *κόνις vel κονία*, quae pulverem significat, ut *διακονεῖν* sit servire et laborare in pulvere, ad sudorem quasi pulvereum. In specie accipitur de ordine ecclesiastico. Sic Act. 1, v. 17.
XII. 2. 6. de Juda proditore ad apostolatum vocato dicit Petrus: *Connumeratus erat nobis et accepit sortem* sive partem *διακονίας ταύτης, ministerii hujus*. ac v. 25. orant discipuli divinitus per sortem ostendi, uter ex illis, quos in medium produxerant, accipere debeat *sortem ministerii illius et apostolatus*, quo Judas exciderat. Act. 6, v. 4. dicunt apostoli: *Nos orationi* et *διακονίᾳ τοῦ λόγου, ministerio verbi, instabimus et intenti erimus*. Act. 20, v. 24: *Dummodo consummem cursum meum cum gaudio et ministerium, quod accepi a Domino Jesu, testificari evangelium gratiae Dei*, ubi et causam efficientem et materiam circa quam sive objectum hujus *διακονίας* exprimit apostolus. Act. 21, v. 19. narrat Paulus *καθ᾽ ἓν ἕκαστον, quae Deus fecisset in gentibus per ministerium ejus*. Rom. 11, v. 13: *Quamdiu sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo*, in Graeco est tempus praesens *διακονίαν μου δοξάζω*, id est ministerio meo praedicandi evangelium quam plurimos ex gentibus lucrifacere conor, id quod ministerio meo gloriosum est, cum qua explicatione consentit altera, extollam et celebrabo Dei misericordiam, quod ministerio meo gentiles quam plurimi ad fidem Christi pervenerint, quod enim hactenus egerat apostolus, id etiam porro acturus erat. Rom. 12, v. 7: *Si quis in ecclesia gerit ministerium, sedulus sit in illa διακονίᾳ*, ubi in genere de ministerio in ecclesia vel docendi, vel sacramenta administrandi, vel alia officia praestandi vox *διακονίας* accipi videtur. 1. Corinth. 12, v. 5. sunt *διαιρέσεις διακονιῶν, divisiones ministeriorum*, ubi conjunguntur *χαρίσματα, διακονίαι* et *ἐνεργήματα*. Per *χαρίσματα* intelliguntur varia Spiritus sancti dona, quae alias vocantur gratiae gratis datae; per *διακονίας* ministeria ad aedificationem ecclesiae necessaria; per *ἐνεργήματα* opera miraculosa, in quibus virtus ac potentia Dei relucet. *χαρισμάτων* appellatio monet, quod ex gratuita Dei donatione hominibus obveniant; *διακονίας*, quod in aliorum usum ac ministerium converti debeant; *ἐνεργημάτων*, quod sint dona salutaria et efficacia. Quidam tamen statuunt, *διακονίας* et *ἐνεργήματα* accipienda esse ut duas species *χαρισμάτων*, sunt enim quaedam *χαρίσματα* omnibus ecclesiae ministris communia, quaedam vero certis quibusdam personis propria, ad quae pertinet donum *ἐνεργημάτων* sive miraculorum. 1. Cor. 16, v. 15. de Stephanae domesticis dicitur, quod *se ipsos ordinarint εἰς διακονίαν τοῖς ἁγίοις*, ubi in genere quidem intelliguntur quaevis ministeria sanctis in ecclesia praestanda, ad quae operam suam promte atque ultro Stephanae domestici obtulerant, qualia erant cura egenorum, aegrotorum, peregrinorum, exulum etc. interim tamen cum in illis ministeriis praecipue emineat ministerium docendi cumque *ὑποταγὴν* erga illos *διακόνους* v. seq. apostolus praecipiat, ideo haud incommode locus ille huc refertur. 2. Cor. 3, v. 6. et seq. confert apostolus inter se ministerium Veteris ac Novi Testamenti, sive quod idem est *ministerium legis et evangelii*, illud vocat *διακονίαν τοῦ γράμματος τοῦ θανάτου καὶ τῆς κατακρίσεως*, quia lex haeret in literis, multa quidem praecipit, sed non confert Spiritum sanctum, per quem vires ea praestandi obtineantur, peccatum manifestat, accusat, damnat et spiritualiter hominem occidit; hoc vero appellat *διακονίαν τοῦ πνεύματος καὶ τῆς δικαιοσύνης*, quia per evangelium datur Spiritus sanctus corda vivificans et laetificans Galat. 3, v. 2. per evangelium offeruntur beneficia Christi et in his praecipue justitia coram Deo valens. Eodem omnino sensu ministerium evangelii in Novo Testamento vocatur *διακονία τῆς καταλλαγῆς* 2. Cor. 5, v. 18. quia praedicat *λόγον καταλλαγῆς* v. 19. testatur, Deum in Christo nos sibi reconcilliasse, ac vera fide hujus summi beneficii applicationem fieri. 2. Cor. 6, v. 3: *Nemini dantes ullam offensionem* sive scandali materiam, *ne vituperetur ἡ διακονία, ministerium nostrum*, nimirum offendicula ministrorum parum pie viventium occasionem exhibent adversariis, ut de ministerio evangelii pessime sentiant et loquantur. 2. Cor. 11, v. 8: *Alias ecclesias exspoliavi accipiens stipendium πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν*, uti scilicet sine vestro sumtu evangelium vobis praedicarem, ita enim exponitur v. 7. Coloss. 4, v. 17: *Dicite Archippo, vide ministerium* (*τὴν διακονίαν*), *quod accepisti in Domino, ut illud impleas*, id est ut partibus muneris ecclesiastici divinitus tibi commissi undiquaque satisfacias et fidelem operam ecclesiae praestes. Haec admonitio et auribus et cordibus ministrorum verbi quotidie insonare debet. 1. Tim. 1, v. 12: *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit ponens εἰς διακονίαν, in ministerio* vel ad ministerium, id est quia curae ac fidei meae ecclesiasticum ministerium commisit. Quos Christus *ἡγήσατο πιστοὺς θέμενος αὐτοὺς εἰς διακονίαν*, illi etiam sese exhibeant *πιστοὺς ἐργάτας καὶ διακόνους* 1. Cor. 4, v. 2. Ephes. 6, v. 21. etc. 2. Tim. 6, v. 5: *Opus fac evangelistae, ministerium tuum imple, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον*, plena animi fiducia et Spiritu intrepido partes officii tui perfice; qui mundi odia nimium pertimescunt, in ecclesiastico ministerio non poterunt cum fructu

versari, requiritur igitur *παῤῥησία ac πληροφορία*, per quam pericula, odia et quaevis adversa contemnantur. Ibid. v. 11: *Marcus est mihi utilis ad ministerium.* Posset quidem accipi de privatis ministeriis Paulo in carcere praestandis, sed commodius accipitur de ministerio ecclesiastico, ad quod Marci opera Paulus uti voluit, majorem enim ecclesiae quam sui ipsius curam habebat apostolus. Quodsi hic est Marcus ille, cujus mentio fit Act. 12, v. 25. c. 15, v. 37. quem Paulus nolebat sibi et Barnabae comitem itineris adjungere, propterea quod in Pamphilia periculorum metu fortassis territus ab ipsis discessisset ac languidius in evangelii propagatione egisset, monemur fieri posse, ut qui primum in ministerio ecclesiastico sunt remissi ac languidi, postmodum majori studio ac zelo illud promoveant. Apoc. 2, v. 19: *Angelo* sive ministro *ecclesiae Thyatirensis* scribit Dei Filius: *Novi opera tua et caritatem et ministerium et fidem et patientiam tuam* etc. Haec omnia in ministerio ecclesiastico rite peragendo requiruntur, *ἔργα scilicet, non ἀεργία vel περιεργία*; *ἀγάπη*, ut ex sincero Dei et auditorum amore omnia proficiscantur; *πίστις*, ut debita fidelitate partes gravissimi illius muneris administrentur; *ὑπομονή*, ut in periculis et adversis magna animi constantia perduretur. In scriptoribus ecclesiasticis vocabulo *διακονίας* quaedam addi solent, quibus ad praesentem, de qua agimus, significationem restringitur. Vocatur enim *ministerium evangelii*, ratione materiae sive objecti quod tractat; *ministerium ecclesiasticum*, quia praecipuae muneris hujus partes in ecclesia, id est in congregatione fidelium, peraguntur, atque ut a politico ordine hac denominatione discernatur. 3. Specialissime vox *διακονίας* accipitur de certa ac determinata quadam ministerii ecclesiastici parte, puta de distributione *βιωτικῶν* ac necessariorum inter sanctos in communione, Act. 6. v. 1: *Graeci murmurant adversus Judaeos, quod despicerentur ipsorum viduae ἐν τῇ διακονίᾳ τῇ καθημερινῇ, in quotidiana illa distributione*, necessariorum ex bonis communibus. Item de distributione collectarum sanctis egentibus transmissarum. Act. 11, v. 29. Christiani Antiocheni decernunt pro ratione suarum facultatum mittere *εἰς διακονίαν, in ministerium* sive subsidium, summam aliquam pecuniae habitantibus in Judaea fratribus, per manum Pauli ac Barnabae; quo pertinet locus Rom. 15, v. 31. ut *διακονία, ministerium meum, fiat acceptabile sanctis in Jerusalem.* Quidam generaliter accipiunt de ministerio docendi, cum v. 16. dicat apostolus, se esse *λειτουργὸν Christi in gentibus ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προςφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος*, quo respiciens vulgatus interpres vertit, ut *obsequii mei oblatio accepta fiat sanctis in Jerusalem*, sed ex nexu v. 25 et 26. manifestum est, *διακονίαν* hoc loco accipi de collectarum distributione. Eodem sensu accipitur Act. 12, v. 25. 2. Cor. 8, v. 4. ubi appellatur *κοινωνία τῆς διακονίας εἰς τοὺς ἁγίους. c. 9, v. 1. 12. 13 ubi διακονία τῆς λειτουργίας* vocatur.

XII. 2. 8. Causae propter quas hic status vocetur διακονία ministerium. 1. Respectu doctorum.

7. Admonet autem *διακονίας* appellatio ordini ecclesiastico attributa de multis necessariis et utilibus rebus tum ipsos ministros ecclesiae, tum ipsorum auditores. Ministros quidem 1. ut agnoscant, officium suum non esse regimen politicum *ἀρχὴν δεσποτικήν*, sed ministerium ecclesiasticum, *ἐπιμέλειαν καὶ διακονίαν*. Opponenda igitur haec appellatio fastui Romani pontificis et episcoporum Pontificiorum, qui praetextu muneris ecclesiastici dominatum sibi arrogant ac potestatem ferendi leges in conscientia obligantes et pro arbitrio in fidei dogmatibus decidendi sibi tribuunt. Sane magistratus politici itidem appellantur *διάκονοι θεοῦ* Rom. 13, v. 4. cum et ipsi in munere suo administrando Deo serviant, quae ipsorum *διακονία respectu* Dei ipsis attributa non excludit *δεσποτικὴν αὐτῶν κυριότητα respectu subditorum*, unde ibidem v. 1. vocantur *ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι*, quibus *omnis anima* debeat esse subdita. Sed ecclesiae pastoribus non solum respectu Dei, verum etiam auditorum sive gregis tribuitur *διακονία*, unde non solum vocantur *διάκονοι τοῦ θεοῦ* 2. Cor. 6, v. 4. 1. Thess. 3, v. 2. *διάκονοι τοῦ Χριστοῦ* 2. Cor. 11, v. 23. Coloss. 1, v. 7. 1. Tim. 4, v. 6. *διάκονοι τῆς καινῆς διαθήκης* 2. Cor. 3, v. 6. *διάκονοι τοῦ εὐαγγελίου* Ephes. 3, v. 7. Coloss. 1, v. 23. sed etiam *διάκονοι τῆς ἐκκλησίας* Coloss. 1, v. 25. *διάκονοι δι' ὧν, per quos* et quorum opera ad fidem per evangelii praedicationem homines adducuntur. 1. Cor. 3, v. 5. de quibus ibidem v. 21. apostolus subjungit: *Omnia vestra sunt*, v. 22: *sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura, omnia vestra sunt;* v. 23: *vos autem Christi, Christus autem Dei*, ubi totus ecclesiae coetus ministris verbi praeponitur. 2. Cor. 4, v. 5: *Non praedicamus nos ipsos, sed Jesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Christum.* Atque ex hoc fonte profluit gravissima Christi admonitio opposita apostolis dominatum quendam politicum affectantibus, Matth. 20, v. 25. Marc. 10, v. 24. Luc. 22, v. 25: *Principes gentium dominantur et majores potestatem in eis exercent, sed non ita erit inter vos, verum quincunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* Quo etiam pertinent illa apostolica 2. Cor. 1, v. 24: *Non dominamur fidei vestrae.* 1. Petr. 5, v. 3: *μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων* etc. 2. Ut in officii sui partibus omnibus ac singulis debitam fidelitatem et diligentiam adhibeant, cum audiant, se esse legatos alterius, servos summi illius monarchae atque oeconomos coelestis patrisfamilias, cui olim rationem suae administrationis sint reddituri. Ac velut de sacerdotibus et Levitis debitas officii sui partes in tabernaculo ac templo peragentibus phrasi V. T. dicitur, quod *stent in conspectu Domini sive coram Domino in ministerium* Deut. 10, v. 8. propter peculiarem Dei praesentiam circa arcam foederis; ita quoque ecclesiae ministri tanquam coram Domino, cujus vicem agunt, omnia officii sui munia perficiant. Huc referendum est dictum apostoli 1. Cor. 4, v. 1: *Sic nos aestimet homo ut ministros Christi et oecónomos mysteriorum Dei*

v. 2: *quod superest autem, hoc requiritur in dispensatoribus, ut fidelis aliquis inveniatur.* Itemque parabolae Christi Matth. 24, v. 45: *Quis putas est fidelis et prudens servus, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore etc.* Matth. 25, v. 14: *Sicut homo peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua etc.* Luc. 12, v. 42: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus in tempore*
2. Respectu doctores. *super familiam suam etc.* Auditores haec appellatio monet 1. ut debitum honorem ac reverentiam pastoribus suis tanquam Dei legatis ac ministris exhibeant, inde cum de Stephanae domesticis apostolus dixisset 1. Cor. 16, v. 15. quod se *ordinaverint ad ministerium*, subjungit v. 16. ἵνα καὶ ὑμεῖς ὑποτάσσησθε τοῖς τοιούτοις καὶ παντὶ τῷ συνεργοῦντι καὶ κοπιῶντι. Sunt
XII. 2. 3. quidem pastores Dei et ecclesiae ministri, interim tamen non sunt habendi pro vilissimis mancipiis, sed pro talibus ministris, quibus honor, reverentia et obedientia ex ipsius Dei praescripto debeatur, 1. Timoth. 5, v. 17. Tit. 2, v. 15. Hebr. 13, v. 17. etc. 2. Ut filiali amore ac sincera benevolentia ipsos complectantur, cum audiant, non cogi se sub jugum servitutis civilis, sed vocari ad κοινωνίαν spiritualis libertatis ab illis, qui non cupiant ipsis δεσποτικῶς, nedum τυραννικῶς imperare, sed πατρικῶς paterna benevolentia eos complecti atque tractare, inde est, quod apostoli suos auditores passim vocant *filios* 1. Cor. 4, v. 14. 2. Cor. 6, v. 13. 1. Joh. 2, v. 1. 18. etc. se vero ipsorum *patres* 1. Cor. 4, v. 15. Gal. 4, v. 19.

3. Λειτουργία. 8. 3. *Λειτουργίας* vocabulum itidem accipitur 1. *in genere* pro quovis ministerio. Phil. 2, v. 30: *Epaphroditus implevit* τὸ ὑμῶν ὑστέρημα τῆς πρός με λειτουργίας, operam et subsidium vestras vices sustinendo mihi praestitit, ubi vox λειτουργίας privata humanitatis ac beneficentiae officia notat. LXX usurpant pro עֲבֹדָה servitus, servitium, מְלָאכָה opus, operatio Ezech. 29, v. 20. ac generaliter pro quovis ministerio 1. Reg. 1, 4. et 15. 2. Par. 17, v. 19. Dan. 7, v. 10. Eodem modo accipitur apud Aristotelem 2. oeconom. et apud Lucianum. 2. *In specie* ac proprie significat ministerium publicum, munus publicum, est enim λειτουργία *quasi* ληϊτουργία. Suidas in Lexico: λειτουργία κυρίως ἡ δημοσία ὑπηρεσία *a voce* ληϊτόν, quod publicum significat et ἔργον, quod est munus seu opus. Ad hanc classem pertinent variae significationes. 1. In Veteri Testamento a LXX interpretibus usitatissime accipitur pro *ministerii Levitici administratione*, quod magna ex parte in offerendis sacrificiis erat positum. Exod. 38, v. 21. Num. 4, v. 25. et seqq. c. 8, v. 22. etc. Eodem modo accipitur Luc. 1, v. 23: *Cum impleti essent dies* τῆς λειτουργίας, *officii sacerdotalis, in templo* per vices sustinendi. Hebr. 9, v. 21. vocantur *vasa* τῆς λειτουργίας, quibus Levitici sacerdotes in obeundis muneris sui partibus utebantur. c. 10, v. 11: *Omnis sacerdos praesto est quotidie ministrans, λειτουργῶν, et easdem saepe offerens hostias.* 2. In Novo Testamento accipitur pro *sacerdotio Christi*, cujus typus fuit tota illa Levitica λειτουργία. Hebr. 8, v. 6: *Nunc autem melius sortitus est ministerium*, διαφορωτέρας τέτευχε λειτουργίας, *quanto et melioris testamenti mediator est.* 3. Pro *ministerio ecclesiastico* seu functione muneris publici in ecclesia. Phil. 2, v. 17: *Etsi immolor super sacrificium et obsequium fidei vestrae gaudeo*, ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν, *ubi* θυσίαν καὶ λειτουργίαν πίστεως vocat praedicationem evangelii, qua Philippenses ad fidei obedientiam perduxerat, perinde ut Rom. 15, v. 16. dicit, se esse λειτουργὸν Χριστοῦ ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος. Respicit vero ad officium Levitarum in Veteri Testamento, quod λειτουργίας appellatione ubique fere a LXX interpretibus exprimitur, illud occupatum erat circa victimas corporales, sed per ministerium evangelii in Novo Testamento offeruntur Deo hostiae spirituales. Act. 13, v. 2. λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ, *ministrantibus illis Domino* in publico scilicet ecclesiae coetu. Haec significatio non solum scriptoribus ecclesiasticis, Dionysio scilicet de divinis nominibus, Theodoreto in historia ecclesiastica et aliis, sed etiam profanis usitata est. unde apud Plutarchum est λειτουργὸς θεοῦ, cui sacrorum et cultus divini cura commissa est. 4. Pro *parte quadam ad ministerium ecclesiasticum in primitiva ecclesia spectante*, videlicet distributione collectarum inter sanctos egentes, adeoque pro beneficentia erga pauperes. Rom. 15, v. 27: *Si spiritualia ipsorum communicata sunt gentibus, debent etiam in carnalibus* λειτουργῆσαι, *ministrare, illis*, id est contributione pecuniaria Judaeorum credentium inopiam sublevare, XII.
qui rapinam bonorum suorum fuerant passi. 2. Cor. 9, v. 12: ἡ διακονία τῆς λειτουργίας ταύτης, *ministerium officii hujus, supplet ea, quae desunt sanctis.* 5. Pro *administratione muneris politici.* Apud Polybium de ministeriis seu muneribus castrensibus usurpatur. Apud Xenophontem τῇ πόλει λειτουργεῖν est publicum munus in civitate gerere. Pollux ex Dinarcho vocat οὐσίαν ἀλειτούργητον bona libera onere isto publicorum munerum, quae est immunitas. Lysias in orat. pro pecuniis Aristophanis: Πεντήκοντα ἔτη ἐστιν, ὅσα ὁ πατὴρ αὐτὸς χρήμασι καὶ σώματι πόλει ἐλειτούργει, *quinquaginta anni sunt, quibus pater ipse tam pecuniis quam corpore in civitate muneribus publicis functus est.* Aristoteles 2. polit. vocat κοινὰς λειτουργίας, et 5. polit. c. 8. λειτουργεῖν τὰς δαπανηρὰς λειτουργίας. Huc pertinet, quod magistratus dicuntur λειτουργοὶ θεοῦ Rom. 13, v. 6. 6. *Pro administratione coenae Dominicae*, quae est ministerii ecclesiastici in Novo Testamento pars non postrema. Haec significatio scriptoribus ecclesiasticis usitata est, unde *liturgia Jacobi, liturgia Chrysostomi, liturgia Basilii etc.*, sed in sacris literis nuspiam occurrit, nisi quis forte huc referre velit locum Act. 13, v. 2. λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ, sed rectius generaliter intelligitur de omnibus officii ecclesiasti partibus: Cum occupati essent Barnabas et ipsius συνεργοὶ in ministerio publico, puta docendo, orando, baptizando, coenam administrando etc.

9. Pontificii ex voce λειτουργίας sacrificio suo An ei voce

missatico robur quaerunt, existimant enim λειτουργεῖν de ministris ecclesiae in Scripturis usurpatum inferre, quod sint tales sacerdotes, qui externum aliquod sacrificium proprie sic dictum Deo offerant. Bellarminus lib. 1. de missa c. 13: *Septimum argumentum pro missae sacrificio stabiliendo sumitur ex* Actor. 13, v. 2: *Ministrantibus illis Domino et jejunantibus dixit Spiritus sanctus* etc. *Ministerium enim illud Domino exhibitum non videtur aliud esse potuisse quam sacrificium et sacrificium missae, quod probatur 1. ex voce Graeca* λειτουργούντων. *Nam imprimis etiam adversarii confitentur et potissimum apologia Augustanae confessionis in articulo de missa, vocem illam* λειτουργέω *non significare quodcunque ministerium, sed publicum. Itaque hoc loco non significat aliquid privatum et internum, sed publicum et proinde externum. Neque significare potest ministerium verbi et sacramentorum, quia ista publica quidem sunt, sed non exhibentur Deo. Non enim concionamur Deo, neque sacramenta dispensamus Deo, sed populo, hic autem dicitur, ministrantibus illis Domino. Dices, qui concionantur aut sacramenta populo praebent, Domino ministrare dici possunt, quia ad ejus honorem id faciunt. At si ista esset causa, cur Lucas scripserit, ministrantibus illis Domino, non addidisset et jejunantibus, nam etiam jejunare est eo modo Domino ministrare. Qui enim bene jejunant, ad honorem Dei jejunant, juxta illud* Rom. 14, v. 6: *Qui manducat, Domino manducat, qui non manducat, Domino non manducat. Praeterea verbum illud* λειτουργέω *licet possit accommodari ad sacra et profana ministeria, tamen cum accomodatur ad sacra et absolute ponitur in Scripturis, ubique accipitur pro ministerio sacrificii, ut patet ex cap. 1. Luc. et epist. ad Hebraeos c. 2. 8. 9. et 10. Quare hoc loco Erasmus vertere ausus est: Sacrificantibus illis Domino, et hinc etiam factum, ut Graeci missae celebrationem* λειτουργίαν *appellarent.* Conjunge Salmeronem tom. 12. tractat. 36. p. 237. Respondemus: 1. Ostendimus superius, λειτουργεῖν significare in genere quodvis ministerium obire. 2. Sed libenter concedimus, Act. 13. pro publico ministerio accipi. 3. Damus insuper, pro ministerio ecclesiastico ibidem usurpari. 4. Concedamus etiam, pro administratione sacrae coenae vocem λειτουργίας ibi accipi; ex eo tamen nondum inferri potest, sacrificium missaticum ab apostolis ibidem fuisse celebratum. 1. λειτουργίας enim vox in genere significat publicum ministerium, ergo ex ea non potest inferri sacrificium missaticum in specie, cum a genere ad speciem affirmate mala fiat illatio. Rom. 13, v. 6. politici *magistratus* vocantur λειτουργοὶ τοῦ θεοῦ, num igitur statuemus, illos quoque esse missifices? Hebr. 1, v. 13. *angeli* vocantur λειτουργικὰ πνεύματα, num igitur statuemus, illos etiam in coelis missas celebrare et cantillare? Versio vulgata hoc loco reddidit *ministrantibus*, non autem sacrificantibus. Jam vero a vulgata versione prohibetur Bellarminus discedere Tridentini concilii fulmine. 2. Missatici sacrificii celebratio ad ministerium Novi Testamenti non pertinet, ubicunque enim officia ministrorum ecclesiae Novi Testamenti describuntur, nullibi cujusdam externi sacrificii missatici celebratio ad ea refertur, proinde ex voce λειτουργίας missa erui nulla arte poterit. 3. Qualis λειτουργία ministris ecclesiae Novi Testamenti tribuatur, manifeste constat ex Rom. 15, v. 16: *Data est mihi a Deo gratia* εἰς τὸ εἶναί με λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *ut sim minister Jesu Christi, in gentibus sacrificans evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta sanctificata in Spiritu sancto,* ubi ministerium Novi Testamenti non in externi cujusdam sacrificii oblatione, sed in evangelii praedicatione constituitur, ac respectus habetur ad vaticinium propheticum Malach. 1, v. 10 et 11. 4. Qualis λειτουργία Act. 13. describatur, colligitur ex v. 1. illius capitis, ubi λειτουργοῦντες illi non appellantur missifices, sacerdotes aut sacrificuli, sed *prophetae et doctores*, quorum officium praecipue in docendo et praedicando consistit. 5. Inde plerique interpretes λειτουργίαν illam de praedicatione verbi exponunt. Chrysostomus homil. 27. in Act. vocem λειτουργούντων exponit κηρυττόντων αὐτῶν. Oecumenius in comment. illius loci: *Τί ἐστι λειτουργούντων, τοῦτ᾽ ἔστι κηρυττόντων.* Cajetanus in comm.: *Non explicatur species ministerii, sed ex eo quod dixerat prophetae et doctores, insinuatur, quod ministrabant Domino docendo et prophetando.* Erasmus in annot. hujus loci: *Ministrantibus, quod proprium est operantium sacris. Nullum autem sacrificium Deo gratius quam impartiri doctrinam evangelicam.* Quodsi ergo Bellarminus Erasmum legit in versione, debuisset eundem etiam legere in versionis suae explicatione. 6. Libenter damus, praeter docendi partes etiam sacramentorum administrationem adeoque totum divini cultus exercitium publicum in ecclesia voce λειτουργούντων describi, ut sit sensus: Cum occupati essent in ministerio ecclesiastico Scripturam interpretando, docendo, orando, baptizando, coenam administrando etc. unde Syriaca et Arabica translatio vertunt *orantibus*. Lyranus in comm.: *Ministrantibus scilicet in operibus bonis secundum suos gradus et officia.* Dionysius Carthusianus in comm.: *Ministrantibus in actibus virtuosis in observantiis praeceptorum et consiliorum, in conversione aliorum.* Salmeron invehitur in quosdam, qui de publicis precibus hunc locum exponunt. Sed ex eo nondum stabiliri potest sacrificium missaticum, probandum enim prius foret ex aliis Scripturae dictis, ad partes ministerii ecclesiastici missatici sacrificii celebrationem etiam pertinere. 7. Non in singulari, sed in plurali dicitur λειτουργούντων αὐτῶν, quodsi ergo vocabulum λειτουργίας missaticum sacrificium notaret, consequens foret, illos omnes, qui v. 1. enumerantur, celebrasse missam. 8. Consequens etiam foret, privates missas non esse conformes missae apostolorum, quippe quae fuerit λειτουργία, hoc est juxta Bellarmini interpretationem publicum aliquod in ecclesia ministerium, non autem privata canonis missatici demurmuratio. 9. Bellarminus ipse structuram sui

argumenti penitus evertit, quando lib. 1. de missa c. 15. §. de loco sic scribit: *Verba Lucae* Act. 13. *sunt generalia, neque explicate continent certum aliquod ministerium, non enim dixit Lucas, offerentibus illis Domino sacrificium corporis Christi, sed in genere, ministrantibus illis Domino.* Haec ibi totidem verbis Bellarminus.

XII. 2. 12. **Bellarmini instantiae.** 10. Nec ullum robur obtinent ἐνστάσεις Bellarminianae. 1. Quod enim probare conatur, λειτουργίαν hoc loco *significare publicum et externum ministerium*, libenter ei damus, sed ex eo nondum inferri potest sacrificium missaticum, ut ostendimus. 2. Quod negat, *verbi et sacramentorum ministerium voce λειτουργίας hic accipi posse, cum illud non praestetur Deo, sed populo*, ad illud ipsiusmet Bellarmini verbis respondemus, sic enim scribit lib. 1 de missa c. 15. §. de loco: *Non inepte potest, qui concionatur, dici Domino ministrare, et eodem modo potest, qui eucharistaee vel baptismi sacramentum dispensat, dici ministrare Domino.* Si quid roboris inesset huic argutiae Bellarminianae, *non concionamur Deo, neque sacramenta dispensamus Deo, sed populo. Ergo per τὸ λειτουργεῖν θεῷ non potest intelligi verbi praedicatio et sacramentorum administratio*, consequens foret, linguam apostoli corrigendam esse, quando Rom. 13, v. 6. magistratus vocat λειτουργοὺς τοῦ θεοῦ, illi enim itidem justitiam administrant non Deo, sed populo. Atqui invertimus argumentum: Quemadmodum magistratus politici recte dicuntur λειτουργοὶ θεοῦ ac Deo in officii sui administratione λειτουργεῖν, licet subditis suis, non autem Deo praemia et poenas distribuant et justitiam administrent, nimirum quia *non hominis, sed Dei judicium exercent*, teste Josaphato 2. Par. 19, v. 6. quia *a Domino ipsis potestas est data, cujus ministri sunt in regnorum gubernatione.* Sap. 6, v. 4. et 5. et quia *Dei ministri sunt ad bonum*, Rom. 13, v. 4. ita quoque; ecclesiae ministri recte dicuntur λειτουργοὶ θεοῦ et Deo in officii sui administratione λειτουργεῖν, licet non Deo, sed hominibus verbum praedicent et sacramenta dispensent, nimirum quia *legatione funguntur Dei nomine*, 2. Cor. 5, v. 20. et quidquid in officio suo juxta praescriptum verbi agunt, id Deo agunt, id est ut ipsius mandatum impleatur, ut honor debitus illi praestetur, ut ecclesia ex genere humano ipsi colligatur, a qua glorificetur ac celebretur, 2. Cor. 5, v. 13. εἰ ἐξέστημεν θεῷ, id est zelo nostro inservimus Deo, de cujus gloria agitur et cujus ministri sumus. Rom. 14, v. 6: *Qui manducat, Domino manducat*, id est qui discrimen ciborum in lege Mosaica praescriptum non amplius observat, sed absque discrimine ciborum Levitico manducat, facit hoc in honorem Domini, qui credentes in Nov. Test. a legibus ceremonialibus Mosaicis liberavit, quod ipse certa scientia novit. *Qui non manducat, Domino non manducat*, id est, qui discrimen illud ciborum in lege Mosaica praescriptum adhuc observat, facit id in honorem Domini, qui discrimen illud praecepit, quod abrogatum esse adhuc ignorat. 3. Quod jejunium huic liturgiae additur, nondum probat sacrificii missatici celebrationem, jejunium enim illud partibus ministerii ecclesiastici publice obitis fuit additum, ut majore zelo ac Spiritus devotione omnia peragerentur. Et cum Bellarminus ipse concedat, *eum, qui bene jejunat in honorem Domini, recte dici posse Domino jejunare*, cur negat, vocem τῷ θεῷ hic additam tum ad λειτουργούντων, tum ad νηστευόντων commode referri posse? cur negat, ministros ecclesiae in praedicatione evangelii et administratione sacramentorum dici posse λειτουργεῖν τῷ θεῷ, cum partes illas sui officii non minus ad honorem Dei dirigant? 4. Quod Bellarminus asserit, *verbum λειτουργέω quando ad sacra accommodatur et absolute in scripturis ponitur, ubique accipi pro ministerio sacrificii*, id si accipiatur sensu Bellarminiano pro ministerio sacrificii externi proprie sic dicti, generaliter verum non est; λειτουργία enim vocatur *praedicatio evangelii* inter gentes cum nullo externo sacrificio proprie sic dicto conjuncta Rom. 15, v. 16. λειτουργία etiam vocatur *eleemosynarum distributio* cum nullo sacrificio externo proprie sic dicto conjuncta 2. Cor. 9, v. 12. Rom. 15, v. 27. etc. Sane quoties vel de Leviticis sacerdotibus, qui corporales hostias in Vet. Test. Deo obtulerunt, vel de Christo, qui se ipsum victimam Deo in ara crucis obtulit, λειτουργίας vox usurpatur, quod fit in locis a Bellarmino allegatis, concedimus, XI
sacrificii externi proprie sic dicti oblationem simul notari (quamvis non solam, cum etiam aliae partes ministerii Levitici et officii a Christo peracti connotentur); sed ex eo inferri nequit, quando vox λειτουργίας de ministris ecclesiae N. T. usurpatur, tunc itidem sacrificii externi proprie sic dicti oblationem per eam significari, sed contrarium potius inferendum est. Christus enim *unica oblatione* sui corporis in cruce peracta finem imposuit sacrificiis Leviticis, nec ministros ecclesiae Nov. Test. constituit missifices, qui externum aliquod sacrificium proprie sic dictum offerre debeant, sed evangelii praecones et sacramentorum dispensatores, ut alibi plenius docetur. 5. Quod pii veteres s. eucharistiam vocant liturgiam, illud itidem missatico sacrificio nihil quidquam patrocinatur, fit enim illud cumprimis hoc nomine, quia eucharistiae administratio est λειτουργίας sive publici illius muneris, quod ministris ecclesiae commissum, pars non postrema; deinde quia cum administratione eucharistiae in primitiva ecclesia conjuncta fuit eleemosynarum collatio ac distributio, quae cum in Scripturis sacris λειτουργία appelletur, inde factum, ut ad ipsam quoque eucharistiae administrationem vocabulum illud fuerit translatum; denique quia spiritualia sacrificia Nov. Test. videlicet preces, gratiarum actiones, totius hominis consecratio etc. vocantur λειτουργίαι, quippe quae respondent Leviticae liturgiae in externis et corporalibus sacrificiis positae, ideo etiam liturgias vox ad eucharistiae administrationem fuit translata, quippe in qua solennes preces, gratiarum actiones, totius hominis consecratio et sacrificii in cruce a Christo peracti commemoratio fieri soleat atque etiam debeat. Interim tamen liturgiam

generaliter pro cultus divini in ecclesia exercitio acceptam a sacrificii oblatione, hoc est eucharistiae administratione distinxerunt. Ignatius Martyr. in epist. ad Smyrnenses, ubi hortatur ecclesiam illam, ut sibi caveat a conventiculis clandestinis seductorum, inter cetera sic scribit: *Non licet sine episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque λειτουργεῖν.* Falsum igitur est, quod Bellarminus scribit, *λειτουργεῖν*, quando ad sacra accommodatur et absolute ponitur, ubique accipi pro ministerio sacrificii.

4. Custodia. 11. 4. Ministerium Levitarum vocantur מִשְׁמֶרֶת *custodia*, Levit. 8, v. 35. Num. 1, v. 53. c. 3, v. 32. etc. quia custodes sacrorum constituti erant, unde jubentur *observare custodias Domini*, id est debitam in officio suo adhibere vigilantiam. 1. Par. 10, (9,) v. 27. ipsi et filii ipsorum super portis domus Domini per מִשְׁמָרוֹת custodias. Sacerdotes a Davide in viginti quatuor custodias erant divisi et singulis
5. Militia. sabbatis permutabantur. 5. צָבָא cultus, ministerium, proprie *militia* Num. 8, v. 24. *et omnem ingredientem* לִצְבֹּא צָבָא *ad militandum militiam*, id est ad serviendum servitium in tabernaculo. LXX reddunt per *λειτουργεῖν*, ad Dei enim cultum conveniebant magna multitudine tanquam exercitus aliquis, officium ut omnium piorum, ita cumprimis ecclesiae ministrorum est spiritualis quaedam militia adversus Dei
6. Inspectio. hostes, 2. Cor. 10, v. 3. 1. Tim. 1, v. 18. 6. *Ἐπισκοπή, episcopatus*, inspectio Act. 1, v. 20. 1. Tim. 3,
7. Oeconomia. v. 1. 7. *Οἰκονομία, dispensatio*, familiae domus Dei administratio, 1. Cor. 9, v. 17. Eph. 3, v. 2. Col. 1, v. 25. de quibus appellationibus dicetur inferius §. 23.

2. In scriptoribus ecclesiasticis. 1. ἱερουργία. 12. 2. In veteribus scriptoribus vocatur 1. *ἱερουργία* appellatione transsumta ex Rom. 15. v. 16. ubi apostolus dicit, se esse *λειτουργὸν Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τὰ ἔθνη ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ.* Bellarminus lib. 1. de missa c. 15, §. adde ultimo, recte fatetur, vocem *ἱερουργίας* esse *ambiguam ac generalem, quae quamvis sacram actionem significet.* Est enim *ἱερουργεῖν in genere* sacris operari, sacra
XII. 2. 14. peragere. Plutarchus in Alexandr. Philo de vita Moysis lib. 1. *In specie* significat sacrificia offerre, quippe quae cultus sacri non solum in ministerio Levitico V. T. sed etiam apud gentiles ex *κακοζηλίᾳ* populi Israëlitici fuerunt pars facile primaria, inde *ἱερατεία* affinis *ἱερουργίας* appellationi a LXX interpretibus ponitur pro sacerdotio, Hos. 3, v. 4. pro כְּהֻנָּה functione et administratione sacerdotii, Exod. 29, v. 9. c. 35, v. 18. Num. 3, v. 10. etc. ac *λειτουργεῖν καὶ ἱερατεύειν* conjungunt Eccl. 45, v. 25. inde facile apparet, quo sensu ac respectu apostolus dicat, se *ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον*, videlicet quia praedicatio evangelii inter gentes est sacrificium illud solenne et publicum, de quo praedictum Mal. 1, v. 10. quod in locum sacrificiorum Leviticorum in Nov. Test. sit successurum, ac quia munus docendi pars est sacri
2. ἱεραρχία. officii in ecclesia quam maxime necessarii. 2. *Ἱεραρχίας* appellatio, quam quidam veterum ministerio ecclesiastico tribuunt, nec in versione Graeca Vet. Test. nec. in Nov. Test. uspiam occurrit, petita igitur est ex scriptoribus profanis, apud quos *ἱεραρχεῖν* est praeesse sacris, fungi imperio sacro sacroque magistratu, ut Budaeus ex Dionysio ostendit. Nequaquam vero politicam quandam *ἀρχὴν* sive dominatum, sed talem potestatem, *ἐξοχὴν* ac honorem, qualem Scriptura ecclesiae ministris tribuit, *ἱεραρχίας* nomine huc applicato intelligere debemus, cujus respectu vocantur *προεστῶτες* 1. Tim. 5, v. 17. in quibus vero illa potestas *ἐξοχὴ* et honor ecclesiae ministrorum consistat, suo loco inferius expositum dabitur.

13. Atque haec de ministerii ecclesiastici appellationibus nobis dicta sint. *Ministrorum* appellationes, quas concretivas superius diximus, variae ac diversae occurrnnt. Possunt vero eae in hasce classes dispesci, 1. ut quaedam statuantur *generales* omnibus ecclesiae ministris competentes, quaedam vero *speciales* certo ministrorum ordini ac gradui duntaxat convenientes. Ubi monendum, in compluribus appellationibus duplicem illam significationem concurrere, ita ut quandoque generali, quandoque vero speciali sensu accipiantur, id quod ex appellationibus prophetarum, episcoporum, diaconorum etc. manifeste conspicuum. 2. Quaedam sunt *propriae*, quaedam vero *tropicae, periphrasticae et encomiasticae.* 3. Quaedam a *causa efficiente*, quaedam ab *objecto*, quaedam ab *officio* sunt desumtae, ubi notandum, quod pleraeque ministrorum appellationes debitas officii ipsis incumbentis partes simul insinuent, quia ministerium nemini committitur propter pingue otium, amplum salarium et inanis honoris aucupium, sed ad opus Domini sedulo ac diligenter peragendum. Augustinus lib. 19. de civ. Dei c. 19: *Episcopatus nomen est operis, non honoris,* quod probat ex dicto apostolico 1. Tim. 3, v. 1.: *Si quis episcopatum desiderat, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ, bonum opus desiderat.* 4. Quaedam in *Scripturis sacris*, quaedam in *scriptoribus ecclesiasticis* occurrunt. 5. Quae in Scripturis habentur, earum quaedam *Veteris*, quaedam vero *Novi Testamenti* ministris sunt peculiares. Ad quam istarum classem singulae ministrorum appellationes pertineant, ex speciali earum examine et explicatione evadet conspicuum. — Appellationes ministrorum ecclesiae.

14. Appellationes ministrorum in Vet. Test. sunt vel *propriae*, vel *metaphoricae*. Inter proprias usitatissima est: 1. appellatio *sacerdotum*, quae etiam ante Moysen et constitutum Leviticum sacerdotium usurpata legitur Gen. 14, v. 8. Exod. 19, v. 22. Huic appellationi in Hebraeo respondet כֹּהֵן, a radice כָּהַן, functus est officio publico, vel ecclesiastico, vel politico. Erit igitur כֹּהֵן in sacris minister Dei, sacerdos, antistes ecclesiasticus Exod. 29, v. 9. c. 31, v. 10. etc. in politicis dux, princeps, primarius — 1. ex V. T. 1. propriae. 1. sacerdotes.
regis minister, consiliarius, et in genere vir magnus, XII. 2. 15
in praecipua dignitate constitutus. Psalm. 99, v. 6.: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* 2. Sam. 8, v. 18: *Filii Davidis erant sacerdotes etc.* Targum רַבְרְבִין *principes, aulae magnates*, pro quo habetur 1. Par. 18, v. 17: *et filii David erant* הָרִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ *primi ad manum regis.* Ante datam

legem sacerdotio fungebantur primogeniti in qualibet familia, unde Jacob patriarcha de Rubeno primogenito suo dicit Gen. 49, v. 3.: *Tu es fortitudo mea et principium roboris mei, prior in donis, major in imperio* יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עָז ubi שְׂאֵת, donum, ponitur pro sacrificiis. Postea lege Mosaica dignitas sacerdotii ad Levitas fuit translata, quos ob id loco primogenitorum a se electos dicit Dominus Num. 3, v. 12: *Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito, qui aperit vulvam in filiis Israel, eruntque Levitae mei;* v. 13. *meum est enim omne primogenitum, ex quo percussi omne primogenitum in terra Aegypti*, hoc est quia peperci primogenitis Israëlitarum in percussione primogenitorum Aegyptiorum, ideo omnes primogeniti mei sunt, ut sacerdotio coram me fungantur, sed ipsorum loco elegi Levitas, in quorum sustentationem cedere debet pecunia, qua primogeniti redimentur. Inter Levitas illos ministerio in V. T. deputatos talis fuit ordo, ut unus ex eis esset *summus sacerdos*, כֹּהֵן הַגָּדוֹל, sacerdos magnus, et כֹּהֵן הָרֹאשׁ, sacerdos primus dictus, reliqui vero dicebantur *sacerdotes secundi ordinis*, quibus ministrabant Levitae, de quorum gradibus, officiis et discrimine infra dicetur. *Κατ' ἐξοχὴν* sacerdotis appellatio tribuitur Christo, cujus typi fuerunt omnes Levitici sacerdotes V. T. Psalm. 110, v. 4. Zach. 6, v. 13. Hebr. 5, v. 6. c. 7, v. 3. Jn N. T. sacerdotis appellatio nullibi in specie tribuitur ministris ecclesiae, sed in genere omnibus Christianis vere piis, qui sunt uncti Spiritu S. ac proinde spirituales sacerdotes offerentes Deo spirituales victimas, Apoc. 1, v. 6: *Christus fecit nos reges et sacerdotes*, c. 5, v. 10. c. 20, v. 6. quo pertinet etiam locus apostolicus 1. Pet. 2, v. 5: *Vos estis sacerdotium sanctum, ut offeratis spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum.* v. 9: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 10: *Soli episcopi ac presbyteri in ecclesia jam vocantur sacerdotes, omnes autem Christiani sic dicuntur propter mysticum chrisma, quoniam sunt membra unius sacerdotis.* Prior significatio est ecclesiastica, posterior Scripturae usitata.

An ex nomine sacerdotis sacrificium missaticum stabiliri possit.

15. Notandum hoc contra Pontificios, qui ex nomine sacerdotis de ecclesiae N. T. ministris a scriptoribus ecclesiasticis usurpato missaticum sacrificium stabilire conantur, sic enim ratiocinatur Bellarminus lib. 1. de missa c. 17: *Sacerdotes proprie ordinantur ad sacrificium. Jam vero patres frequentissime hanc vocem tribuunt ecclesiae ministris. Ergo statuerunt, eos ordinatos esse ad sacrificium externum proprie sic dictum. Neque obstat* (inquit), *quod in N. T. ministri ecclesiastici non dicantur sacerdotes, causa enim in promtu est: Quia enim tempore apostolorum adhuc vigebat sacerdotium Judaicum et sacrificia cruenta offerebantur in templo Hierosolymitano, apostoli Domino inspirante non utebantur nominibus sacerdotii, sacrificii, templi, altaris et similium rerum, ut facilius distinguerent Christiana sacra a Judaicis et ne putarentur, si iisdem uterentur vocibus, eosdem illos ritus innovare aut confirmare. Sed paulo post everso templo Hierosolymitano et cessantibus omnino sacrificiis Hebraeorum, libere coeperunt antiquissimi patres uti nominibus templi, altaris, sacerdotis et sacrificii, ut res ipsa postulabat.* Resp. 1. ex phrasi ecclesiastica praesertim in peregrinum sensum detorta non potest duci argumentum apodicticum in articulis fidei. Sacerdotum appellatio ministris ecclesiae a veteribus attributa juxta Scripturae sensum et fidei analogiam explicanda, nequaquam vero contra Scripturae et ipsorum veterum mentem de externo quodam proprie dicto sacrificio XII. 2. 16.
accipienda. 2. Ex Scriptura colligitur, sacerdotis vocem diversimode accipi: primo *proprie* pro tali persona, quae externum et corporale sacrificium Deo offert, in hac significatione accipitur, quando vel de Levitis, vel de Christo usurpatur; secundo *improprie* pro spiritualibus sacerdotibus spirituales victimas Deo offerentibus, quo sensu ac respectu omnes vere pii dicuntur sacerdotes. Quae posterior significatio itidem occurrit in scriptis veterum. Cyprianus in l. de unctione chrismatis p. 516: *Participes Christi quotquot sunt, consortes sint tam unctionis, quam nominis et dicantur a Christo Christiani, ut sint sub Christo duce rectores et duces et offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati a Deo sanctimoniae sacerdotes.* Cyrillus in Lev. tom. 1, col. 725: *Omnes quicunque unguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt.* lib. 10. contra Julian.: *Sacrificamus nunc multo melius quam illi olim. Descendit enim coelitus non sensibilis ignis, sed ex Patre per Filium Spiritus s. illustrans ecclesiam. Adhibemus autem et sacrificia, spiritualia scilicet et mentalia. Nam illi quidem offerebant Deo boves, oves, turtures et columbas, et ex fructibus et similam oleo sparsam et lagana et thura. Nos autem tam crasso ministerio relicto praeceptum habemus, ut tenue ac spirituale et subtile perficiamus. Offerimus enim in odorem suavitatis Deo virtutes omnigenas, fidem, spem, caritatem, justitiam, continentiam, perpetuas laudes et alias virtutes* etc. Quodsi igitur a nomine sacerdotis ad sacrificium missaticum firma procedi posset consequentia, inferri etiam posset, omnes Christianos sacrificium externum et corporale proprie sic dictum offerre posse ac debere, quod ne ipsi quidem Pontificii concedunt. 3. Quamvis Scriptura sacra nullibi in specie ministros ecclesiae appellet sacerdotes, tamen concedimus, sano sensu vocem illam εἰδικῶς ministris ecclesiae tribui posse et a veteribus attributam esse. Quemadmodum enim Paulus Rom. 15, v. 16. dicit, se *ἱερουργεῖν εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ, ut fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in Spiritu S.* ita quoque ministri ecclesiae dici possunt sacerdotes, non solum in generali illa significatione, secundum quam omnes pii dicuntur sacerdotes, sed etiam speciali quodam respectu, quatenus sc. praedicatione evangelii sacrificant et *mundam oblationem* Deo offerunt, Mal. 1, v. 11. Itemque quatenus peculiariter se Deo consecrant, specialem pauperum curam habent ac pro suis et

ecclesiae necessitatibus preces fundunt. 4. Nequaquam vero sensu eo sacerdotis appellatio ministris ecclesiae tribui potest vel debet, quasi externum aliquod ac proprie dictum sacrificium ad exemplum Leviticorum sacerdotum Deo adhuc offerant, cum tale mandatum sacrificandi nuspiam legantur accepisse, cum talis sacerdos in N. T. unicus duntaxat sit, Christus scil. qui solus dicitur *Novi Testamenti sacerdos*, Hebr. 5, v. 6. c. 7, v. 3. c. 9, v. 15. qui se ipsum *semel duntaxat obtulit* pro peccatis hominum, Hebr. 7, v. 27. c. 9, v. 28. atque *unica oblatione consummavit in aeternum eos, qui sanctificantur*, Hebr. 10, v. 14. cum in enumeratione graduum ac ordinum inter ministros N. T. non fiat mentio talium sacerdotum Eph. 4, v. 11. 1. Cor. 12, v. 28. denique cum nec secundum ordinem Aaron, nec secundum ordinem Melchisedech illo quidem sensu sacerdotes esse possint; sequeretur enim ex priore, quod victimas cruentas debeant offerre; ex posteriore, quod non solus Christus sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, cujus contrarium epist. ad Hebr. asserit c. 7, 1. 5. Falsum est, apostolos non fuisse usos nominibus sacerdotii, sacrificii, templi, altaris et similium rerum vigente adhuc sacerdotio Judaico, contrarium enim ex scriptis ipsorum est manifestissimum, in quibus his et similibus appellationibus sensu spirituali et mystico saepius utuntur eo ipso docentes, cultum Leviticum, V. T. externum in N. T. in spiritualem esse conversum, quod ipsum cum disertis verbis apostoli docerent, periculum nul-
I. 2. 17. lum fuit, ne usu illarum vocum ritus Leviticos innovare aut confirmare viderentur. 6. Illud etiam recte explicandum, quod Bellarminus dicit, *tempore apostolorum adhuc viguisse sacerdotium Judaicum;* de facto id verissimum est, sed si divinum consilium ad εὐδοκίαν respicere velimus, morte Christi omnibus sacrificiis corporalibus et externis adeoque toti cultui Levitico finis fuit impositus, ut non debuerint amplius vigere. ** Ratio Bellarmini, *quod primi Christiani propter recentem memoriam sacerdotii Aaronici a vocabulo sacerdotii abstinuerint, ac propterea apostolos suis in epistolis pro sacerdotibus episcopos et presbyteros dixisse*, lib. 1. de missa c. 13. et lib. 3. de cultu sanct. c. 4. haec inquam ratio nulla est, sed quia apostoli sciebant, nullum aliud esse N. T. sacrificium, quam quod Christus ipse in ara crucis obtulit, sicut epistola ad Hebr. ex professo docet, ideo sacerdotum et sacrificiorum nullam fecere mentionem. Deficiente enim re ipsa usus quoque vocis exspirat, vel καταχρηστικῶς duntaxat retinetur.**

I. Bellarmini inst. 16. Neque quidquam roboris inest Bellarmini instantiis. 1. *Sequeretur* (inquit), *omnes patres Graecos et Latinos vel ignorasse vim hujus vocis, vel de industria illa abuti voluisse. Namque ait apostolus ad Hebraeos 5: Omnis pontifex constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia;* et c. 8: *Omnis pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur. Et inde probat idem apostolus, Christum non esse sacerdotem, si nihil habeat, quod offerat. Quis ergo credat, doctissimos patres nomen sacerdotis tribuisse iis, qui solum docent populos et iis sacramenta ministrant, sed Deo nullum offerunt sacrificium?* Respondemus: eadem ratione colligi posset, etiam Spiritum S. qui in Scripturis saepius utitur appellationibus impropriis, metaphoricis ac figuratis, vim vocum ignorare, vel de industria illis abuti velle. Negari certe nequit, et Bellarminus ipse h. l. concedit, sacerdotum nomen omnibus Christianis in N. T. a Spiritu S. tribui, quodsi igitur ex appellatione sacerdotis firmiter colligi posset externi ac proprie dicti cujusdam sacrificii oblatio, consequens foret, vel Spiritum S. ignorasse vim hujus vocis juxta Bellarmini collectionem, vel Christianis omnibus externi ac proprie dicti cujusdam sacrificii oblationem competere. Quae ex epist. ad Hebr. afferuntur, ab hoc loco plane aliena sunt, quippe cum ex professo agant de pontifice Veteris Testamenti atque ostendant, officium ejus fuisse sacrificia externa Deo offerre. Sed hic typus Leviticorum sacerdotum in Christo unico Novi Testamenti sacerdote jamdum completus, is enim *offerens se ipsum Deo in ara crucis, unica illa oblatione consummavit in aeternum sanctificandos*, Hebr. 10, v. 14. nequaquam igitur in ministris ecclesiae Novi Test. sed in solo Christo hujus typi impletio quaerenda est. Quodsi ea, quae de pontifice Veteris Testamenti in epist. ad Hebraeos dicuntur, ad ministros Novi Test. accommodari deberent vel possent, sequeretur, ministros Novi Test. itidem *exemplari et umbrae adhuc deservire*, quod de Veteris Test. sacerdotibus eadem asserit c. 8, v. 5. sequeretur, ministros Novi Test. cruentas hostias offerre debere et ex Levitica duntaxat tribu ad ministerium eligendos esse, ea enim de sacerdotibus Veteris Test. Scriptura passim testatur. 2. *Docere et sacramenta ministrare non solum convenit episcopis et presbyteris, sed etiam diaconis, et tamen diaconi a veteribus non dicuntur sacerdotes, ut constat ex Augustino lib. 20. de civ. Dei c. 10. et concilio Carthag. IV. can. 4. ubi dicitur, diaconos non ad sacerdotium, sed ad ministerium ordinari.* Respondemus: juxta phrasin Scripturae non solum diaconi, sed etiam quivis Christiani dici possunt sacerdotes. Temporibus Augustini in ecclesia usitatum fuit, ut per solos presbyteros eucharistiae celebratio perageretur, inde factum, ut illi soli dicerentur sacerdotes, sed tale discrimen inter presbyterum et diaconum ignotum fuit apostolis, quippe qui omnes ecclesiae ministros, sive episcopi, sive presbyteri, sive diaconi sint, vocat οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ XII. 2. 18.
1. Cor. 4, v. 1. ignotum etiam fuit ecclesiae primitivae apostolis vicinae, quod ipsa Augustini verba innuunt, quae sic habent: *Soli episcopi et presbyteri jam vocantur sacerdotes*, ex consuetudine scil. post apostolorum tempora in ecclesiam introducta, qua solis presbyteris eucharistiae celebratio fuit assignata. 3. *Concilium Nicaenum can. 14. reddit hanc causam, quod diaconi non habeant potestatem sacrificia offerendi, sed solum in sacrificio sacerdotibus ministrandi.* Respondemus: verba canonis Graeca sic habent:

ὥσπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς μὴ ἐξουσίαν ἔχοντας προσφέρειν, *i. e. quemadmodum nec canon, nec consuetudo tradit, ut ii offerant, qui non habent potestatem*, ubi verbum *προσφέρειν* improprie accipitur pro ipsa eucharistiae administratione, non autem pro sacrificii cujusdam externi proprie sic dicti oblatione. Vide Dn. D. Huter. in tract. contra missam Pontificiam lib. 1. c. 15. **Gregorius de Valent. lib. 1. de miss. c. 4. objicit locum Esa. 61, v. 6: *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini ministri Dei nostri.* Respondemus: 1. Propheta loquitur in genere de omnibus Christianis, ut non sit necesse ad ministros verbi in specie restringere. 2. Si maxime de illis ageret, nihil tamen aliud diceret, quam quod sensu metaphorico phrasi V. T. ministros Domini sacerdotes nominat, qui ministerio verbi faciunt hominum oblationem dignam Deo et pro ecclesia orant, quo sensu hoc vaticinium in apostolis impletum esse, scribit Franciscus Forerius theologus Ulyssiponensis in comm. super Esaiam f. 219: *Cum ministros mensarum elegerunt, sibi vero orationem et verbi ministerium reservarunt.***

2. Patriarchae. 17. A nomine *sacerdotis* transimus 2. ad appellationem *patriarcharum*, qua plerumque honorantur, qui sacris deservierunt ante Moysen et institutum cultum Leviticum. Origo appellationis videtur orta ex politia Israëlitica, in qua totus populus in certas tribus fuit distributus, primates ac proceres istarum tribuum dicebantur *αἱ ἀρχαὶ* vel *οἱ ἄρχοντες πατριῶν*, *principes familiarum*, Exod. 6, 25. Num. 1, 4. Jos. 14, 1. etc. ex quibus duabus vocibus in unam contractis appellatio *πατριαρχῶν* postmodum profluxit. 1. Par. 9, v. 9. enumerationi primatum ex aliquot tribubus subjungitur: *Omnes illi viri*, רָאשֵׁי אָבוֹת, *capita patrum sive familiarum ad domum patrum suorum*, LXX *ἄρχοντες πατριῶν πατριάρχαι.* Eodem sensu usurpatur 1. Par. 24, v. 31. c. 26, 12. 2. Par. 19, 8. itemque 1. Par. 27, 22. et 2. Par. 23, 20. ubi in Hebraeo est שָׂרֵי שִׁבְטֵי, *principes tribuum, et* שָׂרֵי הַמֵּאוֹת, *principes centuriarum.* Quoniam igitur ex duodecim filiis Jacobi duodecim tribus Israëliticae sunt propagatae, inde factum, ut *κατ' ἐξοχὴν* et *εἰδικῶς* dicti sint *πατριάρχαι, hoc est ἄρχοντες τῶν πατριῶν*, Act. 7, v. 8: Jacob genuit *τοὺς δώδεκα πατριάρχας.* v. 9: *patriarchae vendiderunt Josephum in Aegyptum.* Cumque ante Moysen primogenitus in qualibet familia *ἄρχων τῆς πατριᾶς* et regno et sacerdotio functus fuerit, inde factum, ut doctores ecclesiae illorum temporum dicti fuerint patriarchae, Heb. 7, v. 4: *Abraham ὁ πατριάρχης dedit decimas*; denique cum David eodem, quo patriarchae ante Moysen, honore ac munere defunctus fuerit, inde speciali quadam vocabuli acceptione vocatur et ipse *patriarcha* Act. 2, v. 29.

3. Prophetae. 18. Succedit 3. appellatio *prophetarum*, illis ecclesiae doctoribus praecipue ac peculiariter in Scripturis attributa, qui post constitutum Leviticum sacerdotium extraordinarie a Deo ad repurgationem doctrinae ac illustriorem repetitionem promissionis de Messia vocati et excitati fuerunt ac spiritu prophetiae illuminati futura praedixerunt, quamvis interim non negemus, etiam aliis sensu generaliori hanc appellationem tribui, ut postea apparebit. Respondet huic voci Hebr. נְבִיאִים a radice נָבָא futura praedixit, quidam deducunt a radice בּוֹא venit, vel quod Deus peculiari modo per visiones et revelationes XII. ad eos veniat et modo arcano ad ipsos loquatur (sicut de Bileamo dicitur Num. 22, v. 9. וַיָּבֹא, et *venit ad eum Deus nocte)*, vel quod alii consilii capiendi causa ad eos veniant, vel quod annuntient futura, quae certo eveniunt, (sicut de Samuele dicit Saulis famulus 1. Sam. 9, v. 6: *Quidquid loquitur, eveniendo evenit*). Nomen *προφήτης* deducitur ** vel *ἀπὸ τοῦ φάναι*, quia arcana per visiones illi apparebant, vel *παρὰ τὸ φαίνειν*, quia eventus insolitos populo denuntiabant; vel simpliciter** a *πρόφημι*, praedico, quia prophetae non solum capita coelestis doctrinae proponebant, sed etiam de futuris vaticinia proferebant. Plato in Timaeo f. 544 discernit prophetam a vate. De vate dicit, quod *arreptus numine oracula edat et futura denuntiet, qui tamen quid loquatur, non intelligat;* prophetam constituit *vatis interpretem*, qua ratione prophetis Veteris Test. non competeret appellatio vatum proprie accepta, cum ipsi quid loquerentur, probe intelligerent et aliis explicarent. Sed quod prophetae dicuntur vatum interpretes, illud accommodari potest ad significationem hujus vocabuli apostolo Paulo usitatam, qua etiam illi dicuntur prophetae, qui prophetarum et apostolorum scripta explicant, quamvis futurorum revelatione et praedictione destituantur.

19. Prophetae nomen 1. *ἐξοχικῶς καὶ ἐξαιρέτως* tribuitur *Christo*, qui est caput et princeps omnium prophetarum, Matth. 21, v. 11. Marc. 6, v. 15. Luc. 7, v. 16. c. 24, v. 19. Joh. 4, v. 19. etc. Origo denominationis petita est ex divino oraculo Deut. 18, v. 18: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum eorum, sicut tu es.* Rabinorum quidam intelligunt de Josua, qui Moysi in regimine successit, quidam de Jeremia, qui eisdem verbis, quibus Moyses, populum redarguit, sed ex Act. 3, v. 22. et c. 7, v. 37. firmissime colligitur, de Christo hanc prophetiam intelligendam esse, qui Moysi dicitur similis *ad formam carnis, non ad eminentiam majestatis*, ut notat Augustinus tract. 15. in Joh. Id ipsum ex textu Mosaico colligi potest, ut alibi ostenditur, et agnoverunt Nazarethani Luc. 7, v. 16. Vide Paulum Fagium in paraph. Chald. h. l. comm. 2. *Illis*, qui extraordinarie a Deo missi et spiritu fatidico illuminati doctrinae coelestis integritatem negligentia Leviticorum sacerdotum collapsam instaurarunt, vaticinia de Messia clarius illustrarunt atque aliarum rerum futuros eventus praedixerunt. Horum prophetarum seriem Petrus orditur a Samuele, Act. 3, v. 24: *Omnes prophetae a Samuele et iis, qui deinceps fuerunt, annuntiaverunt dies istos;* ac terminatur illorum series in Malachia, qui fuit ultimus V. T. propheta. Augustinus 17. de civ. Dei c. 1: *Quamvis et ipsum Noa patriarcham et alios supra et infra usque ad hoc tempus, quo reges in populo Dei*

esse coeperunt, *propter quaedam per eos futura sive quoquo modo significata*, *sive praedicta*, *quae pertinerent ad civitatem Dei regnumque coelorum*, *non immerito possumus appellare prophetas*, *praesertim quia nonnullos eorum id expressius legimus nuncupatos, sicut Abraham, sicut Moysen, tamen dies prophetarum praecipue maximeque hi dicti sunt, ex quo coepit prophetare Samuel.* Rabini ex sacris 48 prophetas et prophetissas fuisse colligunt. Ad hanc classem quodammodo referri possunt prophetae illi, qui in principio N. T. dono praedicendi futura instructi fuerunt, qualis funt Agabus, Act. 11, v. 27: *In his diebus supervenerunt ab Hierosolymis prophetae Antiochiam*, v. 28. *et surgens unus ex eis nomine Agabus significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe.* 3. Illis, qui absque dono praedictionis futurorum divinae voluntatis sunt interpretes ac verbi divini praecones, Jer. 26, v. 11. c. 29, v. 1. Matth. 10, v. 41. c. 23, v. 34. 1. Cor. 14, v. 29. etc. (quamvis quidam malint haec dicta referre ad praecedentem classem). Atqui hi dicuntur prophetae, tum quia funguntur officio illo sacro et ecclesiastico, quo perfuncti fuere prophetae in V. T. tum quia scripta prophetarum enarrant et
20. explicant, tum denique quia de futuro die judicii et praemiis bonorum ac poenis malorum aeternis annuntiant ea, quae in Scripturis exstant praedicta. Gregorius part. 2. pastoralis c. 4: *Prophetae in sacro eloquio nonnunquam doctores vocantur*, *qui dum fugitiva esse praesentia indicant*, *quae futura sunt manifestant.* Photiniani hanc significationem vocis prophetae proterve negant, sic enim Andreas Radeccius in notis ad librum Smiglecii, quem vocat refutationem dissolutionis nodi sui Gordii pag. 7: *Falsus propheta est*, *non qui falsa docet*, *sed qui de relatione divinitus facta injuria gloriatur. Unde constat, ad ministros nullo modo ista Christi verba* Matth. 7, v. 15: *Cavete a pseudoprophetis* etc. *pertinere.* **Socinus in defens. animadv. contra Eutrop. c. 1. p. 3. *Christi admonitio*: *attendite a falsis prophetis*, *non recte accommodatur ad eos*, *qui ab ecclesia Romana desciverunt*, *etiamsi alioqui falsa dogmata docerent. Quidquid enim isti docent*, *id non tanquam sibi singulari aliqua ratione divinitus patefactum docent, quod prophetarum est proprium, sed ex ea patefactione divina se id colligere profitentur, quae communis est omnium*, *ex ea nimirum, quae sacris literis continetur.*** 4. *Καταχρηστικῶς* et juxta aliorum opinionem dicuntur prophetae, qui nomine et munere prophetico abutentes sese prophetas esse mentiuntur ac vel falsa quaedam praedicendo, vel praedictioni verae doctrinam falsam admiscendo hominibus turpiter imponunt, Deut. 13, v. 1. 1. Reg. 18, v. 19. Esa. 9, v. 15. etc. Ad hanc classem quodammodo referri potest, quod Epimenidem poetam ethnicum Cretensium prophetam appellat apostolus Tit. 1, v. 12.

20. Quaeritur hoc loco, 1. quo sensu ac respectu Johannes Baptista dicatur *περισσότερος προφήτου* Matth. 11, v. 9. Luc. 7, v. 26. Respondemus: causa ibid. subjicitur, *quod praeiverit faciem Domini praeparans viam ante ipsum*, id est prophetae V. T. vaticinati sunt de Messia post aliquot secula demum venturo, sicut Bileamus Num. 24, v. 17. dicit: *Videbo eum*, *sed non modo; intuebor illum*, *sed non prope*, ac Malachias ultimus V. T. propheta 466 annis ante Christum natum prophetavit, sed Johannes Christum praesentem digito monstravit, ministerium N. T. inchoavit, novum baptismi sacramentum divina auctoritate instituit, id quod nulli prophetarum V. T. contigit. Irenaeus lib. 3. c. 11, p. 185: *Reliqui omnes prophetae annuntiaverunt adventum paterni luminis, concupierunt autem digni esse videre eum*, *quem praedicabant; Johannes autem et praenuntiavit similiter sicut alii et adventum vidit et demonstravit et credere in eum suasit multis, ita ut ipse et prophetae et apostoli locum habuerit.* 2. *Quo sensu idem Baptista se neget esse prophetam* Joh. 1, v. 21. *cum non solum a Zacharia parente*, Luc. 1, v. 76. *sed etiam a toto populo Israëlitico propheta fuerit habitus ac prophetae appellatione honoratus*, Matth. 14, v. 5. c. 21, v. 46. Marc. 11, v. 32. Respondemus: Quidam Hierosolymitanorum legatorum quaestionem accipiunt de insigni illo propheta Deut. 18, v. 18. promisso, sed quia jam ante quaesierant a Johanne, *an sit Christus*, otiose repetita fuisset quaestio, an sit magnus ille propheta, cum non nisi de Messia dici possit, quod sit insignis ille propheta per Moysen promissus, nisi dicere velimus, legatos ac synedrium Hierosolymitanum a vero hujus prophetiae sensu plane aberrasse, quod qui stuporem et coecitatem eorum expendit, facile credet. Quidam respondent, Johannem propterea se prophetam negasse, quia major ac praestantior prophetis a Christo fuerit dictus. Quidam statuunt, Johannem, quando se prophetam esse negat, eo respexisse, quod non sit ex numero prophetarum V. T. de quibus Matth. 11, v. 13. dictum: *Omnes prophetae usque ad Johannem prophetarunt.* Quidam statuunt, legatos quaesivisse et Johannem respondisse de Elisaeo, qui et ipse jusserit Naamanum aquis immergi. Quidam existimant, Johannem ex humilitate negasse, se esse prophetam, cum tamen
vere esset propheta. Quidam suspicantur, Johannem XII. 2. 21.
ideo noluisse honorem prophetae suscipere, quia non attingebat partem aliquam muneris politici, quod prophetis V. T. in usu erat. Sed simplicius respondetur, Johannem attemperasse responsum suum ad quaestionem legatorum. Interrogabant illi, an sit propheta, hoc est unus ex antiquis illis prophetis jam olim demortuis et per *μετεμψύχωσιν* quandam Pythagoricam in vitam revocatis. Testatur enim Elias Levita in Thisbi, Judaicos praesules sententiam de *μετεμψυχώσει* illo tempore fuisse amplexos, quod ipsum etiam colligitur ex verbis Herodis Matth. 14, v. 1. Marc. 6, v. 14. ubi de Christo sic judicat: *Johannes Baptista surrexit a mortuis*, *ideo virtutes operantur in illo.* Cumprimis vero quaestionis sensus ex antecedentibus elucet. Quo enim sensu quaerant, an Johannes sit Elias, eodem etiam

sensu quaerunt, an sit propheta. Sed quaerunt, an sit Elias hoc sensu, an sit Elias ille Thesbites, qui curru igneo in coelum vectus, cujus reditum in persona propria exspectabant ex vaticinio Mal. 4, v. 5. male intellecto. Ergo etiam quaerunt, an sit propheta hoc sensu, an sit unus ex veteribus prophetis divino miraculo ad hanc vitam revocatus, quod ipsum clarissime colligitur ex verbis Luc. c. 9, v. 7. et 8: *Audivit Herodes tetrarcha omnia, quae fiebant a Christo, et haesitabat, eo quod diceretur a quibusdam, Joannes surrexit a mortuis; a quibusdam vero, Elias apparuit; ab aliis autem, propheta unus de antiquis surrexit.* Quemadmodum igitur Johannes prius negaverat, se esse Eliam, sensu scil. eo, quo legati quaesiverant, an sit Elias in persona propria, cum tamen ab angelo Luc. 1, v. 17. et a Christo ipso Matth. 11, v. 14. alio sensu dicatur Elias, nimirum quia in spiritu et virtute Eliae Messiam praecessit; ita quoque negat, se esse prophetam, sensu scil. eo, quo legati quaesiverant, an sit propheta, i. e. quidam ex prophetis veteribus redivivus, cum tamen alio sensu vere fuerit propheta, nimirum poenitentiae ac justitiae praeco, Messiae praecursor, N. T. minister etc. *3. Quinam prophetarum nomine veniant in dictis apostolicis.* 1. Cor. 12, v. 28: *Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde charismata curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Eph. 4, v. 11: *Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam vero evangelistas, quosdam vero doctores et pastores.* Respondemus: manifestum est ex textus circumstantiis, non de prophetis V. T. sed de certo quodam gradu atque ordine ministrorum N. T. apostolum loqui, cum de Christo ad dextram Patris exaltato dicatur, quod ecclesiae suae mittat *apostolos*, *prophetas*, *evangelistas*, *pastores et doctores.* Manifestum etiam illud ex textus circumstantiis, prophetae appellationem ibidem non accipi generaliter pro quovis ecclesiae ministro ac vaticiniorum propheticorum interprete, cum prophetae a doctoribus et pastoribus distinguantur; restat igitur, ut nomine prophetarum accipiamus eos, qui in exordio N. T. prophetiae dono instructi futura praedicebant, viguisse enim tum temporis etiam hoc charisma in ecclesia, colligitur ex Act. 11, v. 27. Quidam tamen statuunt, per prophetas in illis locis intelligi, qui prophetarum scripta ex singulari quadam revelatione Spiritus sancti ἀσφαλῶς et infallibiliter interpretari potuerint, ac potest utraque interpretatio haud incommode conjungi. Neque tamen ex eo inferri debet, Eph. 2, v. 20. *prophetarum appellatione itidem non Veteris, sed Novi Test. prophetas istos intelligi*, ut vult Socinus in explic. loci Matth. 16. p. 66. est enim dispar ratio illius loci et aliorum. Doctrina apostolica de Christo constituitur ibi fundamentum ecclesiae, illa quia cum prophetica exacte congruit, Act. 26, v. 22. Rom. 3, v. 21. ideo apostolis in describendo ecclesiae fundamento prophetae V. T. conjunguntur, qua de re alibi plenius.

21. 4. Usitatum etiam in V. T. prophetas vocari *videntes.* 1. Sam. 9, v. 9: *Venite et eamus ad videntem, qui enim hodie prophetam dicitur, is olim vocabatur* הָרֹאֶה, *videns.* Esa. 30, v. 10: *Qui dicunt* לָרֹאִים, *ad videntes, ne videatis.* Targum לִנְבִיַּיא *ad prophetas;* tum quia prophetiae per spirituales visiones ac revelationes fieri solebant, Ezech. 1. v. 1: *Vidi visiones Dei.* Joel. 2, v. 28: *Juvenes vestri visiones videbunt;* tum quia prophetae illuminati Spiritu S. futura et absentia e longinquo posita videbant, quam appellationis rationem tradit Lutherus in explic. c. 1. Habac. inde Saul amissas parentis sui asinas requirens abit ad Samuelem prophetam eumque rogat, *ut indicet sibi viam*, cui scilicet insistere debeat, ut asinas inveniat, 1. Sam. 9, v. 6. Dicuntur etiam חוֹזִים a rad. חזה vidit, praevidit, consuluit. **חָזָה *vidit* per revelationem divinitus factam, inde Am. 7, v. 12. vocatus חֹזֶה et quis alius propheta olim ita dictus fuit, 1. Sam. 9, v. 9. et prophetarum oracula dicuntur חֶזְיוֹנוֹת Joël. 2, v. 28. Esai. 1, v. 1. 2. Chron. 9, v. 29. Dan. 7, v. 7.** Esa. 30, v. 10: *Qui dicunt* לַחוֹזִים, *ad videntes, ne videatis nobis.* Targum לְמַלְפַיָּא, *ad doctores*, quia prophetae in causis perplexis solebant consuli, ac per illos, ut Scriptura loquitur, *os Domini interrogari*, ipsi enim per visiones responsum a Deo accipiebant. Insuper quod oculi sunt in corpore humano, id prophetae ac doctores sunt in ecclesia, merito ergo videntes vocantur. Huc pertinent vaticinia prophetarum et apocalypsis Johannea, in quibus videndi verbum pro divinis revelationibus per mentales vel etiam externas visiones factis saepissime occurrit. Quemadmodum visiones externae in rebus naturalibus requirunt lucem aliquam, quia sine luce nihil potest videri; ita quoque revelationes illae propheticae interiorem quandam illuminationem Spiritus habent conjunctam. **Dicuntur *videntes*, quia muneris eorum erat videre, ne populus detrimenti quid caperet. Ob eandem causam propheta etiam dicebatur צֹפֶה, *speculator*, Ezech. 3, v. 17. Jer. 6, 17. erant enim prophetae divinitus quasi in specula constituti et collocati, ut excubias agerent pro communi totius populi salute. Chrysostomus in cap. 1. Esai. tom. 1. col. 718. duas affert causas, quare prophetae dicti fuerint *videntes*, quarum prima est, quia videbant, quae essent eventura; altera, quia ea quae prophetabant, tam certa erant, ac si coram jam vidissent.**

XII. 4. Videntes.

22. 5. Prophetae etiam fuerunt appellati *viri Dei*, quia scil. sunt divinae voluntatis interpretes, legati Domini et ministerio Dei peculiariter destinati. 1. Sam. 2, v. 27: *Venit vir Dei*, אִישׁ אֱלֹהִים. Targum נְבִיָּא דַיְיָ, *propheta Domini*, LXX ὁ ἄνθρωπος θεοῦ. Rabini monent, decem fuisse hoc nomine in V. T. appellatos, Moysen scilicet, Elkana, Samuelem, Davidem, Samaiam, Iddo, Eliam, Elisaeum, Micham, Amos; sed ostendunt exempla, fuisse nomen generale

5. Viri Dei.

omnibus prophetis attributum, 1. Sam. 2, 27: *Venit ad sacerdotem Heli vir Dei*, id est propheta quispiam, cujus nomen non exprimitur. 1. Sam. 9, v. 6: *Vir Dei est in hac civitate*, id est propheta aliquis. 1. Reg. 13, v. 1: *Vir Dei venit de Juda in verbo Domini*, cujus prophetae nomen non additur. In N. T. Paulus non solum Timotheum discipulum suum, sed et quemvis ecclesiae ministrum vocat ἄνθρωπον θεοῦ, *virum Dei*, 1. Tim. 6, v. 11: *Tu o homo Dei haec fuge*. 2. Tim. 3, v. 17: *Ut perfectus sit homo Dei*. Syrus utrobique reddidit בַּר־נָשָׁא דֶאלָהָא, *filium hominis Dei*, cum ipsi quoque sint peculiariter servitio Dei in verbi praeconio addicti et legatione pro ipso fungantur, 2. Cor. 5, v. 20.

Angeli. 23. 6. Vocantur insuper *angeli* et cum adjectione *angeli Domini*. Esa. 42, v. 19: *Quis coecus nisi servus meus, et surdus sicut nuntius meus*, כְּמַלְאָכִי, *sicut angelus meus?* Malach. 2, v. 7: *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum ipse*.
I. 2. 23. c. 3, v. 1. Johannes Baptista peculiariter vocatur *angelus Domini* juxta interpretationem evangelistarum Matth. 11, v. 10. Marc. 1, v. 2. Luc. 7, v. 27. In Apocalypsi etiam nomine angelorum saepius veniunt ministri ecclesiae, Apoc. 1, v. 20. c. 2, v. 1. et seqq. Dicuntur autem ministri ecclesiae angeli, tum quia divinitus mittuntur, ut sint divinae voluntatis interpretes; tum quia exemplo Galatarum c. 4, v. 14. sicut angeli Dei sunt excipiendi. Ad hunc locum haud inconcinne refertur locus propheticus, Esa. 33, v. 7. מַלְאֲכֵי שָׁלוֹם, *angeli pacis amare flebunt*. Targum *nuntii populorum, qui abierunt ad annuntiandam pacem, reversi flebunt*. Quidam exponunt de angustiis Hierosolymitanorum ante liberationem e manu regis Assyrii hoc sensu: Nulla erit pax, cum dominabitur regnum Assur; sed quia calamitas illa fuit praeludium finalis interitus, in quem ob Messiae contemtum Judaei inciderunt, ideo accommodari etiam potest ad apostolos et reliquos primitivae ecclesiae doctores, qui pacem spiritualem per praedicationem evangelii Judaeis obtulerunt, ob cujus contemtum in lacrymas eruperunt, perinde ut Christus prophetarum et apostolorum dominus *intuitus civitatem flevit super eam dicens: Si cognovisses et tu, quae ad pacem tibi* etc. Luc. 19, v. 42. Plerique etiam interpretes huc referunt locum Jud. 2, v. 1: *Adscendit angelus Domini de Galgalis in Bochim*, ubi nomine angeli vel summum sacerdotem Pineam, vel alium quendam prophetam intelligendum esse dicunt, argumento ducti eo, quod hic angelus *de Galgalis venisse* vel adscendisse asseratur. Tostatus q. 2. in Judic. 2. c. argumentis quibusdam evincere conatur, fuisse angelum creatum. Sed quia angelus ille miraculosam ex Aegypto liberationem sibi tribuit dicens v. 2: *Ego eduxi vos de Aegypto et introduxi in terram promissam*, ideo convenientius hoc nomine intelligitur angelus increatus, Dei scilicet Filius, qui non solum in aliis Scripturae locis, Gen. 48, v. 16. Exod. 3, v. 2. Esa. 63, v. 9. etc. sed etiam in hoc ipso libro Judicum ita vocari consuevit, Jud. 6, v. 11: *Venit angelus Domini* ad Gideonem, qui v. 14. vocatur *Jehova* ac v. 16. promittit Gideoni: *Ego ero tecum, et percuties Midian quasi unum virum*. Jud. 13, v. 3. *angelus Domini apparet* uxori Manuae, qui v. 18. dicit, *nomen suum esse Mirabilis*, cui etiam opus eductionis ex Aegypto peculiariter tribuitur. Exod. 23, v. 20. dicit Dominus: *Ecce ego mittam angelum meum, qui praecedat te et custodiat te in via et introducat in locum, quem praeparavi*. Num. 20, v. 16: *Misit Deus angelum, qui eduxit nos de Aegypto*. Facile autem fieri potuit, ut Filius Dei in hac apparitione visus fuerit a Galgalis in Bochim venire, cum ad tempus eo fine hominis formam assumserit.

24. 7. Psalm. 105, v. 15. patriarchae, qui docendi munere ante Moysen functi fuerunt, dicuntur מְשִׁיחִים, *uncti*. v. 14: *Non permisit hominem opprimere eos et corripuit propter eos reges* (ubi respicitur ad historiam Gen. 12, v. 17. et c. 20, v. 3.); v. 15. *ne attingatis unctos meos et prophetis meis ne malefaciatis*. Ungebantur autem olim post constitutum Leviticum sacerdotium summi sacerdotes, reges et prophetae, qui omnes dicebantur uncti. Sed cum patriarchae externae illius unctionis non fuerint facti participes, statuendum est, ipsos vocari unctos vel ob spiritualem et internam unctionem Spiritus, vel quod David verbis sui temporibus de praeteritis rebus fuerit locutus, id quod in Scriptura saepius occurrit. In N. T. ministri ecclesiae nuspiam speciali quadam appellatione dicuntur uncti, quod contra Pontificiam unctionem Leviticae aemulam notari potest, sed omnes Christi fideles, ut a מָשִׁיחַ מְשִׁיחִים, ita a Christo Christiani dicuntur, quo nomine primum vocati sunt Antiochiae Act. 11, v. 26. cum antea dicerentur μαθηταί, discipuli, et per contemtum Nazaraei et Galilaei, accipiunt enim a Christo summo et unico N. T. sacerdote unctionem Spiritus, 1. Joh. 2, v. 27. per quam redduntur spirituales sacerdotes et reges coram Deo, Apoc. 1, v. 6. 7. Uncti.

25. Metaphoricae ac parabolicae appellationes sunt, quando prophetae V. T. ac quivis ecclesiae ministri dicuntur *1. Speculatores*. Ezech. 3, v. 17. c. 33, v. 2: *Speculatorem te constitui domui Israël* etc. Targum מַלְפָן *doctorem*, LXX σκοπόν. Esa. 52, v. 8. c. 56, v. 10. Jer. 6, v. 17. Hos. 9, v. 8. Dicuntur autem prophetae speculatores, quia praevident futura et populum de illis admonent, sicut speculator e longinquo videt adventum hostis et dato signo incolas urbis de eo admonet. Quivis ecclesiae ministri dicuntur speculatores, quia debent προσέχειν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ne irruant lupi, Act. 20, v. 28. et 29. debent etiam immorigeros et impoenitentes de futuris poenis temporalibus et aeternis admonere, quam rationem Deus ipse assignat, Ezech. 3, 18: *Si dicente me ad impium, morte morieris, et non annuntiaveris eis, neque locutus fueris, ut avertatur a vita sua impia et vivat, ipse* XII. 2. 24. 2. Appellationes metaphoricae. 1. Speculatores.

impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.

2. Architecti. 26. 2. *Architecti*, הַבּוֹנִים Psalm. 118, v. 22: *Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* LXX vertunt οἰκοδομοῦντες. Hic locus allegatur a Christo Matth. 21, v. 42. Marc. 12, v. 10. Luc. 20, v. 17. et a Petro Act. 4, v. 11. 1. Pet. 2, v. 7. Ratio appellationis est, quia ministri ecclesiae laborant in exstruenda ecclesia, quae est *templum Dei spirituale*, Zach. 6, v. 12. 1. Cor. 3, v. 16. 2. Cor. 6, v. 16. *ac domus Dei spiritualis*, 1. Tim. 3, v. 15. Hebr. 3, v. 2. 1. Petr. 2, v. 5. etc. Quemadmodum enim Salomon in exstructione templi usus est opera fabrorum, lapicidarum, caementariorum etc. ac veluti paterfamilias architectorum operam in exstruenda domo adhibet; sic coelestis Salomon ac paterfamilias in spirituali suo templo ac domo exstruenda utitur ministerio ecclesiastico, unde etiam ministri ecclesiae vocantur συνεργοὶ ἐν τῇ οἰκοδομῇ τοῦ θεοῦ 1. Cor. 3, v. 9. Lapis angularis et fundamentalis in hoc aedificio est *Christus Jesus 1. Cor. 3, v. 11. in quo omnis aedificatio exstructa crescit in templum sanctum Domino*, Eph. 2, v. 21. huic superstruuntur vere credentes, ut *vivi lapides*, vitam sc. ac spiritum ab hoc ἀκρογωνιαίῳ accipientes, 1. Pet. 2, v. 5. ac veluti lapides, ex quibus templum Salomonaeum construebatur, jam ante erant politi et praeparati, quam ad structuram templi adhiberentur, unde 1. Reg. 6, v. 7. commemoratur, *quod nec malleus, nec securis, nec ullum omnino ferramentum auditum fuerit in domo, cum aedificaretur;* ita quoque per praedicationem legis ac per crucem in hac vita dolamur, exasciamur et praeparamur, ut in exstructione spiritualis ac coelestis domus locum habere possimus. Quemadmodum de architectis templi Salomonaei dicitur, quod ex singulari Dei dono impleti fuerint *sapientia, intelligentia et doctrina ad operis illius perfectionem*, 1. Reg. 7, v. 14; sic promittitur apostolis et omnibus sinceris verbi doctoribus σοφία, Luc. 21, v. 15. ac σύνεσις 2. Tim. 2, v. 7: *Dabit tibi Dominus in omnibus intelligentiam.* Sed quemadmodum insani et insipientes architecti saepius lapidem aliquem reprobant et abjiciunt, cujus in aedificio magnus esse posset usus; sic sacerdotes, scribae et Pharisaei Judaeorum doctores lapidem angularem, Christum scilicet, rejecerunt, quem Paulus *ut sapiens architectus* fundamenti loco in

3. Pastores. ministerio suo posuit, 1. Cor. 3, v. 10. 3. Cumprimis vero huc pertinet, quod ministri ecclesiae dicuntur *pastores*, Numer. 27, v. 17. Esa. 63, v. 11. Jerem. 3, v. 15. Ezech. 34, v. 2. etc. quae appellatio repetitur in N. T. Eph. 4, v. 11. debent enim ecclesiam, Domini gregem, pabulo coelestis doctrinae pascere, a venenatis haereticorum pascuis auditores abducere, lupos ab ovili abigere, oves sibi commissas pedo disciplinae ecclesiasticae corrigere, quod *infirmum est, consolidare; quod aegrotum, sanare; quod contractum alligare; quod*

XII. 2. 25. *errans, reducere; quod periit, quaerere*, Ezech. 34,

4. Patres. v. 4. 4. Itemque *patres* 2. Reg. 6, v. 21. quae appellatio repetitur in N. T. 1. Cor. 4, v. 15. Gal. 4, v. 19. non solum honoris causa, sed etiam quia per verbum spirituales Deo filios generant, instrumentaliter scilicet, quo sensu et respectu etiam *se ipsos et auditores suos salvare* dicuntur, 1. Tim. 4, v. 16.

27. Propriae appellationes in N. T. sunt complures, quia passim vocantur 1. ἐπίσκοποι, quod dicit *superintendentes.* Augustinus l. 19. de civ. Dei c. 19: *ἐπισκοπεῖν si velimus, Latine superintendere possumus dicere, ut intelligat, non se esse episcopum, qui praeesse dilexerit, non prodesse*, quod opponendum titularibus illis in Romana ecclesia episcopis, qui solo nomine gloriantur et nullam interim episcopalis muneris partem administrant. Quidam statuunt, hanc appellationem descendere a metaphorica voce צֹפֶה *speculator*, qua in V. T. prophetae appellantur. **Balbus de coronat. p. 29: *Episcopi nomen a vetustis temporibus deductum. Nam Athenienses, quos speculatum mittebant, quid in unaquaque subditorum civitate boni malive ageretur, eos episcopos, i. e. speculatores vocabant, ut apud Plutarchum Scipio Africanus episcopus gentium et Cicero ad Atticum episcopus in oris maritimis dicebatur.* Non multo aliter Onuphrius tract. de obscur. vocum eccles. interpret.** Spigelius quoque in comm. ad versus Guntheri commemorat, Athenienses eos vocasse episcopos, id est speculatores, quos speculatum mittebant, quid in unaquaque subditarum civitatum boni malique, aequi aut iniqui ageretur, quo refert cap. episcopatum caus. 8. q. 1. quae significatio haud inconcinne huc accommodari potest. Sic enim episcopi nomen interpretatur Isidorus l. 7. etymol. c. 12. et citatur c. Cleros. dist. 21: *Episcopi vocabulum inde dictum est, quod ille, qui efficitur episcopus, superintendat, scilicet curam gerens subditorum, σκοπεῖν enim Graece, Latine intendere dicitur; episcopi enim Graeci, Latine speculatores interpretantur, nam speculator est praepositus in ecclesia ideo dictus, eo quod speculetur et prospiciat populorum infra se positorum vitam et mores; ac quos bonos probaverit, honorando confirmat, quos deprehenderit vitiosos, arguendo emendat*, ut addit Prosper. lib. 2. de vita contempl. c. 2. Tribuitur autem haec appellatio episcopi 1. ἐξοχικῶς et κατ' ἐξαίρετον λόγον ipsi *Christo*, qui est ποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν ἡμῶν *pastor et episcopus animarum vestrarum*, 1. Petr. 2, v. 25. שֹׁמֵר יִשְׂרָאֵל, *custos Israelis, qui nec dormit nec dormitat*, Psalm. 121, v. 4. ἀρχιποίμην καὶ ἀρχιεπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ. 2. *In genere* quibusvis *ecclesiae ministris*, quorum omnium munus est ἐπισκοπεῖν, prospicere gregi fidei suae commisso et diligentem ejus curam habere. Act 20, v. 28. dicit apostolus Paulus ad presbyteros ecclesiae Ephesinae: *Attendite vobis ipsis et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos posuit episcopos pascere ecclesiam Dei.* Tit. 1, v. 5: *Ideo te reliqui Cretae, ut constituas per civitates presbyteros*; v. 7. *oportet enim episcopum sine crimine esse*, ubi in genere omnes ministri ecclesiae dicuntur episcopi. Petrus

2. Ex N. T. appellatione. 1. Propriae. 1. Episcopi.

1. epist. c. 5, v. 2. presbyteros hisce verbis horta-
tur: *Pascite eum, qui inter vos est, gregem Dei,*
ἐπισκοποῦντες, providentes, inspectioni ipsius vacan-
tes. Syrus interpres addidit רוּחָנָאִית, *πνευματι-*
κῶς, spiritualiter, quod glossema in contextum ex
margine irrepsit. 3. *In specie* illis ecclesiae ministris,
quibus non solum gregis commissi cura, sed etiam
pastorum inspectio demandata est, quibus et docendi
ecclesiam et in doctrinam, vitam ac mores pastorum
inquirendi munus commissum est, quo nomine etiam
a diaconis discernuntur. Philipp. 1, v. 1: *Sanctis*
in Christo, qui sunt Philippis cum episcopis et dia-
conis. 1. Timoth. 3, v. 2: *Episcopum oportet esse*
28. *irreprehensibilem*, v. 8. *diaconos similiter modestos*.
Videtur autem episcopi appellatio deducta ex ver-
sione Graeca Veteris Testamenti, in qua usurpatur
pro מְפַקֵּד vel פָּקִיד praeposito, epistata, antistite,
qui aliorum opus urget, cui administratio quaedam
super *ἐργάτας* est commissa. Num. 3, v. 32 Eleazar
summus sacerdos vocatur *episcopus*, quia reliquis
sacerdotibus ac Levitis praefectus erat, ut eorum
operas urgeret, dirigeret atque disponeret, commissa
ipsi erat inspectio ac visitatio omnis tabernaculi et
omnium quae in eo, sicut textus Hebraeus ibidem
loquitur. 2. Regum 11, v. 18: *Et posuit summus*
sacerdos Jojadah פְּקֻדֹּת, *praefecturas* sive praefectos,
super domum Domini. LXX interpretes *ἔθηκεν ὁ*
ἱερεὺς ἐπισκόπους εἰς τὸν οἶκον κυρίου, ipse tanquam
generalis superintendens constituit speciales superin-
tendentes, qui in reliquos sacerdotes ac Levitas
eorumque officium intenderent, distribuit unicuique
officium suum in templo peragendum, qualis functio-
num distributio a Davide ac Salomone olim facta
fuerat, sed per Baaliticos sacrificulos obliterata.
Nehem. 11, v. 22. *episcopus Levitarum* in Hierusa-
lem fuit Huzzi, qui promoveret reliquorum sacerdo-
tum operas et in quibusdam officii partibus summi sacer-
dotis absentis vicem sustineret. Tribuitur etiam nomen
episcopi praefectis politicis, praefectis exercitus, prae-
fectis architectorum, Numer. 31, v. 14. Judic. 9, v. 28.
2. Regum 11, v. 16. 2. Paral. 34, v. 12. etc. sicut et Ho-
merus Hectorem vocat *ἐπίσκοπον τῆς πόλεως*. Quae
significationes certo modo ac respectu huc accommodari
possunt. Quidam huc referunt locum Esa. 60, v. 17.
ubi Graeca versio sic habet: *Δώσω τοὺς ἄρχοντας*
καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ, Vulg. *po-*
nam praepositos tuos justitiam, id est praeficiam
tibi tales doctores, qui ex evangelio pacem annuntient
et veram justificationis viam tibi ostendant. Sed
in Hebraeo est נֹגְשַׂ, quod significat collectorem tri-
butorum, exactorem etc.: *Ponam censum sive*
oppressionem tuam pacem et exactores tuos justitiam,
id est hactenus tyrannidem passa es ab omnibus et
injuste tractata, nunc vero ab oppressionibus et ser-
vitutibus pax sive quies dabitur, succedet vera
libertas, et pro exactionibus justitia exercebitur.

Presbyteri.
28. 2. *Πρεσβύτεροι, presbyteri* sive *seniores*. Ex
1. Tim. 5, v. 17: *Qui bene praesunt presbyteri, du-*
plici honore digni habeantur, maxime qui laborant
in verbo et doctrina, colligi potest, duplices fuisse
in ecclesia presbyteros ac duos presbyterorum or-
dines. Quidam enim laborabant in verbo et doctrina,
hoc est erant pastores et doctores ecclesiae; quidam
erant duntaxat *ἡγούμενοι*, qui una cum doctoribus
ecclesiam gubernabant et curam doctrinae ac religi-
onis habebant. Ad classem priorem pertinent illi,
quorum mentio fit Act. 14, v. 23. ubi apostoli per
singulas ecclesias constituunt presbyteros. Tit. 1,
v. 5: *Ideo reliqui te Cretae, ut constituas per singu-*
las civitates presbyteros. Jac. 5, v. 14: *Infirmatur*
quis inter vos? inducat presbyteros ecclesiae, et orent
super eum ungentes eum oleo in nomine Dei. Ad
classem posteriorem referunt eos, de quibus Actor.
15, v. 2: *Ascenderunt Hierosolymam ad apostolos*
et presbyteros, h. e. eos, qui una cum apostolis
gubernabant ecclesiam. 1. Timoth. 5, v. 19: *Adver-*
sus presbyterum accusationem noli recipere nisi sub
duobus aut tribus testibus. Sed rectius etiam in
hoc posteriore loco intelliguntur ecclesiae pastores,
quorum inspectio pertinebat ad Timotheum ecclesiae
Ephesinae episcopum. 1. Tim. 4, v. 13. presbyterium
significat totum collegium presbyterorum, h. e. eccle-
siae ministrorum et seniorum, per quorum *χειροτονίαν*
ordinabantur pastores. In Graeca versione V. T.
πρεσβύτερος 1. in genere accipitur pro eo, qui aetate
est senior, ac respondet Hebraeo זָקֵן Genes. 17,
v. 11 c. 19, v. 4. 2. Paral. 15, v. 13. etc. eodem
modo accipitur in N. T. Johan. 8, v. 9. 1. Tim. 5,
v. 1. etc. Ministri ergo ecclesiae dicuntur seniores,
quia vel aetate, vel senili prudentia alios antecellere
debent ac quia plerumque ex senioribus deligebantur,
sicut etiam apud Romanos a senibus nomen mite XII. 2 27.
senatus habet atque apud Homerum Iliad. *β*. dicun-
tur *γέροντες* iidem qui *ἀριστῆες*. 2. In specie pro
senioribus, hoc est gubernatoribus populi Israëlitici.
Sic septuaginta illi viri honorati ac prudentes, quos
Moyses in politiae Israëliticae gubernatione sibi ad-
junxit, Num. 11, v. 24. vocantur seniores. Inde in
historia evangelica sacerdotibus, Pharisaeis et scri-
bis passim conjunguntur seniores populi Matth. 21,
v. 23. c. 26, v. 3. etc. per quos intelliguntur *pro-*
ceres tribuum, qui allegabantur una cum sacerdotibus
et scribis in sacrum synedrium. Quando vero mentio
fit traditionum *ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων*, a senioribus,
profectarum Matth. 15, v. 2. Marc. 7, v. 3. etc. non
intelliguntur seniores populi, assessores synedrii, ut
quidam statuunt, sed doctores veteres, quos Christus
vocat *ἀρχαίους* Matth. 5, v. 21. 27. 33. etc. Phari-
saei enim non contenti erant scripto Dei verbo, sed
adjiciebant eidem traditiones *ἀγράφους*, quas a
majoribus profectas dicebant, quinimo ad ipsum
Moysen *δευτερώσεις* illas ceu ad primum ac praecipuum
eorum auctorem revocabant, testibus Josepho lib. 18.
antiquit. c. 18. Galatino lib. 1. de arc. cathol. verit.
c. 2. et aliis.

29. Ex dictis Scripturae, in quibus episcoporum
et presbyterorum fit mentio, evidenter colligitur, in
ecclesia apostolica eosdem fuisse dictos episcopos et
presbyteros, Paulus enim ecclesiae Ephesinae *pres-*
byteros vocat *episcopos*, Actor. 20, v. 28. in *ἐπιγραφῇ*

epistolae ad Philippenses nomine episcoporum presbyteros intelligit Philip. 1, v. 1. quas virtutes in episcopo requirit, easdem etiam in presbyteris spectandas esse docet 1. Tim. 3, v. 1. ac Titum eo fine *in Creta relictum* esse monet, *ut constitueret per civitates presbyteros* Tit. 1, v. 5. quos ipsos postea v. 7. appellat episcopos. Juxta nomenclaturam igitur apostolicam idem, qui est presbyter, recte vocatur episcopus. Hieronymus in comment. c. 1. Tit.: *Idem est presbyter, qui episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur; postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos etiam putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electis superponeretur reliquis, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret et semina schismatum tollerentur* Quod ipsum tam evidens est, ut Bellarminus lib. 1. de clericis c. 15. §. *Facilior* cogatur fateri, *tempore apostolorum nomina illa episcopus et presbyter communia fuisse omnibus sacerdotibus tam majoribus, quos nunc episcopos vocamus, quam minoribus, quos presbyteros appellamus*, cujus observationis usus est in quaestione de discrimine episcoporum et sacerdotum, quoad potestatem jurisdictionis, de qua concilium Trident. sess. 23. can. 7. decernit: *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, anathema sit*; cujus quaestionis tractatio suum inferius habebit locum, quando de gradibus ministrorum ecclesiae disputabitur.

3. Diaconi. 30. 3. Diaconi, de cujus vocis ambiguitate judicari potest ex §. 6. praecedente. 1. In genere significat *quemvis ministrum*, qui alteri vel ex debito, vel ex gratuita caritate inservit. Matth. 20, v. 26. c. 22, v. 13. Johan. 2, v. 9. etc. Eodem modo accipitur in versione Graeca V. T. Esth. 1, v. 10. c. 2, v. 2, c. 6, v. 3. ubi respondet Hebraeo מְשָׁרֵת a verbo שֵׁרֵת, quod liberalius quoddam ministerium significat et opponitur verbo עָבַד, quod durius servitium ac gravem servitutem notat. Appellatio igitur *διακόνων* ministris ecclesiae attributa principes ac magistratus politicos monet, quod non debeant eos tanquam vilia mancipia tractare. 2. In specie tribuitur primo *magistratui politico*, qui dicitur *διάκονος θεοῦ* Rom. 13, v. 4. quia officii sui administratione gratum Deo cultum et servitium praestat; secundo *ordini ecclesiastico*, idque iterum diversimode. Nam 1. *κατ' ἐξοχὴν* tribuitur *Christo*, qui est *ἀρχιποιμὴν*
XII. 2. 28. et suo in terris ministerio consecravit et sanctificavit ecclesiasticum ministerium. Rom. 15, v. 8: *Dico autem, Christum factum esse διάκονον περιτομῆς, ministrum circumcisionis*, hoc est phrasi Hebraea apostolo familiari circumcisorum Israelitarum, ut sit sensus, Christum fuisse praedicatorem eorum, qui ex circumcisione, sicut Ambrosius et Anshelmus in comment. recte exponunt, de qua parte ministerii sui Christus loquitur, quando ad mulierem Cananaeam dicit Matth. 15, v. 24: *Non sum missus, nisi ad oves, quae perierunt, domus Israël.* Gal. 2, v. 17: ***Si quaerentes justificari in Christo inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister?*** *Absit*, hoc est si nos, qui per fidem in Christum justificari quaerimus, nondum soluti sumus a peccatorum reatu, antequam legis observatio et impletio accedat, consequens fuerit, Christum non esse ministrum justitiae nec attulisse nobis perfectam justitiam, sed esse adhuc ministrum peccati, sicut Moyses revelans peccatum per legem. Lutherus tom. 4. Jen. Lat. fol. 47. 2. Generaliori quadam significatione tribuitur *omnibus ecclesiae ministris*, qui docendo, sacramenta administrando et aliis ministerii ecclesiastici muniis peragendis Deo et ecclesiae serviunt. 1. Cor. 3, v. 5: *Quid est Apollo? quid Paulus? διάκονοι, δι' ὧν ἐπιστεύσατε, diaconi, per quos credidistis.* 2. Cor. 3, v. 6: *Qui fecit nos idoneos ministros Novi Testamenti.* In eadem significatione usurpatur 2. Cor. 6, v. 4. ubi dicuntur. *διάκονοι θεοῦ*. c. 11, v. 15. ubi vocantur *διάκονοι τῆς δικαιοσύνης*. c. 11, v. 23. *διάκονοι Χριστοῦ* Ephes. 3, v. 7. *διάκονοι εὐαγγελίου*. c. 6, v. 21. *πιστοὶ διάκονοι ἐν κυρίῳ*. Col. 1, v. 7. c. 1, v. 23. 25. c. 4, v. 7. 1. Thess. 3, v. 2. 1 Tim. 4, v. 6. Eodem sensu vocantur *λειτουργοί, ministri Christi* Rom. 15, v. 16. *δοῦλοι θεοῦ* Act. 16, v. 17. Tit. 1, v. 1 *δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ* Rom. 1, v. 1. Philip. 1, v. 1. etc. *δοῦλοι κυρίου* 2. Tim. 2, v. 24. *σύνδουλοι ἐν κυρίῳ* Col. 4, v. 7. *ὑπηρέται τοῦ Χριστοῦ* 1. Cor. 4, v. 1. quae appellatio transsumta est ex Graeca V. T. versione, in qua Moyses vir Dei Jos. 1, v. 1. c. 14, v. 7. etc. Samuel 1. Sam. 3, v. 9. David propheta regius 2. Paral. 6, v. 42. Psalm. 18, v. 1. et alibi passim sacerdotes in templo ministrantes Psalm. 133, v. 1. ut et prophetae 2. Reg. 17, v. 23. etc. vocantur *δοῦλοι κυρίου, servi Domini.* 3. In specialiori significatione accipitur pro illis, qui circa eam ministerii ecclesiastici partem potissimum occupati erant, quae *τὰ βιωτικὰ* et necessiarorum distributionem complectitur, unde dicuntur *διακονοῦντες, ministrantes mensis*, hóc est distribuentes unicuique necessaria ex communibus bonis. Actor. 6, v. 1: *In diebus illis crescente discipulorum numero factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur ἐν τῇ διακονίᾳ, in ministerio quotidiano ipsorum viduae.* v. 2. *Convocantes igitur duodecim apostoli multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum, nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis.* v. 3. *Inquirite ergo viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus;* v. 4. *nos vero orationi et ministerio verbi vacabimus.* Ex quo loco apparet occasio diaconorum ordinem in ecclesiam introducendi. Quia vero bonorum ista communio in Hierosolymitana duntaxat ecclesia locum habuit, in ecclesias vero gentilium ad Christum conversorum nunquam fuit introducta, inde factum, ut diaconi dicerentur, qui pauperum, aegrotorum ac peregrinorum in ecclesia curam habuerunt, non quidem ex bonis in commune collatis, sed ex collectis ecclesiasticis. Rom. 12, v. 7: *εἴ τις (ἔχει) διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ*

(quamvis nihil impediat, quo minus hic locus generaliter accipiatur pro quovis in ecclesia ministerio). Ad hoc munus quandoque etiam feminae adhibitae fuerunt, unde Phoebe vocatur *διάκονος ecclesiae Cenchreensis*, Rom. 16, v. 1. quod de ministerio erga aegrotos potissimum intelligendum videtur, sed nihil impedit in genere de cura aegrotorum, pauperum ac peregrinorum id accipere, sequitur enim v. 2. *καὶ γὰρ αὐτὴ προστάτις πολλῶν ἐγενήθη καὶ αὐτοῦ ἐμοῦ*,
22. *multis hospitium praebuit* et operam suam liberaliter ipsorum necessitatibus impendit. Ac quomodo tales diaconissae, antequam ad illa ecclesiae ministeria suscipiantur, probari ac deligi debeant, docet apostolus 1. Tim. 5, v. 9. et seq. Tandem vero diaconis illis etiam ordinarium docendi munus fuit commissum (a quo et illi, quorum mentio fit Act. 6. non fuerunt simpliciter exclusi, quamvis principaliter mensis praefecti fuerint), ut presbyteris adjuncti una cum ipsis verbum praedicarent, sacramenta administrarent, aegrotos visitarent etc. ut hac ratione facti fuerint inferioris ordinis doctores in ecclesia, unde Phil. 1, v. 1. cum episcopis sive presbyteris conjunguntur diaconi, ac 1. Tim. 3, v. 8. postquam virtutes episcopi apostolus descripsisset, subjungit, quae in diaconis, hoc est inferioris ordinis ministris, requirantur: *Diaconos similiter oportet esse modestos* etc. v. 13. addit *οἱ καλῶς διακονήσαντες*, qui in inferiori illo ministerii gradu recte ac fideliter officium suum fecerint, *gradum bonum sibi acquirent*, hoc est ad altiora postmodum evehi poterunt.

cto- 31. 4. *Διδάσκαλοι, doctores*, quia praecipuum ac principale munus ecclesiae ministrorum est docere verbum Dei. Hieronymus in comm c. 4. Ephes. notat, apostolum, cum in ceteris discreverit officiorum genera, duo conjunxisse, neque enim dictum est, quosdam pastores, quosdam doctores, sed alios pastores et doctores, quod *quicunque sunt pastores, iidem etiam debeant esse doctores.* Tributuir autem *διδασκάλου* appellatio 1. *ἐξοχικῶς Christo*, qui unicus magister humano generi audiendus voce coelitus delata commendatus est, Deut. 18, v. 18. Matth. 17, v. 5. qui est unus *καθηγητής* Matth. 23, v. 8. et 10. *qui ex sinu Patris* absconditam Dei voluntatem protulit nobisque *enarravit* Johan. 1, v. 18. unde in evangelica historia passim vocatur *διδάσκαλος*, Joh. 13, v. 13: *Vos vocatis me ὁ διδάσκαλος καὶ ὁ κύριος et bene dicitis, sum etenim.* Matth. 8, v. 19. c. 9, v. 11. etc. 2. *γενικῶς* cuivis *doctori* Matth. 10, v. 24. Luc. 6, v. 40: *Discipulus non est supra magistrum suum.* Hebr. 5, v. 12: *Cum deberetis esse διδάσκαλοι, rursum indigetis, ut vos doceamini.* Jac. 3, v. 1: *μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε.* 3. *εἰδικῶς* tribuitur *ecclesiae ministris*, utpote primo *synagogae Israëliticae doctoribus.* Luc. 2, v. 46: *Invenerunt eum sedentem in medio τῶν διδασκάλων.* Joh. 3, v. 10. Nicodemus dicitur *magister*, *διδάσκαλος*, *in Israël.* Rom. 2, v. 20: *Confidis te esse διδάσκαλον νηπίων.* Secundo *apostolis Christi*, sic Paulus se vocat *διδάσκαλον ἐθνῶν.* 1. Tim. 2, v. 7. 2. Tim. 1, v. 11. Tertio *quibusvis ecclesiae doctoribus*, Act. 13, v. 1: *Erant in ecclesia Antiochena προφῆται καὶ διδάσκαλοι.* 1. Cor. 12, v. 28: *Posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores* etc. Eph. 4, v. 11: *Christus ad dextram Dei exaltatus dedit quosdam quidem apostolos, quosdam vero prophetas, alios autem evangelistas, alios pastores et doctores*, quae verba apostoli a quibusdam accipiuntur distributive, ut doctores a pastoribus distinguantur ac doctorum nomine accipiantur, qui vel in scholis, vel in templis docent, reliquas vero ministerii partes non attingunt; pastorum vero nomine, quibus omnes et singulae functionis ecclesiasticae partes incumbunt. Sed Hieronymus et alii accipiunt connexive, ut iidem intelligantur esse doctores ac pastores.

32. 5. Dicuntur etiam *προεστῶτες, praesides, praefecti*, 1. Tim. 5, v. 17: *οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι, qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo* et *doctrina*, ubi quidam ad solos presbyteros sive seniores, non autem ad doctores ecclesiae vocem *προεστώτων* referendam esse statuunt, sed rectius ad utrosque refertur, cum duo presbyterorum ordines constituantur, ut superius admonuimus. Syrus vertit אִילֵין דְּשַׁפִּיר מְתַדְּבְּרִין, *qui bene gubernant.* LXX interpretes vocant *προεστηκότας τῆς οἰκίας, oeconomos.* familiae gubernandae praefectos, Amos 6, v. 10. Prov. 23, v. 5. Apud profanos scriptores *προστάτης* accipitur de magistratu politico. Apud Xenoph. lib. 3. hell. *προστάται τῆς Ἑλλάδος praefecti Graciae.* lib. 7. Cyropaediae *προστάτης τοῦ πολέμου*, summus belli capitaneus. Huc pertinet, quod Christus ecclesiae *ἀρχιποιμήν* et ministerii caput vocatur *ἐπιστάτης* Luc. 5, v. 5. c. 8, v. 24. etc. 5. Praesides. XII. 2. 30.

33. 6. *Ἡγούμενοι, praepositi, antecessores. ἡγοῦμαι* proprie significat ducem viae me praesto, praeeo. Aristophanes in Pluto *οἱ μὲν βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα, οὗτος δὲ ἀκολουθεῖ.* inde applicatur ad eos, qui vel in magistratu politico, vel in ministerio ecclesiastico aliis praesunt. Thucydides lib. 3. *Λακεδαιμονίων ἡγήσαντο.* Plutarchus in Romulo scribit, Romanos appellasse *patres conscriptos*, quos Graeci *ἡγεμόνας* sive *ἡγουμένους* suo etiamnum tempore vocabant. LXX interpretes variis modis hanc vocem usurparunt, plerumque tamen ad magistratum politicum ab ipsis accommodatur. In N. T. tribuitur 1. *ἐξοχικῶς Christo.* Matth. 2, v. 6. vaticinium Micheae de Christo sic redditur: *Ex te egredietur ἡγούμενος.* In Hebraeo Mich. 5, v. 2. מוֹשֵׁל, *dominator*, quod LXX reddiderunt *ἄρχοντα.* 2. *γενικῶς* quibusvis *viris primariis*, qui alios auctoritate, honore ac potestate excellunt. Luc. 22, v. 26: *Qui major inter vos est, fiat sicut junior καὶ ὁ ἡγούμενος ὡς διακονῶν, qui praecedit, tanquam ministrans.* Actor. 14, v. 12. Paulus dicitur *ἡγούμενος τοῦ λόγου, dux sermonis*, partes oratoris sustinens. 3. *εἰδικῶς* illis, qui praesunt vel in *magistratu politico*, Act. 7, v. 10: *Deus constituit Josephum ἡγούμενον ἐπ' Αἴγυπτον*, vel *in ministerio ecclesiastico*, Act. 15, v. 22: *Judas et Silas* dicuntur *ἡγούμενοι ἐν τοῖς ἀδελφοῖς*, Vul- 6. Praepositi.

gata versio generaliter reddidit *primi in fratribus*, sed ostendit Actorum historia, ministerio ecclesiastico ipsos fuisse functos, subjungitur enim v. 32: *Judas autem et Silas, cum ipsi quoque essent prophetae, verbis plurimis consolati sunt fratres.* Hebr. 13, v. 7: *μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων*, ubi statim subjicitur ἐξήγησις, quosnam hoc nomine velit intellectos, *qui locuti sunt vobis verbumDei.* v. 17: *πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν*, ubi itidem subjungitur explicatio, *ipsi enim vigilant pro animabus vestris, utpote rationem reddituri.* v. 24: *Salutate omnes praepositos vestros.* Dicuntur autem ministri ecclesiae ἡγούμενοι, non quod politicum aliquem dominatum in ecclesiam exercere debeant, contrarium enim praescribit eis Christus Luc. 22, v. 25. sed 1. quia fidelibus sese exhibere debent viae duces, 1. Tim. 4, v. 12: *Esto typus fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* Hanc rationem appellationis videtur subministrare epist. ad Hebraeos c. 13, v. 7: *Mementote ἡγουμένων, praepositorum vestrorum, quorum intuentes conversationis exitum imitemini fidem.* 2. quia Deus ipsos πιστοὺς ἡγήσατο, quibus verbi ministerium commendaret. 1. Tim. 1, v. 12: *Christus fidelem me judicavit ponens in ministerio.* 3. quia πάσης τιμῆς ἀξίους ipsos debemus ἡγεῖσθαι 1. Tim. 5, v. 17. etc.

7. Scribae. 34. 7. *Scribarum* nomen tribuitur proprie illis, qui divini juris prae reliquis periti tum in synagogis, tum in templo legem docebant, qui ideo dicebantur scribae, quia legi describendae et interpretandae vacabant, quorum in historia evangelica et actorum passim fit mentio. Sed Christus συνεκδοχικῶς nomine speciei ad genus translato quemvis ecclesiae doctorem et ministrum vocat scribam. Matth. 13, v. 52: *Omnis scriba eruditus ad regnum coelorum profert ex thesauro suo vetera et nova.* Matth. 23, v. 34: *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas.*

2. Apellationes metaphoricae. XII. 2. 31. 35. Metaphoricae ac parabolicae ministrorum ecclesiae appellationes in N. T. occurrunt longe plurimae. Vocantur enim *1. Sal terrae.* Matth. 5, v. 13. tum
1. Sal terrae. propter typum 2. Reg. 2, v. 21. tum propter collationem, debent enim conciones suas conspergere sale Mosaico, hoc est doctrina legis peccata arguere ac veteris hominis putredinem spiritualem prohibere. Hilarius in h. l. Matth.: *Apostoli sunt aeternitatis quasi salitores, merito sal terrae nuncupati, quia per virtutem doctrinae quasi salientes aeternitati corpora servant.* Hieronymus in h. l. Matth.: *Sal nominantur apostoli, quia per illos universum genus humanum conditur.* Theophylactus in c. 9. Marc.: *Quemadmodum sal carnes cohibet, nec vermes inde creari sinit; ita et sermo doctoris, si recens et mordax sit, carnales homines constringens, non sinit in ipsis generari vermem irrequietum.* 2. Lux mundi. *2. Lux mundi* Matth. 5, v. 14. non eo quidem sensu ac gradu, quo Christus dicitur τὸ φῶς, *vera illa lux, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joh. 1, v. 9. c. 8, v. 12. c. 9, v. 5. hoc enim sensu ipse Johannes Baptista major omnibus natis ex mulieribus negatur esse lux, Joh. 1, v. 8. sed quia sunt λύχνοι καιόμενοι καὶ φαίνοντες, *lucernae ardentes et lucentes*, Joh. 5, v. 35. sunt luminaria illuminata et illuminantia, a vera et essentiali luce illuminata et accensa, ut lucem doctrinae spargant eaque mundi tenebras illuminent, quin et vita ac moribus lucere debent, Matth. 5, v. 16. Phil. 2, v. 15. Rabbini in genere sapientes vocant אור עולם, *mundi lucem*, unde in l. select. gem. in c. de sapientia dicunt: *Sapientes in terra sunt quod luminaria in coelo, nam illuminant mundum et pellunt tenebras eorum.* Hilarius in h. l. Matth.: *Mundus extra cognitionem Dei positus obscurus tenebratur ignorantiae tenebris, cui per apostolos scientiae lumen invehitur et cognitio Dei claret, et de parvis eorum corpusculis, quocunque incesserint, lux tenebris ministratur.* Quidam, inter quos Theophylactus, etiam huc accommodant verba sequentia: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, nec accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui sunt in domo.* Isidorus Pelus. lib. 1. epist. 32. p. 8: *Deus lucernam, hoc est sacerdotem, accendit ac candelabro imponit, hoc est cathedrae suae lucem ferenti*, τῆς ἑαυτοῦ φωτοφόρου καθέδρας, *ut et dogmatum et actionum ab omni caligine liberarum splendorem ecclesiae fulgetri instar afferat, quo nimirum plebs vivifici fulgoris radios spectans ad eos sese dirigat patrisque luminum gloriam spectet.* Sensus igitur est, et doctrinam et vitam ministrorum esse in conspectu omnium positam instar civitatis supra montem positae, sedulo igitur ipsis cavendum esse, ne errorum et peccatorum tenebris involvantur, contra vero in id incumbendum ipsis unice, ut candelabri aurei in tabernaculo Mosaico et templo Hierosolymitano typum exprimentes lucem doctrinae et vitae aliis praeferant. Vide Gregorii hom. 6. in Ezech. Huc pertinent dicta illa Scripturae, in quibus ministri ecclesiae comparantur *candelabris* Zach. 4, v. 2. Apoc. 1, v. 13. c. 11, v. 4. respectu scil. habito ad candelabrum illud aureum in tabernaculo Mosaico. 3. Comparantur *operariis in vineam* conductis Matth. 20, v. 1. 3. O… rii
ad illos enim specialiter illa parabola Christi applicatur ab Irenaeo lib. 4, c. 70, p. 305. Hilario can. 20. in Matth. Chrysostomo sive quisquis auctor alius, homil. 34. oper. imperf. Hieronymo lib. 2. contra Jovinian. Gregorio hom. 19. in evang. sicut etiam Matth. 21, v. 33. Marc. 12, v. 1. Luc. 20, v. 9. conferuntur γεωργοῖς, *vineae cultoribus.* Interim non negandum, in genere et quidem longe commodius ad quosvis in vineam Domini, hoc est in ecclesiam, vocatos parabolam illam accommodari posse, quod faciunt Origenes hom. 10. in Matth. Nazianzenus in conc. de s. bapt. Chrysostomus hom. 65. in Matth. Augustinus serm. 59. de verb. Dom. etc. Distinctis mundi aetatibus ac temporibus mittit Deus ecclesiae suae doctores, qui in vinea non otientur, sed sedulo laborent, largissimam olim laborum suorum mercedem reportaturi. 4. *Servis invitantibus ad nuptias regias* Matth. 22, v. 3. mittuntur enim a coelesti 4. S… invi… XII… ad…

Patrefamilias, ut nuntient hominibus, *omnia parata sunt, venite ad nuptias;* sed mundus malam illis reponit gratiam. Huc pertinet encomium illud, quo ministri ecclesiae dicuntur *amici sponsi* Joh. 3, v. 29. qui sponsam Christo adducunt ac despondent 2. Cor. 11, v. 2. *5. Servis invitantibus ad coenam magnam* im. Luc. 14, v. 17. nuntiant enim hominibus, in Christo parata ipsis esse omnia ad salutem necessaria et ad participationem illorum beneficiorum amice ipsos ica- invitant. 6. Vocantur *piscatores hominum* Matth. 4, v. 19. Marc. 1, v. 17. Luc. 5, v. 10. tum propter divinam promissionem Jerem. 16, v. 16: *Mittam piscatores multos et piscabuntur;* tum propter typum Ezech. 47, v. 10: *Piscatores ambulant in magno illo mari*, quod in visione prophetae ostenditur; tum propter convenientiam. *Profundum est hujus seculi mare, ex cujus limo opera ministrorum ecclesiae trahendi sunt homines in lumen coelestis habitaculi*, ut loquitur Hilarius can. 3. in Matth. Piscatores quandoque *per totam noctem* frustra laborant, Luc. 5, v. 5. coguntur imbres et pluvias sustinere, projiciunt rete suum nescii, quos ac quot pisces capturi sint, concludunt reti suo pisces bonos ac putres, Matth. 13, v. 47. quae omnia ad ministerium ecclesiasticum accommodari possunt. 7. *Operarii in messe Dominica*, Matth. 9, v. 38. quae appellatio cumprimis apostolis et reliquis N. T. ministris competit. Joh. 4, v. 37: *In hoc verum est proverbium, alius est qui seminat, alius qui metit*; v. 38. *ego misi vos metere quod non laborastis, alii laboraverunt, et vos in labores eorum introiistis*, ubi per *seminantes* intelliguntur prophetae et ministri ecclesiae V. T. per *metentes* apostoli et ministri N. T. cujus tempus comparatur *messi*, Esa. 9, v. 3. Prophetae et doctores V. T. agrum Dominicum sentibus idololatricis undique oppletum expurgarunt, concione legis velut aratro eum prosciderunt et semina promissionum evangelicarum de Messia sparseruut, sed maturitatem segetis, impletionem scilicet earum, ac tempus messis, universalem scilicet gentium vocationem, non viderunt. Vide Irenaeum lib. 4, c. 40, p. 274. Quamvis vero Christus ibidem locutione proverbiali et comparate accipienda seminantibus solum laborem tribuat; negari tamen nequit, etiam messoribus pondus et aestum diei tolerandum esse, unde ab Ascraeo poëta tempus messis vocatur *χαματώδες*; ita quoque ecclesiae ministris multae in officio suo tolerandae sunt molestiae. Quando igitur ministri ecclesiae conferuntur operariis in messe, significatur: 1. ministerium ecclesiasticum non esse ignavum otium, sed negotium; 2. summam esse ministerii necessitatem. Quemadmodum in messe opus est ἐργάταις, qui fruges demetant et in horrea colligant; sic in messe spirituali, hoc est in ecclesiae collectione, operariis est opus, quorum ministerio ecclesia colligatur. 3. Dominum ministerii vocantem adeoque extrudentem operarios in messem esse ac manere solum Deum, piis precibus ob id compellandum, ut operarios mittat. 8. Affinis huic appellationi est ea, qua dicuntur *συνεργοὶ θεοῦ, cooperarii Dei*, in spirituali scilicet agricultura, 1. Cor. 3, v. 9. Collectio ecclesiae est *γεώργιον, agricultura quaedam*. ibid. summus *γεωργὸς* est *Pater coelestis*, Joh. 15, v. 1. *συνεργοὶ* ipsius in hac agricultura sunt ecclesiae ministri, illi *plantant ac rigant*, sed Deus solus *dat incrementum*, 1. Cor. 3, v. 6. Huc etiam pertinet, quod ministri ecclesiae dicuntur *ἐργάται*, operarii, qui scilicet in agro et vinea Domini, quae est ecclesia, strenue laborare debent, Matth. 9, v. 37. c. 10, v. 10. Luc. 10, v. 2. quodsi recte ac fideliter officium suum administrant, sunt *ἐργάται δόκιμοι καὶ ἀνεπαίσχυντοι*, 2. Tim. 2, v. 15. qui gloriam, non ignominiam a Deo reportabunt; sin minus, fiunt *ἐργάται δόλιοι*, XII. 2. 33. 2. Cor. 11, v. 13. *ἐργάται κακοί*, Phil. 3, v. 2. 9. Vocantur quoque *oeconomi*, Luc. 12, v. 42: *Quis, putas, est fidelis ac prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam* etc. Pontificii de solo Petro hoc dictum esse statuunt, cui soli tanquam summo gubernatori et successoribus ipsius familia Domini sit commissa, sed loquitur Christus in genere de omnibus ecclesiae ministris, cumprimis de illis, quibus in alios pastores inspectio demandata est. 1. Cor. 4, v. 1: *Sic nos aestimet homo ut ministros Christi et οἰκονόμους mysteriorum Dei.* Tit. 1, v 7: *Oportet episcopum ἀνέγκλητον ὡς θεοῦ οἰκονόμον.* Pulcherrime vero in hac appellatione officium ministrorum exprimitur, ecclesia est *domus Dei* 1. Tim. 3, v. 15. in qua Deus habitat per gratiam. *Domestici* in hac domo sunt omnes sancti, Ephes. 2, v. 19. quibus Deus sese per verbum manifestat eosdemque peculiariter diligit ac tuetur. *Oeconomi* sunt ecclesiae ministri, qui per claves divinitus sibi traditas recludunt thesauros, quos Deus in ecclesiae domum deposuit, hic igitur requiritur ab oeconomis *fidelitas*, 1. Cor. 4, v. 2. ut rationem suae administrationis Domino olim reddere possint. Quemadmodum etiam in ampla oeconomia sunt distincti gradus ministeriorum et officiorum; ita quoque in ecclesiastico ministerio instituit Deus certum ordinem, ut alii aliis velut *ἐργοδιῶκται* praesint et opus Domini urgeant. ** *10. Medici*, Jerem. 30, v. 13: *Non est, qui judicet judicium tuum ad sanitatem, medicinae curatio non est tibi*, id est nemo medicorum recte judicat de tuo morbo ac remediis, ut te sanare possit. Ex hoc loco colligitur, ministros verbi esse velut quosdam medicos politiarum, utpote qui monstrent, quomodo summos morbos, peccata, iram Dei ac poenas vel antevertere, vel etiam sanare ac tollere queamus.** *11. Legati Dei* 2. Cor. 5, v. 20. pro Christo *πρεσβεύομεν, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Ephes. 6 v. 20: *ὑπὲρ τοῦ εὐαγγελίου πρεσβεύω, super praedicatione evangelii legatione fungor.* Quae appellatio in ministris sedulitatem, in auditoribus reverentiam erga pastores excitare debet. Nemo sibi partes legati sumit, nisi a legante imponantur; sic ministri non currant, antequam mittantur. Legati continent se intra certos ac praescriptos mandati terminos; sic ministri non nisi eloquia Dei proferant, nihil addentes, nihil dementes. Legati jure gentium sunt

9. Oeconomi.

10 Medici.

11. Legati Dei.

inviolabiles, unde graviter animadverti solet in eos, qui regum ac principum legatos injuria afficiunt; sic Deus severe vendicat injuriam legatis suis illatam etc. Huc referri etiam potest *angelorum* appellatio ministris ecclesiae attributa. Angelus enim officii nomen est, non naturae, legatum ac missum ab alio significans. Deut. 2, v. 26: *Et misi* מַלְאָכִים, *nuntios, ex deserto*, LXX interpretes *πρέσβεις*. Itemque omnia illa dicta, in quibus apostoli et ipsorum successores a Christo dicuntur mitti, Matth. 10, v. 16. Joh. 20, v. 21. etc. adeo ut qui illos audiat, Christum ipsum audiat Luc. 10, v. 16. inde Hieronymus praefat. in Pentat. *per os apostolorum Christus mihi loquitur.* ** Gregorius hom. 6. in evang.: *Unusquisque si in quantum sufficit, proximum a pravitate revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si aeternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cum verba sanctae annuntiationis impendit, angelus exsistit.* hom. 34: *Qui secretorum coelestium summa capere praevalent et nuntiare, isti in archangelorum nu-*
12. Testes. *mero deputantur.*** *12. Testes*, *μάρτυρες*, quae appellatio praecipue quidem tribuitur apostolis, qui fuerunt *προκεχειροτονημένοι καὶ αὐτόπται μάρτυρες* Luc. 24, v. 48. Joh. 15, v. 27. Actor. 1, v. 8. c. 10, v. 41. etc. peculiariter ad id vocati et in mundum ablegati, ut de Christi persona, officio ac beneficiis testarentur; sed interim competit etiam aliis ecclesiae ministris, qui de voluntate Dei ex ipsius verbo testimonium ferunt, Apoc. 2, v. 13. c. 11, v. 3. Testes oportet esse requisitos, vitae inculpatae,
XII. 2. 34. homines veraces, consentientes, de rebus cognitis testificantes etc. Eadem in ministris requiruntur, qui ex verbo de voluntate Dei vere, ingenue, constanter ac fideliter testari debent, nec verbis modo,
13. Praecones. sed etiam, si opus sit, vita ac sanguine. *13. Praecones*, *κήρυκες* 1. Tim. 2, v. 7. et 2. Timoth. 1, v. 11. Paulus se vocat *κήρυκα*, *praeconem*, *evangelii.* 2. Petr. 2, v. 5. Noachus patriarcha vocatur *κήρυξ δικαιοσύνης*, *praeco justitiae.* *Κήρυκες* dicuntur proprie caduceatores, qui decreta magistratus publica voce promulgant; sic ministri ecclesiae *κήρυγμα*, publicum evangelii praeconium, Dei mandato ac nomine hominibus annuntiant. Matth. 10, v. 27: *Quod in aurem auditis, κηρύξατε, praedicate, super tecta.* Apud Athenienses coetus civium convocabantur per ministros publicos, quos vocabant *κήρυκας*, atque haec convocatio dicebatur *ἐκκλησιάζειν*; ita quoque ecclesiam suam colligit Deus et ex coetu
14. Tubicines. hominum evocat per praecones evangelii. 14. Vocantur etiam praecones verbi *tubicines* Apoc. 8, v. 2. et seqq. tum respectu habito ad officium Levitarum in V. T. ad quos pertinebat *tubis* certo tempore *clangere*, Num. 10, v. 1. et seqq. ** Tuba est instrumentum bellicum et classico canendo inservit. Significatur igitur, praecones verbi divini praedicatione sua homines ad bellum vitiis ac sceleribus inferendum adhortari atque ad arma contra daemonem omnemque ejus exercitum capienda. Origenes homil. 7. in Jos.: *Duae tubae argenteae ductiles Numer. 1. significavit concionatores ex divinis literis varia argumenta ducere, quibus spirituale bellum peccatoribus indicitur.* Gregorius lib. 30. moral. c. 7: *Per duas tubas exercitus ducitur, quia per duo praecepta caritatis ad procinctum fidei populus vocatur, quae idcirco argenteae fieri praecipiuntur, ut praedicatorum verba lucis nitore pateant et auditorum mentem nulla sui obscuritate confundant.*** (Tubae Levitarum paratae erant ex diducto et solido argento; sic verbum Dei solide et integre annuntiari debet, non mixtum humanis et commentitiis doctrinis; differentia in sono tubarum notat doctrinae ordinem: clangor est doctrina placida; jubilatio in bello excitanda est strepitus vehementior, hoc est in persecutione sunt orationes excitatiores); tum quia tubarum clangor ministerii conditionem et officium concinne exprimit (debent enim *voces suas elevare sicut tubas et populo annuntiare peccata*, Es. 58, v. 1. tuba per se nullum edit sonum, sed ab alio eam inflari oportet; sic ministri loquuntur ex Spiritu sancto Matth. 10, v. 20. *sunt voces clamantis* Joh. 1, v. 23. tuba sonum edit clarissimum, quem e longinquo positi exaudire possunt; sic veritatis clangor longissime personat).
15. Sunt qui existimant praedicatores evangelii me- 15
taphorice vocari *ventos*, Apoc. 7, v. 1. cum verbi et Spiritus S. in ministerio efficacia vento conferatur Johan. 3, v. 8. ac discipulis in sono vehementis venti Spiritus S. apparuerit Act. 2, v. 2. Causam appellationis exprimit anonymus quidam interpres Apocalypseos, qui ante annos ducentos scripsit: *Sicut ventus nubes excitat, terram aperit et rigat, fructiferam facit, faciem ejus floribus et fructibus hilarem reddit; ita evangelica praedicatio ab haeretica pravitate obumbrat et conservat corda terrenorum eaque aperit ad compunctionem et pervia reddit ad gratiae susceptionem, fructificare facit in bonis operibus et decorat in exemplis.* Vide Dn. D. Hoë in com. Apoc. 7. p. 489. etc. p. 510. ubi et necessitatis et utilitatis ratione ministerium ecclesiasticum vento conferri ostenditur. ** Quidam huc referunt dictum Cant. 4, v. 16: *Surge aquilo et veni auster et perfla hortum meum et fluent aromata illius; quibus verbis ecclesiae doctores ad praedicandum verbum incitantur, ut eorum praedicatione suavissima virtutum omnium aromata colligantur.* Ratio appellationis *1. a celeritate*, qua venti isti evangelici huc illucque discurrunt, ut veritatem fidei bonitatemque morum ubique disseminent, quae praecipue celeritas in apostolis resplenduit; 2. quoniam instar ventorum effrenatas hominum appetitiones velut pravos humores *exsiccant;* 3. quia peccatores ad lacrymas *impellunt;* 4. quia Scripturae difficultates velut obscuras nubes e coelo ecclesiae *dispellunt* ac dissipant solemque, id est verum divinarum literarum sensum et intelligentiam, patefaciunt.**

36. In scriptoribus ecclesiasticis appellationes illae X
repetuntur. ** Quomodo typus Ex. 25. de vectibus In bi
in arcae latere ad ministros ecclesiae accommodari ec pr
possit, docent Gregorius part. 2. curae pastor. cap. pa

ult. et Beda in expos. Ex. 25. Theodoretus in comm. super Cantic. ad concionatores accommodat locum Cant. 4: *Favus distillans labia tua mel et lac sub lingua tua.* Vid. Blas. de Vieg. in c. 10. Apoc. p. 424.** Sic Eusebius lib. 1. hist. eccl. c. 1. de ecclesiae apostolicae et apostolorum temporibus proximae episcopis scripturus dicit, se de illis acturum, qui ecclesiae *διαπρεπῶς, competenter, praefuerint* (*ἡγήσαντό τε καὶ προέστησαν*, inquit, admonens, eos fuisse velut ductores et praesides Dominici gregis) *quique singulis aetatibus divinam doctrinam sive viva voce, sive commentariis suis administraverint* (*τὸν θεῖον ἐπρέσβευσαν λόγον*, inquit, docens, eos magna fide et religione verbum veritatis tractasse, *πρεσβεύω* enim significat non tantum legationem obeo, sed etiam *προτιμῶ*. Ergo *πρεσβεύειν* est verbum Dei magna cum religione tractare). Vocantur etiam ecclesiae ministri *πάροικοι*. Eusebius lib. 3, hist. 13. Anianum vocat primum ecclesiae Alexandrinae paroecum, unde paroecia ac corrupte parochia, ut et Germ. Pfarrer. Budaeus in pand.: *Sunt qui parochias inde appellatas censeant, quibus singulis sacerdotes sui destinati sunt ab exhibitione scilicet sacrosancti panis. Ego vero non parochias primum, sed paroecias appellatas esse censeo. πάροικοι enim sunt accolae, quare qui fanum aliquod accolunt, paroeci sunt dicti, ejusdem scilicet fani consortes et paroecia accolarum conventus et accolatus sacraque vicinia.* Haec Budaeus. *Sacerdotum* nomen quo sensu peculiariter ecclesiae ministris attribui coeptum fuerit, dictum est superius. Progressu temporis sub papatu sacerdotia appellari coeperunt *beneficia.* Olim enim officium ecclesiasticum pro onere reputabatur, sed cum postea laboribus praetermissis lucro tantum inhiarent clerici, inde ipsum quoque nomen fuit mutatum. Duarensis lib. 2. de sacr. eccles. minist. c. 3: *Quod olim in antiquis canonibus et conciliis ministerium vocabatur, postquam possessiones accesserunt, ad imitationem phrasium in feudis usitatarum vocari coepit beneficium.*

37 Pontificii nostrarum ecclesiarum ministros per contemptum vocare solent *praedicantes* ac magnam illis hoc nomine ignominiam irrogari existimant. Sed constat ex Scripturis, nomen praedicantis ac officium praedicandi tribui Christo. Esai. 61, v. 2. Matth. 4, v. 17. et 23. erat praedicans in synagogis, Luc. 4, v. 44. angelis Apoc. 5, v. 2. prophetis Jer. 7, v. 2. c. 19, v. 2. c. 50, v. 2. Jon. 1, v. 2. Johanni Baptistae Matth. 3, v. 1. Marc. 1, v. 4. apostolis Matth. 10, v. 7. Marc. 16, v. 15. Luc. 9, v. 2. Rom. 10, v. 14. etc. ergo nomen illud est honorificum, per quod sanctissimo Christi, prophetarum et apostolorum collegio adscribimur. **Ante annos ducentos amplius sub ipso papatus flore longe ante Lutherum Nicolaus de Clemangis doctor Parisiensis *praeclarissimum praedicandi officium apud Romanenses viguisse* scribit. Pontificii ipsi ecclesiae doctores quandoque vocant *ministros*, ut apparet ex Lorichio in thes. theolog. voce Minister fol. 1389 ubi ministrum ridicule describit, *quod sit omnis, qui institutas preces ex vi ordinationis aut voto recitat, ut regularis professus utriusque sexus; omnis clericus etiam primae tantum tonsurae, omnis donatus et donata alicui religioni aut ecclesiae seculari et omnis alius, qui orationes ab eo ordinatas ejus nomine recitat.*** Ostendant vero nobis in Scripturis nomen missificantium, monachorum, abbatum, cardinalium etc. Ipsi contra ecclesiasticas personas generali appellatione vocant *clericos.* Ut enim apparet ex Bellarmino libr. 3. de clericis c. 11. septem numerant ordines sacros, in primo sunt *sacerdotes*, quos in *majores* ac *minores* postea dividunt. Ad majores referunt *patriarchas, archiepiscopos, metropolitanos et episcopos;* minores vocant *presbyteros.* In secundo sunt *diaconi;* in tertio *subdiaconi;* in quarto *acoluthi;* in quinto *lectores;* in sexto *exorcistae;* in septimo *ostiarii*, de quorum nomenclatura, officiis et discrimine inferius dicetur. Omnes illos vocant *clericos*, quos a laicis et monachis distinguunt. Nomen clerici descendit a *κλῆρος*, quod significat sortem, partem ac hereditatem. Petrus 1. epist. 5, v. 4. *κλήρους* vocat Dei ecclesiam, respiciens ad populum Israëliticum, quem Deus velut portionem quandam a reliquis gentibus separatam in peculium sibi elegerat, Deut. 4, v. 20. c. 9, v. 29. 1. Reg. 8, v. 1 etc. eidemque terram Canaan per sortem distribui jusserat, Num 26, v. 55. Jos. 14, v. 2. etc. in cujus locum cum Christiani in N. T. successerint, inde Petrus ecclesiam Christianam vocat *κλῆρον*, hereditatem, Domini ex Psal. 2, v. 8: *Postula a me, et dabo tibi gentes in hereditatem*, quam scilicet sibi elegit in populum *περιούσιον* Tit. 2, v. 14. ac dedit cuilibet vero illius membro partem *τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί* Coloss. 1, v. 12. ut de omnibus et singulis vere piis dici possit, *quod sorte vocati sive adsciti sint*, Ephes. 1, v. 11. in populum scilicet Dei, sanctorum communionem et vitae aeternae hereditatem. Merito igitur juxta Scripturae sensum omnes vere credentes ac pii dicuntur clerici, quia scilicet pertinent ad illum *κλῆρον*, portionem ac hereditatem Domini, immerito contra solis sacerdotibus clericorum nomen in papatu vendicatur (ubi nota, vocem *κλήρου* tredecies in N. T. usurpari, sed ex locis illis omnibus nullum esse, in quo sensu Pontificio accipi eam oporteat). Nimirum convenit illis hac in re cum Pharisaeis, qui se hoc nomine appellabant, quod vitae sanctimonia et mundicie a reliquis Judaeis essent sejuncti et separati, quam pharisaicae appellationis etymologiam tradunt Origenes in c. 23. Matth. Tertullianus de praescript. Epiphanius haer. 16. Ambrosius libr. 3. in Luc. et confirmat fastuosa precatio Pharisaei Luc. 18, v. 10. Pari ratione ministri sacrorum in papatu vocant sese clericos, quasi soli sint de sorte Domini. c. Clericus causa 12, q. 1: *Clericus, qui Christi servit ecclesiae, interpretetur primum vocabulum suum et nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur, si enim κλῆρος Graece, Latine sors appellatur, propterea clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est,*

XII. 2. 36.

et quia vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Dominum vel ut possideatur a Domino. Sane Hieronymus in epist. ad Nepotian. epist. 2. similem ponit appellationis rationem, sed allusivam verius quam propriam et accuratam, cum omnes pii sint sors Dei et Deus sors ipsorum, quare cum a Pontificiis in abusum postea haec etymologia trahatur, merito est repudianda. Bellarminus libr. 1. de membr. eccles. militant. c. 1: *Clerici sunt quasi Domini sors et hereditas.* Gregorius de Valent. tom. 4. disp. 9. q. 5. punct 2: *Clerici vocantur ministri ecclesiae, vel quia peculiariter de sorte sive hereditate sint Domini, quatenus divino cultui sunt singulariter mancipati, vel quia Dominus peculiariter est ipsorum sors sive pars.* Propter hanc arrogantiam jure factum credimus, ut clerici Romani ab Hieronymo praef. in libr. Didym. de SS. vocarentur *senatus pharisaeorum*, sicut vicissim idem in com. c. 10. Matth. Pharisaeos nominat *Judaeorum clericos.*

38. Regerunt Bellarminus et Gregorius de Valent. d. l. *1. nomen cleri 1. Petr. 5, v. 3. non tribui ecclesiae universae, sed tantum ministris episcopo subjectis, qui sic regi debeant, ut fugiatur dominandi cupiditas.* Respondemus: imo vero de toto grege Dominico apostolus loquitur, ut constat ex ipsis verbis textus. Alloquitur enim Petrus presbyteros eosque hortatur, ut pascant gregem sibi commissum, contra vero eosdem dehortatur, ne dominentur clero. Jam vero Bellarminus distinguit inter episcoporum et presbyterorum jurisdictionem, atque
XII. 2. 37. illos, qui aliis ecclesiae ministris praesident, non presbyteros, sed episcopos proprie vocari asserit, quomodo igitur presbyterorum nomine potest intelligere episcopos? Quodsi hoc loco per κλήρους intelligerentur presbyteri, talis sequeretur paraphrasis: presbyteri non dominentur presbyteris; sequeretur etiam, episcopos non quidem presbyteris dominari debere propter interdictum apostolicum, bene tamen in gregem sibi commissum exercere posse superbum dominium, ita enim κατακυριεύειν a Bellarmino exponitur. Praeterea huic dominationi in clerum opponit apostolus, fieri typum τοῦ ποιμνίου, ergo per τοὺς κλήρους ac per τὸ ποίμνιον idem omnino intelligitur. Jam vero nemo inficias ire poterit, per τὸ ποίμνιον gregem verbo Dei pascendum intelligi debere. Ac continetur in verbo τῶν κλήρων tacita quaedam ratio, quare non debeant eo modo gregem suum pascere, ut dominium quoddam in eum exerceant, nimirum quia est κλῆρος sors et hereditas Domini. Unde Oecumenius κλῆρον hoc loco interpretatur ἱερὸν σύστημα. *2. Si vel maxime per clerum tota ecclesia intelligatur, tamen istud nomen ministris peculiariter tribui potest, cum ratione officii magis attineant Deum quam reliqui Christiani.* Respondemus: non de eo quaeritur, an sit discrimen inter pastorem et gregem; nec de eo, an sano sensu ministris ecclesiae peculiariter nomen clericorum tribui possit, cum non solum ratione communis Christianismi, sed etiam ratione peculiaris officii ad sortem Domini spectent, quo sensu novimus in primitiva ecclesia hoc nomen fuisse clericis tributum; **(a Tertulliano libr. de monog. Origene homil. 7. in Jerem. Epiphanio in epist. ad Joh. episcop. Hierosol. Eusebio libr. 5, c. 28. Socrate libr. 5, cap. 2. et 16.)** sed illud in quaestione versatur, an Scriptura sacra peculiariter ministros ecclesiae N. T. hoc nomine appellet, quod Pontificii quidem affirmant, nos vero negamus. Deinde et illud potissimum quaeritur, an sensu Pontificio ministri ecclesiae recte dicantur, vel dici possint clerici, quod itidem negamus. Voco autem sensum Pontificium, quod clericos a laicis eo modo distinguunt, ut illis tribuant talem praerogativam et excellentiam, quae complectatur αὐτοκρατορικὴν praecipiendi auctoritatem et ecclesiam gubernandi liberam potestatem, hos vero a Scripturae lectione, a doctrinae examine et calicis eucharistici participatione arceant etc. ut illos a magistratus politici potestate penitus eximant, in hos vero authenticum imperium ipsi arrogent. *3. Scriptura ipsa sacerdotibus peculiariter hoc nomen tribuit, Deut. 10, v. 9.: Levitis non fuit data pars et hereditas, quia Dominus κλῆρος ipsorum.* Respondemus: redditur ibidem causa, quare Deus noluerit, Leviticae tribui cum reliquis Israëlitis dari certam terrae Cananaeae portionem hereditario possidendam, quia scilicet *Dominus sit sors sive hereditas ipsorum*, id est ut alibi passim exponitur, quia ex sacrificiis, victimis, primogenitorum lytro, primitiis etc. Domino oblatis sustentari debeant. Deut. 18, v. 1: *Non erit sacerdotibus et Levitis pars et hereditas cum Israël. Ignitiones sive oblationes et hereditatem ejus comedent.* Quid vero hoc ad ministros N. T. ad quos αἰτιολογίας illius explicatio accommodari non potest? Ejusdem census est, quod ex Jer. 12, v. 13. proferunt: *Cleri eorum non proderunt eis, hoc est si ministri ecclesiae in officio sint negligentes, non proderit eis, quod peculiariter in hereditatem Domini per ministerium sint adsciti.* Atqui fontes veritatis longe aliter habent, נֶחְלוּ לֹא יוֹעִלוּ Arias et Pagninus reddiderunt *aegrotaverunt, non profecerunt*, Vatablus *hereditatem adierunt et nihil profecerunt*, Tremellius *cum indoluerint laboribus, non proficient.* Verus sensus ex integro contexta manifestus, quod minetur Dominus subtractionem benedictionis in temporalibus, statim enim subjicitur: *Erubescetis ex proventibus vestris prae aestu irae Jehovae.* Quare cum per κλήρους, qua voce LXX interpretes in hujus loci versione utuntur, non ministerium ecclesiasticum, sed hereditas bonorum temporalium necessario intelligenda sit, cumque non de solis Levitis, sed de Israëlitis in genere textus XII
loquatur, nec ex hoc loco clericorum nomen ministris ecclesiae peculiariter tributum demonstrare poterunt. Inde cum Hieronymus in epistola ad Nepotianum scripsisset: *Obsecro te, ne officium clericatus genus antiquae militiae putes, hoc est ne lucra seculi in Christi militia quaeras, ne plus habeas, quam quando clericus esse coepisti, et dicatur tibi, cleri*

eorum non proderunt eis; Erasmus adscripsit: *Quid facies Hieronyme, tot Christianis sacerdotibus adeo locupletibus, ut his invideant Christiani principes? quid episcopis, qui tot oppida possident, ut nec dicam de praediis? quid summis pontificibus, qui pro censu et praediis etiam belligerantur? 4. In primitiva ecclesia jam olim usitatum fuit ministros ecclesiae appellare clericos. Can. apost. 12. 13. 15. Concil. Nicaen. can. 1. 2. 3. 8. Tertull. de monogam.* etc. Respondemus: non de usurpatione vocabuli ecclesiastica, sed de biblica cleri acceptione potissimum quaeritur, an scilicet Scriptura sacra istud nomen peculiariter ministris ecclesiae tribuat. Praeterea in primitiva ecclesia non sensu Pontificio, quasi soli clerici pertineant ad hereditatem Domini et authenticum in laicos imperium habeant, sed sensu orthodoxo hoc vocabulum fuit usurpatum, vocati enim sunt ministri ecclesiae hoc nomine, quia *τὸν κλῆρον τῆς διακονίας* acceperunt, ut de Juda loquitur Petrus Act. 1, v. 17. Isidorus lib. 7. etymol. c. 12. et citatur in c. Cleros dist. 21: *Cleros et clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per apostolos legimus ordinatum.* Vide Dn. D. Meisnerum part. 2. philos. sobriae sect. 1. c. 2. q. 10.

CAPUT II.

TO OTI PERTRACTAT, AN SCILICET DETUR MINISTERIUM ECCLESIASTICUM.

39. Dari ministerium ecclesiasticum probant: 1. Enumeratae *ministerii ac ministrorum ecclesiae appellationes.* Quorsum enim tot non solum nomina, sed etiam honorifica encomia in Scripturis huic ordini assignarentur, si in ecclesia talis quidam ordo non exstaret? *2. Doctorum ecclesiae series* a prima inde mundi origine usque ad nostra tempora continuata. Statim enim cum protoplasti essent conditi, ex arcana majestatis sede prodiens Deus primum concionatorem egit promulgato solenni mandato de non comedendo vetitae arboris fructu, Gen. 2, v. 17. ut exercendae obedientiae, ad quam perfectis viribus instructi erant, materiam primi generis humani parentes haberent seque hoc modo gratos Deo creatori praestarent. Post transgressionem hujus praecepti Filius Dei protevangelium *de semine mulieris contrituro caput serpentis* promulgavit ac miseros protoplastos ex faucibus Satanae, mortis et inferorum hac consolatione eripuit, Genes. 3, v. 15. Fuisse enim Dei Filium, qui promissionem istam protulit, testatur paraphrasis Chaldaica v. 8: *Et audierunt vocem verbi Memrah Domini Dei ambulantis in horto,* quam secutus Johannes c. 1, v. 1. Filium Dei vocat *λόγον*, quia scilicet per illum facta est hujus decreti promulgatio. Irenaeus lib. 3. c. 18. et lib. 4. c. 14. Ut autem Pater et Filius officium docendi in paradiso inchoare et hac ratione in propria persona ministerium ecclesiasticum consecrare voluerunt; ita quoque Spiritus sanctus easdem concionandi partes administravit. Cum enim Eva ex Adae costa aedificata ipsi adduceretur, dixit Adamus: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea, haec vocabitur virago, quia de viro sumta est. Propterea relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una,* Genes. 2, v. 23. et 24. quae verba ex peculiari et arcano Spiritus sancti instinctu ab Adamo prolata fuisse, vel quod idem est, Spiritum sanctum per Adamum ea protulisse, non solum ex eo apparet, quod Adamus ad imaginem Dei conditus fuerit Spiritus sancti templum atque organum, sed cumprimis etiam ex Matth. 19, v. 5. ubi verba posteriora *propterea relinquet homo* etc. ab ipso Deo prolata esse dicuntur. Tota igitur sacrosancta Trinitas in paradiso ministerium ecclesiasticum inchoavit ac consecravit, id quod dignitatem hujus status non mediocriter commendat. Easdem docendi partes ante diluvium ac post diluvium divino mandato patriarchae administrarunt. Series patriarcharum ante diluvium ostenditur Genes. 5: *Adam, Seth, Enos, Kenaan, Mahaleel, Jared, Henoch, Mathusalem, Lamech, Noah,* qui omnes Noacho excepto fuerunt *σύγχρονοι* atque augustissimum quoddam et sanctissimum collegium constituerunt. De Adamo dubitari nequit, quin filiis ac posteris suis promissionem evangelicam de semine mulieris tradiderit, id enim probat ritus sacrificiorum, quae fuerunt typi unici illius sacrificii a Messia in ara crucis offerendi, quem ritum Adamus ab ipso Deo ex mactatis ovibus didicit et filiis suis Caino atque Abeli postmodum tradidit. De Setho tradit Josephus lib. 1. antiq. c. 3. *quod sideralem scientiam ac coelestium rerum cognitionem excogitaverit,* huic studio astronomico procul dubio conjunxit etiam studium doctrinae coelestis ad nepotes ac posteros propagandae. Cedrenus de eo annotat, *quod instar Moysis faciem rutilantem e colloquio Dei retulerit, quod in ecstasi ab angelo venturum diluvium didicerit* etc. De Enos diserte testatur Moyses Gen. 4, v. 26. quod ejus tempore *coeptum sit invocari nomen Domini,* quia scilicet ministerium docendi in ecclesia per Caini fratricidium dispersa instauravit ac divino mandato primus sustinuit. Ita enim in verba illa commentatur Lutherus: *Postquam per Cain facta est confusio in domo Adae; paulatim multiplicatur etiam piorum generatio et paratur ecclesiola, in qua Adam tanquam pontifex gubernat omnia per verbum et sanam doctrinam; hoc dicit Moyses coepisse sub nativitatem Enos, cujus nomen etsi significat ingenti clade tunc oppressam fuisse ecclesiam, tamen Deus eam gratia et misericordia iterum erexit et addidit hanc benedictionem spiritualem, ut in certo loco convenirent, docerent, orarent, sacrificarent, quod fortasse per Cainitas aut prohibitum, aut impeditum hactenus fuerat.* De Henocho peculiare hoc refertur Gen. 5, v. 22. 24. *quod ambulaverit cum Do-*

XII. ?. 39.

Patriarchae.

*mino et vivus ad Deum sit translatus*¹, quae μετάθεσις debebat esse *exemplum poenitentiae* ob testimonium evidens alterius vitae et judicii secuturi Sir. 44, v, 16. quod autem non solum vitae sanctitate et publica sui translatione, sed etiam concionibus homines sui temporis ad poenitentiam et pietatem fuerit cohortatus, docet epistola Judae v. 14: *Prophetavit autem de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes et arguere omnes impios de omnibus operibus suae impietatis* etc. Cedrenus de illo dicit: οὗτος πρῶτος γράμματα μανθάνει καὶ διδάσκει καὶ θείων μυστηρίων ἀποκαλύψεως ἀξιοῦται. De Noacho eadem phrasis usurpatur, *quod cum Deo ambulaverit* Gen. 6, v. 9. vel ut Hebraeus textus emphatice loquitur, *fecit se ambulare*, hoc est sectari et imitari, *ipsum Dominum*, quia scilicet voluntatem Dei in verbo expressam sibi unice tanquam justitiae et salutis viam proposuit, nec ad dextram, nec ad sinistram ab ea deflectens, eandemque aliis proposuit. Nec dubium esse cuiquam potest, cum Noachus arcam Dei mandato exstruxerit, quin causam hujus structurae exposuerit ac de diluvio propter peccata immittendo vaticinatus fuerit, unde Petrus ipsum vocat κήρυκα δικαιοσύνης, *justitiae praeconem*, 2. epist. 2, v. 5. quia scilicet *justitiae per fidem constitutus heres* Hebr. 11, v. 7. eandem fidei justitiam auditoribus suis inculcavit.
XII. 2. 40. Post diluvium a Noacho usque ad Abrahamum talis fuit patriarcharum series: *Sem*, *Arphaxad*, *Sale*, *Heber*, *Phaleg*, *Regu*, *Saruch*, *Nachor*, *Thare*, *Abraham*, Genes. 11. De Semo Thargum Jonathanis et Hierosolymitanum tradunt, quod sit Melchisedecus ille, cujus mentio fit Genes. 14, v. 18. ipsi enim tanquam primogenito a patre Noacho munus sacerdotale commissum fuisse, quod manserit in ipsius familia usque ad tempora Aaronis, cujus sententiae etiam Hieronymus mentionem facit in quaest. Hebraic. in Genesin, quam ex chronologia Epiphanius frustra refellit, cum ex historia Mosaica certum sit, Semum et Abrahamum fuisse συγχρόνους, ac quia Melchisedecus decimas a patriarcha Abrahamo accipit eique benedicit, inde colligit epistola ad Hebraeos, ipsum fuisse Abraha praestantiorem, c. 7, v. 7. quod ipsum confirmat istam sententiam, Melchisedecum esse ipsum Semum patriarchali dignitate et aetate, cumprimis vero peculiari Dei vocatione conspicuum ac reverendum. De Abrahamo Gen, 18, v. 19. dicit Dominus: *Novi, quod praecipiet filiis suis et domui suae post se et custodient viam Domini ad faciendum justitiam ac judicium.* Gen 20, v. 7. Deus ipse honorat eum nomine *prophetae*. Gen. 21, v. 33: *Abraham plantavit nemus in Bersabee et praedicavit ibi in nomine Dei seculorum.* Abrahae ex fratre nepos fuit Lothus, qui Sodomitas viam Domini docuit et de poenis impietatis per incendium vendicandae eos admonuit Gen. 19, v. 14. sed illi *animam justam operibus iniquis cruciabant* 2. Petr. 2, v. 7. De Isaaco Abrahae filio et Jacobo Abrahae nepote aliquoties commemoratur, quod in loco divinae apparitionis *altaria exstruxerint et invocarint in nomine Domini* Gen. 26, v. 25. c. 33, v. 20. c. 35, v. 7. hoc est quod publicum divini cultus exercitium instituerint ac familiam suam eosque omnes, qui se illi conjunxerunt, de via salutis, de promissione seminis benedicti etc. instituerint, sacrificia obtulerint ac de vero fine sacrificiorum homines erudierint. De Josepho Jacobi filio Psalm. 105, v. 22. dicitur, *quod erudierit principes Aegyptios ac seniores docuerit sapientiam*, veram scilicet illam sapientiam, quam ex verbo et revelationibus divinis petitam ipsis proposuit.

40. Cum vero posteri Jacobi patriarchae in Aegypto Sa do
multiplicarentur et a rege tyrannice opprimerentur, cumque puritas doctrinae coelestis in populo Dei per idololatriam Aegyptiacam corrupta Ezech. 20, v. 8. ac verbi ministerium fere collapsum esset, excitavit Deus Moysen servum suum, per quem non solum ex Aegyptiaca servitute populum Israëliticum eduxit, sed etiam cultum Leviticum instituit honore summi sacerdotii ad Aaronem delato ac Levitis ad sacra ministeria in tabernaculo obeunda separatis. Sic ergo cura sacrorum et ministerium ecclesiasticum ordinarie fuit penes sacerdotes ex tribu Levitica eligendos, quibus unus aliquis praefuit *summus sacerdos* vel princeps sacerdotum ex eo vocatus. Num. 1, v. 5: *Locutus est Dominus ad Moysen* dicens, v. 6: *Applica tribum Levi et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei et custodiant custodiam ejus et custodiam totius coetus coram tabernaculo conventus et ad serviendum servitium tabernaculi.* Duravit haec forma ministerii ecclesiastici et summorum sacerdotum successio usque ad Christum unicum N. T. ἀρχιερέα sacerdotum Leviticorum ἀντίτυπον, unde Nicephorus lib. 2. hist. eccles. cap. 4. seriem pontificum Hebraeorum usque ad Jacobum fratrem Domini primum Hierosolymitanum episcopum deducit. *Aaron* (inquit) *primus pontifex a Moyse est unctus, hunc ordinem secuti sunt Eleazar, Pinehas, Eliezer, Bochhi, Ozi, Eli, Achitob, Abimelech, Abiathar, Sadoc, Achimaas, Azarias, Joram, Jojadas, Axioram, Phadaeus, Judaeus Iculus, Joathamus, Urias, Neri, Joas, Selam, Chelcias, Sareas, Josedec, Jesus, Joachim, Eliaseph, Joachaz, Johannes, Jadaeus, Onias, Simon, Eleazar, Manasses, Onias, Simon, Onias, Jesus et Onias alius, Alcimus, Onias, Judas Maccabaeus, Jonathas, Simon, Johannes, Aristobulus, Jannaeas, Hyrcanus, Antigonus, Anaelus*, XI
Aristobulus, Jesus Phabi filius, Simon, Matthias, Josephus, Jozarus, Eleazarus, Jesus Seae filius, Ananus Caiphae socer, Ismaelus filius Phabi, Eleazarus Anani filius, Simon Camithi filius, Caiphas qui et Josephus dictus, sub quo pro nobis salutiferam mortem Dominus obiit. Quia vero Le- Pr tat
vitici sacerdotes in conservanda doctrinae coelestis puritate saepius fuerunt negligentes atque exinde variae corruptelae orirentur, extraordinarie Deus vocavit prophetas, qui a corruptelis illis doctrinam repurgarent, ad poenitentiam comminatione poenarum secuturarum populum cohortarentur et promissionem

de Messia repeterent atque illustrarent. Seriem istorum prophetarum orditur Petrus Actor. 3, v. 24. a Samuele, qui divinitus fuit excitatus ad doctrinae et cultus instaurationem, *cum sermo Domini esset rarus admodum* 1. Sam. 3, v. 1. illum secuti sunt alii prophetae magno numero, 2. Chron. 36, v. 15: *Mittebat Dominus Deus patrem ipsorum ad Israëlitas per manum nuntiorum suorum mane surgendo et mittendo, eo quod parceret populo et habitaculo suo; v. 16. at illi subsannabant nuntios Dei et irridebant sermones ejus illudebantque prophetis, donec adscenderet furor Domini in populum ejus et nulla esset curatio.* Prophetae igitur fuerunt veluti quidam medici spirituales, per quos Deus animarum morbos in populo suo ex corruptelis doctrinae et vitae ortos sanare voluit, sed quia hanc manum medicam admittere noluerunt, exitio temporali et aeterno facti sunt obnoxii. Quorundam istorum prophetarum scripta singulari Dei beneficio adhuc in ecclesia supersunt, de quibus notandum, quod non eo sibi invicem successerint ordine, quo ipsorum libros in biblico codice videmus positos (qui enim eos sic disposuit, ad dignitatem et copiam rerum vel ad alias quasdam circumstantias, nequaquam vero ad seriem temporis respectum habuit). Sed quidam ex ipsis scripserunt ante captivitatem Babylonicam, quidam in captivitate, quidam vero post captivitatem. Ante captivitatem prophetarunt *Jonas et Obadias*, antiquissimi ex omnibus prophetis, qui post Moysen et Davidem scripserunt, quos sub Achab et Jeroboam regibus idololatricis vixisse constat. Circa tempus migrationis decem tribuum sub Usia et Ezechia claruerunt *Esaias*, *Oseas*, *Joel*, *Amos et Micha*, qui fere *σύγχρονοι* fuerunt, post quos non multo tempore sub Manasse secuti sunt *Nahum et Habacuc*. Instante migratione Juda sub Josia et Joachim prophetarunt *Jeremias et Zephanias*. In ipsa captivitate vaticinati sunt *Ezechiel ac Daniel*. Post captivitatem prophetias suas ediderunt *Haggaeus, Zacharias et Malachias*, qui fuit ultimus V. T. propheta. Augustinus lib. 17. de civit. Dei c. 24: *Toto illo tempore, ex quo* (Judaei) *redierunt de Babylonia, post Malachiam, Aggaeum et Zachariam, qui tunc prophetarunt, et Esdram non habuerunt prophetas usque ad Salvatoris adventum.*

annes t. 41. In N. T. Johannes Baptista divino mandato ministerium docendi ac baptizandi inchoavit. Luc. 3. v. 2: *Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha factum est verbum Domini ad Johannem.* Eum istus. statim secutus est ipse Christus Dei filius in carne manifestatus, Johan. 1, v. 15. Hebr. 1, v. 1. qui ad hoc officium solenniter in baptismo circa Jordanem fuit introductus, Matth. 3, v. 17. ubi probe notandum, quod ut in primo mundi exordio, ita quoque sub N. T. auspicio tota sacrosancta Trinitas ministerium ecclesiasticum iterum consecrare et sanctificare voluerit Pater enim de summo coeli suggestu hanc vocem edit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo omne meum beneplacitum*; Filius baptizatur in Jordane et ministerio docendi consecratur, quo ultra tres annos postmodum in his terris functus est; Spiritus sanctus descendit in specie columbae super Christum, ungit ac replet eum, *ut evangelizet pauperibus*, Esai. 61, v. 1. Luc. 4, v. 18. Ceterum cum non solum ad docendum, sed etiam et quidem cumprimis ad genus humanum per passionem ac mortem XII. 2. 42. redimendum Christus a Patre coelesti fuerit missus, quo redemtionis opere peracto ad dextram Dei considere debuit, ideo duodecim elegit *apostolos* in Apostoli. primo statim ministerii sui exordio, quos peculiariter sibi adscitos et associatos ita informavit, ut ad evangelium in toto orbe praedicandum ipsos postea ablegaret, Matth. 4, v. 18. c. 28, v. 19. etc. sed et alios septuaginta discipulos in civitates Judaeae misit *binos ac binos*, quorum opera in praedicatione verbi usus est, Luc. 10, v. 1. Apostoli cum scirent, exacto vitae curriculo sibi ex his terris abeundum, quin etiam se accepisse mandatum generale de praedicatione evangelii per totum terrarum orbem, ac proinde sibi non esse uno loco subsistendum, pastores et episcopos illis in locis ante suum abitum or- Episcopi. dinarunt, ubi salutarem verbi sementem sparserant. Actor. 14, v. 23: *Cum constituissent illis* (Lystrensibus, Iconiis et Antiochenis) *presbyteros per singulas ecclesias et orassent, commendarunt eos Domino.* Episcopi ab apostolis ordinati et constituti postmodum alios constituerunt, per quos doctrina evangelii longe lateque fuit propagata, conservata et posteris quasi per manus tradita, Tit. 1, v. 5: *Ideo reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Inde Eusebius in hist. eccles. recenset seriem episcoporum in ecclesiis per apostolorum praedicationem plantatis ac fundatis, libr. 3, c. 4. *Timotheus* (inquit) *primus Ephesianae paroeciae sicut et Titus Cretensium ecclesiarum episcopatum sortitus est. Ex reliquis Pauli sectatoribus Crescens in Galliam missus est. Linus post Petrum primus ecclesiae Romanae episcopatum sortitus est, Clemens tertius Romanae ecclesiae episcopus constitutus est, Dionysium, quem Lucas in Actis post Pauli concionem ad Athenienses habitam primum credidisse scripsit, primum ecclesiae Atheniensium episcopum fuisse tradunt* etc. libr. 3, c. 11: *Post martyrium Jacobi primi Hierosolymitanorum episcopi rumor est, apostolos et discipulos Domini, qui tum adhuc in vita superstites erant, in unum undique una cum cognatis Domini secundum carnem esse congregatos ac simul de eo consilium cepisse, quem ad hoc dignum judicare deberent, qui Jacobo succederet, atque ita cunctos una et eadem sententia Simeonem Cleophae filium sede paroeciae Hierosolymitanae dignum judicasse.* lib. 3, c. 13: *Linus Romanae ecclesiae ministerium, cum in eo duodecim annis praefuisset, Anacleto tradit. Aniano primo ecclesiae Alexandrinae paroecu successit Abilius.* lib. 3, c. 14: *Anacleto in Romanae ecclesiae episcopatu succedit Clemens.* libr. 3, c. 18: *Abilio in Alexandrina paroecia succedit Cerdo.* lib. 3, c. 19: *Inter eos, qui ecclesiam Antiochiae gubernarunt, primus Euodius*

alter Ignatius fuisse cognoscitur. lib. 3, c. 31: *Clemens episcopus Romanus ministerium tradidit Euaristo* etc. Concludit tandem Eusebius libr. 3, c. 34: *Alii etiam plures iisdem temporibus innotuerunt, qui primum gradum apostolicae successionis habuerunt et tanquam summorum virorum divini discipuli existentes cuncta passim ecclesiarum fundamenta ab ipsis apostolis jacta aedificarunt et praedicationem ac salutaria regni coelorum semina per universum orbem, quaqua patet, superseminantes auctiora reddiderunt. Etenim quamplurimi tum viventium discipulorum vehementiore philosophiae amore erga divinum ministerium affecti primum salutare mandatum adimplentes facultates suas egenis distribuerunt ac deinde peregre profecti opus evangelistarum perfecerunt, hoc est illis qui de doctrina fidei nihil dum prorsus audierant, Christum praedicare ac divinorum evangeliorum tradere Scripturam magno conatu sategerunt. Hi autem fidei fundamentis novis quibusdam et peregrinis locis a se jactis, alios illic pastores constituerunt atque illis culturam eorum, qui recens fuerant adducti, commendarunt ac tum alias ipsi regiones ac gentes gratia et cooperatione Dei adjuti accesserunt* etc. *Quoniam vero impossibile nobis est,*
XII. 2. 43 *ut ex nomine cunctos recenseamus, qui et quando in prima post apostolos successione ecclesiis per orbem sparsis pastores fuerint et evangelistae, non abs re eorum duntaxat memoriam nominatim scripturae mandavimus, quorum etiamnum per apostolicae doctrinae monumenta ad nos usque traditio adfertur* etc.

Patres. 42. Hisce apostolicis viris successerunt primitivae ecclesiae doctores, quos *patres* appellare consuevimus, qui per succedentium sibi invicem seculorum seriem commemorari atque enumerari possunt. Sic in primo seculo floruerunt *Polycarpus* Johannis auditor et *Ignatius;* in secundo *Justinus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, Melito Sardensis, Theophilus;* in tertio *Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Dionysius Alexandrinus, Methodius, Martialis;* in quarto *Eusebius Caesariensis, Athanasius, Basilius M., Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Arnobius, Lactantius, Epiphanius, Hilarius, Ambrosius, Rufinus, Hieronymus, Ammonius, Faustinus, Ephrem;* in quinto *Augustinus, Primasius, Hesychius, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Leo, Socrates, Vigilius, Cassianus, Prosper, Eucherius, Sedulius, Junilius, Salonius, Salvianus, Theodulus, Gelasius Maximus, Paulinus, Synesius, Marcus Eremita, Marius Victorinus;* in sexto seculo *Fulgentius, Boëthius, Alcimus, Cassiodorus, Fortunatus, Olympiodorus, Maxentius, Gregorius Magnus;* in septimo seculo *Isidorus;* in octavo seculo *Beda, Johannes Damascenus, Albinus, Carolus Magnus;* in nono seculo *Rabanus, Haymo, Remigius, Paschasius;* in decimo seculo *Theophylactus, Giselbertus, Smaragdus;* in undecimo seculo *Algerus, Anselmus;* in duodecimo seculo *Bernhardus, Petrus Cluniacensis* etc. Illos secuti sunt doctores Scholastici: *Petrus Lombardus, Alexander Alensis,* Sch sti
Thomas Aquinas, Johannes Scotus, etc. per quos licet magnae in doctrinam Christianam tenebrae illatae fuerint ob confusionem philosophiae ac theologiae, tamen illo quoque tempore et ecclesiam et ministerium Deus conservavit, retentis fundamentalibus doctrinae Christianae capitibus apud aliquos integris et excitatis oppressae paene veritatis testibus errores invalescentes accusantibus ac damnantibus, donec tandem ministerio Lutheri et symmistarum lux doctrinae evangelicae ex papalium errorum ac superstitionum tenebris singulari Dei beneficio emergens ecclesiae fuerit restituta ac longe lateque in ea propagata, ministerio evangelico ad nostra usque tempore contra omnes Satanae conatus et molitiones conservato atque ad ultimum usque judicii diem conservando.

43. Proinde 3. dari ecclesiasticum ministerium confirmant *divinae promissiones* de conservatione ecclesiae et consequenter ministerii ecclesiastici usque ad finem seculi. Promissiones de conservatione ecclesiae enumeravimus in tract. praeced. de eccles. §. 35. ex quibus etiam ministerii conservatio recte infertur. Cum enim ecclesia per verbum ex mundo evocetur, colligatur, gubernetur, augeatur, nutriatur, propagetur, utique conservatio ecclesiae includit etiam conservationem verbi ac ministerii ecclesiastici, quod est ministerium verbi et Spiritus. Rom. 10, v. 14: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, de quo non audiverunt? quomodo autem audient sine praedicante?* v. 15: *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Specialiter ad hunc locum referendae sunt promissiones de ministerii conservatione Esa. 30, v. 20: *Non avolabit ultra,* לֹא יִכָּנֵף, non elongabitur ultra *doctor tuus, et oculi tui erunt videntes doctorem tuum,* v. 21. *et aures tuae audient verbum ejus, qui est post te dicendo: Haec via, ambulate in ea, quando declinabitis ad dextram vel ad sinistram.* (Quidam ex Pontificiis de solo pontifice Romano hoc vaticinium propheticum interpretantur, ut apparet ex Ungersdorffii gratulatione p. 140. sed Hebraeum מוֹרֶיךָ in numero plurali positum accipi posse agnoscit ipse Bened. Arias Mont. ac si vel maxime in singulari positum esset, quod verbum singulare additum XII
probare videtur, notum tamen est, enallagen numerorum apud Hebraeos esse usitatissimam. Lyranus et glossa interlinearis, uti etiam Chaldaica translatio per unicum illum doctorem intelligunt Christum summum ecclesiae pastorem, verum quia Christus non amplius immediate, sed per ministros ecclesiam suam pascit ac regit, ideo recte de perpetua ministerii conservatione accipitur.) Esa. 59. v. 21: *Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, dicit Dominus, a modo et usque in sempiternum.* Esa. 62, v. 6: *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die et tota nocte jugiter non tacebunt, qui reminisci facitis Domini, ne silentium vobis;* v. 7.

3. na mi

et ne detis silentium ei, donec stabiliat et donec ponat Jerusalem laudem in terra. Matth. 28, v. 20. pollicetur Christus apostolis: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Cum vero apostoli tamdiu non vixerint, ideo etiam ad apostolorum in ministerio ecclesiastico successores hoc referendum est, promittit igitur, se per verbum apostolorum collecturum sibi ex genere humano ecclesiam usque ad mundi finem, ac proinde etiam contra omnes Satanae ac mundi furores conservaturum ministerium verbi et sacramentorum, per quod ecclesia in mundo colligitur. Chrysostomus et ex eo Theophylactus in hunc locum: *Non solum apostolis hoc est pollicitus, quod cum ipsis sit, sed simpliciter discipulis suis omnibus, neque enim apostoli ad finem mundi victuri erant, unde et nobis et his, qui post nos erunt, hoc promisit.* Ex hoc fundamento apostolus scribit 1. Cor. 11, v. 26: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*; docet igitur, usum coenae Dominicae usque ad ultimum Christi adventum in ecclesia vigere debere. Ephes. 4, v. 11. Christus ad dextram Dei post suam in coelos adscensionem collocatus *dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam evangelistas, alios vero doctores et pastores*, v. 12. *ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi.* De auditoribus similes exstant promissiones 1. Reg. 19, v. 18: *Reliqui mihi in Israël septem millia virorum, qui non curvaverunt genua coram Baal.* Esa. 1, v. 9: *Dominus Zebaoth reliquit nobis semen.* c. 6, v. 13: *Semen sanctum erit id, quod steterit in ea.* Matth. 13, v. 30: *Sinite utraque crescere usque ad tempus messis*, hoc est usque ad consummationem seculi, etc.

44. Notandum tamen hoc loco: 1. promissionibus illis de conservatione ministerii nequaquam successionem ministrorum ecclesiae N. T. ad unum aliquem locum, ad unam particularem ecclesiam, ad unum populum etc. alligari, sed esse generales de ecclesiae et ministerii ecclesiastici, vel in hoc vel in alio loco, vel in hoc vel in alio populo futura conservatione. In V. T. successio ministrorum ordinaria ad unam tribum fuit restricta et ecclesia ad populum Israëliticum alligata, sed in N. T. per universalem gentium vocationem ecclesiae pomoeria sic dilatata sunt, ut nec ecclesia, nec successio ministrorum ad unum aliquem locum vel populum alligata sit. Falso igitur Pontificii de Romana ecclesia et perpetua pontificum Romanorum successione promissiones illas accipiunt, de quo errore in tract. de ecclesia late fuit disputatum. 2. Ex promissionibus illis nequaquam inferri posse, quod publicum ecclesiae ministerium perpetuo futurum sit purum et incorruptum, contrarium enim ostendunt querelae prophetarum de publicis doctrinae et cultus divini corruptelis deque perverso sacerdotum Israëliticorum statu. Esa. 56, v. 10. Jerem. 2, v. 8. c. 5, v. 30. c. 6, v. 13. c. 7, v. 28. c. 10, v. 21. c. 50, v. 6. Exech. 7, v. 26. c. 22, v. 6. Zach. 10, v. 3. Zeph. 3, v. 4. Mal. 2, v. 8. etc. contrarium ostendunt tristissima exempla Baaliticae idololatriae in regno Israël dominantis et corruptelarum in regno Judae receptarum, cumprimis vero status ecclesiae Judaicae temporibus Christi adventum proxime antegressis. In N. T. contrarium ostendunt vaticinia XII. 2. 48.
Christi et apostolorum de pseudoprophetis et falsis doctoribus, cumprimis vero de statu ecclesiae tempore dominantis Antichristi futuro, Matth. 24, v. 24. 2. Thess. 2, v. 3. 1. Tim. 4, v. 1. 2. Pet. 2, v. 1. Apoc. 11. et seqq. capp. quorum vaticiniorum evidentia permoti Pontificii agnoscunt, tempore Antichristi (quem adhuc exspectant venturum) *omnes publicas religionis ceremonias publicumque et quotidianum ecclesiae officium et sacrificium, adeoque omnem divinum cultum, qui in ecclesiis Christianorum nunc exercetur, cessaturum.* Bellarminus lib. 3. de Rom. pontif. c. 7. Petrus Thyraeus disp. de Antichristo. Anglo-Rhemens. in c. 12. Apocal. etc. qua de re in tract. de eccles. in cap. *An ecclesia deficere et errare possit*, latius egimus. 3. Pari ratione non potest ex hisce promissionibus inferri, quod ministerium ecclesiae purum semper futurum sit, publice omnibus conspicuum ac visibile, ut enim vera ecclesia potest esse et tamen latere *in solitudine* Apoc. 12, v. 6. sic in ecclesia possunt esse ministri sinceri, licet non sint omnibus publice conspicui.

4. Ordinis hujus a reliquis distinctio.

45. Tandem 4. dari ecclesiasticum ministerium probat *ordinis hujus* a reliquis statibus atque ordinibus *distinctio.* Ut enim politicus magistratus ab ecclesiastico ministerio et statu oeconomico certa ratione distinguitur; ita quoque ministerium ecclesiasticum suos habet limites, quibus a politica dominatione et oeconomiae administratione distinguitur, cujus differentiae quae sint membra, infra pluribus ostendetur. Hoc loco generaliter duntaxat probandum, quod functio ecclesiastica sacrorum curam complexa a reliquis vitae ordinibus, qui et ipsi a Deo instituti sunt, divino praescripto sit distincta. 1. Tempore patriarcharum ante et post diluvium singulae familiae constituebant ecclesiam, in qua primogeniti sacerdotio fungebantur, peculiaribus vestibus sacerdotalibus a reliquis domesticae illius ecclesiae membris distincti, ut colligitur ex Genes. 27, v. 27. ex paraphrasi Chaldaica Genes. 29. et ex Hieronymo in qq. Hebraicis ad illud ipsum caput. Atque hanc constitutionem divino instinctu et impulsu a patriarchis fuisse factam, colligitur ex eo, quod jus primogeniturae eique adhaerens honor sacerdotii ab Esavo ad Jacobum divina inspiratione translatus fuerit, Genes. 27, v. 33. quodque ea in re typus fuerit propositus sacerdotii Christi unici illius ἀρχιερέως N. T. *qui est primogenitus Patris secundum divinam naturam*, Coloss. 1, v. 15. Hebr. 1, v. 6. *ac primogenitus matris secundum humanam naturam*, Ps. 89, v. 28. Matth. 1, v. 25. Luc. 2, v. 7. *primogenitus inter multos fratres*, Rom. 8, v. 29. *primogenitus ex mortuis*, Coloss. 1, v. 18. Apoc. 1, v. 5. 2. Postea per Moysen sacerdotii dignitas ad tribum Leviticam fuit translata, ut non nisi ex tribu illa oriundi sacerdotio fungerentur, Exod. 28, v. 1. Num. 1, v. 49. etc. inde passim repetit Dominus,

quod Levitas elegerit in locum primogenitorum, qui antea ministerio in singulis familiis fungebantur, et divino miraculo in excidio primogenitorum Aegyptiacorum fuerant conservati, Num. 3, v. 12. c. 8, v. 16. contra vero dignitas regia ad tribum Juda fuit translata, ex qua reges et duces Israëlitici populi sunt delecti, Genes. 49, v. 10. 3. Duravit haec politia Judaica et sacerdotium Leviticum usque ad Christum, qui in diebus carnis suae docendi ministerio functus, sed nullam politici muneris partem sibi arrogavit vel oblatam etiam acceptavit, Luc. 12, v. 14. Joh. 6, v. 15. c. 18, v. 36. suo exemplo manifestum faciens, magistratus politici et ministerii ecclesiastici munia esse distincta. 4. Ipse quoque statim ab initio ministerii sui quosdam discipulos ex coetu sibi adhaerentium segregavit, quos individuos comites sibi adjungens privata et publica informatione ad ministerium praeparavit tandemque ad evangelium in toto orbe praedicandum ablegavit, expresse interdicens, ne quam politici principatus partem sibi sumerent. Matth. 20, v. 25. Marc. 10, v. 41. Luc. 22, v. 25. 5. Idem ad dextram Dei
XII. 2. 46. evectus adhuc hodie dat ecclesiae suae *pastores et doctores*, ut corpus ipsius mysticum eorum opera aedificetur, Eph. 4, v. 11. quorum officium a politico magistratu differre probant distincta nomina, quibus appellantur, distincta charismata, quibus exornantur, distincta praecepta, quibus debiti sui muneris admonentur. 6. Denique gravis Dei querela de currentibus non missis Jerem. 23, v. 21. et comminatio de poena illorum, qui absque vocatione se huic muneri ingerunt, uti etiam poena divinitus illis inflicta, qui absque vocatione partem aliquam ministerii usurpare praesumserunt, 1. Reg. 13, v. 24. 2. Reg. 6, v. 7. 2. Paral. 26, v. 18. evidenter ostendit, distinctum esse hoc munus ab aliis ecclesiae ordinibus. Ubi enim datur peculiaris vocatio, ibi etiam datur peculiare munus, quod per ipsam vocationem certis hominibus commendatur, unde factum, ut *vocationis* nomine pro ipso statu, in quem per vocationem quis collocatur, apostolus uti voluerit 1. Cor. 7, v. 17. 20. 24: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea maneat.*

Argumenta contra ministerii necessitatem.

46. Ad hoc caput secundum de τῷ ὅτι pertinet etiam quaestio de necessitate ministerii, quam cum superius §. 3. demonstraverimus, examinanda hoc loco restant argumenta, quae contra eam a Fanaticis afferuntur, 1. Esa. 54, v. 13: *Erunt omnes docti a Deo.* Jerem. 31, v. 34: *Non docebit ultra vir proximum suum et fratrem suum dicens: cognosce Deum. Omnes enim cognoscent me a minimo ad maximum. Ergo in N. T. nulla erit ministerii necessitas.* **Respondemus: Agitur in dicto prophetico de evangelii promulgatione, non de inspirationibus et afflatibus internis, quod probat 1. *vaticinii impletio.* Illa nullam monstrat pacti divini in corda scriptionem, quae per immediatas revelationes sit facta, sed solam, quae per apostolicam praedicationem contigit, interprete epistola Hebr. 8, v. 6. 2. *Antithesis foederum*, veteris et novi, non solum evangelium, sed et lex cordibus inscribitur Rom. 2, v. 14. Prophetae plurimas conciones legales per coelestem inspirationem acceperunt. Ergo hic nulla oppositio, cui ut locus detur, sensus sic reddendus: Lex fuit scripta in tabulis nec ad cor penetrare potuit, cui capiendae corda peccatis repleta nimis erant angusta, ideo pactum ejus factum est irritum; evangelium vero corda penetrat, unde cordibus inscriptum dicitur. 3. Usus phraseos *scribi in corda.* In corda scribi nusquam significat inspirationem, sed generaliter doctrinam, sive illa fiat per naturam Rom. 2, v. 14. sive per institutionem 2. Cor. 3, v. 2. et attentam doctrinae receptionem Prov. 3, v. 3. c. 7, v. 3. Per verba *non docebit ultra vir proximum suum*, non evertitur externa praedicatio, sed notatur: 1. perfectior Dei notitia tempore N. T. futura. Es. 30, v. 26. Jerem. 24, v. 7. 2. evangelii per totum orbem praedicatio. Vetus illud legale pactum cognoverunt soli Judaei, Psalm. 147, v. 19. Rom. 9, v. 4. ideo gentiles illud cognituri opus habebant discere a Judaeis, sed in N. T. non solis Judaeis, verum omnibus gentibus foedus gratiae erat praedicandum.** Respondent alii, verba illius promissionis de cognitione Dei in N. T. nequaquam intelligenda esse absolute et exclusive sensu eo, quod plane abolendum sit tempore N. T. externum verbi ministerium, is enim sensus repugnat 1. verbis apostoli Rom 10, v. 14: *Quomodo audient absque praedicante?* 2. promissioni de dandis pastoribus etiam in N. T. quae repetitur Jer. 3, v. 15. 3. concioni Christi Joh. 6, v. 45. ubi in ipso ministerii ac praedicationis actu allegat hanc promissionem, *erunt omnes διδακτοὶ τοῦ θεοῦ.* 4. ipsi denique experientiae, quae absque instituente neminem ad Dei cognitionem adspirare docet, Act. 8, v. 31. ac per aliquot secula N. T. externum ministerium divinitus conservatum esse testatur: sed accipienda esse comparate, sensu nimirum eo, 1. quod illustrior et amplior Dei cognitio futura sit in N. T. quam fuit in V. hodie enim puerulus in catechesi institutus explicatius intelligit mysterium evangelii de Christo, quam olim in V. T. aliquis ex praecipuis sacerdotibus, nimirum completa est prophetia, Esa. 11, v. 9: *Terra repleta est scientia Domini.* 2. Quod major numerus futurus sit eorum, qui salutari Dei cognitione imbuti sunt, in N. quam in V. T. cum solennis et publica verbi praedicatio non amplius ad unam gentem sit adstricta, sed omnibus populis communis. 3. Quod propter spiritualem N. T. cultum et uberiorem Dei gratiam non opus futurum sit magno labore et molestia in docendis piis, quae interpretatio colligitur ex Jerem. 31, v. 33. *Scribam legem meam in corda ipsorum*, et ex 2. Cor. 3, v. 3: *Vos estis epistola Christi scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* v. 7: *Deus fecit nos idoneos ministros N. T. non literae, sed Spiritus.* 4. Ut hac ratione in hisce vaticinii propheticii verbis statuatur tacita oppositio inter V. ac N. T. inter legis et evangelii doctrinam; illa est ministerium literae, haec vero Spiritus, illa tabulis

lapideis, haec vero cordibus hominum per Spiritum inscribitur et gratiam Spiritus conjunctam habet. Atque haec quidem recte dicuntur; verum quia absolute et simpliciter pronuntiat Dominus apud Jeremiam: *Non docebit ultra vir proximum suum,* ideo Augustinus l. de Spiritu et lit. c. 24. paulo aliter explicat. Verbis enim illis, *dabo legem meam*
67. *in corda ipsorum*, dicit significari gratiam N. T. fidem, scilicet per caritatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus nostris, ut non solum sciamus. sed etiam faciamus mandata divina. Illis autem verbis, *et non docebit ultra vir proximum suum,* putat significari praemium fidei. hoc est beatitudinem, in qua omnes electi videbunt Deum a facie ad faciem. Neque est quod objiciatur, proponi ibi promissionem de beneficiis N. T. Joh. 6, v. 45. Hebr. 8, v. 11. quaedam enim beneficia N. T. in hac vita duntaxat inchoantur, quorum complementum et perfectio demum succedit in vita aeterna, inter quae etiam est clarissima illa lux divinae cognitionis, 1. Cor. 13, v. 12.

47. 2. 1. Joh. 2, v. 20: *Vos unctionem habetis a sancto et nostis omnia.* v. 27: *Et vos unctionem* (habetis), *quam accepistis ab eo, ea in vobis manet et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos. Ergo externum verbi ministerium non est necessarium.* Respondemus: neque haec apostoli verba absolute et universaliter accipienda sunt, quasi in N. T. nulli omnino necessarium sit a quoquam doceri, 1. quid enim agit apostolus in hac epistola aliud, quam ut scribendo erudiat et confirmet illos, quos alloquitur? 2. Repugnaret haec explicatio fundamendis paulo ante allatis, cumprimis vero experientiae, quae testatur, nulli omnino homini post lapsum Dei cognitionem innasci. Ideo secundum quid et comparate intelligenda sunt, 1. quod illi, qui ab apostolis de necessariis doctrinae coelestis capitibus instituti et Spiritus sancti unctione divinitus imbuti erant, (cum talibus enim loquitur apostolus) non indigeant a seductoribus novum quid audire ac discere, quae interpretatio colligitur ex v. 21: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam,* et ex versu proxime praecedente v. 26: *Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Item v. eodem 27: *Sicut docuit vos unctio, manete in eo.* 2. Quod non indigeant, ut quis in illis erudiendis ac de coelesti veritate persuadendis magnopere et anxie laboret, cum per Spiritum s. internum doctorem, quem tamen per praedicationem evangelii acceperant Gal. 3, v. 2. instituantur. 3. Quod in actionibus particularibus magisterio Spiritus sancti erudiantur, ut sciant, quomodo sese in omnibus recte gerere debeant, interim tamen norma et regula generalis omnium actionum manet verbum Dei, cujus meditatione lux cognitionis illius redditur illustrior.

48. 3. *Potest Deus absque ministerii opera nos illuminare ac docere in illis, quae ad salutem sunt necessaria.* Respondemus: non de absoluta Dei potentia, sed de beneplacito ipsius quaestio est, et de ordine divina ipsius voluntate sancito et perpetuo observato. *Placuit autem* divinae sapientiae per praedicationem evangelii stolidam mundo visam *salvos facere credentes*, 1. Cor. 1, v. 21. Ergo non vult immediate nobiscum agere, sed per verbi praedicationem et sacramentorum administrationem ministerio ecclesiastico demandatam. Evangelium *est potentia Dei ad salutem omni credenti*, Roman. 1, v. 16. Ergo ordinarie non nisi per evangelii praedicationem vult esse potens et efficax ad salutem. Posset Deus etiam citra cibi potusve usum nos in hac vita conservare, posset citra solis lumen terras collustrare. sed placuit divinae ipsius sapientiae non nisi per cibi potusve usum ordinarie vitam nostram sustentare ac non nisi per solem mundum illuminare; ita quoque posset citra verbi et sacramentorum ministerium homines convertere et salvare, sed placuit ipsius sapientiae non immediate nobiscum agere, sed per verbum et sacramenta, quorum mysteriorum oeconomiam ecclesiae suae ministris demandavit. Quodsi quandoque contingat, ut aliquos citra externum verbi ministerium illuminet, convertat et informet, id tam non evertit ordinem divinitus constitutum, quam non evertitur ordinaria vitae sustentatio per cibi potusve alimoniam extraordinariis Moysis et Eliae per quadraginta dies in deserto sustentatorum exemplis, Exod. 24, v. 18. 1. Reg. 19, v. 8. Plura de hoc argumento dicentur inferius.

CAPUT III. XII. 2. 48.

DE CAUSA EFFICIENTE MINISTERII ECCLESIASTICI.

49. Causa efficiens principalis ministerii ecclesiastici est unus ac solus verus Deus *Pater*, *Filius et Spiritus sanctus*, quod confirmant 1. *expressa Scripturae oracula.* Psalm. 68, v. 12: *Dominus dat verbum, evangelistas magno exercitu.* In Hebraeo est אֲדֹנָי יִתֶּן־אֹמֶר הַמְבַשְּׂרוֹת צָבָא רָב, quod Pagninus et Arias reddiderunt: Dominus dabit sermonem earum quae annuntiant exercitus magnus; LXX interpretes: *Κύριος δώσει ῥῆμα τοῖς εὐαγγελιζομένοις δυνάμει πολλῇ;* Symmachus: *ἔδωκε ῥήσεις τοῖς εὐαγγελιζομένοις στρατιᾷ πολλῇ.* Illi igitur vocem מְבַשְּׂרוֹת vel in secundo, vel tertio casu positam acceperunt et a priori membro distinxerunt propter accentum athnachta. Sed commode etiam accipitur in casu quarto, ita ut verbum יִתֶּן ex praecedente membro repetatur, quomodo Lutherus vertit, *Dominus dat verbum, evangelizantes exercitu magno*; eo fere respicit Chaldaeus sic *παραφράζων*: *Deus dedit verba legis populo suo mediantibus Moyse et Aarone, qui annuntiaverunt verbum Dei exercitui magno Israëlis.* (Femininum מְבַשְּׂרוֹת, *nuntiae*, remittit nos ad typum Exod. 15, v. 20. ubi mulieres Israëliticae Miriam prophetissam secutae post interitum Pharaonis *ἐπινίκιον* cantant, quae Israëlitarum ex Aegyptiaca

Causa efficiens principalis ministerii. S. S. Trinit.

servitute liberatio fuit typus spiritualis liberationis per Christum praestandae, ut colligitur ex versu 26. ubi mentio fit virginum tympanistriarum.) 1. Cor. 12, v. 28: *Et alios quidem constituit Deus in ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas, tertio doctores.* 2. Cor. 5, v. 18: *Deus dedit nobis* (apostolis et reliquis ecclesiae doctoribus) *ministerium reconciliationis.* Huc pertinet, quod Siracid. 45, v. 21. Deus dicitur Aaroni summo sacerdoti commendasse *officium docendi*, *ἔδωκεν αὐτῷ ἐξουσίαν διδάξαι τὸν Ἰακὼβ τὰ μαρτύρια* etc. 2. *Liberalia Dei promissa*, quod velit ecclesiae suae pastores dare et ministerium docendi conservare. Esa. 41, v. 27: *Primus ad Zion*, id est ecclesiam, *dico, Ecce haec, et dabo Hierosolymis evangelistam.* (ubi singulari nomine evangelistae totus chorus ac coetus doctorum intelligitur, ut eo ipso ad concordiae studium invitentur. Neque tamen incommode de principe pastorum Christo haec prophetia accipi potest, sicut Ezech. 34, v. 23. dicit Dominus: *Suscitabo super eas oves meas pastorem unum).* Jer. 3, v. 15: *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et intellectu.* Jerem. c. 23, v. 4: *Et suscitabo super eas* (הֲקִימֹתִי stare faciam, constituam) *pastores, et pascent eas.* Joel. 2, v. 23: *Dominus Deus vester dat vobis doctores ad justitiam.* *3. Peculiaria Dei encomia*, quae ostendunt, ministerii ecclesiastici constitutionem et conservationem ad ipsum pertinere. Matth. 9, v. 38. vocatur *dominus messis, qui extrudit operarios in vineam suam.* Matth. 13, v. 27. *οἰκοδεσπότης*, qui servis prohibet, *ne colligant zizania*, atque eo ipso se dominum messis esse probat. Matth. 20, v. 1. *οἰκοδεσπότης*, qui *operarios mittit in vineam suam.* Matth. 21, v. 33. *οἰκοδεσπότης*, qui *plantat vineam et mittit servos suos* ad agricolas, ut accipiant fructus ejus. Lucae 13, v. 8. dominus ille, qui *habet ficum plantatam in vinea sua* et cultori vineae, *τῷ ἀμπελουργῷ*, dat in mandatis, ut eam fodiat. Johan. 15, v. 1. *γεωργὸς*, *agricola*, qui in spirituali illo *γεωργίῳ* habet suos *συνεργούς*, 1. Cor. 3, v. 9. 4. *Ad petendos a Deo pastores incitamenta.* Matth. 9, v. 38. Christus nos hortatur, ut *Dominum messis rogemus*, quo operarios mittat in vineam suam. In Actorum apostolicorum historia legitur, ecclesiam orasse, quando pastores fuerunt eligendi. Quodsi igitur a Deo petendi sunt pastores, utique etiam ipse est, qui idoneos ministros ecclesiae suae mittit, quo pertinet illud, quod quidam ex
XII. 2. 49. apostolis dictus fuit *Matthias*, id est Dei donum. 5. *Ipsius praxeos testimonia.* Deus enim non solum ipse in propria persona docendi officio functus est, quando adhuc in statu integritatis legem de non comedendo vetitae arboris fructu promulgavit et post lapsum promissionem de benedicto semine mulieris ex arcana divinorum consiliorum abysso proposuit; sed etiam docendi munus aliis commendavit, Adamum et reliquos patriarchas ecclesiae suae, quae familiis ipsorum fere inclusa erat, doctores praeficiendo, Moysen et prophetas mittendo ac Leviticum sacerdotium constituendo, qua ratione in V. T. ministerium ecclesiasticum divinitus fuit institutum et conservatum. In N. T. Filius Dei ipsemet in assumta humana natura hoc munere perfunctus apostolos elegit, quos sufficientibus necessariis donis instructos ad evangelii praedicationem in totum orbem ablegavit, et *ad dextram Patris collocatus adhuc dat ecclesiae suae pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis sui mystici*, Ephes. 4, v. 11. et 12.

50. Quamvis vero institutio et conservatio ministerii, cum sit *opus ad extra* (ut loquuntur) toti Trinitati communis sit, tamen ut in reliquis ejusmodi operibus, ita quoque in hoc ipso tota Trinitas agit servato discrimine atque ordine personarum.
Pater ut est fons Trinitatis, ita quoque beneficiorum, Pa
quae in ecclesiam conferuntur, ad quae etiam pertinet ministerii institutio et conservatio. Is ergo est, qui in V. T. patriarchas, Moysen ac prophetas vocavit, Levitas in sacerdotium elegit et in temporis plenitudine misit Filium, ut in assumta carne non solum redemtionis opus perficeret, sed etiam docendi munere in terris fungeretur, Hebr. 1, v. 1: *Multifariam multisque modis olim Deus locutus est patribus per prophetas, novissimis diebus hisce locutus est nobis per Filium*; inde toties provocat Christus ad suam a Patre missionem. Matth. 10, v. 40. Luc. 4, v. 18. Joh. 5, v. 23. etc. quo sensu ac respectu vocatur *dominus messis, dominus vineae, paterfamilias, agricola* etc. nimirum quia non solum servos suos prophetas, sed etiam novissime unicum ac dilectum suum Filium, Matth. 21, v. 37. Marc. 12, v. 6. Luc. 20, v. 13. etc. in vineam ecclesiae misit. 2. Cor. 5, v. 18: *Deus nos reconciliavit sibi per Jesum Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis.* Gal. 1, v. 16: *Deus vocavit me per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut ipsum per evangelium praedicarem inter gentes.*
Filius est persona loquens cum patribus ab initio, Fili
unde etiam *Λόγος* et in Chaldaica Bibliorum paraphrasi *Memrah* appellatur. Gen. 3, v. 8. Psalm. 110, v. 1. Johan. 1, v. 1. etc. Irenaeus libr. 4. adversus haeres. c. 14. p. 242. super verba Matth. 11, v. 26: *Nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem nisi Filius et cui voluerit Filius revelare. Revelaverit* (inquit) *non solum in futurum dictum est, quasi tunc inciperet Verbum manifestare Patrem, cum de Maria natus, sed communiter per totum tempus positum est. Ab initio enim assistens Filius suo plasmati revelat omnibus Patrem, quibus vult et quando vult et quemadmodum vult Pater, et propter hoc in omnibus et per omnia unus Deus Pater et unum verbum et unus Filius et unus Spiritus et una fides et salus omnibus credentibus in eum.* Is est *angelus* a Patre missus, qui praecessit Israëlitas ex Aegypto egredientes eosque per desertum eduxit et deletis Cananaeis in terram promissam introduxit, Exod. 23, v. 23. c. 33, v. 2. Esa. 63, v. 9. ac proinde etiam is est, qui ad Moysen et Israëlitas locutus est in monte Sinai, Exod. 19, v. 19. Act. 7, v. 38.

et ex medio Cherubim in arca foederis, Exod. 25, v. 22. Is est, qui in plenitudine temporis humana natura assumta *venit a Deo doctor*, Joh. 3, v. 2. et in Judaea, Galilaea ac Samaria coeleste semen verbi sparsit; is est *Dei sapientia* Prov. 9, v. 1. Luc. 11, v. 49. 1. Cor. 1, v. 25. qui dicit Matth. 23, v. 34: *Mittam ad vos prophetas et apostolos.* Idem etiam apostolos sibi adjunxit, quos in schola sua per triennium institutos ministerio praefecit et in totum
2. 50. terrarum orbem praedicandi evangelii causa ablegavit. Matth. 10, v. 1. Luc. 9, v. 1: *Convocatis duodecim apostolis dedit illis potestatem* etc. Joh. 20, v. 21: *Sicut me misit Pater, ita et ego mitto vos.* Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15: *Euntes in orbem universum docete omnes gentes.* Idem ad dextram Patris evectus dedit *hos quidem apostolos, illos vero prophetas, alios evangelistas, alios pastores ac doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii*, Ephes. 4, v. 11. et 12. 1. Cor. 12, v. 28. inde Saulum e coelo miraculose vocat ad apostolatum Act. 9, v. 15. qui 1. Cor. 1, v. 17. propterea dicit: *Christus misit me, ut evangelizarem.* Idem tanquam *Filius in domo Dei*, quae est ecclesia, ordinat oeconomos, quibus tradit claves ad aperiendum et claudendum, Hebr. 3, v. 6. 1. Tim. 3, v. 15. 1. Cor. 4, v. 1. Matth. 16, v. 19. unde se ipsum appellat οἰκοδεσπότην, *patrem familias*, Matth. 10,
ritus sanctus. v. 25. Spiritus sanctus locutus est olim per prophetas divinitus excitatos et ecclesiae missos doctores. 2. Sam. 23, v. 2: *Spiritus Domini locutus est per me.* Actor. 28, v. 25: *Bene Spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam ad patres nostros.* 1. Petr. 1, v. 11: *Spiritus Christi in prophetis praedixit passiones.* 2. Petr. 1, v. 21: *Non humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto φερόμενοι, impulsi et acti, locuti sunt sancti Dei homines.* Idem est, qui Christum secundum carnem *prae consortibus unxit* et ad *praedicandum misit*, Psalm. 45, v. 8. Esa. 42. v. 1. c. 61, v. 1. Luc. 4, v. 18. ac super apostolos visibiliter effusus est, *ut induti virtute ex alto* evangelium in omnes gentes praedicarent, Actor. 2, v. 1. Luc. 24, v. 49. Idem est, qui apostolis Domino ministrantibus ac jejunantibus jubet sibi *segregare Barnabam ac Saulum in opus, ad quod eos vocaverit*, Actor. 13, v. 2. qui ob *id missi a Spiritu sancto* dicuntur, v. 4. quod ipsum de Ephesinae ecclesiae episcopis affirmatur, Actor. 20, v. 28: *Spiritus sanctus posuit vos episcopos ad regendam ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine.* Idem etiam donis ad ministerium recte ac salutariter obeundum necessariis ministros verbi instruit, 1. Cor. 12, v. 4: *Divisiones sunt charismatum, idem autem Spiritus;* v. 5. *divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus;* v. 6. *divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus;* v. 7. *unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*, v. 8. *alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum*, v. 9. *alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanationum in uno Spiritu* etc. v. 11. *haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult;* inde quoque ministerium evangelii vocatur διακονία πνεύματος 2. Corinth. 3, v. 6. non solum quia per verbum evangelii datur Spiritus sanctus, Galat. 3, v. 2. sed etiam quia Spiritus sanctus est ministerii auctor et conservator instruens ministros donis necessariis, ac proinde cum Christus apostolis suis ministerium commendare vellet, prius mediante suo afflatu dabat illis Spiritum sanctum, Johan. 20, v. 22. ut quaecunque in officio suo ministri ecclesiae recte et salutariter agunt, ea Spiritui sancto in ipsis et per ipsos efficaciter agenti recte tribuantur, Matth. 10, v. 20: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis loquitur.* **Deus est auctor ministerii 1. promittendo doctores ecclesiae, Jerem. 3, v. 15. c. 23, v. 4. Joel. 2, v. 23. 2. dando quod promisit, 1. Cor. 12, v. 28. 2. Cor. 5, v. 18. 3. conservando ministerium usque ad consummationem seculi, Ephes. 4, v. 11. 4. ipso docendi munere fungendo, quod Deus olim fecit in paradiso, Filius loquens olim cum patribus et postea in assumta carne inter homines conversando, Spiritus sanctus, qui locutus est per os prophetarum et apostolorum; 5. doctores ecclesiae necessariis donis instruendo.**

SECTIO I. XII. 2. 51.

AN PECULIARIS VOCATIO REQUIRATUR AD MINISTERIUM ECCLESIASTICUM OBEUNDUM.

51. Porro opus illud gratiae, quo Deus certas quasdam personas ex reliqua hominum multitudine elegit, quas ecclesiae suae doctores praeficit, appellatur: *1. Vocatio.* Hebr. 5, v. 4: *Nemo sibi ipsi sumit honorem, nisi qui vocatur a Deo, ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ θεοῦ, quemadmodum etiam Aaron.* Conjunge Esa. 49, v. 1. Galat. 1, v. 15. Inde Paulus se appellat *vocatum apostolum*, Rom. 1, v. 1. 1. Cor. 1, v. 1. etc. *2. Missio.* Jerem. 23, v. 21: *Currebant, et ego non miseram eos.* Rom. 10, v. 14: *Quomodo praedicabunt nisi missi fuerint? 3. Electio sive separatio.* 1. Paral. 23, v. 13: *Separatus est Aaron, ut ministraret in sancto sanctorum, ipse et filii ejus in sempiternum.* 2. Par. 29, v. 11. Ezechias ad sacerdotes et Levitas dicit: *Vos elegit Dominus, ut stetis coram eo et ministretis illi.* Luc. 6, v. 13: *Cum dies factus esset, vocavit ad se discipulos suos et elegit duodecim ex illis, quos et apostolos nominavit.* Joh. 6, v. 70: *Nonne ego vos duodecim elegi et ex vobis unus est diabolus?* Act. 1, v. 2: *Praecipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit.* v. 24: *Ostende Domine, quem elegeris ex ipsis.* Inde Paulus vocatur σκεῦος ἐκλογῆς, *vas electum*, Actor. 9, v. 15. atque ipse Rufum vocat *electum in Domino* Rom. 16, v. 13. Ab hac electione ad functionem ecclesiasticam diligenter distinguenda est electio ad vitam aeternam, Joh. 13, v. 18.

Vocatio ministrorum.

Eph. 1, v. 4. 2. Thessal. 2, v. 13. illa enim temporalis est, haec aeterna. (Non negatur, electionem illam sive separationem ad officium esse manifestationem aeterni decreti ac voluntatis divinae, Jer. 1, v. 5: *Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te et prophetam in gentibus dedi te;* interim manet illud, quod vox electionis de vocatione ad officium aliquod publicum usurpata proprie significet actionem, quae fit in tempore); illa est piorum duntaxat perseveranter credentium, haec vero etiam hypocritis quandoque obtingit; illa est omnium salvandorum, haec vero certarum personarum; illa semper est immediata, haec vero quandoque mediata.

An ab electione distinguatur.

52. Ceterum inter *electionem et vocationem* ministrorum quidam esse putant distinctionem aliquam. Bellarminus libr. de clericis c. 2: *Electio est designatio certae personae ad praefecturam aliquam ecclesiasticam; missio seu vocatio jurisdictionem tribuit ac re ipsa pastorem ac praesulem facit.* Est qui inter haec duo quadruplex discrimen statuit: 1. Electio pondere ac gravitate vocationi longe antecellit. Ut enim illa unius, duarum vel plurium ex multis personarum, reliquis posthabitis, est delectio; ita per hanc vel una, vel duae, tres pluresve simul vocantur. De priori legitur exemplum Act. 1, v. 21. et seqq. posterius ipsum Christi factum asserit Matth. 4, v. 18. et seqq. 2. Electio et vocatio in quantum conjunguntur, huic illa antecedit, illi vero haec non item. Nemo enim unquam, qui cum electione erat vocatus, vocationis ante electionem compos et particeps factus est. 3. Vocatio absque electione, quae plures respicit, potest consistere, haec vero illam non excludit. Nullus enim nisi vocandus eligitur et saepius non electus vocatur. 4. Vocatio ministerio est accommodatior electione, quia in casu necessitatis propter personarum penuriam haec minime, illa vero maxime potest adhiberi. Sed discrimen illud inter electionem et vocationem magis in ἐπινοίᾳ nostrae mentis, quam in re ipsa consistit. Quicunque enim ad ministerium legitime eligitur, is etiam vocatur, et quicunque vocatur, is etiam eligitur, unde Scriptura indifferenter hisce appel-
XII. 1. 52. lationibus in hoc negotio utitur.

Quot modis accipiatur.

53. Vocationis terminus accipitur tum *active*, respectu vocantis, pro ipsa eligendi, vocandi et mittendi ad officium actione, Esa. 49, v. 1: *Dominus ab utero me vocavit;* tum *passive*, respectu vocati, pro ipso genere vitae, ad quod homines vocantur, id est pro functione tum privata, tum publica, in quam aliquis a Deo collocatus est. 1. Cor. 7, v. 20: *In qua vocatione unus quisque vocatus est, in ea maneat*, juxta quam vocabuli significationem ipsum ministerium ecclesiasticum dici potest peculiaris quaedam vocatio sive status, in quem personae ecclesiasticae divinitus collocatae sunt. Neque dubium, quin singulari consilio Spiritus sanctus opus illud gratiae divinae, quo ministri ecclesiae praeficiuntur, appellare voluerit vocationem. 1. Vocatio Dei tam efficax est, ut per eam existere incipiant, quae antea non exstiterunt. Rom. 4, v. 17: ***Deus vivificat mortuos et vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt;*** sic per vocationem divinam ministri instruuntur donis necessariis ad muneris sibi commissi partes rite obeundas, **welchen Gott ſchicket, den macht er geſchickt.** 2. Quando manifestatur quippiam, quod antea nondum erat publice notum ac perspectum, tunc Scriptura id appellat vocationem. Matth. 5, v. 9: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, id est manifestabuntur et agnoscentur ex studio pacis pro filiis Dei; sic per vocationem ministrorum ecclesiae legitime peractam manifestatur aeternum Dei consilium de ipsorum ad ministerium electione. 3. Quemadmodum opus illud gratiae, quo Deus in regnum suum per praedicationem evangelii homines vocat, est gratuitum omnino beneficium, 1. Petr. 2, v. 9: *Deus vocavit vos de tenebris in admirabilem lucem*, v. 10. *qui aliquando non populus, nunc autem Dei populus; qui non consecuti misericordiam, nunc autem consecuti misericordiam;* ita quoque vocatio ad ministerium est opus merae et indebitae gratiae, Galat. 1, v. 15: *Cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae et vocavit per gratiam suam.* 4. Quemadmodum principes ad se vocant eos, quibus certum aliquod officium demandant et quorum opera peculiariter in expediendis negotiis uti constituerunt; sic vocatio ministrorum ecclesiae hoc complectitur, quod Deus ipsis tanquam legatis suis certum aliquod officium sustinendum ac peragendum commendavit.

An necessaria.

54. Haec ad ministerium vocatio omnino necessaria est illis, qui juxta Dei voluntatem bona cum conscientia et fructu auditorum in hoc munere versari cupiunt, qua de re Augustana confessio art. 14. sic loquitur: *De ordine ecclesiastico docent* (ecclesiae nostrae), *quod nemo in ecclesia debeat publice docere aut sacramenta administrare, nisi rite vocatus.* Quae confessionis verba opposita sunt: 1. calumniis Pontificiorum, qui omnia in ecclesiis nostris confuse et sine ordine geri et cuivis in ecclesia docendi potestatem apud nos concedi, adeoque sursum ac deorsum omnia volvi criminabantur, referente Luthero in praefat. art. Schmalcald. Andreas Fabricius Leodius in harm. August. confess. art. 14. audacter convitiatur, *nulla parte magis laborare confessores, quam ut sublato ordine ecclesiastico rem Christianam confundant ac pervertant, erecto nimirum altari contra altare*, 1. Regum 13. *et cathedra adversus cathedram, atque omnes eos, qui baptizati sunt, seu viri sunt, seu mulieres, sacerdotes creare et facere.* Laurentius Arturus Posnaniensis in assertionibus de vocat. ministr. ass. 2: *Ut ex caementariis, laniis, coquis, fartoribus ministri protestantium effecti sunt, ita cum lubet ad eadem officia redeunt et ipsi sibi laici fiunt et episcopi.* Johan. Bapt. Ficklerus in replica contra Heilbrunn. p. 87. scribit, *apud Lutheranos pastorem et oves non differre.* Ac novissime Becanus Jesuita in disp. inaugurali de vocatione ministrorum Viennae anno 1616. instituta th. 52: *Pudendum est, quod dicam* (vere pu- XII

dendum, quia mendacium, cujus pudere debet quemlibet bonum), *sed tamen dissimulare non possum, adeo nihil antiqui moris et pietatis est apud Lutheranos* (quibus honoris causa adjungit Calvinistas) *in ministerio ecclesiastico, ut opifices, ludi magistri, advocati ad nutum alicujus comitis aut baronis et non raro ad imperium alicujus feminae publice cathedram adscendere et ministerium non raro usurpare erubescant.* Et rursum: *Si aliter dominis visum sit, ministerium deserere et ad opificium redire coguntur.* 2. Confusionibus Anabaptistarum, qui sine vocatione ministerii ecclesiastici partes sibi rapiunt et promiscue omnibus docendi officium permittunt, hac ratione barbaricam quandam ἀταξίαν in ecclesiam introducentes, quibus hodie succinunt Photiniani negantes, divinam missionem ad officium ecclesiasticum requiri, ut apparebit inferius.

55. Illam vocationis ac missionis necessitatem demonstramus: 1 expressis Scripturae testimoniis; 2. probatis exemplis, quae totius ecclesiae in V. et N. T. praxin continent; 3. rationibus in Scriptura fundatis. Scripturae dicta potiora haec sunt: 1. Jer. 23, v. 21: *Non misi prophetas, et ipsi cucurrerunt, non locutus sum ad eos, et ipsi prophetabant*, ex quo loco sic colligimus: Quod Deus improbat ac detestatur et de eo gravissime conqueritur, id cavere omnino debent futuri ecclesiae ministri. Sed currere ac prophetare, antequam accedat divina missio ac jussio, improbatur a Deo. Ergo id cavere debent futuri ecclesiae ministri. Item, quod pseudoprophetarum est proprium, id veri prophetae et doctores ecclesiae fugiant. Sed currere et prophetare, antequam accedat divina missio, est pseudoprophetarum proprium. Ergo. Conjungatur etiam v. 32: *Ecce, ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui seduxerunt populum meum in mendacio suo, cum ego non misissem eos nec mandassem eis* etc. ex quo sic colligimus. Quodcunque Deus gravissime punit, illud merito fugiendum. Sed arripere et usurpare docendi ministerium privata temeritate absque legitima vocatione, Deus gravissime punit. Ergo. Assumtum confirmatur non solum ex hoc dicto prophetico, sed etiam exemplis ἀλλοτριοεπισκοπῆς gravissime punitae in *Oza* Abinadabi filio temere manum arcae Dei imponente et juxta arcam ex ira Domini moriente, 2. Sam. 6, v. 6. in *Usia* rege Judae sacerdotum officium arripiente et incensam adolente, lepra propterea percusso, 1. Paral. 26, v. 19. in *Core, Dathan et Abiran* summum sacerdotium affectantibus ac terrae hiatu ob id absorptis, Num. 16, v. 32. Ostorodus in institutionibus c. 42. p. 437. regerit, locum illum propheticum nihil quidquam ad rem facere, cum de iis agat, qui *jactitabant, se esse prophetas a Deo missos, ut novi aliquid idque singulare populo annuntiarent. Cum vero hoc nostro tempore nihil novi afferatur, sed antiqua illa evangelii doctrina proponatur, non opus esse dicit singulari aliqua vocatione seu missione.* Eodem collimat Socinus, quando in tract. de eccles. edit. Racov. anno 1611. p. 13. scribit, *verbi Dei ministris, qui cum ecclesia Romana aut Graeca non consentiunt, eorum ministerii controversiam non moveri posse neque ab eis contendi, ut suae vocationis aut muneris legitimum auctorem ostendant, cum non gerant se pro novis quibusdam Christi apostolis aut divinis prophetis, nec inauditam prius doctrinam aut religionem mundo se annuntiare profiteantur, neque ex novis principiis priusve incognitis testimoniis quidquam doceant, sed tantum ex iis principiis iisque testimoniis, quae apud omnes Christiani nominis certissima sunt, ex ipsis scilicet evangelistarum et apostolorum scriptis.* Schmaltz. in refut. thesium D. Frantzii c. de ordine ecclesiastico p. 378: *Fatetur Frantzius, primario agi in verbis Jeremiae de re singulari, et hoc est quod nos volumus, ad quamvis vero vocationem ea accommodari posse, non tantum affirmandum, sed etiam probandum erat.* Respondemus: Non negamus, Jeremiam in specie loqui de pseudoprophetis Israëliticis, qui non missi XII. 2. 54. nec vocati a Deo *seductiones cordis sui* prophetabant; sed ex eo recte deducitur generalis regula αὐτοκλήτοις opponenda, quod nemo nisi missus a Deo docendi officium, quod itidem in Scripturis vocatur *prophetia*, Rom. 12, v. 7. 1. Corinth. 14, v. 1. et seqq. in ecclesia usurpare debeat. cum ratio diversitatis ab diversariis assignata nitatur falsa hypothesi, quod illi, qui non proferunt aut proponunt novam doctrinam, non opus habeant peculiari missione et vocatione, ut constat ex sequentibus fundamentis. 1. Omnes ecclesiae ministri sunt *Dei legati*, 2. Corinth. 5, v. 20. Jam vero nemo sibi ipsi partes legati sumit, nisi a legante ipsi imponantur. Ergo etiam ministri non currant, antequam mittantur. 2. Deo tanquam causae principali collectio ecclesiae itemque institutio et conservatio ministerii adscribitur, ut constat ex praecedentibus, unde etiam ministerium Spiritus vocatur, 2. Cor. 3, v. 6. Ministri sunt causa instrumentalis, *per quos* homines ad fidem perducuntur 1. Cor. 3, v. 5. et salvantur, 1. Tim. 4, v. 16. Jam vero causa instrumentalis non agit neque operatur, nisi mota et acta a principali atque ad συνέργειαν ab ea assumta. Ergo etiam ministri exspectent a Deo vocationem. Quos Deus non misit, pro ministris ipsius censeri nequeunt. 3. Sacerdotes V. T. non debebant proferre novam doctrinam, neque tamen docebant, vel etiam docere debebant absque vocatione, 2. Paral. 29, v. 11. 4. In N. T. illi, qui *per singulas ecclesias presbyteri erant constituti*, Actor. 14, v. 23. non proferebant novam doctrinam, neque tamen nisi vocati ac missi docebant. Tito suo diserte scribit apostolus Tit. 1, v. 5. quod eo fine *reliquerit ipsum Cretae, ut oppidatim presbyteros constitueret* ac Timotheo suo praecipit 1. Timoth. 5, v. 22. *ne cito alicui manus imponat.* 5. Quotquot in ecclesia docent non vocati ac missi a Deo, dicuntur *fures ac latrones* Joh. 10, v. 8. dicuntur *venire in suo*, non autem Christi *nomine* Joh. 5, v. 43. turbant ordinem divinitus constitutum 1. Cor. 14. v. 23 et 40. Ergo ad omnes, qui in ecclesia docere volunt, recte ac-

commodatur, quod non debeant prophetare, antequam mittantur.

2. Jerem. 27, v. 9. Non misi eos — 56. 2. Jerem. 27, v. 9. 14. 15: *Nolite audire verba prophetarum vestrorum dicentium vobis: Non servietis regi Babylonis, quia mendacium loquuntur vobis, quia non misi eos, ait Dominus, et ipsi prophetant in nomine meo mendaciter,* ex quo loco sic inferimus: Quemcunque prohibemur audire, is non est verus Dei minister nec ecclesiae doctor. Jam vero illum, qui non est a Deo missus, prohibemur audire. Ergo is, qui non est a Deo missus, non est verus Dei minister nec ecclesiae doctor. Major probatur. Qui non habet auditores, ille non est verus doctor, ex vi relationis mutuae. Jam vero is, quem audire prohibemur ex jure et jussu divino, non habet auditores. Ergo is, quem audire prohibemur, non est verus doctor. Photiniani repetunt suam limitationem, *quod is duntaxat non sit audiendus, qui profert novam doctrinam non missus nec vocatus a Deo.* Sed praeceptum generale est, neminem audiendum esse, nisi vocationem suam demonstrare possit, ut constat ex praecedentibus fundamentis. Huc referimus loca illa Novi Testamenti, in quibus pseudoprophetarum et falsorum doctorum proprietas statuitur, quod veniant *in suo nomine* nec missi, nec vocati a Deo, propter quod etiam vitari jubentur. Matth. 7, v. 15: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Matth. 24, v. 24: *Surgent* (non vocati, ἐγερθήσονται, suscitabuntur, impulsore scilicet Satana) *pseudochristi et pseudoprophetae* etc. Joh. 5, v. 43: *Ego veni in nomine patris mei,* (missus ab eo et sanam doctrinam proferens) *et non recipitis me, si alius venerit in suo nomine, illum recipietis.* Joh. 10, v. 8: *Omnes quotquot venerunt ante me, fures sunt et latrones,* (in quae verba sic commentantur pii veteres: Hieronymus in comm. prooem. in Matth.: *In venientibus praesumtio temeritatis, in missis est obsequium servitutis.* Augustinus lib. 16. contra Faustum c. 12: *Venisse ita vult intelligi, qui non*
XII. 2 — *missi sint, nam qui missi sunt, sicut Moyses et prophetae, non ante ipsum, sed cum ipso venerunt, quia non eum per superbiam praecedere voluerunt, sed eum per ipsos loquentem humiliter portaverunt.* Theophylactus in comm. hoc loco: πρόσχες καὶ τῇ ἀκριβείᾳ τῆς λέξεως, ὅσοι ἦλθον, φησὶν ἤγουν οἱ ψευδοπροφῆται. ἀλλ' οὐχ ὅσοι ἀπεστάλησαν, ὥσπερ προφῆται). Actor. 20, v. 30: *Ex vobis ipsis surgent,* ἀναστήσονται, *viri loquentes perversa.* 2. Joh. v. 10: *Si quis venit ad vos* (sua sponte, non missus nec vocatus) *et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* In hisce ac similibus dictis duae pseudoprophetarum proprietates conjunguntur, quod veniant non vocati nec missi et quod falsam doctrinam afferant, ubi tamen notandum, quandoque etiam illos esse pseudoprophetas, qui sunt in ordinaria successione et legitima vocatione, ac proinde non ad solam vocationem, sed etiam et cumprimis ad doctrinam esse respiciendum, si veros doctores a falsis internoscere velimus.

57. 3. Johan. 3, v. 27: ***Non potest homo quidquam accipere, nisi datum ipsi fuerit de coelo.*** Discipuli Johannis aegre ferebant, Christum per discipulos suos baptizare. *Rabbi* (inquiunt), ***qui erat tecum trans Jordanem et cui testimonium perhibuisti, ecce, is baptizat, et omnes veniunt ad eum.*** Sed Johannes illis respondet hisce omnino verbis: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo,* ubi ad suam et Christi vocationem eos remittit. De sua vocatione subjungit v. 28: *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed missus sum ante illum,* ut scilicet viam illi praepararem; de Christi vocatione dicit v. 29: *Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi; hoc ergo gaudium meum jam impletum est. Illum oportet crescere, me vero minui.* Nimirum hoc vult dicere Baptista: vocatio mea a vocatione Christi omnino est distincta. Ego sum amicus sponsi, ille vero sponsus est; ego sum missus ante illum, ut viam ipsi praepararem, ille vero est angelus testamenti. Sacrilegium igitur foret, si absque vocatione officium Messiae mihi arrogare velim, proinde mea vocatione, quae divinitus mihi obtigit, contentus laetor hoc nomine, quod sim amicus sponsi et quod illum videam crescere etc. cum non possit homo quidquam accipere, nisi datum fuerit ipsi de coelo, hoc est a Deo, Jac. 1, v. 17. Ex quo recte constituitur generalis regula, quod nemo debeat officii alicujus partes suscipere nec honorem aliquem sibi arrogare, nisi divina accedat vocatio et missio. Illis enim, quos vocat et mittit Deus, largitur etiam successum, illos instruit donis necessariis; sed qui absque vocatione res magnas obeunt et officiis publicis sese privata temeritate ingerunt, infelices tandem experiuntur exitus, ut multis exemplis manifestum redditum.

58. 4. Rom. 10, v. 15: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.* Utitur apostolus pulcherrima gradatione: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo in eum credent, de quo non audiverunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* quod dicit, sicut invocatio praerequirit fidem, fides auditum verbi, auditus praedicationem evangelii; ita quoque praedicatio praerequirit divinam missionem, cum nemo praedicare possit, jure scilicet salutariter et bona conscientia, nisi divinitus mittatur. Sic ergo colligimus: In relatione terminus non habet locum absque fundamento. Ministerium ecclesiasticum est veluti quaedam relatio, fundamentum ejus est divina missio et vocatio, terminus ipsa praedicatio. Ergo praedicatio, legitima scilicet salutaris ac Deo probata, utpote terminus non habet locum absque divina missione et vocatione ceu fundamento. Excipit Ostorodus in inst. Germ. c. 42, p. 437. *Paulum de suo duntaxat tempore loqui, cum adhuc nova et inaudita esset evangelii doctrina, ac proinde res ipsa postularet,*

ut qui eam essent annuntiaturi, missionem suam docere possent. Cum vero hoc nostro tempore nihil novi afferatur, sed antiqua evangelii doctrina proponatur, ideo non amplius opus esse singulari quadam vocatione. Idem repetit Theoph. Nicolaides in defensione tractatus Sociniani de ecclesia et missione ministrorum adversus Miedzibozium c. 1. p. 140: *Locus* (inquit) Roman. 10. *Quomodo praedicabunt, si non mittantur, nihil prorsus ad rem facit, Paulus enim de praedicatione vel potius annuntiatione loquitur, quae vox non omne genus docendi eo in loco complectitur, sed illud tantum, quo novum et inauditum aliquid in mundum affertur, id quod patet ex eo, quod Paulus isto in loco loquitur de eo, quod fieri simpliciter non possit, non autem quod fieri non liceat* etc. *Nam in praecedentibus dicit, quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo autem credent, quod non audiverunt? quae verba non id volunt, nemini licere aliquem invocare, nisi credat, et nemini licere credere, nisi audiat; sed sensus illorum est, neminem posse ulla ratione invocare aliquem, nisi in eum credat, et neminem posse ulla ratione credere, nisi audiat.* Andr. Radeccius in notis ad librum Smiglecii, quem vocat refutationem dissolutionis nodi Gordii, p. 5: *Ipse contextus docet, de solis apostolis ibi sermonem esse.* Schmaltzius in refut. thesium D. Frantzii part. 2. disp. 4. p. 379: *De apostolis ibi est sermo, quae vero de apostolis sunt dicta, ea non pertinent necessario ad omnes, qui docent alios.* **Pisecius in resp. ad rat. Camp. p. 107: *Quid ex hoc loco apostolico elixas? Numquid legatos et summae felicitatis interpretes adhuc desideras, qui ad praedicandum evangelium, quod seculis quindecim annuntiatum, emittantur? Non missio legatorum seu apostolorum, non evangelii per legatos praedicatio requiritur, sed sententia evangelii a legatis olim praedicati populo repetenda, recognoscenda et explicanda, quo ad verum pietatis cultum et mysteriorum cognitionem adducantur. Ad hoc officii munus digni in ecclesia eliguntur.*** Respondemus: 1. contradicunt sibi ipsis Photiniani in hac exceptione. Adducunt enim exempla Philippi, Apollo et aliorum ex Actis apostolicis, quos statuunt sine vocatione quadam peculiari evangelium praedicasse, ut inferius apparebit, quomodo igitur dictum hoc apostolicum eo sensu accipere possunt, quod missio fuerit necessaria illis, qui tempore apostolorum evangelii doctrinam prius non auditam praedicare debuerunt? Certe enim praedicatio Philippi et Apollo antecessit tempus epistolae ad Rom. scriptae. 2. Dictum apostolicum generale est, ut ex fundamentis superius annotatis manifestum. Id ipsum probatur ex serie textus apostolici. Etenim si praecedentia effata sunt generalia ac ad omne tempus ecclesiae pertinent, tam in V. quam N. T. tam ad tempora succedentia, quam ad primum tempus praedicati evangelii; utique etiam hoc ipsum de necessitate missionis ad praedicationem est generale sine ulla restrictione et limitatione de quibusvis ecclesiae temporibus accipiendum. Jam vero nemini dubium, quin praecedentia effata sint generalia. Ut enim tempore apostolorum invocatio non habuit locum absque fide, fides non habuit locum absque auditu verbi (in adultis scilicet, de quibus apostolus ibi loquitur), auditus verbi non habuit locum absque praedicatione; ita idem adhuc hodie in ecclesia obtinet. Proinde non patiemur, ex hac apostolica catena annulum atque ansulam aliquam avelli. 3. Nec ullum in verbo *κηρύττειν* subterfugium quaeri potest, quasi illud apostolis duntaxat novam et inauditam prius evangelii doctrinam praeconiantibus competat, accipitur enim alias generaliter pro quavis verbi praedicatione facta etiam illis, quibus jam ante aliquid notum de hac doctrina, Matth. 26, v. 13. Marc. 14, v. 9. Act. 8, v. 5. c. 15, v. 21. Rom. 2, v. 21. 2. Petr. 2, 5. 4. Negat apostolus, praedicare posse quenquam, nisi mittatur, sensu eo, quo negat 1. Cor. 10, v. 21. posse aliquem *calicem Domini et calicem daemoniorum bibere*, id est negat, quenquam posse legitime, jure, salutariter, bona conscientia et juxta Dei voluntatem praedicare, nisi mittatur. Interim de facto quidam sibi ipsis officium praedicandi absque missione arrogare possunt, quae interpretatio nequaquam pugnat, sed optime congruit cum praecedentibus. Nemo potest invocare eum, in quem non credit, id est vera, Deo grata et salutaris invocatio locum non habet absque fide; fieri quidem potest, ut quis contra Dei voluntatem dirigat invocationem suam ad eum, in quem non credit, ac sine fide cordis, labiis solum precularum formulas deblateret ac demurmuret; sed ea non est vera, Deo grata et salutaris invocatio, de qua apostolus ibi loquitur, dicit enim versu proxime praecedente: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Nemo etiam credere potest in eum, de quo non audivit, id est vera et salvifica fides perpetuam relationem habet ad verbum, cujus terminos non egreditur; fieri quidem potest, ut quis fidei opinionem aliquam concipiat extra et praeter, imo etiam contra verbum, sed ea non est vera et salvifica fides, quae non nisi ex verbo oritur et verbo adaequatur. Nemo insuper potest audire sine praedicatione, quia verbum evangelii non est natura notum, sed divina revelatione et praedicatione hominibus innotescit, ac quidquid in ecclesia de eo constat, illud totum ex divina revelatione et praedicatione descendit. Eodem igitur sensu accipiendum, quod ultimo loco apostolus addit, neminem posse praedicare, nisi mittatur. Fieri quidem potest, ut docendi ac praedicandi partes quisquiam absque vocatione sibi arroget, sed ea non est legitima, Deo grata et salutaris praedicatio. Quae omnia si recte observentur, in fumum abeunt nebulae sophisticae luci hujus dicti apostolici obductae.

XII. 2. 57.

59. 5. Hebr. 5, v. 4: *Nemo sibi ipsi honorem sumit, sed qui vocatur a Deo sicut Aaron;* v. 5: *sic et Christus non se ipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu* etc. Confert epistolae auctor Aaronem summum sacerdotem Veteris Test. et Christum unicum Novi Test. 5. Hebr. 5, v. 4. Nemo sibi ipsi honorem sumit.

ἀρχιερέα. Quemadmodum Aaron non aggressus est privata auctoritate munus sacerdotale, sed exspectavit divinam vocationem; ita quoque Christus non sine divina missione et vocatione officium suum est aggressus, sed solenniter prius a Patre coelesti in baptismo et transfiguratione sua ecclesiae doctor renuntiatus. Prius membrum collationis generali axiomate profert apostolus, *quod nemo sibi ipsi sumat*, hoc est sumere debeat, *honorem* alicujus officii, sed divinitus oblatum et impositum suscipere. Excipit Theoph. Nicolaides in defens. tract. Socin. de eccles. c. 1. p. 138. *locum hunc tantum de honore sacerdotali, qualis erat Aaronis, loqui, quod ex ipso textu dicit esse conspicuum, aliam vero esse rationem muneris docendi alios; in quo sit plus laboris semper quam honoris, jam vero laborem aliquem sumere, semper laudabile fuisse habitum.* Deinde addit, *de eo, qui aptus est ad docendum alios et vitae est inculpatae, non posse jure dici, quod sumat sibi munus docendi vel honorem illum, qui est in munere docendi, cum is sumat aliquid, qui id, quod ei non debetur, sibi arrogat, sed ei, qui est ad docendum aptus et vitae inculpatae, debetur illa dignitas vel munus, adeo ut si quis talis sit et alios docere nolit, gravissime peccaturus sit.* Eodem modo excipit Andr. Radeccius in notis ad librum Smiglecii, quem inscripsit refutationem vanae dissolutionis nodi sui Gordii p. 5: *Ipsum* (inquit) *capitis initium, ex quo verba v. 4. dependent, de solo pontificatu et legali pontifice loquitur. Idem testatur articulus voci honorem in Graeco additus, ut constaret, de peculiari honore sermonem esse* etc. Respondemus: Sane recenset ibi apostolus conditiones pontificum V. T. inter quas etiam est divina vocatio, sed propter paritatem rationis inter pontifices Veteris et ministros Novi Test. (quoad munus docendi et publici officii administrationem) recte generaliter accipitur pronuntiatum apostoli, hoc sensu, quod nemo propria auctoritate honorem aliquem in officio ecclesiastico capessendo sibi sumere debeat, nisi a Deo vocetur;
XII. 2. 58. speciale Aaronis exemplum additum non restringit vel limitat, sed illustrat et explicat generalem illam regulam, cui subjicitur. Neque quidquam roboris inest exceptionibus Photinianis. 1. Labor enim et honor in docendi officio non sunt opposita, sed subordinata, ut constat ex evidente apostoli dicto, 1. Timoth. 5, v. 17: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Officium Aaronis sacerdotale non erat solum honoratum, sed etiam laboriosum; officium reliquorum ecclesiae doctorum est vel certe esse debet non solum laboriosum, sed etiam honoratum; quod plus laboris quam honoris sit in docendi munere, ex accidente contingit propter contemtum verbi et mundi ingratitudinem, sed ex eo non potest nec debet inferri, quod docendi munus non sit aliquis honor. Proinde ad docendi officium etiam pertinet regula illa apostolica: *Nemo sibi ipsi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo.* 2. Laborem aliquem sumere semper laudabile fuit habitum, sed distinguendum inter labores privatos omnibus communes et inter labores in publico officio sustinendos. Posteriores labores nemo sumere debet absque praecedente legitima vocatione. Legati partes in politia terrena sustinere multos labores complectitur, nec tamen laudabile fuerit, labores illos suscipere absque auctoritate et vocatione legantis; quanto minus legati coelestis partes in ecclesia, quae est coelorum regnum, sibi quis sumere debet absque vocatione divina. Magistratus administrationem laboriosam esse nemo negaverit, interim tamen absque vocatione labores illos nemo sibi arrogare debet. 3. Illi qui ad docendum aptus est et vitam agit inculpatam, docendi munus deberi ambigue dicitur, vel enim intelligitur hoc sensu, quod talis prae reliquis debeat eligi ad ecclesiasticum ministerium, vel quod absque vocatione sibi ipsi partes illas debeat arrogare. Priori sensu assertionem illam concedimus, posteriore negamus, neque enim duntaxat ἐπιτηδειότης καὶ ὁσιότης, idoneitas et vitae integritas, sed etiam legitima vocatio in ministro ecclesiae requiruntur; priora requiruntur ad personam, posterius ad officium ministri.

60. Atque haec sunt potiora Scripturae dicta, ex quibus nostram confirmamus sententiam, illis secundario adjungi potest 6. praeceptum Siracidis c. 7, v. 4: *μὴ ζήτει παρὰ κυρίου ἡγεμονίαν, μηδὲ παρὰ βασιλέως καθέδραν δόξης*, Vulgata reddidit: *Noli quaerere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris.* Sed cum in Graeco habeatur vox *κυρίου*, *quae ἐξοχικῶς* Deo competit, itemque vox *ἡγεμονίας*, quae ecclesiae doctoribus specialiter tribuitur Actor. 15, v. 22. Hebr. 13, v. 7. 17. et 24. ideo recte accipitur tanquam generalis quaedam praemonitio, ne quis se ingerat publicis officiis propria temeritate, sive *παρὰ κυρίου*, apud Dominum, coram Domino, id est in ecclesia, sive *παρὰ βασιλέως*, apud regem, id est in politia. Ne quaeras apud Dominum praefecturam sive ducatum, neque apud regem cathedram honoris, id est ne obtrudas te ad publica munera sive ecclesiastica, sive politica, sed exspectes prius legitimam vocationem.

61. Altera classis argumentorum continet probata *exempla*, ubi proponimus generalem regulam, quod nemo vel in V. vel in N. T. publicum docendi in ecclesia officium rite administraverit, nisi divinitus ad id vocatus, nec putamus, contrarium exemplum proferri posse. *1. Patriarchis* apparuit Deus in forma humana ac immediate eos ad docendi et sacrificandi munus vocavit. Gen. 14, v. 18: *Melchisedec erat sacerdos Altissimi*, at quomodo sacerdos Altissimi esse potuisset, si non ab Altissimo ad illud officium fuisset vocatus? Gen. 20, v. 7. de Abrahamo dicit Dominus ad Abimelechum: *Orabit pro te, quia propheta est, et vives*, quibus verbis Abraham constituitur propheta ac doctor Abimelechi ejusque subditorum, quin imo etiam aliorum, qui debeat praedicare et orare sive sacrificare, unde etiam de ipso commemoratur, quod *aedificaverit altare Domino*, qui apparuerat ei, et invocaverit nomen ejus, Gen. 12,

v. 7. c. 13, v. 18. c. 21, v. 33. Idem de Noaho justitiae praecone, 2. Petr. 2, v. 5. ac reliquis patriarchis est judicium. *2. Sacerdotes Leviticos* divinitus fuisse ad ministerium vocatos dubitari nequit. Aaronis solennis vocatio describitur Exod. 28, v. 1: *Applica ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, ut sacerdotio fungantur mihi Aaron, Nadab et Abihu, Eleazar et Ithamar.* De reliquis Levitis exstat praeceptum Num. 1, v. 49: *Levitas constitues super tabernaculum testimonii et cuncta vasa ejus et quidquid ad illud pertinet*, quo respiciens pius rex Ezechias ad sacerdotes ac Levitas dicit 2. Par. 29, v. 11: *Vos elegit Dominus, ut stetis coram illo et ministretis illi.* Nec diffiteri possunt adversarii de honore sacerdotali in genere dictum esse Hebr. 5, v. 4: *Nemo sibi sumit eum honorem, nisi vocetur a Deo, sicut et Aaron. 3. Prophetae* ubique ad divinam missionem provocant, Esa. 6, v. 8: *Audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam et quis ibit nobis? et dixi: Ecce ego, mitte me; v. 9. et dixit: Vade et dices populo huic.* Jer. 1, v. 4: *Factum est verbum Domini ad me, dicens*, v. 5. *priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te et prophetam in gentibus dedi te.* Ose. 1, v. 1: *Factum est ad me verbum Domini.* Idem judicium de reliquis prophetis, unde Luc. 1, v. 70. Zacharias dicit, *quod locutus sit Dominus per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum ejus*, et apostolus Hebr. 1, v. 1. quod *multifariam multisque modis olim Deus locutus sit patribus per prophetas. 4. De Johanne Baptista* Christi praecursore dicitur Johan. 1, v. 6: *Fuit homo missus a Deo.* Luc. 3, v. 2: *Factum est verbum Domini super Johannem. 5. Christus* Dei Filius nec munus docendi, nec opus redimendi absque vocatione aggredi voluit, unde toties ad suam a Patre missionem provocat. Matth. 10, v. 40. c. 15, v. 24. Johan. 3, v. 17. c. 5, v. 36. etc. quin imo de hac missione exstant vaticinia in T. V. Esa. 48, v. 16: *Nunc Dominus Deus misit me et Spiritus ejus*, quem locum de Christo accipiendum esse colligitur ex Johan. 18, v. 20. Esa. 61, v. 1: *Spiritus Domini super me, etenim unxit me Dominus, ad evangelizandum afflictis misit me* etc. quem locum de Christo agere colligitur ex Luc. 4, v. 18. inde etiam epist. ad Hebr. c. 5, v. 5. commendat in Christo, quod *non se ipsum clarificaverit, ut pontifex fieret* etc. *6. Apostolos* ipse Christus immediate primum vocavit ac postmodum in schola sua instructos ad evangelii praedicationem in totum orbem ablegavit. Matth. 10, v, 1: *Convocatis duodecim apostolis dedit illis potestatem spirituum immundorum; v. 5. hos duodecim misit Jesus dicens eis: Euntes praedicate* etc. Joh. 20, v. 21: *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos.* Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15: *Euntes docete omnes gentes.* Apostoli ad ecclesias scripturi vocationem suam in exordiis epistolarum diligenter et scrupulose inculcant, ut se a Deo missos et pro ministris ecclesiae legitimis habendos esse comprobent; hinc illud: *Paulus vocatus apostolus*, Rom. 1, v. 1. 1. Cor. 1, v. 1. 2. Cor. 1, v. 1. Gal. 1, v. 1. etc. *Petrus apostolus Jesu Christi*, 1. Petr. 1, v. 1. 7. Qui in officio docendi *successerunt* apostolis, per solennem vocationem ecclesiis, quas gubernarunt, fuerunt praefecti. Actor. 14, v. 23: *Paulus ac Barnabas cum constituissent Antiochenis per singulas ecclesias presbyteros et orassent cum jejuniis, commendaverunt eos Domino.* 1. Tim. 4, v. 14: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* 2. Tim. 1, v. 6: *Moneo te, ut suscites charisma Dei, quod est in te per impositionem manuum mearum.* 1. Cor. 4, v. 17: *Misi ad vos Timotheum, qui commonefaciat vobis vias meas, quae sunt in Christo.* 1. Thess. 3, v. 2: *Misimus Timotheum fratrem nostrum et ministrum Dei in evangelio Christi ad confirmandos vos* etc. 7. Proximi apostolorum in docendi officio successores ministerium ecclesiasticum certis atque illis quidem idoneis hominibus cum consensu ecclesiae iterum XII. 2. 60.
commendarunt, neque cuivis propria auctoritate ad illud prosilire fuit concessum. 1. Tim. 5, v. 22: *Manus cito nemini imposueris, nec communicaveris peccatis alienis.* 2. Tim. 2, v. 2: *Quae audisti a me per multos testes, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint, ut alios doceant.* Tit. 1, v. 5: *Ideo reliqui te Cretae, ut oppidatim constituas presbyteros.* 8. Christus ad dextram Patris coelestis collocatus non tantum olim ecclesiae suae dedit apostolos, prophetas et evangelistas, sed etiam adhuc hodie dat eidem *pastores et doctores* Eph. 4, v. 11. non amplius immediate, sed per vocationem mediatam legitimam, quam non minus atque immediatam pro divina agnoscendam esse, postea comprobatum dabitur.

62. Excipit Schmaltzius in refut. D. Frantz. p. 376. *tantum abesse, ut animadversa et considerata consuetudo ecclesiae V. et N. T. commonefacere, nedum docere aliquem possit, neminem absque missione partes docendi alios sibi sumere posse, ut potius confirmare aliquem possit, necessarium non esse, ut id perpetuo observetur, cum consuetudo et necessitas tantum non contraria sint.* Respondemus: perpetua illa ecclesiae praxis nititur ordinatione et institutione divina, ut ex antea dictis conspicuum; proinde non debet necessitati opponi. Locum igitur hic obtinet illud Augustini lib. 4. de bapt. contra Donat. c. 4: *Ratio et veritas consuetudini praeponenda sunt, sed si consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Nec sine insigni absurditate dici potest, consuetudinem et necessitatem mandati sibi invicem perpetuo opponi; de parentibus Christi dicitur Luc. 2, v. 24: quod κατὰ τὸ ἔθος Hierosolymas in festo paschatis adscenderint, quod ipsum faciebant necessitate mandati, Exod. 23, v. 17. Deut. 16, v. 16. Theophilus Nicolaides in defens. tract. Socin. de ecclesia et missione ministr. c. 1. p. 143. in specie quaedam ad dicta excipit: *1. locum 1. Tim. 4, v. 14. non de munere docendi, sed de gratia Dei, quae erat in Timotheo, id est de*

donis spiritualibus, quae ei miraculoso modo contigerant, loqui asserit. Respondemus: non negamus, per τὸ χάρισμα proprie spiritualia dona intelligi, sed ex eo inferri nequit, missionem et ordinationem Timothei non posse ex hoc textu deduci, quia dona illa spiritualia Timotheo contigerant in ipsa vocatione et ordinatione, quae per impositionem manuum Pauli et presbyterorum peragebatur. Cogitur id agnoscere Nicolaides veritatis fulgore convictus, ideo addit: *Munus docendi contigerat Timotheo per prophetiam, id est per suffragia virorum primariorum in ecclesia Christi cum impositione manuum presbyterii.* Aliter igitur excipit subjungens; *Etsi concedatur, Paulum per manuum impositionem misisse Timotheum, quid hinc efficiet respondens* (Miedzebozius) *hocne, ut omnis, quicunque docendi munus subit, ab aliquo mittatur? atqui a specie ad genus non valet affirmans conclusio. Potuit tunc mitti Timotheus a Paulo vel etiam ab aliis senioribus ecclesiae, non quia id ad munus illius docendi esset necessarium et quod sine missione Timotheus docere alios non potuisset, sed quia tunc sic requirebat ordo et decorum ecclesiae.* Respondemus: 1. Photinianorum theorema est, eos, qui non proferunt novam et prius inauditam doctrinam, non opus habere peculiari aliqua missione. Illi merito opponitur exemplum Timothei, qui non protulit in ecclesia Ephesina, cujus constitutus erat episcopus, novam doctrinam, et tamen peculiariter missus et ordinatus fuit ad ministerium, quin imo de Tito diserte dicitur, *quod eo fine relictus fuerit Cretae, ut constitueret oppidatim presbyteros,* Tit. 1, v. 5. 2. A specie ad genus non quidem perpetuo licet argumentari, interim ab enumeratione omnium specierum ad genus, a sufficiente inductione omnium exemplorum ad generalem quandam regulam et ab illis, quae eodem sese modo habent, nec patiuntur ἔνστασιν quandam contrariam, ad universale pronuntiatum licet procedere. Sic Paulus Roman. 4. ex Abrahae et Davidis exemplis probat, justificationem fidei gratuitam, quia quomodo Abraham et David justificati sunt, eo modo justificantur omnes pii, nec potest contrarium dari
XII. 2. 61. exemplum eorum, qui aliter fuerint justificati. Pari ratione in hac quaestione de vocatione ministrorum sese res habet. Ut enim Timotheus non praedicavit absque missione, ita nullus patriarcharum, prophetarum, apostolorum et aliorum ecclesiae doctorum absque missione praedicavit; proinde ex Timothei exemplo recte infertur generalis regula, quod nemo absque missione praedicare debeat. 3. Qualis ordo et quale decorum ecclesiae olim requisivit Timothei missionem, talis ordo et tale decorum ecclesiae adhuc hodie ministrorum missionem requirit. Jam vero ordo ille non fuit arbitrarius et ἀδιάφορος, sed vi mandati divini, exempli apostolici et salutis ecclesiae necessarius. Ergo adhuc hodie talis ordo ministrorum missionem requirit, id quod ex parte agnoscit Nicolaides statim subjungens: *Nimis turpe fuisset, in bene jam constituta republica tantam esse confusionem* (ἀταξίαν) *et ea negligi, quae ad eam ornandam pertinebant, ut etiam hodie indecorum esset, absque certo ordine et decoro eos constitui, qui alios docturi sunt, siquidem sunt coetus constituti, et in illis seniores.* Quae de defectu necessariae et generalis cujusdam hac in re constitutionis addit, de illis ex praecedentibus judicari potest 2. In loco 1. Timoth. 5, v. 22. *non de ordinatione ministrorum, sed de recipiendo peccatore lapso agi,* c. 2. defens. p. 177. Respondemus: Imo vero ubicunque in historia et epistolis apostolorum mentio fit impositionis manuum, ibi ut plurimum exprimitur ceremonia in ministrorum ordinatione ac missione adhiberi solita. Actor. 6, v. 6. c. 13, v. 3. 1. Tim. 4, v. 14. 2. Tim. 1, v. 6. adhibita etiam fuit haec ceremonia in collatione miraculosorum Spiritus sancti donorum, Actor. 8, v. 17. et in miraculis, Actor. 9, v. 12. c. 19, v. 6. c. 28, v. 8. sed quod in recipiendis peccatoribus lapsis eadem ab apostolis fuerit adhibita, nuspiam legitur, gratis igitur asseritur, quod hoc dictum apostolicum de receptione illa sit intelligendum. Nec obstant nostrae interpretationi verba sequentia; *Ne communices peccatis alienis,* haec enim vel continent peculiare praeceptum a priore distinctum, vel sunt αἰτιολογικά, quare scilicet nemini cito commendandum sit ministerium, nimirum ne talis neophytus sine accurato judicio et examine electus turbas in ecclesia excitet, quarum causa ex parte nobis tribui posset. Vide Ambrosium et omnes veteres in hoc loco.

63. Tertia argumentorum classis complectitur varias rationes ex Scriptura deductas. 63. tio
1. A causarum momentis. Quodcunque nititur causis gravissimis, Dei honorem, ecclesiae salutem et conscientiae tranquillitatem concernentibus, non potest nec debet in ecclesia praetermitti. Sed vocatio ministrorum nititur causis ejusmodi. Ergo. Assumtum probatur, quia causae, propter quas publice in ecclesia docentes oporteat habere vocationem legitimam, adduc possunt longe gravissimae, quae ita comparatae sunt ut quaedam respiciant *Deum*, quaedam *auditores*, quaedam ipsos *verbi ministros.* Dei quidem causa, ut ipsius institutioni, voluntati atque ordinationi satisfiat, Rom. 10, v. 15. Hebr. 5, v. 4. Non vult immediate nobiscum agere nec doctores immediate mittere, sed per legitimam et ordinariam vocationem ecclesiae suae doctores praeficere; quisquis ergo eam contemnit, divinae ordinationi reluctatur. Auditorum causa, ut illi de legitima ministrorum vocatione certi reddantur, quod Deus his ipsis personis legitime vocatis in opere convertendi et salvandi homines uti velit. Item quod velit illis in ministerio ipsius nomine gesto sua gratia et Spiritus sancti efficacia adesse, donis necessariis eos instruere, laboribus ipsorum benedicere, contra adversarios tueri etc. quae consideratio reverentiam et obedientiam erga ministerium in animis auditorum excitat. Nec utile solum, verum etiam necessarium est, ut constet auditoribus de doctrina ministri futuri, qualis ea sit et a quibus eam didicerit, proinde etiam exploratione, ordinatione ac testimoniis opus est. Ipsius ministr

causa, ut ex vocatione certus esse possit, Deum velle opera sua in ministerio uti, indeque firmam concipere fiduciam, quod Deus velit per ministerium suum ad conversionem et salutem auditorum esse efficax, absque hac fiducia nec pro successu ministerii et auditorum salute precari, nec in tantis mundi odiis ac periculis firma consolatione sese erigere poterit, inde vocatio ac defensio in ministerio conjunguntur. Esa. 49, v. 1: *Dominus ab utero vocavit me, v. 2. et posuit os meum quasi gladium acutum, in umbra manus suae protexit me et posuit me sicut sagittam politam, in pharetra sua abscondit me.* Jerem. 1, v. 7: *Ad omnia ad quae mittam te, ibis et universa, quaecunque mandavero tibi, loqueris; v. 8. ne timeas a facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te, dicit Dominus.* Inde quoque vocatio et successus in ministerio conjunguntur. Esa. 51, v. 16: *Ponam verba mea in ore tuo et in umbra manus meae protegam te ad plantandum coelos et fundandam terram.* Esa. 59, v, 21: *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo* etc. 2. Cor. 3, v. 3. Deus vult per nostrum ministerium *legem scribere in cordibus; ad haec quis idoneus? v. 5: Sufficientia nostra ex Deo est, v. 6. qui et fecit nos idoneos ministros novi testamenti.* 2. Cor. 2, v. 12: *Ostium mihi apertum est*, nimirum quia ostiarius Spiritus s. aperuit per legitimam vocationem, Joh. 10, v. 3. Vide omnino Dn. D. Chemnicium in loco de ecclesia, c. 4. membr. 1. p. 316. ubi pluribus recenset causas, propter quas tanti referat, ministrum habere legitimam vocationem. *2. A comparatis.* Nullus legatus absque vocatione et peculiari mandato officii illius partes suscipit. Jam vero omnes ministri ecclesiae sunt legati Dei, 2. Cor. 5, v. 50. Ergo nullus minister ecclesiae absque vocatione officii illius partes suscipiat. Nemo gubernationem domus et oeconomiae administrationem sibi vendicat, nec familia quenquam recipit atque audit, nisi quem ipse *οἰκοδεσπότης* domui suae praefecerit et audiendum domesticis suis commendaverit. Jam vero ecclesia est *domus Dei*, 1. Tim. 3, v. 15. Hebr. 3, v. 6. Ministri ecclesiae sunt *oeconomi* in hac domo, 1. Cor. 4, v. 1. Ergo domus hujus administrationem non suscipiant, nec Christi familia illos audiat, nisi sint per vocationem a Deo ipso huic oeconomiae praefecti. Nullus pro milite censendus, qui non fuerit a capitaneo in numerum militum allectus et sacramento militiae obstrictus. Sed ministri ecclesiae peculiari quadam ratione dicuntur milites, qui prae reliquis piis, qui et ipsi sub Christi vexillis pugnant, et generali ratione milites dicuntur, praedicatione verbi, precibus maxime seriis, haeresium confutatione etc. adversus Satanam et ipsius squamas pugnant. 2. Tim. 2, v. 3: *Tolera adversa sicut bonus miles Jesu Christi; v. 4. nemo militans implicet se negotiis secularibus.* Ergo ministri ecclesiae peculiarem illam militiam non aggrediantur, nisi a coelesti capitaneo Christo in eam adsciscantur. Magistratus officium nemo administrare debet absque vocatione, qui enim proprio ausu illud invadit, tyrannidis vel certe seditionis fit reus. Ergo etiam ecclesiasticum ministerium nemo debet sibi vendicare absque vocatione. *3. Ab incommodis.* Qui in ecclesia publicum docendi officium absque vocatione sibi arrogat, invadit alienam possessionem, non est Dei legatus et minister, sed fur et latro, cum non intret per ostium, nec est minister ecclesiae, cum non sit ab ea vocatus, turbat ordinem a Deo constitutum, introducit *ἀκαταστασίαν*, cujus Deus non est auctor, 1. Corinth. 14, v. 33. repugnat exemplo Christi, prophetarum et apostolorum, qui omnes non nisi missi et vocati praedicarunt, facit augustissimi hujus muneris dignitatem vilescere, privat se ipsum necessaria consolatione et accersit sibi infelices ut plurimum exitus etc. Quae omnia ac singula ex defectu vocationis oboriri solere et sacrae literae, et historiae ecclesiasticae testantur, hinc gravissime scribit D. Lutherus tom. 4. Lat. Jen. fol. 9: *Non fortunat Deus labores eorum, qui non sunt vocati, et quanquam salutaria quaedam afferant, tamen non aedificant.* Vide etiam tom. 5. Jen. Germ. fol. 290. tom. 6. f. 467. **Idem tom. 2. Lat. f. 553: *Exspecta vocantem, interim esto securus, imo si esses sapientior ipso Salomone et Daniele, tamen nisi voceris, plusquam infernum fuge, ne verbum effundas; si tui eguerit, vocabit te; si non vocabit, non te rumpet scientia tua, nemo fructificat verbo, nisi qui sine suo voto vocatur ad docendum; qui autem non vocatus docet, non sine damno et suo et auditorum docet, quod Christus non sit cum eo.***

64. Huic sententiae nostrae adversantur 1. *Anabaptistae*, qui absque omni vocatione cuivis docendi in ecclesia potestatem faciunt, qua ratione ecclesia statuitur coetus quidam promiscuus, in quo nec donorum, nec laborum, nec vocationum ratio habeatur. D. Chemnicius part 3. locorum c. de ecclesia p. 314: *Anabaptistae dicunt, si quis doctrinam evangelii intelligat, sive is sit sutor, sive sartor, sive faber, eum docere et concionari debere.* Gastius de Catabaptist. erroribus libr. 1. p. 35: *Catabaptistae sumunt sibi omnes praedicandi officium atque de aliis, qui legitime a Christianis ecclesiis inauctorati sunt, sciscitantur. Quis te elegit? cum isti ne a sua quidem cacoecclesia mittantur.* 2. Anabaptistis affines sunt *Photiniani*, qui itidem vocationis necessitatem in ecclesiae ministris negant. Socinus in tract. de eccles. p. 14: *Quid est, cur a nostris ministris requirant, ut legitimum sui muneris auctorem ostendant? An non cuivis Christiano homini licet, etiam sine speciali ullo sibi legitime demandato ejus rei munere, caritatem erga proximum exercere? An non opus caritatis plane est ad apostolicam doctrinam Christique evangelium complectendum ac retinendum, id est aeternae salutis viam ingrediendam alios cohortari divinaque oracula, quae omnibus sunt proposita, illis explicare? p. 16: Ordine licet isto* (in ecclesia) *constituto, etiam cum quis a recepta doctrina recedere non vult, posse tamen Christi fideles extra ordinem pro ratione loci et temporis verbi Dei prae-*

XII. 2. 63. Antithesis 1. Anabaptistarum.

2. Photinianorum.

dicandi munus sua sponte aggredi. Theoph. Nicolaides in defens. tractat. Socin. de eccles. et missione c. 1. p. 146: *Erravit Lutherus a Munzero (Anabaptista) legitimam functionem flagitans. Non quid Lutherus fecerit, sed quid facere hac in re debuerit, quaeritur.* c. 2. p. 177: *Nullam missionem agnoscimus, quomodo igitur ad eam aliquid requiri dicere possumus?* Catech. Racoviensis German. major tit, de eccles. c. 2. p. 344. proponit quaestionem: Iſts nicht nöthig, daß die, ſo Andere lehren und Ordnung in des Herrn Gemeine unterhalten, auf eine ſonderbare Weiſe geſandt werden? Ad quam respondet negate addita ratione duplici, quod *non proferant novam doctrinam, sed apostolicam jam olim receptam, et quod in descriptione requisitorum episcopi nulla fiat mentio missionis.* Ostorodus in instut. German. c. 42. p. 438: Es kann ein Jeder lehren, wenn er ſchon nicht geſandt iſt, ſintemal ſolches nicht verboten iſt, noch irgend eine Gefahr in ſich hat. Et postea: Iſt derhalben nicht nöthig, daß man gedenke, als wenn einer Unrecht thäte, ſo er von ſich ſelber, das iſt ohne Sendung, das Lehramt auf ſich nimmt, ſintemal ein ſolch Werk aus der rechten chriſtlichen Liebe herkommt. p. 440: Iſt derhalben nicht nöthig, daß da zu jetziger Zeit Jemand das Evangelium predigt, ja wenn er's ſchon nicht durchaus verſtünde (gleich wie auch Apollos vom Anfang) er geſandt ſei, viel weniger aber, daß er ſeine Sendung beweiſen müſſe. A. R. (forte est Andreas Radeccius) in notis ad libr. Smiglecii, quem vocat refutationem vanae dissolutionis nodi sui Gordii edit. Racov. 1614. p. 3: *Confitemur, et olim ministros ecclesiae vocari potuisse, imo vocatos fuisse, et nunc etiam vocari posse. An vero id quod olim factum est et hodie fieri potest, ad munus ministrorum constituendum requiratur, hoc vere et perpetuo quaeritur, quod Smiglecius probare nequit.* Schmaltzius in refut. thes. D. Frantzii part. 2. disp. 4. p. 377: *Non negamus, ex ista consuetudine primitivae ecclesiae apostolicae consequi, illud etiam jure fieri posse hodie, quod olim fiebat, et si ecclesia semper*
XII. 2 64. *incorrupta mansisset, non dubitamus, quin valde justum fuisset, ut modus iste ordinandi ministros observaretur, quemadmodum etiam nunc, ubi est constituta respublica Christiana, valde decorum arbitramur, ut id observetur; sed non hoc potissimum quaeritur, hoc enim in quaestione est, an hujusmodi constitutio sit prorsus necessaria ad constituendum verbi Dei ministrum. Hoc autem nos negamus. Nihil enim tale, quod caput rei est, legimus in descriptione eorum, quae ad episcopum constituendum requiruntur etc. nec uspiam alibi indicatum vel levissime videmus, eum, qui talis sit, postea vocari et mitti ab aliquo debere, imo posse aliquem per se munus tale concupiscere vel affectare, manifeste scriptum legimus.*

Argumenta Photinianorum 1. Ex Scripturae dictis 1.

65. Nituntur hanc suam opinionem confirmare: 1. *scripturae dictis*, 2. *exemplis*, 3. *rationibus.* Ad primam classem referunt haec dicta: 1. Cor. 14, v. 29: *Prophetae duo vel tres loquantur, ac reliqui dijudicent.* v. 30: *Quodsi alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Ergo omnes publico praedicandi officio fungi possunt absque peculiari vocatione.* 1. 14
Respondemus: Certum est, apostolum ibi non loqui de promiscuo piorum coetu (id enim evidenter colligitur ex verbis praecedentis c. 12. hujus epist. v. 29. *numquid omnes prophetae)*, sed de certo quorundam piorum ordine, quis autem ille fuerit, sententiae variant. Ex nostris plerique prophetarum nomine intelligunt *ordinarios ecclesiae doctores* prophetiae, id est Scripturam interpretandi, dono instructos. Ex Act. 13, v. 15. colligi potest, quod olim in ecclesia primitiva talis docendi modus usitatus fuerit, ut post hymnos decantatos locus aliquis Scripturae praelegeretur ac deinde unus ex ecclesiae doctoribus surgeret, qui locum illum praelectum exponeret ac doctrinas ex eo deduceret. Is cum dicendi finem fecisset, alius surgebat, pollens et ipse prophetiae sive scripturas interpretandi dono, qua ratione non unus tantum, sed duo vel tres etiam erant concionatores, qui per vices loquebantur. Eo existimant respicere apostolum his verbis, quando praecipit, ut qui inter Corinthios dono interpretandi Scripturam instructi sunt, publice doceant, per vices scilicet; nequaquam vero ex eo inferri posse, quod omnibus absque ulla vocatione licitum esse debeat publice in ecclesia docere, quia statim subjicit apostolus v. 32: *Non est Deus confusionis, sed pacis et ordinis Deus.* Socinus vero in explicatione loci Matth. 16. quae subjungitur tractatui de ecclesia, p. 67. statuit, per prophetas in hoc loco apostolico intelligi eos, *qui occultiora quaedam ad Christianam religionem pertinentia aperuerunt.* Ex quo sic colligimus: Illorum prophetarum officium aut fuit distinctum ab officio ordinariorum ecclesiae doctorum, aut idem omnino cum ipso. Si prius (quod videtur Socinus statuere, et magis congruit cum locis apostolicis Eph. 4, v. 11. 1. Cor. 12, v. 28. ubi prophetae a doctoribus et pastoribus distinguuntur), argumentum est a quaestione alienum, neque enim de extraordinario et primitivae ecclesiae proprio talium prophetarum officio, sed de ordinariis ecclesiae doctoribus hoc loco inter nos et Photinianos quaestio est, an scilicet ad illorum officium requiratur peculiaris vocatio. Si posterius, statuendum omnino est, prophetas illos non fuisse vocatione destitutos ob argumenta superius allata, licet in specie illorum vocatio non describitur, neque enim in historicis negative ex Scripturis argumentari licet.

66. 2. 1. Tim. 3, v. 1: *Fidelis sermo, si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Si licet concupiscere munus alios docendi, falsum est expectari necessario debere, donec aliquis ab alio mittatur.* Ita colligit Theoph. Nicolaides in defens. tract. de eccles. et miss. ministr. c. 1. p. 141. 2. 3.
Respondemus: per τὸ ὀρέγεσθαι καὶ ἐπιθυμεῖν nequaquam eo in loco intelligi debet ministerii ecclesiastici absque missione et vocatione privato arbitrio suscepta administratio, neque violenta in hoc officium intrusio, neque illegitima et malis artibus impetrata vocatio (haec enim omnia divinae voluntati in Scri- XI

pturis expressae et canonibus ecclesiasticis adversantur, Jer. 23, v. 21: *Non misi prophetas, et ipsi cucurrerunt*), sed ordinatum et pium illud desiderium, quo quis ecclesiae operam suam modeste offert, judicium de se aliis committit et legitimam vocationem exspectat ac paratus est cum propheta Esaia Deum vocantem sequi, Esa. 6, v. 8: *Dixi, ecce ego, mitte me*; interim tamen si hujus voti ac desiderii sui non fiat compos, divinae voluntati reverenter se submittit nequaquam indigne ferens, sese aliis posthabitum, sed cum Davide dicens: *Si dixerit mihi Deus, non places, praesto sum, faciat mecum, quod bonum est, coram se*, 2. Sam. 15, v. 26. Apostolus ibidem certam normam ac formam praescribit, ad quam ecclesia in eligendis ac constituendis ministris respicere debet, nequaquam igitur inordinato absque vocatione currentium desiderio patrocinatur, unde Ambrosius in comm. h. l. sic scribit: *Quoniam episcopum bonae vitae esse oportet, idcirco qui episcopatum cupit, bonum opus desiderat. Hoc enim cupiens bonam vitam appetere videtur, si tamen non ab iis declinet, quae in subjectis habentur, ne ambitione et desiderio pecuniae hoc egisse videatur.*

3. 1 Petr. 2, v. 9: Vos estis regale sacerdotium.

67. 3. 1. Petr. 2, v. 9: *Vos estis regale sacerdotium, ut annuntietis virtutes ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Apoc. 1, v. 6: *Christus fecit nos reges et sacerdotes Deo et Patri suo.* c. 5, v. 9. et 10: *Redemisti nos Deo et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes. Ergo omnes absque peculiari vocatione docere possunt.* Respondemus: 1. Quemadmodum ex eo, quod credentes dicuntur *reges*, nequaquam colligi potest, quemlibet ipsorum absque vocatione magistratus officio fungi posse, cum de regibus spiritualibus apostoli loquantur; ita nec ex eo, quod credentes dicuntur *sacerdotes*, colligi potest, quemlibet ipsorum absque vocatione ministerio ecclesiastico fungi posse, cum itidem de spiritualibus sacerdotibus sermo sit. 2. Dicuntur enim spirituales sacerdotes non respectu muneris ecclesiastici, cum Teoph. Nicolaides defens. tract. de miss. minist. c. 1. p. 139. ipsemet agnoscat, *ubicunque vox sacerdotis de Christiano populo legitur, tam auditoribus quam doctoribus eam competere*, id quod ex ipsis loci cujusque circumstantiis ad oculum demonstrari posse addit. 3. Sed respectu spiritualium hostiarum Deo offerendarum, sicut ipse Petrus exponit, v. 5. anteced. *vos estis sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum Jesum.* Tales sunt: precatio, Psalm. 141, v. 2. Apoc. 5, v. 8. c. 8, v. 4. gratiarum actio, Hebr. 13, v. 15. beneficentia erga pauperes, Phil. 4, v. 18. Hebr. 13, v. 16. mortificatio veteris hominis, Rom. 12, v. 1. martyrium propter Christum susceptum, Phil. 2, v. 17. 2. Tim. 4, v. 6. etc. tales hostiae ab omnibus piis tanquam spiritualibus sacerdotibus offerri possunt. Augustinus in Psalm. 94: *Si nos sumus Dei templum, ara Dei anima nostra est. Sacrificium Dei quid est? imponimus in ara sacrificium, quando Deum laudamus.* Idem lib. 20. de civ. Dei c. 10: *Dicimur sacerdotes, quia membra sumus unius sacerdotis.* 4. Quamvis vero ad spirituales hostias etiam pertineat evangelii praedicatio, Mal. 1. v. 11. Rom. 15, v. 16. tamen ex apellatione spiritualium sacerdotum omnibus piis attributa non potest inferri, ad omnes pertinere hanc spiritualem hostiam, evangelii scilicet praedicationem in publico ecclesiae coetu susceptam, siquidem ratio denominationis petitur a reliquis spiritualibus hostiis, quas omnes offerre possunt, non autem ab hac, quae nequaquam omnibus communis est. 5 Id quod evidenter colligitur ex verbis apostoli 1. Cor. 12, v. 29: *Num omnes sunt prophetae, num omnes doctores?* Omnes credentes sunt spirituales sacerdotes, neque tamen statim omnes sunt doctores vel prophetae, cum non omnes dono prophetiae instructi sint, neque ad ecclesiae ministerium vocati. Eph. 4, v. 11: *Dedit alios apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios doctores et pastores in opus ministerii.* XII. 2. 66. Ergo ut non omnes sunt prophetae vel apostoli, ita quoque non omnes sunt pastores et doctores. 6. Neque quidquam roboris inest ἐνστάσει, quod Petrus addat, pios esse *regale sacerdotium, ut annuntient virtutes ejus, qui de tenebris eos vocavit in lumen suum admirabile*; distinguendum enim inter generale mandatum et vocationem, quam omnes pii in Christianismi investitura accipiunt, quave ab illis requiritur, ut debita laudum praeconia Deo persolvant, a quo ad ecclesiae consortium vocati sunt, verbis et factis eundem confiteantur, suos privatim in vera pietate instituant, Deut. 6, v. 20. curent *verbum Christi abundanter inter se habitare seque invicem doceant et commonefaciant psalmis, hymnis et canticis spiritualibus*, Eph. 5, v. 19. Coloss. 3, v. 16. verboque Dei sese invicem consolentur, 1. Thess. 4, v. 18 etc. et inter specialem vocationem, qua ministerium verbi et sacramentorum in publico ecclesiae coetu administrandum certis personis ad illud idoneis publico ecclesiae consensu demandatur, quam vocationem non esse omnibus Christianis communem, patet ex 1. Cor. 12, v. 29. Eph. 4, v. 11. Jac. 3, v. 1. 7. Ad hanc specialem vocationem pertinet sacramentorum administratio, ut colligitur ex 1. Cor. 4, v. 1. jam vero nuspiam omnibus fidelibus mutua sacramentorum administratio vel praecipitur, vel permittitur. Ergo nec publicum verbi ministerium ad omnes pertinet. Negat quidem Socinus et ejus hyperaspistes Theoph. Nicolaides, sacramentorum administrationem ordinarie ad certas personas, ecclesiae scilicet ministros, pertinere; sed hoc ipsum suo loco late a nobis confirmatum fuit.

2. Ex variis exemplis 1. eorum, qui post mortem Stephani hinc inde dispersi.

68. Ad secundam argumentorum classem pertinent: 1. *Exempla* eorum, qui a morte Stephani hinc inde dispersi evangelium praedicarunt, Act. 8, v. 4. c. 11, v. 19. ut Philippi Act. 8, v. 5. et Apollo Act. 18, v. 24. et seqq. *Quia illi praedicarunt non missi ab apostolis, nisi enim persecutio accidisset, urbe patria nunquam exivissent, hinc consequens est, posse aliquem, qui non est missus, tunc etiam, cum ordo servatur et a doctrina recepta non receditur,*

evangelium praedicare. Socinus tract. de eccles. p. 17. Ostorod. in instit. c. 42. p. 437. Theoph. Nicolaides circa finem defensionis Socinianae p. 183, Respondemus: 1. Gratian. Prosper Photinianus in instrumento doctrinarum Aristotelico p. 36. reliquis Photinianis contradicit statuens, *Philippum evangelistam ab apostolis fuisse missum.* 2. Dictum apostolicum Rom. 10, v. 15: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur*, omnes Photiniani accipiunt de tempore praedicati primum evangelii, quo doctrina illa adhuc erat nova et hactenus non audita, ut apparet ex Socino, Ostorodo, Theoph. Nicolaide locis proxime citatis et catech. Racov. p. 346. quae sic loquitur: Der Apoſtel redet in denſelben Worten nicht von einer jeden Verkündigung, ſondern allein von Verkündigung neuer Dinge, ſo zuvor nicht gehöret, wie ſolche eine den Apoſteln und anderer damals ihrer Mithelfer (NB.) Verkündigung war, welche gänzlich (NB.) einer Sendung bedürfte. Jam vero Philippus et Apollo praedicarunt eo tempore, quo evangelii doctrina erat nova et hactenus non audita. Ergo ex hypothesi Photinianorum et ex recepta ab ipsis dicti apostolici interpretatione peculiaris vocatio omnino ipsis fuit necessaria. 3. Si vel maxime Lucas in historia Actorum brevitatis studio peculiarem illorum vocationem non insinuasset ac nihil quidquam de ea scriptum reliquisset, ex eo tamen nondum colligi posset, ipsos sine vocatione praedicasse, quia in historicis ex Scriptura non potest negative inferri. 4. Philippus una cum aliis sex in numerum diaconorum fuit cooptatus et manus ab apostolis ipsi impositae, Act. 6, v. 5. et 6. Quamvis vero diaconorum officium potissimum esset *mensis ministrare*, v. 2. hoc est providere fidelibus de necessaria sustentatione in illa bonorum communione, tamen docendi officium ab eo non fuisse plane semotum ac sepa-
XII. 2. 67. ratum, colligitur ex eo, quod de Stephano, ex eodem diaconorum ordine, v. 8. annotatur, ipsum *plenum fide et virtute fecisse prodigia et signa magna in populo;* v. 9. *disputasse cum adversariis veritatis, qui non potuerint resistere sapientiae et Spiritui, qui per illum loquebatur.* Si diaconis una cum ministerio mensae non fuisset simul commendatum docendi officium, quorsum opus fuisset in electione diaconorum dispicere de *viris plenis Spiritu sancto et sapientia?* v. 3. Certe ad nudum mensae ministerium tanta Spiritus sancti dona ac tanta sapientia, id est doctrinae coelestis cognitio tam solida, non fuisset requisita. 5. Idem colligitur ex eo, quod Philippus expresse vocatur *evangelista* Act. 21, v. 8. ab officio scilicet evangelii praedicati, unde *evangelistae* conjunguntur prophetis, apostolis, pastoribus et doctoribus, Eph. 4, v. 11. 6. De Apollo Act. 18, v. 24. dicitur, quod fuerit *vir eloquens, potens in Scripturis*, v. 25. *is edoctus viam Domini et fervens spiritu docebat diligenter ea, quae sunt Jesu, sciens tantum baptisma Johannis*, id est in schola Johannis Baptistae informatus erat, nulla apostolorum familiaritate usus, sed postea *ἀκριβέστερον* ab Aquila et Priscilla de via Domini institutus tantum profecit, ut multum contulerit eis, qui crediderant per gratiam, v. 27. unde Paulus eum ita commendat, ut suum in ministerio sive docendi officio collegam ipsum constituat, 1. Cor. 3, v. 6: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus dedit incrementum.* Ac si Apollo absque vocatione praedicasset, quomodo ad tantum auctoritatis culmen apud Corinthios fuisset evectus, ut quidam ab eo non minus quam alii a Paulo et Petro sese denominarent? 1. Cor. 1, v. 12. Negari igitur non potest, Philippum et Apollo divinam vocationem ad docendum habuisse. 7. Act. 13, v. 3. Paulo et Barnaba peculiari Spiritus sancti oraculo ad docendum segregatis, reliqui tamen ecclesiae Antiochenae prophetae et doctores manus prius imponunt, antequam illos dimitterent. Ecquis igitur credet, Philippum et Apollo absque omni vocatione praedicasse, nec manus illis fuisse prius ab apostolis impositas, et hac ratione docendi ministerium iisdem commendatum?

69. 2. 1. Cor. 16, v. 15. *de illis, qui erant ex familia Stephanae dicitur, quod in ministerium se ipsos ordinaverint.* Respondemus: quidam per *διακονίαν* intelligunt ministerium perferendi collectam fratribus pauperibus, qui erant Hierosolymis, cum de eo inprimis hic agi totus contextus ostendat, sed quia cum illa *διακονίᾳ* docendi officium conjunctum fuit in Stephanae domesticis, ut ex eo colligitur, quod v. 16. apostolus subjungit, *ut et vos subditi ipsis sitis et omni cooperanti et laboranti*, scilicet in verbo, ideo convenientius respondetur, phrasin illam *ἔταξαν ἑαυτούς* recte accipiendam esse. Neque enim is sensus illius est, quod absque ulla vocatione docendi ministerium susceperint, sed quod operam suam obtulerint apostolis, a quibus missi, et ecclesiae, a qua vocati sunt. Cum enim in primitiva ecclesia propter flagrantes persecutiones, pericula plurima et difficultates maximas multi a functionibus ecclesiasticis abhorrerent, referente Augustino epist. 204. ad Donatum, quod ipsum etiam colligitur ex verbis Christi, Matth. 9, v. 38. jubentis, *rogari Dominum messis, ut ἐκβάλῃ, extrudat, operarios in vineam suam*, illi, qui de familia Stephanae erant, nulla habita periculorum et difficultatum ratione ultro sese obtulerunt et hoc genus vitae laboriosissimum elegerunt, exspectata tamen prius legitima ad illud vocatione, quod homini pio et ad ministerium necessariis donis instructo licitum esse docet apostolus 1. Tim. 3, v. 1. Ipsum quoque *τάξεως* vocabulum ostendit, nihil quidquam *ἀτάκτως*, temere vel praecipitanter contra ordinem divinitus constitutum, ab ipsis fuisse gestum. Apud Xenophontem dicitur, *ἐμαυτὸν τάττω εἰς τοὺς βουλομένους*, quod Budaeus vertit *in eam classem me adopto*, ubi tamen non excluditur aliorum vocatio. Apud Demosthenem:
ὃς γὰρ ἑαυτὸν τάξας τῶν ἀπιστούντων εἶναι Φιλίππῳ ηὐτομόλησε, qui se inter eos censeri et haberi voluit; XII.
quae significatio etiam ad hunc locum accommodari potest. Ac notant Grammatici, *τάττειν* significare eam potissimum collocandi rationem, qua milites collocantur, quando acies instruitur. Ut ergo militum

2. E qui runt fam Ste nae

in acie collocatio non excludit aliorum ordinationem, ita nec domesticorum Stephanae τάξις ad ministerium excludit aliorum vocationem. Conjunge Actor. 13, v. 48.

Ex ra-...nibus ...ae ...nt: Re-...isiti ...jus in ...noni-...s apo-...olicis ...steri-...o.

70. Ad tertiam classem pertinent sequentes rationes. 1. *In canonibus apostolorum, quibus describuntur omnia, quae pertinent ad constituendos episcopos et doctores, nulla fit mentio missionis vel vocationis, unde concludimus, eam ad ipsam muneris episcopalis substantiam et naturam nullo modo requiri.* Theoph. Nicolaides in def. miss. ministr. c. 1. p. 144. *Falsum est, apostolos semper requisivisse in ministro ordinationem, Paulus enim, qui brevitati ut plurimum studet, prolixe describens proprietates et requisita episcopi nullam hujus rei mentionem facit, quam tamen omittere nullo modo potuisset, nec porro omisisset, si ad naturam et substantiam muneris apostolici esset necessaria*, idem lib. eodem c. 2. p. 175. Respondemus: 1. Paulo ibi propositum est non de causa efficiente ministerii, de vocatione scilicet, sed de adjunctis sive requisitis ministrorum eligendorum agere, hoc est vult proponere normam ac regulam, ad quam electio ministrorum exigenda sit et juxta quam personarum ministerio praeficiendarum qualitates examinari debeant. Mirum ergo non est, quod vocationis disertam et expressam in illis verbis non faciat mentionem. 2. Si ex omissa vocationis mentione recte inferri posset, ministro ecclesiae non requiri vocationem, posset eodem modo colligi: Apostolus Rom. 13, v 1. et seqq. late describit officium magistratus, nec tamen mentionem facit peculiaris electionis vel vocationis. Ergo cuivis etiam absque electione vel vocatione licet magistratum capessere. 3. Invertimus igitur argumentum. Quia praescribit apostolus normam ac formam, juxta quam personae ministerio ecclesiastico praeficiendae examinari debent, ergo requiritur certa eademque legitima vocatio, antequam ministerii partes quispiam capessat. Nemo de se ipso vel debet vel potest judicium ferre, quod sit donis ac requisitis illis, quae apostolus enumerat, sufficienter instructus. Ergo nemo privata auctoritate munus publice docendi sibi arroget, sed aliorum judicio sese subjiciat et ligitimam vocationem prius exspectet. 4. Idem apostolus 1. Timoth. c. 5, v. 22. Timotheo praecipit, *ne cito cuiquam manus imponat*, antequam scilicet qualitates et conditiones personae ad ministerium eligendae diligenter expenderit, *ne communicet alienis peccatis*. De Tito idem scribit, Tit. c. 1, v. 5. quod *eo fine ipsum in Creta insula reliquerit, ut presbyteros oppidatim constitueret.* Utique igitur in presbyteris sive episcopis vocationem requirit.

Cla-...m ec-...siae ...nibus ...sdem ...mbris ...ta tra-...io.

71. 2. *Claves ecclesiae non uni vel alteri, sed toti ecclesiae sunt traditae*, Matth. 16, v. 19: *Tibi dabo claves regni coelorum, quod Augustinus tract. 124. in Joh. interpretatur, dictum esse Petro, ut is gerebat personam ecclesiae. Ergo ad docendi officium non requiritur peculiaris vocatio.* Respondemus: Ex dicto Christi recte quidem colligitur contra Pontificios, quod jus vocandi ministros ad totam ecclesiam, cui claves a Christo traditae sunt, pertineat, sed non potest ex eo inferri, quod omnes, qui sunt in ecclesia, etiam absque vocatione, publice docere possint, quia datae quidem sunt claves toti ecclesiae, hoc est in usum et commodum totius ecclesiae, atque ut omnibus ecclesiae ordinibus in vocatione ministrorum jus aliquod competat; interim tamen administratio illarum clavium ab ecclesia commendatur et commendari etiam vi divinae institutionis debet certis personis, illis scilicet, quos Deus constituit in domo sua oeconomos, 1. Cor. 4, v. 1. ac potestatem illis dedit claudendi et aperiendi, hoc est ligandi ac solvendi. Quodsi quis extra necessitatis casum administrationem et usum clavium sibi arroget, alienum invadit officium. XII. 2. 69.

3. Caritatis impulsio.

72. 3. *Opus caritatis Christianae quilibet in ecclesia exercere potest. Sed officium docendi est opus caritatis Christianae, imo inter omnia bona opera optimum*, Jac. 5, v. 19. et 20. *Ergo quilibet in ecclesia illud exercere potest, etiam absque peculiari vocatione.* Respondemus: 1. distinguendum est inter opera caritatis, quaedam sunt omnibus communia, quaedam vero certis personis in officio publico constitutis propria. De prioribus recte dicitur, quod ad ea exercenda non requiratur peculiaris aliqua vocatio, cum omnibus Christianis incumbat fidem suam per bona opera testatam reddere. Ad posteriora autem requiritur peculiaris vocatio, ut demonstratum fuit superius. 2. Sic magistratum gerere est bonum opus, cum *magistratus sit Dei minister in bonum*, Rom. 13, v. 4. interim tamen nemo debet se ipsum intrudere huic officio et absque vocatione partes hujus officii exercere. Legatione fungi est bonum opus, si reipublicae salutem sibi habeat propositam; interim tamen nemo debet legati nomen et partes sibi sumere, nisi a legante ipsi imponantur. 3. Caritas Christiana eo modo exercenda, ne violetur ordo divinitus constitutus, ne ἀλλοτριοεπισκοπῆς reddamur rei, ne confundantur distincta officia ac distincta vitae genera. *Convertere hominem* (scribit Dn. D. Mentzerus in exeg. August. conf. art 14. p. 662.) *est opus Christianae caritatis longe dignissimum, sed non debet illud evertere ordinem a Deo constitutum.* Cumque homo non nisi organice seu tanquam instrumentum convertere aliquem dici possit, Deus autem principalis sit conversionis causa, planum evadit, nisi a Deo vocatum et missum non posse tam divinum effectum consequi. 4. Distinguendum etiam est inter privatam familiae vel proximi informationem et inter publicam verbi praedicationem et sacramentorum administrationem. Utrumque quidem est opus bonum, interim tamen non est eadem utriusque ratio. Prius quilibet absque peculiari vocatione praestare potest ac pro viribus etiam debet; posterius non competit absolute et simpliciter omnibus, sed quibus per legitimam vocationem munus illud commissum est. 5. Limitanda igitur propositio major, si ad officium publice docendi applicetur, cum quilibet non sit aptus ad ministerium, cum publicum docendi et sacramenta administrandi officium a privata infor-

matione et communibus caritatis operibus sit distinctum, cum nulla flagitet necessitas, ut sine vocatione quilibet doceat, cum violetur ordo divinitus constitutus et εὐταξία ecclesiastica, si quilibet absque vocatione publice docere velit etc. 6. Deducimus argumentum adversariorum ad absurdum. Si quodlibet opus caritatis Christianae quilibet in ecclesia, etiam absque vocatione, exercere potest, consequens fuerit, etiam mulieres posse publice in ecclesia docere. Ratio connexionis est manifesta, quia etiam mulieres sunt ecclesiae membra, Gal. 3, v. 28: *Non est mas, nec foemella, sed omnes unum estis in Christo*. 1. Petr. 3, v. 7: *Mulieres sunt cohaeredes gratiae vitae*. Consequentis absurditatem disertis verbis docet apostolus 1. Cor. 14, v. 34: *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit*; v. 35. *si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri in ecclesia loqui*. 1. Tim. 2, v. 12: *Docere mulieri non permitto*. Ambrosius in comm. 1. Cor. 14: *Turpe est, mulierem in ecclesia loqui, quia contra disciplinam est, ut in domo Dei, qui eas subjectas viris esse praecepit, de lege loqui praesumant, cum sciant, viros illic habere primatum et sibi magis competere, ut in domo Dei precibus vacent, linguam retinentes aures aperiant* etc. Pepuziani hoc nomine haereseos in primitiva ecclesia damnati sunt, quod mulieribus verbi et sacramentorum ministerium permitterent.

XII. 2. 70. 4. Prohibita talenti defossio.

73. 4. *Qui defodit talentum suum, reprehenditur a Christo* Matth. 25, v. 26. *Sed si absque vocatione non licet alicui in ecclesia docere, facile potest contingere, ut talentum illius defodiatur.* Respondemus: totum hoc argumentum solide et perspicue exposuit Lutherus in comm. Psalm. 8. tom. 2. Jen. Lat. 96: *Huc pertinent et illi* (inquit), *qui sibi conscii magnae doctrinae suae periculum sibi somniant longe maximum, si non alios doceant causantes, sese talentum sibi datum in terra defodere et cum servo Domini duram sententiam Domini exspectare. Adeo ridiculis nugis diabolus ludit horum phantasias, quos hoc versu instructos oportet scire, nos non esse, qui docemus; nec verbum nostrum docendum, sed solum os nostrum posse verbo ejus servire, si ipse voluerit et vocaverit. Tu, inquit, perfecisti laudem, non illi, non nos. Sic et in evangelio tradidit quidem Dominus talenta servis, sed non nisi vocatis. Exspecta igitur et tu, donec voceris, interea ne ambias, ne te ingeras, non enim te rumpet scientia tua; currebant, inquit Dominus apud prophetam, et ego non loquebar eis. Multos haec tentatio misere vexat, ut eos instituti sui pigeat et poeniteat. Diabolus haec facit, ut inquietet eos, qui bene coeperunt, et tandem taedio consumat, igitur qui vocatur, praebeat os et recipiat verbum, sit organon et non auctor, qui non vocatur, oret Dominum messis, ut mittat operarios et perficiat virtutem ex ore infantium.* Haec Lutherus, quibus ut vel verbulum addamus, non est operae pretium.

74. 5. *Deus non est alligatus ordini ac mediis; ergo partes ministerii ecclesiastici in casu necessitatis a quovis peragi possunt.* Respondemus: Verbi praedicatio et sacramentorum administratio ordinarie juxta divinam institutionem pertinent ad ecclesiae ministros legitime ad illud officium vocatos, ut demonstratum. Huic ordini divinitus constituto non possunt nec debent opponi quaedam extraordinaria extremae necessitatis exempla, quae a communi quidem lege eximuntur, generalem tamen regulam minime evertunt. Sic in casu extremae necessitatis, quando homini vel sine baptismo decedendum, vel a privata persona baptismus conferendus, satius est a privato conferri baptismum, quam hominem sine baptismo decedere, nihilominus administratio baptismi ordinarie pertinet ad ecclesiae ministros, ut colligitur ex Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. ubi et praedicandi et baptizandi munus apostolis commendatur. De hoc necessitatis casu intelligenda sunt veterum dicta et primitivae ecclesiae exempla, quando tempore praedicati primum evangelii quosdam etiam privatos verbum Dei annuntiasse referunt. Origenes hom. 11. in c. 18. Num: *Sicut forte in aliqua civitate, ubi nondum nati sunt Christiani, si accedat aliquis et docere incipiat, laboret, instruat, adducat ad fidem et ipse postea iis, quos docuit, princeps et episcopus fiat* etc. Ambrosius in comm. c. 4. Eph.: *Ut cresceret plebs et multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est et evangelizare et baptizare et Scripturas in ecclesia explanare. At ubi omnia loca circumplexa est ecclesia, conventicula constituta sunt et rectores et cetera officia in ecclesiis sunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, praesumere officium, quod sciret, non sibi creditum vel concessum, et coepit alio ordine et providentia gubernari, quia si omnes eadem possent, irrationabile esset et vulgaris res et vilissima videretur. Hinc ergo est, unde nunc neque diaconi in populo praedicant, neque clerici vel laici baptizant, neque quocunque die credentes tinguntur nisi aegri.* Theodoretus lib. 1. hist. eccles. c. 23. refert de Aedesio et Frumentio fratribus, quod a *barbaris capti et ad regem Indorum deducti tandem fide et ingenio ipsorum explorato domui regiae praefecti et apud filium etiam regis successorem in magno pretio et honore habiti fuerint. Hac illi arrepta occasione coetus Christianos convocarunt et divina ministeria obierunt. Laici erant, nullo dum ecclesiastico munere* XII.
functi. Tandem multis annis post Athanasius Alexandrinus episcopus Frumentio episcopatus munus impertivit et ad animos Indorum pietatis doctrina excolendos misit. Ejusd. lib. c. 24. refert Theodoretus quod *eodem tempore mulier quaedam capta in bello Iberos ad veritatem Christianae religionis traduxerit, reginam Iberorum, quoad ejus fieri potuit, divinis praeceptis erudiverit et ut sacrosanctum templum ad honorem Christi, qui reginam morbo eripuerat, exaedificaret, hortata fuerit. Rege tandem etiam converso templum Christo exaedificatum,*

5. I divi don clar

et episcopum a Constantino imperatore petitum impetratumve. De his et similibus factis specialibus notandum, 1. quod exempla ordinaria non evertant regulam generalem et ordinem divinitus constitutum; 2. quod distinguendum sit inter ecclesiam jamdum plantatam et constitutam, atque inter ecclesiam adhuc plantandam et constituendam; 3. itemque inter vocationem et ordinationem, cum non sit eadem utriusque necessitas; 4. denique inter vocationem mediatam et immediatam, ordinariam et extraordinariam, quae omnia ex sequentibus erunt clariora. Huc etiam pertinet illud Lutheri in libro, cui titulus Grund und Urſache, daß eine chriſtliche Gemeinde Recht und Macht habe Lehrer zu berufen, tom. 2. Jen. Germ. f. 244: Hier ſprichſt du, Ja wie? Wenn ein Chriſt nicht dazu berufen, ſo darf er nicht predigen? Antwort: Hier ſollſt du den Chriſten in zweierlei Orten ſtellen. Aufs Erſte, wenn er iſt an dem Ort, da keine Chriſten ſind, da bedarf er keines andern Berufs, dann daß er ein Chriſte iſt, inwendig von Gott berufen und geſalbet, da iſt er ſchuldig den irrenden Heiden oder Unchriſten zu predigen und zu lehren das Evangelium aus Pflicht brüderlicher Liebe, ob ihn ſchon kein Menſch dazu beruft, 2c. denn Noth bricht alle Geſetze und hat kein Geſetz; aufs Andere, wenn er aber iſt, da Chriſten an dem Ort ſind, die mit ihm gleiche Macht und Recht haben, da ſoll er ſich ſelbſt nicht hervor thun, ſondern ſich berufen und hervorziehen laſſen, daß er an Statt und Befehl den Andern predige und lehre. Inde quidam vocationis necessitatem eo modo limitant, ut concedant, non vocatum docere posse, 1. quando Christianus versatur inter homines fidei Christianae ignaros, tunc enim quemlibet Christi gloriam, quantum potest, quaerere et promovere teneri; 2. in ecclesia ordine ecclesiastico nondum plene constituto, cum enim vocatio doctorum sit pars ordinis, ideo hoc deficiente eam adeo stricte attendi non posse; 3. quando ordinarii doctores in lupos degenerant et officium suum plene negligunt. Vide D. Hun. in assert. minist. Lutheran. contra Pontif.

SECTIO II.

QUOTUPLEX SIT VOCATIO AD MINISTERIUM.

sio- vo- onis. 75. Guilielmus Bucanus in loco 42. de ministerio p. 502. tales vocationis divisiones producit: *1. Vocatio duplex est, una generalis, quae fit per externam verbi praedicationem; altera specialis, quae peculiarem functionem respicit et est vel ecclesiastica, vel politica, vel domestica.* Nos divisionem illam non improbamus, agnoscimus enim, esse generalem quandam vocationem omnium Christianorum, Rom. 1, v. 6. 1. Cor. 1, v. 2. Eph. 4, v. 1. etc. quae appellari potest vocatio ad Christi regnum ex 1. Thess. 2, v. 12. ac distinguenda est a speciali vocatione ad certum officium ac vitae statum; illa vocamur ad ecclesiam, hac ad certum in ecclesia statum, de qua posteriore vocationis specie, et quidem nominatim de vocatione ad officium ecclesiasticum unice et proprie hoc loco agitur. *2. Vocationem generalem subdividit in efficacem et inefficacem. Efficacem* XII. 2. 72.
tribuit electis, inefficacem illis, qui volunt verbum audire. Respondemus: concedimus rem ipsam, quod vocatio Dei in quibusdam duntaxat efficax sit et locum inveniat, a quibusdam vero repudietur; sed negamus, causam hujus rei quaerendam esse in absoluto quodam reprobationis decreto, ideo valde probamus, quod Bucanus addit, *vocationem esse inefficacem hominum culpa*, sed non videmus, quomodo id conciliari possit cum illa hypothesi, qua in loco 36. de praedestinatione p. 403. inter seria media exsecutionis decreti divini de hominibus reprobandis numerat tertio loco *inefficacem per verbi praedicationem vocationem.* De tota hac re suo loco plura. 3. Vocationem ecclesiasticam ulterius dividit *in legitimam et illegitimam.* Illam definit, *quae jure fiat et lege, id est quae fiat ab eo, qui potestatem vocandi, et praeficiendi in illo munere habet, qualis est Dominus illius loci, aut qui ab eo deligendi jus ac potestatem.* Postea addit: *At vero solus Deus est verae ecclesiae suae dominus, uti Christus solus ejusdem caput et redemtor seu vindex. Quare solius Dei est et Christi ecclesiae suae ministros praeficere. Proinde soli ab eo vocati legitimi censendi sunt; ab eo vero non vocati sunt omnes illegitimi.* Respondemus: Sane soli a Deo vocati legitime vocati censendi sunt, interim tamen non est oppositio facienda inter Deum causam et ministerii et vocationis ad ministerium principalem, et inter ecclesiam atque illos, quibus ecclesia hoc munus commisit, causam vocationis ad ministerium instrumentalem. Nam et illi legitime vocati judicandi sunt, qui licet non a Deo immediate, tamen mediate suffragiis ecclesiae vocantur, ut ipse Bucanus agnoscit. Illegitimam vocationem quod attinet, ea duobus modis accipitur. Vel enim opponitur divinae et est plane nulla ac proinde vocationis nomine indigna, ut sic distinctio vocationis in legitimam et illegitimam sit divisio potius nominis quam rei. Hoc sensu illegitima vocatio ea est, quando quis propria auctoritate et ausu temerario absque Dei nutu et suffragio docendi munus arripit, vel defectu aliquo laborat, per quem tamen non statim desinit esse vocatio. Sic qui muneribus favorem illorum sibi conciliat, a quibus ad ministerium vocatur, hactenus et hoc respectu illegitime agit, neque tamen propterea ipsius vocatio desinit esse divina vocatio, si ex hypothesi reliqua recte sese habeant. Sic in papatu soli clerici, papae scilicet cum suis episcopis, jus vocandi ministros ad se rapuerant, quod fuit illegitimum, imo tyrannicum; interim tamen vocatio ecclesiae ministrorum sub papatu non desiit esse divina vocatio. 4. Legitimam vocationem ulterius distinguit in *arcanam* sive *internam*, quae sit per Spiritum S. et cujus sibi quisque minister coram Deo conscius esse debet, quod nec avaritia, nec

ambitione, neque ulla alia cupiditate, sed sincero Dei amore et aedificandae ecclesiae studio oblatum munus recipiat; et in *externam* sive *solennem*, quae ad publicum ordinem spectat. Respondemus: Concedimus, Deum interno impulsu et afflatu quibusdam hunc animum inspirare, ut nulla periculorum et difficultatum ratione habita ministerium ecclesiasticum suscipiant, quo pertinet arcanus ille impetus, quo ad sacrum theologiae studium quidam feruntur; concedimus etiam, requiri omnino a ministro, ne vel avaritia, vel ambitione, vel ulla alia vitiosa cupiditate allectus, sed sincero Dei amore et aedificandae ecclesiae studio ductus oblatum munus ecclesiasticum recipiat, quos affectus utrosque laude vel maxime dignos, si quis arcanam vocationem sano sensu appellare velit, non admodum repugnamus; interim tamen monemus, primo, ob internam sive arcanam illam vocationem neminem debere partes ministerii sibi sumere, nisi accedat etiam externa et solennis ecclesiae vocatio, ne anabaptisticis confusionibus et enthusiasticis revelationibus fores aperiantur. Ubi notandum, nomine internae vocationis hoc loco a Bucano non accipi immediatam vocationem, quae omnino sufficiens est, si vel maxime solennis illa et mediata ecclesiae vocatio non accedat, eam enim ab hac interna vocatione distinguit et de ea post-
XII. 2. 73. modum tractat, sed internum illum animi affectum tam mediate quam immediate vocatis communem, quod sibi conscii sunt, quod Dei gloriam et ecclesiae salutem in officio suo sibi habeant propositam, qua ratione vocationem cum ejusdem accidente et vocati qualitatibus sive affectu confundit. Secundo monemus et hoc, quod vocatio illius non statim desinat esse vocatio, cujus animus aliqua vel avaritiae vel ambitionis vel alterius vitiosi affectus labe in suscipiendo munere ecclesiastico fuit forte initio contaminatus. Atque haec de Bucani divisionibus dicta sint. Augustinus aliam affert vocationis divisionem ad quaest. Oros. quaest. 64: *Apostolus* (inquit) *interpretatur missus. Apostolorum autem sunt quatuor genera, a Deo non per hominem; a Deo, sed per hominem; per hominem tantum; et ex se. A Deo enim missus est Moyses; a Deo et per hominem Jesus Nave; per hominem tantum sicut nostris temporibus multi favore vulgi in sacerdotium surrogati sunt; ex se autem sicut pseudoprophetae*, sed duae posteriores species aequivoce duntaxat dicuntur vocationes, cum non sint legitimae nec a Deo.

In mediatam et immediatam

76. Praetermissis igitur istis divisionibus proferimus eam, quae est et usitatissima et utilissima, quod scilicet vocatio ad ministerium alia sit *mediata* sive *ordinaria*, alia vero *immediata* sive *extraordinaria*. Deus, ad quem jus vocandi et mittendi ecclesiae ministros pertinet, duplici ratione, quandoque scilicet immediate per se ipsum, quandoque vero mediate per ecclesiam illos vocat, quibus publicum in ecclesia docendi officium vult commissum. Prioris vocationis exempla occurrunt in patriarchis, prophetis et apostolis, quae ostendunt, tam in V. quam in N. T. immediatam vocationem locum habuisse; posterioris in reliquis ecclesiae doctoribus. Sunt, qui tertiam addunt vocationis speciem, quam vocant *mixtam*, qua Deus ipse certam nominet personam, sed tamen per alios tanquam internuntios eam vocari velit. Hoc modo vocatum existimant Aaronem per Moysen, Exod. 4, v. 14. et Elisaeum per Eliam, 1. Reg. 19, v. 19. ac triplicem illum vocandi modum expressum statuunt verbis Pauli Gal. 1, v. 1: *Paulus apostolus non ab hominibus nec per hominem, sed per Jesum Christum.* Dum *apostolatus* meminit (inquiunt), immediatam notat vocationem, quam etiam remotio sequens infert, qua negat, se ab hominibus vel per homines vocatum, sed a Deo Patre; dum dicit, *se non ab hominibus vocatum*, mediatam vocationem exprimit; dum scribit, *non per homines*, mixtam intelligendam esse innuit. Respondemus: directa est oppositio inter mediatam et immediatam vocationem, quae tertium aliquod membrum non admittit. Mixta igitur illa vocatio ad immediatam referenda est, distinguendum enim inter vocationem ipsam et inter vocationis declarationem. Illorum etiam vocatio est immediata, qui nominatim a Deo vocantur, quamvis haec eorum vocatio vel per internuntium declaretur, ut in Aaronis et Elisaei exemplo contigit; vel externo quodam signo divinitus manifestetur, ut in Matthiae per sortem electi vocatione animadvertitur, Actor. 1, v. 24. In dicto apostolico Galat. 1, v. 1. non exprimuntur tres vocationis species, sed divina et immediata apostoli vocatio a divina et mediata, quae fit per homines, et mere humana, quae fit ab hominibus, distinguitur. Lutherus tom. 4. Jen. Lat. in comm. hujus loci: *Ab hominibus intelligo, qui se ipsos vocant et ingerunt, nec Deo, nec hominibus vocantibus.* Sane v. 12. quando apostolus negat, se ab hominibus evangelium accepisse, utrumque comprehenditur, quod nec ab hominibus humana, nec per homines divina, sed per Christi revelationem evangelium suum didicerit, sed ibi in Graeco est *παρὰ ἀνθρώπου*, in versu autem primo *ἀπ' ἀνθρώπων καὶ διὰ ἀνθρώπου*; adde, quod vocationis et doctrinae possit esse diversa ratio, v. 1. agit apostolus de sua vocatione, v. 12. de sua informatione. Quodsi vel maxime concederemus, per vocationem ab hominibus apostolum intelligere vocationem mediatam, per vocationem per homines significare vocationem mixtam, nondum tamen evictum XII
foret, tres etiam vocationis species, sed exprimeretur termino vocationis per hominem certus immediatae vocationis modus. Cum enim in vocatione immediata Deus quandoque ipse sine internuntio aliquem declaret, ut Moysen, quandoque vero per prophetam vel apostolum aliquem, ut Aaronem per Moysen, Elisaeum per Eliam, vel per sortem, ut in electione Matthiae; inde apostolus non solum negat, se ab hominibus, id est mediate, vocatum, sed negat insuper, se esse per homines vocatum, id est, illum immediatae vocationis modum a se removet, quo per hominem tanquam internuntium illa vocatio declaratur, priorem autem immediatae vocationis modum sibi tribuit, quo Deus sine internuntio ipsum ad

apostolatum vocaverit, ut non fuerit inferior apostolis reliquis, qui a Christo ipso ad apostolatum erant vocati. Neque quidquam obstat, quod ad Ananiam remittitur, Act. 9, v. 6. quia Christus, qui Paulo in via Damasci apparuerat, expresse testatur in praecepto Ananiae dato, quod hic ipse, ad quem Ananias ablegetur, jamdum sit *vas electionis portare nomen Christi coram gentibus*, Actor. 9, v. 15. ac mittitur ad ipsum Ananias, non ut vocationem ad apostolatum illi denuntiet, sed ut manu imposita visum ei restituat ac baptizet, v. 18.

77. Quidam ex Calvinianis statuunt et usurpant medium aliquod vocationis genus. Refert enim D. Chemnicius part. 3. locorum de ecclesia c. 4. sect. 1. pag. 314. cum aliquando in Galliis Papistae contenderent cum Sacramentariis de vocatione et illi hosce interrogarent, qualemnam haberent vocationem, respondisse Bezam, *se nec mediatam, nec immediatam, sed extraordinariam habere vocationem in Galliis.* Addit etiam, Genevae hunc morem servari, ut aliquos in theologia instituant et postea in Gallias docendi causa mittant. Huc pertinet disputat. Sadeelis adv. articulos Burdegalenses art. 51. p. 502: *Si credant, regnante in ecclesia confusione Deum non posse, quando ipsi libet, media excitare apta, prout ipsius providentiae visum est, ad restituendum ordinem eversum et praeclara atque eximia ecclesiae ornamenta, si inquam dicant, Deum haec non posse aut nolle, blasphemi sunt adversus ejus omnipotentiam, contumeliam faciunt ejus bonitati et constantissimae ejus promissionum veritati.* art. 61. pag. 539: *Deus dedit datque veros pastores et ministros ecclesiae, tum per ordinem legitimum, quem instituit ad eorum ordinariam electionem et vocationem, dum status ecclesiae integer est; tum per alia media, quae ipsi libent, quando exterior ecclesiae ordo eversus est.* in tract. de legit. ministr. vocat. pag. 553. statuit, *veros pastores ac doctores fuisse a Domino praeter ordinem solitum excitandos, ut ita conficerentur errores et blasphemiae a Spiritu oris Christi.* Paraeus in comment. cap. 1. ad Rom. pag. 158. mediatam vocationem distinguit *in ordinariam*, quam fieri dicit ab ordinariis per suffragia; *vel extraordinariam*, quam dicit etiam immediatae proximam, quaeque fiat vel ab ordinariis per sortem, ut vocatio Matthiae Act. 1. vel deficientibus ordinariis ab ecclesia per suffragia et sortem, cujus exemplum recitat ex historia fratrum Bohemicorum, qui anno 1465. ordinariis persecutione oppressis tres ex novem sorte sibi designarint pastores non sine miraculo. Bucanus in loco de ministerio pag. 507. ad quaestionem, quamdiu nobis observanda sit visibilis et ordinata pastorum vocatio et successio, respondet hoc modo: *Quamdiu steterit et conspicuus fuerit ordo et status legitimus ecclesiae, sic ut ne quibusvis liceat temere et sine legitima atque ordinaria vocatione sese intrudere in ecclesiasticum ministerium. At illo ipso ordine et statu collapso et interrupto Deus ipse praeter ordinem vel potius praeter morem solitum ecclesiae ordinem instaurat per eos, quos ad illud opus suo impervestigabili consilio deligit et excitat.* p. 508: *multorum in Gallia et Belgio extraordinariam vocationem martyrio sancitam* adstruit. Quid vero de hac extraordinaria vocatione statuendum? Respondemus: 1. vocatio extraordinaria duplici significatione intelligi potest; vel respectu moris in ecclesia cor- XII. 2. 75.
rupta tunc publice recepti; vel respectu ordinis a Deo instituti. Vocatio eorum, qui corruptelas in ecclesia publice receptas divinitus excitati taxarunt, extraordinaria dici potest, non respectu posteriore, sed respectu priore. 2. Neque tamen propterea statuendum est tertium aliquod vocationis genus, quod sit intermedium inter mediatam et immediatam vocationem, quia extraordinarium illud non opponitur mediatae vocationi, quasi propterea eorum vocatio vocetur extraordinaria, quod non sit mediata, sed opponitur consuetudini tunc publice in ecclesia corrupta receptae. 3. Extraordinaria vocatio intelligi etiam potest respectu donorum peculiarium et extraordinariorum, quae in vocatione mediata eorum, qui ad corruptelas publice receptas taxandas et obolendas excitantur, ut plurimum conspiciuntur. Sic de Luthero recte pronuntiamus, quod ad ministerium docendi mediate sit vocatus, interim quod ad reformationis opus attinet, negari nequit, peculiare et extraordinarium aliquid in eo concurrisse, quod neque ad ordinariam reliquorum ministrorum vocationem per omnia quadrat, neque cum immediata apostolorum vocatione prorsus congruit, ut postea latius explicabitur. 4. An vero adhuc hodie extraordinaria aliqua proprie sic dicta, id est immediata vocatio, exspectanda sit, de eo paulo post dicetur. 5. Nec probari nobis potest inordinata illa ordinatio, qua referente D. Chemnicio aliqui sine vocatione ad certam ecclesiam Genevae ordinantur ac postea in Gallias ad praedicandum evangelium ablegantur, quia a vocatione apostolica, quae potestatem docendi inter omnes gentes continet, distinctum est officium reliquorum ecclesiae doctorum, qui ad certas ecclesias vocantur nec habent absolutam potestatem docendi ubique in omnibus ecclesiis. Act. 14, v. 23: *Presbyteri constituuntur ab apostolis per singulas ecclesias. Tit. 1, v. 5: Titus jubetur κατὰ πόλιν, oppidatim, constituere episcopos*, inde in concilio Chalcedon. can. 6. statutum fuit, *neminem absolute ordinari debere nisi ad certam et specialem ecclesiam*, propter quod graviter concludit ibidem D. Chemnicius: *Qualis est illorum vocatio, talis etiam successus.*

Differentia inter vocationem mediatam et immediatam.

78. Si de differentia mediatae et immediatae vocationis propria ac specifica quaeratur, respondemus, illam 1. nequaquam consistere in eo, quod immediate vocati a Deo, mediate vocati ab hominibus et non a Deo vocati sint, contrarium enim paulo post demonstrabitur. 2. Nec in eo, quod immediate vocati habeant privilegium non errandi, quo destituantur vocati mediate; illud enim quamvis de prophetis et apostolis in officio praedicandi et scribendi versantibus sit verissimum, tamen idololatria Aaronis iti-

dem immediate vocati, Exodi 32, v. 2. ostendit, cum immediata vocatione non esse perpetuo et indissolubili nexu conjunctum non errandi privilegium. 3. Nec in eo, quod immediate vocati habeant privilegium ac potestatem edendorum miraculorum, quo destituantur mediate vocati, afferri enim possunt exempla tum immediate vocatorum, qui nulla ediderunt miracula, tum mediate vocatorum, qui ea fecerunt. 4. Nec in eo, quod immediate vocati habeant potestatem ubivis docendi ac praedicandi, qua destituantur mediate vocati, illud enim quamvis de apostolorum immediata vocatione recte asseratur, tamen in prophetis, Johanne Baptista, septuaginta discipulis etc. itidem immediate vocatis eodem modo affirmari nequit. 5. Nec in eo, quod mediate vocati in politicum imperium se immiscere non debeant, sed ecclesiastica tantum munia obire teneantur, 1. Petri 5, v. 2 et 3. Contra vero immediate vocati una cum ministerio verbi curent etiam res politicas, 2. Paral. 25, v. 8. 2. Regum 17, v. 2. Quamvis enim hoc posterius de prophetis V. T. recte dicatur, tamen ad apostolos in N. T. immediate a Christo vocatos non minus quam ad reliquos ecclesiae ministros mediate vocatos dictum est Luc. 22, v. 25: *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.*

XII. 2. 76. 6. In eo igitur mediatae et immediatae vocationis discrimen perpetuo et unice consistit, quod illa fiat per ordinaria media divinitus ad hoc constituta, haec vero per ipsum Deum, qui suam de immediata alicujus personae vocatione voluntatem vel per se ipsum, vel per internuntium manifestat.

SECTIO III.

DE VOCATIONE IMMEDIATA IN SPECIE.

Quaeritur 1. Quot modis fiat immediata vocatio.

79. De immediata vocatione quaeritur: *1. Quot modis ea fiat?* Ex superioribus constare potest, duplicem esse immediatae vocationis modum. Quos enim Deus ἀμέσως, sine hominum opera et ministerio, vocat, illis vel ipse apparet et cum ipsis immediate loquitur, quo modo vocavit Abrahamum, Moysen, prophetas quosdam in V. T., quo modo etiam Johannes Baptista et apostoli a Christo in N. T. sunt vocati; vel per alios internuntios, quibus apparuit et locutus est, suam vocationem et mandatum illis denuntiat, quo modo vocavit Aaronem per Moysen, Elisaeum per Eliam. **Etsi mediante Moyse vocantur Besceel et Oholiabus, tamen quia non eliguntur judicio Moysis aut aliorum hominum, sed Dei solius, cujus decretum tantum Moyses promulgat et exsequitur, ideo vocatio eorum recte dicitur *immediata*, qualis fuit Elisaei ad munus propheticum mediante Elia 1. Reg. 19, v. 16. et Jehu ad regiam dignitatem mediante Elisaeo 2. Reg. 9, v. 6. Rung. in cap. 35. Exod.** Bucanus de minist. loco 42. pag. 507. addit tertium modum, *intrinsecum* scilicet *afflatum*, quo refert *profectionem Philippi in urbem Samariae post ecclesiae Hierosolymitanae dispersionem ignaris apostolis susceptam*, Act. 8, v. 5. *ac vocationem illorum ex eadem dispersione, qui primi in Phoenicia et Cypro evangelizarunt atque Antiochenam ecclesiam insciis apostolis sunt auspicati*, Act. 11, v. 20. Quamvis vero non negemus, interiorem illum Spiritus afflatum et impetum in immediata vocatione concurrere, tamen accedit externa manifestatio et confirmatio immediatae vocationis vel per ipsius Dei apparitionem et loquelam, vel per divinae voluntatis denuntiationem, nec dubium, illud singulari Dei consilio in prophetis et apostolis immediate vocatis esse factum, ut scilicet obviam iretur seductionibus fanaticorum, qui jactitant se immediate vocatos, quando fingunt, se nescio quo interiore impetu spiritus ad concionandum impelli. De vocatione Philippi et eorum, qui in Phoenicia et Cypro evangelizarunt, dictum fuit superius. Angelus Domini ad Philippum quidem loquitur et dirigit viam ejus ad eunuchum baptizandum, Act. 8, v. 26. sed haec non erat prima Philippi vocatio, verum duntaxat ad certum locum directio, sicut etiam postea Act. 13, v. 2 Saulus et Barnabas a Spiritu sancto peculiariter ad certas regiones mittuntur, cum jam ante ad apostolatum et ministerium vocati essent. Idem judicium de praedicatione Philippi in Samaria, Act. 8, v. 5. nimirum quod accesserit quidem internus Spiritus sancti impulsus, ut in civitatem illam descenderet, sed haec non erat prima ipsius vocatio, cum per impositionem manuum jam ante in numerum diaconorum fuerit receptus, Act. 6, v. 5.

80. *2. An cum immediata vocatione perpetuo conjuncta sit potestas edendorum miraculorum?* Deus illos, quos immediate vocat, *ut plurimum* ornat dono miraculorum, quibus vocationem suam probent et confirment. Sic Moyses Exod. 4, v. 2. miraculorum faciendorum potestate instruitur, ut et Israëlitae et Pharao credant, ipsum a Deo esse missum. Aaronis vocatio immediata confirmatur, quando virga ejus floret, Num. 17, v. 8. Samuelis vocatio confirmata fuit praedictione futurorum, 1. Sam. 3, v. 12. uti etiam miraculoso tonitru ad ipsius preces et sacrificia secuto, 1. Sam. 7, v. 10. Davidis vocatio confirmata fuit miraculosa victoria ex congressu cum Goliatho reportata, uti etiam liberatione ovis ex faucibus leonis et ursi, 1. Sam. 17, v. 35 et 50. Eliae et Elisaei miracula complura enumerantur in libris Regum. In N. T. cum Christus apostolos immediate vocatos ad praedicandum ablegaret, dabat illis potestatem miraculorum, Matth. 10, v. 8: *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite.* Luc. 9, v. 1: *Convocatis duodecim apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia et ut curarent languores.* Eadem potestate instruxit septuaginta discipulos Luc. 10, v. 9. eandem potestatem etiam post Christi in coelos adscensionem ad confirmandum evangelii praeconium apostolos exseruisse, apparet ex promissione Marc. 16, v. 17. et complemento Act. 3, v. 7. c. 5, v. 5. et 12.

2. ea pe ju po mi lo

XI

c. 9, v. 40. inde Paulus 2. Cor. 12, v. 12. signa, prodigia et virtutes vocat *testimonia apostolatus sui.* Neque tamen ex eo potest inferri generalis regula, quod cum immediata et extraordinaria vocatione semper conjuncta sit potestas miraculorum edendorum, ut volunt Pontificii. Patriarchae enim ac prophetae non fuerunt omnes dono miraculorum instructi, cum de illis altum sit in Scripturis silentium. De Osea, Sophonia, Aggaeo etc. nuspiam commemoratur, quod miracula ediderint. Neve quis excipiat, in historicis non licere ex Scriptura negative argumentari, urgemus locum expressum Joh. 10, v. 41. ubi de Johanne Baptista dicitur, *quod nullum fecerit signum,* quem tamen immediate a Deo vocatum fuisse constat ex Luc. 3, v. 2. qua de re plenius egimus in loco de eccles. §. 200. et 279.

81. 3. *Quomodo discernendum sit inter immediatam Dei vocationem et imposturam fanaticorum, qui jactitant, Deum Patrem sibi apparuisse et haec vel illa mandata dedisse?* Anabaptistis et Enthusiastis solenne est de talibus revelationibus gloriari, sed memores praemonitionis divinae Jerem. 14, v. 14: *Falso prophetae vaticinantur in nomine meo, non misi eos et non praecepi eis neque locutus sum ad eos, visionem mendacem et seductionem cordis sui prophetant vobis*, non audiamus eos, sed teneamus normam ac regulam, juxta quam immediata vocatio divina ab enthusiasticis seductionibus discernenda sit. Eam vero tradit ipse Deus Deut. 13, v. 1: *Si exsurgat propheta in medio tui et praedixerit signum et portentum, v. 2. et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis; v. 3. non audies verba prophetae illius.* Ergo qui jactitat divinas revelationes, si proferat doctrinam peregrinam, non est pro immediate vocato habendus, si vel maxime miraculis suam vocationem confirmare videatur. Eadem regula proponitur Jer. 23, v. 21. c. 27, v. 15. c. 29, v. 9. nimirum quicunque falsum aliquid prophetat sive in doctrina, sive etiam in vaticiniis, ille non est propheta immediate a Deo vocatus, sed seductor pessimus, quia Spiritus Domini, a quo prophetae mittuntur, est *Spiritus veritatis.* Prima igitur ac praecipua probationis regula est harmonia et congruentia doctrinae cum doctrina a Deo revelata. Deinde qui immediate a Deo vocantur, illi vel dono miraculorum, vel aliis Spiritus testimoniis peculiaribus instruuntur, ut illis vocationem suam confirment. Ad peculiaria illa Spiritus testimonia pertinent tum praedictiones Scripturarum; sic Johannes Baptista nullum edidit miraculum, hoc enim Messiae reservatum erat, ut stupendis et vere divinis miraculis sese manifestaret, Esa. 35, v, 5. interim tamen habuit vocationem immediatam, cum multis annorum seculis ea prius fuerit praedicta, Esa. 40, v. 3. Mal. 3, v. 1. Tum peculiaria Spiritus sancti dona ad munus illud, cui praeficitur, necessaria; talia dona sunt: σοφία, singularis divinorum mysteriorum notitia; στόμα, donum docendi ac dicendi peculiare; θυμός,
78. imperterrita animi praesentia; zelus heroicus, in confessione constantia etc. Matth. 10, v. 19: *Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini.* Luc. 21, v. 15: *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.* Act. 6, v. 10: *Non poterant resistere sapientiae et Spiritui, qui loquebatur.* 1. Cor. 2, v. 4: *Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione virtutis et Spiritus.* Accedit tertio peculiaris Dei protectio, mirandus in vocatione successus, ecclesiae dilatatio frustra renitentibus doctrinae coelestis adversariis etc. Es. 49, v. 2: *Posuit os meum tanquam gladium acutum, in umbra manus suae protexit me.* Jer. 1, v. 8: *Ne timeas a facie eorum, tecum enim ego sum, ut eruam te.* v. 18: *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum super omnem terram.* Rom. 15, v. 18: *Non audeo aliquid loqui eorum, quae per me non effecit Christus in obedientiam gentium verbo et factis; v. 19: in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus sancti, ita ut a Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum omnia repleverim evangelio Christi.*

82. 4. *Num adhuc hodie immediata Dei vocatio exspectanda sit?* **4. Num adhuc hodie exspectanda.** **Weigelius postill. part. 1. p. 44: *Fideles concionatores oportet esse angelos Domini, hoc est debent esse a Deo docti ac missi, non ab hominibus, qui enim currunt ipsi, nec vocati sunt ad praedicandum, mercenarii sunt, quales nunc sumus omnes, nullo excepto, quis enim nostrum est a Deo doctus, quis a Deo se vocari patitur? an non omnes ex academia et favore potestateque humana constituti sumus?* part. 2. postill. p. 31: *Qui ab hominibus sunt electi ac vocati, non adferunt secum Spiritum sanctum, ipsorum concio et absolutio de nihilo est, loquuntur et testantur ut coecus de coloribus, praedicant dogmata humana, non Christum crucifixum.* dial. de Christ. p. 71. 72: *Doctor es, at non a Spiritu s. promotus, sed ab academiis, ubi nullus unquam repertus fuit Spiritus s., non a Deo vocatus aut missus, sed ab hominibus ordinatus, electus, constitutus, ideo spiritualia docere non potes.* Ejusmodi plura vide post. part. 1. p. 222. part. 2. p. 105. 166. 210. 227. part. 3. p. 11. 60.** Respondemus: Quamvis nec possimus, nec debeamus liberrimae Dei voluntati et infinitae ejus potentiae ac sapientiae quidquam hac in re praescribere, quasi non possit etiamnum hodie quosdam immediate vocare, sicut olim vocavit prophetas et apostolos; tamen 1. destituimur promissione, quod debeamus hoc tempore post confirmatum N. T. canonem immediatam vocationem exspectare. Ephes. 4, v. 11. de Christo ad dextram Patris exaltato dicitur, *quod ecclesiae suae dederit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, v. 12. ad consummationem sanctorum in opus ministerii;* ubi inter N. T. ministros tale constituitur discrimen, quod quidam immediate vocati fuerint, in exordio scilicet N. T. quales sunt apostoli, prophetae et evangelistae, quidam vero

mediate, temporibus scilicet subsequentibus, quales sunt pastores et doctores, quorum vocatio mediata duratura praedicitur, donec corpus Christi mysticum plene fuerit exaedificatum, atque eo ipso significatur, non esse novos apostolos hoc tempore exspectandos. Inde etiam apostoli non exspectarunt, donec alii immediate vocarentur, sed ipsimet per singulas ecclesias constituerunt presbyteros, Act. 14, v. 23. ac Paulus Timotheo suo praecipit, ut ministerium commendet idoneis personis, 2. Tim. 2, v. 2. Tito praecipit, *ut oppidatim constituat presbyteros*, Tit. 1. 5. Atqui nisi immediata vocatio cum temporibus apostolorum cessare debuisset, exspectassent apostoli alios prius immediate vocari, antequam ad mediatam vocationem descenderent. 2. Nulla apparet immediatae vocationis necessitas. Deus enim per apostolos tradidit et ecclesiae praescripsit certam formam, juxta quam velit eligendos et constituendos esse ecclesiae ministros, 1. Tim. 3. Tit. 1. per mediatam scilicet vocationem promisit conservationem ministerii usque ad finem seculi, Matth. 28, v. 19. 1. Cor. 11, v. 26. et alligavit ecclesiam suam ad doctrinam per Filium revelatam ac per apostolos
XII. 2. 79. immediate vocatos in totum terrarum orbem propagatam, Gal. 1, v. 8. Apoc. 22, v. 18. In V. T. praedictum quidem erat, quod abolito Levitico sacerdotio novum inchoandum sit testamentum, ut propterea immediata vocatione in exordio ejus opus fuerit, sed post confirmatum N. T. canonem aliam adhuc revelationem et immediatam quorundam vocationem exspectandam esse, nuspiam insinuatur, sed contra potius N. T. tempus et mediata vocatio in eo recepta duratura praedicuntur usque ad Christi ex coelis reditum. 3. Ex quo colligitur, eos qui de immediata vocatione gloriantur et divinas revelationes jactitant, si afferant doctrinam novam a Christi et apostolorum doctrina diversam, nequaquam audiendos, nec pro legitime vocatis habendos esse, etiamsi miraculis suam vocationem confirmare nitantur. Disertis enim verbis praedictum Matth. 24. v. 24. *surrecturos pseudoprophetas et pseudochristos ac tanta miracula edituros, ut si fieri posset, etiam electi in errorem seducerentur.* Recte igitur Augustinus Donatistis revelationes jactantibus, interim a doctrinae apostolicae sinceritate discedentibus respondet in lib. de unit. eccl. c. 16: *Non dicant, ideo verum esse, quia illa et illa mirabilia fecit Donatus, vel Pontius, vel quilibet alius* etc. *aut quia ille frater noster et illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale visum dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum* etc. *Remotis omnibus istis ecclesiam suam demonstrent non in signis et prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini praeparati et cauti redditi sumus, sed in praescripto legis, in prophetarum praedictis, in psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus, in evangelistarum praedictionibus et laboribus, hoc est in omnibus canonicis sanctorum librorum auctoritatibus.*

SECTIO IV.

DE VOCATIONE MEDIATA.

83. De mediata vocatione duo potissimum tractanda sunt: *1. Quod ipsa non minus quam immediata sit divina; 2. quae sint ordinaria illa media, quibus Deus ad mediatam vocationem uti velit.* Quod ad prius membrum attinet, illud demonstramus hoc argumento: Quaecunque vocatio ad Deum auctorem refertur, auctoritate apostolica nititur et salutaribus Dei promissis gaudet, ea omnino est divina. Sed mediata legitima vocatio ecclesiae doctorum 1. refertur ad Deum auctorem. Levitae ad sacerdotium mediate erant vocati, et tamen dicit Dominus Num. 3, v. 12: *Ego tuli Levitas a filiis Israël*, id est ministerio illos deputavi. 2. Paral. 29, v. 11. dicit Ezechias ad sacerdotes et Levitas: *Vos elegit Dominus, ut stetis coram eo et ministretis illi.* Pastores in eo distinguuntur a prophetis et apostolis, quod illi mediate, hi vero immediate vocati sint, jam vero etiam pastorum vocationem Deus sibi asscribit. Psalm. 68, v. 12: *Dominus dat verbum, evangelistas exercitu magno* Esa. 41, v. 27: *Dabo Jerusalem evangelistam* (in quibus vaticiniis evangelistae nomen generaliter accipitur pro quovis evangelii praecone, 2. Tim. 4, v. 5). Jerem. 3, v. 15: *Dabo vobis pastores juxta cor meum. c. 23, v. 4: Suscitabo super eas pastores.* Christus ad dextram Dei evectus non solum *apostolos, prophetas et evangelistas*, sed etiam *pastores et doctores* ecclesiae suae dare dicitur, 1. Cor. 12, v. 28. Eph. 4, v. 11. 2. Nititur auctoritate apostolica. Apostoli, qui a Christo audierant, *sicut Pater me misit, ita et ego mitto vos*, Joh. 20, v. 21. non exspectarunt, donec eodem modo, immediate scilicet, aliqui vocarentur ad ministerium, quo ipsi vocati erant ad apostolatum, sed ecclesiis, quas plantarunt, doctores per suffragia electos praefecerunt, Act. 14, v. 22: XI
χειροτονήσαντες per suffragia constituebant presbyteros in singulis ecclesiis. 1. Tim. 4, v. 14. 2. Tim. 1, v. 6. Timotheo commendatur ministerium ecclesiae per *impositionem manuum presbyterii*, seu per congregationem presbyterorum. Praecipitur etiam Timotheo, ut alios per vocationem mediatam constituat presbyteros 2. Tim. 2, v. 2: *Quae audivisti a me, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint ad alios docendos;* ac praescribitur ei certa norma, juxta quam personae ad ministerium eligendae examinari debeant, 1. Tim. 3, v. 2. Idem mandatum accipit Titus c. 1, v. 5. *ut per civitates constituat presbyteros.* Neve quis existimet, hanc mediatam vocationem niti duntaxat exemplis, non autem divina institutione, notandum quod auctoritate apostolica, id est divina Rom. 15, v. 18. talia praecepta Timotheo ac Tito dentur, quo pertinet gravis illa obtestatio 1. Tim 5, v. 21: *Testor coram Deo et Christo Jesu et electis angelis, ut haec custodias sine praejudicio nihil faciens in aliam partem declinando.* 1. Tim. 6, v. 13: *Praecipio tibi coram*

Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pilato bonam confessionem, v. 14: ut serves mandatum sine macula. Cumprimis notandum, quod juxta hoc παράγγελμα apostolicum vocati *a Spiritu sancto constituti* dicantur, *ut ecclesiam Dei regant*, Act. 20, v. 28. Timotheus et Ephesinae ecclesiae ministri mediate vocati erant, interim tamen in posteriore ad Corinthios epistola, cui etiam Timotheus subscripsit 2. Cor. 1, v. 1. non de se tantum, sed in genere de Timotheo et reliquis ministris ecclesiae apostolicae dicit 2. Cor. 5, v. 18 et 20: *Deus dedit nobis ministerium reconciliationis, nomine igitur Christi legatione fungimur Deo exhortante per nos*, et ad omnes Ephesinae ecclesiae ministros dicit Act. 20, v. 28: *Attendite vobis et universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Sosthenes mediate vocatus erat, interim una cum Paulo priori ad Corinthios epistolae subscribit, et Paulus non de se tantum, sed etiam de Sosthene et aliis legitimis ministris in illa epistola dicit c. 4, v. 1: *Sic nos aestimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Apollo mediate vocatus erat, interim tamen Paulus non minus de ipso quam de se dicit 1. Cor. 3, v. 5: *Quid est Apollo? quid Paulus? ministri, per quos credidistis*, sive ad fidem adducti estis, *et unicuique sicut dedit Dominus; v. 6: ego plantavi, Apollo rigavit, Dominus dedit incrementum.* Epaphroditus mediate vocatus erat ad ministerium, nihilo tamen minus Paulus eum vocat suum συνεργὸν καὶ συστρατιώτην et Philippensium *apostolum*, Phil. 2, v. 25. Archippo mediate vocatio talem νουθεσίαν proponit apostolus Col. 4, v. 17: *Vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut illud impleas.* In subscriptione epistolae prioris et posterioris ad Thessalonicenses non Timotheum solum, quod facit etiam in subscriptione epistolarum ad Philippenses, ad Colossenses et ad Philemonem, sed etiam Silvanum sibi adjungit apostolus ac de omnibus in genere dicit 1. Thess. 1, v. 5: *Evangelium nostrum*, id est nobis a Deo ad praedicandum commissum, *non fuit ad vos in sermone tantum, sed in virtute et Spiritu* etc. 1. Thess. 2, v. 4: *Sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis evangelium, ita loquimur.* 2. Thess. 2, v. 14: *Vocavit vos Deus per evangelium nostrum.* 3. Mediata vocatio etiam gaudet salutaribus Dei promissis, id quod ex superioribus consequitur. Si enim mediata vocatio non minus quam immediata est ab ipso Deo, utique etiam gaudet promissis divinae vocationi annexis. Timotheus mediate vocatus erat, interim tamen apostolus evidenter testatur, ipsius ministerium esse efficax organum salutis. 1. Tim. 4, v. 16: *Attende tibi ipsi et doctrinae, insta in illis, hoc faciens te ipsum salvabis et eos, qui te audiunt*; ideo etiam mandat, ut *resuscitet gratiam, quae in ipso erat per impositionem manuum apostoli* 2. Tim. 1, v. 6. quod ne quis existimet ad illos duntaxat pertinere, qui mediate quidem, sed per apostolos vocati erant, ideo in genere dicit 1. Tim. 4, v. 14: *Gratia, quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii.* 2. Cor. 3, v. 6. de se et Timotheo, nam et is huic XII. 2. 81.
epistolae subscripsit, adeoque de omnibus ecclesiae ministris legitime vocatis dicit: *Deus nos idoneos fecit ministros novi testamenti*, ac repetenda hoc loco ea, quae in praecedentibus duobus membris sunt allata. Sic non solum apostoli et prophetae, sed etiam pastores et doctores dicuntur a Christo dari *ad opus ministerii, ad consummationem sanctorum, ad aedificationem corporis mystici*, Eph. 4, v. 12. Nec Paulus solum plantavit, sed etiam Apollo *rigavit*, et utrique tam illi plantanti immediate vocato, quam huic riganti mediate vocato *Deus dedit incrementum* 1. Cor. 3, v. 6. Evangelium sive praedicatio evangelii non solum est in virtute, cum praedicatur a Paulo immediate vocato, sed etiam a Timotheo et Silvano mediate vocatis, 1. Thess. 1, v. 5. Et pulchra est observatio D. Chemnicii part. 3. loc. de eccles. c. 4. pag. 323. cum in Corinthiaca ecclesia efficaciam ministerii metirentur ex personis vel mediate, vel immediate vocatis, vel ex donis ministrorum, quod Paulus illis perversis judiciis hoc opponat 1. Cor. 3, v. 5: *Quis est Apollo? quis Paulus? nisi ministri, per quos credidistis, et unicuique sicut dedit Dominus. v. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus dedit incrementum. v. 7. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. v. 8: Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt*, ubi ostendit apostolus, tam mediate vocatos, qualis erat Apollo, quam immediate vocatos, qualis erat Paulus, quoad efficaciam ministerii et gratiam divinam in eo, esse unum.

84. Quodsi ergo mediata vocatio non minus atque immediata divina est, consequens fuerit, promissiones de ministerii fructu et successu, de protectione in periculis, de laborum retributione etc. immediate vocatis a Deo factas suo modo etiam ad illos, qui mediate a Deo vocantur, pertinere. Non negamus, prophetas et apostolos immediate vocatos habuisse magnas et multas praerogativas, utpote privilegium non errandi, potestatem docendi in locis pluribus, dona uberiora, peculiaria charismata, promissiones de successu vocationis et defensione copiosiores etc. Interim tamen cum respectu ecclesiastici ministerii et partium docendi unum idemque officium in ecclesia sustineant tam mediate quam immediate vocati, ideo promissiones de auxilio divino, virtute et efficacia divina in ministerio etiam ad mediate vocatos suo modo referri possunt, id quod tum docentibus, tum etiam auditoribus utilem commonefactionem et consolationem praebet. Docentibus quidem, ut sciant, se non minus quam prophetas et apostolos, quibus alias ratione personae et donorum neutiquam comparandi sunt, esse in docendi officio *Dei legatos* 2. Cor. 5, v. 20. ac velle Deum opera ipsorum uti in ministerio, ideoque ad se accommodent promissiones de praesentia divina gratiosa et salutari per verbum efficacia, de protectione et defensione, patriarchis, prophetis et apostolis factas, Gen. 15,

dicandi munus sua sponte aggredi. Theoph. Nicolaides in defens. tractat. Socin. de eccles. et missione c. 1. p. 146: *Erravit Lutherus a Munzero (Anabaptista) legitimam functionem flagitans. Non quid Lutherus fecerit, sed quid facere hac in re debuerit, quaeritur.* c. 2. p. 177: *Nullam missionem agnoscimus, quomodo igitur ad eam aliquid requiri dicere possumus?* Catech. Racoviensis German. major tit, de eccles. c. 2. p. 344. proponit quaestionem: Iſts nicht nöthig, daß die, ſo Andere lehren und Ordnung in des Herrn Gemeine unterhalten, auf eine ſonderbare Weiſe geſandt werden? Ad quam respondet negate addita ratione duplici, quod *non proferant novam doctrinam, sed apostolicam jam olim receptam, et quod in descriptione requisitorum episcopi nulla fiat mentio missionis.* Ostorodus in instut. German. c. 42. p. 438: Es kann ein Jeder lehren, wenn er ſchon nicht geſandt iſt, ſintemal ſolches nicht verboten iſt, noch irgend eine Gefahr in ſich hat. Et postea: Iſt derhalben nicht nöthig, daß man gedenke, als wenn einer Unrecht thäte, ſo er von ſich ſelber, das iſt ohne Sendung, das Lehramt auf ſich nimmt, ſintemal ein ſolch Werk aus der rechten chriſtlichen Liebe herkommt. p. 440: Iſt derhalben nicht nöthig, daß da zu jetziger Zeit Jemand das Evangelium predigt, ja wenn er's ſchon nicht durchaus verſtünde (gleich wie auch Apollos vom Anfang) er geſandt ſei, viel weniger aber, daß er ſeine Sendung beweiſen müſſe. A. R. (forte est Andreas Radeccius) in notis ad libr. Smiglecii, quem vocat refutationem vanae dissolutionis nodi sui Gordii edit. Racov. 1614. p. 3: *Confitemur, et olim ministros ecclesiae vocari potuisse, imo vocatos fuisse, et nunc etiam vocari posse. An vero id quod olim factum est et hodie fieri potest, ad munus ministrorum constituendum requiratur, hoc vere et perpetuo quaeritur, quod Smiglecius probare nequit.* Schmaltzius in refut. thes. D. Frantzii part. 2. disp. 4. p. 377: *Non negamus, ex ista consuetudine primitivae ecclesiae apostolicae consequi, illud etiam jure fieri posse hodie, quod olim fiebat, et si ecclesia semper*
XII. 2 64. *incorrupta mansisset, non dubitamus, quin valde justum fuisset, ut modus iste ordinandi ministros observaretur, quemadmodum etiam nunc, ubi est constituta respublica Christiana, valde decorum arbitramur, ut id observetur; sed non hoc potissimum quaeritur, hoc enim in quaestione est, an hujusmodi constitutio sit prorsus necessaria ad constituendum verbi Dei ministrum. Hoc autem nos negamus. Nihil enim tale, quod caput rei est, legimus in descriptione eorum, quae ad episcopum constituendum requiruntur etc. nec uspiam alibi indicatum vel levissime videmus, eum, qui talis sit, postea vocari et mitti ab aliquo debere, imo posse aliquem per se munus tale concupiscere vel affectare, manifeste scriptum legimus.*

Argumenta Photinianorum 1. Ex Scripturae dictis 1.

65. Nituntur hanc suam opinionem confirmare: 1. *scripturae dictis*, 2. *exemplis*, 3. *rationibus*. Ad primam classem referunt haec dicta: 1. Cor. 14, v. 29: *Prophetae duo vel tres loquantur, ac reliqui dijudicent.* v. 30: *Quodsi alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. Ergo omnes publico praedicandi officio fungi possunt absque peculiari vocatione.* Respondemus: Certum est, apostolum ibi non loqui de promiscuo piorum coetu (id enim evidenter colligitur ex verbis praecedentis c. 12. hujus epist. v. 29. *numquid omnes prophetae)*, sed de certo quorundam piorum ordine, quis autem ille fuerit, sententiae variant. Ex nostris plerique prophetarum nomine intelligunt *ordinarios ecclesiae doctores* prophetiae, id est Scripturam interpretandi, dono instructos. Ex Act. 13, v. 15. colligi potest, quod olim in ecclesia primitiva talis docendi modus usitatus fuerit, ut post hymnos decantatos locus aliquis Scripturae praelegeretur ac deinde unus ex ecclesiae doctoribus surgeret, qui locum illum praelectum exponeret ac doctrinas ex eo deduceret. Is cum dicendi finem fecisset, alius surgebat, pollens et ipse prophetiae sive scripturas interpretandi dono, qua ratione non unus tantum, sed duo vel tres etiam erant concionatores, qui per vices loquebantur. Eo existimant respicere apostolum his verbis, quando praecipit, ut qui inter Corinthios dono interpretandi Scripturam instructi sunt, publice doceant, per vices scilicet; nequaquam vero ex eo inferri posse, quod omnibus absque ulla vocatione licitum esse debeat publice in ecclesia docere, quia statim subjicit apostolus v. 32: *Non est Deus confusionis, sed pacis et ordinis Deus.* Socinus vero in explicatione loci Matth. 16. quae subjungitur tractatui de ecclesia, p. 67. statuit, per prophetas in hoc loco apostolico intelligi eos, *qui occultiora quaedam ad Christianam religionem pertinentia aperuerunt.* Ex quo sic colligimus: Illorum prophetarum officium aut fuit distinctum ab officio ordinariorum ecclesiae doctorum, aut idem omnino cum ipso. Si prius (quod videtur Socinus statuere, et magis congruit cum locis apostolicis Eph. 4, v. 11. 1. Cor. 12, v. 28. ubi prophetae a doctoribus et pastoribus distinguuntur), argumentum est a quaestione alienum, neque enim de extraordinario et primitivae ecclesiae proprio talium prophetarum officio, sed de ordinariis ecclesiae doctoribus hoc loco inter nos et Photinianos quaestio est, an scilicet ad illorum officium requiratur peculiaris vocatio. Si posterius, statuendum omnino est, prophetas illos non fuisse vocatione destitutos ob argumenta superius allata, licet in specie illorum vocatio non describitur, neque enim in historicis negative ex Scripturis argumentari licet.

1. Cor. 14, v. [...] Prophetae duo vel tres loquantur.

66. 2. 1. Tim. 3, v. 1: *Fidelis sermo, si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Si licet concupiscere munus alios docendi, falsum est exspectari necessario debere, donec aliquis ab alio mittatur.* Ita colligit Theoph. Nicolaides in defens. tract. de eccles. et miss. ministr. c. 1. p. 141. Respondemus: per τὸ ὀρέγεσθαι καὶ ἐπιθυμεῖν nequaquam eo in loco intelligi debet ministerii ecclesiastici absque missione et vocatione privato arbitrio suscepta administratio, neque violenta in hoc officium intrusio, neque illegitima et malis artibus impetrata vocatio (haec enim omnia divinae voluntati in Scri- XII. 2.

2. 1. Ti[m.] 3, v. 1 Siquis episcopatum desiderat etc.

pturis expressae et canonibus ecclesiasticis adversantur, Jer. 23, v. 21: *Non misi prophetas, et ipsi cucurrerunt*), sed ordinatum et pium illud desiderium, quo quis ecclesiae operam suam modeste offert, judicium de se aliis committit et legitimam vocationem exspectat ac paratus est cum propheta Esaia Deum vocantem sequi, Esa. 6, v. 8: *Dixi, ecce ego, mitte me*; interim tamen si hujus voti ac desiderii sui non fiat compos, divinae voluntati reverenter se submittit nequaquam indigne ferens, sese aliis posthabitum, sed cum Davide dicens: *Si dixerit mihi Deus, non places, praesto sum, faciat mecum, quod bonum est, coram se*, 2. Sam. 15, v. 26. Apostolus ibidem certam normam ac formam praescribit, ad quam ecclesia in eligendis ac constituendis ministris respicere debet, nequaquam igitur inordinato absque vocatione currentium desiderio patrocinatur, unde Ambrosius in comm. h. l. sic scribit: *Quoniam episcopum bonae vitae esse oportet, idcirco qui episcopatum cupit, bonum opus desiderat. Hoc enim cupiens bonam vitam appetere videtur, si tamen non ab iis declinet, quae in subjectis habentur, ne ambitione et desiderio pecuniae hoc egisse videatur.*

3. 1 Petr. 2, v. 9: Vos estis regale sacerdotium.

67. 3. 1. Petr. 2, v. 9: *Vos estis regale sacerdotium, ut annuntietis virtutes ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Apoc. 1, v. 6: *Christus fecit nos reges et sacerdotes Deo et Patri suo.* c. 5, v. 9. et 10: *Redemisti nos Deo et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes. Ergo omnes absque peculiari vocatione docere possunt.* Respondemus: 1. Quemadmodum ex eo, quod credentes dicuntur *reges*, nequaquam colligi potest, quemlibet ipsorum absque vocatione magistratus officio fungi posse, cum de regibus spiritualibus apostoli loquantur; ita nec ex eo, quod credentes dicuntur *sacerdotes*, colligi potest, quemlibet ipsorum absque vocatione ministerio ecclesiastico fungi posse, cum itidem de spiritualibus sacerdotibus sermo sit. 2. Dicuntur enim spirituales sacerdotes non respectu muneris ecclesiastici, cum Teoph. Nicolaides defens. tract. de miss. minist. c. 1. p. 139. ipsemet agnoscat, *ubicunque vox sacerdotis de Christiano populo legitur, tam auditoribus quam doctoribus eam competere*, id quod ex ipsis loci cujusque circumstantiis ad oculum demonstrari posse addit. 3. Sed respectu spiritualium hostiarum Deo offerendarum, sicut ipse Petrus exponit, v. 5. anteced. *vos estis sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum Jesum.* Tales sunt: precatio, Psalm. 141, v. 2. Apoc. 5, v. 8. c. 8, v. 4. gratiarum actio, Hebr. 13, v. 15. beneficentia erga pauperes, Phil. 4, v. 18. Hebr. 13, v. 16. mortificatio veteris hominis, Rom. 12, v. 1. martyrium propter Christum susceptum, Phil. 2, v. 17. 2. Tim. 4, v. 6. etc. tales hostiae ab omnibus piis tanquam spiritualibus sacerdotibus offerri possunt. Augustinus in Psalm. 94: *Si nos sumus Dei templum, ara Dei anima nostra est. Sacrificium Dei quid est? imponimus in ara sacrificium, quando Deum laudamus.* Idem lib. 20. de civ. Dei c. 10: *Dicimur sacerdotes, quia membra sumus unius sacerdotis.* 4. Quamvis vero ad spirituales hostias etiam pertineat evangelii praedicatio, Mal. 1. v. 11. Rom. 15, v. 16. tamen ex apellatione spiritualium sacerdotum omnibus piis attributa non potest inferri, ad omnes pertinere hanc spiritualem hostiam, evangelii scilicet praedicationem in publico ecclesiae coetu susceptam, siquidem ratio denominationis petitur a reliquis spiritualibus hostiis, quas omnes offerre possunt, non autem ab hac, quae nequaquam omnibus communis est. 5 Id quod evidenter colligitur ex verbis apostoli 1. Cor. 12, v. 29: *Num omnes sunt prophetae, num omnes doctores?* Omnes credentes sunt spirituales sacerdotes, neque tamen statim omnes sunt doctores vel prophetae, cum non omnes dono prophetiae instructi sint, neque ad ecclesiae ministerium vocati. Eph. 4, v. 11: *Dedit alios apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios doctores et pastores in opus ministerii.* XII. 2. 66. Ergo ut non omnes sunt prophetae vel apostoli, ita quoque non omnes sunt pastores et doctores. 6. Neque quidquam roboris inest ἐνστάσει, quod Petrus addat, pios esse *regale sacerdotium, ut annuntient virtutes ejus, qui de tenebris eos vocavit in lumen suum admirabile*; distinguendum enim inter generale mandatum et vocationem, quam omnes pii in Christianismi investitura accipiunt, quave ab illis requiritur, ut debita laudum praeconia Deo persolvant, a quo ad ecclesiae consortium vocati sunt, verbis et factis eundem confiteantur, suos privatim in vera pietate instituant, Deut. 6, v. 20. curent *verbum Christi abundanter inter se habitare seque invicem doceant et commonefaciant psalmis, hymnis et canticis spiritualibus*, Eph. 5, v. 19. Coloss. 3, v. 16. verboque Dei sese invicem consolentur, 1. Thess. 4, v. 18 etc. et inter specialem vocationem, qua ministerium verbi et sacramentorum in publico ecclesiae coetu administrandum certis personis ad illud idoneis publico ecclesiae consensu demandatur, quam vocationem non esse omnibus Christianis communem, patet ex 1. Cor. 12, v. 29. Eph. 4, v. 11. Jac. 3, v. 1. 7. Ad hanc specialem vocationem pertinet sacramentorum administratio, ut colligitur ex 1. Cor. 4, v. 1. jam vero nuspiam omnibus fidelibus mutua sacramentorum administratio vel praecipitur, vel permittitur. Ergo nec publicum verbi ministerium ad omnes pertinet. Negat quidem Socinus et ejus hyperaspistes Theoph. Nicolaides, sacramentorum administrationem ordinarie ad certas personas, ecclesiae scilicet ministros, pertinere; sed hoc ipsum suo loco late a nobis confirmatum fuit.

2. Ex variis exemplis 1. eorum, qui post mortem Stephani hinc inde dispersi.

68. Ad secundam argumentorum classem pertinent: 1. *Exempla* eorum, qui a morte Stephani hinc inde dispersi evangelium praedicarunt, Act. 8, v. 4. c. 11, v. 19. ut Philippi Act. 8, v. 5. et Apollo Act. 18, v. 24. et seqq. *Quia illi praedicarunt non missi ab apostolis, nisi enim persecutio accidisset, urbe patria nunquam exivissent, hinc consequens est, posse aliquem, qui non est missus, tunc etiam, cum ordo servatur et a doctrina recepta non reced*[illegible]

nec amplectebatur doctrinam, cujus praedicatio ministris commendabatur. Si vero Christianus fuisset, suae quoque illi attributae fuissent partes, cum ex Dei ordinatione sit *nutritius* ecclesiae, Esa. 49, v. 23. *custos* utriusque tabulae, Deut. 17, v. 19. *clypeus et scutum terrae in populo Abrahae* Psalm. 47, v. 10. ad cujus officium pertinet *portas attollere, ut ingrediatur rex gloriae* Psalm. 24, v. 7. providere, ut vigeat purum et incorruptum divini cultus exercitium, ecclesiarum et scholarum ministris stipendia constituere, lupos ab ovili Domini arcere, falsos cultos abrogare. Quomodo enim erit utriusque tabulae custos, nisi provideat de idoneis legis interpretibus? quomodo erit ecclesiae nutritius, nisi de salutaribus pascuis et veris pastoribus ecclesiae prospiciat? quomodo erit ecclesiae scutum et septum, nisi luporum violentiam coërceat? Ac proinde ut argumentum ex praxi apostolica deductum plenum sit, addenda sunt exempla piorum regum in V. T. Davidis puta, Josaphati, Ezechiae, Josiae etc. 2. Reg. 18, v. 4. 2. Reg. 22, v. 2. 1. Paral. 23. 2. Paral. 17, v. 6. et seqq. 2. Paral. 34. etc. ac piorum imperatorum in N. T. utpote Constantini, Theodosii, Justiniani etc. qua de re in loco de magistratu politico plenius dicendum erit. Ex eo igitur quod in primitiva
XII. 2. 85. apostolica et apostolicae proxima ecclesia magistratus in vocatione ministrorum ecclesiae nulla fiat mentio, haudquaquam inferendum, etiam hodie Christianum magistratum destitui jure vocandi ministros ecclesiae; ut enim a facto ad jus, ita quoque a negatione facti ad negationem juris non ducitur firmum argumentum. Item a magistratu ethnico ad magistratum Christianum non potest in hoc vocationis negotio legitima consequentia procedi.

Argumenta nostrae sententiae. 1. Ex Scriptura. 1. Ex Matth. 16.

87. Huic nostrae sententiae cum valde iniqui sint Pontificii, ab electione et vocatione episcoporum magistratum et reliquam ecclesiam plane excludentes, ideo firmis stabilienda erit argumentis eademque ab adversariorum exceptionibus vendicanda. Primam argumentorum classem ducimus ex Scripturis et rationibus ex ea deductis; secundam ex praxi apostolica; tertiam ex praxi ecclesiae primitivae. Ad primam classem pertinent sequentia fundamenta: 1. *Ex traditione clavium:* Cuicunque claves regni coelorum ab ipso Christo sunt traditae, penes eum est jus vocandi ecclesiae ministros. Atqui toti ecclesiae traditae sunt a Christo claves regni coelorum. Ergo penes totam ecclesiam est jus vocandi ministros. Propositio confirmatur ex definitione clavium regni coelorum. Per claves enim potestas ecclesiastica intelligitur, cujus pars est jus vocandi et constituendi ecclesiae ministros. Assumtio constat ex verbis Christi Matth. 16, v. 19. ubi Petro in persona ecclesiae dicitur: *Tibi dabo claves regni coelorum.* Augustinus tract. 124. in Joh. circa med.: *Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum ecclesiae gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia unus idemque primus apostolus; sed quando ei dictum est, tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris in terra, erit ligatum in coelis, et quodcunque solveris in terra, erit solutum et in coelis, universam significabat ecclesiam, quae in hoc seculo diversis tentationibus velut imbribus, fluminibus tempestatibusque quatitur et non cadit, quoniam fundata est super petram, unde et Petrus nominationem accepit* etc. *Ecclesia, quae fundatur in Christo, claves ab eo regni coelorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi solvendique peccata, quod enim est per proprietatem in Christo ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra, qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus ecclesia.* lib. 1. de doctrina Christ. c. 18: *Has claves dedit ecclesiae suae, ut quae solveret in terra, soluta essent in coelo, et quae ligaret in terra, ligata essent in coelo.* Confirmatur haec sententia Augustini ex omnibus illis Scripturae locis, in quibus ecclesia dicitur Christi *uxor*, Psalm. 45, v. 10. *sponsa*, Johan. 3, v. 29. *et materfamilias*, Psalm. 68, v. 13. jam vero claves a domino domus dantur matrifamilias, sic et Christus dominus domus Dei, quae est ecclesia Hebr. 3, v. 6. 1 Tim. 3, v. 15. suae sponsae claves tradidit. Ministri tanquam oeconomi 1. Cor. 4, v. 1. non nisi ministerialiter ecclesiae nomine eorum usum exercent. Idem probatur ex seq. c. 18. Matth. ubi ecclesiae tribuitur potestas excommunicandi praefractos peccatores, v. 17: *Si te non audierit, dic ecclesiae. Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus.* v. 18: *Amen dico vobis, quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta in coelo.* Jam vero potestas excommunicandi pertinet ad claves regni coelorum. Ergo claves regni coelorum traditae sunt toti ecclesiae. Excipit Bellarminus libr. 1. de clericis c. 7. 1. *Petrum in persona ecclesiae accepisse claves, quia in totius ecclesiae commodum et utilitatem eas accepit, et quia ipse non solus illis erat usurus, sed transmissurus ad successores et communicaturus cum aliis episcopis et presbyteris.* Respondemus: Petrum in ecclesiae commodum et utilitatem claves accepisse et cum aliis episcopis ac presbyteris communes habere concedimus, sed negamus, illud exclusive accipiendum, quasi soli Petro et episcopis claves sint XII
datae, non autem toti ecclesiae. Quemadmodum enim Petrus confessus est Christum in persona ecclesiae, non eo duntaxat sensu, quia confessio illa cessit in totius ecclesiae commodum, sed etiam quia Petro confitente ipsa quoque ecclesia confitebatur; ita quoque Petro in persona ecclesiae datae sunt claves regni coelorum, non solum quia in commodum et utilitatem totius ecclesiae ipsi datae sunt, sed etiam quia ecclesia eas in persona Petri accepit, ut usum earum ipsa exerceat, cum in aliis potestatis clavium nomine significatae partibus, tum in idoneis verbis ministris eligendis et vocandis. Joh. Ferus in c. 16. Matth.: *Ecclesia habet claves ut domina ac sponsa, Petrus non ut dominus, sed ut minister.* Haec interpretatio nostra evidenter probatur ex

circumstantiis textus et ex Matth. c. 18. seq. ad quod Bellarminus 2. sic excipit, *promitti ecclesiae potestatem solvendi et ligandi, sed quae in praelatis fit, non in reliqua multitudine. Vere enim dici ecclesiam solvere et ligare, quia praelati ejus solvunt et ligant, quemadmodum homo dicitur loqui et videre, licet non nisi lingua loquatur et oculis videat.* Id probat tali argumento: *Illi ecclesiae dicitur, quaecunque alligaveritis, de qua in praecedentibus est dictum, dic ecclesiae. Sed per illud dic ecclesiae, intelligitur praelatus aut concilium praelatorum. Ergo.* Respondemus: 1. unde probare poterit Bellarminus, nomine ecclesiae in illis Christi verbis, *dic ecclesiae*, intelligi solum praelatum vel concilium praelatorum? Solus praelatus non est ecclesia, quod agnoscit ipse Bellarminus sic scribens lib. 3. de ecclesia c. 17. circa fin.: *Una persona non potest dici ecclesia, cum ecclesia sit populus et regnum Dei.* Nec concilium praelatorum sive episcoporum est ecclesia, quia ad ecclesiam pertinent etiam auditores, qui essentialem ejus definitionem ingrediuntur. Ut civitas non constat ex medico et medico, sed ex medico et agricola; ita ecclesia non constat ex episcopo et episcopo, sed ex episcopo et auditoribus. 2. At, inquis, intelligitur ecclesia *repraesentativa*, non collective sumta, cum de tota ecclesia collective sumta non possit accipi illud Christi, *dic ecclesiae.* Respondemus: soli episcopi sive docentes non possunt ecclesiam repraesentare, cum ad definitionem ejus pertineant etiam auditores, sed presbyterium repraesentare potest ecclesiam, ad quod non solum illi pertinent, qui laborant in verbo, sed etiam seniores, praepositi, negotiis ecclesiasticis nomine totius ecclesiae expediendis praefecti. Concedimus igitur, ecclesiae nomine intelligi doctores, quos Bellarminus vocat praelatos, sed negamus, plane exclusos esse auditores, illorum enim locum repraesentant seniores, nobiliora scilicet reliquae ecclesiae membra, qui una cum ministerio constituunt presbyterium sive ut in nostris ecclesiis vocare solemus consistorium, quod ecclesiae nomine ecclesiastica negotia expedit. 3. Invertimus ergo simile Bellarmini: Quemadmodum homo loquitur lingua et videt oculis tanquam instrumentis naturalibus, quae ab anima moventur, unde loquela et visio tribuitur homini ut causae principali et principio quod, linguae et oculis ut causae instrumentali et principio quo; sic ecclesia eligit et constituit ministros per presbyterium, quod non agit privato arbitrio ac privata auctoritate, sed nomine ecclesiae omnia expedit, ita ut ecclesia agat principaliter, presbyterium instrumentaliter, unde etiam doctores sic vocati non presbyterii, sed ecclesiae ministri dicuntur. Refero huc locum egregium ex scripto quodam anonymo, cujus auctor fuit Pontificius, edito Francof. anno 1612. sub hoc titulo, *Varia tam facultatis theol. et curiae Parisiensis, quam aliorum theologorum et jureconsultorum opuscula* etc. in cap. de ecclesiast. et politic. potestate num. 1: *Vulgare atque indubitatae fidei axioma est, Deum et naturam prius atque immediatius ad totum suppositum quam ad aliquam partem suppositi quamvis nobilissimam intendere, eamque ob causam facultatem videndi, exempli gratia, toti datam esse homini, ut per oculum tanquam per organum et ministrum hominis exerceretur, nam oculus per et propter hominem existit. Hoc infallibili schola Parisiensis munita firmamento* XII. 2. 87. *congruenter ad mentem omnium antiquiorum ecclesiae doctorum perpetuo constanterque docuit, Christum fundando ecclesiam primus immediatius atque essentialius claves sive jurisdictionem toti dedisse ecclesiae quam Petro, seu quod eodem redit, claves toti contulisse ecclesiae, ut per unum ministerialiter exercerentur, quandoquidem tota jurisdictio ecclesiastica primario, proprie ac essentialiter ecclesiae convenit, Romano autem pontifici atque aliis episcopis instrumentaliter, ministerialiter et quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo.* 4. Distinguimus ergo inter potestatem ipsam et potestatis executionem. Potestas ipsa est et manet penes ecclesiam, sed executio illius potestatis fit per episcopos seniores, hoc est per ministerium et illos, qui reliquae ecclesiae locum repraesentant. Cujus nomine et auctoritate fit executio potestatis, illius est et manet potestas propria. Jam vero executio potestatis ecclesiasticae in vocandis et eligendis ministris, in solvendis et alligandis peccatis fit nomine et auctoritate totius ecclesiae. Ergo illius est et manet potestas illa propria. 5. Consideramus hoc loco Israëliticae ecclesiae praxin, ad quam dubio procul Christi verba respectum aliquem habent. In ea potestas excommunicandi, de qua speciatim Christus loquitur, non erat penes solos sacerdotes, sed penes totum synedrium, quod constabat ex sacerdotibus et senioribus, qui reliquam ecclesiae partem repraesentabant. 6. Idem probat praxis ecclesiae apostolicae. Incestuosi excommunicationem apostolus non sine ecclesiae Corinthiacae consensu suscepit. 1. Cor. 5, v. 4: *Congregatis vobis et meo spiritu in nomine Domini nostri Jesu Christi constitui hujusmodi hominem tradere Satanae.* 2. Cor. 2, v. 6: *Sufficit istiusmodi homini increpatio a pluribus profecta.* Inde etiam rogat, ut illi, qui fuerat excommunicatus, ab omnibus condonetur. Quae omnia probant, partem illam potestatis ecclesiasticae, quae excommunicationem complectitur, ad totam ecclesiam pertinere. Jam vero eadem est ratio partis illius, quae vocationem et constitutionem ministrorum respicit. Ergo eadem quoque ad totam ecclesiam pertinebit. Coronidis loco explicanda sunt insidiosa illa verba Bellarmini, quibus asserit, *Petrum claves a Christo acceptas transmisisse ad successores.* Quid enim sibi velit illis verbis, exponit Franc. Vargas in tract. de jurisd. episcopor. ubi docet, *penes papam Petri successorem stare potestatem excommunicandi, absolvendi, dispensandi, casus reservandi, indulgentias et beneficia conferendi, leges ponendi, ecclesiasticam hierarchiam moderandi etc. atque hanc potestatem a summo pontifice ad episcopos derivari, interim tamen in eo tanquam fonte repositam esse*

atque ab eo ad alios tanquam per rivulos promanare. Idem omnino statuere Bellarminum probat tota disputatio de pontifice.

2. Ex Matth. 7, v. 15. Joh. 5, v. 39. etc. 88. 2. *Ex probatione doctorum.* Cujus est discernere doctores a seductoribus, probare sanam doctrinam, vocem Christi ἀρχιποιμένος a pseudopastorum voce distinguere, alienum non sequi, sed ab eo refugere, anathematizare eos, qui aliud evangelium praedicant praeter id, quod ab apostolis praedicatum est, ejus est suo modo atque ordine vocare ecclesiae ministros. Sed ovibus Christi sive auditoribus vi divini praecepti priora omnia incumbunt. Matth. 7, v. 15: *Cavete a pseudoprophetis.* Johan. 5, v. 39: *Scrutamini Scripturas.* Johan. 10, v. 27: *Oves meae vocem meam audiunt*, alienum vero non sequuntur. Galat. 1, v. 9: *Si quis vobis evangelizarit praeter id, quod accepistis, anathema sit.* 1. Thess. 5, v. 19: *Spiritum nolite exstinguere* v. 20: *prophetias nolite spernere;* v. 21: *omnia probate, quod bonum est tenete.* 1. Joh. 4, v. 1: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint.* 2. Joh. v. 10: *Si quis venit ad vos nec affert hanc doctrinam, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis*; v. 11: *qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Ergo nec posterius illis denegandum. Connexio majoris est manifesta. Si enim auditores debent
XII. 2. 88. cavere a pseudoprophetis, utique etiam debito ordine et modo cavere debent, ne ecclesiastico ministerio praeficiantur falsi doctores ac per consequens modis omnibus in id incumbere, ut veri ac pii doctores ad hoc officium vocentur. Vide omnino Lutherum in libro cui titulus: Grund und Urſache aus der Schrift, daß eine chriſtliche Verſammlung oder Gemeinde Recht und Macht habe, alle Lehre zu urtheilen und Lehrer zu berufen, ein- und abzuſetzen, Tom. 2. Germ. Jenens. f. 242. Exipit Bellarminus, *populum quidem debere discernere verum prophetam a falso, sed non alia regula quam diligenter attendendo, an is, qui praedicat, dicat contraria illis, quae dicebantur a praedecessoribus, vel iis, quae dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus, praesertim ab apostolica sede et ecclesia principali. Nam imperatum est populo, ut audiat pastores suos.* Luc. 10: *Qui vos audit, me audit.* Matth. 23: *Quae dicunt, facite. Non ergo debet populus judicare suum pastorem, nisi nova audiat et a doctrina aliorum pastorum aliena.* Respondemus: 1. acceptamus, quod dat Bellarminus, populum debere discernere verum prophetam a falso ac debere judicare suum pastorem. Sed quomodo id convenit cum eo, quod in hoc ipso capite 7. arg. 3. negat, *oves debere eligere pastorem*, quomodo etiam convenit cum Stapletoni dictis, qui in promt. cathol. domin. VII. post Trin. loco 1. scribit: *Oves et simplicem populum fugere jubet Christus pseudoprophetas, non inquirere.* Et rursum: *Quid sit pastoris officium, non oves ipsae et vulgus fidelium, sed alii pastores et tota pastorum communitas vel maxime caput pastorum Christi in terris vicarius judicare et cognoscere debent?* 2. Tota igitur quaestio est de norma et regula, juxta quam populus discernere debeat verum prophetam a falso. Bellarminus proponit hanc regulam, *quod populus attendere debeat, an is, qui praedicat, dicat contraria illis, quae dicebantur a praedecessoribus, vel iis, quae dicuntur ab aliis pastoribus, praesertim ab apostolica sede.* At haec regula est irregularis et fallax. Ostendimus enim suo loco, veritatem doctrinae non esse alligatam ad successionem episcoporum nec ad sedem Romanam. Si discipuli Christi de ipsius doctrina voluissent judicare juxta hanc Bellarmini regulam, haereseos eam condemnassent, praedecessores enim ipsius docuerant contraria, sacerdotes in sede Aaronica damnabant Christi doctrinam ut haereticam. Si apostolorum auditores voluissent juxta hanc Bellarmini regulam pronuntiare, itidem fuissent turpiter decepti, ideo Beroënses Actor. 17, v. 11. nequaquam fallacis hujus regulae libramine doctrinam apostolorum expendebant, sed Scripturarum canonem respiciebant. 3. Utimur contra Bellarminum hoc argumento: Falsi prophetae non sunt a populo audiendi; qui sunt in ordinaria succesione, interdum fiunt falsi prophetae. Esa. 56, v. 10: *Speculatores ejus coeci omnes.* Jerem. 6, v. 13: *A propheta usque ad sacerdotem omnes faciunt mendacium.* Jerem. 10, v. 21: *Stulte egerunt pastores et Dominum non quaesiverunt, propterea non intellexerunt et omnis grex eorum dispersus est* etc. Act. 20, v. 29: *Post discessum meum intrabunt lupi graves in vos non parcentes gregi*, v. 30: *et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut adducant discipulos.* Ergo qui sunt in ordinaria successione, interdum non sunt audiendi, et per consequens fallax est regula, quod in discretione verorum prophetarum a falsis respiciendum semper sit ad doctrinam eorum, qui sunt in ordinaria successione. 4. Ipse Bellarminus agnoscit, episcopos in ordinaria successione constitutos non esse absolute et simpliciter audiendos, sed quatenus consentiunt cum apostolica sede, hoc est quatenus se conformant judicio Romani pontificis. Sic enim scribit lib. 3. de eccles. cap. 10. resp. ad secundum: *Quod ecclesia teneatur sequi eos, quos habet pro veris pastoribus, sano sensu accipiendum est, si videlicet hujusmodi episcopi in doctrina omnes consentiant aut summi pontifices sint.* lib. 4. de pontif. Rom. c. 1. concludit, *summum et infallibile judicium esse penes summum pontificem.* Quo etiam spectat, quod hoc loco addit, *populum in discretione verorum prophetarum a falsis attendere debere, an* XI
is, qui praedicat, dicat contraria iis, quae dicuntur ab ordinariis pastoribus et praesertim ab apostolica sede. Compendio igitur uti potuisset ac simpliciter pronuntiare, judicium summi pontificis esse unicam infallibilem regulam, juxta quam de veris et falsis pastoribus sit pronuntiandum. Sed id nemo illi credet, qui errores Romanorum pontificum habet ex historiis perspectos. 5. Alia igitur statuenda est hujus discretionis regula, quae est Scriptura sacra, quam Chrystostomus hom. 13. in 2. Cor. vocat

ἁπάντων ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα καὶ κανόνα. Psalm. 119, v. 105: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Esa. 8, v. 20: *Ad legem et ad testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* 2. Petr. 1, v. 19: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, et bene facitis attendentes ei velut lucernae lucenti in loco caliginoso.* Ad Scripturae igitur normam exigenda doctrina quorumcunque pastorum et juxta eam utpote regulam ac *perpendiculum,* Psalm. 19, v. 9. de pastoribus judicandum; audiendi sunt ordinarii pastores, sed si ipsi etiam Christum in verbo loquentem audiant, si doceant ea, quae Christus praecepit, si non aliam quam veram Christi doctrinam afferant, Matth. 28, v. 20. Joh. 10, v. 1. 2. Joh. v. 10. Quod ergo Bellarminus dicit, *imperatum esse populo, ut audiat pastores suos,* id limitamus hoc modo: Audiendi sunt non absolute et simpliciter, quidquid proferant, sed tum demum, quando proferunt σύμφωνα ταῖς γραφαῖς, non enim habent speciale privilegium non errandi, sicut prophetae et apostoli, sed ipsi non minus ac reliqui fideles *aedificati sunt super fundamentum prophetarum et apostolorum,* Ephes. 2, v. 20. si a sinceritate doctrinae propheticae et apostolicae discedunt, eatenus non sunt audiendi. Sic jubebat Christus *audire scribas et Pharisaeos, sed in cathedra Moysis sedentes,* hoc est ex Moyse et secundum Moysis scripta eisdemque homogenea prophetarum scripta docentes; alias jubet *a fermento,* hoc est falsa doctrina eorum, cavere, Matth. 16, v. 6. et 12. Audiendi sunt pastores, sed quatenus sunt ac manent pastores ad salutaria doctrinae coelestis pascua oves Christi ducentes; qui corrumpunt et pervertunt summi pastoris ac unici magistri et doctoris nostri Christi verbum, non amplius sunt pastores, sed lupi rapaces, ideoque non audiendi, sed fugiendi sunt. 6. Regerit Bellarminus: *Populus cum sit rudis, non potest aliter judicare de doctrina pastoris quam ex collatione cum doctrina praedecessorum et ordinariorum pastorum.* Respondemus: hoc falsum esse ostendit exemplum Beroënsium, *qui quotidie scrutabantur Scripturas sedulo inquirentes, an haec ita se haberent,* quae a Paulo et Barnaba proferebantur Act. 17, v. 11. regulam judicii statuebant non doctrinam ordinariorum pastorum, sed Scripturas sacras, quo nomine a Spiritu S. commendantur. Ruditas illa populi, de qua Bellarminus loquitur, in papatu originem ducit ex prohibitione legendi Scripturam sacram, pro quo sacrilegio gravem olim reddent rationem illius auctores. Iuvertimus autem Bellarmini argumentum. Si ruditas populi non obstat, quominus possit doctrinam pastorum conferre cum doctrina praedecessorum vel ordinariorum pastorum, utique etiam non obstabit, quominus doctrinam pastorum conferre possit cum doctrina Christi, prophetarum et apostolorum in Scripturis proposita et juxta hanc normam verum prophetam a falso discernere. Sed verum prius, ergo et posterius. Connexio majoris probatur, quia Christus, prophetae et apostoli tam perspicue docere possunt et vere etiam tam perspicue docuerunt quam ordinarii pastores. Cum Christus, prophetae et apostoli docendi ministerio in his terris fungerentur, non eruditis solum, sed etiam rudi populo praedicarunt, atque eo quidem modo, ut doctrinam ipsorum intelligere possent; quomodo igitur scripta prophetarum et apostolorum adeo essent obscura et perplexa, ut ex illis de doctrina rudis populus judicare omnino nequeat? Certe non alia, sed eadem scripserunt prophetae et apostoli, quae viva voce praedicarunt. 7. *At,* inquit Bellarminus *si populus per se posset judicare de doctrina pastoris, non egeret praedicatoribus.* XII. 2. 90. Respondemus: Quae vero in hac illatione συνάφεια? Utrumque a Deo mandatum, ut scilicet populus judicet de doctrina pastoris, quod ipse Bellarminus antea disertis verbis illi concessit, et ut nihilominus sint certi et ordinarii in ecclesia ministri, *non enim omnes doctores* 1. Cor. 12, v. 29. Ephes. 4, v. 11. aliud est inquirere in veritatem doctrinae et haereses ab orthodoxia, pseudoprophetas a veris doctoribus discernere, quae vocatio generalis est ad omnes Christianos pertinens; aliud publice in ecclesia docere, quae est vocatio specialis. Ex ovibus non facimus pastores, sed jubemus, ut sint ac maneant oves, interim nolumus eas esse brutas oves, quae non possint nec debeant discernere inter pastores et lupos. Pontificii ex auditoribus suis faciunt brutas oves, quae sine ulla discretione sequantur pastorem, si vel maxime ad noxia deducat pascua vel etiam in lupum vertatur; faciunt ex auditoribus suis psittacos a nutu praelatorum pendentes, ex praelatis angelos, qui plane sint infallibiles et ἀνυπεύθυνοι. Urgeo hoc loco contra Bellarminum (ex comparatione auditorum cum ovibus colligentem, ad ipsos non pertinere vocationem ministrorum) aliam similitudinem. Episcopus in jure canonico dicitur ecclesiae suae *sponsus.* Jam vero leges humanae, imo etiam divinae aequum censuerunt, ne invitae alicui sponsus assignaretur, ergo idem in ecclesia debet observari, ne ipsi invitae obtrudatur episcopus, cum enim inter episcopum et ecclesiam spirituale matrimonium, ut canonistae loquuntur, intercedat, ecclesiae consensum intercedere oportebit. 8. Quod de Luthero addit, *ipsum per se venisse et cum doctrina aliorum pastorum pugnantia docuisse, ideoque doctrinam ejus debuisse esse suspectam,* de eo inferius dicetur, ubi legitimam ejus vocationem asseremus. 9. Ratio quam Bellarminus addit, est plane Antichristiana. *Cum pastor ordinarius* (inquit) *et aliquis alius, qui praedicat non vocatus, contraria docent, debet omnino populus pastorem suum potius sequi quam illum alterum, qui non est pastor, etiamsi forte contingeret, ut pastor erraret.* At falsum est, Lutherum non fuisse pastorem legitime vocatum, falsum etiam illud, quod pastorem ordinarium etiam errantem populus sequi debeat, hoc enim nihil aliud est quam jubere, ut oves etiam ad noxia pascua suum sequantur pastorem, ut tenebras Christiani praeferant luci, errores veritati, humanas constitutiones divinae auctoritati. Subjicit quidem Bellarminus, *non esse*

credibile, Deum permissurum, ut ordinarius pastor ita erret, ut decipiat simplicem populum, sed frustra disputatur, an fieri possit, de quo manifeste constat, quod factum sit, ordinarios pastores saepius errasse et simplicem populum decepisse absque insigni impudentia negari nequit; hic ergo urgemus Bellarminum et quaerimus, an ordinarios pastores etiam errantes populus sequi debeat? si affirmate respondeat, manifestum faciet, se operam venalem locasse ei, qui c. Si Papa. dist. 40. sic rugit: *Si papa suae et fraternae salutis immemor negligens deprehenditur, inutilis et remissus in operibus suis et insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi et nihilominus omnibus, innumerabiles populos catervatim secum ducat primo mancipio gehennae cum ipso plagis multis in aeternum vapulaturos, hujus culpas istic redarguere praesumat mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus.* Nec est quod in locutione comparata latibulum sibi paratum existimet, populum debere pastorem ordinarium errantem *potius* sequi quam alium non vocatum, non enim hoc loco quaeritur, an absque vocatione aliquis in ecclesia publice docere debeat, sed an pastores ordinarii errantes et seducentes audiendi sint. Neque est immediata connexio inter haec duo membra: Si populus non debet sequi pastorem ordinarium errantem, cogetur audire alium non vocatum, datur enim tertium, videlicet quod ecclesia debeat jure suo uti et in locum errantis alium recta et salutaria docentem vocare. 10. Sed demus ex hypothesi, quod populus de doctrina pastoris judicare debeat ex doctrina praedecessorum et ordinariorum, praesertim pontificis Romani, manet nihilominus argumentum nostrum ratum et firmum.

XII. 2. 91. Populus debet discernere verum prophetam a falso. Ergo requiritur populi consensus et suffragium ad ministrorum vocationem. Bellarminus excipit, *posse quidem populum verum prophetam a falso discernere, sed non propterea posse falsum pastorem, si sit episcopus, deponere et alium ejus loco substituere, cum Dominus et apostolus tantum jubeant, ut falsi prophetae non audiantur a populo, non autem ut populus eos deponat, cumque usus ecclesiae semper obtinuerit, ut haeretici episcopi a conciliis episcoporum vel a summis pontificibus deponerentur.* Respondemus: nec nos approbamus confusionem Anabaptisticam ac perturbatum in pseudoprophetarum remotione agendi ordinem, sed toti ecclesiae jus vocandi idoneos et removendi perversos ministros competere dicimus. Fugiendi omnino sunt, quin et fugandi pseudoprophetae, interim tamen nihil contra ordinem divinitus constitutum agatur. Quodsi in vinea Domini lupi occupent pastorum sedes, resistendum illis modis licitis, nec permittendum, ut vineam libere devastent ac Christi oves verae doctrinae pabulo defraudentur. Reliqua ecclesiae membra mutuum conferant auxilium, et ecclesia pro suo quod habet jure eligendi ministros idoneos et perversos rejiciendi debito ordine malo huic quaerat remedium, quae omnia erunt clariora ex quaestionibus de specialibus quibusdam casibus.

89. 3. *Ex appellatione ministrorum.* Cujuscunque ministri sunt et dicuntur pastores, illi quoque competit jus et potestas vocandi pastores. Sed sunt et dicuntur ministri ecclesiae. Ergo ecclesiae competit jus et potestas vocandi pastores. Assumtio confirmatur ex 1. Cor. 3, v. 21: *Omnia vestra sunt,* v. 22. *sive Paulus, sive Cephas, omnia vestra sunt.* 2. Cor. 1, v. 24: *Non dominamur fidei vestrae.* 1. Petr. 5, v. 2: *Pascite eum qui in vobis est gregem,* v. 3. *non dominantes cleris.* Excipit Bellarminus, *episcopos esse ministros ecclesiae, quia pro ea laborant, non illi obediendo, sed eam regendo eique praesidendo. Duplex enim est genus ministrorum, cum alii serviant obediendo, ut mancipia, alii imperando, ut paedagogi et omnis magistratus. Porro episcopos servire populis regendo et imperando, patet* Actor. 20. et Hebr. 13. Respondemus: 1. non sunt sibi invicem opponenda legitima ministri per suffragia auditorum vocatio et debita erga ministrum legitime vocatum reverentia et obedientia. Populus omnino debet obedire ministris legitime vocatis, ex eo autem non debet inferri, quod suffragia populi a legitima ministrorum vocatione debeant excludi. 2. Quidquid ministri legitime vocati et suo recte fungentes officio agunt, non suo, sed Dei et ecclesiae nomine agunt. Deus est dominus messis et paterfamilias, ecclesia est decus domus et materfamilias, ministri sunt oeconomi. 3. Nequaquam igitur dominatum quendam politicum in auditores sibi arrogare nec authenticam pro libitu agendi et imperandi potestatem sibi vendicare debent, sed audiant illud Christi Luc. 22, v. 26: *Vos autem non sic;* audiant illud Petri 1. epist. 5, v. 3: *μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων.* 4. Ne quidem per magistratus electionem certis conditionibus ac pactis conventis limitatam liberae reipublicae adimitur potestas ab officio eum removendi, quem eligit; quanto minus per ministerii ecclesiastici constitutionem ecclesiae ademta judicanda est potestas ab officio ministros in doctrina vel vita perversos removendi; ubi tamen denuo monemus, nihil temere vel confuse hac in parte agendum. 5. Repetimus quod dictum fuit superius, magistratus quidem dici *διακόνους θεοῦ* Rom 13, v. 4. nuspiam vero ministros subditorum, ideo *διακονία* magistratus respectu Dei non excludit *δεσποτικὴν κυριότητα* respectu subditorum. Sed pastores non solum Dei, sed etiam ecclesiae ministri dicuntur, 2. Cor. 4, v. 5: *Non praedicamus nos ipsos, sed Jesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Jesum.* Coloss. 1, v. 25: *Cujus* (ecclesiae) *factus ego sum minister.* 1. Cor. 3, v. 21: *Omnia vestra sunt.* Ergo *διακονία* pastorum excludit *δεσποτικὴν κυριότητα. τὴν ἀρχήν*, dominatum et magisterium, Christus sibi retinuit, Joh. 13, v. 13. Matth. XII. 2.
23, v. 8. 1. Cor. 8, v. 6. sed *διακονίαν* et *οἰκονομίαν* ministris ecclesiae commendavit, unde etiam *ἡγεμονία* illa, quae tribuitur pastoribus Hebr. 13, v. 17. sic

3. Ex 1. Cor. v. 21. Omnia vestra sunt.

exponitur Luc. 22, v. 26. quod non in ἀρχῇ quadam politica, sed in διακονίᾳ ecclesiastica consistat, quod ministri sese duces praestare debeant populo in doctrina, conversatione sancta et disciplina.

90. 4. *Ex utilitate auditorum.* Quod omnes tangit, omnium consensu et suffragiis peragi debet. Sed ministros idoneos et orthodoxos constitui tangit omnes ecclesiae ordines. Ergo etiam omnium consensu et suffragiis peragi debet. Eo procul dubio respicit apostolus, quando requirit, ut *episcopus* eligendus habeat *bonum testimonium ab extraneis* 1. Tim. 3, v. 7. atqui si ab extraneis debet habere bonum testimonium, quanto magis ab ecclesia, cui praeficiendus est? Hisce addimus 5. jus universi coetus ad unum aliquem ordinem exclusis reliquis deferri justitiae ratio non patitur. Atqui jus vocandi ministros pertinet ad universam ecclesiam, ut ex praecedentibus constat. Ergo ad unum ordinem reliquis exclusis illud transferri justitiae ratio non patitur. Et 6. quidquid alit mutuam concordiam inter auditores et pastores summe necessariam atque amovet dissidia ex neglectu illius metuenda, illud merito sancte observatur. Sed ministros vocari cum consensu et suffragiis ecclesiae, cui praeficiuntur, alit mutuam concordiam inter auditores ac pastores summe necessariam, amovet etiam dissidia ex neglectu hujus ordinis metuenda. Ergo ministros cum consensu ecclesiae vocari merito sancte observatur.

91. Alteram argumentorum classem petimus ex praxi apostolica, ubi sic concludimus: Quam vocandi ministros rationem observarunt apostoli, ea merito adhuc in ecclesia observatur. Sed apostoli eo modo vocarunt ministros, ut accederet etiam ecclesiae consensus. Ergo eam vocandi rationem merito adhuc observamus. Circa majorem propositionem notandum, quod agat de ecclesia jam plantata et constituta, itemque quod ea magistratus, qui tempore apostolorum nondum erat ecclesiae membrum, hac in re juri neutiquam opponi debeat. Minor probatur aliquot exemplis. 1. Act. 1, v. 23. in electione Matthiae Petrus quidem negotium proponit, interim nec ipse solus, nec apostoli soli, sed tota ecclesia duos statuit, sortem projicit et eum, cujus vocatio divinitus confirmabatur, communibus suffragiis in numerum apostolorum cooptat. ἔστησαν δύο, inquit Lucas, videlicet ἄνδρες ἀδελφοί, quorum numerus excurrebat ad centum et viginti, una cum apostolis, ut colligitur ex v. 15. καὶ προσευξάμενοι ἔδωκαν κλήρους, ubi non apostolorum duntaxat, sed totius ecclesiae preces intelliguntur, καὶ συγκατεψηφίσθη Ματθίας μετὰ τῶν ἕνδεκα ἀποστόλων, additus est calculis vel suffragiis ecclesiae numero apostolorum. Excipit Bellarminus 1. *juxta Chrysostomum factum id esse ex concessione Petri, non ex necessitate.* Respondemus: Si Petrus tunc concessit, cur papa, qui Petri successor audire cupit, hodie idem non concedit? Sed negamus, specialem quandam concessionem hic describi. Considerandus enim est apostolicae concionis scopus et ejusdem consequens. Scopus est, alium quendam in locum proditoris Judae ex discipulis esse eligendum, quam rem ad totum fidelium coetum refert, ut communibus suffragiis tales personae sistantur, quae cum Christo in terris agente ac docente individuam habuerint societatem; consequens est, quod tales communi ecclesiae suffragio electos coram Deo statuunt ac precibus communibus praemissis sortes eorum projiciunt, postea electum per sortem communibus calculis apostolorum collegio annumerant. Nulla hic peculiaris cujusdam concessionis vel papalis indulgentiae fit mentio, sed Petrus ecclesiae hoc concedit, quia jure illud ei deberi novit, proponitur igitur exemplum apostolicum ἀξιομιμητόν in ministrorum vocatione merito observandum. Chryso- XII. 2. 93.
stomus nullam facit concessionis cujusdam mentionem, sed monet, Petrum nihil hac in re agere voluisse suo arbitrio vel cum imperio. Sic enim scribit hom. 3. ὅρα τὸν αὐτὸν (Πέτρον) μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης, οὐδὲν αὐθεντικῶς οὐδὲ ἀρχικῶς. Et postea addit, Petrum ideo negotium illud cum reliquis communicare, ἵνα μὴ περιμάχητον τοῦτο πρᾶγμα γένηται, jam vero idem periculum in aliis etiam vocationibus metuendum. Concludit tandem: ***Multitudini permittit judicium simul eos, qui eligebantur, reddens reverendos et se ipsum liberans invidia simultateque, quae poterat a ceteris oboriri.*** Nullam audis concessionem, sed causas facti gravissimas. 2. *Illam non tam fuisse electionem quam postulationem quandam, qua cupiverunt a Deo aliquem eligi in locum Judae.* Respondemus: prius elegerunt duos, postea demum per preces postularunt, ex duobus illis unum a Deo eligi, hoc est electionem alterutrius per sortem manifestari et comprobari. Ergo postulatio non opponenda est antegressae electioni, nec excludit electionem. Interim fatemur, in vocatione hac immediata per sortem et inter reliquas mediatas vocationes esse aliquam differentiam, quia in hac immediata Matthiae vocatione non debebat una persona determinate eligi, sed divino judicio alterutrius electio commendari; verum in vocatione mediata ecclesiae competit determinata unius personae electio et vocatio. *3. Ab exemplo uno non deduci posse, quod aliquid sit de jure divino, cum praesto sint exempla contraria, fuisse aliquando sine populi suffragiis electos episcopos.* Respondemus: de illis exemplis contrariis dispiciemus postea, hoc loco monemus, nos haudquaquam ab uno particulari exemplo, certis circumstantiis limitato, sed ab universali apostolicae ecclesiae praxi argumentari, conjungimus enim cum hoc exemplo vocationis Matthiae exempla etiam reliqua in actis et epistolis apostolicis descripta. Procedimus igitur non ab uno particulari exemplo ad regulam generalem, sed a sufficienti enumeratione omnium exemplorum in Scripturis annotatorum, et notanter addimus, non posse dissimile exemplum dari, ubi scilicet apostoli absque ecclesiae suffragio in ecclesia jam constituta ministros vocaverint. Ex hac tota praxi apostolica demonstrata per exempla omnia in Scripturis annotata recte infertur, quod vocatio

ministrorum non debeat fieri absque ecclesiae suffragio, quia perpetua illa apostolorum praxis suppeditat generalem regulam in similibus negotiis merito observandam. 4. Excipiunt alii, *vocationem Matthiae fuisse extraordinariam, ideo non posse ex hoc exemplo probari, quod suffragium et consensus ecclesiae in mediata vocatione accedere debeat.* Respondemus: concedimus antecedens, sed negamus, legitime ex eo inferri consequens, quin potius contrario modo procedimus. Si a Matthiae vocatione, quae tamen fuit extraordinaria et divinitus per sortem comprobata, non fuit exclusum ecclesiae suffragium, multo minus ab ordinaria ac mediata ministrorum vocatione illud excludi poterit. Connexionem firmant exempla reliqua, quae mox enumerabimus.

2. Act. 6, v. 3. electio diaconorum. 92. 2. Act. 6, v. 3. cum diaconi eligendi essent, Petrus dicit ad totam discipulorum multitudinem: *Dispicite, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus.* v. 5. *Et placuit sermo eorum toti multitudini, et elegerunt, ἐξελέξαντο, Stephanum et Philippum* etc. v. 6. *hos statuerunt ante conspectum apostolorum et orantes imposuerunt eis manus;* ubi observa, 1. Petrum et apostolos negotium de diaconis constituendis deferre ad totam ecclesiam; 2. ecclesiam approbare hoc consilium apostolorum; 3. electionem diaconorum non fieri a solis apostolis, sed a tota ecclesia; 4. non apostolos solos, sed etiam seniores nomine ecclesiae reliquae manus illis imponere, quod postremum membrum probabiliter colligimus ex 1. Tim. 4, v. 14: *Noli negligere gratiam per impositionem manuum presbyterii tibi datam*, ubi presbyterii nomine intelliguntur non solum illi, qui in verbo laborant, sed
XII. 2. 94. etiam seniores ecclesiae reliquae vicem gerentes. Idem igitur in diaconorum electione observatum fuisse verisimile est. Sed si vel maxime concedatur, solos apostolos manus imposuisse diaconis, nihil tamen ex eo decedit nostro argumento, quia per hanc manuum impositionem simul etiam testificati sunt, se hanc diaconorum electionem per suffragia ecclesiae factam habere ratam. Excipit Bellarminus *1. ab hoc exemplo non probari, id esse de jure divino.* Respondemus: conjungimus cum hoc exemplo etiam reliqua. Praeterea exemplum illud aut juri divino congruit, aut eidem adversatur (ἀδιάφορον esse ac proinde tertium hic dari dici non potest, si enim jure divino ministrorum vocatio ad solos apostolos ex hypothesi Bellarminiana pertinuisset, non debebant in societatem et communicationem hujus juris admittere ecclesiam reliquam). Sed non potest de hoc apostolorum facto dici, quod adversetur juri divino. Ergo congruit cum jure divino, et per consequens ab hoc exemplo ad jus divinum legitime proceditur. *2. Id esse tributum populo ex concessione apostolorum.* Respondemus: non concessio aliqua peculiaris hic describitur, sed praeceptum apostolicum: *Dispicite ex vobis* (inquiunt) *viros bono testimonio ornatos.* Si fuisset quaedam concessio, praecessisset reliquorum fidelium petitio, cui apostoli propter certas et peculiares causas locum dedissent. Sed tale quid in verbis Lucae non occurrit. Conjungimus autem cum hoc exemplo regulam apostolicam 1. Timoth. 3, v. 7: *Oportet episcopum habere bonum testimonium ab illis, qui foris sunt.* Idem de diaconis hisce dicimus, quod oportuerit ipsos habere bonum testimonium ab ecclesia, ergo non ex concessione, sed ex necessitate consensus et judicium ecclesiae fuit postulatum, nimirum ut constaret de testimonio ipsius circa personas ad diaconatum eligendas. Praeterea illa concessio apostolorum aut fuit juri divino congrua, aut contraria. Posterius dici nequit, alias enim non fuisset ab apostolis facta. Si prius, ergo adhuc hodie debet locum habere. Si enim hoc exemplum apostolicum est divinum et Deo placens, tuto illud sequimur. Si concesserunt id apostoli, cur non concedit idem pontifex? Denique si fuisset quaedam concessio, a solo Petro fuisset profecta, is enim juxta hypothesin Pontificiorum erat summus pontifex, penes quem solum erat potestas dispensandi, concedendi, statuendi etc. quam successores ejus sibi in solidum adhuc vendicant. Jam vero non solus Petrus, sed etiam reliqui apostoli ecclesiae suffragium hoc loco requirunt. Ergo non describitur papalis quaedam concessio a solo Petro profecta. *3. Locum hunc non esse ad propositum, cum non agat de electione pastorum, sed diaconorum, qui mensis praeficiendi erant.* Respondemus: demus ex hypothesi, diaconos mensis duntaxat fuisse praefectos, nihil interim decedit nostrae sententiae. Si enim in diaconis eligendis, quorum officium circa victus distributionem et corporis sustentationem praecipue occupatum erat, populi suffragium non fuit exclusum, quanto minus a vocatione pastorum, ad quos animarum cura pertinet, excludi illud debet. Et confirmatur argumentum ex eo, quod in presbyteris constituendis Act. 14, v. 23. idem processus ab apostolis fuerit observatus. Sed falsum est, diaconos mensis duntaxat praefectos fuisse, ostendimus enim superius ex Stephani et Philippi exemplo, ipsos etiam docendi officio fuisse functos.

93. 3. Actor. 14, v. 23. Apostoli χειροτονήσαντες *per suffragia populi constituerunt per singulas ec-* 3. Act. 14, v. 23. Presbyterorum vocatio.
clesias presbyteros. Excipit Bellarminus χειροτονεῖν *tria significare: 1. eligere per suffragia; 2. eligere quocunque id fiat modo; 3. ordinare per manuum impositionem. Si secundo et tertio modo hic accipiatur, argumentum esse solutum. Si primo, tunc notandum, quod significet eligere non per suffragia ab aliis data, sed suffragio proprio. De iisdem enim dicitur quod,* χειροτονήσαντες *constituerint presbyteros, de quibus postea additur, quod commendaverint illos Deo, in quem crediderant, quae sine controversia ad apostolos tantum referuntur.* Respondemus: χειροτονεῖν, ut ratio etymologiae docet,
proprie significat per suffragia eligere, est enim XII. 2. 9
quasi χεῖρας τείνειν vel ἀνατείνειν, manus tendere seu attollere in signum suffragii (unde etiam LXX interpretes Esa. 58, v. 9. ponunt χειροτονεῖν pro שְׁלַח אֶצְבַּע

digitum mittere vel manum extendere), et constat ex orat. Cic. pro Flacco, signum suffragii apud Graecos fuisse manuum elevationem. Quamvis igitur Chrysostomus homil. 14. in Act. et alii scriptores ecclesiastici χειροτονία voce utantur pro *ordinatione*, quae fit per manuum impositionem, ex eo tamen propriae illius significationi nihil decedit, aliud enim est χειροτονία proprie sic dicta, aliud χειροθεσία, pro qua sensu ecclesiastico quandoque χειροτονία ponitur, propterea quod χειροθεσία ministerii praesupponat χειροτονίαν populi. Neque per τὸ χειροτονεῖν hoc loco intelligi manuum impositionem sive ordinationem, patet ex ipsis verbis Lucae, sequitur enim καὶ προσευξάμενοι *cum jejuniis commendarunt eos Deo*, ubi in verbo προσευξάμενοι χειροθεσίας demum fit mentio, ut colligitur ex locis similibus. Actor. 6, v. 6: *Orantes imposuerunt eis manus.* Actor. 7, v. 17: *Orabant et imponebant illis manus.* Actor. 13, v. 3: *Jejunantes et orantes imponentesque illis manus dimiserunt eos.* Ergo praecedens χειροτονεῖν electionem per suffragia exprimit, quam impositione manuum cum precibus et jejuniis facta apostoli confirmarunt. Syrus et Arabs, *constituerunt ac fecerunt illis seniores*, Oecumenius in hoc loco μετὰ νηστειῶν καὶ εὐχῶν ἐποίουν οἱ μαθηταὶ χειροτονίας, *cum jejuniis et precibus fecerunt discipuli manuum extensiones*, hoc est dederunt suffragia. Cajetanus in comm.: *Cum constituissent, hoc est delegissent presbyteros.* Frustra autem Bellarminus colligit, non populi, sed apostolorum duntaxat suffragia hic intelligenda esse ex eo, quod apud profanos scriptores χειροτονεῖν significet proprio suffragio eligere. χειροτονεῖν enim generale est significans eligere per suffragia, sive proprium, sive aliorum. Sic apud Aristophanem: τὴν ἀρχὴν κεχειροτόνημαι, magistratum aliorum, populi scilicet, suffragio adeptus sum, creatus sum magistratus. Plato de legibus οἷς ἂν πλείστη χειροτονία γίγνηται, qui majori suffragiorum numero sunt delecti. Nec posse vel debere populi suffragia hic exclusa intelligi, constat non solum ex textus circumstantiis (quae enim haec fuisset χειροτονία, electio per suffragia, si hi duo duntaxat, Paulus et Barnabas, proprio arbitrio sine ecclesiae suffragio presbyteros constituissent?) et ex vocabuli proprietate, sed etiam ex superioribus exemplis et ex aliis Scripturae locis. Actor. 15, v. 22: *Placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia electos ex se viros mittere Antiochiam.* 1. Cor. 16, v. 3: *Cum praesens fuero, quoscunque probaveritis per epistolas, hos mittam.* 2. Cor. 8, v. 19: *Lucas est* χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν, *electus per suffragia ecclesiarum, comes noster*, ubi τὸ χειροτονεῖν ecclesiis tribuitur. 1. Tim. 3, v. 7: *Oportet episcopum habere bonum testimonium*, ad quae omnia Bellarminus nihil respondet, sed sicco pede ea transsilit. Nos autem ex illis talia ducimus argumenta. 1. Si in eligendis illis, qui mandata extraordinaria ad ecclesias perferrent, suffragium ecclesiae fuit adhibitum, quanto magis in eligendis illis, qui ordinario docendi munere fungi debent, suffragium ecclesiae adhiberi debet. Sed prius factum ab apostolis, Actor. 15, v. 22: *Placuit apostolis et senioribus* σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι. v. 25: *Placuit nobis* (inquiunt) *collectis in unum eligere viros et mittere ad vos*, v. 27. *misimus igitur Judam et Silam* etc. Ergo etiam posterius fieri debet. 2. Si ad διακονίαν in collectis ad fratres egenos perferendis occupatam χειροτονία et suffragium ecclesiae fuit adhibitum, multo magis ad διακονίαν in ministerio verbi et publico docendi munere occupatam χειροτονία et suffragium ecclesiae adhibere debet. Sed illud factum ab apostolis, 1. Cor. 16, v. 3. 2. Cor. 8, v. 19. Ergo et hoc a nobis fieri debet. 3. Si in episcopo requiritur bonum testimonium ab extraneis, multo magis in ipso eligendo requiritur bonum testimonium ab ecclesia, cui praeficiendus est. Sed prius in episcopo requirit apostolus 1. Tim. 3, v. 7. Ergo et posterius non debet praetermitti. Agnoscit vim ac nervum horum argumentorum, praesertim vero perspicuitatem XII. 2. 96.
loci 2. Cor. 8, v. 19. ubi χειροτονία diserte ecclesiis tribuitur, Alph. Salmeronius, unde tract. 41. in comm. c. 14. Act. pag. 270. sic scribit: *Graeca vox* χειροτονήσαντες *invenitur hoc loco tantum et* 2. Cor. 8. *ubi verbum* χειροτονηθεὶς *legitur in fonte Graeco, hoc est per majorem partem suffragiorum electus. Quemadmodum igitur apostoli diaconorum septem electionem et nominationem fidelibus obtulerunt, quos ipsi orationibus et impositione manuum ad diaconatum promoverunt; ita hic Paulus et Barnabas dederunt credentibus facultatem, ut nominarent ac eligerent in sua quaque civitate episcopum, quem ipsi postea orationibus et jejuniis et manuum impositione consecrabant.* Haec Salmeronius nostram sententiam approbans, Bellarmino vero directe contradicens, unde etiam χειροθεσίαν καὶ κατάστασιν ministerio debitam a χειροτονίᾳ populo competente distinguit. Lorinus etiam in comm. hujus loci agnoscit, *electionem populo in hac ministrorum constitutione fuisse conjunctam*, modo obtineat, ordinationem ab apostolis illis ab ecclesia electis collatam fuisse, quod nos minime negamus.

3. Ex praxi ecclesiae primitivae 1. ex conciliis.

94. Tertiam argumentorum classem petimus ex praxi primitivae ecclesiae, ad quam pertinent: *1. conciliorum decreta, 2. patrum dicta, 3. probata legitimae vocationis exempla.* 1. In canonibus apostolorum, quos quidam ex Pontificiis pro genuinis agnoscunt, can. 36. statuitur, *quod episcopus non debeat ordinationes facere in civitatibus et villis, quae illi nullo jure subjectae sunt praeter eorum conscientiam, qui civitates et villas detinent.* Concilium Nicaenum talem sanctionem constituit, ut est in epistola synodica apud Theodoretum libr. 1. histor. eccles. c. 9. circa finem: *Si quis forte ecclesiae praesul obdormierit, jus esto, paulo ante receptis succedere in locum demortui, si modo et mereri videbuntur et populus elegerit, sic tamen, ut suffragium et quasi consignatio accedat episcopi catholicae Alexandrinae ecclesiae.* (Excipit Bellarminus, *ex hoc testimonio nihil aliud colligi posse, nisi jam*

tum coepisse consuetudinem, ut populus electioni admisceretur, quod non negetur a Pontificiis. Respondemus: imo vero non consuetudo quaedam recitatur, sed decretum concilii proponitur, nec illo demum tempore consuetudo ista initium capiebat, sed conformis erat perpetuae apostolicae et primitivae ecclesiae praxi, ut ex antedictis constare potest. In concilio Carthaginensi III. can. 72. decretum est, *ne ullus clericus ordinetur, nisi probatus fuerit vel episcoporum examine, vel populari testimonio.* Citatur hic canon c. Nullus dist. 24. In consilio Carthaginensi IV. can. 22. similiter decretum, *ne episcopus sine civium assensu et testimonio clericos ordinet.* Citatur hic canon c. Episcop. dist. ead. his omnino verbis: *Episcopus sine concilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam et testimonium quaerat.* In concilio Nanatensi referente Ivone Carnutensi lib. 3. de consecrat. episcop. et Gratiano in decretis c. Quando dist. 24. constitutum, *quod ante ordinationem episcopus a latere suo debet eligere sacerdotes et alios prudentes viros gnaros divinae legis, exercitatos in ecclesiasticis functionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, aetatem, institutionem, locum ubi educati sunt, diligenter investigent* etc. *alias autem sine clericorum videlicet concilio et populi testimonio nullum episcopus ordinare praesumat.* In consilio Toletano XII. can. 6. qui citatur c. cum longe dist. 63. sic statuitur: *Placuit omnibus pontificibus Hispaniae atque Galliae, ut salvo privilegio unius cujusque provinciae licitum maneat deinceps Toletano pontifici, quoscunque regalis potestas elegerit et jam dicti Toletani episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibet provinciis et in praecedentium sedibus praeficere praesules et decedentibus episcopis eligere successores* etc. In consilio Sardicensi statutum, ut habetur c. Si forte dist. 65: *Si unum tamen in provincia contigerit remanere episcopum, quod superstes episcopus convocare debeat episcopos*
XII. 2. 97. *vicinae provinciae et cum eis ordinare comprovinciales sibi episcopos. Quodsi facere id negligat, populos debere convenire episcopos vicinae provinciae et petere sibi rectorem* etc.

et pontificum decretis. 95. *Ad conciliorum decreta* referri possunt *rescripta pontificum Romanorum*, quae a Pontificiis majorem vel certe parem decretis conciliorum habere creduntur auctoritatem. Nicolaus papa in decretis c. in Nomine dist. 23: *Reliquus clerus et populus Romanus ad consensum novae electionis pontificis a cardinalibus factae accedant.* ibid. citatur sententia Leonis: *Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sint electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani judicio consecrati.* Ead. repetitur c. Nulla. dist. 62. Gregorius lib. 4. epist. 15. ad Joh. Episcop. primae Justinianae et citatur. c. Quia dist. 63: *Quia suscepta fratrum atque coëpiscoporum relatio ad locum vos sacerdotii totius concilii unito consensu et serenissimi principis voluntate declarat accersiri, gratias Salvatori nostro magna cum exsultatione retulimus, nos quoque in persona fraternitatis tuae per omnia consentimus.* Idem lib. 2. epist. 30. ad Johan. subdiaconum et citatur c. Quanto. dist. ead.: *Quia multi Mediolanensium Genuae coacti barbarica feritate consistunt, eorum te voluntates oportet convocatis clericis in commune perscrutari, et si nulla eos diversitas ab electionis unitate disterminat, siquidem in praedicto filio nostro Constantino* (quem clerus Mediolanensis unanimiter elegerat) *omnium voluntates atque consensum perdurare cognoscis, tunc eum a propriis episcopis cum nostrae auctoritatis assensu facias consecrari.* Gelasius papa ad Philippum et Geruntinum episcopos et citatur c. Plebs Dioterensis dist. ead.: *Plebs Dioterensis data nobis petitione deflevit diu, se sine rectoris proprii gubernatione dispergi, ac sicut asseritur is, qui jam a vobis probatus dicitur, a paucis et tenuibus putatur electus, cum ad vos pertineat universos assidua admonitione compellere, ut omnes in unum, quem dignum sacerdotio viderint, et sine aliqua reprehensione consentiant. Et ideo fratres carissimi diversos ex omnibus saepe dicti loci paroeciis et presbyteros, et diaconos, et universam turbam vos oportet saepius convocare, quatenus non prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem vobis admonentibus sibi quaerant sola divinitatis attentione personam, quam nulla contrarietas a constitutis possit revocare rescriptis.* Stephanus ad Romanum archiepiscopum Ravennatensem et citatur c. Nosse dist. ead.: *Convocato clero et populo talis ibi eligatur episcopus, cui sacri non obvient canones. Sacerdotum quippe est electio et fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus, non sequendus.* Nicolaus papa ad Johannem Ravennatensem archiepiscopum et citatur c. Episcopos dist. ead: *Episcopos per Aemiliam non consecres nisi post electionem vel consensum cleri et populi.* Pelagius papa ad Julianum episcopum Grumentinum et citatur c. Literas dist. ead.: *Literas caritatis tuae suscepimus, quibus significas, Latinum diaconum suum ad episcopatum ecclesiae Marcellianensis a clero et omnibus, qui illic conveniunt, postulari. Hoc itaque dicimus, ut si omnes eum eligunt et vis eum concedere, gratum nobis esse cognosce.* Leo IV. ad Lotharium et Ludovicum Augustos et citatur c. Reatina dist. ead.: *Reatina ecclesia, quae per tot temporum spatia pastoralibus curis destituta constitit, dignum est, ut brachio amplitudinis vestrae sublevetur ac gubernationis regimine protegatur. Unde salutationis alloquio praemisso vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili diacono eandem ecclesiam ad regendum concedere dignemini, ut vestra licentia accepta ibidem Deo adjuvante eum consecrare valeamus episcopum. Sin autem in praedicta ecclesia nolueritis, ut praeficiatur episcopus, Tusculanam ecclesiam, quae viduata exsistit, illi vestra serenitas dignetur concedere* etc. Stephanus ad Guidonem comitem et citatur c. Lectis dist. ead.: *Lectis sagacitatis vestrae apicibus, qui de-*

functo ecclesiae Reatinae antistite clerum et plebem
I. 2. 98. *ejusdem elegisse sibi futurum antistitem et a nobis consecrandum vestro studio directum esse, ne ipsa ecclesia diu sine pastore proprio consisteret, fatebantur; nos de obitu prioris dolentes, nunc ipsum electum unanimitate et canonica ipsius ecclesiae electione, ut mandastis, tam citissime ordinare omisimus, eo quod imperialem nobis (ut mos est) absolutionis minime detulerit epistolam, pro qua scilicet re ambiguum est nobis, ideo voluntati vestrae in hoc parere distulimus, ne augustalis animus durissime hoc quocunque modo perciperet. Sed scientes, ecclesiam Dei sine proprio diu pastore non debere consistere, gloriae vestrae mandamus, ut a vestra solertia imperiali (ut prisca consuetudo dictat) percepta licentia et nobis, quemadmodum vos scire credimus, imperatoria directa epistola, tunc voluntati vestrae de hoc parebimus eundemque electum Domino adjuvante consecrabimus.* Leo papa lib. 1. epist. 82. ad Anastasium episcopum et citatur c. Metropolitano dist. ead.: *Metropolitano defuncto cum in loco ejus alius fuerit subrogandus, provinciales episcopi ad civitatem metropolim convenire debent, ut omnium clericorum atque civium voluntate discussa ex presbyteris ejusdem ecclesiae vel diaconis optimus ordinetur.* Ivo Carnut. lib. 8. de elect. pontif. refert et citatur c. Hadrian. dist. ead.: *Quod Hadrianus papa cum universa synodo Romana tradiderit Carolo imperatori jus et potestatem eligendi pontificem et ordinandi apostolicam sedem, insuper archiepiscopos et episcopos per singulas provincias investituram ab eo accipere definiverunt, ut nisi a rege laudetur et investiatur episcopus, a nemine consecretur, et quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit.* Eadem omnino ratione Leo pontifex illud jus confirmavit Ottoni, ut refertur ab Ivone Carnutensi lib. eod. et citatur c. In Synodo dist. ead.: *Ego Leo servus servorum Dei episcopus cum toto clero ac Romano populo constituimus et confirmamus et corroboramus et per nostram apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur domino Ottoni primo regi Teutonicorum ejusque successoribus hujus regni Italiae in perpetuum facultatem elegendi successorem atque summae sedis apostolicae pontificem ordinandi ac per hoc archiepiscopos et episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant* etc. *et ut nemo deinceps cujuscunque dignitatis vel religionis eligendi pontificem aut quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem absque imperatoris consensu. Quodsi a clero et populo quis eligatur episcopus, nisi a supradicto rege laudetur et investiatur, non consecretur. Si quis contra hanc apostolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subjacere decernimus et nisi resipuerit, irrevocabili exilio puniri vel ultimis suppliciis affici.* (Ubi notandum, quod recte monetur a. D. Arnoldo Engelbrecht jureconsulto eximio, amico nostro singulari in disput. de jurisdict. concl. 84. *potestatem illam ab Adriano et Leone Romanis imperatoribus circa electionem pontificis datam privilegii nomine perperam indigitari, cum declaratio tantum fuerit et recognitio juris veteris, non novi juris concessio.)* Coelestinus pontifex p. 1. epist. 2. c. 5. et citatur c. Cleri dist. ead.: *Cleri plebisque consensus et desiderium requiratur.* Leo p. 1. epist. 87. et citatur c. Vota. dist. ead.: *Vota civium, testimonia populorum, honoratorum* (eorum qui in magistratu sunt) *arbitrium, electio clericorum in ordinationibus sacerdotum constituantur.* Et infra: *Per pacem et quietem sacerdotes qui futuri sunt, postulentur, teneatur subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus et plebis.* Addit Gratianus: *Principibus vero atque imperatoribus electiones Romanorum pontificum atque aliorum episcoporum referendas usus et constitutio tradidit pro schismaticorum atque haereticorum dissensionibus, quibus nonnunquam ecclesia Dei concussa periclitabatur* etc. *Repraesentabatur igitur electio clericorum principibus, ut eorum auctoritate roborata nullus haereticorum vel schismaticorum auderet contraire, et ut ipsi principes tanquam devotissimi filii consentirent in eum, quem sibi in patrem eligi viderent, ut ei in omnibus suffragatores exsisterent.* Stephanus ut citatur c. Quia sancta. dist. ead. statuit, *ut cum instituendus est pontifex, con-* XII. 2. 99.
venientibus episcopis et universo clero eligatur praesente senatu et populo, qui ordinandus est et sic ab omnibus electus praesentibus legatis imperialibus consecretur. Leo p. 1. epist. 82. ad Anastasium episcopum Thessal. et citatur c. Si forte dist. ead.: *Si vota eligentium in duas se diviserint partes, is metropolitani judicio praeferatur, qui majoribus juvatur studiis et meritis, ita tamen ut nullus detur invitis et non petentibus, ne plebs invitum episcopum non optatum contemnat aut odiat.* Idem ibidem et citatur c. De persona dist. 65: *De persona consecrandi episcopi et de cleri plebisque consensu metropolitanos episcopus ad fraternitatem referat.* Anacletus in epist. 2. ad episcopos Italiae et citatur c. Reliqui dist. 67: *Sacerdotes a proprio ordinentur episcopo, ita ut cives et alii sacerdotes assensum praebeant.* Ex hisce tot conciliorum decretis ac tot pontificum rescriptis manifestum est, ad vocationem ministrorum requisita fuisse ac requiri omnino etiam debere populi votum, suffragium, testimonium, approbationem, voluntatem et consensum, quin etiam postulationem, petitionem et electionem pro ratione circumstantiarum ipsi quandoque fuisse datam, magistratui itidem electionem, concessionem, arbitrium, confirmationem et investituram. Adduntur etiam gravissimae rationes, ne plebs invitum episcopum contemnat, neve dissensiones in ecclesia excitentur etc. Item populus est pars ecclesiae, quae de qualitatibus eligendorum eorumque vita ac moribus testimonium dare potest. Excipit Bellarminus *1. ex nullo horum testimoniorum colligi posse, esse de jure divino, ut populus eligat.* Respondemus: Jus divinum et praxin apostolicam ostendimus superius, hoc loco sufficit nobis, idem per

concilia et pontifices statutum esse, quae statuta juri divino ex hypothesi Bellarmini aequiparantur. *2. In his omnibus uno vel altero exceptis nullam fieri mentionem electionis, sed solum postulationis vel testimonii.* Respondemus: non testimonii solum et postulationis, sed etiam consensus, approbationis et electionis disertam faciunt mentionem; adde quod populo non solum electio, sed etiam postulatio et testimonium in regno papae circa vocationem ministrorum denegatur. *3. Reges et populos jus eligendi habuisse ex concessione pontificum, non ex jure divino.* Respondemus: imo vero populi suffragia in vocatione ministrorum requisita fuerunt, antequam episcopi Romani papalem illam praecipiendi, statuendi, dispensandi, concedendi etc. potestatem exercerent. At si concesserunt id pontifices tunc temporis, cur hodie idem non concedunt? Concessio illa aut fuit juri divino congrua, aut contraria. Si prius, adhuc vigere debet; si posterius, gravissime errarunt pontifices, quod alibi Bellarminus fieri posse negat. Denique nullius vel concessionis, vel conniventiae papalis (ut paulo post Bellarminus eam appellat) in illis canonibus fit mentio, sed populi consensus et suffragium ut *necessarium* ad legitimam electionem requiritur, id quod ex ipsis verbis manifestum.

2. Ex patrum dictis. 96. 2. *Patrum dicta* et plurima et luculenta huc afferri possunt. Tertullianus in apol. c. 39: *Praesunt probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Cyprianus lib. 1. epist. 4. ad Felicem presbyterum et plebes multus est in adstruenda nostra sententia: *Non blandiatur sibi plebs* (inquit), *quasi immunis a contagione delicti esse possit, cum sacerdote peccatore communicans et ad injustum atque illicitum praepositi sui episcopatum consensum suum commodans* etc. *propter quod plebs obsequens praeceptis Dominicis et Deum metuens a peccatore praeposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, cum ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Moysi praecipit Dominus dicens: Prehende Aaronem fratrem tuum et Eleazarum filium ejus et impones eos*
XII. 2. 100. *in montem coram omni synagoga et exue Aaron stolam ejus et indue Eleazarum filium ejus, et Aaron appositus moriatur illic. Coram omni synagoga jubet Deus, constitui sacerdotem, id est instruit et ostendit, ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur, et sit ordinatio justa et legitima, quae omnium suffragio et judicio fuerit examinata, quod postea secundum divina magisteria observatur in Actis apostolorum, quando de ordinando in locum Judae episcopo Petrus ad plebem loquitur. Surrexit, inquit, Petrus in medio distantium, fuit autem turba in uno. Nec hoc in episcoporum tantum et sacerdotum, sed in diaconorum ordinationibus observasse apostolos animadvertimus; de quo et ipso in Actis apostolorum scriptum est. Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum et dixerunt illis, quod utique idcirco tam diligenter et caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Ordinari enim nonnunquam indignos, non secundum Dei voluntatem, sed secundum humanam praesumtionen, et haec Deo displicere, quae non veniant ex legitima et justa ordinatione, Deus ipse manifestat per Oseam prophetam dicens: Sibimet ipsi regem constituerunt, et non per me. Propter quod diligenter de traditione divina et apostolorum observatione servandum et tenendum est, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.* Quid quaeso apertius et nervosius pro nostra sententia dici potuisset? Idem lib. 4. ep. 2. testatur, *Cornelium papam electum fuisse a plurimis episcopis de testimonio et suffragiis totius cleri et populi.* Bellarminus tamen solis lumen pallio tegere conatus obtendit, *1. Cyprianum non velle dicere, descendere ex jure divino, ut episcopus a populo eligatur, sed ab exemplis divinis, cum tribus duntaxat exemplis probet, hoc de divina auctoritate descendere, jam vero exempla Scripturarum non faciunt, rem esse de jure divino, sed praecepta Dei sunt, quae hoc faciunt. 2. Cyprianum hoc loco nihil tribuere populo circa electiones sacerdotum, nisi ut ferant testimonium de vita et moribus ordinandorum, quod etiam nunc servatur in ecclesia catholica, ut sic populus habeat potestatem eligendi et suffragandi per testimonium, non per calculum, more testis, non judicis.* Respondemus: 1. Cyprianus expresse hunc morem eligendi sacerdotes *de auctoritate divina* descendere dicit; item Deum non solum exemplo ostendere, sed etiam *praecepto* instruere, quod ordinationes sacerdotales non nisi *sub populi assistentis conscientia* fieri debeant. Nec Eleazari duntaxat, sed etiam Matthiae et diaconorum electionem ex Actorum apostolicorum historia adducit, ut a divina auctoritate et praecepto illud descendere ostendat. Quod enim apostoli impulsu Spiritus sancti in tam arduo negotio perpetua praxi observarunt, illud merito generalis regulae locum obtinere et ex jure divino descendere judicatur. Addit insuper Cyprianus *de traditione divina et apostolica observatione* hunc morem descendere ac per *universas fere provincias observari.* Negare igitur non poterit nec audebit Bellarminus, quod suffragia populi in electione pastorum adhiberi in florentissimo et fere universali ecclesiae usu tempore Cypriani fuerit positum ac patres vetustissimos morem in

nostris ecclesiis hodie receptum observasse, et quidem **non privato arbitrio**, sed ecclesiae Israëliticae **in V. T. et** apostolicae in N. T. exemplo, id quod demonstrasse nobis hoc loco sufficit, exempla enim illa evidenter probant, perpetuam ecclesiae praxin divina auctoritate suffultam et approbatam ac nullo contrario exemplo refutatam, qualis consuetudo legis instar merito habetur. Duo autem ex Bellarmino hic lubet quaerere. Primo cum agnoscere cogatur, Cypriani tempore morem adhibendi suffragia populi in electione sacerdotum fuisse usitatum et paene universalem, cur §. seq. scribat, *tempore Nicaeni concilii coepisse consuetudinem, ut populus electioni admisceretur?* cum tamen Cyprianus centum annos ante Nicaenum concilium haec scripserit. Secundo cur praxi ecclesiae in ipsis Scripturis approbatae tam parum hoc loco tribuat, cum alibi plus nimio eandem extollat? Sic enim scribit lib. 1. de sacramentis in genere c. 26. §. Ex quo intelligimus: *Vetus ecclesia ex consuetudine ducentorum vel trecentorum annorum explicabat omnia testimonia* (Scripturae), *quae Cyprianus cum suis afferebat, et merito. Nam cum certum sit, consuetudinem universae ecclesiae perpetuam non posse cum verbo Dei pugnare et clarior sit consuetudo quam ipsum verbum Dei, recte judicabant illi, ex consuetudine verbum Dei interpretandum esse.* Ac lib. 2. de indulgent. c. 10. §. Sed etiam: *Si nihil scriptum esset de indulgentiis, non tamen sequeretur, indulgentias non niti nisi auctoritate Romanae ecclesiae, possent enim niti auctoritate divina cognita per traditionem apostolorum, quo modo alia non pauca* etc. Atqui Cyprianus expresse asserit, hunc morem eligendi descendere ab auctoritate divina, esse traditionem divinam et apostolicam observationem. Ergo salvis suis hypothesibus Bellarminus eum repudiare non poterit. 2. Falsum etiam est, quod praesentiam et testimonium duntaxat Cyprianus populo tribuit, quando enim populum dehortatur, ne ad injustum et illicitum praepositi sui episcopatum consentiat, quando ipsum dicit *maxime habere potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi*, quando tantum ei tribuit, quantum fidelibus in electione diaconorum ab apostolis fuit concessum; certe tale suffragium populo tribuitur, quo non solum praeposito suo dignitatis testimonium perhibere, sed et totum electionis actum vel suo consensu approbare vel dissensu impedire possint, quod non est udum duntaxat testimonium, sed etiam judicium t suffragium per calculum. Origenes homil. 6. ad 8. Levit. et citatur c. Licet 8. quaest. 1: *Licet ominus de constituendo principe praecepisset et gisset, tamen convocatur etiam synagoga. Requiur ergo in ordinando sacerdote etiam populi esentia, ut sciant omnes et certi sint, quod qui estantior est ex omni populo, qui doctior, qui tior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur sacerdotium, et hoc attestante populo, ne qua nodum retractio cuiquam, ne quis scrupulus 'eret, hoc est autem, quod et apostolus praecipit in ordinatione sacerdotis dicens: Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt.* Ambrosius lib. 10. epist. 82. Vercellensem ecclesiam hortatur, ut parentum exempla sequatur ac sacerdotem postulet. *Conficior* (inquit statim in principio) *dolore, quia ecclesia Domini, quae est in vobis, sacerdotem adhuc non habet* etc. *et mihi inscribitur vestra intentio, quae affert impedimentum. Nam cum sint in vobis dissensiones, quomodo possumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quidquam acquiescere, ut inter dissidentes suscipiat hoc munus, quod inter convenientes vix sustineatur? Haec est illa confessoris institutio, haec justorum soboles patrum, qui sanctum Eusebium, quem nunquam ante cognoverant, posthabitis civibus simul ut viderunt et probaverunt, tantumque interfuit, ut probaretur, quantum ut videretur? Merito vir tantus evasit, quem omnis elegit ecclesia, merito creditum, quod divino esset electus judicio, quem omnes postulavissent. Convenit igitur ut sequamini exemplum, praesertim cum a sancto confessore Eusebio institutos, tanto meliores patribus esse oporteat, quanto vos melior doctor instituit atque erudivit, modestiaeque vestrae et concordiae insigne edere, ut congruatis assensu ad postulandum sacerdotem. Etenim si juxta Dominicam sententiam, quod duobus convenerit de omni re, quamcunque petierint, fiet, inquit, a patre meo, qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum; quanto magis ubi plena est in nomine Domini congregatio, ubi universorum postulatio congruit, dubitare vos nequaquam oportet, ibi Dominum Jesum et voluntatis auctorem et petitionis arbitrum fore et ordinationis* XII. 2. 102. *praesulem vel largitorem gratiae.* Chrysostomus lib. 3. de sacerdot. inquit, *omnes electiones et vocationes irritas fieri, quae ἄνευ λαοῦ συνέσεως, sine conscientia et assensu populi, fiunt.* Isidorus lib. 2. de officiis eccl. c. 5: *Si in plebibus archipresbyteri obierint, aut pro aliquo reatu exinde ejecti fuerint, archidiaconus quam citius proficiscatur illuc, et cum clericis et populis ipsius plebis electionem faciat, quatenus dignus pastor Domini Dei constituatur.*

97. *3. Exempla primitivae ecclesiae* adduci possunt longe plurima. 3. Ex primitivae ecclesiae exemp Cyprianus lib. 1. epist. 4. cum late probasset, plebem maxime habere potestatem eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi, subjungit: *Hoc in collegae nostri Sabiniani ordinatione factum est, ut de universae fraternitatis suffragio et de episcoporum, qui in praesentia convenerant quique de eo ad ipsos literas fecerant, judicio episcopatus ei deferretur.* Nazianzenus in serm. de laudibus Athanasii refert, quod electus fuerit ψήφῳ τοῦ λαοῦ παντός, *totius populi suffragio.* De Petro successore Athanasii in episcopatu Alexandrino scribunt Theodoretus lib. 4. histor. eccles. c. 20. et Nicephorus lib. 11. histor. eccles. c. 20. non longe a princip. *quod in functionem Athanasii successerit, suffragio quidem primum*

beati illius capitis, deinde etiam episcoporum provinciae ejus universorum totiusque cleri et eorum, qui Alexandriae primos honores et magistratus gerebant, votis et calculis plebe etiam cuncta faustis acclamationibus concilium id perquam libenter confirmante. Idem habetur in histor. tripart. lib. 7. c. 37: *Post Athanasium suscepit Petrus vir optimus praesulatum, quem dudum ille beatus elegerat cunctis consentientibus et sacerdotibus et nobilibus cunctaque plebe et favore suo propriam ostendentibus voluntatem.* ***Nos, quod Christianus esses, dignum te judicavimus episcopatu urbis nostrae,* inquit Constantius ad Liberium apud Theodoretum lib. 2. c. 16. Socrates lib. 5. c. 5. memorat, *populo per trinundinum*, id est *tres solennes conventus ecclesiasticos, nomina vocandorum ministrorum fuisse promulgata.* ** Idem lib. 4. hist. eccles c. 30. de Ambrosio refert, *quod communi omnium suffragio et ipsius imperatoris voluntate et consensu in episcopum Mediolanensem in Auxentii locum electus fuerit. Mediolani* (inquit) *cum de episcopo eligendo magnopere turbatum esset, Ambrosius procurrit in ecclesiam, ut seditionem compesceret. Postquam populus ejus adventu conquieverat ipseque populum de multis rebus utilibus hortatus temerarios multitudinis impetus compresserat derepente uno omnium consensu et clamore episcopatu dignus existimatus est omniumque designatus suffragiis. Episcopis, qui aderant, videbatur haec consentiens populi vox divinitus sane emissa, idcirco sine mora Ambrosium comprehendunt, lavacro baptismatis (erat enim catechumenus) tingunt, ad episcopatus procurationem deligunt. Verum cum Ambrosius dignitatem episcopatus repudiaret, Valentinianum de re gesta faciunt certiorem, qui populi admiratus consensum opusque Dei ratus, quod factum erat, significat episcopis, ut voluntati inservirent, qui jusserat, ut illum crearent episcopum, nam Deum potius quam homines ei ad hunc honoris gradum suffragatum fuisse.* Idem refert Theodoretus lib. 4. histor. eccles. c. 6. ubi addit, *synodum Mediolanensem jussam ab imperatore, ut episcopum eligeret, ipsi dedisse optionem, ut deligeret aliquem suo suffragio sapientem et pietate ornatum, sed imperatorem recusasse.* Eradius Augustini in episcopatu Hipponensi successor ecclesiae illius consensu, suffragiis, acclamationibus et subscriptionibus constitutus est episcopus. Sic enim refertur in actis exceptis a notariis in designando Eradio presbytero, qui Augustino succederet et interim senem aliqua curarum parte sublevaret, inter Augustini epistolas epist. 110. Augustinus suis coëpiscopis, presbyteris, clero et populo magna frequentia congregatis nego-
XII. 2. 107. tium de electione successoris proposuit. *Scio* (inquit), *post obitus episcoporum per ambitiosos aut contentiosos solere ecclesias perturbari; et quod saepe expertus sum et dolui, debeo, quantum ad me attinet, ne contigat, huic prospicere civitati* etc. *Voluntatem igitur meam, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam perfero, presbyterum Eradium mihi successorem volo. A populo mox acclamatum est; Deo gratias, Christo laudes dictum est vigesies terties; Exaudi Christe, Augustino vita dictum est sexies decies; Te Patrem, te episcopum dictum est octies. Cumque reticeretur, Augustinus episcopus dixit: Non opus est, me de laudibus ejus aliquid dicere, faveo sapientiae et parco verecundiae, sufficit, quia nostis eum et hoc me velle dico, quod vos velle scio, et si ante nescirem, hodie probarem. Hoc ergo volo, hoc a Domino Deo nostro nunc etiam in aetate frigida votis ferventibus posco, ut hoc mecum oretis, exhortor, admoneo, rogo, ut omnium in pace Christi collatis et conflatis mentibus confirmet Deus, quod operatus est in nobis. Qui misit mihi eum, servet eum, servet incolumem, servet sine crimine, ut qui facit gaudium viventis, locum suppleat morientis. A notariis ecclesiae, sicut cernitis, excipiuntur quae dicimus, excipiuntur quae dicitis, et meus sermo et vestrae acclamationes in terram non cadunt* etc. *A populo acclamatum est trigesies sexies; Deo gratias, Christo laudes, Exaudi Christe, Augustino vita dictum est tredecies. Te patrem, te episcopum dictum est octies; dignus et justus est dictum vigies; bene meritus, bene dignus dictum est quinquies. Cumque reticeretur, Augustinus dixit: Ego ut dicebam voluntatem meam et voluntatem vestram gestis ecclesiasticis, quemadmodum ad homines attinet, confirmatam volo; quemadmodum vero ad latentem omnipotentis voluntatem, omnes, ut dixi, oremus, ut confirmet Deus, quod operatus est in nobis. A populo acclamatum est; Judicio tuo gratias agimus dictum est sedecies; Fiat, fiat, dictum est duodecies. Te patrem Eradium episcopum dictum sexies. Denique cum actorum istorum subscriptionem Augustinus peteret, denuo acclamatum est, fiat, fiat.* Atque haec uberius commemorare voluimus, ut intelligeretur, quale fuerit populi in electione episcoporum suffragium, quales acclamationes itemque unde originem duxerit lusus ille Pontificius, quo, et Deo, et hominibus illudunt. Quando enim aliquis eligendus et confirmandus est, suffraganeus intrat fores templi et clamat: *Utrum dignus sit et justus*, qui eligatur et confirmetur? Et stat quidam in angulo, qui acclamat, *dignus et justus est.* Sozomenus lib. 7 hist. eccl. c. 7. refert, quod imperator Theodosius Gregorium ob vitam et doctrinam admiratus dignum censuerit praesulatu Constantinopolitano, hoc est quod ipsum episcopis in consilio ibidem congregatis nominaverit; sed cum Gregorius hoc munus aversaretur, electus fuit Nectarius, quae electio qualiter facta fuerit, cognosci potest ex Theodoreto, qui lib. 5. hist. eccl. c. 9. recitat epistolam synodicam episcoporum in concilio II. generali Constantinopolitano congregatorum ad Damasum et episcopos Romae congregatos, in qua inter cetera sic loquuntur: *Constantinopolitanae recenti, ut sic loquamur, ecclesiae reverendissimum et Dei amantissimum Nectarium episcopum praeposuimus in generali nostro concilio et praesente amantissimo Dei imperatore Theodosio cum omnium clericorum ac totius*

civitatis approbatione. Ne autem existimetur, imperatorem fuisse praesentem tanquam κωφὸν πρόσωπον et sine ullo per judicium suffragio, notetur, quòd Sozomenus lib. 7. hist. c. 8. memoret, *imperatorem jussisse, ut sacerdotes nomina eorum, quos ad ordinationem dignos judicarent, chartae inscriberent ac sibi ex omnibus illius unius electionem reservarent, quod cum ab episcopis fuisset factum, imperatorem elegisse Nectarium in Constantinopolitanae ecclesiae episcopum.* In eadem epistola synodica episcopi Constantinopolitani de Flaviani electione apud Theodoretum l. d. sic loquuntur: *Ecclesiae antiquissimae et plane apostolicae Antiochiae in Syria canonice praefecerat conventus provincialium et dioeceseos orientalis episcopum reverendissimum et amantissi-*
2. 104. *mum Dei Flavianum assentiente tota ecclesia et quasi uno ore celebrante illam, quam creationem habuit ratam et communem synodus.* Imperatores Romani quondam auctoritatem suam in electionibus episcoporum interposuisse, ex eo inter caetera constat, quod modum electioni dederint ac praescripserint; Auth. presb. in fin. l. Si quenqam l. sacris nostris c. de episc. et cler. Nov. 6. 57. 123. Imo ipsius etiam Romani episcopi non modo confirmandi, sed etiam eligendi et creandi jus habuisse c. Agatho dist. 63. c. in Synodo dist. ead. c. Adrian. el. 2. pro qua imperatoris confirmatione certa pecuniae quantitas imperatori a papa dari solebat, quae postea Agathoni ab imperatore Constantino III. circa ann. 680. fuit remissa. In Graeca orientali ecclesia referente Nicephoro Gregora lib. 4. patriarcha Constantinopolitanus hoc modo olim fuit electus et confirmatus. Primo ab Heracleensi metropolita, cui hoc jus antiquitus, ut et adhuc hodie, competit, nominatus est, deinde clero, nobilibus et primoribus populorum, quorum consensus requirebatur, propositus sive praesentatus, postmodum ad imperatoris aulam deductus, a quo pedum pastorale sive deauratum baculum incurvatum per manus accepit, ac tandem a clericis in thronum patriarchalem collocatus. Vide omnino tract. Walrami episcopi Naumburg. de investit. episcop. in quo ex historiis prolixe probat, quod episcopi Hispaniae, Scotiae, Angliae, Hungariae etc. ex antiqua institutione per reges introierint, ac quod inthronisationes sive investiturae episcoporum jure pertineant ad reges et principes, sub quorum dominio episcopatus sunt. Ut autem imperatorem Christianorum auctoritas in electione et confirmatione episcoporum intercessit, ita quoque populi consensus non fuit posthabitus. Inde Theodoretus lib. 2. hist. eccl. c. 17. et Nicephorus lib. 9. hist. c. 25. referunt, Felicem Romae ab imperatore Constantio episcopum invita ecclesia constitutum ita invisum toti coetui fuisse, ut ipso sacris operante, licet in doctrina ipsius nihil desiderari posset, nemo tamen limina templi attigerit, propterea quod in locum Liberii injuste ab officio remoti constitutus esset et violatoribus illius sese conjungeret. Jac. Pammelius Pontificius in annot. ad epist. 68. Cypriani num. 16. docet, non in Africa solum, sed in Galliis etiam, Hispania, Romae et ubique consuetudinem illam receptam fuisse, ut in ministrorum electione suum haberet populus suffragium, et morem hunc usque ad Gregorii I. imo Caroli Magni et Ludovici pii imperatorum tempora perdurasse fatetur, id quod evidenter colligitur ex lib. 1. Capitulorum prout citatur c. Sacrorum dist. 63: *Sacrorum canonum non ignari, ut Dei nomine sancta ecclesia suo liberius potiatur honore, assensum ordini ecclesiastico praebemus, ut scilicet episcopi per electionem cleri et populi secundum statuta canonum de propria dioecesi (remota personarum et munerum acceptione) ob vitae meritum et sapientiae donum eligantur, ut exemplo et verbo sibi subjectis prodesse valeant.* Huc pertinet illud, quod olim in quibusdam ecclesiis usitatum fuit, nomina vocandorum ad ministerium ecclesiasticum per trinundinum, id est per tres solennes conventus ecclesiasticos, publice promulgari populumque praemoneri, ut si quid quispiam contra ordinandum haberet proferendum, id quam citissime faciat et postmodum sileat, perinde ut hodie in nostris ecclesiis proclamatio eorum, qui conjugium inire parant, tribus distinctis vicibus publice praemitti consuevit. Inde promanavit Alexandri Severi imperatoris factum ab Aëlio Lampridio in ipsius vita commemoratum. Ubi aliquos voluisset rectores provinciis dare, vel praepositos facere, vel procuratores ordinare, nomina eorum proponebat hortans populum, ut si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus, si non probasset, subiret poenam capitis. Dicebat enim, *grave esse, cum id Judaei et Christiani facerent in praedicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus et fortunae hominum committerentur et capita.* Exstant etiam hujus juris, quod in eligendis et vocandis episcopis magistratui competit, adhuc quaedam vestigia in Gallia et Hispania. Anno Christi 1517. inter Leonem X. et XII. 2. 105.
Franciscum I. Galliae regem concordata, ut vocant, instituta sunt, quae integra recensuit et notis illustravit Petr. Rebuffus, in illis omne jus eligendi aut postulandi praelatos canonicis in tota Gallia ademtum est, ita ut nominatio personae idoneae intra sex menses a tempore vacationis Romano pontifici ad providendum facienda nunc soli regi absolute competat. Vide concordata illa in tit. de regia ad praelaturas nominatione facienda et ibi Rebuffum. Duarenus lib. 5. de sacr. eccles. minist. c. 11. concordata illa nomine *Leoninae constitutionis* allegat et addit, Leonem obtinuisse, ut decretum illud regia auctoritate subnixum supremum parlamentum Parisiense reciperet. Didac. Covarruvias tom. 1. var. resolut. p. 2. in relect. c. Malae fidei possess. ext. de jure patronatus asserit, reges Hispaniarum jam inde a concilio Toletano XII. celebrato ann. 685. (quo decretum, *ut rex ad episcopalem dignitatem promovendos eligeret, quos Toletanus antistes praevia morum examinatione instituerct)* absque ulla controversia jus et quasi possessionem habere nominandi et eligendi episcopos, adeo ut nisi a rege nominatus nemo possit his dignitatibus insigniri, et addit Covarruvias notabilem rationem, *quod scilicet*

maxime regis intersit nosse ac deligere, qui ecclesias intra suam provinciam sint administraturi. Idem confirmat Chassanaeus in catal. glor. mundi part. 5. consid. 24. num. 294. Et quid multis? Bellarminus ipse fatetur lib. 4. de eccles. c. 8. §. Respondet Brentius, *electionem episcopi varie variis temporibus fuisse celebratam et aliquando populum simul cum clero episcopum elegisse*, ac lib. de clericis c. 7. resp. ad 9. argum. *se non negare, quin aliquando populus elegerit*, ibidem §. Tandem, *obtinuisse in primitiva ecclesia consuetudinem, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet.* libr. ejusd. c. 9. *inter quinque modos, quibus olim eligi consueverunt episcopi*, numerat *tertio loco eum*, quod elegerit clerus et populus civitatis, *quem modum usitatum fuisse* dicit *tempore Chrysostomi*, *Ambrosii*, *Augustini*, *Leonis*, *Gregorii* etc. *et quarto loco* recenset *eum*, quod imperatores et reges vel soli, vel cum clero et populo episcopum elegerint, *et addit, Justinianum seniorem post recuperatam Italiam noluisse quenquam creari Romanum pontificem sine sua approbatione*, *idque servatum esse usque ad Constantinum IV. qui juri suorum praedecessorum* (nota vocem juris) *in hac parte cesserit.* Ibid. tamen spiritu vertiginis circumrotatus §. seq. addit, *quod imperatores se miscuerint electioni, id factum esse vel vi et quasi tyrannide imperatorum*, *vel quia pontifices id judicabant necessarium ad ecclesiae defensionem.*

98. Ex quibus omnibus facili negotio colligitur, nec plebis, nec' magistratus ad Christum conversi suffragia ab electione sacerdotum olim fuisse exclusa, itemque quae fuerint singulorum ecclesiae ordinum in hoc negotio partes, inde adhuc supersunt vocabula *nominationis*, *postulationis*, *praesentationis*, *electionis*, *confirmationis*, *collationis* etc. quibus pulcherrime exponitur, quid magistratui et populo in vocatione ministrorum fuerit relictum. Aliquando plebs desiderio et petitione seu postulatione sua personam aliquam nominabat, aliquando magistratus proponebat, saepius vero episcopi, qui de qualitatibus eligendorum rectius judicare poterant, et tunc populus suo suffragio electionem approbabat, magistratus addebat confirmationem. Idem fere in nostris adhuc observatur ecclesiis; constituta enim apud nos sunt ecclesiastica consistoria, in quibus personae ecclesiasticae et politicae praesident, illa nomine ecclesiae de constitutione ministerii tractant, inquirunt in eligendorum qualitates, sistunt eos audiendos in coetu, cui praefici debent, quandoque unum, quandoque plures, et liberam auditoribus electionem relinquunt; interdum etiam ipsae ecclesiae certam personam consistorio nominant, quod praemissa deliberatione et nominati examine consensum praebet; accedit tandem superioris magistratus confirmatio et investitura, qua ratione singulis ecclesiae ordinibus suae relinquuntur partes,
XII.2.106. nec invitae ecclesiae minister obtruditur. Videatur constitutio electoralis ecclesiastica in cap. de vocatione ministrorum pag. 86. ubi talis requiritur processus: 1. Pastore quodam demortuo superintendens illius dioeceseos rem deferat ad consistorium. 2. Nullus candidatorum ministerii, qui ecclesiae operam suam deferunt, certum sibi eligat vel nominet locum, sed judicium consistorio permittat. 3. Quibus jus patronatus vel collationis competit, illis potestas relinquitur idoneas personas nominandi et consistorio ad examen praesentandi. 4. Personas nominatas consistorium examinari curet, an sint in fide sinceri, in vita probati et donis ad docendum necessariis instructi. 5. Examinatas mittat ad synodum ab ipsa confirmandas. 6. Si collatores vel nolint, vel nequeant idoneas personas nominare, consistorium in ipsorum locum succedat et ecclesiae et ministro prospiciat. 7. Qui praeficiendi sunt ecclesiae, prius ab ea audiantur et probentur. Nullus quamvis idoneus sit inventus, absque peculiaribus et gravibus causis invitae ecclesiae obtrudatur, sed colligantur post concionem *δοκιμαστικὴν* ecclesiae suffragia. 8. Examinatus, approbatus, vocatus per *χειροθεσίαν* et preces ordinetur, literis synodicis vel principalibus confirmetur et solenni ritu investiatur.

99. Pontificiis hic modus vocationis apostolicae et Antithesis Pontificioi
primitivae ecclesiae praxi conformis non probatur, sed solis clericis excluso magistratu et populo vocationem ministrorum tribuunt, unde eam dicunt esse legitimam electionem ac vocationem, 1. quae facta est a pontifice, qui vel ipse eligat, vel aliis potestatem eligendi concedat, episcopis scilicet suffraganeis ac clericis aliis; 2. quae fiat cum successione continua, sine qua non habeat locum legitima ministrorum vocatio. Concil. Trident. de sacram. ordinis c. 4: *Docet sacrosancta synodus, in ordinatione episcoporum, sacerdotum et ceterorum ordinum nec populi, nec cujusvis secularis potestatis et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio, quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo aut seculari potestate ac magistratu vocati et instituti ad haec ministeria adscendunt, omnes non ecclesiae ministros, sed fures et latrones habendos esse.* c. 7: *Si quis dixerit, ordines ab episcopis collatos sine populi vel secularis potestatis consensu aut vocatione irritos esse, anathema sit.* Bellarminus mentem concilii sic exponit libr. 1. de clericis c. 2: *Omnes Catholici summa consensione docent, jus episcopos ordinandi ac vocandi ad plebem nullo modo pertinere posse, jus autem eligendi fuisse aliquando et aliquo modo penes populum, sed pontificum concessione vel conniventia, non lege divina.* Hanc sententiam latius declarat et confirmat per distinctas propositiones. *1. Ordinatio tum episcoporum, tum aliorum ecclesiae ministrorum non ad plebem, sed ad solos episcopos pertinet*, c. 3. Respondemus: concedimus, in ritu ordinationis ministro jam electo a solis episcopis manus debere imponi, 1. Tim. 4, v. 14. c. 5, v. 22. (quamvis ibi nomine presbyterii non illi soli, qui in verbo laborant, sed etiam seniores ecclesiae nomine ecclesiastica negotia tractantes intelligi haud absurde possint); interim ab ordina-

tione electio distinguenda est, ut ipse Bellarminus in cap. praeced. agnoscit: Ordinatio fit a presbyterio, sed electio ac vocatio ministrorum pertinet ad omnes ecclesiae ordines. Adde quod in ordinatione ministri presbyterium totius ecclesiae nomine agit et electionem ab ecclesia factam ritu illo solenni comprobat, Actor. 6, v. 3. c. 14, v. 23. 1. Tim. 5, v. 22. Bellarminus dicit, hoc tripliciter intelligi posse, sed non opus est, ut de nostrae sententiae expositione sollicitus sit, cum eam clarissime explicemus, ipsique Bellarmino ignotum non sit, quo sensu presbyterium nomine ecclesiae hic agere dicamus, nimirum quod ecclesia habeat potestatem eligendi et approbandi ministrum, servato tamen ordine debito et servatis illis, quae in electione ministrorum ab apostolo requiruntur 1. Tim. 3. Tit. 1. et in praxi apostolica Actor. 6. et 14. 2. Cor. 8. etc. conspici-
XII. 2. 107. untur. Argumentum quod hoc loco Bellarminus contra nostrum ministerium format, inferius pertractabitur. 2. *Vocationem seu missionem ministrorum non pertinere ad populum, sed ad episcopos et ad summum pontificem*, c. 4. Respondemus: haec assertio nititur ea hypothesi, quod ecclesiastica jurisdictio attributa sit soli Petro, a quo ad reliquos apostolos, et pontifici Romano tanquam Petri successori, a quo ad reliquos episcopos velut ex fonte promanet. Sed hujus hypotheseos falsitatem nostri saepius jam demonstrarunt. Nos statuimus, ad eosdem pertinere ministrorum vocationem, ad quos pertinet eorum electio, quia in hoc negotio legitima electio et legitima vocatio semper debent esse conjuncta. 3. *Electionem ministrorum non fieri a solo Deo*, c. 5. Respondemus: duplex est ministrorum electio ac vocatio, mediata et immediata, utraque fit a Deo, haec immediate per solum Deum, illa mediate per ecclesiam. 4. *Non decuisse, Christianos sacerdotes carnali successione propagari*, c. 6. Respondemus: in V. T. ministerium fuit quasi hereditarium in tribu Levi ob peculiarem Dei constitutionem, sed in N. T. quando 1. Tim. 3, v. 2. Tit. 1, v. 6. praescribitur norma, quales debeant in episcopos eligi, non fit mentio certae alicujus familiae, haec est propria et immediata ratio, quare in N. T. ministerium non amplius sit hereditarium. Notamus hoc loco, 1. etiam in V. T. non ita absolute et simpliciter ad tribum Leviticorum alligatum fuisse docendi munus, quin potuerint pontifices removeri, si a verbo discesserint. Sic Deus ipse removet Heli 1. Sam. 3, v. 12. Salomon deposuit Abiathar sacerdotem 1. Regum 2. Hiskias, Josias et alii pii reges Baaliticos sacerdotes removerunt etc. Et quando Levitae officium suum non faciebant, excitabat Deus etiam ex aliis tribubus prophetas, qui ipsorum negligentiam taxarent et in ordinem eos redigerent. 2. Pontificios adhuc judaizare, quando successionem apostolicam ad sedem Romanam alligant, cum in N. T. non tam localis et personalis, quam doctrinalis successio sit respicienda. Ubi vox apostolorum in N. T. sonat, ibi cathedrae apostolorum praesident. In V. T. successio Levitica observabatur, sed in N. T. ministerium nec ad certam familiam, nec ad certum locum alligatum est, sed doctrinae successio vel unice vel certe potissimum respicienda. 3. Rationes quibus Bellarminus probare conatur, non decuisse, Christianos sacerdotes carnali successione propagari, plerasque esse nugatorias. Melchisedecum dicit, fuisse Christianorum sacerdotum figuram, *qui cum sine patre et matre describatur, significatum ex eo esse, quod sacerdotes in N. T. non debeant nasci, sed fieri.* Atqui epistola ad Hebraeos testatur, solius Christi unici ἀρχιερέως in N. T. typum fuisse Melchisedecum. *Ut in V. T.* (inquit) *populus Dei propagabatur per carnalem generationem ex Jacob, in N. T. autem per spiritualem regenerationem ex Christo; ita par erat, ut in V. T. sacerdotes carnali successione propagarentur, in N. T. autem spirituali electione assumerentur.* Atqui tam in V. quam in N. T. veri et spirituales Israëlitae per spiritualem regenerationem ex Christo sunt propagati. *Sacerdotium Aaronicum* (inquit) *fuit carnale, Christianum autem spirituale; ergo etiam propagatio sacerdotii in V. T. debuit esse carnalis, in N. spiritualis.* At per hypothesin hujus argumenti verissimam evertetur sacrificium missaticum, quod ipsis est externum et corporeum sacrificium. *Sacerdotes*, inquit, *in N. T. debent esse coelibes, ergo non possunt per carnalis generationis successionem sacerdotium consequi.* At unde probatur coelibatus necessitas? nec obstat coelibatus sacerdotum, quominus in jure canonico lib. 1. decret. peculiaris titulus proponatur de filiis presbyterorum ordinandis. *Melior*, inquit, *est ratio constituendi magistratus per electionem quam per successionem. Ergo idem in Christiana republica observari debet.* Atqui de antecedente politici certant, et adhuc sub judice lis est. Eadem etiam ratio locum habuisset in V. T. et sic sancta Dei ordinatio in crimen vocabitur, ut nihil de eo dicamus, quod a foro ad chorum, a regimine politico ad ministerium ecclesiasticum non possit argumentum duci.

100. Succedit tandem 5. propositio, de qua XII. 2. 10
proprie inter nos et Pontificios controvertitur. Ea vero sic habet: *Jus eligendi summum pontificem caeterosque ecclesiae pastores et ministros non convenire populo jure divino, sed si quid aliquando populus hac in re potuit, id totum habuisse ex conniventia vel concessione pontificum*, c. 7. Hanc suam assertionem probat Bellarminus 1. exemplo Aaronis et testimonio Pauli, qui Hebr. 5, v. 4. asserit, *neminem assumere sibi debere honorem, nisi vocetur a Deo, tanquam Aaron. Atqui Aaron a solo Moyse fuit electus in pontificem sine ullo vel consensu, vel consilio multitudinis.* Respondemus: integrum Bellarmini argumentum sic habet. Quo modo Aaron vocatus et electus est, eo modo etiam hodie pastores eligi debent. Atqui Aaron a solo Moyse vocatus et electus est sine ullo vel consensu, vel consilio multitudinis. Ergo etiam hodie a solo pontifice pastores eligi debent. Utraque propositio videtur petita

Quod po pulus al election pastorur sit ex- cludend 1. Ex Aaronis exemplo

ex scriptura, major ex Hebr. 5, v. 4. minor ex c. 29. Exod. sed respondemus I. ad majorem: 1. distinguendum esse inter vocationem ipsam et inter vocationis modum specialem, sicut alias philosophi monent, inter rem et rei modum distinguendum esse. Scopus dicti apostolici est, quod nemo absque divina vocatione honorem sacerdotii vel aliud publicum in ecclesia officium sibi rapere debeat; id probat exemplo Aaronis, qui divina vocatione constitutus est V. T. sacerdos; ex eo vero inferri non potest, omnes eo modo ad sacerdotium et ministerium ecclesiasticum vocari debere; si quidem Aaron vocatus est immediate, Moyses fuit divinae voluntatis duntaxat internuntius, sed ministrorum N. T. vocatio, de qua hoc loco quaeritur, est mediata. 2. Ne ipsi quidem Aaronis in Levitico sacerdotio successores eo modo vocati sunt, quo Aaron, quia illi propagabantur carnali successione, ut in praeced. cap. Bellarminus loquitur, Aaron vero constituebatur sacerdos immediata Dei vocatione. 3. Si apostolo fuisset propositum, non de vocatione duntaxat in genere, sed etiam de certo vocationis modo in specie hic agere, exemplum Aaronicae vocationis impertinenter huc ab ipso applicaretur, quod absit. Rationem assertionis proferimus eam. Tractat ibi apostolus de sacerdotio Christi, ad quod divinitus eum vocatum asserit, sicut et Aaron ad Leviticum V. T. sacerdotium divinitus sit vocatus. Jam vero Christus non eo modo vocatus est, quo Aaron, quia Aaronis vocatio per Moysen internuntium ac divinae voluntatis interpretem ipsi facta, sed in Christi vocatione id non habet locum. 4. Particula ergo *καθάπερ* ut alibi, ita etiam hoc loco, non notat omnimodam aequalitatem, sed duntaxat quandam similitudinem, hoc est significat, collationem institui non in specie et juxta omnes circumstantias, sed duntaxat in genere et generali quadam convenientia, non in rei modo, sed duntaxat in re ipsa. 5. Ne ipsi quidem Pontificii ministri speciali illo modo vocantur, quo Aaron vocatus fuit, immediate scilicet ab ipso Deo. II. Ad minorem dicimus: 1. Aaronem non fuisse a Moyse electum vel vocatum, sed a Deo; Moyses fuit duntaxat minister, per quem divina illa et quidem immediata vocatio et Aaroni, et populo Israëlitico manifestata fuit. 2. Quae vero haec est *συνάφεια*: Aaron a solo Moyse fuit vocatus, ergo penes solum pontificem Romanum est jus vocandi ministros ecclesiae? Quid? num pontifex Romanus etiam Moysis successor est, ut quod semel a Moyse extraordinarie peculiari Dei mandato factum, id toto N. T. tempore a Romano pontifice ordinarie sine ullo Dei mandato fieri debeat? num ministri N. T. etiam Leviticis sacerdotibus succedunt? atqui eadem ad Hebraeos epistola docet, Aaronem ac totum Leviticum sacerdotium fuisse unius Christi typum. 3. Cyprianus lib. 1. epist. 4. contrario plane modo procedit, quo Bellarminus. Is namque ex eo, quod jubet Deus assumere Aaronem et Eleazarum filium ejus, eosque imponere in monte coram tota synagoga, et exuere Aaroni stolam sacerdotalem eaque Eleazarum filium ejus induere etc. ex eo, inquam, colligit, quod de divina auctoritate descendat, ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis deligatur et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. Sed Bellarminus ex Aaronis vocatione per Moysen manifestata colligit, sine ullo vel consensu, vel consilio plebis sacerdotes eligendos esse. Ita nimirum spiritus Cypriani differt a spiritu Bellarmini, ut in simili de nobis loquitur; Bellarminus lib. 1. de sacramentis cap. 26. 4. Nihil dicam de eo, quod Moysen fuisse summum sacerdotem V. T. nondum probatum fuerit. Extraordinaria enim illa sacrificii oblatio et generalis vocabuli כֹּהֲנִים Psalm. 99, v. 6. significatio id nondum probant, cum sacrificia etiam a prophetis oblata fuerint et filii Davidis dicantur כֹּהֲנִים 2. Sam. 8, v. 18. quos tamen sacerdotes fuisse tribuum distinctio non permittit. Atqui si Moyses non fuit summus sacerdos, quomodo a Moyse ad pontificem Romanum argumentum duci potest? 5. Repugnat igitur hoc argumentum hypothesi Bellarmini, quod sic ostendimus. Quo modo Aaron fuit vocatus, eo etiam modo hodie pastores debent eligi. At Aaron vocatus est a magistratu, quia Moyses fuit princeps populi. Ergo etiam hodie ministri a magistratu vocari debent, quod strenue negat Bellarminus. 6. Quid? quod expresso Dei mandato cautum, ut Israëlitae, id est primores Israëlitarum, Levitis ad tabernaculum adductis manus imponerent Num. 8, v. 10. qua ceremonia significatum fuit, ipsius etiam populi voluntate et consensu ministerii eos consecratos esse, sicut pecudi manus solebant imponi ab illis, qui ad sacrificium eam adducebant. XII. 2. 109.

101. Secundum argumentum Bellarminus petit ab exemplo et verbo Christi. *Christus Joh. 20. v. 21. apostolis dicit: Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos; quocirca voluit, ut ea potestate eaque ratione apostoli gubernarent ecclesiam, qua ipse eam gubernaverat eo tempore, quo praesentiam suam mundo exhibuerat. At ipse apostolos primum duodecim ac deinde discipulos LXXII elegit sine consilio aut suffragio ullo multitudinis.* Respondemus: 1. Si eo omnino modo apostoli debuissent ecclesiam gubernare et ministros vocare, quo Christus eam gubernaverat et ministros vocaverat, consequens fuerit, apostolos exspectare debuisse immediatam eorum vocationem, quibus docendi ministerium committerent. Sed apostoli nequaquam exspectarunt immediatam suorum in docendi officio successorum vocationem, verum ipsi per vocationem mediatam constituerunt presbyteros in singulis ecclesiis Actor. 14, v. 23. 2. Tim. 1, v. 6. quinimo episcopis et presbyteris per *suffragia ecclesiae* vocatis in mandatis dederunt, ut ipsi etiam aliis per mediatam vocationem docendi officium commendarent, 2. Tim. 2, v. 2. Tit. 1, v. 5. 2. Si apostoli debuissent eo omnino modo pastores vocare, quo ipsi a Christo erant vocati, non debuissent populo concedere potestatem eligendi ecclesiae ministros, hoc enim fuisset contra expressum illud Christi mandatum. Jam vero in hoc ipso capite in resp. ad 5. argumentum nostrum fatetur Bellarminus,

2. Ex Christi verbo et exemplo.

concessione apostolorum fuisse olim attributum populo, ut eligerent Stephanum et diaconos reliquos. Ergo non acceperunt tale a Christo mandatum, ut sine suffragio ecclesiae pastores eligant. 3. Si apostoli acceperunt mandatum a Christo sine plebis consensu ac suffragio pastores eligendi, consequens fuerit, nec pontificem Romanum, nec episcopos Pontificios, qui se apostolorum successores esse gloriantur, posse vel debere populo suffragium aliquod in ministrorum electione concedere, alias enim agerent contra expressum Christi mandatum apostolis datum. Jam vero *ex concessione pontificum populus aliquando elegit pastores*, ut fatetur Bellarminus in hoc ipso capit. in resp. ad 9. argum. nostr. Ergo. etc. 4. Si apostoli acceperunt mandatum a Christo eo omnino modo ecclesiam gubernandi et ministros vocandi, quo Christus eam gubernavit et ministros vocavit, consequens fuerit, ipsos quoque donum miraculorum, privilegium non errandi, potestatem in toto orbe praedicandi debuisse illis concedere, quos
10. ministerio praefecerunt. Posterius hoc in eis, quos vocarunt, nuspiam animadvertitur, episcopi Ephesini atque alii ab apostolis constituti dono miraculorum non fuerunt instructi, ab errandi periculo non fuerunt immunes, certis ecclesiis fuerunt praefecti. 5. Ex quibus omnibus immote colligimus, particulam *καθώς* in verbis Christi Johan. 20, v. 21. non denotare omnimodam similitudinem in particularibus quibusque circumstantiis, vel omnimodam potestatis paritatem, sed divinam muneris auctoritatem, promissionem de successu in ministerio et defensionem in periculis, mandatum de dominatu politico a ministerio ecclesiastico discernendo etc. sicut in harmonia evangelica late ostensum fuit. Christus discipulis commendat docendi ministerium et confert illis Spiritum Sanctum, qui per ipsorum ministerium in cordibus hominum sit efficax. Idem ministerium apostoli vi hujus mandati commendarunt aliis, eandem promissionem Spiritus Christus in aliis legitime vocatis implevit. In hisce terminis subsistendum neque latius extra principalem scopum verba Christi extendenda. 6. Ecquis enim Bellarmino dare poterit, quod eadem omnino potestate Christus, apostoli et pontifices Romani gubernaverint et adhuc gubernent ecclesiam? Christi potestas est absoluta et *αὐτοκρατορική*, eam si pontifex Romanus sibi arroget, Antichristum se esse demonstrat. Ecquis Bellarmino dare poterit, quod eadem omnino sit missio Christi, apostolorum et pontificis Romani? Christus fuit a Patre missus, non solum ut propheta et doctor, sed etiam ut mediator et salvator, *ut animam suam daret in redemtionem pro multis* Matth. 20, v. 28. *ut suo sanguine ecclesiam redimeret* Actor. 20, v. 28. illud certe ne quidem de apostolis, nedum de Romano pontifice potest sine sacrilegio affirmari. 7. Determinate igitur ac limitate verba Christi accipienda sunt de potestate ministerii et munere docendi, qualis usus particularum *καθώς*, *ὥσπερ*, *ὡς* etiam alibi in Scripturis frequens est, Matth. 5, v. 48. Luc. 6, v. 36. Johan. 17, v. 21. etc. ubi itidem non omnimoda similitudo et aequalitas, sed certa quaedam comparationis ratio particulis illis exprimitur. 8. Denique invertimus Bellarmini argumentum. Apostoli in ecclesia gubernanda et vocandis pastoribus dubio procul ita egerunt, prout a Christo ipsis fuit mandatum. Jam vero apostoli eo modo vocarunt ministros, ut populo potestatem eligendi concederent fatente Bellarmino. Ergo a Christo tale mandatum acceperunt.

102. 3. Ex jure divino tum naturali tum etiam scripto. 3. Ex jure divino naturali et scripto.
Nam jure divino scripto episcopi sunt pastores populi, populi sunt oves. Johan. c. 21. Actor. 20. 1. Petr. 5. *Ratio autem naturalis apertissime docet, ovibus non convenire, ut pascant ac regant, sed regantur atque pascantur. At eligere pastores ad gubernationem et regimen pertinere certissimum est, non igitur populo convenit pastores eligere.* Respondemus: 1. Bellarminus in hoc ipso capite in respons. ad 5. argum. statuit, *apostolos quandoque concessisse populo electionem.* At si electionis partes populo tribuere pugnat cum jure divino, quomodo apostoli potuissent eas populo concedere? 2. Si eligere pastores jure divino non convenit populo, consequens fuerit, contra jus divinum egisse omnes ecclesias, quae in electione pastorum aliquas sibi partes vendicarunt. Sed hoc posterius durum est et absurdum. Ostensum enim fuit superius, tempore Cypriani per universas fere ecclesias hanc eligendi rationem fuisse receptam, et concedit ipse Bellarminus in respons. ad argum. nostrum octavum, *jam tum tempore Nicaeni concilii coepisse consuetudinem, ut populus electioni admisceretur.* 3. Similia non probant, sed illustrant, et omne simile est etiam simul dissimile. 4. Similitudo non extendenda ultra illud comparationis tertium, ad quod in Scripturis adhibetur. Populus Christianus comparatur ovibus in eo, quod debeat Christi *ἀρχιποιμένος vocem audire, mercenarios fugere*, nequaquam vero in eo, quod non debeat in electione pastorum ullum habere suffragium. 5. Distinguendum igitur est inter oves brutas et rationales, inter oves proprie et metaphorice XII. 2. 111.
sic dictas. Ovibus brutis et proprie sic dictis non convenit electio pastoris; sed ex eo non potest inferri, quod etiam ovibus rationalibus metaphorice sic dictis nulla ratione partes aliquae in electione pastorum competant, quin potius cum sint oves rationales, ideo etiam in electione pastorum suas debent habere partes, nimirum ut una cum ministerio ecclesiastico pastores eligant. 6. Invertimus proinde argumentum: Oves suas Christus sic describit Johan. 10, v. 3. *quod vocem pastoris sui agnoscant*; v. 4. *quod pastorem sequantur, propterea quia sciunt vocem ejus*; v. 5. *quod alienum non sequantur, sed fugiant ab ipso, propterea quia non noverunt vocem alienorum*, v. 14. *quod cognoscant Christum.* Ergo convenit ovibus Christi, ut discernant veros pastores a falsis atque illos quidem sequantur, hos vero fugiant. Jam vero si nullae plane partes in electione pastorum populo relinquuntur, quomodo relicta ipsi erit potestas veros pastores

a falsis discernendi atque illos quidem sequendi, hos vero fugiendi? Certe inde atque ideo, quia non sunt oves brutae, sed rationales, competit eis, ne absque ulla discretione ad quaevis pascua, etiam noxia et venenata se abduci patiantur, sed fidelem pastorem eligant atque eundem sequantur. 7. Confunduntur in Bellarmini argumento diversa tempora. Non enim eligit populus tanquam oves, sed tanquam futurae oves. 8. In terrena etiam republica populi dicuntur oves, reges pastores, et tamen regis electio ad populum spectare potest. Bellarminus excipit, ***aliam esse rationem reipublicae terrenae, aliam coelestis, hoc est Christianae reipublicae: in illa nasci homines naturaliter liberos et proinde potestatem politicam immediate habere, donec eam in regem aliquem transtulerit; in hac vero non esse ejusmodi libertatem, cum Petrus in ipsa ecclesiae institutione pastor eidem praefectus sit; in illa populum quandoque rege carere, in hac nunquam illud contingere.*** Respondemus: Eccur igitur toties ex analogia reipublicae terrenae ad Christianam sive coelestem Bellarminus argumentatur? Certe ecclesiae regimen monarchicum esse debere contendit ex eo, quod monarchicum regimen in terrena republica sit optimum lib. 1. de pontif. c. 4. Praeterea ut populus jure naturali obtinet libertatem eligendi regem, ita populus Christianus ex Christi concessione et apostolorum praxi aliquas habet in electione pastorum sibi debitas partes. Sed quidquid sit de discrimine inter regimen ecclesiasticum et politicum (quod nos non solum libenter concedimus, sed etiam contra Bellarminum urgemus), illud certum est, nervum argumenti Bellarminiani hac ἐνστάσει fortiter incidi. Si enim inde atque ideo jure divino non competit populo eligere pastores, quia sunt oves, utique etiam inde atque ideo jure divino non competet populo eligere reges, quia itidem dicuntur eorum respectu oves. Ac vicissim, si ex ovium appellatione non potest derogari populo jus eligendi reges, utique etiam ex ovium appellatione non potest derogari populo ecclesiastico jus eligendi pastores. 9. Superius th. 88. membr. 7. aliam produximus similitudinem ex hypothesi juris canonici deductam, quae probat, non posse ecclesiam ab electione pastorum excludi.

4. Ex apostolorum exemplo.

103. 4. *Ex apostolorum exemplo, qui episcopos passim eligebant sine suffragio multitudinis, vel ex eo constat, quod episcopos a se creatos mittebant ad populos absentes et infideles.* Respondemus: 1. distinguendum est inter ecclesiam plantandam ac plantatam, constituendam et constitutam. Argumentum Bellarmini loquitur de ministerio in ecclesia adhuc plantanda et constituenda, quaestio nostra agit de ministerio in ecclesia jamdum plantata et constituta. 2. Distinguendum est officium evangelistarum in primitiva ecclesia extraordinarium ab officio pastorum et doctorum in ecclesia perpetuo et ordinario Eph. 4, v. 11. Evangelistae ab apostolis mittebantur ad populos absentes et infideles, vel una cum apostolis eo proficiscebantur, haec evangelistarum missio distinguenda omnino est ab ordinariorum pastorum vocatione. Tempore apostolorum sacerdotes gentilium erant idololatrae, magistratus impius et populus in tenebris ambulans, ergo non potuit ministerium ecclesiae per talem electionem constitui, quae post factam evangelii ad omnes populos propagationem locum habet. 3. Quando in ecclesia jamdum plantata et constituta pastores populo praeficiendi fuerunt, apostoli non praetermiserunt populi suffragium, ut multis superius comprobatum fuit exemplis. 4. Illi ipsi evangelistae, qui ad populos infideles et absentes ab apostolis missi fuere, non sunt invitis obtrusi. Si enim infideles illi tales evangelistas audire noluissent, certe nemo illos coëgisset, vel etiam cogere potuisset. Christus ipse apostolis talem praescripsit regulam Matth. 10, v. 14: *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris.* v. 23. *Cum persequentur vos in civitate una, fugite in aliam.* Ergo si vel maxime populo, ad quem apostoli et evangelistae venerunt, tale quoddam suffragium tribui nequit, quale in electione ordinariorum pastorum ecclesia jam constituta obtinet, tamen consensum spontanea receptione comprobatum nemo illi denegare poterit.

104. 5. ***Ex decretis conciliorum, quae prohibent turbis electionem eorum permittendam, qui sunt ad sacerdotium promovendi***, ut affert concilium Laodicense can. 13. concil. Martini papae apud Bracarensem c. 2. decretorum, concil. Nicaenum II. can. 3. conc. Constantinopolitanum IV. quod est octavum generale can. 28. Respondemus: 1. repetantur aliorum conciliorum et pontificum Romanorum decreta, quae magno numero superius sunt adducta, ut clavus clavo trudatur, sicut in simili loquitur Salmeronius. 2. Argumentum ex decretis conciliorum est secundarium, quia patrum dicta, pontificum rescripta, conciliorum decreta etc. Scripturae S. unico et proprio theologiae principio sunt subjecta, nec ullam, nisi cum ipso exacte consentiant, auctoritatem obtinent. 3. Canones illi nequaquam consensum populi ab electione pastorum simpliciter exclusum volunt, sed hoc duntaxat requirunt, ne populus suo jure abutatur, ut vel sibi soli excluso presbyterio potestatem eligendi rapiat, vel insolenter modum agendi presbyterio praescribat, vel inordinate et confuse in tam sancto negotio procedat. Constat enim, et magistratum, et populum suo jure in electione pastorum saepius fuisse abusum, cui malo canonibus illis obviam ire voluerunt, nequaquam vero veterem et per universas fere ecclesias receptam per suffragia populi eligendi consuetudinem, ut Cyprianus eam vocat, penitus abolere. 4. Canones ergo illi nequaquam hoc volunt, quod consensus et suffragium populi a vocatione ministrorum plane excludendum sit, id enim in concilio Antiocheno fuit prohibitum, sed sufficere statuunt, si primores ecclesiae viri, scilicet

et firmioribus judiciis praediti, reliquorum nomine negotium hoc expediant, ut omnis confusio vitetur.

105. 6. Ex testimoniis veterum. Hieronymus
Ex tis erum. epist. 85. ad Evagrium: *Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum nominabant episcopum.* Ruffinus lib. 10. hist. cap. 9. scribit, *Frumentium a S. Athanasio creatum episcopum Indorum Indis ipsis ea de re nihil scientibus neque cogitantibus. Epiphanius in epist. ad Johannem episcopum Hierosolymitanum scribit, a se Paulinianum Hieronymi fratrem presbyterum ordinatum. Augustinum Anglorum episcopum Gregorius designavit, Gregorius II. Bonifacium Germanis nihil ea de re cogitantibus episcopum ordinavit.* Respondemus: 1. de patrum dictis et ecclesiae praxi judicandum et statuendum ex Scripturis sacris, quidquid illis conforme recipimus, quidquid dissonum rejicimus. 2. Opponimus Bellarmino alia veterum dicta et probata ecclesiae primitivae exempla superius enumerata. 3. Nec du-
2. 113. bium nobis est, formam ac rationem pastores eligendi ab apostolis usurpatam ab ecclesia primitiva apostolicae vicina constanter fuisse observatam, cujus rei testem producimus Cyprianum lib. 1. ep. 4. quidquid tandem sit de temporibus recentioribus. 4. Pleraque exempla, quae Bellarminus adducit, sunt a quaestione aliena, loquuntur enim de ministerio in ecclesia adhuc plantanda, nos vero hic agimus de ministerio in ecclesia plantata et constituta. 5. Exempla patrum subordinata sunt praxi apostolorum, quae nostrae suffragatur sententiae. 6. Quaedam dicta populi consensum diserte non excludunt. 7. Hieronymi dictum Bellarmino fortissime adversatur. Presbyteris enim Alexandrinis tribuit episcopi electionem et constitutionem, at Bellarminus scribit lib. 1. de cler. c. 3. *a seculo non esse auditum, ut episcopum non episcopus ordinaret, neque hujusce rei ullum vel institutum ex disciplina, vel exemplum ex historiis, vel etiam usurpationem ex haeretica licentia proferri posse.*

Ex in- mmo- s po- laris ectio- s. 106. 7. Ex incommodis, quae popularem electionem consequuntur. *Primo populares imperiti sunt nec possunt, etiam si maxime velint, judicare, an aliquis sit idoneus sacerdotio, nec ne. Deinde si populus jus habet eligendi, necesse erit, ut semper ii praeficiantur, quos praefici cupient pejores et stultiores, nam major pars vincet, plures autem sunt in qualibet civitate mali quam boni, plures stulti quam sapientes. Denique elcatio popularis obnoxia est tumultibus ac seditionibus.* Respondemus: 1. haec recte opponuntur Anabaptistis, qui potestatem eligendi imperitae multitudini excluso magistratu ac presbyterio tribuunt. Nos in electione confusiones nec approbamus, nec introducimus, nec soli populo eligendi partes damus, sed omnia κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως agenda esse dicimus et cuique ecclesiae ordini suas partes assignamus. Ministerio, ut eligendae personae doctrinam et qualitates exploret; populo, ut examinatum a ministerio in concione δοκιμαστικῇ audiat ac vel suo suffragio electionem promoveat, vel ob causas praegnantes et sufficientes impediat; magistratui, ut electionem confirmet. 2. Quamvis populus de eruditione et qualitatibus eligendi non possit tam exactum ferre judicium quam presbyterium, tamen aliquod judicium de doctrinae sinceritate ex catechesi, de donis ex concione δοκιμαστικῇ ac de vita eligendi ex ipsa conversatione vel aliorum relatione ferre potest, ac proinde non est penitus ab electione pastoris excludendus. 3. Praxis ecclesiarum nostrarum ostendit, sine confusione populum ad ministrorum electionem admitti. Constituta sunt apud nos consistoria ex ecclesiasticis et politicis honoratioribus personis, quae ecclesiam repraesentant, nec universa multitudo populi adhibetur electioni, sed certis personis, senioribus scilicet, reliquorum nomine dicendi agendive potestas datur. In quibusdam ecclesiis populus abdicato quasi jure suo magistratui et ministerio ejusdem confessionis socio has partes cedit et in illius voluntate ac delectu secure acquiescit; in quibusdam jus suum confert in certas personas honoratiores, quae populi nomine omnia peragunt. Neutro modo jus vocandi ministros ad totam ecclesiam pertinere desinit, committitur enim aliorum fidei jus, non amittitur, cum quis libera voluntate ad tempus juri suo renuntiat, nec in praescriptionem vel praejudicium juris id vergere potest. 4. Si illa incommoda electioni pastorum per suffragia populi qua tali, hoc est per se et simpliciter, ac non potius quatenus agendi confusione vitiatae ac proinde per accidens competerent, qui factum, quod apostoli potestatem eligendi populo concesserunt? quod consuetudo illa tempore Cypriani per universas fere ecclesias recepta? quod multis canonibus eadem non solum approbata, sed etiam sancita?

107. Sub finem hujus quaestionis suaviter philosophatur Bellarminus, quod ratio eligendi ad suffragia populi, quia paulatim in ecclesiam irrepsit, debuerit proinde paulatim suaviterque de medio tolli. *1. Initio* (inquit), *hoc est apostolicis temporibus, inscientе populo pastores eligebantur.* Respondemus: falsum hoc est, ut constare potest ex Actis apostolorum XII. 2. 114.
cap. 1. 6. 14. 15. etc. Ratio eligendi per suffragia populi ab apostolis in publicis ecclesiae conventibus usurpata est, quomodo igitur suaviter irrepsisse dicenda erit? Neque consequens est, quod paulatim in ecclesiam irrepsit, etiam paulatim et suaviter e medio tolli oportere, quid enim dicemus de haeresibus, erroribus, vitiis et morum corruptelis, quae saepius paulatim irrepunt, neque tamen paulatim et suaviter, sed justo severitatis zelo tollenda sunt? *2. Deinde coepit populus adhiberi ad testimonium dandum de eligendi vita et moribus,* Tertullianus in apol. c. 30. Respondemus: non nudum testimonium, sed etiam suffragium populo jam tum fuisse datum, apparet ex Cypriano, qui Tertullianum proxime secutus est et diserte scribit, suo tempore morem illum eligendi *per universas fere ecclesias* receptum fuisse. Ac quod populus ad testimonium dandum

tunc adhibitus fuit, id nequaquam per quandam sub- et obreptionem factum, sed secundum regulam ac normam praxeos apostolicae, insuper illud populi testimonium consensus et suffragii exstitit fundamentum. *3. Tum ut populi magis diligerent suos episcopos, coepti sunt ii tantum ordinari, quos populus postulasset*, Leo ep. 87. Respondemus: Leo diserte ibi addit, *vota civium*, *testimonia populorum*, *arbitrium honoratorum* (non nuda desideria et testimonia, sed etiam suffragia) *in constitutione sacerdotum observari ab his*, *qui norunt regulas patrum*. Ergo non fuit nuda quaedam consuetudo, quae occulte irrepserit, sed ratio eligendi patrum regulis et perpetuae ecclesiae praxi conformis. *4. Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet*, Chrysostomus lib. 3. de sacerd. Respondemus: imo vero ex superiori diexodo intelligi potest, quod non tandem, sed in apostolicae ecclesiae incunabulis non irrepserit, sed publice recepta fuerit, non in quibusdam locis, sed in universis fere ecclesiis, non nuda consuetudo, sed ordinaria eligendi ratio apostolicae praxi conformis, ut suffragium aliquod populo fuerit datum, non ut de facto, ausu nefario populus duntaxat illud usurparet. Attende quaeso, quam suaviter conetur Bellarminus eludere et elidere perpetuam ecclesiae praxin Christi instituto et apostolorum exemplo conformem. *5. Postquam aliquandiu* hoc toleratum est et apparuit ejus rei confusio et indignitas, *tum etiam paulatim sublata est populo electio et postulatio, solumque relictum testimonium vitae et morum.* Respondemus: est hic manifestus causae elenchus, vera enim causa, cur apostolica et probatissima pastores eligendi ratio sit sublata, non est confusio et indignitas, cum in nostris ecclesiis sine ulla confusione adhuc observetur, sed antichristianus Romani pontificis dominatus, imo tyrannis. *6. Etiamnum*, concludit Bellarminus, *ordinantur episcopi et presbyteri coram populo*, *et episcopus*, *qui ordines collaturus est*, *per diaconum populum alloquitur et petit*, *ut si quis est*, *qui habet aliquid adversus ordinandos*, *accedat et dicat.* Respondemus: praxis illa ecclesiae Romanae nihil aliud est quam Dei et hominum illusio. Quando enim diaconus interrogat, num ordinandus ea sit eruditione et vitae integritate praeditus, ut censeri possit dignus, qui eligatur et confirmetur, stat quidam in angulo, qui acclamat: *Doctus est*, *dignus est*, quod ludibrium quis agnoscere poterit pro testimonio populi Christiani? Refert Erasmus similem illusionem: Ordinandi omnes examinantur ab episcopo aut ejus vicem gerente, facto examine progreditur examinator coram altare et solenniter jurat, se reperisse omnes illos initiandos sacerdotio dignos, aetate, moribus et scientia idoneos, cum plerumque sint indoctissimi, moribus corruptissimi et saepe etiam aetate immatura, eodem teste. Observa autem vertiginem hujus disputatoris nostri: Hactenus totis viribus defensare conatus est, *jure divino excludi populum ab electione ministrorum, apostolicis temporibus insciente populo pastores electos fuisse*, *jure naturali ovibus non convenire*, *ut eligant pastorem*, jam vero disputat, *etiam nunc ordinari episcopos et presbyteros coram populo et consensum ejus adhuc in ecclesia papali requiri.*

SECTIO V. XII. 2.

DE JURE EPISCOPALI ET JURE PATRONATUS.

108. Cum in quotidiana praxi electionis et vocationis ministrorum frequentissima fiat mentio juris episcopalis, quod per pacificationem Passaviensem ad status imperii Augustanae confessioni addictos translatum, et juris patronatus, ideo de utroque paucis hoc loco agendum, ut constare possit, an et quomodo jura ista eo modo in reformatis ecclesiis exerceri possint, ne ecclesiae, cui pastor praeficiendus est, debitae partes in electione et vocatione penitus auferantur. Jus episcopale ex jure canonico definitur, *quod sit potestas episcopo legitime et canonice electo*, *postulato*, *confirmato*, *investito*, *consecrato atque ordinato competens.* Ejus tria capita constituunt canonistae: *ordinem*, *legem dioecesanam et jurisdictionem*, Gloss. c. dilectus extr. de offic. ordin. alii, quibus lex dioecesana a jurisdictione non videtur distinguenda, ponunt *ordinem*, *jurisdictionem et dignitatem*; sed Laur. Ohmius jureconsultus in tract. de jure episcopali §. 15. media via incedens quatuor summis capitibus jus episcopale absolvi statuit, videlicet *ordine*, *lege dioecesana*, *jurisdictione*, *statu denique et dignitate ipsa*, cujus vestigiis presse hoc loco insistemus. Ad ordinem dicit pertinere *potestatem publice docendi et praedicandi verbum Dei.* c. inter cetera et ibi gloss. in verb. praedicationis extra de offic. ordin. *administrandi sacramenta.* c. sicut non alii de consecr. dist. 1. *peccatores in ecclesia ligandi et absolvendi*, quae potestas clavium dicitur. c. pervenit 16. q. 1. Item *ad sanctae praedicationis officium alios assumendi* d. c. inter cetera, qui cum idonei esse debeant, inde nascitur episcopo *jus scrutinii vel examinis* in qualitates eorum inquirendi. c. quando cum seqq. dist. 24. ac tot tit. extra de temp. ordin. et qualitate ordinandorum; ac si probati fuerint, eosdem ad ministerium *ordinandi.* c. perlectis §. ad episcop. dist. 25. Item ministris ad sustentationem necessariam *beneficia conferendi.* cap. 1. de concess. praebend. in 6. eosdem in talia officia et beneficia *introducendi et investiendi.* c. praeterea cum seqq. extra de jure patronat. *templa* sive loca sacra propria auctoritate *erigendi* et aedificandi, utque alii erigant et aedificent indulgendi c. Nemo ecclesiam de consecrat. dist. 1. jam erecta et aedificata *consecrandi*, c. ecclesias 16. q. 7. uti etiam loca religiosa faciendi, velut *monasteria*, *oratoria*, *xenodochia*, cap. de xenodochiis et t. t. extr. et in 6. de dom. religiosis, λόγον ἀσυλίας sive beneficium *asyli* illis concedendi, L

Jus episcopale quid complectatur

Ordo.

pateant 3. C. de his qui ad eccles. confugiunt. c. inter alia extra de immun. eccles. *abbates et abbatissas benedicendi*, c. 1. extra de supplenda neglig. praelat. *ecclesiasticas. constitutiones* ad *τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην* spectantes *promulgandi* etc.

Lex dioecesana. 109. Ad legem dioecesanam refertur *canonica obedientia, subjectio et reverentia*, quam omnes de dioecesi tam laici quam clerici episcopo praestare tenentur, c. conquerente extr. de. offic. ordin. *administratio, dispositio et gubernatio rerum et bonorum ecclesiae tum mobilium, tum immobilium*, c. Sic quidam cum seqq. 10. q. 1. *eorum quae injuste alienata sunt, vindicatio*, c. Augustino 12. q. 2. l. sancimus 21. C. de sacros. eccles. *oeconomorum et provisorum super bona et res illas constitutio*, l. jubemus 14. C. de sacros. eccl. *rationum ab iisdem repetitio*, d. l. jubemus; *similiter religiosarum domuum et quoad administrationem et quoad disciplinam inspectio et provisio*, t. t. ext. de relig. dom. *decimarum perceptio ac distributio*, c. decimas 16. q. 7. ex iis *canonicae portionis sive quartae retentio*, c. conquerente extr. de off. ordinar. item *visitatio*, c. relata cum seqq. 10. q. 1. ejusque gratia procurationis ecclesiasticae sive *sumtuum ad visitationem*
XII. 2. 116. *collectio*, c. cum apostolus §. prohibemus extr. de censibus; *synodorum in sua dioecesi convocatio*; c. annis dist. 18. *synodatici sive cathedratici exactio*, quod solvitur plerumque a clericis in synodo episcopali ob honorem et conservationem cathedrae episcopalis, c. conquerente extr. de off. ordin. ac nonnunquam in casu necessitatis moderata *collectatio*, quam vocant charisterii sive caritativi subsidii indictionem, quod est jus episcopale dioecesanum; denique *cancellariatus* in academiis suae dioecesi insitis vel vicinis honorificentissima functio, hoc est doctores, magistros et baccalaureos curandi et promovendi licentia ejusve decanis facultatum gratiosa concessio.

Jurisdictio. 110. *Ad jurisdictionem* pertinet, quod episcopus in tota sua dioecesi et qualibet ejus parte potest clericorum omnium tam civiles et criminales, quam spirituales, laicorum vero spirituales potissimum causas audire (quod vocant *episcopalem audientiam*. l. cum clericis 25. C. de episc. et cleric.) per sententiam *definire*, c. Jurgantium extr. de sentent. *poenas* tam ecclesiasticas sive canonicas, quam seculares *decernere*, c. Presbyteri extr. de poenis; *emendas et satisfactiones imponere*, c. dilectus extr. de offic. ordin. *clericos ob crimen, excessum vel defectum cognitum ab officio et dignitate suspendere*, c. tuarum extr. de privil. et excess. *imo prorsus removere ac deponere*, t. t. extr. de eo qui furtive ordin. eosdem ex causa *restituere*, d. c. tuarum extr. de privil. et excess. insuper censuram ecclesiasticam in omnes dioecesanos clericos et laicos per *excommunicationem majorem et minorem*, quae in personas dirigitur, itemque *per interdictum generale et speciale*, quod in res et loca praecipue dirigitur, ex justa ratione *exercere*, c. Episcopi cum seqq. 11. q. 3. iterumque ab excommunicatione et interdicto reconciliatos absolvere, c. nuper extr. de sent. excomm. *a juramento* illicite extorto sive alias praestito ad effectum agendi aut alium absolvere, c. si vero. c. cum quidam extr. de jurejur. de gradibus in matrimonio non jure divino, sed canonico prohibitis *dispensare*, c. Quia circa extr. de consang. et aff. denique in causis scholarium sive studiosorum ex debito civili simul et delicto descendentibus *judicare*, auth. habita C. ne filius pro patre.

111. Ad statum et dignitatem episcopalem pertinent *tituli* illius dignitatis illustriores, item *privilegia, immunitates et securitates episcopales*, t. t. C. de episc. et clericis; tum *praerogativa gradus*, qua episcopi invicem sibi praestant, c. Nullus primas 9. q. 2. sic episcopis sive dioecesanis praeferuntur archiepiscopi sive metropolitani, archiepiscopis patriarchae seu primates etc. uti etiam *praecedentia*, qua statibus laicis antecellunt, c. duo sunt dist. 96. c. Solitae extr. de major. et obed. item functiones illae, quibus episcopi *in coronandis, ungendis et consecrandis regibus* et imperatoribus fruuntur, quo pertinent etiam *bona mensalia* ad dignitatis conservationem spectantia. Status.

112. Atque haec sunt quatuor illa summa capita, quibus juris episcopalis potestas ac dignitas includitur, circa quae tria sunt notanda. 1. Quamvis ex constitutione pacis religiosae anno 1552. Passavii sancita et anno 1555. Augustae confirmata electores, principes ac status imperii Augustanae confessioni addicti jura episcopalia in suis territoriis sibi vendicent, tamen exercitium eorum ita temperant, ut quaedam capita ipsimet non attingant et ecclesiae ministris relinquant, utpote praedicationem verbi et sacramentorum administrationem, potestatem clavium, examen eligendorum ministrorum, eorum ordinationem etc. quaedam per consistoriales et superintendentes peragant, utpote ecclesiarum visitationem, causarum ecclesiasticarum, ad quas etiam matrimoniales spectant, dijudicationem etc. quaedam sibi solis immediate reservent, utpote constitutionum ecclesiasticarum promulgationem, synodorum convocationem etc. quaedam denique cum consensu ecclesiae administrent, utpote electionem et vocationem ministrorum. 2. Omnia, quae ad jus episcopale, XII. 2. 1
praesertim ad ordinis potestatem referuntur, cum hac omnino exceptione intelligenda sunt, quod juxta canonici juris dispositionem ordinarie quidem et regulariter episcopis competant, interim tamen salvum et integrum relinquendum esse jus illud, quod in uno vel pluribus horum capitum inferiores antistites, principes, comites, nobiles, civitates, communiones etc. ex consuetudine, praescriptione, privilegio, pactis, transactione etc. acquisiverunt. 3. Dicuntur ergo omnia illa ad jus episcopale pertinere, non quod jure divino ad episcopos solos excluso magistratu Christiano et populo pertineant, sed quod in regno Pontificio juxta canonici juris dispositionem et praxin receptissimam episcopi ea sibi et olim vendicaverint, et adhuc vendicent (cum tamen quaedam ex illis ad magistratum ecclesiae

nutritium vel in solidum vel saltem ex parte divino jure pertineant) praetermisso interim, quod proprie ac praecipue ad jus episcopale pertinet, publice in ecclesia docendi et sacramenta administrandi munere.

Jus patronatus. 113. *Jus patronatus* definit Matth. Stephani lib. 3. de jurisdict. p. 1. c. 17. quod sit *jus honorificum, utile et onerosum competens alicui in ecclesia pro eo, quod dioecesani consensu ecclesiam vel fundavit, vel construxit, vel dotavit*, hinc versiculus:

Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.

Origo juris patronatus ea est. In primitiva ecclesia pii ex sincero divinum cultum promovendi studio suis impensis oratoria, templa et alia loca sacra exstruebant ac facultates suas ad sustentationem ministrorum illius ecclesiae largiter conferebant; illos fundatores et donatores, qui patrimonii sui heredem constituebant ecclesiam, vocarunt *patronos*, similitudine appellationis ex patronis Romani juris deducta. Ut enim more in imperio Romano tunc temporis adhuc usitato liberti manumissi dominis suis grati animi ergo reverentiam et operas ex stipulatione et jurejurando praestabant eisque obligabantur ut patronis; ita quoque illos, qui templa suis sumtibus exstruebant et ministris sacrorum sustentationem assignabant, patronos dici voluerunt. Effectus hujus juris est, quod patronus habet potestatem *nominandi* sive *praesentandi* instituendum. Diversum hoc est a jure patronatus civili, quod in servos a se manumissos retinent domini eorumque liberi, de quo tit. ff. de jure patron. et tit. C. de bon. libert. hoc enim, de quo agimus, a canonibus ecclesiasticis conceditur iis, qui vel. fundarunt, vel construxerunt, vel dotarunt ecclesiam, ubi tamen monent canonistae, non solam fundationem, hoc est fundi assignationem, jus patronatus tribuere, sed requiri etiam operis exstructionem propriis sumtibus factam et dotationem, c. Abbatem 4. 18. q. 2. c. nobis. c. piae mentis. c. monasterium 16. q. 7. c. Nemo de consecrat. dist. 1. Statuunt etiam, hoc jus acquiri *praescriptione immemoriali*, hoc est quadragenaria cum bona fide, c. Querelam 24. extra de elect. gl. c. circa de jur patron. *antiqua consuetudine*, *titulo donationis*, *permutatione*, *venditione universitatis*, *cessione vel legatione cum consensu episcopi facta*, item transmitti ad heredes. Dicitur jus *utile*, quia patronus habet jus exedrae, sepulchri, processionis etc. in ecclesia, et cum vergit ad extremam inopiam, una cum liberis debet ali ab ecclesia patronata, c. nobis §. fin. de jure patronatus; *honorificum*, quia patronus vacante beneficio episcopo praesentat instituendum, c. decernimus 19. q. 7. c. ex insinuatione cum seqq. de jure patronatus; *onerosum*, quia patronus tenetur ecclesiam suam defendere et prospicere, ne bona dilapidentur, c. filiis 16. q. 7. et si bona non sufficiant ecclesiae, ipse tenetur de suis aliis supplere, Clement. 1. de jure patron. Si patronatus jus sit penes laicos, habent ad praesentandum sibi praestitutum tempus quatuor mensium, c. Si laicus. §. verum, de jure patronatus in 6. quo tempore praeterlapso episcopus nulla admissa praesentatione pro lubitu idoneam aliquam personam instituere eandemque praevio examine ordinare non prohibetur, c. si vero, extr. XII. 2. 1
eod. Si vero ecclesiastica persona jus patronatus habet, intra sex menses praesentationem facit. P. Friderus lib. 3. de contin. caus. c. 19. n. 17. Nec interest, an plures patroni sint, sive unus, dummodo si plures sint, in praesentando omnes vel certe major eorum pars in eundem conveniant, ac possunt patroni inter se pacisci, ut alternis vicibus singuli praesentent, c. 2. de jure patron. in 6. *Hoc jus patronatus* in Constitutione ecclesiastica electorali approbatur et illis, quibus lege vel consuetudine vel aliis honestis titulis competit, confirmatur.

114. Ex illis, quae de jure episcopali et patronatus inter se plurimum distinctis diximus, colligimus haec consectaria: 1. nec institutionem, nec remotionem sive depositionem ministrorum ecclesiae competere iis, qui jure patronatus fruuntur, cum pertineat ad jus episcopale, qua de re exstant diserti canones c. praeterea, c. quod autem, c. querimoniam cum laici, c. consuluit, c. suggestum de jure patron. Ad eum igitur, qui episcopale jus exercet, crimina ministrorum deferenda et legitimo causae examine praemisso de remotione dispiciendum, secus quam hodie fit in locis compluribus, ubi patroni absolutum jus in ministros sibi vendicant pro lubitu eos instituendi ac loco movendi. 2. Visitationes vel speciales, vel generales ab eo, qui juris episcopalis eminentia fruitur, institutas nihil derogare juri patronatus, secus quam sibi imaginantur multi ex patronis, qui eo nomine sanctum et maxime necessarium visitationis opus totis viribus impediunt, ne juri patronatus quippiam decedat. 3. Rationes ecclesiasticorum redituum, vulgo die Kaſtenrechnungen, ad jus episcopale, non ad jus patronatus pertinere, secus quam statuunt multi ex patronis, qui superintendentem ad earum a praefectis aerarii ecclesiastici exactionem admittere omnino recusant. 4. Excommunicationem tum majorem, tum minorem, cum certo respectu ac modo ad episcopale jus pertineat, quod per consistoriales suos reformatae religionis principes exercent, non debere privato ministri ecclesiae arbitrio absque auctoritate et mandato consistorii exerceri, quod ipsum etiam disertis et gravibus verbis in Const. eccles. electorali cap. de excomm. prohibetur. 5. Non solum jus patronatus, sed etiam jus episcopale ea Christianae moderationis trutina exercenda esse, ne ecclesiae, cui pastor dandus est, consensus et testimonium plane excludatur, ideoque si ecclesia habeat justas et praegnantes causas in personam praesentatam et publice auditam non consentiendi, audienda omnino est, nec invitae obtrudendus est minister, quia nec episcopale, nec patronatus jus ecclesiasticis canoni-

bus introductum praejudicare potest potestati jure divino toti ecclesiae in ministrorum electione competenti.

SECTIO VI.

DE ILLIS QUAE IN MINISTRORUM VOCATIONE ET ELECTIONE CAVENDA.

115. Ut legitima et Deo grata sit ministrorum electio, diligenter in hoc negotio quaedam cavenda sunt, tum illis, qui ecclesiae nomine eligunt, tum illis, qui ad ministerium eligendi. De prioribus notentur sequentes canones: *1. In nominatione, praesentatione, electione et vocatione* ministrorum non agatur quidquam temere sine gravi consilio et praemissis ad Deum seriis precibus. Quo enim augustius ac divinius est hoc negotium, eo majore prudentia et ardentioribus precibus in eo paragendo opus esse statuamus. *Rogate dominum messis,* praecipit Christus, *ut operarios in messem suam extrudat,* Matth. 9, v. 38. Non est ullum praestantius et salutarius Dei donum quam fidelis, idoneus ac sin-
I. 119. cerus verbi minister, jam vero dona Dei non possunt aliter nisi per preces obtineri, Luc. 11, v. 13. Joh. 16, v. 24. Jac. 1, v. 5. et 17. Deus est, *qui idoneos* facit ministros N. T. 2. Cor. 3, v. 5. is ergo piis precibus rogandus, ut ipse mittat, quem eligerit. Christus ipse cum duodecim apostolos eligere vellet, Luc. 6, v. 13. noctem praecedentem seriis impendebat prius precibus v. 12. suo nos instruens exemplo, quam pie et sancte hoc negotium sit tractandum. Euthymius in c. 3. Marci: *Pernoctabat Christus in oratione ad Deum instruens nos, ut si quando aliquem electuri simus, in oratione pernoctemus, quo is, qui dignus est, innotescat, ne communicemus peccatis alienis.* Idem sedulo in ecclesia apostolica observatum fuisse, colligitur ex Act. 1, v. 24. c. 13, v. 3. c. 14, v. 23. ubi precibus conjunguntur jejunia, ut sint ardentiores et excitatiores. 2. Nullus ecclesiae status suo jure in ministrorum vocatione abutatur, sed conjunctis animis ac votis omnia peragantur. Quod enim ad omnes pertinet, quod omnes tangit, ab unius arbitrio pendere neutiquam debet. Cavendum ergo modis omnibus, ne vel ambitio ordinis ecclesiastici, vel fastuosus dominatus ordinis politici, vel furor populi εὐταξίαν in legitima vocatione observandam perturbet. Peccant igitur magistratus, qui excluso ministerio, cujus praecipuae debent esse partes in vocatione pastorum, absolutum aliquod et proprium hac in re jus sibi arrogant, pro libitu ministros instituunt ac deponunt, ecclesiae invitae ac repugnanti, quin et precibus lacrimisque obluctanti pastores obtrudunt. Peccant etiam ecclesiae, quae personam a patronis nominatam testimonio consistorii comprobatam, donis ad docendum necessariis instructam etc. recipere et vocare recusant urgentes, ut plures una personae praesententur. In arbitrio enim patronorum positum, an unam vel plures personas nominare velint, nec absolutae necessitatis est, ex pluribus fieri electionem, sed sufficit ad legitimam vocationem, si accedat ecclesiae consensus, quem personae a patrono nominatae et a consistorio comprobatae populus denegare non debet nisi ob graves ac praegnantes causas doctrinam vel vitam praesentatae personae concernentes. 3. Patroni et consistoriales in nominatione eligendorum ad ministerium nequaquam respiciant cognationem, affinitatem, intercessiones, sollicitationes etc. ut minus idoneos vel indignos nominent, sed perpetuo sibi proponant regulam apostolicam 2. Tim. 2, v. 2: *Quae a me audivisti, commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint ad docendos alios.* Sin minus, de ejusmodi patronis dici poterit, quod de Jeroboamo Scriptura refert 1. Reg. 13, v. 33: *De novissimis populi aut e fece vulgi constituebat sacerdotes, qui placuerat ipsi, hujus manum implebat.* Augustus teste Suetonio lib. 2. c. 56. nunquam suos populo commendavit, ut non adjiceret, *si merebuntur;* quanto magis patroni ecclesiarum in personarum nominatione ac qui alios commendant, hoc adjicere debent. Dici non potest, quam graviter peccent, qui affectibus vel muneribus in transversum sese in hoc negotio rapi patiuntur. Sanguis animarum per negligentiam indocti ac minus idonei pastoris pereuntium requiretur a manibus ipsorum. 4. Caveant illi, penes quos jus praesentandi et ecclesiae nomine eligendi ac vocandi, ne officia ecclesiastica faciant venalia, neve donariis et honorariis favores suos ministerii candidatis venales exponant; sed memores sint pristinae disciplinae ecclesiasticae. c. Sancitum est caus. 7. q. 1. ex concilio Rothomagensi: *Sancitum est atque omnibus modis prohibitum, ut si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico vel laico munera dare vel dedisse, aut aliam pecuniam tribuere, ut alterius presbyteri ecclesiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate, seu rapina, seu praesumtione turpis lucri gratia dejiciatur a clero et alienus exsistat a regula.* Justinianus imp. nov. 123. c. 1: *Sancimus, quoties opus fuerit episcopum ordinari, clericos et primates civitatis, cujus futurus est episcopus, mox in tribus personis decreta facere, propositis eis sacrosanctis evangeliis periculo suarum animarum dicentes in ipsis decretis, quia neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem, aut amicitiam, aut aliam quamlibet causam, sed scien- XII. 2. 120.
tes eos rectae et catholicae fidei et honestae esse vitae et literas nosse, hos elegerunt.* Cum Simon magus pecuniam offerret apostolis mercaturus ab illis potestatem conferendi Spiritum sanctum, audire cogitur a Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* Act. 8, v. 20. Utinam proverbii loco idem usurpetur a collatoribus, patronis, consistorialibus, superintendentibus et senioribus ad eos, qui aureis et argenteis hamis ecclesiastica officia piscantur. Huc referenda sunt gravissima illa contra simoniam

tonitrua ac fulmina, quae in jure canonico proponuntur; **(c. 2. caus. 1. q. 1: *Quicunque studet pretii datione sacrum ordinem mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantum inaniter concupiscit.* c. 6: *Quos constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes, quia dantem pariter et accipientem damnatio Simonis involvit.* Glossa in principio caus. 1. q. 1. definit *simoniam,* quod sit *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.* Quam definitionem retinet Thomas 2, v. 2. q. 100. art. 1. Biel. 4. sent. dist. 25. q. 1. Valentinian. in Thom. 3. f. 1957.)** sed illa hodie in regno papali sunt fulgura ex pelvi. **Lutherus in c. 25. Gen. f. 22: *Totus papatus substantialiter repletus est simonia, ac si tuleris simoniam ex papatu, jam solem inde tulisti, nihil enim aliud negotii curtisanis est, quam ut emant et vendant sacerdotia.*** Conqueritur hac de re aliquoties Ludov. Vives in commentariis super libros Augustini de civitate Dei, cujus querelas recensuimus in loco praec. de ecclesia c. 11. sect. 5. §. 198. Pulcre Leo et anthemius Augusti: l. Si quenquam C. de episcopis et clericis: *Si quenquam vel in hac urbe regia, vel in ceteris provinciis, quae toto orbe diffusae sunt, ad episcopatus gradum provehi Deo auctore contigerit, puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia, sincero omnium judicio provectum. Nemo gradum sacerdotii venalitate pretii mercetur, quantum quisque meretur, non quantum dare sufficit, aestimetur. Profecto enim quis locus totus et quae causa poterit esse excusata, si veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames penetralia veneranda proserpet?*

Quid illis cavendum sit, qui eliguntur. 116. Posterioribus proponendus hic canon: Qui ad ministerium eligendi sunt, sedulo caveant, ne pecuniis, fraudibus, emendicatis suffragiis vel quibuscunque malis artibus semet ipsos ingerant, sed legitimam vocationem exspectent. Gregorius lib. 2. epist. 22. ad Antonium subdiaconum: *Illud prae omnibus curae tibi sit, ut in hac electione nec datio quibuscunque modis interveniat praemiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant. Nam si quorundam patrocinio quisquam fuerit electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, reverentia exigente obedire compellitur.* Nemini quidem prohibitum est operam suam offerre ecclesiae, modo sibi conscius sit necessariae eruditionis et donorum ad docendum requisitorum: 1. quia apostolus diserte ait 1. Tim. 3, v. 1: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* 2. Quia servus *talentum* sibi concreditum studiose *abscondens* gravissimam Domini sui offensam incurrit, Matth. 25, v. 28. 3. Esaias propheta sanctissimus operam suam Domino quaerenti legatum ad populum Israëliticum paratissimam offert. Esa. 6, v. 8: *Audivi vocem Domini dicentis, quem mittam, et quis ibit nobis? et dixi, ecce ego, mitte me.* 4. Petere ecclesiasticam functionem nulli praecepto divino repugnat, sed potius caritatis Christianae salutem proximi serio expetentis opus est. 5. Basilius epist. 10. conqueritur, quod suo tempore inepti constituti sint episcopi, *cum idonei et pii se offerre noluerint.* Interim tamen qui ecclesiae operam suam offert, liberum de se aliis permittere debet judicium, nec occultis artibus et illegitimis modis sese ingerat, sed vocationem ordinariam ac legitimam exspectet, nec desiderium mutetur in cursum, nec τὸ ὀρέγεσθαι, XII. 2. quod commendat apostolus 1. Tim. 3, v. 1. degeneret in τὸ τρέχεσθαι, quod damnat propheta Jerem. 23, v. 21. nec honesta muneris petitio in famelicam et inhonestam ambitionem desinat. Augustinus lib. 19. de civ. Dei c. 19: *Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque ministretur, ut decet, tamen non decenter appetitur.* Distinguendum igitur inter desiderium ordinatum et inordinatum, unde in Const. eccles. elect. cap. de vocatione ministrorum pag. 87. ita decretum exstat: *Quamvis prohibitum non sit operam suam ecclesiae offerre, nemo tamen sibi ipsi certum locum debet nominare vel designare, sed relinquat hoc judicio eorum, qui pro ratione donorum divinitus ipsi concessorum de honesta et commoda functione ipsi prospicere possunt, qua ratione de legitima vocatione certus reddi et in omnibus adversis promissione divinae gratiae, benedictionis et auxilii sese erigere poterit.* Cavendum etiam sedulo, ne quis insidietur functioni ejus, qui in officio ecclesiastico per legitimam vocationem constitutus odia mundi ob fidelem muneris sui administrationem experitur, neve patiatur se surrogari in locum ejus, qui sine legitimo judicii processu loco suo motus est, qua de re videatur D. Joach. Mörlinus in tract. de vocatione ministrorum.

SECTIO VII.

DE CONTROVERSIIS AC DUBIIS QUIBUSDAM QUAESTIONIBUS AC CASIBUS, QUI IN NEGOTIO VOCATIONIS INCIDERE SOLENT.

117. Cum propter religionis diversitatem, exercitium juris episcopalis ad status Augustanae confessionis in territoriis suis administrandum translati, contentiones de jure patronatus et causas atque circumstantias alias complures dubiae quaestiones in negotio vocationis saepius moveantur, aliquas earum hoc loco breviter explicabimus. Quaeritur: *1. An jus episcopale et jus patronatus in ecclesiis reformatis locum habere debeant, cum videantur jus vocandi ad totam ecclesiam pertinens certo duntaxat ordini vendicare?* Respondemus: distinguendum est inter **Quae nes d quib dam bus blis i negot vocat nis.**

legitimum utriusque juris episcopalis et patronatus exercitium et ejusdem abusum. Legitimum exercitium non repugnat ordini ac modo vocationis divinitus praescripto, quia praesentatio ac nominatio, quae ad jus patronatus pertinet, nihilominus populo relinquit liberum, an praesentatum ac nominatum eligere velit et in vocationem ejus consentire. Pari ratione examen, ordinatio, investitura, confirmatio etc. quae ad jus episcopale pertinent, eo moderamine exerceri possunt ac debent, ne ecclesiae invitae pastor obtrudatur, sed consensus, testimonium et suffragium illius accedat. Ministri ecclesiae Gryphiswaldensis in tract. de vocatione ordinatione institutione et dimissione pastorum contra quendam turbatorem (contendentem, jura patronatus a diabolo per filium perditionis contra verbum Dei in perniciem ecclesiae invecta esse) anno 1594. edito inter cetera sic scribunt: *Constat, jura patronatus ecclesiae consilio patrum in veteri ecclesia ante primatum et dominatum Romani papae auctoritate piorum imperatorum approbata esse, donec a Justiniano Caesare circiter annum Christi 540. publicatae sunt leges, quae patronis ecclesiae tribuunt denominationem et praesentationem pastorum, auth. de sacro s. episc. c. 18. et in Novell. 57. c. 2. leges illae imperatoriae amplius 600 annis publicatae sunt ante compilatum per Gratianum jus canonicum.* Lutheri sententia de jure patronatus exstat in prima parte libri ipsius contra coelestes prophetas, tom. 3. Jen. Germ. f. 55. seqq. eadem clarius repetita in libello, cui titulus Unterricht an die Viſitatoren der Kirchen im Kur-
L2.122. fürſtenthum Sachſen, edito anno 1528. tom. 4. Jen. Germ. f. 357. in quo Lutherus et alii theologi, qui Witebergae tunc docuerunt, piis ecclesiarum patronis jus suum *in denominandis pastoribus et accedente ecclesiae consensu jus eosdem praesentandi seu vocandi non modo reliquerunt, sed etiam approbarunt.* Sane occurrunt alicubi in scriptis Lutheri quaedam, quae contra jus patronatus satis duriter videntur pronuntiata, sed sensus dictorum petendus ex causis dicendi; cum enim revelata evangelii luce piae ecclesiae sub jugo Pontificiae tyrannidis gementes sinceros pastores expeterent, papistici vero patroni et impii episcopi evangelii persecutores pro pastoribus lupos illis obtruderent et hac ratione vastitatem ecclesiis inducerent, ibi coactus fuit Lutherus docere, jus vocandi pertinere non ad impios patronos et hostes evangelii, sed ad ecclesiam, quo ipso nequaquam voluit jura patronatus recte et legitime usurpata penitus abolere. 2. *An illi, qui populo assensum quidem praebente, sine tamen consensu magistratus et presbyterii ordinatione docendi munus amplectuntur, pro veris et legitimis pastoribus habendi sunt?* Respondemus: Anabaptistis enthusiasmos et internam vocationem jactantibus hoc solenne est, qua in parte imitantur pristinos illos pseudoprophetas, de quibus 2. Tim. 3, v. 6: *Ex his sunt, qui penetrant domos et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis.* Sed cum praecipuae partes in vocatione ministrorum non imperitae plebeculae, sed magistratui ac presbyterio tribuendae sint, ideo circumcellionum istorum vocationes non possunt pro legitimis haberi. 3. *Si magistratus Pontificius sinceris ministris loco motis missificantes sacrificulos substituit et ecclesiae obtrudit, num illi pro ministris legitime vocatis habendi et audiendi sunt?* Respondemus: jus vocandi et deponendi ecclesiae ministros non pertinet ad regalia magistratus, sed toti ecclesiae competit, ideoque qui invitae ac repugnanti ecclesiae obtruduntur, non sunt legitime vocati ministri. Hic ergo locum habet illud Christi Matth. 7, v. 15: *Cavete a pseudoprophetis.* Joh. 10, v. 5: *Alienum non sequuntur*, et illud apostoli 2. Joh. v. 10: *Nolite recipere.* Si magistratus cogere velit subditos, ut ministros illos recipiant, missis intersint etc. cogitandum, quod *Deo magis obediendum sit quam hominibus*, Act. 5, v. 29. ideoque a missis ipsorum idololatricis, quae coenam convertunt in actionem toto genere diversam, videlicet in sacrificium propitiatorium pro vivorum ac mortuorum peccatis, penitus abstinendum, baptismus tamen in casu necessitatis ab illis accipi potest, si substantialia serventur integra et protestatio de dissensu cum dogmatibus papalibus vel expressa, vel tacita interponatur. 4. *Si magistratus Pontificius sinceros verbi ministros ob zelum, quo errores papales insectantur, loco moveat iisque alios sinceros quidem, sed tamen mitiores substituat, repugnante in utroque facto ecclesia, num successorum vocatio pro legitima habenda est et illorum ministerio utendum?* Respondemus: Kauffmannus in ἱεροδιδασκαλίᾳ pag. 86. negat hisce adductus rationibus. Primo jus plenum in constitutione ministrorum agendi pro libitu et obtrudendi evangelicis ecclesiis concionatores, quos velit, ne quidem illi magistratui conceditur, qui confessioni sincerae doctrinae addictus est, multo minus igitur magistratui alienam religionem profitenti hoc erit integrum. Secundo magistratus Pontificius ne suis quidem ecclesiis sacrificulos praeficiendi jus habet, ergo multo minus potestatem habet evangelicis ecclesiis ministros obtrudendi. Tertio ea demum vocatio est legitima, in qua illi praeficiuntur, qui possunt ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας. Sed Pontificius magistratus tales ministros ecclesiae nunquam praeficiet. Quarto legitima vocatio ad hunc scopum debet collineare, ut sermo Dei currat; sed Pontificio magistratui hic scopus non est propositus. Haec omnia suo loco verissima esse dicimus, interim tamen ob varias circumstantias distinguendum est inter ecclesiam liberam et pressam. Item inter vocationem plene legitimam et ex parte vitiatam. In ecclesia libera de jure non debet habere locum talis vocatio; quodsi de facto in ecclesia pressa tale quid contin-
gat, debet quidem ecclesia jus suum, quantum potest, XII.2.123.
urgere et tueri, interim quia magistratui terminos suae potestatis excedenti et sine expresso ecclesiae consensu pastores constituendi ac removendi jus sibi soli arroganti resistere in hoc casu non potest absque evidenti periculo, ne purae religionis exer-

citio plane fraudetur, ideo satius est, pastores illos, si ex hypothesi recta doceant, audire et sacramentorum administrationem ab ipsis petere quam jus suum arctius persequi et ansam praebere, ut publicum sincerae religionis exercitium plane aboleatur. *5. Si magistratus Calvinianus sinceris doctoribus abire jussis alios substituat ab ὀρθοδοξίᾳ discedentes, num illorum vocatio habenda est legitima?* Respondemus: invitae ecclesiae nec eripiendi, nec obtrudendi sunt a magistratibus pastores; proinde graviter peccant, qui tale quid aggrediuntur et re ipsa dominium in conscientias sibi arrogant. Quod si de facto contingat, quaerendum remedium per serias ad Deum preces, per literas supplices apud ipsum magistratum, per implorationem auxilii a superiore magistratu, et quae alia legitima ac licita haberi possunt media, quibus si nullus detur locus, vicinorum recte docentium ministerio utendum. Quaeritur igitur *6. an vocatio ministri ecclesiae eo usque se extendat, ut alterius pastoris auditores ad confessionem, absolutionem et communionem admittere possit?* Respondemus: in jure canonico c. ut dominicis in decretalibus Gregorii tit. de paroeciis statuitur, *quod dominicis vel festivis diebus presbyteri, antequam missam celebrent, plebem interrogare debeant, num alterius paroecianus sit in ecclesia, qui proprio contemto presbytero ibi velit missam audire, quem si invenerint, statim ab ecclesia abjiciant* et c. Omnis de poenitentiis et remissionibus statuitur, quod quilibet *proprio sacerdoti debeat confiteri sua peccata, si quis vero alieno sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, debeat prius licentiam a proprio sacerdote postulare et obtinere.* Hanc constitutionem recipiendam dicimus, quatenus ordinarius pastor verbum Christi sincere docet et sacramenta juxta illius institutionem legitime administrat, tunc enim turbaretur ordo divinitus constitutus et ministerium orthodoxi pastoris contemneretur, si quis ad alienum pastorem abire vellet. Sed si ordinarius pastor verbi Dei contraria docet et in dispensatione sacramentorum institutionem Christi violat, tunc licitum est alterius pastoris orthodoxi opera in absolutione et communione uti, quia Christus, cujus oeconomi sunt fideles ministri, *neminem ad se venientem foras expellit*, Johan. 6, v. 37. ideoque cum in terris docendi munere fungeretur, recipit omnes, qui *ex vicinis civitatibus et pagis* ad ipsum confluebant, quod ipsum ab apostolis quoque factitatum. Neque arbitramur, illud pugnare cum constitutione Passaviensi, in qua edicitur, ne quis alterius status subditos ad suam religionem cogat, alliciat vel contra magistratum defendat, Es ſoll kein Stand den andern, noch deſſelben Unterthanen zu ſeiner Religion bringen, abpracticiren, oder wider ihre Obrigkeit in Schutz und Schirm nehmen, noch vertheidigen in keinem Wege; aliud enim est sponte venientes recipere, aliud blanditiis pellicere vel violentia cogere. Nec dici potest de pastore aliunde venientes recipiente, quod magistratui subditos suos alienare cogitet, neque enim distinctio dominiorum ac territoriorum tollitur per verbi praedicationem et sacramentorum administrationem; ut regnum Christi non est terrenum et mundanum, ita quoque distributio spiritualium bonorum in Christi regno non confundit hujus mundi dominia et regum politicorum territoria. *7. An probandae sint exspectativae ad certas parochias, quas quidam vivis adhuc pastoribus sede nondum vacante a patronis impetrant?* Respondemus: in regno papali tales exspectativae ac praebendae sunt frequentissimae contra veteres canones in concilio Lateranensi ut et Tridentino sess. 24. c. 19. repetitos. Sic enim recte statuitur c. Qui in vivorum in decretalibus Gregorii de concessione praebendae: *Qui in vivorum sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt vivis sacerdotibus successores adhiberi;* c. Nulla eodem: *Nulla* XII
ecclesiastica ministeria seu etiam beneficia vel ecclesiae tribuantur alicui seu promittantur, antequam vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum et beneficium se credidit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur inhibitum, turpe est et divini plenum animadversione judicii, si locum in ecclesia Dei futurae successionis exspectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt. Quibus rationibus addatur, quod per praebendarum illarum concessionem ecclesiae adimitur libertas in electione ministri divino jure ipsi competens. Distinguenda tamen a praebendarum concessione adjuncti vel substituti cum consensu ecclesiae facta electio, qui pastorem senem atque emeritum aliqua laborum parte sublevet, nihilominus enim collatori et ecclesiae liberum relinquitur, an post obitum pastoris senis eum ad ordinarium pastorem et successorem vocare velint. Distinguenda etiam a praebendarum concessione nominatio successoris ab episcopo ipso tota ecclesia consentiente facta, qualis fuit Eradii nominatio apud Augustinum epist. 110: *Aliud est,* (inquit Gratianus c. Apostol. 8. q. 1.) *de sui successoris electione cum fratribus deliberare, aliud est ex testamento tanquam suae dignitatis heredem sibi quaerere. 8. An probandus sit mos quibusdam in locis receptus, quo non patet ad successionem in ministerio aditus, nisi vel viduam, vel filiam antecessoris ducat, vel sit filius vel frater demortui?* Respondemus: non refragamur, quominus vel filius, vel cognatus, vel affinis defuncti pastoris, si necessariis donis instructus sit, ad vacantem ministerii sedem vocetur, neque inficias imus, pastorum de ecclesia bene meritorum viduis ac liberis prospiciendum esse, sed cavendum, ne indigni ac minus idonei propter talia connubia promoveantur, neve ecclesia privetur sua libertate in vocandis idoneis ecclesiae ministris, denique ne ex consuetudine certis conditionibus limitata lex quaedam introducatur et successionum hereditariarum jura ad officiorum ecclesiasticorum constitutionem transferantur. *9. An invito committendum sit ministerium?* Respondemus: Quandocunque etiam pii et sancti viri recusant

ecclesiasticum ministerium suscipere, cum ipsis *angelicis humeris illud tremendum esse noverint*, sicut Jeremias ad propheticum officium vocatus exceptionem aetatis opponebat Jer. 1, v. 6. Moyses exceptionem eloquentiae Exod. 4, v. 10. illis persuadendum est, ne divinae vocationi pertinaciter reluctentur. Gregorius lib. 6. epist. 169: *Ex verbis Christi, Simon Johannis amas me? pasce oves meas, colligitur, quod si is, qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit, se pastorem summum minime amare. Si enim unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de secreto Patris ad publicum nostrum egressus est, nos quid dicturi sumus, qui secretum nostrum praeponimus utilitati proximorum? Quies itaque nobis ex corde appetenda est, et tamen pro multorum lucro aliquando postponenda* etc. **Peraldus episcopus in summ. virtut. c. 12: *Qui praedicatoris officio idonei esse possunt et eligunt sibi solum vivere, licet bona intentione faciunt, ut scilicet cum puriori conscientia Deo serviant, tamen multum timendum videtur, eo quod servus is, qui talentum abscondit in sudario, vocatur a Domino servus nequam, et ut Gregorius dicit, qui scientia et virtute praediti secessum speculationis appetunt, tot animarum rei sunt, quot animabus praedicando prodesse potuerunt.* Salmeronius tr. 7. in parab. seminis jacti: *Frumentum periclitatur, dum fossis subterraneis absconditur, quod daemones praestare solent, dum perfectis hominibus persuadent, ut in eremum aut quendam secretum locum se abdant, ut populum verbo Dei aut vitae exemplo non pascant.*** Quodsi nihilominus aliquis negare et renuere perrexerit, illi invito ac reluctanti non est deferendum ministerium, sed de alio idoneo dispiciendum. c. Olim 8. q. 1. ex Augustino contra Manichaeos: *Olim jussus est frater praemortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi suscitaret sobolem ejusque nomine vocaret, quod inde nasceretur, quod si recusaret, discalceatus uno pede conspui solebat in faciem. Nunc evangelii quisque praedicator ita debet in ecclesia laborare, ut defuncto fratri, id est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, et quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat. At vero qui electus ab ecclesia ministerium docendi et baptizandi renuerit, ab ecclesia ipsa dignè meritoque contemnitur, qui enim et sibi prodest, et ecclesiae, bene intelligitur utroque pede calceatus, unde illud: Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, qui vero lucrandorum refugit curam aliorum, discalceati illius non figuratum significavit, sed in se impletum portavit opprobrium. 10. An electio ad ministerium sortis judicio committenda?* Ita olim quibusdam fuit visum, cum Prov. 16, v. 33. sortes dicantur *a Domino temperari*, cumque Matthias *per sortem* in numerum apostolorum fuerit allectus, Actor. 1, v. 26. Sed in c. Ecclesia extra de sortilegiis et l. 47. c. de episc. et cleric. ratio eligendi ecclesiae ministros per sortes merito improbatur. 1. Deus nullibi praecepit, sortibus in ordinaria ministerii constitutione uti, nec promisit, se velle sortes ita dirigere, ut digno semper faveant. Sortibus ergo in re tanta uti est Deum tentare. 2. Officia ecclesiastica per divinam et legitimam vocationem personis dignis conferri debent, nequaquam vero dubio sortis judicio committi. 3. Quod consilio et prudentia humana perfici potest, fortuito sortium jactui committendum non est. 4. Hieronymus in c. 1. Jonae et Beda in c. 1. Act. idem improbant. Ad Salomonis dictum respondemus, sensum illius esse, quod omnia gubernentur divina providentia, etiam ea, quae fortuitis casibus ferri nobis videantur, id quod in sortibus etiam locum habere facile concedimus; sed ex eo non potest inferri, quod divina providentia sortes perpetuo ita dirigat, ut semper sit melior, qui sorte eligitur, (id enim duntaxat in illis sortibus locum habet, quae speciali Dei mandato ac interno Spiritus impulsu jaciuntur) sed quod sive meliori, sive pejori sors faveat, non sine Dei providentia illud fiat, ex quo nondum sequitur, quod ordinaria ministerii constitutio sortibus peragenda sit, sed potius contrarium. Ad electionis Matthiae exemplum respondet Dionysius de eccles. hierarch. c. 5. part. *3. sortes illas non fuisse proprie sic dictas, sed coeleste aliquod lumen super Matthiam a Deo effusum.* Sed rectius respondet Hieronymus in c. 1. Jonae, factum id esse *peculiari Dei inspiratione et instinctu;* jam vero privilegia paucorum non possunt facere legem communem et casus specialis non debet trahi in exemplum ordinariae electionis. Reliqui apostoli immediate erant a Christo vocati, ideo ne Matthias in locum Judae vocandus reliquis inferior videretur, instinctu divino per sortem negotium hoc fuit transactum, ubi probe notandum, cum postea septem diaconi eligendi essent, non sorte, sed χειροτονίᾳ illud factum fuisse.

SECTIO VIII.

DE VOCATIONE BEATI LUTHERI.

118. Egimus de ea in disputatione publica anno seculari 1617. instituta, quam huc referre non pigebit. Quemadmodum olim clerus Hierosolymitanus, cum in doctrina Johannis Baptistae et Salvatoris Christi, quod reprehenderet, non inveniret, de vocatione controversiam illis movebat. Qui enim Hierosolymis missi erant sacerdotes ac Levitae Pharisaicae factionis asseclae, dicebant ad ipsum, Joh. 1, v. 25: *Cur baptizas, si non es Christus, nec Elias, nec propheta?* Ad Christum etiam in templo docentem et miracula edentem accedunt principes sacerdotum, scribae et seniores populi quaerentes, *in qua potestate, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ, isthaec faciat, et quis illi hanc potestatem dederit?* Matth. 21, v. 23. Marc. 11, v. 27. Luc. 20, v. 1. Pari quoque ratione clerus Pontificius successionem in sede apostolica non minus quam clerus Hierosolymitanus in sede Aaronica sibi soli arrogans, cum in doctrina Lutheri ad prophe- Lis de vocatione Luthero mota.

ticos et apostolicos libros examinata, quod jure reprehendat, nuspiam inveniat, quaestionem de vo-
XII. 2. 126. catione ipsi movet, quare scilicet opus reformationis coeperit, cum non sit propheta vel apostolus immediata vocatione et conjuncto isti vocationi miraculorum edendorum dono instructus, in qua potestate negotium tam arduum coeperit, et quis illi hanc potestatem dederit? Sic enim scribit Bellarminus lib. 4. de notis ecclesiae c. 14: *Qui mittitur, debet ostendere testimonio ejus, a quo mittitur, suam auctoritatem, alioqui nemo tenetur eum recipere; omnis autem, qui mittitur ad praedicandum, vel mittitur a Deo per ordinarios praelatos, vel extraordinarie a solo Deo. Et quidem qui mittitur per ordinarium praelatum, debet ostendere testimonium ordinarii pastoris praelati, nimirum literas ejus sigillo munitas; qui vero mittitur a solo Deo, debet ostendere sigillum Dei, quod nihil est aliud quam miraculum.* Ex quo postea concludit, *Lutherum omni omnino missione ac vocatione carere, cum nec extraordinarie a solo Deo, nec ordinarie per praelatos sit missus.* Prius probat in illo ipso capite §. de nostri, ubi scribit, *Lutherum bis tentasse miracula facere, quando scilicet diaboli a quadam puella expulsionem ac Niseni in Albi suffocati excitationem est aggressus, utrumque vero successu irrito ac frustraneo;* posterius probare conatur lib. 1. de clericis c. 3: *Non sunt veri pastores* (inquit), *qui non sunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati. Lutherus non fuit per manus impositionem a veris pastoribus ordinatus, non a suis, ipse enim est primus, neque ante eum fuere Lutherani; nec a nostris, siquidem in ecclesia Catholica non fuit episcopus, sed presbyter, jam vero presbyteri non habent ordinandi potestatem.* Ex quo putat, argumentum indissolubile contexi posse, quod apud nos non sint veri pastores ac per consequens nec vera ecclesia. Tribonianus Cassius a Seestervurt in pseudojubilaeo Witebergensi Moguntiae edito anno 1603. pag. 230: *Jura Caesarea sanciunt, neminem mandata imperatoria qualicunque dignitate praetendentem admittendum esse, nisi imperatoris literas in testimonia exhibeat,* l. unic. C. de mandat. princip. et l. prohibitum est C. de jure fisci. *Ipse vero scribis, Deum quotiescunque ordinarium mutare modum velit, semper miracula adjicere solere. Scribit Achates tuus Philippus, nunquam in magnis tenebris Deum novos vocare doctores, quin semper eis addat testimonium miraculorum. Age ergo, fac nunc signa, ut a Deo te missum sentiamus. Et flagitat necessitas, urgent hostes, postulat Christi gloria et multorum hominum salus, qui de vocatione tua dubii evangelium tuum fraudes et imposturas meras esse sentiunt.* pag. 250: *Quaero ex te Luthere, cum extraordinaria et immediata Dei voluntate gloriari non possis, utrum forte hac mediata et ordinaria ad reformandum veneris, ut honos ministerio tuo constet, neque a nobis impostor, falsarius, pseudopropheta, qui ut apud prophetam est, cucurrerit, antequam vocaretur, habeare. Quod si hic praesidium tuum figere statueris, dic nobis, quo episcopo, quo loco, quo tempore ad praedicandum missus sis, sigilla et literas tuas exhibe, quemadmodum hoc ipse a nobis subreptitiis doctoribus summo jure flagitandum docuisti. At tibi iterum hic aqua haeret, sat scio.* pag. 254: *Neque ab ecclesia, id est a populo aut senatu Witebergensi, Lutherum institutum esse, aut saltem institui potuisse ac debuisse, haud difficile est probatu. Nam primum nihil ejusmodi acta ipsius commemorant, quae docent, potius inconsulta eum temeritate, levitate, ambitione atque odio adversus familiam diaconorum quam jussu alicujus aut officii commissi ratione ad indulgentias oppugnandas venisse.* Idem repetit Becanus in disp. de vocatione ministrorum, Viennae an 1616. instituta, in qua demonstrare conatur, Lutherum non fuisse legitime a Deo vocatum. *Lutherus* (inquit. th. 48.) *non fuit ordinarie vocatus et missus, quia non ipsi collata potestas et jurisdictio. Tametsi enim a catholico episcopo sacerdos seu presbyter ordinatus sit ac proinde ab eo acceperit potestatem consecrandi eucharistiam; non tamen accepit ab eo potestatem et jurisdictionem reformandi religionem et statum ecclesiae in tota Saxonia et vicinis partibus, nec oppugnandi doctrinam Catholicorum* etc.
nec fuit immediate a Deo vocatus et missus, 1. quia XII
non potuit ullo evidenti signo vel miraculo suam vocationem probare, th. 55. *2. multa mendacia, errores et falsitates populo proposuit,* th. 61. *3. doctrinam suam de abroganda missa a diabolo accepit,* th. 66. *4. nuspiam scriptum est in Dei verbo, Lutherum ad reformandam ecclesiam a Deo missum, jam vero ipsemet dicit, nihil esse credendum, nisi quod in verbo Dei scriptum,* th. 77. *5. fuit publica infamia notatus, quia nuptias cum moniali instituit,* th. 68. Ungersdorffius in gratulatione ad status Austriae in prima acie constituit hoc argumentum pag. 140. quod *Lutherus non fuerit missus a Deo, quod non possit dicere, per quod ostium intrarit, id est* a quo et qua ratione vocatus sit, *quod modo ad immediatam, modo ad mediatam vocationem provocet.*

119. Antequam vero ex professo de Lutheri vocatione agamus, duo praemonenda esse ducimus: primo quod in principio reformationis et certaminum nemo vel Pontificiorum, vel clanculariorum concionatorum Anabaptistarum et Enthusiastarum quaestionem de vocatione ipsi unquam moverit, id quod manifeste arguit, ipsos non habuisse, quod in ea desiderarent, siquidem omnibus constabat, Lutherum ad ministerium ecclesiasticum et professionem academicam ac proinde ad veritatem voce et scriptis propugnandam legitime vocatum esse. Secundo quod discernenda omnino sit quaestio de legitima vocatione ab illa, quae de doctrinae veritate instituitur. Neque enim est immediata et perpetua connexio inter vocationem legitimam et doctrinam sinceram. Potest quis vocationem habere legitimam atque interim falsa et haeretica docere, ut apparet in illis, qui legitime ad ministerium vocati in haeresin prolabuntur. Vicissim

etiam potest quis vera docere atque interim legitima vocatione destitui. Ergo si vel maxime evictum esset, quod tamen in aeternum evinci non poterit, Lutherum caruisse vocatione divina, nondum tamen sequeretur, doctrinam ipsius propterea fuisse falsam et erroneam.

120. Hisce igitur adversariorum calumniis ut eatur obviam, notandum est, Lutherum nunquam et nuspiam ad immediatam et extraordinariam aliquam vocationem provocare. Sic enim disertis verbis scribit in epistola ad senatum Muelhusinum, tom. 2. Jen. German. fol. 451. b: Ich habe noch nie gepredigt, noch predigen wollen, wo ich nicht durch Menſchen bin gebeten und berufen, denn ich mich nicht berühmen kann, daß mich Gott ohne Mittel vom Himmel geſandt hat. Profert quidem Ungersdorffius locum ex Luthero, in quo sese immediate a Deo vocatum asserat in epist. ap Fridericum Saxoniae electorem tom. 2. Jen. German. fol. 57. b. sed verba ipsa diserte testantur, Lutherum non de vocatione, sed de doctrina sua ibi agere, sic enim habent formalia: Ew. Churfürſtl. Gnaden weiß oder weiß ſie es nicht, ſo laß ſie es Ihr hiermit kund ſein, daß ich das Evangelium nicht von Menſchen, ſondern allein vom Himmel durch unſern Herrn Jeſum Chriſtum habe, daß ich mich wohl hätte mögen (wie ich denn hinfort thun will) einen Knecht und Evangeliſten rühmen. Solum Christum doctrinae suae auctorem agnoscit, ex eo vero nequaquam inferri potest, quod a solo Christo immediate ad doctrinae illius praedicationem sese vocatum asserat. Ac si scopus verborum atque integer contextus respiciatur, non tam de doctrinae ab aliis acceptae cognitione quam de interiore ejusdem in corde suo confirmatione ibidem agit. Electori non probabatur, quod Lutherus ex Patmo Witebergam redierat, datis igitur ad Lutherum literis significabat, sibi hunc reditum non placere, optime se ipsi cupere etc. respondet Lutherus: Daß es Ew. Churfürſtl. Gnaden aufs beſte mit mir meine, deſſen achte ich mich gewiß, ſo viel menſchliche Erkundigung betrifft, wiederum aber, daß ichs auch gut meine, dünket mich, ich wiſſe es auch höher, denn aus menſchlicher Erkundigung; ubi nequaquam loquitur de revelatione aliqua doctrinae vel vocationis immediata, sed de reditus sui Witebergam versus suscepti sincero studio ac proposito; postea sequuntur verba illa, quod doctrinam evangelii coelitus per Christum habeat, ubi non excludit mediatam ex Scripturis et per Scripturas institutionem, sed de confirmatione et obsignatione doctrinae in corde suo per Spiritum sanctum facta loquitur, statim enim subjicit, daß ich mich aber zu Verhör und Gericht erboten habe, iſt geſchehen, nicht daß ich daran zweifelte, ſondern aus übriger Demuth, die andern damit zu locken. Negat igitur, se de doctrina sua adhuc dubitare, quod elector inferebat ex eo, quia ad cognitionem et judicium aliorum de ea provocabat, sed Lutherus causam hujus rei negat esse dubitationem vel minimam, cum non per homines, sed per Christum de ea confirmatus sit. Id ipsum declarat in libr. contra falso appellatum spiritualem statum clericorum f. 107. b: Ich nenne mich einen Eccleſiaſten von Gottes Gnaden, den ihr einen Ketzer mit Läſterwort ſcheltet, euch und dem Teufel zu Trotz. Und ob ich mich einen Evangeliſten von Gottes Gnaden nennete, trauete ich daſſelbe eher zu beweiſen, denn euer einer ſeinen biſchöflichen Titel oder Namen beweiſen könnte, bin des gewiß, daß mich Chriſtus ſelbſt alſo nennet und dafür hält, der meiner Lehre Meiſter iſt und auch ſein wird am jüngſten Tage, daß ſie nicht mein, ſondern ſein lauter Evangelium iſt. Et postea: Derhalben laſſe ich euch hiermit wiſſen, daß ich hinfort nicht mehr euch die Ehre thun will, daß ich mich unterlaſſen wolle, euch oder auch einen Engel vom Himmel über meine Lehre zu richten, oder zu verhören, denn der närriſchen Demuth iſt nun genug geſchehen nun das dritte Mal zu Worms, und doch nichts geholfen, ſondern ich will mich hören laſſen, und wie St. Petrus lehret, meiner Lehre Urſache und Grund beweiſen vor aller Welt, und ſie ungerichtet haben von jedermann, auch von allen Engeln, denn ſintemal ich ihr gewiß bin, will ich durch ſie euer und auch der Engel Richter ſein. Haec verba manifeste docent, non de vocatione, sed de doctrinae suae certitudine in corde confirmata Lutherum id acceptum velle, quando dicit, se *evangelium suum habere non ab hominibus*, *sed coelitus per Christum.* Idem sensus verborum in praef. l. contra regem Angliae, tom. eod. f. 133. b: Wenn ich darüber erſchrecken ſoll, daß ein König wider mich ſchreibet, müßte mich vielmehr erſchreckt haben, daß der Papſt, der aller Könige Meiſter ſein will, wider mich geſchrieben hat, aber ich habe meine Lehre von Gottes Gnade, nicht allein vom Himmel erlanget, ſondern auch für einem erhalten, der mehr vermag in ſeinem kleinen Finger, denn tauſend Päpſte, Könige, Fürſten und Doctoren, ſie ſollen ſie mir auch laſſen bleiben ewiglich.

121. Mediate igitur ad ministerium et docendi officium Lutherum vocatum esse dicimus, 1. quia ordinatus fuit *presbyter* ab episcopo suo anno Christi 1507. aetatis 24. ubi in ordinatione et inauguratione sua accepit potestatem docendi verbum Dei. Quamvis vero ritus ordinationis in ecclesia Pontificia multis superstitiosis et inutilibus ceremoniis sit vitiatus, ex eo tamen ipsius ordinationis essentiae nihil decedit, distinguenda igitur episcopi ordinantis impuritas ab ordinatione, quae fit totius ecclesiae nomine, et in ipsa ordinatione distinguendum est divinum ab humano, essentiale ab accidentali, pium et Christianum ab antichristiano. Sicut olim in ecclesia Israëlitica *super cathedram Moysis sedebant scribae et Pharisaei*, Matth. c. 23, v. 2. quorum ministerio, sacrificiis, ordinationibus etc. utendum, interim tamen *a fermento* ipsorum cavendum erat, Matth. c. 16, v. 12. ita quoque in ecclesia Romana illorum, qui erant in ordinaria successione, ministerio, sacramentis, ordinationibus utendum erat, interim tamen fermentum admixtum a puritate massae distinguendum. Ac tantum abest, ut ordinationem ab episcopo Pontificio profectam esse plane nullam asseramus, ut coepto jamdum reformationis opere et secessione a

Triplex confirmatio mediatae vocationis.

papatu jam facta Lutherus scribat in articulis Schmalcald. art. 10. p. 3: *Si episcopi suo officio recte fungerentur et curam ecclesiae ac evangelii*
XII. 2. 129. *gererent, posset illis nomine caritatis et tranquillitatis, non ex necessitate permitti, ut nos et nostros concionatores ordinarent et confirmarent, hac tamen conditione, ut seponerentur omnes larvae, praestigiae, deliramenta et spectra pompae ethnicae. Quia vero nec sunt, nec volunt esse veri episcopi, sed politici dynastae ac principes, qui nec concionantur et docent, nec baptizant, nec coenam administrant, nec ullum opus et officium ecclesiae praestant, sed eos, qui vocati munus illud subeunt, persequuntur et condemnant, profecto ipsorum culpa ecclesia non deserenda nec ministris spolianda est.* 2. Vocatus fuit Lutherus anno 1508. a Johanne Staupitio Augustinianorum generali, accedente confirmatione et consensu electoris Friderici, ad presbyterium et *professionem theologicam* in ecclesia et academia Witebergensi. In vocatione ad professionem vigore statutorum academicorum ipsi dictum: *Vestrum est legem divinam interpretari et librum vitae docere.* Vocatio ejus per literas senatus Witebergensis ad presbyterium exstat tom. 9. Witeberg. fol. 104. 3. In solenni *doctoratus* actu anno 1512. consensu totius conventus Augustiniani instituto potestatem accepit veritatem doctrinae coelestis contra quosvis ἑτεροδόξους viva voce et scriptis defendendi. Quamvis vero doctoratus per se ac solus non sit vocatio ad ministerium, nec sit talis quaedam absoluta potestas ubique et in omnibus ecclesiis docendi, qualis apostolis a Christo fuit data; tamen ad Lutheri vocationem recte etiam refertur doctoralis ipsius promotio, tum quia per eam praecedens vocatio fuit publico ac solenni ritu confirmata, tum quia praeter testimonium eruditionis specialis potestas et auctoritas veritatem voce et scriptis propagandi contraque adversarios propugnandi ipsi fuit data. Gersonius dicit referente Doct. Chemnicio part. 3. locor. cap. de ecclesia p. 329. *formam promotionis theologiae doctorum hanc fuisse: Do tibi facultatem disputandi, docendi, legendi hic et ubique terrarum.* Formula juramenti in actu doctorali Luthero proposita hoc complexa est: *Doctrinas vanas, peregrinas, ab ecclesia damnatas ac piarum aurium offensivas non dogmatizabo.* Ac prius in actu licentiatus conceptis verbis sic juraverat: *Juro, me veritatem evangelicam pro virili defensurum* etc. Utique ergo non solum potestatem accepit, sed etiam solenni juramento obstrictus fuit, ut errores, superstitiones et idololatriam notoriam ex verbo Dei redargueret ac taxaret. Regerunt Pontificii: *Lutherus juravit non solum in sacra biblia, sed etiam in ecclesiam, id est pontificis decreta.* Respondemus: in decreta illa non juravit nisi sub conditione, quatenus sint verbo Dei conformia, quare cum postea deprehenderet, ea a norma verbi divini discrepare, merito illa rejecit.

Lutherus provocat

122. Ad hanc mediatam et solennem suam vocationem Lutherus saepius provocat, ut in fumum plane abeant adversariorum calumniae toties repetitae, quasi per totum vitae tempus non habuerit, quod de vocatione sua certo asseveraret. In comm. epist. ad Galat. c. 1. tom. 4. Lat. fol. 8. a: *Deus vocat nos hodie omnes ad ministerium verbi vocatione mediata, quae fit per hominem* etc. *Mihi non licet ire extra hanc sortem meam in aliam civitatem, ubi non sum vocatus verbi minister, et ibi praedicare, quatenus sum praedicator, (quatenus sum doctor, possem in toto papatu praedicare, modo me tolerarent) etiamsi audiam falsa doceri* etc. *Nostra igitur consolatio, qui sumus in ministerio verbi, haec est, quod habeamus officium sanctum et coeleste, ad quod rite vocati gloriamur contra omnes portas inferni.* In admonitione publica ad capitul. Witebergense, tom. 2. Jen. Germ. fol. 279. b.: Ich bin von euch (einer ganzen chriſtlichen Gemeinde) zum Predigeramt berufen, habe einen göttlichen Befehl, daß ich die Gemeinde Gottes allhier mit dem reinen Wort weiden ſoll. tom. 5. Jen. German. fol. 76. b. in explicat. Psalm. 82, v. 4: Hier ſprichſt du vielleicht zu mir: Warum lehreſt du denn mit deinen Büchern in aller Welt, ſo du doch allein zu Wittenberg Prediger biſt? Antwort: Ich habe es nie gern gethan, thue es auch noch nicht gern, ich bin aber in ſolch Amt erſtlich gezwungen und getrieben, da ich Doctor der heiligen XI Schrift werden mußte, ohne meinen Dank. Da fing ich an als ein Doctor dazumal von päpſtlichen und kaiſerlichen Befehl, in einer gemeinen, freien, hohen Schule, wie einem ſolchen Doctor nach ſeinem geſchwornen Amt gebühret, vor aller Welt die Schrift auszulegen und Jedermann zu lehren, habe auch alſo, nachdem ich in ſolches Weſen gekommen bin, darinnen bleiben müſſen, kann auch noch nicht mit gutem Gewiſſen zurück oder ablaſſen, ob mich gleich Papſt und Kaiſer darüber verbannen. Denn was ich angefangen habe als ein Doctor, aus ihrem Befehl berufen und gemacht, muß ich wahrlich bis an mein Ende bekennen. Et paulo post: Wiewohl, wenn ich ſchon kein ſolcher Doctor wäre, ſo bin ich dennoch ein berufner Prediger, und habe die Meinen wohl mit Schriften lehren mögen. Ob nun andere mehr ſolche meine Schrift auch begehret und mich darum gebeten haben, bin ich es ſchuldig geweſen zu thun, denn ich mich damit nirgends ſelbſt eingedrungen, noch von Jemand begehret oder gebeten dieſelben zu leſen, gleich wie andere mehr, fromme Prediger und Pfarrer Bücher ſchreiben und niemand wehren noch treiben zu leſen, und damit auch in aller Welt lehren. In glossa super edictum caesareum tom. eod. fol. 320. b: Zu einem guten Werk gehört ein gewiſſer göttlicher Beruf und nicht eigne Andacht ꝛc. Ich Doctor Martinus bin dazu berufen und gezwungen, daß ich mußte Doctor werden, ohne meinen Dank, aus lauter Gehorſam, da habe ich das Doctoramt annehmen und meiner allerliebſten heiligen Schrift ſchwören und geloben müſſen, ſie treulich und lauter zu predigen und zu lehren, über ſolchem Lehren iſt mir das Papſtthum in den Weg gefallen, und hat mir es wehren wollen, darüber iſt es ihm auch gegangen wie vor Augen und ſoll ihm noch immer ärger gehen, und ſollen ſich

meiner nicht erwehren ꝛc. in epist. de clancularii concionatoribus tom. eod. f. 553. a: Ich habe es oft geſagt und ſage es noch, ich wollte nicht der Welt Gut nehmen für mein Doctorat, denn ich müßte wahrlich zuletzt verzagen und verzweifeln in der großen ſchweren Sache, ſo auf mir liegt, wo ich ſie als ein Schleicher hätte ohne Beruf und Befehl angefangen, aber nun muß Gott und alle Welt mir zeugen, daß ichs in meinem Doctoramt und Predigamt öffentlich habe angefangen und bis daher geführet mit Gottes Gnade und Hülfe.

123. Ex quibus omnibus manifeste apparet, Lutherum ad ordinariam et mediatam vocationem ubique provocare, nuspiam vero vel immediatas revelationes vel immediatam vocationem jactitare, interim negari nec debet nec potest, in ecclesiastico Lutheri munere atque in exactione ordinariae illius vocationis praesertim, quod reformationis opus et antichristiani regni oppugnationem spectat, aliquid extraordinarium et peculiare concurrere, quod cum immediata et plane extraordinaria apostolorum vocatione non quidem omni ex parte congruit, interim tamen supra communem reliquorum ministrorum mediate et ordinarie vocatorum sortem Lutheri ministerium evehit, quo sensu et respectu Dn. D. Hunnius disp. 10. in August. confess. illam vocationis partem vocat *heroicam*. Ad illa particularia et extraordinaria referimus: *1. Oracula et prophetias de opere reformationis et Antichristi revelatione Lutheri ministerio peragendis*, quales prophetiae tum in Scripturis sacris continentur Dan. 8, v. 25. c. 11, v. 44. Jerem. 51, v. 48. Malach. 4, v. 5. 2. Thessal. 2, v. 8. Apoc. 14, v. 6. tum ab aliis spiritu fatidico praeditis editae sunt, utpote a Johanne Husso, Hiltenio et aliis quamplurimis. Vide locum proxime praeced. de ecclesia §. 300. Eo respicit Lutherus ipse, quando in glossa super edictum Caesareum tom. 5. Jen. Germ. fol. 321. sic scribit: St. Johannes hat von mir geweiſſaget, da er aus dem Gefängniß im Böhmerland ſchrieb, Sie werden jetzt eine Gans braten (denn Huß heißt eine Gans), aber über hundert Jahre werden ſie einen Schwan ſingen hören, den ſollen ſie leiden, da ſoll es auch dabei bleiben, ob Gott will. *2. Excellentia et singularia Lutheri dona*, quae in Scripturae nervosa et fundamentali explicatione ejusque ad doctrinam, consolationem et ἔλεγχον accommodatione elucent, quo pertinent peculiares dotes, quibus benignissimus Deus hoc suum organon Antichristi regno oppugnando destinatum clementissime ditavit, quales sunt eruditio singularis, summa linguarum peritia, judicii acrimonia, dexteritas in Scripturis vertendis plane admiranda, eloquentia divina, latens in singulis paene sententiis vis spiritus peculiaris. Philipp. Melanchthon adspiciens tabellam, in qua Lutheri imago erat picta, in haec erupit verba:

Fulmina erant linguae singula verba tuae.

Idem in praefat. tom. 3. operum Latin. Luth.: *Scio, Erasmum solitum dicere, neminem esse interpretem dexteriorem omnium, quorum exstant literae post apostolos. Et audivi ipse, sapientes et graves viros et doctrinam ecclesiae intelligentes idem de Luthero praedicare, nec obscura res est judicium et candorem in lectione adhibenti.* Idem in praefat. 3. partis in Genesin: *Res ipsa ostendit, Lutheri enarrationes longe antecellere aliorum interpretum scriptis.* Andreas Masius confessus est, *in una scriptorum Lutheri pagina plus esse solidae theologiae quam interdum in toto libro alicujus patris.* Johan. Brentius in literis ad Tetelbachium: *Solus Lutherus vivit in suis scriptis, nos omnes sumus collatione ipsius quasi litera mortua.* Andreas Fabricius in oratione de Luthero tale fert de ipso judicium: *Est increpando formidabilis, consolando amabilis, admonendo gravis, confitendo intrepidus, orando ardens, aedificando indefessus, credendo inimitabilis, vivendo inculpabilis, patiendo admirabilis, moriendo omnibus piis relinquens sui desiderium.* Nicol. Amsdorffius in praefat. tom. 1. Lat. oper. Luth.: *Quodsi veritas ingenue et aperte exponenda est, ipsa collatio enarrationum me in hanc ducit sententiam, ut existimem, si omnes commentarios veteres et recentes etiam in unam massam conflentur et id, quod optimum est, ex illis decerpatur, non tamen cum hujus viri scriptis conferri et comparari posse. Non ignoro, quam gloriose haec dici videantur et quam multos hoc Lutheri encomium offendat, sed quoquo modo alii de hac constanti asseveratione judicent, ego sic statuo, neminem tanta praeditum sapientia, fide, constantia post apostolos fuisse aut deinceps futurum esse, quam in D. Luthero conspeximus non sine ingenti donorum Dei admiratione, nec dubito, quin pia posteritas idem judicatura sit.* D. Urban. Regius in literis ad amicum quendam Augustae: *Talis ac tantus theologus est Lutherus, ut nulla secula habuerint similem, quo magis exsecror stultitiam et arrogantiam Carolstadianorum, qui sibi placent, quasi Luthero queant conferri, cujus umbram non assequuntur cum omni eruditione, quam jactant.* Idem in epist. ad fratres superioris Germaniae: *Major est Lutherus, quam ut a quovis sciolo possit aut debeat judicari. Vide quam magnifica Dei gratia sit in hominis scriptis, cujus certe me non pudet. Dicam, quod sentio, scribimus quidem passim et tractamus Scripturas, absit invidia verbo, sed Luthero collati discipuli sumus; hoc judicium non ex amore fluit, sed amor ex judicio.* Hieron. Wellerus in epist. ad Eberum: *Mihi omnes scriptores ecclesiastici, quantumvis eruditi, qui non Lutheri vestigiis insistere student, suspecti sunt. Certus enim sum, nunquam exoriturum esse, qui tanta felicitate docendi et dexteritate interpretandi Scripturam sacram instructus sit; nec vereor ipsum, quod ad dona et certamina pertinet, cum apostolo Paulo conferre, certe divina sua eloquentia ipsum vas electionis superare videtur. Ego, qui tot annos virum Dei audivi et scripta ejus assidue legi et relegi, nunc demum incipio illum recte admirari, magnifacere et intelligere ac doleo, quod non dili-*

gentius ipsius monumenta evolverem. Idem ad Tetelbachium: *Ego scripta Lutheri magni facio, nec dubito illa fere cum epistolis Paulinis conferre,* (non quoad canonicam auctoritatem, sed quoad nervos argumentorum, pondera verborum etc.) *omnesque, qui illum sapientia et acumine in interpretanda*
XII. 2. 182. *Scriptura vincere student, οὐκ ἀγνῶν θεολογεῖς existimo, de ejus plenitudine nos theologi accepimus, quod scimus et profitemur.* Michael Neander in praefat. catecheseos Graece versae: *Aliorum theologorum scripta politiora forte sunt ac habent multi alii viri praestantes et ipsi sua dona, quae magnum Dei beneficium sunt, grato pectore praedicandā et cognoscenda, horumque scripta legenda; sed cum Lutheri scriptis, dictis et concionibus non conferenda sunt, nedum anteferenda.* Martinus Bucerus peculiaria illa Lutheri dona et heroica facta revocat ad novem capita. Primo *articulum justificationis a temporibus apostolorum, quantum monumenta indicant, nemo unquam clarius et fidelius docuit;* secundo *Antichristum Romanum cum suis membris ad extremum usque spiritum audentius oppugnavit nemo fraudesque illius luculentius orbi detexit;* tertio *viva bona opera, puta quae ex viva fide proveniunt inque salutem proximi cedunt, nullus ex patribus tam sancte et secundum mentem Spiritus sancti docuit atque ipse;* quarto *Scripturam sacram tam pure, tanta energia totque argumentis penetrantibus nemo ipso felicius explicavit, maxime cum ex professo locum aliquem tractare voluit;* quinto *adde versionem Scripturae sanctae fidelem, tersam et eloquentia non parva ornatam;* sexto *de magistratu politico, quae ejus sint officia in utraque legis tabula nemo hactenus tam clare docuit;* septimo *maximorum operum in ecclesia incredibiles successus, exemplo sit Augustana confessio,* Wobei er geweſen und wozu er geholfen, das hat fort gemußt und beſteht noch feſt auf dieſen Tag; octavo *donum prophetiae,* daß alles, wie er ein Ding hat geſagt, geſchieht; nono *preces efficaces, psalmos et hymnos ac cantica dulcissima fecit. Ut oravit, ita ecclesiam bene armavit devotis cantionibus ac psalmis.* Haec Bucerus. Possent hujusmodi testimonia de Lutheri donis peculiaribus afferri longe plura, quae non possunt hoc nomine a Pontificiis vel repudiari, vel extenuari, quod sint a fautoribus et amicis profecta, ecquis enim rectius judicium de illis facere posset, quam qui animo ab affectuum, odii scilicet, invidiae et praeconceptaum opinionum nebulis serenato rem ipsam existimarunt et quotidiana Lutheri conversatione usi fuerunt? Ac si verbali istorum testimonio fidem adhibere nolint, reale, quod ipsa scripta exhibent, sepositis parumper affectibus audiant. 3. Huc referimus *animum Lutheri heroicum et in periculis etiam maximis imperterritum.* Testatur enim rerum eo tempore in ecclesia gestarum historia, quod in summis etiam angustiis et praesentissimis periculis animum nunquam abjecerit, sed magno zelo, heroica fortitudine animique robore imperterrito adversariis frementibus ac frendentibus fidei suae rationem reddiderit. Cum ad comitia Wormatiensia evocatus ab amicis moneretur, *ne literis salviconductus nimium fidens tyrannicis legatorum Pontificiorum insidiis sese exponeret, esse in recenti memoria, quid Johanni Husso Constantiae obtigerit;* ipse magno animi robore respondit, *ingressurum se Wormatiam, etiamsi tot cacodaemones ibi essent, quot tegulae in tectis.* Idem animi robur elucet etiam ex ipsius scriptis. Expendantur verba in glossa super edict. caesareum tom. 5. Jen. Germ. fol. 316. b: Dieſen Artikel, der Glaube allein ohne alle Werke macht gerecht vor Gott, ſoll ſtehen und bleiben laſſen der römiſche Kaiſer, der türkiſche Kaiſer, der tartariſche Kaiſer, der Perſen Kaiſer, der Papſt, alle Cardinäle, Biſchöfe, Pfaffen, Mönche, Nonnen, Könige, Fürſten, Herren, alle Welt, ſammt allen Teufeln, und ſollen das hölliſche Feuer dazu haben auf ihren Kopf und keinen Dank dazu ꝛc. 4. *Mirandam et plane singularem adversus insidias et violentiam adversariorum conservationem.* Cogitetur, quae auditae fuerint pontificis et episcoporum minae, quantae ipsius vitae structae fuerint insidiae, quot anathematum et proscriptionum fulmina in ipsum conjecta, quantis viribus instructi fuerint, qui ipsum e medio sublatum unice desiderarunt; cogitetur historia comitiorum Wormaciensium, et liquido apparebit, singulari Dei patrocinio et defensione fuisse conservatum, ut reformationis opus non solum inciperet, sed etiam felicis- XII. 2
sime perficeret, interim tamen non defuit ipsi animus ad martyrium pro confirmanda doctrinae veritate subeundum promtissimus. 5. *Vaticinia ab ipso de rebus futuris edita,* quibus etiam eventus magna ex parte jamdum respondit. Vide libellum peculiarem, in quo illa omnia congesta exstant, ac si placet, locum de ecclesia §. 300. 6. *Mirabilem et felicissimum evangelicae praedicationis successum.* Lutherus non per cuniculos, nec per brachii secularis robur opus reformationis aggressus est, sed tuba evangelicae praedicationis antichristiani regni muros oppugnavit, docuit veritatem et errores redarguit ex solo Dei verbo, qui sonus evangelii non papae solum aures perculit, sed etiam ad remotissimas provincias pervenit et mirabili ac paene stupendo successu intra paucos annos a multis regnis et provinciis haec doctrina suscepta, contra vero papales superstitiones et idolomaniae ex illis exsulare jussae. Hac de re sic scribit Lutherus ipse tom. 1. Jenens. German. contra Emserum Lipsiensem fol. 408: Ich habe meiner Hoffnung, daß ich in Gottes Namen angefangen und das rechte Wort Gottes lehre, keine ſtärker Beweiſung und Wunderzeichen, denn daß ſie ſo geſchwind in aller Welt ohne mein Treiben und Suchen, dazu durch unzählichen Widerſtand und Verfolgung aller Gewaltigen und Gelehrten vermehret worden iſt, et in libr. de utraque specie sacramenti tom. 2. Jenens. German. fol. 71. a: Ich weiß, woher meine Lehre kommt, und wer mich aufgerichtet hat, dazu beweiſet es auch das Werk genugſam, denn ob ich wohl der kleinen Zeichen keines gethan habe, die wir, wo es Noth wäre, vielleicht thun möchten, ſo iſt doch das wohl für ein großes Wunder anzu-

ziehen, daß des Satans höchſter Kopf und größte Macht das Papſtthum mit ſeinem Körper einen ſolchen Stoß durch mich empfangen hat, den ihm keine weltliche noch geiſtliche Gewalt je hat mögen beweiſen. Der Satan fühlt es auch wohl ſelbſt, wer meiner Lehre Meiſter ſei, darum tobet er und ſuchet alſo geſchwinde Griffe.

124. Restat igitur, ut adversariorum argumentis respondeamus. Quamvis vero immediatam vocationem Luthero haudquaquam tribuamus, ac proinde partem illam probationis plane praetermittere possemus, tamen cum Becanus ad eam probandam falsa assumat, breviter singula probationis membra percurremus. Ac primo quidem num ad immediatam vocationem perpetuo requirantur *miracula*, et an Lutherus miracula fecerit necne, de eo in loco de ecclesia c. 11, sect. 11 §. 288. et seqq. late egimus, unde ad primum Becani argumentum ex Bellarmino repetitum desumenda est responsio. Ad secundum dicimus, si illa mendacia, errores et falsitates, quas Lutherus populo proposuisse dicitur, in specie proferantur, et ex Scripturis sacris solide confirmetur, talia esse Lutheri dogmata, mendacia scilicet erronea et falsa, tunc statim agnoscemus, Lutherum non fuisse verum prophetam; sed nudae accusationi fidem habere non possumus. Becanus profert unicum duntaxat errorem, videlicet quod in libr. de servo arbitrio Lutherus docuerit, *omnia fieri necessario et homines carere libero arbitrio*, sed ad illud ἔγκλημα vel centies a nostris responsum. Ad tertium, quod Lutherus doctrinam suam de abroganda missa a diabolo acceperit, solide respondit Dominus D. Balduinus in apolog. contra Serarium. Videatur etiam locus de ecclesia c. 11. sect. 10. §. 278. Ad quartum dicimus, exstare in Scripturis hanc generalem propositionem, quod illi, qui ab ecclesia vocantur et a presbyterio cum publicis precibus et impositione manuum ordinantur, sint legitime vocati et ordinati ministri, sub qua generali propositione facile potest subsumi singularis, quod Lutherus ab ecclesia vocatus et a presbyterio cum publicis precibus et impositione manuum ordinatus, fuerit legitime vocatus et ordinatus minister. Referenda etiam ad hunc locum vaticinia de opere reformationis, quae licet disertam et specialem nominis Lutheri mentionem non faciant, implicite tamen organi, per quod opus illud perficiendum erat, denotationem continent. Ad quintum de Lutheri nuptiis suo loco, in quaestione scilicet de votis monasticis, respondetur.

125. Contra ordinariam sive mediatam Lutheri vocationem Bellarminus hoc argumentum urget: *Non sunt veri pastores, qui non sunt per manuum impositionem a veris pastoribus ordinati. At Lutherus non fuit per manus impositionem a veris pastoribus ordinatus, non a suis, ipse enim est primus, neque ante eum fuere Lutherani; nec a nostris, siquidem in ecclesia Catholica non fuit episcopus, sed presbyter; jam vero presbyteri non habent ordinandi potestatem.* Respondemus: 1. Bellarminus aliud quaerit, aliud probat, vel probare nititur. Quaestio est, an Lutherus habuerit legitimam vocationem. Negat Bellarminus et probat ex eo, quia Lutherus non fuit per manus impositionem a veris pastoribus ordinatus. Illud cum debeat ulterius probare, addit, Lutherus non est ordinatus a suis, ipse enim est primus, neque ante eum fuere Lutherani; nec a nostris, siquidem in ecclesia Catholica non fuit episcopus, sed presbyter, jam vero presbyteri non habent ordinandi potestatem. At posterius hoc membrum non pertinet ad quaesitum, neque recte subsumitur sub prioribus. Sic enim debebat Bellarminus subsumere. Lutherus non fuit ordinatus nec a suis, nec a nostris; quod contra manifestam historiae fidem fuisset negatum. Non quaeritur hoc loco, *an Lutherus habuerit potestatem alios ordinandi, sive an illi, qui a Luthero ordinati fuerunt, pro vere ordinatis sint habendi*, de quo in sequenti sectione dicetur; sed hoc quaeritur, *an Lutherus fuerit rite ordinatus*, id quod Bellarminus negare non poterit, nisi simul negare velit, in ecclesia Romana (in qua Lutherus ab episcopo fuit ordinatus) superesse veram ordinationem. 2. Distinguenda igitur ea, quae sua natura sunt distincta; aliud est, si quaeratur, an ordinati a Luthero sint vere ordinati, sive veri pastores; ac vicissim aliud est, si quaeratur, an Lutherus fuerit vere ordinatus ac verus pastor. Posterius non potest Bellarminus ex eo negare, quod Lutherus non fuerit episcopus, sed presbyter, sed sufficit, quod Lutherus fuerit ab episcopo ordinatus, id quod ex Bellarmini hypothesi ad veram ordinationem sufficit. An vero prius ex eo deduci possit, suo loco apparebit. 3. Non esse veros pastores, qui non sunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati, ambigue dicitur, per veros enim pastores intelliguntur vel illi, qui in doctrinae et fidei confessione per omnia sunt sinceri, et sic negatur illa propositio (cum ordinatio peragatur a ministro totius ecclesiae nomine, ideoque per ministri ordinantis errores nihil illi decedat, unde secundum juris canonici dispositionem etiam illi, qui ab haereticis per manus impositionem ordinati sunt, pro vere ordinatis habentur); vel intelliguntur illi, qui phrasi Pontificia dicuntur episcopi et veri pastores, et sic iterum negatur illa propositio (cum Scriptura veros pastores et episcopos aliter definiat, ut suo loco apparebit); vel intelliguntur illi, qui nullam plane ordinationem acceperunt, ubi distinguendum est inter regulam ordinariam et casus quosdam extraordinarios, ut in sectione sequente de ordinatione uberius explicabitur.

126. Becani argumentum ejusdem roboris est: *Lutherus non fuit ordinarie vocatus et missus, quia non fuit ipsi collata potestas et jurisdictio.* Sed quam potestatem et jurisdictionem intelligit Becanus? Certe potestatem ministerii, potestatem docendi verbum et sacramenta administrandi, potestatem clavium etc. in ipsa vocatione et ordinatione Lutherus accepit, quid enim aliud est vocatio et ordinatio quam talis actus, in quo et per quem potestas docendi, sacramenta administrandi, clavium usum exercendi etc. certae alicui personae traditur? Quodsi

vero per potestatem et jurisdictionem Becanus intelligit talem potestatem et jurisdictionem, qualem episcopi Pontificii sibi arrogant, facile concedimus, XII. 2. 135. talem potestatem et jurisdictionem secularem Luthero non fuisse datam. Sed audiamus ipsum Becanum, quomodo hoc explicet, quod Luthero non fuerit potestas et jurisdictio collata. *Tametsi* (inquit) *a catholico episcopo sacerdos seu presbyter ordinatus sit ac proinde ab eo potestatem acceperit consecrandi eucharistiam, non tamen accepit ab eo potestatem et jurisdictionem reformandi religionem et statum ecclesiae in tota Saxonia et vicinis partibus, nec oppugnandi doctrinam catholicam.* Egregia vero illatio! Eo ipso, quando Lutherus accepit in vocatione et ordinatione sua potestatem docendi et administrandi sacramenta, accepit etiam potestatem errores, superstitiones et idololatrias taxandi. Potestas enim docendi, quae in vocatione ministris ecclesiae datur, restringitur ad Dei verbum, cum non quaevis in ecclesia docere debeant, sed Dei verbum, 1. Petr. 4, v. 11: *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* Matth. 28, v. 20: *Docentes eos servare omnia, quae praecepi vobis.* Galat. 1, v. 8: *Si licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Quando autem verbum Dei pure et sincere docetur, quando semen illud coeleste spargitur, statim quoque diabolus zizania interspergit et excitat adversarios veritati coelesti contradicentes; hic ergo requirit officium fidelis ministri, non solum vera docere, sed etiam falsa refellere, quod expressis verbis docet apostolus Tit. 1, v. 9. ubi in episcopo requirit duo munia, ut sit δυνατὸς παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, unde Augustinus de grat. et lib. arbit. c. 3. scribit, *duo esse hominum genera in ecclesia, cum quibus ministro evangelii res esse solet. Unum eorum, qui ignorant quidem res sacras, discere tamen volunt; alterum eorum, qui neque sciunt, neque discere cupiunt, sed ignorantia et coecitate sua delectantur, quorum illos docere, hos vero redarguere debet episcopus.* Quare cum Luthero data fuerit in vocatione et ordinatione potestas docendi verbum Dei, utique etiam eo ipso data fuit potestas redarguendi errores cum illo pugnantes et oppugnandi non catholicam vere sic dictam doctrinam, sed papales errores, superstitiones et idololatrias. Sic igitur concludimus. Quicunque vocatur, ut verbum Dei doceat et contradicentes refellat, is etiam vocatur, ut errores papales verbo Dei contrarios refutet. Sed Lutherus vocatus fuit, ut verbum Dei doceret et contradicentes refelleret. Ergo etiam vocatus fuit, ut errores papales verbo Dei contrarios refutaret. Quare cum Lutherus in doctrina, qualis tunc temporis publice sonabat, manifestos errores verbo Dei repugnantes videret, nihil quidquam a se et officio suo alienum fecit, quod eos ex verbo Dei refutare coepit. Quod ad reformationis opus attinet, dicimus, in eo duo consideranda esse, primo errorum redargutionem, secundo publicam idololatricorum cultuum abolitionem et sinceri ministerii constitutionem. Errorum redargutio pertinet ad ministerium ecclesiasticum, sed publica idololatricorum cultuum abolitio praecipue spectat ad Christianum magistratum, is enim exemplo piorum regum veteris testamenti, qui Baaliticam idololatriam aboleverunt, cum consensu ecclesiae debet pias reformationes suscipere et sincerum ministerium constituere, si episcopi in officio suo negligentes deprehendantur.

SECTIO IX.

DE VOCATIONE MINISTRORUM IN ECCLESIIS QUAS VOCANT EVANGELICIS.

127. Quemadmodum B. Lutheri primi ecclesiae in novissimis hisce temporibus reformatoris vocationem in specie, ita quoque in genere omnium ministrorum in ecclesiis a sordibus errorum papalium repurgatis docentium vocationem in genere Pontificii graviter oppugnant. Bellarminus lib. 1. de clericis XI c. 3. §. sed quoniam: *Non sunt veri pastores, qui non sunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati. Lutherus, Cinglius, Calvinus et ceteri, qui pastores primi apud suos habentur, non fuerunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati. Nam si secus, a quibus obsecro? a suisne, an a nostris? non a suis, ipse enim sunt primi, neque enim ante Lutherum ulli fuerunt Lutherani, neque ante Calvinum Calvinistae, qui eos pastores ordinare possent; non item a nostris, siquidem in ecclesia Catholica, unde recesserunt, nec Lutherus, nec Cinglius, nec Calvinus episcopi fuerunt, sed tantum presbyteri. Porro presbyteri non habent ordinandi potestatem* etc. *Quodsi primi illi adversariorum episcopi et pastores, veri pastores et episcopi non fuerunt, certe nec secundi, nec tertii, nec ceteri, qui primis illis successerunt.* Sed de hoc discursu Bellarmini, quatenus Lutheri ministerium oppugnat, ex sectione proxime praecedente judicium fieri potest; quatenus a solis episcopis ordinationem fieri posse contendit, inferius pluribus agetur. Idem Bellarminus lib. 4. de eccles. c. 8. §. Ex quo, argumentum hoc affert, quod dicit insolubile: *Ecclesia non potest esse sine episcopis. Apud Lutheranos non sunt episcopi, nam non habent ordinationem nec successionem ab apostolis, igitur apud eos non est ecclesia.* Sed quid de successione illa statuendum sit, expositum est in tract. de ecclesia. Becanus in disputatione de vocatione ministrorum ecclesiae N. ac V. T. Viennae an. 1616. instituta peculiare caput constituit, *quod Lutherani et Calviniani ministri non sint legitime a Deo vocati.* Idem in tractat. de ecclesia passim repetit. Jacobus Reihingius in explicat. fundamenti 3. relig. Cathol. p. 60: *Ecce, quales superintendentes, pastores, ministros habetis, a Lu-*

thero omnes descendunt, qui nec episcopum, nec ministrum ullum constituendi aut consecrandi justam potestatem ullam habuit. Et potestea*: Videte obsecro, quam miseri sitis, si Lutherus, ex quo ecclesia vestra nata aut, si vobis credimus, multis sepulta seculis renata est, episcopus non fuit, quia nec a Deo, nec ab apostolis, nec ab horum successoribus, episcopis, sed a se ipso ordinatus est, episcopos aut sacerdotes profecto nullos nisi forte a nobis apostatas habetis* etc.

istrui- r ex cris aris.

128. Nos pro adstruenda legitima ministrorum in nostris ecclesiis vocatione producimus hoc argumentum. Quicunque ministri vocantur modo eo, quem Deus ipse instituit et ecclesiae praescripsit, illorum vocatio est legitima. At ministri nostrarum ecclesiarum vocantur modo eo, quem Deus ipse instituit et ecclesiae praescripsit. Ergo nostrorum ministrorum vocatio est legitima. De majore nulla potest esse dubitatio. Legitimum enim est, quod fit secundum leges, nec ullo modo improbari potest, quod institutione divina nititur. Minoris veritas confirmatur hoc argumento. Vocatio mediata legitima juxta divinam institutionem et apostolicam praxin fieri debet a tota ecclesia et omnibus tribus illius ordinibus. Sed nostrorum ministrorum vocatio fit a tota ecclesia et omnibus tribus illius ordinibus. Ergo nostrorum ministrorum vocatio est vocatio mediata legitima juxta divinam institutionem et apostolicam praxin facta. Major in praecedente sect. 4. late fuit comprobata. Minor ex praxi in nostris ecclesiis usitata manifeste patet, ad exemplum enim ecclesiae apostolicae et primitivae homines idonei et necessariis donis a Deo instructi ab ordinariis presbyteris magistratu consentiente et populo suffragante, post legitimam vocationem, per impositionem manuum et preces ordinantur et hac ratione cultui divino consecrantur. Ubi tamen notandum, in particularibus casibus abusus vitiosos de facto quandoque contingere posse, qui a nobis minime probantur; loquimur igitur de jure et ordinaria regula in constitutionibus nostris ecclesiasticis praescripta, ad quam ministrorum vocatio accommodari debet et utplurimum etiam accommodatur.

i- ta l. 137. tifi- om ra tio- mi- 'o- igeli- m.

129. Contra hanc assertionem nostram multis modis insurgunt Pontificii: *1. Quod nostri ministri non sint vocati a pontifice Romano et ipsius episcopis, quibus solis, non autem toti ecclesiae vocatio competat.* Respondemus: contrarium (quod scilicet ad totam ecclesiam jus vocandi pertineat) ostendimus paulo superius. 2. *Quod non habeant successionem ab apostolis.* Respondemus: Distinguendum est inter successionem personalem et doctrinalem, sola posterior successio ad legitimam vocationem et necessaria et sufficiens est, ea vero ministri nostri haud quaquam destituuntur. Vide tract. de ecclesia. §. 190. *3. Quod Luthero, qui est parens omnium ministrorum Lutheranorum, non sit collata potestas et jurisdictio ab episcopo,* Becanus dict. disp. th. 48. Respondemus: contrarium ostendimus sectione proxime praecedente. 4. *Quod non sint ordinati ab episcopis.* Respondemus: hac de re paulo post dicetur. *5. Quod non sint immediate a Deo missi,* Becanus dict. disp. th. 54. Respondemus: nemo nostrum dicit, ministros ecclesiarum nostrarum immediate vocatos ac missos esse, potuisset igitur Becanus labore illo supersedere, quo probat, immediatam vocationem nostris ministris haud competere, nequaquam vero sequitur: ministri Lutherani non sunt immediate a Deo missi et vocati; ergo non sunt legitime vocati; siquidem a negatione unius speciei ad negationem generis non proceditur legitima consequentia, vocatio immediata est una duntaxat species legitimae vocationis. Quas Luthero adspergit calumnias, eas abstersimus superius. De reliquis ἐγκλήμασι ministerio ecclesiastico in nostris ecclesiis usitato intentatis, utpote quod ministri nostri rejiciant verbum Dei scriptum, aliquos scilicet libros biblicos, et verbum non scriptum ecclesiae, scilicet traditiones, quod rejiciant quaedam sacramenta, ea scilicet quae baptismo et eucharistiae a Pontificiis adduntur, quod non offerant sacrificium aliquod externum, missaticum scilicet, quod ministerio eorum Deus non cooperetur per signa subsequentia etc. ex aliis doctrinae coelestis capitibus judicium fieri potest ac debet.

SECTIO X.

DE VOCATIONE EPISCOPORUM IN ECCLESIA PONTIFICIA.

130. Multa omnino desideramus in episcopis Pontificiis, ut ostensum fuit in praecedente de ecclesia tractatu. Neque enim proprio episcopi munere, quod est *verbum Dei pure docere et sacramenta juxta institutionem Christi administrare*, funguntur, cum tamen proprii ipsorum canones dist. 36. 86. caus. 7. q. 1. etc. severe illud exigant, sed politicum dominatum exercent, chrisma conficiunt, quo in sacramentis ordinationis et confirmationis utuntur, eidemque peculiarem aliquam vim et efficaciam tribuunt, offerunt sacrificium missaticum pro vivorum ac mortuorum peccatis propitiatorium etc. inde cum Johannes Gailerus anno 1506. die 9. Octobris in episcopum Argentoratensem eligeretur, Wilhelmus ab Hoinstein in haec verba erupisse dicitur: *In centum annis nunquam visum vel auditum est, quod aliquis episcoporum spiritualia exercuerit, non animas, sed bursas visitaverunt, et hoc quidem omni anno.* Sed illis praetermissis de vocatione episcoporum Pontificiorum hoc loco videamus. In primitiva olim ecclesia consensum populi in electione episcoporum requisitum fuisse ostendimus superius ex c. Plebs. c. Cleri. c. Episcopos. c. Vota dist. 63. Postea cum imperatores Romani nomina Christo darent, ipsorum quoque suffragia etiam in ipsius Romani episcopi electione fuerunt requisita, quod itidem comprobatum dedimus superius aliquot exemplis; si metropolitanus episcopus eligendus erat, omnes episcopos compro- Vocatio episcoporum Pontificiorum.

vinciales electioni interesse oportebat, c. Metropolitano dist. 63. ex concil. Niceno can. 4. Antiocheno
XII. 2. 138. can. 19. et in decretis collectis a Martino Bracarensi c. 3. Unde Valentinianus imperator *ad electionem Ambrosii in archiepiscopum Mediolanensem omnes provinciae illius episcopos convocasse memoratur*, c. Valentinianus dict. dist. 63. tandem vero ad collegia presbyterorum, seu ut hodie vocant *capitula canonicorum*, in ecclesiis cathedralibus jus istud eligendi episcopos cujuscunque gradus in solidum transiit, c. Cumana c. Congregato c. In Genesi etc. extr. de Elect. c. cum Ecclesia extr. de caus. propriet. et possess. Daniel Venatorius in anal. juris pontific. libr. 1. c. 6. Matth. Stephanus de jurisdict. libr. 3. part. 1. cap. 7. num 38. Laur. Ohmius de jure episc. thes. 14. quamvis in exemplis quibusdam specialibus occurrat diversitas, ex jure, vel consuetudine, vel concessione singulari dependens, sed quae generalem regulam non tollit, l. quod contra 141. ff. de Reg. jur. Modus electionis fit vel per *scrutinium*, quod est usitatissimum, vel per *compromissum*, quod est rarissimum, vel per *inspirationem*, quae prorsus fere in usu esse desiit. Vide canonem electionis ab Innocentio III. praescriptum et ibi Gloss. in c. Quia propter extr. de Elect. Joach. Stephanus lib. 4. de jurisd. c. 11. num 41. etc.

Investitura episcoporum per pontificem. 131. Episcopi electi a pontifice Romano, quem episcoporum episcopum esse et a quo omnem potestatem, jurisdictionem et dignitatem reliquorum episcoporum velut ex fonte promanare fingunt, Bozz. de jure status lib. 1. c. 10. *investituram et confirmationem* petere coguntur. Olim vero non erat sic, quia Carolus Magnus, Otto tertius, Henricus et imperatores alii, qui episcopatus in Germania fundarunt, sibi et suis in imperio successoribus investituras episcoporum reservarunt, quibus etiam jure illas competere late probant Theodoricus a Niem in libro, cui titulus Privilegia et jura imperii circa investituras episcopatuum et abbatiarum imperatoribus Romanis toties quondam a papis restituta, et Buxtorffius in dissert. in septem priora capita Aureae bullae Caroli IV. concl. 69. ubi inter cetera sic scribit: *Olim quidem imperatores nostri de ipsis dignitatibus episcopos et abbates per annulum et baculum investire solebant, sed postmodum Henrico V. a papa Calixto II. transactio extorta est, qer quam is omnes episcoporum et abbatum investituras per annulum et baculum fieri solitas pontifici cessit, sibi vero reservavit, quod in episcopos et abbates electi investituras regalium suorum per sceptrum ab imperatore debeant et teneantur accipere*, referente Sigonio lib. 10. de regn. Ital. anno 1122. Cranzio lib. 5. Saxon. c. 42. etc. Accesserunt insuper pacta novissima inter Fridericum III. imperatorem et principes Germaniae et Nicolaum V. papam anno 1447. inita, quae vocantur *Concordata Germaniae*, quibus papa non modo sibi reservavit electiones in metropolitanis et cathedralibus ecclesiis factas, si ab electis juxta constitutionem Nicolai III. in c. Cupientes de elect. in 6. intra mensem vel pro distantia loci alterius adhuc intra viginti dies post consensum vel post obtentam de sua electione notitiam praesentatae fuerint, confirmare, sed etiam si lapso dicto tempore non praesentatae, vel si praesentatae minus canonicae, (pro arbitrio puta papali) fuerint, imo etsi canonicae fuerint, ex rationabili et evidenti causa de fratrum suorum (cardinalium) consilio de digniori et utiliori persona providere etc. ita nimirum pontifex supremam et authenticam in episcoporum electione et confirmatione sibi vendicat potestatem, unde etiam arctis juramentorum vinculis eos sibi obstringit, quorum formulas in loco de ecclesia recensuimus, et qui ad dignitatis illius fastigium ab ipso evecti, *Dei et apostolicae sedis gratia sese* episcopos esse in titulis profitentur, ac Bellarminus lib. 1. de clericis c. 8. probare conatur, *electionem episcoporum non pertinere jure divino ad clerum, sed ad summum pontificem, ut vel ipse eligat, vel praescribat eligendi modum.*

132. In signum confirmationis et investiturae pa- **Pa**
palis datur vel mittitur archiepiscopis et paucis
aliquot episcopis superhumerale aliquod ex lana con- **XI**
textum, quod vocant pallium. c. Quod sicut §. super eo vers. Praeterea. extr. de elect. t. t. extr. de auctor. et usu pallii. Ejus conficiendi modum ex Pontificiis auctoribus sic describit Sleidanus lib. 13. comment. pag. 377: *In die Agnetis virginis, qui est dies Januarii 21. in templo divae Agnetis Romae, cum in missa imploratur Agnus Dei, super altare ponuntur agni duo candidi, postea traduntur basilicae Petri subdiaconis, hi mittunt illos in pascua suoque tempore tondent ex eaque lana permixta reliquae lanae, cum in filum diducta fuerit, parantur pallia; latitudine sunt ad tres digitos, ab humeris propendent in pectus atque renes, ad extremum sunt laminae plumbeae tenues ejusdem latitudinis. Ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora Petri atque Pauli ac certis ibi precibus expeditis relinquuntur per noctem unam; altera die subdiaconi recipiunt et honesto loco diligenter asservant, donec qui opus habet archiepiscopus aut eius procurator sibi dari petat. Traditur autem multis cum ceremoniis et deferentibus mandatur, ne supra noctem unam (si modo fieri possit) in eodem loco subsistant ac commorentur.* De mysticis pallii illius significationibus operose disputat Durandus lib. 3. rat. divin. offic. c. 17. p. 48: *Pallium*, inquit, *est de candida lana contextum, habens circulum humeros constringentem et duas lineas ab utraque parte, videlicet ante et retro pendentes; a sinistris est duplex, a dextris simplex; habet quatuor cruces purpureas, scilicet ante et retro, a dextris et a sinistris. Infiguntur in pallio tres acus, et quaedam sunt, quae per metropolitanum sine pallio agi non possunt, quo etiam nisi certis diebus uti non valet, quae omnia moralibus sunt imbuta mysteriis et divinis gravida sacramentis. In lana asperitas, in candore benignitas designatur, nam ecclesiastica disciplina contra rebelles et obstinatos severitatem exercet, sed erga poenitentes et humiles exhibet pietatem.*

Circulus pallii, per quem humeri constringuntur, est timor Domini, per quem operae exercentur. Duae lineae, quarum una post dorsum, altera progeditur ante pectus, hujus vitae curas et solicitudines significant, quibus et cor et humeri pontificis sic saepissime gravantur et impediuntur, ut a proprio statu eum avertant et vana quaedam et transitoria cogitare et portare compellant (nota: testimonium hoc verum est), *hinc pallium ante et retro, a dextris et a sinistris, ante pectus et super humeros frequenter aptatur, ut his posthabitis in se ipsum saepe redire intelligatur. Quatuor cruces purpureae sunt quatuor virtutes politicae, scilicet justitia, fortitudo, temperantia et prudentia. Per tres acus intelliguntur fides, spes, caritas; item tres acus compassionem proximi, administrationem officii distinctionemque judicii significant, quarum prima pungit animam per dolorem, secunda per laborem, tertia per terrorem.* Plura ibi videat, qui ejusmodi ineptiis risum sibi concitare satagit. Originem hujus pallii ad ipsos apostolos quidam satis imprudenter referunt, Polydorus Virgilius lib. 4. de rer. invent. c. 12. *Clementi* tribuit, quod primus pallium illud archiepiscopale solennibus ceremoniis consecratum honori archiepiscoporum contulerit. Baronius in annalibus anno 336. num. 63. agnoscit, in rebus gestis Romanorum pontificum primo circa illa tempora mentionem haberi de pallio potissimum Romani pontificis insigni, metropolitanis ab eodem aliquando impertiri solito; ubi etiam ad imitationem Levitici sacerdotii illud in ecclesiam Christianam introductum esse existimat. *Sicut olim* (inquit) *in sacerdotio Hebraeorum erat summi pontificis superhumerale insigne, quod nefas esset aliquem alium sacerdotum vel pontificum indui; ita in Christianae religionis sacerdotio genus illud indumenti, quod pallium dicimus, summi tantum pontificis cessit usui, ab eo tamen compluribus episcopis magna ex causa communicatum.* Sed rectius dicitur, quod ab imperatoribus Romanis pallii usum mutuati fuerint, sic enim Cuspinianus in Valentiniano III.: *Valentinianus frequenter versabatur Ravennae et urbem iterum exstruens adornabat egregie ipsamque principem*
140. *constituebat 14 civitatum et potestatem faciebat illius episcopo utendi tunica, quam pallium vocant, quae tunc temporis tantummodo caesaribus gestari consueverat, et ex hoc surrexit lis illa inter episcopos Ravennates et Romanos, hi enim illis pares esse volebant.* Hinc constare potest, unde pallia sint orta, et quis primus illis fuerit usus eorundemque usum concesserit, et quod papa multo post demum tempore pallii gestandi licentiam impetraverit. Ut enim pontifices Romani alia regalia et quae tantum majestate caesarea digna sunt, sibi adsciscunt, sic et istud pallium sibi vendicarunt. Isidorus Pelusiota Chrysostomi discipulus, qui circa annum 440. in ecclesia floruit, libr. 1. epist. 136. pag. 34. itidem episcopalis pallii facit mentionem. *Illud amiculum* (inquit) ὠμοφόριον, *quod sacerdos humeris gestat atque ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius, quam Dominus aberrantem quaesivit inventamque humeris suis sustulit, pellem designat; episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Sed pallium illud omnibus sacerdotibus commune, an ejusdem figurae fuerit cum hodierno archiepiscopis et quibusdam duntaxat episcopis communi, merito dubitatur, illud certum est, quod non fuerit tanta pecuniae summa, quanta hodie postulatur a Romano episcopo, redimendum.

133. Hodie enim mercem illam nec operosam, **Pallii emtio.** nec pretiosam archiepiscopi magna pecuniae vi a pontifice emere coguntur. De Moguntinensis archiepiscopatus pallio refert Sleidanus lib. d. pag. 376. quod *tringinta aureorum millibus* constare dicatur, antequam domum deferatur, unde in centum gravaminibus nationis Germanicae anno 1532. in comitiis Norinbergensibus legato Adriani pontificis oblatis etiam haec habentur: *Proponatur summo pontifici et sacrosanctae Romanae ecclesiae, quod grave, imo intolerabile sit nationi Germanicae, a modo tantas expensas et molestias pati, tantas pro confirmatione archiepiscoporum et episcoporum inferre annatas, praesertim quae in episcopatibus quibusdam successu temporis auctae, in quibusdam duplicatae esse dicuntur. Nam sedes Moguntina, ut dicitur, olim solum dedit decem millia florenorum, quae cum quidam illic electus dare renueret sicque usque ad mortem suam persisteret, electus post eum confirmationis cupidus se opponere timuit sedi apostolicae, offerens antiquam summam, puta decem millium florenorum, is nec confirmationem impetrare potuit, nisi et reliqua decem millia simul redderet, quae adhuc restabant a suo praedecessore nondum persoluta, sicque cogebatur dare viginti millia florenorum, quae tunc indubie in registrum camerae sunt signata et usque ad nostram aetatem a singulis archiepiscopis exacta, et nedum viginti millia, sed et viginti quinque millia propter nova officia et novos pontificum familiares. Tandem excrevit summa usque ad viginti septem millia, quae archiepiscopus Jocobus cogebatur nuper persolvere, ut retulit vicarius in spiritualibus Moguntinus, sicque in vita unius hominis septies viginti quinque millia a solo archiepiscopatu Moguntino pro confirmatione archiepiscopi Romam venerunt. Et cum archiepiscopus Jacobus vix quatuor annos sedisset in archiepiscopatu, mox post eum electus Dominus Uriel ad minus viginti quatuor millia coactus est persolvere, quorum partem mutuo forsan accepit a mercatoribus, sed ut illis satisfaciat, imponere coactus est subsidium aut exactionem in suos populos et pauperes agricolas, quorum aliqui nondum satisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio a suo praedecessore Jacobo impositae* etc. Proinde non sine causa Jacobus archiepiscopus Moguntinus jam fere moriens dixit, se de morte sua non adeo dolere, quam ob id, quod subditi sui pauperes iterum pro pallio gravem exa-

ctionem dare cogerentur. Vid. Wolffium Cent. 16. lect. memorab. p. 203. Goldast. Haiminsfeld. in volum. Reichßſatzungen f. 215. Atque ut illa palliorum redemtio Romanae curiae magis esset fructuosa,
XII. 2. 141. prohibitum est a pontificibus, ne quis antecessoris sui pallio utatur, sed ut quisque sibi Romae illud comparet, ac qui vel permutatione, vel alia quavis ratione fit alterius ecclesiae patriarcha seu metropolitanus, licet antea sibi paravit illud, necesse tamen habeat, ut iterum emat, ut merito aliquis dixerit, pallia illa nihil aliud esse quam simoniae papalis et Romanae avaritiae pallia. Olim vero non erat sic, sed ut constat ex cap. Novit dist. 100. veteres pontifices pro pallio dari vel accipi aliquid tanquam incongruum sub districta interdictione vetuerunt. Platina in vita Leonis II: *Leonis institutum est, ac quidem sanctum, quod utinam* (inquit) *hodie observaretur, ne ad archiepiscopatum assumtus pro usu pallii aliorumve officiorum quidquam ecclesiae persolveret, cum ex largitione multa mala quotidie oriantur.*

Electio pontificis.

134. De electione pontificis episcoporum episcopi sic disputat Bellarminus libr. 1. de clericis c. 9: *Ratio eligendi summum pontificem per solos cardinales est omnium optima et merito conservanda, etsi absolute posset pontifex eam mutare, si vellet.* In confirmatione hujus propositionis notat, *septendecim mutationes* inveniri in electione Romani pontificis et *viginti novem schismata* in ecclesia Romana ab Onuphrio numerari, quod est argumentum lenitatis et consensus toties depraedicati. c. 10. subjungit: *Si nulla exstaret Pontificia constitutio de electione summi pontificis, vel casu aliquo omnes electores a jure designati, id est omnes cardinales, simul perirent; jus electionis ad episcopos vicinos et clerum Romanum pertineret, cum dependentia tamen aliqua a consilio generali episcoporum.* Addit autem, *in hac propositione non convenire omnes,* quod et in theoria et praxi est verissimum, quot enim non solum dissidia, sed etiam aperta bella propter electionem Romani pontificis saepius fuerint mota, ex historiis est notissimum. Quamvis vero formam electionis per cardinales Bellarminus existimet omnium optimam, per quam scilicet dissidiis aptissime obviam iri possit, testantur tamen historiae, propter discordiam cardinalium sedem papalem diu quandoque vacasse, unde Gregorius X. certas leges de tali electionis forma tulit, inter quas et illa est, *ut cardinales in conclave recludantur et nisi electionem maturaverint, tenui cibo pascantur ac post elapsum triduum semper de cibo aliquid detrahatur.* Consuetudo illa eligendi pontificem per senatum cardinalium originem habuit anno Christi 1059. ex constitutione Nicolai II. referente Sigonio lib. 9. regn. Ital. ex c. In nomine dist. 33. cum prius auctoritas imperatorum Romanorum in electione illa esset necessaria. Sabellius lib. 6. Ennead. 8 etc.

Vocatio clericorum Pontificiorum

135. Ab episcopis et eorum vicariis in spiritualibus sive suffraganeis eliguntur reliqui clerici, in quorum electione quid desideremus, expositum fuit in tractatu de ecclesia. 1. Saepius eliguntur indocti et ad curam animarum sibi commissarum inepti. In gravaminibus nationis Germanicae dicunt proceres art. 7: *Ecclesiarum regimina minus dignis committuntur, qui ad mulos magis, quam homines pascendos et regendos essent idonei.* Legati sedis apostolicae ad patres Tridentinos conquesti sunt, *indignis sacerdotia conferri et illis, qui nihil a laicis praeterquam in vestis genere, ac ne in hoc quidem differunt.* **Cardinales delecti ad reformationem ecclesiae Romanae in consilio suo ad Paulum III.: *Primus abusus in hac parte est ordinatio clericorum ac praesertim presbyterorum, in qua nulla adhibetur cura, nulla diligentia, quod passim quicunque sunt imperitissimi, sunt vilissimo genere nati, sunt malis moribus ornati, sunt adolescentes, admittantur ad ordines sacros et maxime ad presbyteratum. Alius abusus maximi ponderis est in collatione beneficiorum ecclesiasticorum, maxime curatorum et prae omnibus episcopatuum, in quibus usus invaluit, ut provideatur personis, quibus conferuntur beneficia, non autem gregi Christi et ecclesiae.* Pontificale Romanum Venetiis ann. 1572. impressum p. 3. ab ordinandis mediocrem eruditionem requirit. *Literatura* (inquit) *in subdiaconatu et diaconatu mediocris sufficit, ut saltem sciat bene et expedite legere et competenter cantare, det operam grammaticalibus. In sacerdote autem promovendo sufficiens literatura requiritur; sciat grammaticam, praesertim si sit secularis, quia illis cura animarum committi solet, quae sine literis exerceri non potest.* Conjunge Erasmi in 1. Petri 5. annotat. ubi in episcopos non praedicantes invehitur.** Nicolaus de Orem. in orat. coram Urbano V. et cardin. habita XII. 2.
anno 1364: *Non adhibentur viri idonei sacerdotiis praesertim locupletioribus, sed quos plerunque vel favor vel familia vel natales commendant, delicati, lepidi et comtis capillis nitidi; ludis, amoribus, palaestris, orbibus saltatoriis assueti, nec raro qui manicati et talearibus amicti sicas vibrare et sclopetis fulminare, interdum etiam qui galeati cataphractique turmas equitum ducere, in aciem irruere et manum cum hoste conserere didicerunt.* Gregorius de Valent. in anal. de ecclesia pag. 22. conqueritur, quod *haud raro Pontificii ordines suos iis conferunt, qui nec eruditionis, nec pietatis insignibus ornati, sed homines ventri plerunque et mundo dediti.* 2. Ad sacerdotia per largitiones adspirant. Ludov. Vives in libr. 19. Aug. de civit. Dei c. 19: *In Osea Dominus conqueritur, episcopos laqueum factos speculationi et rete in monte Thabor, ceu de hujus temporis episcopis loqueretur, qui sacerdotiis laqueos tendunt et pecuniae larga retia, sed non raris maculis, ne nummus effluat.* 3. Eliguntur sine ecclesiae, cui praeficiendi sunt, testimonio et suffragio, quod apostolicae praxi adversari ostendimus superius. 4. Coguntur ante suam ordinationem ejurare matrimonium, cum tamen plerique illorum continentiae dono non sint instructi. 5. Coguntur jurare in decreta Romani pontificis et concilii Tri-

dentini, quae tamen Scripturis sacris adversa sunt, ut a nostris abunde demonstratum. 6. Eliguntur et ordinantur non ad sinceram verbi divini praedicationem et sacramentorum a Christo institutorum legitimam administrationem, sed ad dogmata papalia, traditiones ac superstitiones Romanenses propagandas, ad sacrificium missaticum celebrandum etc. 7. In ordinatione adhibentur vanae et inutiles ceremoniae chrismatis, rasurae, crucis, cereorum etc. quibus peculiarem aliquam vim tribuunt.

SECTIO XI.

DE GRADU DOCTORATUS, AN SIT VOCATIO AD MINISTERIUM:

o us erei. 136. Circa annum Christi 1135. cum Lotharius Saxo imperator occasione susceptae in Italiam contra Rogerium Siciliae regem expeditionis leges Romanas Latino sermone scriptas inveniret, admiratione et amore earum inductus per Irnerium jureconsultum cancellarium suum in scholas et tribunalia eas revocavit jubens scilicet, in scholis eas explicari et coram tribunalibus jus ex illis dici, referente Chytraeo in chronolog. verb. Lothar. p. 309. Coras. in l. 2. §. fin. d. O. I. atque ut professioni isti legum debitus honor adderetur, *gradum doctoratus* (formam promotionis eodem Irnerio praescribente) in scholas introduxit, unde factum, ut Bononiae, ubi jus civile publice tradi et explicari imperator constituerat, ejusdem mandato et auctoritate primi interpretes Latini juris, *Bulgarus* scilicet, *Hugolinus*, *Martinus*, *Pileus* et alii, in doctores juris solenniter tunc fuerint promoti. A jureconsultis morem creandorum doctorum postea etiam theologi sunt mutuati, unde a Bononiensibus ad *Parienses* ritus promotionis in theologia doctoralis translatus est, apud quos *Petrus Lombardus* primus theologiae doctor creatus dicitur. ** Conferatur Petr. Heigius part. 1. q. 7. num. 49. 50. quaest. 8. num. 44. et part. 2. q. 11. n. 47. 48. 49. Lansius in orat. pro Germ. p. 31.** Hosce academicos gradus non modo sugillat ex jureconsultis Ferrariensis in sua practica scribens, *se alicui nisi clerico aut apprime diviti, ut gradum doctoris suscipiat, consulere non posse, quia per gradum quis redigatur de libertate in* l. 143. *servitutem, ac vivendi ratione et vitae innocentia aliis sit exemplo, et quia gradus non sine magno sumtu quaeratur, et per hujus aerumnosae vitae curriculum conservetur*, referente Matth. Stephano libr. 3. de jurisdict. part. 2. c. 14. num. 39. sed etiam quidam ex theologorum superioris seculi ordine, quos etiamnum hodie aliqui sectantur. Andreas Bodenstein Carolstadius post secessionem a Witebergensi ecclesia factam nolebat amplius vocari doctor, sed *frater Andreas*, quinimo etiam ante infelix illud schisma, cum in actu promotionis Johanni Westermanno et Godscalco Grapio doctorum titulos conferret, publice testatus est, *se posthac nemini gradum esse collaturum, eo quod promovendo alios in doctores sciens ac prudens faciat contradictum Christi*, Matth. 23, v. 8: *Nolite vocari Rabbi, unus enim est magister vester.* ** Lutherus tom. 3. Jenens. part. 1. contra Coelest. proph. de doctore Andrea Bodenstein Carolstadio Witenbergensi archipresbytero refert, *quod habitu sacerdotali deposito et rustici vestitu assumto ligna in urbem advexerit, nec amplius doctor, sed frater Andreas et vicinus salutari voluerit.*** Cinglius in resp. ad epist. Bugenhag. scribit, *se cum fastidio legere illos titulos, doctor et professor theologiae.* Rud. Gualtherus in c. 21. Joh. f. 407: *Paulus, quem Christus electum organum dixerat, servum Jesu Christi se nominare solet. Confer cum ista modestia illorum insolentiam ac fastum, qui titulos magnificos prece et pretio redimunt, ut apud rude vulgus sese venditent, et facile videbis, quo spiritu isti agantur. Sunt hi Judaeorum similes, quos graviter accusat Christus, quod magistri et doctores dici vellent. Excusant quidem sese publica et a multis seculis recepta consuetudine et ipsi inde ministerio aliquam dignitatem accedere ajunt. Atqui nulla consuetudo Christi praecepto praejudicare debet, qui ne quid hujusmodi fiat, graviter monuit* etc.

137. Nos vero in academiis nostris gradus illos constanter retinemus 1. propter *ritus antiquitatem*, quam cum prohibitione Christi Matth. 23, v. 8. pugnare, nondum a Gualthero persuaderi potuimus. Si enim absolute et simpliciter magistri ac doctoris appellationem verbis illis Christus vellet prohibitam, consequens foret, nec patrum appellationem genitoribus a filiis debere tribui, cum ibidem v. 9. Christus dicat: *Patrem nolite vocare vobis super terram, unus enim est pater vester, qui in coelis est;* nec servi heros suos appellare deberent dominos, cum de Christianis pronuntiet apost. 1. Cor. 8, v. 6: *Nobis unus est dominus Christus Jesus*, quorum utrumque est absurdum et manifestis Scripturae exemplis contrarium. Item si absolute et simpliciter esset prohibitum, ministros ecclesiae doctoris titulo insigniri, minus recte fecisset Johannes Evangelista permittens, se a discipulis vocari *Rabbi* seu magistrum Joh. 3, v. 26. minus recte fecisset apostolus Paulus nominans se *doctorem gentium* 1. Tim. 2, v. 7. et inter ordines in ecclesia constitutos recensens *doctores* Eph. 4, v. 11. Genuinus autem verborum Christi sensus colligitur ex circumstantiis. Judaei tantam auctoritatem Rabinis suis tribuebant, ut eos audiendos dicerent, *etiamsi dextrum vocarent sinistrum, ac quidvis etiam extra* legem proponerent, teste Lyrano, qui fuit natus Judaeus, in annot. Deut. 17. hoc igitur sensu ac respectu negat Christus, vel *patris* vel *doctoris* appellationem cuiquam in terris tribuendam, sed authenticam illam auctoritatem et summum in articulis fidei magisterium soli Deo reliquendum esse, ac taxat Pharisaeorum ambitionem, qui titulos illos una cum re ipsa, id est cum potestate quidvis jubendi, praecipiendi

Causae propter quas in academiis retineatur.

et constituendi in ecclesia sibi arrogabant. Hieronymus in comment. hujus loci: *Quaeritur, quare adversus hoc praeceptum doctorem gentium apostolus se esse dixerit, aut quomodo vulgato sermone maxime in Palaestina et Aegypti monasteriis se invicem patres vocent? quod sic solvitur, aliud esse natura patrem, vel magistrum, aliud indulgentia. Nos si*
XII.2.144. *hominem patrem vocamus, honorem aetati deferimus, non auctorem nostrae ostendimus vitae. Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri et ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus et unus filius non praejudicat ceteris, ne per adoptionem Dii vocentur et filii; ita et unus pater et magister non praejudicat aliis, ut abusive appellentur patres ac magistri.* Chrysostomus hom. 73. in Matth. Non vocetis patrem: *non ut neminem patrem vocent, sed ne ignorent, quem principaliter patrem vocare oporteat. Nam quemadmodum nemo principaliter magister est, sic nec pater praeter illum, qui tam magistrorum, quam patrum omnium causa est.* Theophylactus in hoc loco: *Non prohibet Christus vocari quenquam magistrum, sed tanta affectione velle vocari et omnibus modis curare, ut ita vocetur.* **Sensus potest esse triplex: 1. Nolite vocari magister vel doctor, tanquam primarius et unus ille, qui κυρίως talis est natura, non indulgentia, juxta Hieronymum; 2. vel nolite vocari ob solam ambitionem, juxta Theophylactum; 3. vel nolite vocari ita simpliciter et absque exceptione superioris, sive comparate nolite vocari doctores aut patres prae Deo.** Idem esto judicium de dicto Jacobi c. 3, v. 1. quod a quibusdam huc affertur: *Ne estote multi doctores scientes fore, ut gravius judicium accipiatis.* Nequaquam vero prohibet apostolis doctorum nomine vel officio uti, sed *temerarie* illud sibi usurpare prohibet, eos enim potissimum taxat, qui ambitione magis quam cura fraternae salutis impulsi jus rigidae censurae in proximos superciliosa temeritate sibi arrogant et usurpant, non tam aedificationem, quam calumniandi et obtrectandi studium sectantes. *2. Propter asserendam ordinis theologici dignitatem*, quae alias in hac extrema mundi senecta est admodum exigua, negari enim nequit, aliquod auctoritatis apud auditores necessariae adminiculum esse istos honorum gradus. *3. Propter rei aequitatem.* Quemadmodum in studio virtutum et in eruditione est differentia inter homines, ita quoque aequitati consentaneum, ut honorum et praemiorum differentia statuatur. *Virtutum praemia tribui merentibus convenit*, rescripserunt Theodosius et Valentinianus libr. 4. C. de stat. et imag. *4. Propter eximiam utilitatem.* Illae enim honorum collationes sunt ὁρμητήριον aliquod et incitamentum ad diligentiam in animis spectatorum. *Opinamur*, inquit Solon apud Lucianum in Anacharsi, *gymnasiorum desiderium in juvenibus magis accendi, si eos, qui optime se gesserunt, honorari conspexerint et in medio Graecorum praeconis voce magnifice proclamari, et non pauci ex spectatoribus virtutum ac laboris amore inflammantur.* Notum est illud Tullii in 1. Tuscul. quaest.: *Honos alit artes, omnesque incendimur ad studia gloria, et jacent ea semper, quae aut negliguntur, aut improbantur.* Iidem gradus sunt publica eruditionis ac donorum divinitus concessorum testimonia, sunt privilegiorum ac jurium academiis a caesaribus concessorum exercitia, sunt probatae et repudiatae confusionis Anabaptisticae indicia etc.

138. Quaeritur autem, *an promotio doctoralis sit quaedam vocatio et ordinatio ad ministerium*, ita ut ornati doctoris gradu potestatem habeant absque alia vocatione et ordinatione in ecclesia docendi, imo et alios ad ministerium ordinandi. Affirmant aliqui argumento ducti eo, quod non olim solum referente Gersone haec fuerit promotionis formula: *Do tibi facultatem disputandi, docendi, legendi hic et ubique terrarum*, sed etiam adhuc hodie doctoribus potestas illa publice docendi solenniter conferatur. **Affelmann. in tract. de sanctor. invocat. c. 2. th. 23: *Verissima sunt verba D. Georgii Majoris a D. Leonhardo Huttero repetita, doctoratum esse certum testimonium vocationis ad ministerium et promotiones doctorales theologorum nihil esse aliud quam commendationem publicam ministerii evangelici secundum ritum apostolicum; ipsam promotionem esse veram, legitimam et solennem ordinationem ad ministerium. Eadem Lutheri sententia est et omnium γνησίως Lutheranorum.*** Sed rectius sentientibus negativa probatur. 1. Gradus academici non sunt eo fine introducti, ut essent quaedam vocatio et ordinatio ad ministerium, sed publicum XI et solenne testimonium eruditionis, virtutum et ἱκανότητος ad primaria officia ecclesiastica, praevia scilicet legitima vocatione rite obeunda. 2. Jus vocationis, quod est totius ecclesiae, non est ab ecclesia ad professores academiarum translatum, sed penes totam ecclesiam integrum adhuc residet, proinde honores, qui a professoribus academicis in praemium diligentiae dignis personis conferuntur, non possunt ecclesiae juri quidquam praejudicare. 3. Si honorum illorum collatio esset re ipsa quaedam vocatio et ordinatio ad ministerium, consequens foret, eo tempore, quo collatio ista graduum academicorum in scholas introducta, novam simul speciem vocationis in ecclesiam introductam esse, qua scilicet non omnes tres ecclesiae status et ordines, sed unus duntaxat ordo, imo pars unius ordinis ad ecclesiasticum ministerium vocare possit. 4. Vocatio mediata fit ad certum locum, siquidem inter reliqua differentiae capita vocatio immediata apostolorum a mediata vocatione episcoporum, presbyterorum, pastorum et doctorum in eo etiam differe vulgo existimatur, quod illi acceperunt absolutam potestatem, imo mandatum ubique praedicandi Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. Rom. 10, v. 18. Coloss. 1, v. 28. Hi vero certum gregem in certo ac determinato loco sibi commissum habent. Sic Actor. 14, v. 23. *presbyteri constituuntur per singulas ecclesias.* Tit. 1, v. 5: *Titus relictus est Cretae, ut κατὰ πόλιν, oppidatim, constituat presbyteros.* 1. Petr. 5, v. 2: *Pa-*

scite τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, eum qui inter vos est gregem, unde etiam in concilio Chalcedonensi can. 6. statutum fuit, *neminem absolute ordinari debere nisi ad certam et specialem ecclesiam.* Jam vero, quibus gradus doctoris in academia confertur, illi non vocantur ad certum locum. Ergo illa gradus collatio non est quaedam ad ministerium vocatio. Si dicas, *in gradus academici collatione dari promovendis potestatem publice et ubique docendi, disputandi, legendi, errores taxandi* etc. *atque ea ratione honorum illorum collationem quodammodo accedere ad apostolicam vocationem*, ac Lutherum de se testari, *quod saepius consolationem hauserit ex sua promotione*, in qua publica potestas docendi evangelium et errores taxandi sibi tradita fuerit, respondet Chemnicius in loco de eccles. p. 329. *licet haec ita se habeant ac insuper causae justae esse possint, ob quas aliquis etiam legitime pluribus in locis docere possit, tamen talem vel promotionem, vel docendi licentiam plurimum ab apostolica vocatione differre.* Id vero sic declaramus. Datur promovendis potestas publice et ubique docendi, nimirum servato tamen ordine, quem Deus ipse in ecclesia instituit, ut exspectetur scilicet legitima ad certum locum vocatio; antequam ministerium docendi et sacramenta administrandi in eo aggrediatur, neque enim ordinem divinitus in ecclesia constitutum tollere vel voluerunt, vel potuerunt illi, qui ritum promotionis doctoralis in academias olim introduxerunt, vel qui eundem adhuc inviolatum conservant. Praeterea potestas illa docendi in promotione solenniter collata eo modo exseri et exerceri etiam potest, si orthodoxia scriptis propagetur et contrarii errores solide refutentur, etiamsi ministerium in certo loco viva voce concionibus ordinariis docendi, sacramenta administrandi etc. non suscipiatur, nec sine praevia vocatione suscipi posse statuatur.

SECTIO XII.

DE ORDINATIONE.

139. Vocationis publica et solennis declaratio sive testificatio est *ordinatio*, per quam ministerium ecclesiasticum personae idoneae ad illud ab ecclesia vocatae commendatur, ad quod eadem per preces et impositionem manuum consecratur, de legitima vocatione certior redditur et officii sui publice in totius ecclesiae conspectu solenniter et graviter admonetur, propter quas causas ritum ordinationis in ecclesiis nostris inviolatum conservamus. Quaeritur autem *1. an ordinatio ad ministerium sit absolute et simpliciter necessaria?* De rigore juris canonici non dicitur episcopus nisi sit consecratus c. Licet extr. de transl. episcop. per consecrationem illam intelligitur ordinatio, ut patet ex gloss. in c. si Archiepiscopus verb. Ordinandus extr. de temp. ordinat. quam definiunt, quod *sit electionis periodus, per quam spirituale matrimonium inter episcopum et ejus ecclesiam electione inchoatum et confirmatione contractum tandem perficiatur et consummetur.* c. 2. 3. 4. extr. de transl. episcop. Inde statuunt, post confirmationem *ordinationem sive consecrationem ultra tres menses non debere protrahi* nisi ob justissimum impedimentum, c. 1. distinct. 71. c. 2. dist. 75. c. 1. dist. 100. Sed ut notat Laurent. Ohmius in tract. de jure episcopali th. 14. lit. e. rigorem illum ne ipsi quidem Pontificii episcopi vel archiepiscopi in Germania admittunt, cum praesto sint exempla natorum ex illustribus familiis, qui consecrati non sunt nec consecrationem aut ordinationem recipere voluerunt, ac nihilominus titulum et nomen archiepiscopalis et episcopalis dignitatis usurpant. Nos ordinationis ritum nequaquam omittendum, sed extra necessitatis casum in constitutione ministerii ecclesiastici semper adhibendum esse dicimus, tum propter antiquam ecclesiae apostolicae et apostolorum temporibus proximae consuetudinem, in qua presbyterium ministros ab ecclesia electos per preces et impositionem manuum ordinabat et Deo quasi consecrabat, Actor. 6, v. 6. c. 13, v. 3. 1. Tim. 4, v. 14. c. 5, v. 22. 2. Tim. 1, v. 6. tum propter fines salutares paulo superius enumeratos: Paulus licet immediate vocatus erat, tamen ad Ananiam mittitur, qui imponat manus, ut ecclesiae constet de vocatione, Actor. 9, v. 17. et postea Actor. 13, v. 3. cum inter gentes ablegandus esset, rursus impositione manuum ordinarius gentium doctor constituitur, et hic ritus ideo fuit adhibitus, ut publice ejus vocatio declararetur legitima, nec alii consimiliter de ea gloriarentur. *Quodsi hoc factum fuit in eo, qui immediate fuit vocatus, quanto magis id facere decet in vocationibus mediatis*, quae sunt verba Doct. Chemnicii parte 3. loc. de ecclesia c. 4. p. 333. Negamus tamen, ordinationem esse necessariam ratione peculiaris alicujus praecepti divini, quale non potest ostendi; vel ratione talis cujusdam effectus, qualem Pontificii illi tribuunt, quasi scilicet per eam imprimatur character aliquis indelebilis vel quasi ex opere operato conferat dona ad ministerium requisita, de quo nulla ex Christi et apostolorum dictis afferri potest promissio; vel ratione cujusdam absolutae et simplicis necessitatis, quasi ne quidem tempore eo, quo ordinationis ritus haberi nequit, puta tempore obsidionis, pestis etc. legitime ab ecclesia vocatus ministerio suo fungi nequeat, antequam ordinetur et consecretur, de tali enim absoluta necessitase non potest ex Scripturis quidquam proferri. Chytraeus in c. 29. Exodi: *Sciendum est, vocatos et electos voce ecclesiae fungentes ministerio etiam sine ritu impositionis manuum vere ministros ecclesiae esse, posse docere et sacramenta administrare. Non enim inprimitur hoc ritu singularis character ordinato, nec potestas ecclesiastica seu jus docendi evangelii et administrandi sacramenta pendet ex hoc ritu, nec propter hunc ritum efficax est ministerium ordinati, sed valet ministerium et est potentia ad salutem omni credenti propter ordinationem divinam; ad-*

ditur autem ritus impositionis manuum publicae declarationi personae vocatae, ut renuntiatio fiat illustrior et ut hic ritus de certis officiis admoneat.

2. An ordinatio sit sacramentum.

140. Quaeritur secundo, *an ordinatio sit sacramentum aliquod proprie et specifice sic dictum?* Pontificii affirmant. Sic enim decernit concil. Tridentinum sess. 14. de sacr. ordinis can. 3: *Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino*
XII. 2. 147. *institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum* etc. anathema sit. Bellarminus tom. *3.* controv. general. 5. lib. de sacram. ordinis c. 2. probare conatur, *ordinationem esse sacramentum vere ac proprie dictum.* Nostrarum ecclesiarum haec est sententia, ordinationem posse vocari sacramentum voce latius accepta, si tamen propriissime loqui velimus, ita ut sacramentum dicatur duntaxat illud, quod habet externum elementum sive sacramentale symbolum ab ipso Christo in N. T. institutum, cui annexa sit promissio gratiae ad remissionem peccatorum exhibendam, applicandam et obsignandam, quo sensu et qua significatione baptismus et eucharistia dicuntur sacramenta, eo sensu, significatione ac respectu negamus ordinationem esse sacramentum.

Argumenta partis negantis. 1. Destituitur parte sacramenti essentiali, elemento scilicet externo.

141. Argumenta nostrae sententiae praecipua haec sunt. 1. Quidquid destituitur elemento externo ab ipso Christo instituto, non est sacramentum specifice ac proprie sic dictum. Ordinatio destituitur elemento externo ab ipso Christo instituto. Ergo non est sacramentum proprie ac specifice sic dictum. Majoris veritas patet ex iis, quae de requisitis sacramentorum in genere dicta sunt tract. de sacrament. §. 11. Excipit Bellarminus ad minorem, *ritum externumque symbolum in ordinatione esse manuum impositionem, ut constet* ex Actor. 6. 13. 14. 1. Tim. 4. et 5. 2. Tim. 1. *quae loca de ordinatione ab omnibus interpretibus accipiantur, in quibus per manus impositionem factam esse ordinationem commemoratur.* Sed respondit jam olim Doct. Chemnicius, symbolum illud externum, manuum scilicet impositionem, adhibitum quidem fuisse ab apostolis, sed ut ceremoniam liberam, qua personam ad ministerium electam precibus Deo commendarent, sacro officio manciparent et electionem legitime factam omnibus publico signo testatam facerent, non autem ut sacramentale aliquod symbolum divinitus institutum ac determinatum ad applicandam promissionem gratiae evangelio propriam. Item, mandatum quidem haberi, ut ordinentur ministri, sed non haberi mandatum, ut fiat hoc vel illo ritu, cui promissio gratiae sit annexa, Christus enim semel in ordinandis discipulis ritum insufflationis adhibuit, Joh. 20, v. 22. quod si externum aliquod elementum apostoli judicassent necessarium, assumsissent symbolum insufflationis, quo ipse Christus fuerat usus. Matth. 10, v. 1. Marc. 3, v. 14. Luc. 9, v. 1. et c. 10, v. 9. dedit Christus apostolis et septuaginta discipulis virtutem ac potestatem, cum ministerium evangelii illis commendaret, sed nullo externo symbolo usus legitur. Idem fecit post resurrectionem Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. Nec ullum exstat Christi mandatum de illa manus impositione in ordinatione adhibenda, jam vero sacramenta debent esse ab ipso Christo immediate instituta, quia illi soli competit sacramenta instituere, qui potest per symbola sacramentalia gratiam conferre. Sed nec apostoli uspiam mandarunt, in ordinatione necessario adhibendam esse manuum impositionem, nuspiam etiam significarunt, eam esse ritum divinitus institutum, per quem Deus gratiam dare velit, sed ritum illum χειροϑεσίας, cum in populo illo usitatus esset, libere adhibuerunt, ut persona ecclesiae publice designaretur, ut hoc ritu vocatus de legitima vocatione certior redderetur, ut esset solennis testificatio in ecclesia, servatam esse electionis et vocationis formam divinitus praescriptam, ut significaretur, Deum approbare vocationem, quae fit voce ecclesiae, ut oratio esset ardentior, ut admoneretur vocatus, se Deo esse consecratum et sacro officio quasi mancipatum.

142. Regerit Bellarminus *1. impositionem manuum adhibitam fuisse non solum ad orandum, sed etiam ad ordinandum, cum Scriptura non faciat mentionem orationis* 1. Tim. 4. et 5. ac 2. Tim. 1. *ubi de manus impositione agitur, cum Actor. 6. ubi ordinantur diaconi, manuum impositio aperte distinguatur ab oratione, cum verba* 1. Tim. 5: *Nemini cito imposueris manus, nec communices peccatis alienis non possint exponi de oratione, neque enim communicat peccatis alienis, qui orat etiam pro nequissimo, cum χειροτονεῖν Actor. 14. non possit exponi de oratione, sed de manuum super ordinandos extensione.* Addit etiam, *si vel maxime constaret, cum manus impositione semper conjunctam fuisse orationem, nihil tamen obtinere Chemnicium, cum dici possit, verba sacramentalia esse orationem quandam.* Respondemus: mirum est, quo fine Bellarminus vel contra Chemnicium, vel contra nos probare voluerit, manuum impositionem non solum ad orandum, sed etiam ad ordinandum fuisse adhibitam, cum nec Chemnicius, nec quisquam nostrum illud unquam negatum iverit; quinimo Chemnicius exponit quasdam causas, propter quas ritum χειροϑεσίας ad ordinationem apostoli adhibuisse videantur. Illud igitur probandum erat, apostolos hunc ritum adhibuisse ut symbolum aliquod sacramentale divinitus institutum ad applicandam et obsignandam promissionem gratiae evangelio propriam. Quod Bellarmini argumenta hoc loco allata attinet, de iis, ut rectius judicium fieri possit, notandum χειροϑεσίας ac χειροτονίας vocem dupliciter accipi, *1. specialiter* pro sola manuum impositione, sive ut Bellarminus loquitur, super caput ordinandi extensione; *2. generaliter* pro toto et universo ordinationis actu; in priore significatione ab oratione distinguitur, in posteriore orationem tanquam praecipuam aliquam actus hujus sacri partem in se complectitur.

143. Aliter igitur Bellarminus excipit ac de

mandato et institutione divina hujus ritus quaestionem esse animadvertens addit: *2. Non legimus quidem, disertis verbis Christum dixisse, ordinate ministros per manus impositionem, sed evidenter id colligimus ex sanctis literis. Nam non potest ullus homo gratiam alligare certo signo, ut constat. Atqui secundum Scripturas alligata est gratia manus impositioni, ut ex illis verbis patet* 1. Tim. 4: *Noli negligere gratiam, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum, ubi illud per prophetiam non est instrumentum, sed causa impellens et movens, instrumentum autem conferendae gratiae est illud cum impositione manuum. Sensus enim est, noli negligere gratiam illam, quae tibi data est, quando episcopus a me ordinatus es juxta revelationem de te mihi factam (Deus enim revelaverat Paulo et jusserat, ut Timotheum ordinaret, id quod etiam habetur in primo c.) secundum praecedentes in te prophetias. Quod autem instrumentum conferendae gratiae fuerit impositio manuum, habetur adhuc clarius* 2. Tim. 1: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quae in te est, per impositionem manuum mearum. Cum igitur gratia sit alligata ordinationi per manus impositionem, necesse est, Deum esse auctorem et institutorem illius ceremoniae.* Respondemus*:* 1. Non negamus, Timotheo per impositionem manuum datam fuisse gratiam, sed non videmus, qua ratione ex eo colligi possit, quod gratia manuum impositioni tanquam symbolo sacramentali divinitus instituto proptera semper et perpetuo sit alligata, ita ut sine eo simpliciter conferri nequeat. Ex verbis Bellarmini non potest aliud argumentum colligi quam tale: Per quod Timotheo data fuit gratia, ad illud tanquam symbolum sacramentale ea est perpetuo alligata. Per impositionem manuum Timotheo data fuit gratia. Ergo etc. Ibi vero negamus majorem propositionem, quam nunquam poterit Bellarminus demonstrare. 2. Si enim gratia esset alligata manuum impositioni, consequens foret, nec datam fuisse, nec dari potuisse illam gratiam absque manuum impositione. Contrarium ostendimus superius, constat enim, et apostolis, et septuaginta discipulis tum ante, tum post resurrectionem a Christo datam esse gratiam absque manuum impositione. Bellarminus regerit, *Christum non fuisse alligatum sacramentis, proinde ipsum potuisse apostolis dare effectum sacramenti sine sacramento, id est ordinare*
L. 2. 149. *apostolos sine impositione manus.* Respondemus: Ut ritum in baptismo observandum ipsemet instituit et susceptione baptismi aquas ad hoc sacramentum sanctificavit; ut panem et vinum in sacra coena ipsemet ordinavit, ut essent symbola sacramentalia, hoc est ὀχήματα ac media, per quae res coelestis, corpus scilicet et sanguis ipsius, daretur; ita quoque ritum χειροθεσίας ipsimet omni dubio procul expressisset inque ordinatione adhibuisset, si ceremoniam illam voluisset esse medium conferendae in ordinatione gratiae ac talem ritum, cui gratia esset alligata. Intelligit hoc Bellarminus, ideo aliter excipit. *Non cogimur*, inquit, *credere, Dominum sine impositione manus ordinationem apostolis contulisse. Nam etiamsi scriptum non sit, per impositionem manuum ordinatos fuisse apostolos, tamen neque scriptum est contrarium, et multa fecit Dominus, quae scripta non sunt.* Respondemus: Scriptura non deficit in necessariis, at symbolum externum sacramentale est de necessitate sacramenti, quare si manuum impositio esset symbolum sacramentale proprie sic dictum et eo fine a Christo adhibitum, ut gratiam illi alligatam esse ostenderetur, utique evangelistae illius mentionem aliquam fecissent. Fideliter describunt integram baptismi et eucharistiae institutionem, apostolis et septuaginta discipulis potestatem ministerii datam esse referunt, sed χειροθεσίας adhibitae nullus ipsorum facit mentionem. Cui vero persuaderi potest, eam ab evangelistis fuisse praetermissam, si Christus facto suo hunc ritum tanquam symbolum sacramentale perpetuum ecclesiae praescribere voluisset? Addimus ἐκ περιουσίας, si vel maxime ritus ille a Christo fuisset in ordinatione apostolorum adhibitus, nondum tamen mandatum et institutionem ex eo evinci posse, siquidem *insufflationis* ritum Christus adhibuit Joh. 20, v. 22. quem tamen nec ipse Bellarminus symbolum sacramentale perpetuum et ordinarium hujus sacramenti esse asserit. Urgemus igitur contra Bellarminum hoc argumentum: Sine quo conferri potest gratia sacramentalis, ad illud tanquam symbolum sacramentale non est gratia alligata. Atqui sine manuum impositione conferri potest gratia sacramentalis. Ergo ad impositionem manuum tanquam symbolum sacramentale non est gratia alligata. Minor negari nequit, ut constat ex dictis et potissimum ex eo, quod Bellarminus libr. 1. de sacram. ordin. c. 7. *subdiaconis gratiam sacramentalem conferri* statuit, cum tamen sine impositione manuum ordinentur. 3. Nunquam igitur ex ritu χειροθεσίας libere ab apostolis usurpato elicere poterit Bellarminus, niti eum mandato et institutione divina, per quam gratia sacramentalis ad illum sit alligata, sed afferendum erat expressum institutionis verbum, quale in reliquis N. T. sacramentis proprie sic dictis habemus. 4. Χειροθεσία non est ceremonia quaedam ordinationis propria, sed potius communis quaedam ceremonia, qua ad collationem peculiarium Spiritus sancti charismatum, ad sanitatis restitutionem, ad commendationem quorumcunque per preces Deo factam, nequaquam vero ad solam ordinationem apostoli libere fuerunt usi. Becanus in disp. de vocat. ministr. thesi 41. *Notandum* (inquit), *manuum impositionem in N. T. ad varios effectus adhiberi solitam, 1. ad sanandos aegrotos*, Marc. 16, v. 18. *2. ad impertiendam benedictionem*, Matth. 19, v. 13. *3. ad felicem comprecationem*, Act. 13, v. 3. *4. ad Spiritum s. conferendum*, Actor. 8, v. 17. *5. ad conferendam gratiam in ordinatione ministrorum*, 2. Tim. 1, v. 6. Haec ille; quomodo igitur statui potest, quod χειροθεσία sit talis ritus, qui sit huic sacramento proprius et cui gratia sacramentalis sit alligata? quinimo Bellarminus ipse statuit, *imposi-*

tionem manuum in confirmationis sacramento esse de essentia, libr. 1. de sacr. ord. c. 9. §. Nec valet. Ergo non erit sacramento ordinationis propria. 5. Si ritus χειροθεσίας cum symbolis sacramentalibus reliquorum sacramentorum proprie sic dictorum conferatur, apparebit, eam non posse symboli sacramentalis proprie sic dicti nomine venire. In baptismo aqua affunditur vel adspergitur baptizandis; in eucharistia panis et vinum exhibentur communi-
XII. 2. 150. cantibus; sed quodnam in ordinatione visibile et externum elementum? manus quidem ordinando imponitur, sed quis dixerit, manum ipsam esse elementum externum et materiale sive symbolum sacramentale? ipsa potius impositio manus est ritus libere adhibitus, non autem applicatio elementi cujusdam sacramentalis proprie sic dicti, actio est, non elementum. 6. Quando Timotheo dicitur *gratia collata per impositionem manuum*, tunc χειροθεσία non accipitur specialiter ac determinate, prout ab oratione contra distinguitur, sed generaliter pro toto ordinationis actu, cujus praecipua pars sunt conjunctae presbyterii et ecclesiae preces, quibus exauditionis promissio in sacris literis facta est, sed de sola manus impositione nunquam poterit talis afferri promissio, quod gratia sacramentalis illi sit alligata. 7. Si ex eo, quod Timotheo per manuum impositionem gratia ministerii data dicitur, legitime inferri posset, gratiam hujus sacramenti esse impositioni manuum alligatam, possem eadem ratione inferre, gratiam peculiarium Spiritus sancti charismatum conferendorum eidem ceremoniae alligatam, cum per impositionem manuum credentibus in primitiva ecclesia Spiritus sanctus, id est peculiaria illa Spiritus sancti charismata dicantur data, Actor. 8, v. 17. c. 19, v. 6. item gratiam sanationis eidem ceremoniae alligatam esse, cum per impositionem manuum apostoli donum miraculosae sanationis exseruerint, Marc. 16, v. 18. Actor. 28, v. 8. etc. 8. Denique si ex χειροθεσίᾳ apostolis in ordinatione usitata recte inferri posset, hunc ritum esse symbolum sacramentale necessarium, posset ex apostolorum exemplo itidem colligi, *jejunium* inter substantialia ordinationis referri debere, cum Act. 13, v. 3. cum χειροθεσίᾳ illud conjungatur.

2. Destituitur promissione gratiae.

144. 2. Quicunque ritus destituitur annexa promissione gratiae evangelio propriae de applicatione et obsignatione remissionis peccatorum, ille non est proprie et specifice sic dictum sacramentum Atqui ordinationis ritus destituitur annexa promissione gratiae evangelio propriae de applicatione et obsignatione remissionis peccatorum. Ergo. Majoris veritas elucet ex illis, quae de sacramentis in genere diximus, ubi ostensum fuit, proprium ac principalem sacramentorum finem esse, quod sint media atque organa, per quae Deus promissionem remissionis peccatorum sive reconciliationis in salutari usu applicet et obsignet. Ad minorem Bellarminus excipit, *promissionem gratiae expresse haberi 1. Tim. 4: Noli negligere gratiam, et 2. Tim. 1: Admoneo te, ut resuscites gratiam.* At jam olim respondit Chemnicius, ad sacramentum proprie sic dictum requiri promissionem gratiae evangelio propriae de applicatione et obsignatione remissionis peccatorum, proinde Bellarminus afferens dicta apostolica de gratia per ordinationem data nihil agit, cum minorem argumenti nostri mutilatam et truncatam accipiat, nos enim non de quavis gratia, sed de gratia remissionis peccatorum et reconciliationis, quae est evangelio propria, hoc loco agimus, ea vero non est in ordinatione, ut constat. Judas habuit gratiam ordinationis, non tamen peccatorum remissionis.

145. Regerit Bellarminus: *Per promissionem gratiae sacramento annexam intelligitur, vel quod omne sacramentum per se institutum sit ad peccati remissionem, vel quod satis sit, si conferat gratiam gratum facientem, quae sit efficax ad peccatum delendum, si illud inveniat, licet per se ad alium finem ordinetur. Si primum, non poterit Chemnicius defendere, eucharistiam esse verum sacramentum, siquidem certum est, eucharistiam non esse per se institutam ad peccatum tollendum, sed ad vitam spiritualem augendam et conservandam, datur enim post baptismum, ac proinde iis, qui non habent peccata. Si secundum, facile ostendi potest, etiam ordinationem esse sacramentum. Nam gratia, quae illi promissa est, non est donum aliquod gratis datum, ut prophetia vel donum linguarum, sed gratia justificans. Cum enim Dominus* Joh. 20. *tribuit apostolis potestatem remittendi peccata, quae est pars quaedam sacerdotii, dixit: Accipite Spiritum s. et cum dixerat apostolus 2. Tim. 1. gratiam Timotheo per impositionem manus datam, subjungit explicans, quae sit illa gratia: Non enim dedit Deus nobis, id est episcopis, spiritum timoris, sed virtutis, dilectionis et sobrietatis.* Respondemus: 1. Bellarmini argumentum nititur multis falsis hypothesibus, nimirum *quod gratia justificans sit infusus quidam habitus*, quod *eucharistiae fructus non sit remissio peccatorum*, quod *baptismus ita deleat peccatum, ut nullae ejus in renatis maneant reliquiae*, qua de re suo loco dictum fuit. 2. Repetimus hic verba Christi ex institutione eucharistiae: *Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Bibite, hoc est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Ex quibus apertissime liquet, promissionem gratiae de remissione peccatorum obsignari et confirmari credentibus in salutari usu sacrae coenae, siquidem accipiunt illud corpus, quod in mortem pro ipsis traditum, accipiunt illum sanguinem, qui pro peccatis ipsorum in ara crucis est effusus. Neque quidquam impedit, quod eucharistia detur illis, qui baptismum perceperunt et qui in vera poenitentia per fidem remissionem peccatorum jam ante consecuti sunt, cum et continuatione et confirmatione hujus summi beneficii, remissionis scilicet peccatorum, in hac vita perpetuo illis opus sit. πρῶτον ψεῦδος erroris Pontificii in hoc argumento consistit in eo, quod statuunt, *gratiam justificantem esse infusum habitum, qui peccata eo modo deleat, quo sol tenebras omnes*

Exceptiones Bellarmini.

XII. 2.

fulgore suo dispellit. Bellarminus l. 2. de just. c. 2. 3. Eucharistia non semper datur immediate post baptismum, sed quandoque inter baptismi et eucharistiae usum multi intercedunt anni. Jam vero tempore illo intermedio multa contrahuntur peccata, ad quorum remissionem eucharistiae salutaris usus est institutus, ac proinde frivolum est Bellarmini argumentum. Eucharistia datur immediate post baptismum. Ergo non est instituta ad peccatum tollendum. 4. Quinimo quando eucharistia immediate post baptismum datur, nihilominus promissio gratiae de applicanda et obsignanda peccatorum remissione non desinit ei esse annexa, praeterquam enim quod in renatis semper remanent peccati reliquiae, accedit etiam illud, quod collata in baptismo remissionis gratia et fides eam amplectens usu eucharistiae confirmatur ac promissio gratiae obsignatur, itemque Spiritus sancti dona augentur. Sic baptismus confertur etiam illis, qui jam ante per verbum sunt regenerati ac fide donati, adeoque remissionem peccatorum consecuti, nec tamen ex eo inferri potest, baptismum non esse institutum ad remissionem peccatorum. 5. In ordinatione gratiam justificantem conferri, nunquam poterit Bellarminus ex Joh. 20. demonstrare, cum enim non solum gratia justificans, sed etiam potestas ministerii sit Spiritus sancti donum, ideo a particulari procedit illud argumentum. *Christus in ordinatione confert apostolis Spiritum sanctum. Ergo confert eis gratiam justificantem.* Idem vitium occurrit in argumento ex 2. Tim. 1. deducto: *Spiritus s. dona sunt charisma* prophetiae, charisma linguarum, charisma sanationis etc. nec tamen omnes instructi dono prophetiae, dono linguarum, dono sanationis etc. habent gratiam justificantem, hoc est ut ex Scripturis interpretamur, remissionem peccatorum et reconciliationem. Audiat Bellarminus se ipsum, quomodo alibi, videlicet l. 1. de sacram. in genere c. 26. verba Christi exponat: *Per Spiritum sanctum* (inquit) *intelligimus illo loco Johannis potestatem remittendi peccata, ut intelligunt Cyrillus et Chrysostomus in illum locum. Potest autem haec potestas esse sine gratia gratum faciente. Quod autem nomine Spiritus sancti intelligi possint quaelibet ejus dona, licet non faciant hominem sanctum, patet ex 1. Cor. 12: Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, aliis datur per Spiritum sermo sapientiae* etc. *et 1. Cor. 14: Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt, ubi spiritum vocat donum prophetandi a Spiritu sancto datum.* Item: *Auctoritas conferendi sacramenta, non est gratia gratum faciens, sed gratis data,*
182. *nec ita pugnat cum improbitate vitae, ut simul cum ea esse nequeat, quod Caiphae exemplo liquet Johan. 11. et aliorum virtutes edentium in nomine Christi, Matth. 7.* An posset apertius sibi ipsi Bellarminus contradicere? 6. Cum manuum impositione in primitiva ecclesia apostoli fuerint usi non solum in ordinatione, sed etiam in collatione peculiarium Spiritus sancti charismatum, ideo dictum 2. Tim. 1, v. 6. commode de utraque χειροθεσίᾳ accipi potest. 7. Concedit Bellarminus, *ordinationem non ad gratiae justificantis collationem, sed ad alium potius finem* institutam, sive ut ipse loquitur, *ordinatam* esse. At ex eo ipso colligere possumus, ordinationem non esse sacramentum proprie et specifice sic dictum, sic enim argumentamur. Omne sacramentum institutum est fine eo, ut promissionem gratiae applicet et obsignet, sive ut Bellarmini verbis sano sensu utamur, ut gratiam justificantem conferat. Ordinatio non est instituta fine eo, ut promissionem gratiae applicet et obsignet. Ergo. Majoris veritas elucet ex proprio sacramentorum fine. Minorem Bellarminus concedit, quae etiam est certissimae veritatis. Si enim ordinatio esset sacramentum divinitus institutum ad applicandam et obsignandam promissionem gratiae, certe omnibus hoc sacramento utentibus et non ponentibus obicem darentur gratia justificans; itemque ordinandi essent, qui cupiunt sibi applicari et obsignari promissionem de gratia justificante sive remissione peccatorum.

3. Est utrique testamento communis.

146. Atque haec sunt principalia sententiae nostrae argumenta, sequuntur minus principalia. 3. Omne sacramentum N. T. proprie et specifice sic dictum est N. T. proprium. Ordinatio non est N. T. propria, sed utrique tam veteri quam novo testamento communis, cum sacerdotes Levitici V. T. itidem certis ritibus ad ministerium fuerint consecrati, Exod. 29. Si dicas, *ritum χειροθεσίας novo testamento accessisse*, respondemus, illum ipsum ex V. T. ab apostolis fuisse transsumtum, ut postea demonstrabitur. In ipsa Aaronis et filiorum ipsius ordinatione mentio fit olei unctionis, impositionis mitrae sive tiarae sacerdotalis, induitionis vestium sacrarum etc. jubentur etiam Aaron et filii ejus manus ponere super caput juvenci ad sacrificium mactandi, et quod probe notandum Num. 8, v. 10. filii Israel jubentur *manus ponere super Levitas*, ex quo mutuatos esse ritus, quos in ordinatione sua Pontificii observant, negari nulla veritatis specie potest. Bellarminus l. 1. de sacr. ord. c. 7. statuit, *ordinem subdiaconorum esse sacramentum*, cum tamen absque manus impositione illi ordinentur, quomodo igitur manuum impositio essentialem differentiam inter ordinationem veteris ac novi testamenti constituet?

4. Est bonum alicujus status.

4. Omne sacramentum est bonum totius ecclesiae. Ordinatio non est totius ecclesiae bonum, sed certi alicujus status, videlicet ministrorum ecclesiae propria. Ergo.

5. Ordines papales Christo et apostolis sunt ignoti.

5. Qui ordines a Christo et apostolis ne quidem nominantur, illorum in ecclesiam introductio non potest esse sacramentum proprie et specifice sic dictum, siquidem omne sacramentum oportet esse a Christo institutum. Jam vero plerique ordines papales a Christo et apostolis ne quidem nominantur. Multa Christus, multa Petrus, plura Paulus ad Timotheum et Titum de verbi ministerio et ministrorum officio proferunt, sed nihil audis de ostiariis, de exorcistis, de acoluthis, de subdiaconis, de sacerdotibus missificis etc. Ergo.

6. Ipsi Pontificii

147. 6. Denique ipsimet Pontificii 1. de ordinum

de illis discrepant. suorum institutione et origine divina nondum certi sunt, nec invicem de ea conveniunt, ut infra late demonstrabimus. Quo igitur colore sub fulmine anathematis eos pro sacramento proprie et specifice sic dicto nobis obtrudere possunt? 2. Sed nec de eo certi sunt, an omnes septem ordines sint sacramenta. Biel 4. sent. dist. 8. q. 1. art. 3. dub. 3. asserit, *sacramentum ordinis sub se continere septem vel*
XII. 2. 15. *octo sacramenta a se ipsis invicem distincta*, sed illa Bielis assertio a multis in dubium vocatur, de quo ipsum Bellarminum audiemus. lib. 1. de sacram. ordinis c. 5. sic scribit: *Sequitur secunda quaestio, quinam ordines sint sacramenta. Septem esse ordines demonstravimus in primo libro de clericis, videlicet sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, acoluthorum, exorcistarum, lectorum et ostiariorum. Ex quibus ordo sacerdotum duplex est, sunt enim alii majores sacerdotes, id est episcopi, alii minores, id est presbyteri. Ex his autem convenit inter omnes Catholicos, ordinem presbyterorum esse vere et proprie sacramentum, de aliis non omnino convenit. Dicam igitur de singulis, quid verius ac probabilius videatur. Ac primum ordinatio episcopalis sacramentum est vere ac proprie dictum. Haec sententia etiamsi a quibusdam veteribus Scholasticis negetur in 4. dist. 24. et ex recentioribus a Dominico Soto lib. 10. de justitia et jure q. 1. art. 2. et in 4. dist. 24. q. 2. art. 3. tamen asseritur ab omnibus antiquis patribus et ex recentioribus a Petro Soto lect. 4. de sacram. ord. et a Cajetano tom. 1. opusc. tract. 11. nec non ab antiquis nonnullis Scholasticis, ut Altisiodorensi, Majori, Scoto, Durando et Paludano, licet Durandus idem sacramentum esse velit cum sacramento presbyteratus* etc. Et postea: *Si ordinatio episcopalis non est sacramentum, non possumus ex Scripturis aperte probare, ordinationem esse sacramentum. Amittemus etiam loca patrum, quae pro sacramento ordinationis adducuntur, si episcopalis ordinatio non est sacramentum.* c. 6: *De diaconis est valde probabile et omnino tenendum, eorum ordinationem esse sacramentum, licet id non sit certum ex fide, quia non potest id evidenter deduci ex verbo Dei scripto vel tradito, neque exstat ulla ecclesiae determinatio, unde Durandus asserit, solum sacerdotium esse ordinis sacramentum in 4. dist. 24. q. 2. cum Cajetano tom. 1. opusc. tract. 11.* Et postea: *Quidam dicunt, diaconatum esse perpetuum non ex charactere, sed ex consecratione. At si aliunde potest provenire quam ex charactere, ut non possit amitti diaconatus, ruet principalis ratio Catholicorum, qua probant, sacramenta quaedam inprimere characterem.* Ibid.: *Cyprianus fortasse fuit in ea sententia, diaconatum non esse a Christo institutum, fortasse etiam voluit dicere, Christum non ordinasse ullos diaconos.* c. 7: *De subdiaconatu non est tanta certitudo, quanta de diaconatu. Nam nec in Scripturis de eo fit mentio, nec ordinatio habet manus impositionem, nec subdiaconi ministrant eucharistiam, aut alia facere possunt quae diaconi, et denique non pertinent proprie ad hierarchiam, nisi ut ministri hierarcharum. Est tamen valde probabile, etiam hunc ordinem esse sacramentum.* Et postea: *Quod Magister dicit, subdiaconos ab ecclesia introductos, non sic debet intelligi, quasi ecclesia eum ordinem instituerit, sed videtur Magister existimasse, usum horum ordinum non coepisse tempore apostolorum, sed postea, quod videlicet antea ob fidelium paucitatem non essent tot ordines necessarii. Sed neque hoc videtur esse verum, nam S. Ignatius, qui tempore apostolorum floruit, fere omnium ordinum meminit c. 8. de minoribus ordinibus minus probabile est, quod sint sacramenta, quam de subdiaconis, nam neque est ita communis sententia sicut de diaconatu et subdiaconatu, et certum est, leviora esse munera horum ordinum quam superiorum, absolute tamen probabilior est sententia, quae ordines omnes sacramenta esse docet, quam ea, quae id negat, id videtur sensisse concilium Florentinum, nec dissentit Tridentinum* etc. Haec omnia Bellarminus, quae manifeste testantur, ipsos Pontificios esse adhuc incertos, an omnes et singuli ordines sint sacramenta proprie sic dicta.

148. 3. De materia illorum ordinum non minus inter se dissentiunt. Cum enim in ordinatione presbyteri et diaconi duplicia signa adhibeantur, videlicet *impositio manuum et porrectio instrumenti*, ut calicis et patinae in presbyteratu et libri evangeliorum in diaconatu, ideo quaestio existit, utrum horum signorum sit essentialis materia sacramenti? Alii existimant, *manus impositionem esse accidentariam et solam instrumentorum porrectionem esse* XII. 2.
essentialem. Ita Dominicus a Soto dist. 24. q. 1. art. 4. et alii quidam. Contra vero reliqui statuunt, *non solum instrumentorum porrectionem, sed etiam manus impositionem esse materiam essentialem*, quam posteriorem sententiam Bellarminus l. 1. de sacr. ord. c. 9. judicat longe probabiliorem ac veriorem. *Si enim impositio manuum non est de essentia* (inquit), *non possumus convincere haereticos, ordinationem esse sacramentum proprie dictum, quia non possumus in Scriptura demonstrare symbolum externum hujus sacramenti.* Sed hac ratione Bellarminus sibi fortissime contradicit. Si enim manus impositio est essentialis materia hujus sacramenti, utique ordinatio subdiaconorum non erit sacramentum, cujus contrarium asseruit c. 7. praecedente; vel si ordinatio subdiaconorum, quae fit sine manuum impositione, est sacramentum, consequens est, manus impositionem non esse materiam hujus sacramenti essentialem, cujus contrarium statuit in hoc c. 9. Postea addit: *In ordinatione presbyterorum duae conferuntur potestates, una consecrandi eucharistiam, quae dicitur potestas in corpus Christi verum; altera absolvendi a peccatis, quae dicitur potestas in corpus Christi mysticum. Propter has duas potestates duae sunt in ordinatione presbyterorum praecipuae ceremoniae, una qua episcopus porrigit futuro presbytero patinam cum hostia et calicem cum vino ac dicit: accipite pote-*

statem offerendi sacrificium; altera cum manus ei imponit dicens: Accipite Spiritum s. quorum remiseritis etc. *Utraque ceremonia est essentialis, nam per unam confertur una potestas, per alteram altera, neque est probabile, quod quidam dicunt, in una totum dari et in altera tantum explicari, quod est datum in alia* etc. Atqui si credere debemus, utramque illam ceremoniam esse necessariam in ordinatione presbyterorum, proferat Bellarminus tabulas divinae institutionis, ubi Christus apostolis tradiderit patinam et calicem atque eos constituerit missifices, ubi imposuerit illis manum? Concludit tandem Bellarminus: *Credibile est, Dominum instituisse istas omnes materias ordinum non quidem in particulari, sed generatim monendo apostolos, ut ordines conferrent per ceremoniam instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas.* At quomodo hoc credibile est, cum in literis fidei, in Scripturis scilicet sacris, ne quidem suspicandi illud occasio contineatur?

149. Sed videamus, quae pro adstruenda Pontificiorum sententia Bellarminus afferat. l. de sacram. ordin. c. 1. dicit, *Lutherum, Illyricum et Chemnicium negare, quod ordinatio sit sacramentum proprie dictum, sed Calvinum* l. 4. *instit.* c. 14. § 20. *et Philippum Melanthonem in locis editis an. 1536. 1552. et 1558.* Item *in Apologia confess. August. art. 13. satis aperte docere, ordinationem esse sacramentum proprie dictum, unde Chemnicium accusat, quod in hac controversia repugnet praecipuis Lutheranis seque adjungat obscurioribus et paucioribus.* Respondemus: 1. de Calvino quidem parum soliciti sumus, interim tamen praetermittere non possumus, quin moneamus, luculentam ipsi hoc in loco a Bellarmino fieri injuriam, cum mentem suam clarissime exposuerit, sic enim scribit d. l.: *Impositionem manuum, qua ecclesiae ministri in suum munus initiantur, ut non invitus patior vocari* (nota, non esse proprie dictum) *sacramentum, ita inter ordinaria sacramenta non numero.* 2. Vox sacramenti a Philippo in Locis et in Apologia sumitur in significatione laxiori. Bellarminus regerit, *enumerari ibi sacramenta proprie dicta, ad quae requirantur tria: ritus, promissio gratiae et mandatum, atque ex eo fundamento probari, tria esse proprie dicta sacramenta, baptismum, eucharistiam et absolutionem; deinde ex eodem fundamento rejici confirmationem, extremam unctionem et matrimonium, de ordine autem distincte pronuntiari: Si accipiatur pro sacerdotio, ex sacramentis excludi, si pro ministrorum ordinatione, non gravate admitti.* Respondemus: verba Apologiae sic habent: *Sacerdotium*
155. *intelligunt adversarii non de ministerio verbi et sacramentorum aliis porrigendorum, sed de sacrificio, quasi oporteat in N. T. esse sacerdotium simile Levitico, quod pro populo sacrificet et mereatur aliis remissionem peccatorum* etc. quae sententia ex epistola ad Hebraeos refutatur et postea subjungitur: *Si ordo de ministerio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus ordinem sacramentum. Nam ministerium verbi habet mandatum Dei et habet magnificas promissiones, Roman. 1. Esa. 55. Si ordo hoc modo intelligatur, neque impositionem manuum vocare sacramentum gravabimur; habet enim ecclesia mandatum de constituendis ministris, quod gratissimum esse nobis debet, quod scimus, Deum approbare ministerium illud et adesse ministerio, ac prodest quantum fieri potest, ornare ministerium verbi omni genere laudis adversus fanaticos homines.* Ex hisce quilibet intelligit, non tam de ritu ordinationis quam de ipso verbi et sacramentorum ministerio, nec de propriissima et specialissima, sed de generaliore quadam sacramenti significatione apologiam agere. Quando enim sacramentum accipitur propriissime ac specialissime (ut in baptismo et coena) requirit non quemvis ritum, sed eum qui certo et ab ipso Christo praescripto ac determinato elemento constat, nec promissionem gratiae cujusvis, sed quae evangelio propria est, ut alibi fuit demonstratum, unde in ipsa apologia ibid. subjungitur: *Si omnes res annumerari sacramentis debent, quae habent mandatum Dei et quibus sunt additae promissiones; cur non addimus orationem, quae verissime potest dici sacramentum? habet enim et mandatum Dei et promissiones plurimas. Possent hic numerari etiam eleemosynae, item afflictiones, quae et ipsae sunt signa, quibus addidit Deus promissiones* etc. unde sic colligimus. Sacramenti nomen Apologia eo modo accipit, ut complectatur orationem, eleemosynas et piorum afflictiones. Atqui sacramenti nomen eo modo acceptum nondum obtinet propriissimam et specialissimam significationem, quod ne ipse quidem Bellarminus negare poterit. Ergo Apologia non accipit nomen sacramenti in propriissima et specialissima significatione. Pontificii vero quando ordinem esse sacramentum disputant, 1. non de verbi ministerio, sed de externo ordinationis ritu loquuntur; 2. nec ἐν πλάτει, sed stricte hoc intellectum volunt, neque enim gradus et discrimen sacramentorum constituunt, sed ἴσως et συνωνύμως de ritu ordinationis ac reliquis propriissime dictis sacramentis, baptismo scilicet et coena Domini, nomen sacramenti praedicari statuunt.

150. Cap. 2. ex divinis literis Bellarminus demonstrare conatur, *in ordinatione haberi symbolum externum, promissionem gratiae et mandatum seu institutionem divinam, ac proinde ordinationem esse sacramentum vere et proprie sic dictum,* qua de re quid statuendum sit, patere potest ex superioribus. Cap. 3. provocat ad testimonia *pontificum, conciliorum, patrum et Scholasticorum.* Respondemus: 1. Sacramentorum proprie dictorum institutio et essentialia requisita ex sacris literis demonstranda sunt. 2. Epistolae pontificum primo loco adductae pleraeque sunt supposititiae, ut ex stilo et rebus ipsis Erasmus demonstrat. Adde quod ne quidem ex illis supposititiis probare possit Bellarminus quod intendit. Innocentius I. in epist. 18. ad Alexandr. Antioch. ordinationem cum sacramento proprie dicto, videlicet baptismo, confert, sed ex eo nondum inferri

2. Ex testimoniis Pontificum conciliorum et patrum.

potest, quod in sacramentorum proprie dictorum numero habeat. Potest enim collatio institui in generali quadam ratione, quia et per baptismum, et per ordinem homo consecratur Deo, jam vero quae in uno tertio conveniunt, non est necesse inter se plene et plane convenire. Leo epist. 81. ad Dioscorum Alexand. ordinem vocat *sacramentum*, idem vero eundem incommode Leviticam ordinationem appellat atque ad certum diem, ad vesperam scilicet sabbathi, adstringit. Anastasius II. in epist. ad imp. Anastas. Gregorius I. l. 4. comment in l. Reg. c. 5. sacramenti nomine latius utuntur pro quavis
XII. 2. 156. ceremonia, per quam homo peculiari ratione Deo consecratur, quo sensu idem Gregorius comm. eod. in c. 10. et 16. Saulis et Davidis unctionem, qua in reges ungebantur, sacramenta vocat. 3. Concilia quaedam sunt recentiora, ut Florentinum et Tridentinum, quaedam vero antiquiora, ut Chalcedonense et Bracarense, illorum auctoritas tanta non est, ut possit apud nos aliquam probandi vim obtinere, haec vero non asserunt, quod Bellarminus in illis quaerit. Chalcedonense concilium can. 2. ut et Bracarense damnat eos, qui pecunias pro ordinatione suscipiunt, quia gratiam Dei illi censentur vendere, quae tamen vendi nullo modo debet. At si ex eo inferri posset, ordinationem esse sacramentum, eadem ratione inferri posset, impositionem manuum, qua visibilia Spiritus sancti dona in ecclesia apostolica conferebantur, fuisse sacramentum proprie dictum, Act. 8. 4. Inter patres primo loco ponitur Dionysius Areopagita, cujus scripta esse supposititia idoneis rationibus confirmant Laurentius Valla et Erasmus in c. 17. Act. Theodorus Gaza praefat. problem. Alexandri Aphrod. a se in Latinum conversorum, Cajetanus, Lutherus in c. 3. Genes. Illyricus in catal. et alii complures. Nullus ex veteribus ante Gregorium scriptorum Dionysii mentionem facit. Hieronymus ex professo catalogum ecclesiasticorum scriptorum texit, sed in eo Dionysium nuspiam recenset. Eusebius l. 3. hist. c. 4. et l. 4. hist. c. 2. 3. commemorat, quomodo Dionysius sit factus episcopus Atheniensis, sed scriptorum ejus nullam facit mentionem, quod more suo nunquam tacuisset. Videatur Criticum sacrum Riveti. Martyrii dictum apud Sozom. l. 7. hist. c. 10. commode explicandum, ne cum fidei analogia pugnet, asserit enim, *sacerdotium esse peccatorum expiatorium*, quod non potest de ritu ordinationis accipi, cum ipse Bellarminus l. 1. de sacram. c. 26. asserat, *potestatem remittendi peccata sine gratia gratum faciente posse locum habere*, sed explicandum de ipso ministerio ecclesiastico, per quod ὀργανικῶς peccatorum remissio et salus hominibus confertur. Chrysostomus l. 3. de sacerd. dicit, *ipsum paracletum disposuisse ministrorum ordinem, ac proinde sacerdotium in rerum coelestium classem et ordinem esse referendum*, sed ex eo inferri nequit, ritum ordinationis esse sacramentum proprie dictum, cum non tam de ritu ordinationis, quam de ecclesiasticarum personarum ordine Chrysostomus loquatur. Ordinationem esse sacramentum proprie dictum negamus, nec tamen ex ordine rerum coelestium ministerium ecclesiasticum eximimus vel pios ministros a Spiritu s. constitutos negamus. Tharasius in epist. ad Adrianum papam tom. 1. Biblioth. dicit, *eos, qui pecunias pro ordinatione accipiunt, Spiritum s. vendere*. Theodoretus in 1. Tim. 5. Oecumenius in 2. Tim. 1. Ambrosius de dign. sac. c. 5. *in ordinatione Spiritus s. gratiam conferri* dicunt. Sed ex illis nondum inferri potest, ordinem esse sacramentum proprie dictum, cum per cujusvis rei spiritualis venditionem simonia committatur, ac Spiritus s. vendi censeatur, cumque non quaevis, sed justificans gratia symbolo divinitus instituto annexa sacramentum proprie dictum constituat. Cypriani sermo de operib. cardinalib. est supposititius teste Pamelio et Sixto Senensi lib. 4. Biblioth. Augustinus nomen sacramenti latius accipit, ut alibi demonstratum fuit. 4. Scholasticorum auctoritas ne ipsis quidem Pontificiis est infallibilis.

151. Cap. 4. profert Bellarminus rationes. *1. Deus* (inquit) *cujus perfecta sunt opera Deut. 32. cum dat potestatem, dat etiam ea, quae requiruntur ad usum ejus legitimum et congruentem, ut apparet etiam in rebus naturalibus. In ordinatione autem sacra datur homini potestas conficiendi et ministrandi sacramenta, quae certe a peccatore recte exerceri non potest. Dabit igitur Deus simul cum ea potestate etiam gratiam justificantem et perficientem animam, ut rite fungatur tanto ministerio. 2. Si in baptismo, in quo datur potestas suscipiendi eucharistiam et alia sacramenta, datur simul cum ea potestate gratia gratum faciens, quia sine ea non recte percipiuntur sacramenta cetera, cur in* XII
sacramento ordinis, in quo datur potestas conferendi sacramenta, non simul etiam dabitur gratia gratum faciens? Si autem datur in ordine gratia gratum faciens, erit sacramentum proprie sic dictum. 3. Adversarii nihil habent, quod objiciant nisi argumenta negativa et levia. Respondemus: 1. non ex rationis congruentia, sed ex institutione divina sacramenti veritas demonstranda. 2. Bellarminus sibi ipsi contradicit, nam lib. de sacram. in genere c. 26. modo plane contrario progreditur, sic enim scribit §. Probatur: *Auctoritas conferendi sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratia gratis data, non ergo ita pugnat cum improbitate vitae, ut simul cum ea esse non possit. Constat enim, ejusmodi gratias in peccatoribus esse posse, ut patet de Caipha, qui prophetavit, cum tamen esset pessimus Joh. 11. Item de illis, qui Matth. 7. dicunt, nonne in nomine tuo prophetavimus? Secundo auctoritas conferendi sacramentum non datur in utilitatem habentis, sed aliorum; igitur non erat conveniens, ut auferretur propter peccatum habentis. Tertio Deus non aufert ob peccata potestatem jurisdictionis, ergo nec ordinis. Quarto, non aufert Deus hominibus ob peccata naturales potentias ad opera naturalia; igitur nec auferre debet supernaturalem potestatem ad opera supernaturalia.* Et postea: *Haeretici non habent remissionem peccato-*

rum formaliter, tamen habent ministerialiter, quomodo famulus, qui saepe non habet unum obolum, tamen defert multos aureos a Domino suo ad aliquem alium. Adde, distinguendum esse ipsum sacramentum ab effectu ejus, et inter effectus distinguendum esse characterem a gratia, haec enim omnia separari possunt ab invicem. Paulo post: *Potestas remittendi peccata potest esse sine gratia gratum faciente.* Haec omnia ibi Bellarminus, quae cum eis conciliari nequeunt, quae hoc loco profert. 3. Nec Scripturae dictis, nec idoneis argumentis confirmari potest, gratiam remissionis peccatorum, velut Bellarminus loquitur, gratiam gratum facientem ritui ordinationis divina institutione annexam esse, cum potestas ordinis et reconciliationis gratia sint distincta et unum eorum absque altero possit habere locum. Deus per pias preces invocatus largitur ordinandis Spiritus s. dona eademque in illis auget et confirmat; sed ex eo non potest vel debet inferri, gratiam justificantem esse ritui ordinationis tanquam medio et symbolo sacramentali annexam, cum potestas ecclesiastica etiam peccatoribus conferri et ab iis exerceri possit. 4. Illas facultates et potentias Deus confert in collatione alicujus potestatis, sine quibus potestas illa nullo modo administrari potest. At potestas ordinis sine gratia gratum faciente administrari potest, ut docent exempla Scripturae, nec diffitetur Bellarminus dicto loco. Ergo cum potestate ordinis non semper confert gratiam gratum facientem et per consequens potestas ordinis et gratia gratum faciens non sunt indivulso nexu conjuncta. 5. Effectus ordinationis proprius est collatio potestatis docendi et sacramenta administrandi, ad illum ordinatio per se dirigitur eundemque perpetuo et infallibiliter consequitur; sed per accidens cum potestate ordinis conjungitur collatio gratiae gratum facientis, quippe deficiente poenitentia et fide in ordinato eam nequaquam consequitur. Jam vero ex proprio effectu de ordinatione judicandum ac statuendum, alias quasvis externas ceremonias pro sacramentis habere possemus. 6. Ex quo etiam apparet, gratiam justificantem sive gratum facientem aliter se habere ad baptismum, aliter ad ordinationem; illius est effectus proprius, quia baptismus ad conferendam gratiam justificationis institutus est, hujus vero accidentarius duntaxat, quia ritus ordinationis non ad collationem gratiae justificantis, sed ad potestatem ordinis institutus est, quod Bellarminus non potest negare, cum praeced. c. 2. fateatur, *ordinem per se ad alium finem quam ad gratiae gratum facientis collationem institutum esse.* De reliquis judicium potest fieri ex superioribus.

3. Quis sit legitimus ordinationis minister? sententia Pontificiorum. XII. 2. 158.

152. Quaeritur 3. de *ministro ordinationis*, per quem scilicet ea peragi debeat. Pontificii auctoritatem concilii Tridentini secuti statuunt, solum episcopum esse legitimum ordinationis ministrum, sic enim loquitur concilium sess. 14. c. 4: *Declarat sancta synodus, praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos (qui in locum apostolorum successerunt) ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere et positos (sicut idem apostolus ait) a Spiritu s. regere ecclesiam Dei eosque presbyteris superiores esse ac sacramentum confirmationis conferre, ministros ecclesiae ordinare atque alia pleraque peragere ipsos posse, quorum functionum potestatem reliqui inferiores ordines nullam habent.* et can. 7: *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem* etc. *anathema sit.* Bellarminus l. de sacr. ord. c. 11: *De ministro ordinationis res perspicua est, cum nunquam ecclesia agnoverit presbyteros vel diaconos nisi ab episcopis ordinatos.* Ex hoc principio inferunt ulterius, nostrarum ecclesiarum ministros non esse legitimos pastores, cum non sint ordinati ab episcopis; nec Lutherum et ipsius symmystas habuisse potestatem ordinandi, cum non fuerint episcopi, sed duntaxat presbyteri; ut ex Bellarmino, Becano et Reihingio ostendimus superius sect. 9. Addunt etiam ex can. 4. conc. Nicen. quod *ad minimum tres episcopi in ordinatione episcopi requirantur, qui si non adsint, ordinationem non esse legitime factam, ex dispensatione tamen ab uno episcopo, sed assistentibus abbatibus, ordinationem posse peragi*, inde Bellarminus lib. 4. de ecclesia c. 8. §. Ex quo, profert hoc argumentum, quod jactitat esse insolubile: *Ecclesia non potest esse sine episcopis. Apud Lutheranos non sunt episcopi, nam non habent ordinationem nec successionem ab apostolis; igitur apud eos non est ecclesia. Et quidem quod nec Lutherus, nec ulli alii ordinati sint a tribus episcopis, neque ex dispensatione ab uno assistentibus abbatibus, notissimum est, nec ipsi negant. Ergo saltem patribus Niceni et Carthaginensis concilii, imo et ipsis apostolis, qui statuerunt, episcopum a tribus episcopis ordinari debere, isti non sunt episcopi.*

153. Hanc Pontificiorum sententiam examinans Carletonus theologus Anglus consuetudinem illam, qua potestas ordinandi solis episcopis tribuitur, ad institutionem apostolorum et consensum totius ecclesiae Catholicae revocat, sic enim scribit in lib. de consens. eccles. contra Tridentinos loc. de eccles. c. 11. p. 277: *Post sacrarum Scripturarum canonicam auctoritatem ecclesiae Catholicae consensus tantum apud me semper valuit, ut quaecunque ab hoc consensu confirmata videam, mihi sacrosancta et immutabilia videantur. At in eo habemus ecclesiae antiquae consensum, episcopos ordinare et presbyteros ab episcopis ordinationem suam habere, apostolos in hunc usum ecclesiam commisisse episcopis, apostolos successores suos statuisse episcopos, ac proinde extraordinariam apostolorum potestatem cum ipsis finem habuisse, nec in ecclesia deinceps locum reperisse; ordinariam vero apostolorum potestatem episcopis commendatam fuisse atque in illis permansisse, ex hoc fundamento episcopos semper ordinasse, non fas aut licitum fuisse, ut inferior majorem ordinaret, quia nemo tribuit,*

quod non accepit. Presbyteros quidem posse facere, quaecunque faciunt episcopi, excepta tamen ordinatione, itaque presbyteros ordinare non potuisse. Haec apud antiquam ecclesiam magno consensu firma et fixa fuerunt. Et postea: *Si omnia ecclesiae secula lustremus ab apostolicis temporibus usque ad patrum nostrorum memoriam, non alia ordinandi ratio invenietur nisi per episcopos. Quam igitur sacram ceremoniam ecclesia ab apostolis accepit et per tot secula constanter conservavit, quis potest rejicere, qui ecclesiae Catholicae auctoritatem non rejiciat?* Hactenus Carletonus Hadrianum Saraviam secutus, qui tamen recte ibidem p. 281. casum necessitatis excipit; *melius* (inquit) *est ordinare sine episcopis, quam ut ecclesia careat omnino presbyteris.* Et postea p. 283: *Ecclesiae quidem Catholi-*
XII. 2. 150. *cae consuetudo est, ut episcopi legitime ordinent, sed si quis a presbytero ordinatus fuerit, ordinatio illa etiam vera est ex ejusdem ecclesiae Catholicae judicio* etc.

Sententia nostrarum ecclesiarum. 154. Nostrae ecclesiae non approbant *ἀταξίαν καὶ ἀναρχίαν* Anabaptisticam, sed distinctos gradus inter ministros agnoscunt, ut suo loco demonstrabitur, interim tamen negamus, potestatem ordinandi jure divino ita esse episcopali muneri alligatam, ut a presbyteris exigente praesertim ecclesiae necessitate et utilitate exerceri nequeat. Testatur ipsa praxis, nos boni ordinis causa ministrorum ordinationem permittere solis episcopis sive superintendentibus, qui non solum respectu commissi sibi gregis sive auditorum, sed etiam respectu aliorum concionatorum, videl. presbyterorum et diaconorum, quorum inspectio ipsis commissa est, episcopi dicuntur, interim tamen non agnoscimus tale aliquod inter episcopos et presbyteros discrimen, quasi illi soli jure quodam divino et institutione Dominica potestatem ordinandi concionatores habeant, a qua presbyteri reliqui eo modo sint exclusi, ut ne quidem exigente necessitate, episcopis scilicet vel non praesentibus, vel officium suum negligentibus, ordinationis ritum peragere possint, sed consuetudine quadam ecclesiastica boni ordinis causa introducta episcopis ordinandi potestatem relictam dicimus, a qua presbyteri non sint simpliciter et absolute exclusi, 1. quia in Scripturis sacris tale discrimen inter episcopum ac presbyterum, quasi illi soli potestas ordinandi competat, huic vero nulla plane ratione, nuspiam proponitur, et suo loco manifestum fiet, in apostolica ecclesia eosdem fuisse episcopos et presbyteros. 2. Quin potius 1. Tim. 4, v. 14. potestas ordinandi non obscure presbyteris tribuitur. *Noli* (inquit apostolus ad Timotheum) *negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* 3. Quia episcopus non suo, sed ecclesiae nomine ordinationem peragit, ut enim jus vocandi ad totam ecclesiam pertinet, ita quoque ordinatio, quae est vocationis declaratio et testificatio, ecclesiae nomine peragitur. Presbyterium imponit manus, sed ecclesia conjungit suas preces. Etsi igitur legitimae *εὐταξίας* ratione recte fit, quod episcopus personae ordinandae una cum presbyterio manus imponit, is tamen non agit hic privato arbitrio ac potestate propria, sed nomine, jure, suffragio, auctoritate, consensu, approbatione adeoque etiam conjunctis precibus totius ecclesiae, sicque exsecutio fit per episcopum, actus autem est totius ecclesiae, ut colligitur ex Act. 6, v. 3. c. 14. v. 23. Quod autem nomine ecclesiae episcopus peragit, idem etiam ejusdem ecclesiae nomine presbyter exigente praesertim necessitate peragere potest. 4. Presbyter habet eandem cum episcopo potestatem docendi, sacramenta administrandi, clavium usum exercendi etc. eccur igitur exigente cumprimis necessitate non haberet potestatem ordinandi? In casu necessitatis etiam laicus baptismum administrare potest, cum tamen ordine divinitus constituto ad ecclesiae ministros ordinarie spectet baptismi administratio, cur igitur in casu necessitatis presbyter ordinare non possit, cum ab ecclesia duntaxat constitutus sit ille ordo, ut episcopus ritum ordinationis peragat? 5. Augustinus in quaest. ex utroque Testamento quaest. 101: *In Alexandria et per totam Aegyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter.* Ergo licuit presbytero in casu necessitatis, ubi scilicet episcopi adesse vel noluerunt, vel non potuerunt, ecclesiae nomine consecrare. Plura exempla commemoravimus in tract. de eccles. §. 201. in quibus scilicet a consuetudine illa ecclesiastica fuerit recessum. 6. Talis necessitas etiam tempore reformationis incidit. Episcopi Pontificii noluerunt ecclesiae nostrae ministros ordinare, nisi redirent ad Romanae ecclesiae gremium, id vero cum per conscientiam nec doctores, nec auditores nostrae ecclesiae facere possent, utique presbyteris necessitas ordinandi injecta fuit, nisi ecclesiam ministris destitui voluissent. Lutherus art. 10. Schmalcald. p. 3: *Si episcopi suo officio recte fungerentur et curam ecclesiae ac evangelii gererent, posset illis nomine caritatis et tranquillitatis, non ex necessitate permitti, ut nos et nostros concionatores ordinarent et confirmarent, hac tamen conditione, ut seponerentur omnes larvae, praestigiae, deliramenta et spectra pompae ethnicae. Quia vero nec sunt, nec volunt esse veri episcopi, sed politici dynastae ac principes, qui nec concionantur et docent, nec baptizant, nec coenam administrant, nec ullum opus et officium ecclesiae praestant, sed eos, qui vocati munus illud subeunt, persequuntur et condemnant, profecto ipsorum culpa ecclesia non deserenda nec ministris spolianda est. Quapropter sicut vetera exempla ecclesiae et patrum nos docent, idoneos ad hoc officium ipsi ordinare debemus et volumus, et hoc nobis prohibere non possunt, etiam secundum jura, quae affirmant, ab haereticis ordinatos esse vere ordinatos et illam ordinationem non debere mutari.* XII. 2

An ordinati ab haereticis iterum ordinandi. 155. Quaeritur 4. *an ordinati ab haereticis in ecclesia iterum ordinandi sint?* Lombardus lib. 4. sent. dist. 25. lit. A. dicit, *quod hanc quaestionem perplexum ac paene insolubilem faciant doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur*, ac post recitata

contraria veterum dicta subjungit lit. C: *Haec quidam ita determinant. Dicunt, haereticos accepta sacerdotali vel episcopali unctione ab ecclesia recedentes baptismi quidem dandi jus retinere, sed non habere facultatem tribuendi sacros ordines vel consecrandi Dominicum corpus, postquam praecisi et damnati sunt ab ecclesia, sicut degradatus episcopus non habet potestatem largiendi sacros ordines, facultatem tamen baptisandi non amisit* etc. *Alii vero dicunt, sacramenta ab haereticis et praecisis secundum formam ecclesiae celebrata vera esse et rata, quia recedentes ab ecclesia jus dandi et consecrandi non perdiderunt, et qui sic ab haereticis ordinantur, cum redeunt, iterum ordinandi non sunt. Quae vero ab haereticis aliter quam in ecclesia fiunt, falsa sunt et inania, et qui a talibus ordinari videntur, non munus sed vulnus accipiunt. Quidam vero dicunt, eadem sacramenta ab haereticis praecisis posse celebrari, quae a Catholicis, si ab illis forma ecclesiae servetur, et ab eis celebrata vera esse et rata, quantum ad se, quantum vero ad effectum, falsa esse et inania et in his, qui male tractant et qui male suscipiunt, et ideo irrita et falsa, quia quod promittunt et conferre creduntur, non tribuunt. Damnanda etiam dicuntur, quia illicite dantibus vel accipientibus sunt in judicium; polluta etiam dicuntur, non quantum ad se, sed propter indignam haereticorum tractationem. Nonnulli vero tradunt, illos haereticos, qui in ecclesia ordinati sunt, jus ordinandi et consecrandi etiam, cum separati fuerint, habere; qui vero in schismate vel haeresi positi ab eis ordinati et inuncti fuerint, illo jure carent, ideoque cum ordinare volunt, vulnus potius infligunt, quam gratiam conferant.* Haec Lombardus lectorem magis incertum, quam eundem accepit, a se dimittens.

156. Nos in hac quaestione sic procedimus: Ubicunque adhuc aliqua Deo colligitur et conservatur ecclesia, ibi per impositionem manuum presbyterii et publicas ecclesiae preces collata ordinatio pro rata habenda ac proinde non est iteranda, quamvis ipsum presbyterium sive ministerium illius ecclesiae non sit undiquaque purum et ab omnibus erroribus liberum. 1. Quia ordinatio non confertur privato presbyterii, sed publico totius ecclesiae nomine. Jam vero etiam illis in locis, in quibus ministerium non est undiquaque purum et ab omnibus erroribus liberum, colligitur et conservatur Deo ecclesia, modo retineatur baptismus, decalogus, symbolum apostolicum, historia passionis Dominicae et alia substantialia ac fundamentalia doctrinae Christianae capita, ut in tractatu de ecclesia ostendimus. Ergo etiam illis in locis, in quibus ministerium non est undiquaque purum et ab omnibus erroribus liberum, ordinatio ecclesiae nomine conferri potest et collata pro rata est habenda. 2. Ubicunque substantialia alicujus ritus observantur, de ritus integritate nulla
III. debet esse dubitatio. Sed in ordinatione facta a ministerio non undiquaque puro substantialia illius ritus observantur, puta preces solennes ecclesiae et impositio manuum. Ergo ibi de ritus integritate nulla potest esse dubitatio. 3. Si ab haereticis baptismi sacramentum dari censetur integrum, ut nulla repetitione opus sit, modo substantialia illius sacramenti fuerint observata, adspersio scilicet aquae in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti facta, multo magis ritus ordinationis ab haereticis collatae integer censendus, ut nulla repetitione opus sit, modo substantialia illius ritus observentur. Sed verum prius, ut ostendimus in tractatu de baptismo §. 23. ergo et posterius. Connexio majoris patet ex superioribus, nimirum quia ordinatio non est sacramentum aliquod vere et proprie sic dictum, quale est baptismus, sed ritus duntaxat ecclesiasticus. 4. Qui in V. T. a sacerdotibus variarum opinionum et corruptelarum labe maculatis ad ministerium sacrum ordinabantur ac consecrabantur, illorum ordinatio censebatur rata, Christus enim Matth. 23, v. 2. *in cathedra Moysis scribas ac Pharisaeos sedere* dicit, hoc est per sacerdotalem consecrationem ad sacri ministerii functionem evectos esse, quorum tamen antecessores, a quibus ordinati ac consecrati fuerunt, variorum errorum et corruptelarum coeno fuerunt immersi. Ergo idem judicium fieri debet de ordinatione in N. T. ab haereticis facta. 5. Eadem fuit ecclesiae veteris sententia. Augustinus lib. 2. contra epist. Parmen. c. 13. non longe a princ.: *Illud quod quidam dicunt, baptisma quod accepit non amittit, qui recedit ab ecclesia, jus dandi amittit, multis modis apparet frustra et inaniter dici. Primo quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui illud baptisma amittere non potest, jus dandi possit amittere. Utrumque enim sacramentum est et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptisatur et istud cum ordinatur, ideo non licet in Catholica ecclesia utrumque iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam praepositi pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt, etsi visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita mansit ordinatio integra, quia in praecisione fuerat vitium, quod unitatis pace est correctum, non in sacramentis, quae ubicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cum expedire hoc videatur ecclesiae, ut praepositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed super eos manent; ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat injuria* etc. *Sicut autem habens in baptismo est, quod per eos dari possit; sic in ordinatione jus dandi, utrumque quidem ad perniciem suam, quamdiu caritatem non habent unitatis. Sed tamen aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere.* Ibid.: *De his, qui ab ecclesiae unitate separati sunt, nulla jam quaestio est, quin et habeant et dare possint, sed perniciose habent, perniciose que dant, quia extra vinculum pacis sunt* etc. *Neutri sacramento facienda est injuria* etc. *sicut non recte*

habent, qui ab unitate recedunt, sed tamen habent, et ideo redeunti non redditur; sic etiam non recte dat, qui ab unitate recedit, sed tamen dat, et ideo qui ab eo accipit, venienti ad unitatem non iteratur etc. Lombardus adducit locum ex lib. 2. de unic. baptism.: *Aliud est non habere aliquid, aliud est non jure habere vel illicite usurpare. Non ergo ideo non sunt sacramenta Christi et ecclesiae, quia eis illicite utantur non modo haeretici, sed etiam omnes impii, sed illi corrigendi sunt et puniendi, illa autem sunt agnoscenda et veneranda.* (Lombardus dicit, *hoc intelligendum de haereticis, qui non sententia ecclesiae, sed pravitate sensus sui a fidei veritate ac doctrinae unitate divisi sunt, qui licet tales sint, jus tamen ordinandi et consecrandi habent.* Sed haec glossa est contraria textui, quia Augustinus diserte loquitur de haereticis damnatis, schismaticis ac praecisis.) Gregorius lib. 2. ep. 32. ad Joh. episc. Ravennatens.: *Quod dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est.*
XII. 2. 162. *Absit autem a fraternitate vestra sic sapere. Sicut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari,* quod Gregorii responsum relatum est in jus canonicum c. sicut semel dist. 68. et ad hanc quaestionem accommodatum a Lombardo d. 1. Conj. c. Quod quidam. 1. q. 1. ubi dicitur, *eos qui a Catholica ecclesia deficiunt, nihilominus ordinem retinere, non modo actu primo, verum etiam actu secundo quoad baptismi collationem.* c. Si qui c. Ostenditur. c. rebaptizare. dist. 4. de consecrat. et ordinis translatione. c. Non licet. eod.

157. Et hisce praenotatis facili negotio responderi potest ad cavillum Jacobi Reihingi Jesuitae in fundam. 3. relig. Cathol. p. 59: *Quis te* (inquit) *Luthere sacerdotio inauguravit? quis tibi offerendi et peccata remittendi potestatem impertivit? Catholicus episcopus? Verus an falsus? Pastor an lupus? Si pastor, ab illo discedens lupus factus es; si lupus, quis te a lupo factum pastorem agnoscat? Praeclare profecto actum, si quis ovem lupo committat. Vide in quem te gurgitem injeceris. Si episcopi Catholicae ecclesiae cum ab iis te segregares, veri pastores fuerunt, apostasiae tuae crimen est manifestum. Si omnes illi lupi, primo mendacium de nunquam interitura verorum episcoporum serie scripsisti, deinde de mediata tua vocatione causa cecidisti.* Respondemus: 1. illud in genere objici posset omnibus, qui ab haereticis ordinati ad ecclesiae gremium redeunt. Jam vero jura Pontificia affirmant, etiam ab haereticis ordinatos vere esse ordinatos et illam ordinationem non debere mutari, quod merito urget Lutherus art. 10. Schmalcald. p. 3. 2. Episcopus ille, a quo Lutherus fuit ordinatus, quamvis papisticis erroribus fuerit immersus, tamen fuit vocatus et constitutus ecclesiae episcopus. Diverso igitur respectu fuit et verus et falsus episcopus. Verus episcopus fuit, quatenus in officio episcopali constitutus aliqua doctrinae capita retinuit ac docuit incorrupta, administravit baptismum (si tamen administravit) et per ritum ordinationis ministerium idoneis personis commendavit. Falsus episcopus fuit, quatenus sinceritatem divini verbi falsis interpretationibus corrupit, papalium traditionum fermentum illi immiscuit, sacrificium missae loco coenae Dominicae celebravit etc. Proinde cum ordinatio ministrorum sit pars officii episcopalis, ideo episcopus ille, a quo Lutherus ordinatus est, hactenus et hoc respectu, hoc est quando Lutherum et alios ordinavit, non fuit lupus, sed verus episcopus. Vicissim quando idem episcopus amplexus est ac propugnavit errores papales quibus fuit immersus, tunc hactenus et hoc respectu, non functus est veri episcopi sive pastoris officio, sed falsum episcopum, imo lupum hac in parte se praestitit et hactenus secessionem ab ipso facere Lutherus non solum jure potuit, sed etiam omnino debuit. 3. Declarari illud potest simili exemplo: Tempore Christi in his terris docentis *scribae et Pharisaei sedebant in cathedra Moysis*, hoc est constituti erant in munere ecclesiastico. Quatenus igitur in cathedra Moysis sedebant, hoc est consentanea Mosaicae doctrinae proferebant et actus ad officium ipsorum pertinentes exercebant, eatenus erant audiendi et eatenus ipsorum sacris erat utendum, Matth. 23, v. 2. quatenus vero *fermentum suum*, hoc est falsam doctrinam immiscebant, Matth. 16, v. 6. et 12. eatenus erant fugiendi et ab ipsorum fermento erat cavendum. Sic episcopus ille, a quo Lutherus fuit ordinatus, quatenus in officio ecclesiastico constitutus quaedam divino verbo consentanea docebat, eatenus audiendus erat, et quatenus officii sui partes exsequebatur, eatenus ipsius sacris utendum erat; sed quatenus corruptelas proferebat, spargebat ac propugnabat, eatenus erat deserendus. 4. Semper igitur distinguendum officium a persona. Quod episcopus ille Lutherum ordinavit, ad ipsius officium pertinuit, quod papalibus erroribus fuit immersus, personale fuit; jam vero ex vitio personae sacramentorum, nedum ordinationis integritati nihil decedit, modo substantialia observentur. 5. Ac probe notandum, quod episcopus ille Pontificius, a quo Lutherus fuit
ordinatus, non suo sed ecclesiae (quam in medio XII.
papatu conservatam fuisse constat) nomine et auctoritate ordinationem peregerit quodque in ipso ordinationis ritu ad docendum verbum Dei ipsum adstrinxerit, quare cum Lutherus videret dogmata quaedam tunc temporis publice recepta cum verbo Dei pugnare, vi ipsius vocationis et ordinationis ea reprobare et impugnare obstrictus fuit. 6. Superius etiam monuimus, quamvis ordinationis ritus in ecclesia Pontificia multis superstitiosis et inutilibus ceremoniis sit vitiatus, ex eo tamen ipsius ordinationis essentiae nihil decedere, ideoque in ipsa ordinatione distinguendum esse divinum ab humano, essentiale ab accidentali, pium et Christianum ab Antichristiano. 7. Ex quibus omnibus colligitur, nec mediata sua vocatione Lutherum cecidisse, nec mendacium de nunquam interitura ecclesia scripsisse. Scribit quidem in comm. c. 1. Galat. *mediatam vocationem esse necessariam eamque usque ad finem mundi*

duraturam, sed nuspiam addit, ministerium ecclesiasticum, a quo mediate vocati ordinantur, semper ac perpetuo fore purum et incorruptum.

158. Quaeritur 5. *an ordinandus sit, qui nondum vocatus est ad certum aliquem locum?* Negamus, quia ordinatio est vocationis declaratio et testificatio, proinde ubi nulla vocatio praecessit, ordinatio conferri haudquaquam debet. **Ita pronuntiatum a theologis Jenensibus in literis ad Augustum ab Assenburg 11. Jul. an. 1601. Anno 1597. incidit hac de re controversia inter theologos Jenenses; D. Fischerus et D. Reudenius judicarunt ad postulatum senatus Stralsundensis, M. Matthiam Cnopffium esse ordinandum, qui tamen ad certam functionem ecclesiasticam nondum erat vocatus; D. Mylius contrarium judicavit usus his rationibus: 1. Ab *auctoritate sacrosancta.* 1. Tim. 5. v. 22: *Manus cito nemini imponas* etc. Cito autem et temere videtur imponere, qui ab ecclesia non vocato et ad ecclesiam certam non vocato manus imponit. Et cum ministerio posthabito, nedum plebe, senatus solus hoc illegitime flagitet, alienis peccatis consensu nostro communicabimus. 2. Ab *auctoritate ecclesiastica.* In concilio Chalcedonensi aperte sancitum legitur anno 488. in conventu 630 episcoporum: *Nullus absolute ordinari debet presbyter aut diaconus, nec quilibet in gradu ecclesiastico, nisi specialiter ecclesiae civitatis aut possessionis, aut monasterii, qui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur, decrevit sancta synodus, irritam haberi hujusmodi manus impositionem et nusquam posse ministrare ad ordinantis injuriam*, tom. 2. conc. f. 325. 3. *A firma ratione.* Qui absolute ordinatur, non ecclesiae minister ordinatur, sed apostolus constituitur, qui extra certum locum ubivis docere queat. At hoc illicitum.** In jure canonico exstat peculiaris dispositio, *quod nullus sine titulo ordinari debeat*, dist. 70. in qua Gratianus sic loquitur: *Ab episcopis alterius civitatis clericus ordinari non poterit, nec etiam a proprio absolute ordinandus est, absoluta enim ordinatio in Chalcedonensi concilio prohibetur et vacuam habere manus impositionem praecipitur, in quo sic statutum est c. 6. act. 15: Neminem absolute ordinare jubemus presbyterum neque diaconum, neque quemlibet in ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in ecclesia suae civitatis sive possessionis aut in martyrio aut in monasterio hic, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicae vocabulum; eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus vacuam habere manus impositionem et nullum tale factum valere ad injuriam ipsius, qui eum ordinavit.* Item ex concilio Urbani habito Placentiae: *Sanctorum canonum statutis consona sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur.*

159. Quaeritur 6. *quid de ceremoniis ordinationis statuendum sit?* Duae potissimum in ordinatione ab episcopis Pontificiis adhibentur ceremoniae, *impositio manuum atque unctio.* Impositionem manuum in nostris ecclesiis retinemus, unctionem repudiavimus. *Χειϱοϑεσίαν* illam adhibemus, non quasi sit symbolum aliquod sacramentale ab ipso Christo institutum 1. Χειϱοϑεσία.
et in hoc ritu adhiberi mandatum, sed libere hac ceremonia utimur, tum quia ex usu ecclesiae apostolicae descendit, Act. 6, v. 6. 1. Tim. 4, v. 14. XII. 2. 164.
c. 5, v. 22. 2. Tim. 1, v. 6, (ubi pie cogitandum, cum Christus non impositione manuum, sed insufflatione usus sit, quando apostolis dabat potestatem ligandi et solvendi, Johan. 20, v. 22. quare apostoli ritu χειϱοϑεσίας potius uti voluerint, quam insufflatione Christi exemplo comprobata? procul dubio ideo noluerunt uti insufflatione, primo ne existimaretur, ad ritum illum ab ipso Christo usurpatum gratiam ministerii esse alligatam, id enim ex Christi exemplo apostolorum praxi comprobato facile quis colligere potuisset; deinde ut maneret evidens discrimen inter Christum et apostolos; Christus per insufflationem confert Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus *ut spiraculum omnipotentis* ex intimo ore essentiae ipsius ab aeterno ab ipso ut et a Patre procedit sed apostoli non possunt eo modo conferre Spiritum sanctum); tum quia utiles praebet commonefactiones. Cum enim ordinatio complectatur publicam vocati designationem ac preces, quae ab universa ecclesia super personam vocatam fiunt, ideo notante D. Chemnicio in exam conc. Trident. part. 2. cap. de sacr. ordin. p. 401. ad utrumque ritus χειϱοϑεσίας, in populo Israëlitico alias usitatus, apostolis visus fuit accommodatus, 1. ut persona illa ecclesiae publice designaretur ac renuntiaretur legitime esse electa et vocata, hoc enim ritu Moyses Num. 27, v. 18. Deut. 34, v. 9. populo designat et renuntiat vocationem Josuae successoris sui. 2. Ut hoc ritu ille, qui vocatus erat, de legitima et divina sua vocatione confirmaretur et simul admoneretur, se destinari, addici et quasi devoveri ad ministerium et cultum Dei. Sic victimis olim imponebantur manus, Levit. 1, v. 4. etc. 3. Ut esset quasi publica et solennis ecclesiae coram Deo protestatio, in electione et vocatione servatam esse formam et regulam a Spiritu sancto praescriptam, ideo Paulus inquit 1. Tim. 5, v. 22: *Manus cito nemini imposueris, nec communices peccatis alienis.* 4. Ut illo visibili ritu significetur, Deum approbare vocationem, quae fit voce ecclesiae, sicut enim voce ecclesiae ministros eligit, ita etiam testificatione ecclesiae vocationem approbat. Ita diaconorum vocatio approbatur Act. 6, v. 6. et inde fit, quod Deus largitur gratiam per impositionem manuum. 5. In orationibus quando super personam aliquam invocabatur nomen Domini, adhiberi solebat impositio manuum, quia persona illa quasi offerretur Deo et sisteretur in conspectu ipsius, additis supplicationibus, ut Deus gratiam et benedictionem suam illi largiri dignaretur. Sic Jacobus patriarcha *imponit manum pueris*, quibus benedicit Gen. 48, v. 14. ita Christus *imponens manum* benedicit parvulis Matth. 19, v. 15. Marc. 10. v. 16. ac presbyteri *orant super aegrotos* Jac. 5, v. 14. Ut igitur in ordinatione ministrorum considerata muneris illius utilitate et difficultate, propo-

sitis etiam impedimentis Satanae, mundi et carnis significaretur, quam necessaria sit peculiaris gratia et benedictio divina, atque ita oratio ecclesiae accenderetur et juxta Jacobum redderetur actuosa seu operosa, ideo adhibitus fuit externus ritus impositionis manuum, additum etiam fuit jejunium ordinationi etc. Hactenus D. Chemnicius, quibus addi potest, 1. quod Num. 8. v. 10. *Israëlitae jubentur manus suas ponere super Levitas* ad ministerium consecrandos. Ita quoque totius ecclesiae nomine presbyterium imponit manus in ordinatione ministrorum. 2. quod in *conferendis visibilibus Spiritus sancti donis* manuum impositio adhiberi fuerit solita, Act. 8, v. 15. c. 19, v. 6. Ita quoque impositio manuum est signum, quod Deus piis ecclesiae precibus invocatus dona Spiritus s. ad ministerium necessaria personae ordinatae conferre velit. Ob hasce rationes χειροθεσίας ritum in ecclesiis nostris in ordinationibus ministrorum adhuc retinemus, nec probari nobis potest illud, quod referente Bucano loco 42. de min. pag. 507. quidam (Calvinianorum) *ad vitandam necessitatis vel cultus opinionem manus porrectione tanquam fidei, amoris, societatis et consensionis in doctrina symbolo uti malint apostolorum exemplo, qui Paulo et Barnabae dextram societatis dederunt*, Galat. 2, v. 9.

XII. 2. 165. 2. Unctio. 160. *Unctio*, quam Pontificii in ordinatione adhibent, peragitur modo eo, ut chrismate consecrato caput et manus ordinandi a pollice dextro versus sinistrae manus digitum indicem, et vice versa a sinistro pollice versus indicem in manu dextra ab episcopo vel ejus suffraganeo illinantur. De hujus unctionis significatione mystica tractat Innocentius lib. 1. decretalium tit. 15. de sacra unctione: *Unctio visibilis et exterior* (inquit) *signum interioris et invisibilis unctionis, ad exhibendum autem exteriorem et visibilem unctionem benedicitur oleum et conficitur chrisma, quod ex oleo fit et balsamo, mystica ratione. Per oleum enim nitor conscientiae designatur, per balsamum odor famae exprimitur. Hoc ergo chrismate ungi debet episcopus, non tam in corpore quam in corde, ut et interius nitorem conscientiae quantum ad Deum et exterius habeat odorem famae quantum ad proximum* etc. *Hoc unguento caput et manus episcopi consecrentur. Per caput enim mens intelligitur, per manus opera intelliguntur. Manus igitur inunguntur oleo pietatis, ut episcopus operetur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Caput autem ungitur balsamo caritatis, ut episcopus diligat Deum ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente sua, et proximum suum sicut se ipsum. Caput inungitur propter auctoritatem et dignitatem, et manus propter ministerium et officium. Caput inungitur, ut ostendatur illius repraesentare personam, de quo dicitur per prophetam: Sicut unguentum in capite caput enim viri Christus, caput Christi Deus* etc. *Manus episcopi inunguntur, ut ostendatur accipere potestatem benedicendi et consecrandi.* Durandus lib. 1. rational. div. offic. c. 8. num. 14: *Circa unctionem ordinandorum notandum est, quod manus presbyteri ab episcopo inunguntur, ut cognoscat, hoc sacramento se per Spiritum s. suscipere virtutem et gratiam consecrandi, unde episcopus ea inungens dicit: Consecrare et sanctificare digneris, Domine manus istas, per istam unctionem et nostram benedictionem, ut quaecunque consecraverint, consecrentur, et quaecunque benedixerint, benedicantur in nomine Domini. Ideoque viri devoti osculantur manus sacerdotum statim post ordinationem eorum credentes per hoc orationum illorum et bonorum operum participes fieri. Et unguntur oleo sacro, quod opera misericordiae pro viribus ad omnes debeant exercere, per manus enim opera, per oleum misericordia designatur. Unguntur etiam oleo, ut humidi sint ad offerendum Deo hostiam pro peccatis et largi ad certa officia pietatis; rursus ideo impositio manus cum oleo super caput ordinandi fit, quia per manus opus, per digitos dona Spiritus sancti et per caput mens intelligitur. Manus ergo imponitur, quia donis Spiritus sancti imbutus ad opera Christi mittitur.*

161. Quamvis vero unctionis ritus non simpliciter a nobis damnetur, cum non solum in V. T. ex mandato et institutione divina sacerdotes ac reges uncti fuerint, sed etiam in coronatione et investitura regum in N. T. libere usurpari possit, ut docet exemplum regis Daniae a Bugenhagio consecrati; tamen Pontificiam illam unctionem, quam in ordinatione adhibent, probare nec possumus, nec debemus, 1. quia conjunctam habet opinionem necessitatis, cum tamen nec Christus, nec apostoli externam unctionem in ordinatione ministrorum adhibuisse, multo minus mandatum aliquod de hoc ritu tradidisse legantur. Christus insufflatione, apostoli manuum impositione leguntur usi, sed de unctione verbum nullum. Regerit Bellarminus libr. de sacram. ordinis c. 12. *contrarium probari posse, cum Dionysius c. 4. hierarch. eccles. dicat, pontificem uti sacro oleo in omni fere consecratione pontificali, idque traditum esse ab apostolis.* Respondemus: Dionysii illud scriptum supposititium esse multis argumentis confirmari potest, quae videantur apud Illyricum in catal. testium veritatis. Adde, quod fictitius ille Dionysius in sua hierarchia quidem tradat, *episcopum uti unguento ad omnem ferme sacerdotalis officii functionem*, interim tamen in ordinatione nullam faciat unctionis mentionem, sed adhiberi tantum impositionem manuum referat, ut constat ex c. 5. Nunquam igitur ex Dionysio probare poterit Bellarminus, Christum et apostolos unctionis ceremonia fuisse usos, quod agnoscit ipse Piggius, ideo aliter ad argumentum nostrum respondet, *videlicet in rudi illo Christianitatis exordio, nondum ordinata constitutaque hierarchia et disciplina ecclesiastica, plurima perfunctorie ex quadam Spiritus dispensatione peracta fuisse ab apostolis, quae postea praescriptam certamque formam receperint.* Unctionis igitur ceremonia non descendit ab institutione vel exemplo apostolorum, sed ex κακοζηλίᾳ Levitici cultus aliquot post Christum natum

seculis in ecclesiam introducta est. Ambrosius enim de dignit. sacerdot. c. 5. non unctionis, sed tantum impositionis manuum meminit. *Homo* (inquit) *imponit manus, Deus largitur gratiam; sacerdos imponit supplicem dextram et Deus benedicit potenti dextra.* Augustini etiam tempore in concilio Africano 4. ubi ritus ordinationis describuntur, non unctionis, sed tantum impositionis manuum et aliorum rituum fit mentio. Et in tota ecclesiastica historia, item in tripartita, ubi multa exempla ordinationis describuntur, nusquam mentio fit adhibitae unctionis, sed tantum impositionis manuum. Afferunt quidem ex Cypriani sermone de chrismate aliquid, sed constat, illum sermonem non esse Cypriani; ipse Cyprianus in veris suis scriptis, cum saepius de ordinatione scribat, unctionem fuisse adhibitam non meminit, imo Innocentius de sacra unctione fatetur circa annum Domini 1200. *in Graeca ecclesia nondum fuisse morem unctionis in ordinandis presbyteris et consecrandis episcopis*, et addit, *fuisse antiquos quosdam, qui dixerunt, ecclesiam judaizare, cum unctionis celebrat sacramentum.* Haec D. Chemnicius in exam. conc. Trid. iisdem verbis proponit, sed Bellarminus audacter respondet, *ista omnia esse mendacia, cum lib. 10. hist. eccles. Eusebii c. 4. fiat aperta mentio unctionis sacerdotalis, ac Simeon Metaphrastes in vita sancti Joh. Chrysostomi tom. 1. apud Surium scribat, eum inunctum fuisse, cum episcopus fieret Constantinopolitanus, quod ipsum etiam referat Petrus Chrysologus de S. Severo; cumque unctionis sacerdotum mentionem faciant Pacianus in epist. 3. ad Sempronianum et Gregorius lib. 4. in lib. Regum c. 5. In verbis Innocentii pro antiquis legendum censet aliqui; negat denique, Judaismum esse uti rebus, qubius utebantur Judaei, si id fiat cum alia verborum forma et alio ritu atque ad alium finem, alioqui etiam foret Judaismus uti aqua in baptismo et pane in eucharistia.* Respondemus: 1. quaestio est non de unctione per se et simpliciter considerata, sed de unctione Pontificia sub opinione necessitatis tanquam ceremonia vere sacramentali ab apostolis instituta in ordinatione adhibita. Quamvis igitur a veteribus unctionem adhibitam fuisse doceri posset, nondum tamen evictum foret, quod sub opinione necessitatis tanquam ceremonia vere sacramentalis ab apostolis tradita et ab ipsis adhibita fuerit. 2. Verba Eusebii orationem panegyricam recitantis sic habent: *Amici Dei et sacerdotes, qui sacra talari tunica coelestisque gloriae corona et divino chrismate, denique sacerdotali sancti Spiritus stola decorati estis* etc. At ex eo nondum firmiter colligi potest, in sacerdotum ordinatione adhibitam fuisse unctionem, cum non describatur historice, quid in conseratione actum fuerit, sed in panegyrico illo encomio dicantur *divino chrismate decorati*, quod de interiore Spiritus sancti unctione recte accipi potest, ut oppositio fiat inter externam sacerdotum unctionem in V. T. usitatam et inter internam Spiritus sancti unctionem, qua N. T. ministri sint decorati. 3. Metaphrastis testimonium ex Surio mendaciorum architecto petitum parum obtinet roboris. Asserit ibidem fictitius ille Metaphrastes, *cum episcopus Antiochenus Chrysostomo manus imponeret, continuo descendisse in eum visibiliter Spiritum sanctum in forma columbae*, quas nugas recitat et probat Bellarminus de sacr. ord.
c. 9. §. Denique. 4. In Ambrosio, Augustino et XII. 2. 167.
Cypriano negavit Chemnicius in ordinationum descriptionibus mentionem unctionis fieri, quodsi vel maxime in recentioribus, videlicet Gregorio et auctore libri de operibus cardinalibus Christi, unctionis mentio fiat, illud tamen Chemnicium nullius mendacii convincit. Pacianus sacerdotem vocat *unctum*, id nondum probat in ipsa ordinatione unctionem adhibitam fuisse, potest enim denominationis ratio a spirituali unctione descendere, ac si vel maxime etiam ab externa unctione petita sit, tamen potuerunt in confirmatione, in professione religionis, ut vocant, inungi. 5. Innocentius utrumque asserit, *et neglectam unctionis ceremoniam a Graecis fuisse, et ab antiquis ob Judaicam κακοζηλίαν eandem explosam*, temere igitur suspicatur Bellarminus, pro antiquis legendum esse aliqui. 6. Lombardus disertis verbis testatur, *unctionem ex V. T. transsumtam fuisse*, quod cum sine Christi et apostolorum exemplo factum sit ac nihilominus sub opinione necessitatis ecclesiae obtrudatur, merito κακοζηλίας Judaicae loco habetur. Nec quidquam proficit Bellarminus, aquam baptismi et panem eucharistiae huc afferendo, est enim ratio maxime dispar inter haec signa sacramentalia ab ipso Christo divinitus instituta et definita et inter ritum ordinationis liberum atque adiaphorum; sola Christi institutio, non autem ecclesiae usus liber atque adiaphorus ceremoniam vere sacramentalem conficere potest. Adde quod aqua et panis ad illum finem et cum illa verborum forma non fuere in V. T. usurpata, sed in ordinatione V. ac N. T. communi idem finis, idem ritus, nec ullibi certa verborum forma exstat praescripta.

162. 2. Improbamus etiam Pontificiam unctionem hoc nomine, quod statuunt, eam non solum necessariam, sed etiam vere *sacramentalem ceremoniam* esse, hoc est non signum duntaxat, sed etiam *medium spiritualis et invisibilis unctionis*, Bellarminus de sacr. ordin. c. 12. Atqui ut ceremonia aliqua sit vere sacramentalis, requiritur divina institutio, proinde si vel maxime perpetuam ecclesiae praxin in ritu unctionis demonstrare possent, nondum tamen ex ea inferri posset, esse ceremoniam vere sacramentalem, quia ad id requiritur expressa Dei institutio, quae non potest de hac unctione ostendi. Durandus lib. 6. rational. div. offic. c. 74. num. 4.: *Alii dicunt, quod oleum infirmorum apostoli instituerunt, qui cum illo aegrotos ungebant; oleum vero chrismatum et catechumenorum apostolici viri constituerunt, ideo consideratio olei infirmorum prior est tempore quam chrismatis et etiam quam olei sancti, quia prior et major et venerabilior est doctrina apostolorum quam papae.* 3. Denique propter exorcisationes, quibus cum abusu nominis divini in

praeparatione chrismatis, quod ad ordinationem adhibere cogitant, utuntur. Videatur ceremoniale Romanum et Durandi rationale loco proxime citato.

Vestis linea. Cerei accensi. Signa crucis. Rasura ordinandorum.

163. Praeter manuum impositionem atque unctionem episcopi Pontificii etiam alias in ordinatione adhibent ceremonias, utpote *vestem lineam cereos accensos, signa crucis* etc. Ordinandi et consecrandi jubentur etiam uti rasura capillorum, de qua Bellarminus l. d. asserit, *quod etsi sit ceremonia sacerdotum, non tamen fiat in ipsa consecratione sacerdotali.* Fabius Incarnatus in scrutinio sacerdotali part. 1. tract. 2. c. de sacram. ordin. p. 107. de tonsura dicit, *quod sit signum distinctivum ministrorum ecclesiae a plebe communi;* p. 108. *quod fiat circulariter ad modum coronae, item quod fiat in ea rasio capillorum ad denotandum, quod qui vult servire Deo, debeat renuntiare superfluitati terrenorum; quod rasio illa fiat in summitate capitis ad denotandum, quod clerici mentem debeant habere ad Deum elevatam.* Ibid. concludit, *quod tonsura non sit ordo, sed dispositio ad ordines, non necessitate, sed congruitate, quia si non tonsuratus ordinaretur, vere reciperet ordinis sacramentum, quamvis etiam ipse ordinator talem scienter ordinans graviter peccaret, quia ordinari non debet*
XII. 2. 168. *nisi clericus et sine tonsura clericus non est.* arg. dist. 83. c. Psalmista §. Clerici. Sed haec omnia magis distincte explicat Durandus lib. 2. ration. div. offic. cap. 1. num. 26. *Circa coronam clericorum* (inquit) *tria attendenda sunt, scilicet capitis abrasio, capillorum detruncatio, formae circulatio. Ac capitis abrasionem tria sequuntur, scilicet munditiae conservatio, deformatio et denudatio. Munditiae conservatio, quia ex capillis sordes in capite aggregantur; deformatio, quia capilli ad ornatum sunt, significat ergo tonsura, quod clerici non debeant habere exquisitum habitum exterius; denudatio in superiore parte capitis significat, nullum debere esse medium inter Deum et nos. Radimus caput relictis inferius in modum coronae capillis, quia caput mentem significat, capilli vero seculares cogitationes. Detruncatio capillorum significat, clerici omnes superfluas cogitationes debent a mente abscindere. Formae circulatio fit propter multa, 1. in signum, quod rex noster Christus in ara crucis se ipsum oblaturus spineam coronam portavit; 2. circulus capillorum virtutem aequalitatis undique rationi congruentem designat; 3. haec figura non habet principium nec finem, per quod datur intelligi, quod clerici sint ministri Dei, qui non habuit principium nec habebit finem; 4. haec figura nullum habet angulum, per quod significatur, quod clerici non debent habere sordem in vita, quia ubi angulus, ibi sordes; 5. haec figura est omnium figurarum pulcherrima, per quod significatur, quod clerici debent habere pulchritudinem interius in mente et exterius in conversatione; 6. haec figura est omnium simplicissima, per quod significatur, quod clerici debeant habere simplicitatem columbinam; 7. corona clericos specialiter esse regnum Dei demonstrat.* Videat ibi plura, qui hisce ineptiis delectatur.

164. Episcopus cum ordinatur, duo episcopi tenent evangeliorum codicem super caput et cervicem sive humeros ejus, capiti ejus imponitur mitra, datur ei annulus, baculus, chirothecae etc. quae esse substantialia hujus sacramenti statuit Durandus lib 3. rationalib. div. offic. c. 11. atque eorum omnium mysticam rationem late exponit. Episcopi etiam in die consecrationis consueverunt equitare in equis albo panno coopertis, quod idem lib. 1. c. 8. num. 22. propterea dicit fieri, ut repraesentetur illud, quod legitur Apoc. 19: *Exercitus qui sunt in coelo, sequuntur illum in equis albis, siquidem exercitus, qui sunt in coelo, sunt boni et justi viri et praelati, qui quotidie sequuntur pro coelestibus Deum in omnibus operibus bonis, qui ideo dicuntur esse in coelo, quia sola coelestia diligunt et quaerunt.* Sed relinquamus tandem illas inutiles, superstitiosas et pomposas ceremonias apostolicae et primitivae ecclesiae penitus ignotas. Ordina[tio] episco[pi] in papa[tu]

165. Quaeritur 7. *quis sit effectus et fructus ordinationis?* Bellarminus de sacram. ordin. c. 10. scribit, *duplicem esse hujus sacramenti effectum, primo potestatem spiritualem perpetuam, in cujus signum inprimatur character; secundo gratiam gratum facientem, qua possint ordinati rite fungi suo munere.* Sed de fictitio illo charactere egimus in tract. de sacram. quem non injuria quis dixerit esse characterem illum, qui describitur Apoc. 13, v 16. Nos in ordinatione conferri et augeri Spiritus sancti dona ad partes ministerii ecclesiastici obeundas necessaria non negamus, interim tamen distinguimus inter *gratiam reconciliationis* sive remissionis peccatorum, et inter *gratiam ordinationis*, cum multi accipiant gratiam ordinationis, qui tamen non accipiunt gratiam reconciliationis, deinde collationem et augmentum donorum ad ministerium necessariorum nequaquam tribuendum dicimus impositioni manuum tanquam symbolo alicui sacramentali vere sic dicto ac divinitus instituto, sed precibus ecclesiae et presbyterii, quibus promissio de exauditione divinitus est facta. 7. Quis sit effec[tus] et fruct[us] ordinationis.

SECTIO XIII. XII. 2. 1[69.]

DE EXAMINE ORDINATIONI PRAEMITTENDO.

166. Graviter monet apostolus Timotheum episcopum 1. Tim. 5, v. 21: *Testor coram Deo et Christo Jesu et electis angelis, ut haec custodias sine praejudicio, nihil faciens in partem alienam declinans,* v. 22. *manus cito nemini imposueris, neque communices peccatis alienis,* ubi posterius membrum est αἰτιολογικὸν prioris, ideo scilicet manus in ordinatione non esse cito, hoc est absque gravi judicio et diligenti exploratione alicui ab epi- Examini ordinationi pra[e]mittendi necess[it]

scopo imponendas, ne peccatorum alienorum fiat particeps, quidquid enim hujusmodi inepti ecclesiae ministri postmodum delinquunt, ejus culpa aut certe pars culpae promotoribus imputatur. Ambrosius in comm. illius loci sic scribit: *Sub testatione ea, quae ad ordinationem mandat custodiri, praecipit, nihil fieri sine praejudicio, ne facile aliquis accipiat ecclesiasticam dignitatem, nisi prius de vita et moribus eius fuerit disputatum, ut dignus approbatus minister aut sacerdos constituatur, ut non postea, si reprehensibilis videatur, poeniteat forte principem populi non ad liquidum praejudicasse quid mereretur, quem improbabiliter ordinavit, nec illum, cuius peccata ad suspicionem veniunt, ordinandum, ne commaculetur ordinator vitiis et delictis eius. Si ergo omnino latentia sunt delicta, immunis erit rector, quia conscientia eius libera est, suspicio enim trepidum facit. Peccat enim, si non probat et sic ordinat, melior enim ceteris debet probari, qui ordinandus est. Non sufficit, si sine crimine sit, quia merita eius debent praeire bonorum operum, ut pignus habeatur ad ordinationem.* Requiritur igitur δοκιμασία sive examen aliquod ordinationi praemittendum juxta praescriptum apostoli 1. Tim. 3, v. 10: *οὗτοι (διάκονοι) δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, εἶτα διακονείτωσαν, probentur primum et tunc suscipiant diaconorum munus.* Hincmarus Remorum episcopus tale dedit rescriptum: *Adducite examinandum, quia ut longe ante nos dictum est, non est facile dimittendus, cui est proximus committendus. Qui enim loco docti ordinat indoctum, is facit eum magistrum, qui debebat esse discipulus, et offert coecum animal.*

167. Exstat decretum concilii Carthaginensis IV. de examine ministrorum citatur c. Qui episcopus. dist. 23: *Qui episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si pervigil, si semper suis negotiis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus vel acutus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, et ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat* etc. postea enumerantur praecipua doctrinae coelestis capita eo tempore in ecclesia maxime controversa, de quibus ordinandus examinari praecipitur. Concil. Laodic. c. 12. et citatur c. Episcopi dist. 24: *Episcopi judicio metropolitanorum et eorum episcoporum, qui circumcirca sunt, promoveantur ad ecclesiasticam dignitatem, ii videlicet, qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quam rectae conversationis exemplo.* Ivo Carnotensis lib. 3. de consecr. episc. ex concil. Nannetensi, et citatur c. Quando. dist. ead.: *Quando episcopus ordinationem facere disponit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem vocandi sunt ad civitatem una cum presbyteris, qui eos repraesentare debent, et tunc episcopus a latere suo eligere debet sacerdotes et alios prudentes viros gnaros divinae legis, exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, aetatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene literati, si instructi in lege Dei, ante omnia diligenter investigent, si fidem catholicam fiirmiter teneant et verbis simplicibus asserere queant. Ipsi autem, quibus cura commit-* XII. 2. 170
titur, cavere debent, ne aut favoris gratia, aut cujuscunque muneris cupiditate illecti a vero devient, ut indignum et minus idoneum ad sacros gradus suscipiendos episcopi manibus applicent, quodsi aliter fecerint, et ille qui indigne accesserit, ab altari removebitur, et illi qui donum Spiritus sancti vendere conati sunt, coram Deo jam condemnati ecclesiastica dignitate carebunt; igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, et sic sabbatho qui probati sunt, episcopo repraesententur; alias autem sine clericorum videlicet consilio et populi testimonio nullum episcopus ordinare praesumat. Examen illud si omittatur vel negligenter tractetur, evenire solet illud, de quo graviter conqueritur Nazianzenus apologia: *Illotis manibus ac membris profanis sacratissimis se rebus ingerunt gradumque sibi vendicant haud secus, quam si hunc ordinem non virtutis exemplar, sed principatum quendam, in quem inquirere non liceat, esse putent.* **Imperat. Nov. 123. c. 12: *Clericos non aliter ordinari permittimus, nisi literas sciant et rectam fidem vitamque habeant honestam et neque concubinam neque naturales habuerint aut habeant filios, sed caste viventes, aut uxorem legitimam habentes.* c. 1. dist 36: *Illiteratos nullos praesumat ad clericatus ordinem promovere.*** Similia exstant apud eundem in monodia in laudem Basilii, apud Chrysostomum lib. 1. de sacerd. Cyprianum serm. 5. de lapsis, Augustimum epist. 148. Hieronymum in cap. 1. Tit. etc.

168. In hoc examine diligenter inquirendum in ordinandi qualitates, an scilicet ἱκανότης ad ministerii ecclesiastici partes rite obeundas necessario requisita in ipso adsit. 2. Tim. 2, v. 2: *Ea, quae audivisti a me per multos testes, commenda fidelibus hominibus, οἵτινες ἱκανοί, qui idonei erunt, etiam alios docere.* Si dicas, negari ab apostolo, quenquam esse ad tantum ac tam arduum munus idoneum, 2. Cor. 2, v. 16. respondeo, explicationem capite sequente statim addi: *ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ*, 2. Cor. 3, v. 5. Pertinet vero ad illam ἱκανότητα 1. *confessionis sinceritas.* Inquirendum igitur sedulo, an ordinandus sit confessioni verae doctrinae in propheticis et apostolicis scriptis propositae et in libris symbolicis repetitae sincere addictus. Cum enim primarium ac principale pastoris officium sit puram et incorruptam doctrinam populo fidei suae commisso proponere, Mal. 2, v. 7. Matth. 13, v. 52. etc. ideo omnino requiritur, ut a fanaticis opinionibus et haereticis erroribus immunis sit, qui huic muneri praeficiendus, ne pascua Dominici gregis veneno haeretico inficiat ad aeternum ovicularum Christi sanguine redemtarum perniciem et exitium. *2. Docendi dexteritas.* Cum enim episcopus, hoc est qui-

Materia examinis.

libet minister ecclesiae, debeat esse διδακτικός 1. Tim. 3, v. 2. ideo in examine ordinationi praemittendo inquirendum, an dono docendi sit instructus. Quae ad illud docendi donum requirantur, duobus vocabulis Christus complectitur Luc. 21, v. 15: *Dabo vobis* στόμα καὶ σοφίαν, ubi per σοφίαν intelligitur σύνεσις πνευματική, per στόμα vero δύναμις ἑρμηνευτική, quorum utrumque ad docendi donum requiritur, et cui illa adsunt, is etiam docendi dono instructus est. De συνέσει dicitur Mal. 2, v. 7: *Labia sacerdotis custodiant scientiam, ut legem requirant ex ore ejus;* de δυνάμει ἑρμηνευτικῇ 2. Tim. 2, v. 2: *Commenda ea, quae a me audivisti, fidelibus hominibus, qui sint idonei ad docendum alios.* Ad σύνεσιν πνευματικήν pertinet cognitio sanae doctrinae, cujus fundamenta ex verbo Dei ordinandus debet omnino scire, ut eam pro ratione vocationis contra adversariorum corruptelas asserere ac tueri possit, ita namque inter cetera describit apostolus episcopum Tit. 1, v. 9. quod debeat esse ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δυνατὸς ᾖ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. ἀντέχεσθαι *est rem aliquam arcte tenere, fortiter alicui rei adhaerere ac velut unguibus ita ei affixum esse, ut ab ea avelli nequeat,*
XII. 2. 171. interprete Wellero in libro de offic. eccles. polit. et oecon. Requiritur igitur ab episcopo, ut in veritate doctrinae fundamentaliter et recte cognitae sit constans nec patiatur, *se quovis novarum opinionum vento circumagi* Eph. 4, v. 14. Requiritur etiam ab ipso, ut veritatem doctrinae contra adversarios, ἀντιλέγοντας, possit tueri ac vanitatem et falsitatem objectionum adversariarum detegere. Qui absque tali συνέσει et necessaria articulorum fidei cognitione in cathedras irruunt, illi ut habet Nazianzeni dictum in apologet. fugae fol. 22. ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνουσιν, *figulinam in dolio discunt*, hoc est aliarum animarum periculo pietatem meditantur. Eccl. 18, v. 23: *Ipse disce primum, antequam alios doceas. Levitae* per quinquennium instituebantur, antequam ministerio applicarentur, ut colligitur ex collatione Num. 4, v. 47. cum Num. 8, v. 24. Ad δύναμιν ἑρμηνευτικήν pertinet eloquentia, ut possit cogitata sua ordine, perspicue et diserte exponere. Audiendus igitur est ordinandus in concione δοκιμαστικῇ, ut appareat, an illo docendi dono instructus sit, ubi tamen monendum, utriusque doni, videl. tum συνέσεως πνευματικῆς, tum δυνάμεως ἑρμηνευτικῆς, esse certos gradus nec summum illorum donorum gradum exigendum ab eo, qui ad inferius aliquod ecclesiae ministerium promovetur. *3. Vitae ac morum integritas*, quo pertinent membra descriptionis apostolicae, qua Scriptura sacra episcopi ἱκανότητα et officium exprimit, quod debeat esse ἀνεπίληπτος καὶ ἀνέγκλητος, 1. Tim. 3, v. 2. Tit. 1, v. 7. *quod debeat habere bonum testimonium ab iis, qui foris sunt,* 1. Tim. 3, v. 7. item quod *diaconi debeant habere mysterium fidei in conscientia pura*, v. 9. Videatur constitutio ecclesiastica electoralis Saxonica in capite de examine ordinandorum p. 89. ubi haec omnia latius explicantur.

169. Examen illud tunc demum institui consuevit, Temp exam
quandο jamdum ad certum aliquem locum persona quaedam legitime ac solenniter est vocata, sed convenientius foret examen illud praemitti, antequam ad concionem δοκιμαστικὴν ministerii candidatus populo sistatur sive praesentetur, et literas vocationis accipiat, 1. quia praesentatio sive nominatio illa praesupponit personae denominatae ἱκανότητα, jam vero ἱκανότης illa in examine demum innotescit. 2. Si examen praemitteretur praesentationi, rectius cognosci ac decerni posset, cui ecclesiae destinandus esset ministerii candidatus; ut enim eruditionis ac donorum docendi, ita quoque officiorum ecclesiasticorum sunt certi ac distincti gradus. 3. Qui jamdum vocationis literas accepit, illi non potest sine summa ignominia ordinatio denegari, si vel maxime in examine non satisfecerit presbyterii exspectationi; at si examen praemitteretur praesentationi, posset sine ulla ignominia repulsa fieri. Consuevit etiam examen illud institui cum illis duntaxat, qui primum ad ministerium ordinantur, sed rectius et convenientius fieri censendum, si omnes omnino examini subjiciantur, qui ad ministerium ecclesiasticum promoventur, etiam illi, qui per translationem ad aliam ecclesiam transferuntur, qua de re constitutio ecclesiastica d. l. sic statuit: *Serio volumus, ut in posterum examina ministrorum ecclesiae, sive ordinati sint, sive non, singulari diligentia suscipiantur* etc. Quomodo vero examen illud instituendum sit, late ibidem exponitur.

SECTIO XIV.

DE INVESTITURA MINISTRORUM.

170. Vocationem, confirmationem et ordinatio- Invest
nem ministrorum in nostris ecclesiis subsequitur *in-* tura e
vestitura, quae est actus ecclesiasticus solennis ad clesia
jus episcopale per Passaviensem pacificationem ad minist rum.
principes Augustanae confessioni addictos translatum pertinens, quo persona ad ministerium legitime vo- XII. 2.
cata et ordinata gregi, cui praeficienda est, per superintendentem sistitur ac praelectis confirmationis literis solenniter introducitur, cui actui conjungi solent seriae adhortationes, quibus tum novus minister, tum auditores officii sui admonentur ac stipulata manu ad sedulam illius exsecutionem obligantur, seriae item preces, quibus officium ministri Deo commendatur. Differt investitura ab ordinatione, quod ordinatio fiat duntaxat semel, sed investitura repetitur, quoties aliquis jam ante ordinatus ad ministerium vocatur ad aliam ecclesiam, vel ad alium officii gradum in eadem ecclesia. Formam investiturae docent constitutiones ecclesiasticae. Notandum autem hoc loco, quod investitura pertineat ad jus episco-

pale, ideoque summo magistratui competat etiam illis in locis, in quibus jus patronatus ad alios pertinet; frustra igitur metuunt ac reluctantur quandoque illi, ad quos jura patronatus spectant, quo minus investitura ex jure episcopali descendens per principum superintendentes suscipiatur, ut enim jus patronatus non tollit jus episcopale, ita quoque non tollit nec excludit, imo etiam non potest tollere nec excludere investituram ad jus episcopale pertinentem. Investitura autem illa non est de substantia ministerii, unde Nicolai papae tale exstat decretum c. 1. dist. 23: *Postquam electio pontificis fuerit facta, si bellica fuerit tempestas vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est in apostolica sede juxta consuetudinem inthronizari non valeat, electus tamen sicut verus papa obtinet auctoritatem regendi Romanam ecclesiam et disponendi omnes facultates illius, quod B. Gregorium ante suam consecrationem cognovimus fecisse.* Apud Pontificios investiturae videtur respondere *missio*, de qua scribit Becanus in disp. Vienn. de vocat. ministr. th. 42: *Missio differt ab ordinatione. Nam in ordinatione confertur potestas ordinis, cujusmodi est potestas baptizandi, consecrandi eucharistiam, remittendi peccata; in missione confertur jurisdictio in ordine ad exsecutionem, hoc est assignantur subditi, quos illi, qui dicuntur mitti, debeant docere, sacramenta administrare, gubernare. Sic parochi dicuntur mitti in parochiam, quando illis assignantur parochiani* etc. Sed rectius iste actus, quem descripsimus, dicitur initiatio vel investitura quam missio, quia missio est ipsa vocatio, vel certe ab ea realiter non differt, ut ostendimus superius.

SECTIO XV.

DE TRANSLATIONE MINISTRORUM.

Translatio ecclesiae ministrorum.

171. In quaestione de translatione ministrorum tum *in defectu*, tum *in excessu* a quibusdam peccatur. *In defectu*, dum quidam existimant, plane illicitum esse ministrum ecclesiae ab uno loco in alium transferri. Statuunt enim, vocationem apostolorum differre a mediata vocatione reliquorum ministrorum, cumprimis etiam in eo, quod apostoli non fuerint ad certum aliquem locum cum suo ministerio alligati, sed de reliquorum ministrorum vocatione id omnino affirmari debere ac proinde eorum translationes illicitas esse. *In excessu* a quibusdam peccatur, dum desultoria quadam levitate absque urgente necessitate et absque evidente ecclesiae utilitate functiones et sedes subinde mutant, adeoque mangonum et collybistarum in morem parochias ut equos et nummos habent, ac quod Seneca de aegrotis dicit, *mutationibus utuntur pro remediis.* Ut autem priorum morositati recte opponitur, quod *Dominus messis* potestatem habeat ministros suos ut vocandi, ita quoque eosdem transferendi ab una ecclesia ad aliam, quodque ecclesia Domini *materfamilias* eandem habeat potestatem, modo omnia fiant ordine XII. 2. 173. legitimo, non temeritate propria, non privato judicio, non causa ambitionis, dominationis, praesumtionis, delectationis, stipendii amplioris etc. sed ex utilitate, necessitate et aedificatione ecclesiae omnia aestimentur; ita posteriorum levitati merito opponendum, quod tales mutationes, nisi gravi judicio suscipiantur, facile possint scandalum in ecclesia concitare. **Constantinus in epistola ad Eusebium, quam recitat ipse Eusebius lib. 3. de vita Constant. c. 59: *Prudenter abs te factum, quod et Domini mandatum apostolorumque ecclesiae canonem servare decrevisti, episcopatum ecclesiae Antiochenae prorsus repudiando et in eo episcopatu fungendo permanere laborasti, quem ab initio Dei voluntate susceperisses.* Huc referenda dicta Scripturae, quae constantiam in munere semel suscepto probant, 1. Cor. 7, v. 17. Matth. 10, v. 22. Luc. 9, v. 62. Apoc. 2, v. 10. eadem enim valent ad eam ipsam in loco semel placito, qui muneri suscepto indivulse connexus est, urgendam. Propria argumenta sunt triplicia: *1. ab exemplis Scripturae;* Moysi, prophetis et apostolis non licuit, quo voluerunt, ire, Exod. 4, v. 10. Jerem. 1, v. 7. Jon. 1, v. 4. c. 3, v. 3. Act. 16, v. 9. Rom. 1, v. 13. 2. Cor. 1, v. 15. ergo multo minus vulgaribus ecclesiae ministris; *2. ab auctoritatibus veterum*, c. Non oportet, c. Si quis caus. 7. q. 1. Confer Eusebium lib 3. de vit. Constant. c. 59. Nicephorum lib. 8. c. 45. ac recentiores Lutherum tom. 5. Jen. Germ. f. 507. b. Mathesium serm. 9. secundae partis de vita Christi, cujus verba repetuntur a Conr. Porta in pastorali Lutheri p. 23. Calvinum epist. 209. Chytraeum in epist. p. 150. et 678. 3. *ex rationibus* 1. Nulli ministro licet citra consensum domini sui versari pro arbitrio in ejus domo ex una parte in alteram migrando. Omnes pastores sunt ministri Christi ejusque sponsae ecclesiae. Ergo nulli eorum licet in ejus domo, quae est ecclesia, pro arbitrio versari migrando ex una ejus parte in aliam citra consensum Christi et ecclesiae. Posterior: si ecclesiae et loco, cui semel operam addixit pastor, non est jure devinctus perpetuo, habet hoc aut ex generali vocationis lege, aut ex speciali indulgentia et contractu singulari. Non hoc, nemini enim licet contrahere cum ecclesia vel ad certos annos, vel indefinite ad quemcunque ipsi visum est terminum; nec illud, quemadmodum ex doctrina de vocatione constat, cujus jus est penes solum Deum Matth. 9, v. 38. Act. 16, v. 9. Jerem. 10, v. 23. vel mediate, vel immediate agentem. Ergo. Tarn. Disp. de minist. q. 2**

172. Exstant hac de re utiles canones. c. Non Non temere suscipienda. oportet. caus. 7. q. 1. ex concilio Nicaeno c. 15: *Non oportet episcopum vel reliquos ordines de civitate ad civitatem migrare, non episcopus, non presbyter, non diaconus transeat. Si quis autem post definitionem sancti et magni concilii tale quid agere tentaverit et se hujusmodi negotio mancipaverit, hoc*

factum prorsus in irritum ducatur et ecclesiae restitutatur, cujus fuit episcopus aut presbyter aut diaconus ordinatus. c. Si quis presbyter. caus. et quaest. iisd. ex concil. Antioch. c. 3: *Si quis presbyter vel diaconus vel quilibet clericus deserta sua ecclesia ad aliam transeundum esse crediderit et ibi paulatim tenet, quo migravit, perpetuo manere, ulterius ministrare non-debet, praesertim si ab episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quodsi post revocationem sui episcopi non obedierit, sed inobediens perseveraverit, omni modo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere decernimus. Si vero propter hanc culpam depositum alius episcopus susceperit, et ipse a communi synodo poenam merebitur increpationis tanquam ecclesiastica jura dissolvens.* c. Episcopum. caus. et quaest. iisd. ex eodem concilio Antiocheno c. 21: *Episcopum de dioecesi ad dioecesin non debere transire, neque si se ipsum ingesserit, neque si a populis fuerit violenter attractus, neque si etiam hoc ei ab episcopis suaderetur, manere autem eum debere in ecclesia Dei, quam ab initio sortitus est, et non ab ea alibi demigrare, secundum regulam super hoc olim a patribus constitutam decernimus.* c. Si quis episcopus. caus. et quaest. iisd. ex Leonis epistola ad Anastasium Thessalonicensium episcopum part. 1. epist. 82. c. 8: *Si quis episcopus suae civitatis mediocritate despecta administrationem celebrioris loci ambierit et ad majorem plebem se quacunque ratione transtulerit, a cathedra quidem pellatur aliena, carebit etiam propria, ut nec illis praesideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus*
XII. 2. 174. *quisque sit, nec supra mensuras juris sui affectet augeri.* c. Si quis. de ordine caus. et quaest. iisd. ex concilio Meldensi: *Si quis de ordine sacerdotali contemtu minoris ecclesiae ambitiose et improbe ad potiorem aspiraverit, canonica erga eum definitio conservetur, hoc est ut utraque careat.* **Bernhardus epist. 87. asserit, *indissolubile vinculum inter ecclesiam et ministrum non minus quam inter conjuges esse.* Simile quid habetur c. Sicut vir ex Euaristi epist. 2. caus. 7. q. 1. sed illud simpliciter probari nequit.**

Nec simpliciter repudianda.

173. At nequaquam translationes sive translocationes episcoporum simpliciter sunt prohibitae, sed si gravi judicio suscipiantur ob evidentem aliquam ecclesiae utilitatem, omnino probandae sunt, 1. quia de diaconis dicit apostolus 1. Tim. 3, v. 13: *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt.* Possunt igitur diaconi recte et fideliter in officio sese gerentes ad altiora etiam vel in iisdem, vel in aliis ecclesiis munia promoveri. 2. Quia Paulus Timotheum et Titum propter ecclesiae utilitatem de loco in locum transtulit. 3. Nuspiam exstat peculiaris quaedam prohibitio, qua ecclesiae interdictum, ne eum, qui in alio loco ministrum agit, ad officium ecclesiasticum evocet. 4. Huc etiam pertinent sequentes canones. c. Mutationes causa 7. q. 1. ex epistola Anthenii ad episcopos Beticos et Toletanos: *Mutationes episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non propria cujusquam voluntate aut dominatione. Petrus sanctus magister noster et princeps apostolorum de Antiochena civitate utilitatis causa est translatus Romam, ut ibidem potius proficere posset; Eusebius quoque de quadam parva civitate apostolica auctoritate mutatus est in Alexandriam; similiter Felix de civitate, in qua ordinatus erat, electione civium propter doctrinam vitamque bonam, quam habebat, auctoritate hujus sanctae sedis et communi episcoporum et reliquorum sacerdotum ac populorum consilio translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate ad civitatem, nec transfertur de minore ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit; sed aut vi a propria sede depulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci vel populi non superbe, sed humiliter ab aliis translatus est etc. alia enim est causa utilitatis, alia avaritiae et praesumtionis ac propriae voluntatis.* c. Scias causa et quaest. iisdem ex epistola Pelagii 2. ad Benignum archiep.: *Scias, frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis et utilitatis, aliud praesumtionis ac propriae voluntatis. Non ergo mutat sedem, qui non mutat mentem, id est qui non avaritiae causa, aut dominationis, aut propriae voluntatis vel delectationis suae migrat de civitate ad civitatem, sed causa necessitatis et utilitatis mutatur. Nam plurimorum utilitas unius utilitati vel voluntati praeferenda est. Aliud enim est mutare et aliud mutari. Nam aliud est sponte transire, aliud coacte aut necessitate venire, unde non isti mutant civitatem, sed mutantur, quia non sponte, sed coacte hoc agunt. Non ergo bene intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant, causa necessitatis vel utilitatis fieri posse, quoties communis necessitas aut utilitas persuaserit.* c. Omnis. causa et quaest. iisdem ex ead. epist. Pelagii: *Negant misericordiam, necessitatem patientibus, qui populis indigentibus divinis ministeriis et non habentibus proprium episcopum, qui eos instruat, causa necessitatis atque utilitatis, ut ex alia civitate, licet minor sit, in eam, quae non habet episcopum, doctiorem vel potiorem et utiliorem meliori consilio non sponte transeuntem, sed majorum exhortatione mutare negant, aut episcopum dejectum et persecutionem patientem causa utilitatis aut necessitatis nolunt inthronizare.* c. Episcopus. causa et quaest. iisdem ex concil. Carthag. 3. vel potius 4. c. 27: *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus. Sane si utilitas ecclesiae poposcerit, decreto pro eo clericorum et laicorum episcopis porrecto in praesentiam synodi transferatur nihilominus alio in locum ejus surrogato. Inferioris vero gradus* XII.
sacerdotes vel alii clerici concessione suorum episcoporum possunt ad alias ecclesias transmigrare. c. Sicut. caus. et quaest. iisdem: *Si persecutus fuerit* (episcopus) *in sua ecclesia, fugiendum est illi ad alteram ecclesiam, eique est sociandus; si autem utilitatis causa fuerit mutandus, non per se hoc*

agat, sed fratribus invitantibus cum auctoritate hujus sanctae sedis faciat, non tamen ambitus causa, sed aut utilitate, aut necessitate faciendum est. Hoc non solum de episcopis, verum etiam de quibuslibet ecclesiae ministris intelligitur, ne videlicet in locum viventis alteri obrepat. ** Quaeritur ulterius 1: *An justa mutationis causa sint sola studiorum impedimenta aut avocamenta, quae ab agricultura proveniunt, si cetera adsint vitae subsidia et ecclesia pastorem dimittere nolit?* Negamus 2. An probari debeat, quae scribit Junius lib. 3. de eccles. cap. 3. p. 183: *Nonnulli sancta humilitate praediti viri propter quaedam in se offendicula, quibus pie religioseque movebantur, episcopatus officium non solum sine culpa, verum etiam cum laude posuerunt?* Negamus 3. *An in deliberatione de mutanda functione ad tranquillandam conscientiam sufficiat hic syllogismus:* ubi Deo majori cum fructu ecclesiae servire possum, eo teneor migrare. In loco, ad quem vocor, possum Deo majori cum fructu ecclesiae servire. Ergo. Affirmativa exstat consil. 1. decad. 9. sub nomine Martini Hammeri p. 35. negativa est D. Chemnicii in loc. theol. part. 3. p. 322. Confer Hemmingium in pastore p. 211. edit. Lubec. Junium in Deut. 18. p. 122. **

SECTIO XVI.

DE REMOTIONE MINISTRORUM.

Remotio ministrorum pertinet ad totam ecclesiam.

174. Quemadmodum *vocatio* ministrorum ad totam ecclesiam, ita quoque eorundem *remotio* ad totam ecclesiam pertinet, ideo probari nequit illorum pseudopoliticorum opinio, qui *ad jura regalia* magistratus remotionem ministrorum pertinere censent, ita ut pro lubitu possit mutare ecclesiastica ministeria et prioribus ministris loco motis et in exilium pulsis alios substituere. Contra quam *καισαροπαπίαν* graviter detonant B. Lutherus in epistola, quae exstat tom. 6. Jen. Germ. fol. 376. in fideli admonitione ad quendam pastorem tom. 5. fol. 358. in scripto, quod exstat tom. 8. Jenens. fol. 188. et Joachimus Mörlinus in judicio de vocatione pastorum, quod una cum aliis istius generis scriptis in utili libello edito Jenae ann. 1602. sub hoc titulo: Vom Beruf und Enturlaubung der Prediger, wie ferne weltliche Obrigkeit Macht habe, dieſelben ihres Amts zu entſetzen, nöthiger chriſtlicher Bericht aus Gottes Wort und vortrefflicher Lehrer Bedenken, als D. Lutheri, D. Philippi, der Theologen zu Leipzig, D. Brentii, D. Mörlini, D. Heshusii, D. Simonis Pauli, D. Chemnicii, Ministerii Gryphisvaldensis et vicinarum ecclesiarum in Pomerania. Vicissim quemadmodum *legitima vocatio* debet fieri juxta leges divinitus praescriptas, ita quoque *legitima ministri remotio* fieri debet juxta praescriptas divinitus constitutiones. Ut enim jus vocandi principaliter ad solum Deum pertinet in mediata vocatione, ita quoque jus removendi principaliter ad solum Deum pertinet etiam in mediata remotione. 1. Sam. 2, v. 30: *Loquens locutus sum de ministerio tuo, ut ministrares in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc autem absit hoc a me, dicit Dominus.* Oseae 4, v. 6: *Quia tu scientiam repulisti et oblitus es legis Dei tui, repellam et ego te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Ut autem vocatio, ita quoque remotio plerumque fit per media, videlicet per legitimum ecclesiae judicium divinae voluntati conformandum. Divina voluntas haec est, quod minister ecclesiae debeat verbum Dei sincere docere et inculpatae vitae exemplo auditoribus praeire. Ergo quando minister ecclesiae vel in haeresin incidit, vel enormibus delictis scandalum praebet ac facit, ut nomen Dei blasphemetur, tunc ecclesia habet potestatem eum removendi. Tria enim possunt constitui ministrorum genera: 1. Quidam sunt *dolosi* XII. 2. 176.
περιπατοῦντες ἐν πανουργίᾳ καὶ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ 2. Cor. 4, v. 2. Ephes. 4, v. 14. qui doctrinae coelestis lucem haereticis nebulis obscurant et sinceritatem ejus adulterant, illos ecclesia non solum potest, sed et debet tanquam *anathema* quoddam Galat. 1, v. 8. hoc est tanquam rem detestandam, quae attactu suo polluit, a se removere; tales erant, quos apostolus cupit *abscissos* Galat. 5, v. 12. et quibus nec *domum*, nec *aures* aperiendas esse praecipit Johannes 2. epist. v. 10. 2. Quidam sunt *onerosi*, quorum crimina sunt et enormia et notoria, qui itidem ab officio removendi, ne propter illos nomen Dei blasphemetur, neve auditoribus scandalum praebere pergant. 3. Quidam vero sunt *morosi*, levioribus naevis obnoxii, qui tolerandi sunt. ** Causae dimissionis ad duos fontes revocari possunt. Unus est *defectus facultatis* utiliter inserviendi ecclesiae; alter *voluntatis* sive *operum ministerialium neglectus* intolerabilis. Facultatis defectu comprehenduntur partim doctrinae sanae in fundamentalibus, praesertim corruptelae sive errores pugnantes cum fundamento, partim illius utiliter et cum fructu auditorum tradendae organorum privatio, qualis esse potest vel animi, utpote ingenii, judicii, memoriae; vel corporis, ut linguae aliorumque membrorum ad officii administrationem necessariorum usus morbo aut calamitate aliqua interceptus. Voluntatis appellatione comprehenditur, cum enormis in demandati muneris partibus exsequendis negligentia tum vita et morum turpitudo sive ea tantum ecclesiae scandalosa, sive etiam civiliter damnabilis sit. Harum causarum vel unam vel utramque esse justam dimissionis causam, colligitur ex pari, quod enim valet ad legitimum vocando impedimentum afferendum, idem ad vocatum abdicandum valere debet. **

Causa et processus remotionis.

175. Ceterum in remotione ministrorum, si legitima esse debet, requiritur tum *accurata causae cognitio*, tum *sedula legitimi processus observatio*. ** Legitima causae cognitio requirit, ut ratione rei seu deponendi causa aliqua ex enumeratis sit quoddammodo notorialis et manifesta, de occultis enim non judicat ecclesia Actorem certum existere minime necessarium est, ubi ipsum crimen palam cla-

mat, sufficit si de eo aliquid constet superintendenti vel consistorio, sive inquisitione propria ex officio, sive rumore publico, sive delatione et indicio unius aut plurium de ecclesia. Testes criminis locupletes et omni exceptione majores esse oportet, eosque e numero auditorum sive de ecclesia, cui praeest pastor, quamvis et alii idonei non sint rejiciendi. Judex talis requiritur, qui et sciat et velit utraque parte audita jus administrare etc.** 1. Tim. 5, v. 19: *Adversus presbyterum noli accusationem recipere nisi sub duobus aut tribus testibus.* Neque enim permittendum plebis temeritati vel potentiorum arbitrio, absque legitima causae cognitione et examine ministrum loco movere et in exilium ejicere. Illa causae cognitio pertinet ad totam ecclesiam, sed ut omnia fiant ordine et sine confusione, cum jura episcopalia, quae per pacificationem Passaviensem ad principes Augustanae confessionis sunt translata, exerceantur ab illis per consistoria, coram illis causae de ministrorum remotione tractandae, proinde illi, qui habent jura patronatus, non debent nec possunt propria auctoritate ministrum deponere, sed causam deferant ad consistoria, quia jus patronatus non affert secum jurisdictionem episcopalem, cujus exercitium est in dimissione pastorum. In concilio Hispalensi secundo c. 6. circa annum Christi 621. habito statutum est, *presbytero non nisi per synodum honorem et officium abrogandum esse. Episcopus* (inquit concilium) *solus potest honorem presbytero dare, auferre solus non potest,* quod notent, qui ob jus vel patronatus vel episcopale sibi licere existimant, ministrum ecclesiae proprio arbitrio ab officio deponere. Quodsi quis non est legitimo judicii processu, nec ob causas legitimas et sufficientes, puta propter zelum in arguendis hominum vitiis, propter privata odia, propter levicula errata etc. loco motus, tunc is, qui ipsi surrogatur, non est pro vero ministro legitime vocato habendus, qua de re aliquot theologorum sententiae extant in dicto libello de vocatione et remotione ministrorum.

Canones de remotione. XII. 2. 177.

176. Extant hac de re aliquot canones c. Factus est. causa 7. q. 1. ex Cypriani lib. 2. epist. 4: *Factus est Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum paene omnium testimonio, de plebis, quae tunc adfuit, suffragio, de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum consensu, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, hoc est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret, quo occupato et de Dei voluntate atque omnium nostrum consensione confirmato, quisquis jam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui ecclesiae non tenet unitatem, quisquis ille fuerit, licet de se multum jactans et plurimum sibi vendicans, profanus est, alienus est, foris est et cum post primum esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debet, factus est, jam non secundus ille, sed nullus est.* c. Novatia. caus. et quaest. iisd. ex eadem Cypriani epistola: *Novatianus episcopus non est, qui Cornelio episcopo in ecclesia a sedecim coëpiscopis facto adulter atque extraneus episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur* etc. c. denique causa et quaest. iisd. ex ejusdem Cypriani lib. 1 epist. 6: *Denique quam sit inseparabile unitatis sacramentum et quam sine spe sint et perditionem sibi maximam de indignatione Dei acquirant, qui schisma faciunt et relicto episcopo alium sibi foris pseudoepiscopum constituunt, declarat Scriptura divina in libris Regum, ubi a tribu Juda et Benjamin decem tribus scissae sunt et relicto rege suo alterum sibi foris constituerunt. Et indignatus est* (inquit) *Dominus omni semini Israël et demolivit eos et dedit eos in direptionem, donec abjiceret eos a facie sua, quia dissipatus est Israël a domo David et constituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabath. Indignatum esse dixit Dominum et eos in perditionem dedisse, qui ab unitate dissipati alterum sibi regem constituissent. Tanta indignatio Domini exstitit adversus illos, qui schisma fecerunt, ut etiam cum homo Dei ad Jeroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret atque ultionem futuram praediceret, panem apud illos edere et aquam bibere vetaretur, quod cum non custodivisset et contra praeceptum Domini prandisset, statim divina censura percussus est, ut inde regrediens impetu ac morsu leonis in itinere necaretur* etc. *Quod vero eundem, quem nos Deum Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum s. nosse dicuntur, nec hoc adjuvare tales potest. Nam etiam Chore, Dathan et Abiron cum sacerdote Aaron et Moyse eundem Deum noverant, pari lege et religione viventes, unum et verum Deum, qui colendus atque invocandus fuerat, invocabant, tamen quia loci sui ministerium transgressi et contra Aaron sacerdotem, qui sacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perfecerat, sacrificandi sibi licentiam vendicaverunt, divinitus percussi poenas statim pro illicitis conatibus penderant* etc. *Et tamen illi schisma non fecerant, nec foras egressi contra Domini sacerdotes impudenter atque hostiliter rebellaverant, quod nunc hi ecclesiam scindentes et contra pacem atque unitatem Christi rebelles cathedram sibi constituere et primatum assumere et baptizandi atque offerendi licentiam vendicare conantur.* c. praeceptum. caus. 2. q. 2. ex Zepherino: *Praeceptum est in antiquis statutis, ejectos atque suis rebus exspoliatos ecclesias proprias recipere, et demum si quis eos juste accusare voluerit aequo periculo facere, judices esse decernendos episcopos recta sapientes et in ecclesiam convenientes, ubi testes essent singulorum, qui oppressi videbantur, nec prius eos respondere, quam omnia sua eis et ecclesiis eorum legibus integerrime restituantur.* c. In scripturis. caus. et quaest. iisd. ex Eusebio: *In scripturis vestris reperimus, quosdam episcopos vestris in partibus a propriis ovibus accusatos, aliquos videlicet ex suspicione et aliquos ex certa ratione, et idcirco quosdam suis rebus esse exspoliatos, quosdam vero a propria sede depulsos, quos sciatis nec ad synodum comprovincialem, nec ad generalem posse convocari, nec in ali-*

quo judicari, antequam cuncta, quae eis ablata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur. c. Audivimus. caus. 3. q. 2. ex Euaristi epist. 2: *Audivimus, quosdam vobis infamatos et dilaceratos episcopos a civitatibus propriis expulsos (quia alibi constitui episcopi non possunt, nisi in civitatibus non minimis)* 178 *et alios ipsis viventibus constitutos, ideo hoc scribimus vobis, ut sciatis, hoc fieri non licere, sed proprios revocari et integerrime restitui debere. Illos vero, qui adulterina foeditate suas sponsas (quas uxores eorum praefixo tenore esse intelligimus) tenent ejici et adulteros atque infames fieri eosque ab ecclesiasticis honoribus arceri jubemus. Si autem adversus eos aliquam querelam habueritis, his peractis inquirendum erit et auctoritate hujus sanctae sedis terminandum.* c. Sicut vir. causa 7. q. 1. ex eodem: *Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, hoc est ut illam dimittat, ad quam fuit sacratus absque inevitabili necessitate aut apostolica vel regulari mutatione, ut alteri se ambitus causa conjungat. Et sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se vivente eo matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit vir ejus, sed juxta apostolum aut viro suo debet reconciliari, aut manere innupta; ita ecclesiae non licet dimittere episcopum suum aut se ab eo segregare, ut alterum vivente eo accipiat, sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, hoc est alterum episcopum suo vivente non accipiat, ne aut fornicationis, aut adulterii crimen incurrat.* c. Non furem. caus. et quaest. iisd. ex Leone ad Vernonem Britanniae ducem: *Non furem et latronem, qualem Gillandum esse sentimus in Nannetica sede, qui viventis, quod non licuit, locum non timuit usurpare, pro cujuscunque muneris donis ultra debes defensare.* c. Quod autem. caus. et quaest. iisdem ex concilio apud Arverniam celebrato: *Quod vivente episcopo alius superponi aut superordinari non possit ex concilio apud Arverniam celebrato definitum est, in quo legitur, ut nullus vivente episcopo alius superponatur aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in ejus locum, quem capitalis culpa dejecerit.* c. Petimus. caus. 11. q. 1. ex concil. Carthag. 3. c. 38: *Petimus, ut dignemini dare fiduciam, qua necessitate ipsa cogente liberum nobis sit rectorem provinciae secundum statuta gloriosissimorum principum adversus illum adire, qui plebem, quam invaserat, usque hodie commonitus (secundum quod statutum fuerat) relinquere contemnit, ut qui miti admonitioni sanctitatis vestrae acquiescere noluerit et emendare illicitum, auctoritate judiciaria protinus excludatur. Aurelius episcopus dixit: Servata forma disciplinae non existimabitur appetitus, si vestra caritate modeste conventus recedere detrectaverit, cum fuerit suo contemtu et contumacia faciente judiciaria potestate conventus. Honoratius et Urbanus episcopi dixerunt: Hoc ergo omnibus placet,* c. Qui in vivorum ex de concess. praebend. ex Gelasio ad Romanos: *Qui in vivorum sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores sacerdotibus vivis adhiberi.* c. Inprimis. caus. 2. q. 1. ex Gregorio lib. 11. epist. 50: *Inprimis requirendum est de persona presbyteri dilectissimi fratris et coëpiscopi nostri Januarii, et si ita veritas se habet, sicut ejusdem episcopi petitio continet, in ecclesia atque loco suo idem presbyter modis omnibus revocetur; si autem dictum fuerit, quia contra ipsum causa aliqua mota sive probata est, subtiliter ipso praesente et rationem pro se reddente quaerendum est, et genus causae et modus probationis, ut ex hoc colligere valeas, utrum adhuc in exilio vel deportatione demorari, an certe in ecclesia et officio suo debeat revocari. De episcopi persona hoc faciendum est, ut si nulla contra eum criminalis causa, quae exilio vel depositione digna est, mota sive probata est, is episcopus, qui eo superstite perverse et contra canones in ecclesia ejus ordinari praesumserit, sacerdotio privatus ab omni ecclesiastico ministerio repellatur* etc. *Si autem aliter quam antefati episcopi petitio continet, actum esse forsitan perhibetur, subtiliter quaerendum est, et cognita veritate cum Dei timore, quod justitiae ordo suaserit, judicandum est* etc. Vide ibid. formam processus in hoc negotio observandi praescriptam. c. Eum qui. causa 7. q. 1. ex eod. Gregorio lib. 2. ep. 14: *Eum qui contra justitiae regulam in archidiaconatum alterius se promoveri consenserit, ab ejusdem archidiaconatus honore deponimus, qui si ulterius in loco eodem ministrare praesumserit, se participatione sacrae communionis noverit esse* XII. 2. 179. *privatum.* Glos. in c. Consideravimus de elect. et elect. potest: *Non debet fieri secunda electio prima non cassata.* Conjunge c. Notum. causa 2. q. 1. c. Nullus. caus. ead. q. 2. c. Episcopis. caus. 3 q. 1. etc.

Ex historia ecclesiastica.

177. Possunt etiam ex ecclesiastica historia quaedam huc referri. Theodoretus lib. 2. hist. eccles. c. 17. et Nicephorus lib. 9. c. 25. referunt, *quod Felix, qui in locum Liberii episcopi Romani injuste ab imperatore Constantio in exilium pulsi successerat, licet incoruptam fidem Nicaeae expositam servaret, populo tamen tam exosus fuerit, ut nemo omnium civium Romanorum in aedem orationis sit ingressus, cum ipse intus foret.* Ibid. refert, *quod cum Liberius biennium in exilio egisset, matronae nobiles Romanae preciosissimis vestibus ornatae, quo magis imperator nobiles ratus precibus voluntatique ipsarum gereret morem, imperatorem adierint ipsumque deprecatae fuerint, ut misereri vellet tantae civitatis spoliatae pastore suo et expositae luporum insidiis.* Cumque imperator responderet, *non indigere eam pastore alio, quae prudentem bonumque haberet, puta Felicem unum ex diaconis in illius locum suffectum,* matronae ipsi significarunt, *quam exosus sit omni populo; itaque imperator flecti se passus jussit Liberium de exilio revocari, sed amborum esse communem ecclesiae administrationem.*

His literis lectis in circo exclamavit multitudo, egregiam esse imperatoris sententiam, qui spectatoribus in duas partes divisis et a colore cognominatis, his unum itemque alteris unum praeficeret, ita dicteriis incessentes imperatoris literas uno ore exclamant: Unus Deus, unus Christus, unus episcopus. Post has plebis voces revertitur Liberius, cui cedens Felix in aliam urbem sese contulit. Ambrosius lib. 10. epist. 79. ad Theophil. et Anisium .excusat se *de judicio ferendo inter Bonosum episcopum et accusatores ejus* illisque causam committit, ex quo apparet in casibus. remotionis judicium vicinorum episcoporum fuisse requisitum. Apud Sozomenum lib. 8. hist. eccles. c. 26. exstant literae Innocentii episcopi Romani ad clericos Constantinopolitanos, in quibus conqueritur de injusta remotione Chrysostomi et inter cetera sic loquitur: *Nunc praepostero modo de primatu ecclesiarum suarum deturbantur sacerdotes insontes, quo quidem primus frater noster et in ecclesiastico munere socius Johannes* (Chrysostomus) *episcopus vester injuste oppressus est, cui ne id quidem contigit, ut se defensurus audiretur, nullum crimen objicitur, nullum auditur. Quod igitur hoc commentum est tam deploratum, ut ne vel suppetat, vel quaeratur occasio judicii, in locum sacerdotum viventium alii substituantur? quasi illi, qui per hujusmodi perversitatem irrepunt, vel habere ipsi, vel agere quidquam recti, a quoquam judicari possint, neque enim unquam a patribus nostris talia patrata fuisse cognovimus, sed interdictum potius fuisse decreto, quo cavebatur, ne cui fieret copia, qua in viventis locum inauctoraretur. Nec enim reproba ordinatio sacerdotis dignitatem auferre potest, quando nec episcopus quidem esse potest ille, qui injuste surrogatur* etc. *sed quodnam remedium hisce rebus in praesenti adferemus? necessaria erit synodalis cognitio, ea quippe sola est, quae hujusmodi procellarum impetus retundere potest.* Nicephorus lib. 13. hist. eccles. c. 34. recenset ejusdem Innocentii literas ad imperatorem Arcadium et Eudoxiam, in quibus inter cetera sic loquitur: *Pacis tempore persecutionem magnam adversus Deum et ecclesiam ejus concitasti, ejecisti e throno suo re non judicata magnum totius orbis doctorem* (Chrysostomum) *persuasione unius mulieris fabulam hanc et spectaculum exhibentis.* Et postea: *Arsacium, quem pro magno Johanne in thronum episcopalem produxistis, etiam post obitum exauctoramus una cum omnibus, qui consulto cum eo communicarunt episcopis, cuius etiam nomen sacro episcoporum albo non inscribatur, indignus enim eo honore est, ut qui episcopatum quasi adulterio polluerit. Omnis siquidem plantatio, quae a patre nostro in coelis plantata non est,*
XII. 2. 180. *eradicabitur.* Theodoretus lib. 5. c. 34. de Constantinopolitanis dicit, quod *Arsacium, qui in locum Johannis* Chrysostomi *injuste in exilium pulsi successerat, ne compellatione quidem fuerint dignati.* Talia exempla occurrunt plura apud eundem Theodoretum lib. 1. hist. c. 20. lib. 2. c. 8. 31. et 44. lib. 3. c. 4. lib. 4. c. 14. 15. 20. etc. Coronidis loco monemus, canonistas statuere duplicem clericorum depositionem, *actualem et verbalem.* Illa proprie *degradatio* dicitur, ejusque forma descripta est. c. degradatio de poenis in 6. haec fit per *sententiam episcopi* c. 2. eod. in 6. junct. c. 3. cum seqq. 15. q. 7. Causas utriusque recenset Canisius lib. 3. summ. juris canon. c. 22. §. Actualis et §. Verbalis, ubi inter utramque hanc statuit differentiam, quod per *depositionem removetur tantum clericus ab honoribus et dignitate clericali salvo manente privilegio et ordine, sed in degradatione omnia amittit.*

**Quaeritur 1. *an fas et justum sit exorta publica inter concionatores discordia de doctrina fidei, de aliis ministerii partibus, ita ut indicia illius in publicis concionibus non obscura appareant, utramque partem, hoc est tam defensores veritatis et justitiae, quam falsitatis et injustitiae auctores ac patronos, removere et expellere?* Ita quibusdam videtur, qui scandali amovendi et publicae tranquillitatis promovendae schemate opinionem suam vestiunt. Negativa probatur 1. ex lege divina scripta, quae jubet audire fideles ministros non minus quam ipsum, a quo missi sunt, Luc. 10, v. 16. eosdem injuriose tangere vetat Ps. 105, v. 15. Zach. 2, v. 12. vult nos *cavere pseudoprophetas* Matth. 7, v. 15. et *a fermento Pharisaeorum* c. 16, v. 6. *redarguere et obturare ora haereticorum* 2. Tim. 4, v. 2. Tit. 1, v. 11. *clamare non cessare* Es. 58, v. 1. reprehendit negligentes in hac officii sui parte Es. 57, v. 2. Ezech. 13, v. 3. 2. Ex lege naturae, quae dictitat, bonos esse defendendos, malos puniendos, nec hos cum illis perdendos Gen. 18, v. 25. triticum una sum zizaniis non esse eradicandum Matth. 13, v. 29. 3. Ex ratione. Quod gloriae Dei, ad quam pertinet libera coelestis veritatis confessio et errorum refutatio, nocet, dilectionem proximi violat eiusque salutem impedit, exemplo scandaloso aliis similia molientibus praeit, denique canibus mutis et lupis rapacibus januam aperit, illud est illicitum et injustum. Ejectioni bonorum ministrorum cum malis male concordantium illa competunt. Ergo. Tarn. de minist. q. 7. Quaeritur 2. *an ab officio etiam injuste remotus et e regione aliqua abire a domino territorii jussus nihilominus in ea salva conscientia manere possit?* Negatur 1. a mandato divino Matth. 10, v. 23: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam,* cujus emphasin urget Lutherus tom. 3. Jen. Germ. f. 126: Er ſpricht nicht, wenn ſie euch in einer Stadt verjagen, ſo bleibet darinnen und nehmet die Stadt ein dem Evangelio zum Lobe und rottet euch wider die Herrn der Stadt, wie man jetzt thun will, und lehret, ſondern fliehet, fliehet immer ſofort in eine andere. 2. Ab exemplis sanctorum fugientium ut apostolorum aliorumque piorum Act. 8. v. 5. Pauli Act. 9, v. 25. et aliorum sanctorum Hebr. 11, v. 27. Athanasii, Chrysostomi etc. 3. A rei illius indignitate et incommodis. Mansio invito domino terrae est indecora evangelio ju-

benti reddere cuique quod suum est, Matth. 22, v. 21. Rom. 13, v. 7. et parere omnibus in eminentia constitutis 1. Petr. 2, v. 13. scandalum praebet infirmis, occasionem seditionis etc.**

CAPUT IV.

DE CAUSA MATERIALI MINISTERII.

XIII. 1. Duplex ministerii ecclesiastici materia, in qua et

178. Egimus hactenus de causa ministerii efficiente, consequens est, ut ad *materiam* ejusdem explicandam descendamus. Est autem duplex ministerii materia, *videlicet materia in qua sive subjectum, et materia circa quam sive objectum.* Materia in qua sunt personae ecclesiasticae, quae ad officium ecclesiasticum ex coetu Christiani populi legitime vocantur et partes sacri illius officii juxta praescriptum verbi divini fideliter administrant, ubi notandum, quod personae ecclesiasticae diverso respectu dici possint materia ex qua et materia in qua; illud, quia ex personis ecclesiasticis tanquam partibus materialibus hic ordo sive status ecclesiae constituitur; hoc, quia dignitas ecclesiastici ministerii illis tanquam subjectis inhaeret. Materia circa quam sunt auditores, hoc est grex dominicus pastorum curae et fidei commissus, quibus verbum praedicandum, sacramenta administranda, disciplina ecclesiastica adhibenda atque ea ratione conversio et salus ipsorum promovenda; verbum enim tum ἀκουστόν, tum ὁρατόν est mystici illius corporis, ecclesiae puta, anima; disciplina ecclesiastica est ejusdem nervus, utriusque cura, conservatio et propagatio ministro ecclesiae commissa, utriusque legitima administratio ad conversionem et salutem hominum spectat.

circa quam

SECTIO PRIOR.

DE MATERIA IN QUA MINISTERII.

Quare Deus non angelis, sed hominibus XIIII. 2. ministerium commendaverit.

179. *Circa materiam in qua sive subjectum* ministerii primo omnium expendendae sunt causae, propter quas Deus ordinariam ecclesiastici ministerii administrationem *non angelis, sed hominibus* commendare voluerit. Dicuntur quidem angeli *potentes virtute, facientes verbum Domini ad audiendam vocem sermonum ejus*, Psalm. 103, v. 20. *ministri, qui faciunt voluntatem ejus*, v. 21. *ministrantes atque assistentes ei*, Dan. 7, v. 10. dicuntur λειτουργικὰ πνεύματα, *spiritus administratorii*, Hebr. 1, v. 14. nimirum quia Deus ipsorum opera in annuntianda hominibus voluntate sua extraordinarie quandoque usus est. **Musculus in locis com. c. de min. verbi f. 193: *Tria principalia ministrorum verbi sunt genera: 1. ante legem Deus usus est ministerio angelorum, quorum apparitionibus patriarchas de gratia et voluntate sua certos reddidit; 2. tempore legis ministros verbi misit ad populum Moysen et prophetas; 3. tempore N. T. misit unigenitum Filium suum Christum et post hunc apostolos doctores.*** Interim tamen quod ordinariam ecclesiastici muneris administrationem et consilii divini de salute nostra revelationem attinet, ad eam non angelorum, sed hominum opera *ordinarie* Deus utitur, cujus voluntatis suae causas habet dubio procul sapientissimas, quarum quaedam concernunt Deum ipsum, quaedam vero nos homines. Ad priorem classem pertinent hae causae: 1. *Divinae φιλανθρωπίας ostensio.* Voluit Deus eo ipso suam ostendere φιλανθρωπίαν, tanto dignatus homines honore, ut per ora ac linguas eorum vocem suam audiri cuperet, Deut. 33, v. 3. Psalm. 144, v. 3. Prov. 8, v. 31. etc. Si quis in legatum regis eligitur, magni honoris et favoris signum illud merito aestimatur, ita quoque manifestum divinae benevolentiae et φιλανθρωπίας est indicium, quod Deus ex hominibus elegit eos, quos in ministerio ecclesiastico pro Christo *legatione fungi* voluit, 2. Cor. 5, v. 20. Cum Deus per prophetam sacerdoti Eli denuntiaret remotionem ab officio, inter cetera sic locutus est 1. Sam. 2, v. 30: *Loquens locutus sum, ut domus tua et domus patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum; nunc autem dicit Dominus, absit hoc a me, sed quicunque honorificaverit me, glorificabo eum.* Ex quibus verbis manifeste colligitur, esse honorem ac dignitatem maximi aestimandam, quod Deus ex genere humano quosdam evehit ad ecclesiastici muneris fastigium. 2. *Potentiae divinae manifestatio.* Voluit etiam Deus hac ratione ostendere suam potentiam, dum diabolo et portis inferorum non opponit angelos virtute potentes, sed misellos homines, per quos regnum Satanae aggreditur et in multorum cordibus illud destruit. Hanc causam reddit apostolus 2. Cor. 4, v. 7. ubi postquam de suo et reliquorum apostolorum ministerio dixisset, subjungit: *Habemus autem thesaurum illum ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, in vasculis testaceis* (ubi juxta interpretationem Isidori Pelusiotae lib. 2. epist. 4. per vasa testacea respectus habetur *ad mortale et ex terra factum corpus concionatorum, in quo ceu vase fictili verbi divini thesauri hominibus exhibentur*, juxta Ambrosii in comm. expositionem *ad infirmitatem naturae humanae, quae nihil potest, nisi a Deo acceperit virtutem*), *ut sublimitas virtutis sit Dei et non ex nobis, hoc est ad laudem suam Deus per haec se praedicat, quae infirma sunt, ut gloria illi detur, non homini, qui ex luto fictus est*, quae sunt verba Ambrosii in illum locum. Sic cum de ministerio tractans apostolus dicturus esset, *ad haec quis idoneus?* 2. Cor. 2, v. 16. praemittit v. 14: *Deo autem sit gratia, qui nos semper triumphare facit in Christo et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco.* 3. *Diabolicae superbiae confusio.* Voluit Deus hoc pacto confundere diaboli superbiam, qui aegerrime

Causae respectu Dei.

fert per abjecta et contemta organa, videlicet per homines, regnum suum oppugnari et ecclesiam Deo colligi, quemadmodum Goliathus Davidem sibi opponi dolebat, eumque fastuose despiciebat, 1. Sam. 17, v. 43. quo referri potest illud Davidis Psalm. 8, v. 3: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti tibi robur propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.*

Causae respectu nostri. 180. Ad posteriorem classem referendae sunt sequentes causae: 1. *Infirmitatis humanae ratio.* Voluit Deus hac ratione condescendere et consulere nostrae infirmitati, dum per homines interpretes et XIII. 3. internuntios suos humana voce nos alloqui et ad se allicere maluit quam majestatem suam exserendo, vel angelicam claritatem oculis nostris ingerendo nos a se repellere. Cum Deus in monte Sinai legem suam promulgaret et majestatem suam conspiciendam praeberet Exod. 19, v. 16. Deut. 5, v. 23. populus graviter extimescit: *Ecce* (inquiunt) *ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam, et vocem eius audivimus de medio ignis et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine vixerit homo. Cur ergo moriemur, quia devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, et possit vivere?* Idem nobis contingeret, si Deus immediate vel per angelos in sua majestate et claritate nobiscum loqueretur. Quantos enim terrores hominibus incutiat angelicae claritatis intuitus, patet ex omnibus angelorum apparitionibus, cumprimis vero ex Dan. 10, v. 17. ubi post angeli conspectum in Daniele *nihil manet virium, nec relictus est spiritus in eo.* Quomodo igitur angelorum nobiscum loquentium claritatem oculi nostri nondum glorificati perferre possent? 2. *Novarum revelationum exclusio.* Voluit Deus ostendere, quod omnibus pateat accessus ad doctrinam coelestem, quodque non sint quaerendae peculiares revelationes extra et praeter verbum, nec exspectanda angelorum e coelis ad nos descendentium praedicatio, sed quod contenti esse debeamus verbo per prophetas et apostolos revelato ac per successores ipsorum nobis praedicato, quod tam certum et immotum est, ut nec angelo e coelo aliud praedicanti credi debeat. Deut. 30, v. 11. Rom. 10, v. 6: *Mandatum quod ego praecipio tibi, non est mirabile a te, neque procul positum, nec in coelo situm, ut possis dicere, quis nobis valet ad coelum adscendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus et opere compleamus? Neque trans mare positum est, ut dicas: quis nobis transfretabit mare et illud ad nos usque deferet, ut possimus audire et facere quod praeceptum est?* Galat. 1, v. 8: *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis anathema sit.* v. 9. *Sicut ante diximus et nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit. 3. Obedientiae probatio.* Voluit Deus nostram probare obedientiam, dum homines infirmitate carnis adhuc circumdatos tanquam legatos suos audiendos et honorandos nobis sistit, non angelos natura sublimiores et eminentiores nobis. Luc. 10, v. 16. inquit Christus: *Qui vos audit,* (non angelos, sed) *me audit, et qui vos spernit,* (non angelos, sed) *me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Galat. 4, v. 14: *Tentationem in carne mea non sprevistis nec respuistis, sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.* v. 15. *Testimonium perhibeo vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis et mihi dedissetis.* 1. Thess. 4, v. 8: *Qui (haec) spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nos.* 4. *συμπάθειας excitatio.* Denique voluit Deus in ecclesia alere mutuam *συμπάθειαν*, dum praeficit illi pastores non angelos, spiritus illos purissimos ab omni peccati labe immunes, sed homines infirmitatibus carnis adhuc nobiscum obnoxios, imo quorum quidam gravissimis peccatis sese prius contaminarunt; ut ex Pauli persecutoris et Petri abnegatoris exemplo conspicuum. Illi igitur humanae fragilitatis memores eos, *qui lapsu aliquo praeoccupantur, instruunt, καταρτίζουσιν*, tanquam membra luxata molliter reponunt *in spiritu lenitatis* Galat. 6, v. 1. *ac scientes timorem Domini hominibus suadent* 2. Cor. 5, v. 11. in Graeco est *ἀνθρώπους πείθομεν*, quod Lutherus reddidit wir fahren ſchön mit den Leuten, et in glossis marginalibus sic exposuit: Wir tyranniſiren, noch treiben die Leute nicht mit bannen, ſondern lehren ſie ſäuberlich, daß wir niemand aufſtützig machen. Cum enim proprio exemplo humanae fragilitatis et infirmitatis admoneantur, ideo majori lenitate et mansuetudine erga infirmos in fide et lapsu aliquo praeoccupatos utuntur. Hanc rationem reddit Chrysostomus in orat. de Elia, ubi quaerit, *cur nec an-* XIII. 4.
gelus, nec archangelus ἐπιστεύθη ἱερατεύειν, ad sacerdotium sit electus, et respondet, *quia natura sua cum sint a peccato immunes, peccata populi repentinis fulminibus fuissent ulturi, habitam igitur esse rationem infirmitatis humanae et sacerdotium hominibus fuisse commissum.*

181. Postquam expositum fuit hactenus, quare Deus non angelorum, sed hominum opera in ministerio ecclesiastico ordinarie uti velit, explicandum porro restat, *quales personae ex hominibus ad ministerium eligendae.* Diximus hac de re superius in cap. de examine ordinandorum, quod in illis requiratur *confessionis sinceritas, docendi dexteritas et vitae ac morum integritas*, ubi etiam exposuimus causas, quare haec singula in ecclesiae ministro requirantur. Breviter dicendo, quod personae ad ministerium eligendae debeant esse *fidei rectae, vitae probatae et docendi donis instructae.* Apostolus Paulus praescribens Timotheo ac Tito formam ac normam, juxta quam examinandi et eligendi sint ecclesiae ministri 1. Tim. 3. Tit. 1. revocat omnia ad duo generalia capita. Requirit enim in episcopo virtutes duplices, quaedam sunt ipsi communes cum aliis vere piis, quaedam vero sunt ipsi propriae ac

Quales personae ex hominibus ad ministerium eligendae.

peculiares. Virtutes communes exprimuntur primo generalibus vocabulis, quod debeat esse ἀνεπίληπτος καὶ ἀνέγκλητος; secundo speciali quarundam enumeratione tum per θέσιν, quod debeat esse μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, νηφάλιος, σώφρων, κόσμιος, φιλόξενος, ἐπιεικής, τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενος, τέκνα ἔχων ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνότητος, ut est in epistola ad Timotheum; item φιλάγαθος, δίκαιος, ὅσιος, ἐγκρατής, quod additur in epistola ad Titum; tum per ἄρσιν, quod debeat esse μὴ πάροινος, μὴ πλήκτης, μὴ αἰσχροκερδής, ἄμαχος, ἀφιλάργυρος, ut est in epistola ad Timotheum; item μὴ αὐθάδης, μὴ ὀργίλος, quod additur in epistola ad Titum. Propriae et peculiares virtutes sunt, quod debeat esse διδακτικός, 1. Tim. 3, v. 2. δυνατὸς καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, ut exponitur Tit. 1, v. 9. ac μὴ νεόφυτος 1. Tim. 3, v. 6. In diaconis ibidem requiritur, ut sint σεμνοί, μὴ δίλογοι, μὴ οἴνῳ προσέχοντες, μὴ αἰσχροκερδεῖς, ἔχοντες τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες, τέκνων καλῶς προϊστάμενοι καὶ τῶν ἰδίων οἴκων, ubi notandum, quod in epist. ad Titum haec norma subjiciatur verbis illis παραγγελτικοῖς: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi, si quis est sine crimine* etc. nimirum ut ostendatur, juxta illam normam examinandos et eligendos esse presbyteros, eos scilicet, qui virtutibus ibidem enumeratis sunt instructi. In epist. ad Timotheum normae illius descriptio simpliciter proponitur, δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι etc. ut ostendatur, non sufficere, si quis talem se gerat, quando ad ministerium eligitur et in principio sui ministerii, sed requiri insuper, ut quamdiu episcopi sive presbyteri nomen et officium gerit, tamdiu ad hanc normam sese conformare modis omnibus studeat.

utes mu- in lesiae istro. 182. Facit autem apostolus communium illarum virtutum mentionem ob hanc causam, quia vitae integritas ac morum honestas cumprimis et praecipue ab episcopo requiritur, videlicet non propter istas duntaxat causas generales, quae eam a reliquis Christianis exigunt, sed etiam peculiariter hoc nomine, ut sint *exemplaria gregis*, 1. Petr. 5, v. 3. ut in omnibus ac per omnia praebeant *se typum bonorum operum*, 2. Thess. 3, v. 9. 1. Timoth. 4, v. 12. Tit. 2, v. 7. neve ob vitae improbitam ministerium suum calumniis hostium exponant, fructificationi verbi impedimentum ac remoram objiciant sicque faciant, ut doctrina et nomen Domini blasphemetur. Quando vero in enumeratione communium illarum virtutum requiritur ab episcopo, ut sit ἀνεπίληπτος
III. & καὶ ἀνέγκλητος, nequaquam id accipiendum eo sensu, quasi omnibus omnino naevis et infirmitatibus humanis carere possit episcopus, sed quod gravioribus criminibus non debeat esse obnoxius, Augustinus tract. 41. in Johan.: *Non dicit apostolus, si quis sine peccato est, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur et nullus ordinaretur, sed ait, sine crimine est, sicuti est homicidium, adulterium, aut aliqua immundicia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium et cetera hujusmodi. Crimen enim est grave peccatum accusatione et damnatione dignissimum.* Chrysostomus homil. 10. in 1. Timoth. 3: πᾶσαν εἶπεν ἀρετὴν ἀνεπίληπτον εἰπών. *Apostolus hoc unico verbo irreprehensibilem omne genus virtutis expressit. Itaque qui sibi vel levis culpae conscius est, male profecto facit eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit, non enim decet hujusmodi regere, sed potius regi. Eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis ceteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret, debet hujusmodi vitam habere immaculatam atque compositam, ut omnes in illum et in ejus vitam velut in exemplar aliquod excellens intueantur.* Gregorius lib. 23. expositionis in Jobum c. 12: *Hi qui adhuc vitiorum bello subjacent, nequaquam per praedicationis usum praeesse magisterio ceterorum debent.* Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα εἶναι in ipso requiritur, non quasi absolute omnibus ecclesiae ministris conjugium necessarium sit, nec quasi a ministerio arceantur, qui defuncta priore conjuge aliam sibi legitime sociarunt, sed castitatem et ἐγκράτειαν in episcopo his verbis apostolus requirit, ne scilicet sit πολύγαμος plurium uxorum κατὰ ταὐτό, uno eodemque tempore simul maritus, prohibet ergo ad ministerium eligi eos, qui contra sextum praeceptum peccando non sunt unius uxoris mariti, quod variis modis contingere potest, utpote si vivant in scortatione, in adulterio, si plures simul habeant uxores, si dimissa vel repudiata uxore legitima extra adulterii causam ducant aliam, si ab alio repudiatam sibi eligant etc. *ac obturat simul ora haereticis, qui nuptias criminantur, ostendens, quod hoc negotium non sit impurum, sed adeo honorabile, ut cum eo possit quis etiam sacrum episcopatus thronum adscendere*, ut commentatur Chrysostomus c. 1. epist. ad Tit. qua de re, ut et de reliquis virtutibus specialibus infra suo loco pluribus dicetur.

183. Illud vero hoc loco explicandum, *quare eum, qui in episcopum eligendus est, apostolus nolit esse* Cur νεόφυτος non sit eligendus.
νεόφυτον 1. Timoth. 3, v. 6. hoc est talem, qui sit nuper implantatus, qui a falsa religione non ita pridem ad veram, ab ethnicismo vel Judaismo ad Christianismum transiit. Rationem assignat ipse, ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου, *ne per superbiam elatus* ac typho superbiae inflatus *in judicium diaboli incidat*, hoc est ne propter superbiam eodem modo puniatur a Deo, quo diabolus punitus est, aeterno scilicet exitio; vel si nomen διαβόλου appellative accipitur, ne in judicium temerarium calumniatoris incurrat. Neophyti enim solent esse audaculi ac fastuosi, unde per imprudentiam et intempestivum zelum quandoque ea dicunt ac faciunt, quae adversariorum calumniis sunt obnoxia. c. Prohibentur. dist. 48: *Prohibentur neophyti in episcopos ordinari, ut qui heri erat catechumenus, hodie non fiat episcopus, qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in ecclesia, qui vespere erat in*

circo, hodie non ministret altario etc. *Causa autem hujus prohibitionis est, ne elatus in superbiam tanquam religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namque sacerdos nescit humilitatem et modos personarum vel sese contemnere, non jejunavit, non flevit, non se correxit, non pauperibus erogavit. In arrogantiam, quae est ruina diabdli, incidunt, qui in puncto horae necdum discipuli fiunt magistri.* Chrysostomus homil. 10. in 1. Tim. 3. p. 1571: *οὐ τὸν νεώτερον ἐνταῦθα λέγει, ἀλλὰ τὸν νεοκατήχητον, eum qui noviter esset instructus, veluti novella quaedam plantatio. Ego enim, inquit, plantavi, Apollo rigavit* etc. *ἐπειδὴ ἐξ Ἑλλήνων προσήεσαν, τότε καὶ*
XIII. 6. *ἐβαπτίζοντο, μὴ εὐθέως, φησί, νεώτερον εἰς τὸν τῆς ἀρχῆς ὄγκον ἄγετε, τουτέστι νεοκατήχητον, εἰ γὰρ πρὶν ἢ γενέσθαι μαθητὴς, διδάσκαλος γένοιτο ταχέως καὶ εἰς ἀπόνοιαν ἔρχεται, εἰ πρὶν ἢ μαθεῖν ἄρχεσθαι τῶν ἀρχόντων γένοιτο, φυσσᾶται.* 'Ambrosius in comment. hoc loco: *Rudis in fide solet extolli superbia, maxime si accipiat ordinem. Novitate enim et potestate inflatur arbitrans, se prae ceteris digniorem. Videns enim primo anno nativitatis in se collatum honorem, putat, non magis ad suum, sed ad aliorum profectum se esse vocatum, quasi beneficium religioni det magis quam accipiat ab ea, per quam rem elatus incurrit laqueum diaboli. Inventa enim occasione superbiae illius Satanas praecipitat eum.* Concilium Nicaen. can. 2: *Quoniam multa sunt sive per necessitatem, sive ex quacunque causa contra regulam gesta, ita ut homines ex vita gentilium nuper adhuc catechizati vel instructi statim ad spirituale baptisma venissent, ut continuo cum baptizati sunt, etiam ad episcopatum vel presbyterium provecti sunt; recte igitur visum est de cetero nihil tale fieri, nam et tempore opus est, ut sit catechumenus et post baptisma multa probatione indiget.* Gregorius lib. 7. epist. 3. id declarat pulchra similitudine. *Scimus* (inquit), *quod aedificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi a novitatis suae humore siccentur, ne si ante pondera, quam solidentur, accipiant, cunctam simul ad terram fabricam deponant.*

Qu. 1. An ministerium ad certam familiam alligatum.

184. Quae de ministerii ecclesiastici *subjecto* dicenda restant, quinque quaestionibus expediemus. Quaeritur 1. *an ministerium ecclesiasticum ad certam aliquam familiam sit alligatum?* Respondemus: in V. T. peculiari mandato et constitutione divina sacerdotium ad tribum Levi fuit alligatum ac pontificatus fuit hereditarius in familia Aaronis, Num. 3, v. 10: *Aaron et filios eius constitues super cultum sacerdotii; externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Quia enim sacerdotes Levitici, docente epistola ad Hebraeos, principaliter adumbrarunt Christum, ideo hoc ipso significatum fuit, officium Christi mediatoris ac sacerdotis cum nullo homine communicari. Sed in N. T. ministerium non amplius est alligatum ad certam aliquam tribum vel familiam, sed ecclesia habet liberam facultatem vocandi ad ministerium quoscunque velit, modo in doctrina et vita tales sint, ut congruant formae 1. Tim. 3. et Tit. 1. praescriptae. 1. Cum enim ecclesia non amplius angustis Judaeae limitibus sit inclusa, sed in totum orbem propagata, ideo etiam ministerium non amplius debuit esse alligatum certae alicui familiae. 2. Praeterea in N. T. sublati sunt typi ac figurae, jam vero haereditaria illa dignitas sacerdotalis in familia Levi in V. T. fuit typica. 3. Quid quod etiam in V. T. quando Levitae non faciebant suum officium, Deus ex aliis tribubus excitabat prophetas, qui ipsos in doctrina vel vita aberrantes corrigerent et in ordinem redigerent. Hieronymus in c. 66. Esaiae monet, *Deum ideo per prophetam ibidem dixisse, assumam ex eis sacerdotes et Levitas, quia in N. T. de quo ibi agitur, non erant sacerdotes nascituri ex una aliqua familia, sed assumendi ex omnibus gentibus.* Bellarminus lib. de clericis c. 6. itidem aliquot rationibus probat, *non decuisse Christianos sacerdotes carnali successione propagari*, sed quid in illis jure desiderari possit, expositum fuit superius in cap. de vocatione sect. 4. §. 99.

2. An quira[tur] certu[s an]noru[m] num[erus] in vo[can]dis.

185. Quaeritur 2. *an certus ac determinatus annorum vitae numerus requiratur in iis, qui ad ministerium eligendi sunt?* Ex Num. 4, v. 3. constat, *anno aetatis trigesimo* Levitici generis sacerdotes ad publica ministeria demum fuisse admissos (postquam per quinquennium de illis rite obeundis fuissent prius informati, ut colligitur ex Num. 8, v. 24.), quae administrabant usque *ad annum quinquagesimum.* Christus etiam in N. T. cum baptismum in Jordane suscipiens per vocem Patris coelestis et Spiritum sanctum in specie columbae descendentem ministerio inaugurraretur, *incipiebat esse fere annorum triginta* Luc. 3, v. 23. Eadem fuit aetas Johannis Baptistae, ut colligitur ex historia evangelica, siquidem semestre natus erat ante Christum, qui mox postea cum tertio mense ministerii Johannis baptizatus esset, fere absolvit annum trigesimum. Ex quo fundamento profluxit constitutio c. Cum in cunctis. Ex de elect. et elect. potest. ex concil. Lateranensi: *Cum in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint aetatis maturitas, gravitas morum et literarum scientia inquirenda, multo fortius in episcopo haec oportet inquiri, qui ad curam aliorum positus in se ipso debet ostendere, qualiter in domo Dei oporteat conversari. Ea propter, ne quod de quibusdam pro necessitate temporis est factum, trahatur a posteris in exemplum, praesenti decreto statuimus, ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui jam tricesimum aetatis annum exegerit* etc. c. Si quis. dist. 78. ex Bonifacio: *Si quis trigesimum aetatis suae annum non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus.* c. Presbyter ex concilio Neocaesariensi dist. ead.: *Presbyter ante triginta annorum aetatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitae, sed observetur usque ad praefinitum tempus. Dominus enim trigesimo anno baptizatus est et tunc praedicavit. Hoc regulare est, unde et Christus et Jo-*

hannes Baptista et Ezechiel et nonnulli prophetarum non leguntur ante hoc tempus prophetasse vel praedicasse. In auth. Presbyterum. c. de episcop. et cleric. talis exstat imperat. constitutio: *Presbyterum minorem 35 annis fieri non permittimus, sed neque diaconum vel subdiaconum minorem 25 annis, nec lectorem minorem annis 18. Item episcopum minorem annis 35 ordinari prohibemus.* Postulari tamen poterit episcopus, qui 27. aetatis annum attigit ex constitutione Johannis XXII. c. unic. de postulatione in Extravag, commun. Nostra haec est sententia, quod de aetate eligendorum ad ministerium non possit generalis quaedam regula tradi, sed quod ἱκανότης hic sit respicienda, quae in quibusdam citius, in quibusdam tardius animadvertitur. 1. Statutum de anno trigesimo prius exspectando, antequam sacris ministeriis quis adhibeatur, fuit Leviticum, ideoque nos in N. T. haudquaquam obligat. 2. Christus etiam suo exemplo noluit certam regulam praescribere et certum annorum numerum in eligendis ad ministerium determinare. 3. Nec apostolus in forma, juxta quam eligendi sunt ministri, ullam certae aetatis mentionem facit, cum tamen de vidua ad certas quasdam operas ecclesiae praestandas eligenda et sumtibus ecclesiae alenda dicta 1. Tim. 5, v. 9: *Vidua eligatur non minor sexaginta annis.* 4. Sed de Timotheo episcopo dicit 1. Tim. 4, v. 12: *Nemo adolescentiam tuam contemnat,* quae verba expendens Chrysostomus homil. 10. in 1. Tim. 3. sic scribit: *Neophytum excludens non significare voluit aetatem adolescentiae* etc. *nam profecto si adolescentiam signare voluisset, nihil dicere prohibebat, non adolescentem. Ne ipse quidem cum ad Timotheum scriberet, aetatem in episcopo summopere inquirendam monuit, cum dicit, nemo adolescentiam tuam contemnat.* Ambrosius in comm. 1. Tim. 4: *Timotheus quantum ad aetatem pertinet, juvenis erat, quantum ad mores et conversationem senior et gravis, quem ideo sic monet, ut profectus ejus per omnia exemplum esset bonorum operum, ut in adolescente mirabilis videretur, et gravis disciplina, ut actus ejus excusarent aetatem, et non quasi juvenis, sed quasi senior haberetur et erubescerent majores natu, nisi se exhibuissent juxta formam hujus conversatione et moribus graves, juvenes autem coaevum suum haberent magistrum.* Huc referendum etiam divinum oraculum Jeremiae prophetae datum Jerem. 1, v. 7: *Ne dicas, puer sum, ad omnia, ad quae mittam te, ibis et universa, quae praecipiam tibi, loqueris.* Quod enim aetati juvenili deest, senili morum gravitate compensatur in illis, qui mente prius canescunt quam mento. Bernhardus in epist. ad Theobaldum: *Multos videmus juniorum super senes intendere moribus dies, antiquorum tempora praevenire meritis et quod deest aetati, virtutibus compensare.* c. Presbyter dist. 78: *Regulare est, quod presbyter ante 30 annorum aetatem non ordinetur, verum quia Jeremias et Daniel ante juvenilem aetatem spiritum prophetiae accepisse leguntur, David quoque et Salomon in adolescentia uncti inveniuntur, et Johannes Evangelista cum adhuc esset adolescens a Domino in apostolum electus et cum aliis ad praedicandum missus invenitur, Paulus quoque apostolus in adolescentia a Domino electus et ad praedicandum missus asseritur; ecclesia similiter necessitate exigente nonnullos ante 30 annos ordinare consuevit.* **Ambrosius de Acholio: *Vere senectus illa venerabilis est, quae non canis, sed meritis albescit. Ea est enim reverenda canities, quae est canities animae in canis cogitationibus et operibus affulgens. Quae est enim vere aetas senectutis, nisi vita immaculata, quae non diebus aut mensibus, sed seculis propagatur, cujus sine fine est diuturnitas, sine debilitate longaevitas?*** Neque tamen probari nobis potest, quod referente Erasmo in papatu saepius eligantur ad beneficia ecclesiastica etiam *curata* (ut loquuntur), hoc est quae curam animarum conjunctam habent, qui aetate adhuc sunt immatura.

186. Quaeritur 3. *an etiam feminae ad ecclesiastica officia adhibendae?* De *Pepuzianis* refert Augustinus in lib. de haeresib. ad Quodvultdeum c. 27. *quod tantum dederint mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur.* Dicebant enim, *Quintillae et Priscillae in civitate deserta Pepuza Christum specie feminae revelatum.* Idem de Pepuzianis et Collyridianis Epiphanius haeres. 19. et 79. refert. Sed apostolus Paulus sexum femineum a publico in ecclesia docendi munere disertis verbis removet 1. Cor. 14, v. 34: *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit;* v. 35. *si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.* et 1. Tim. 2, v. 12: *Docere mulieri non permitto neque dominari in virum, sed esse in silentio.* v. 13. *Adam enim primus formatus est, deinde Eva;* v. 14. *et Adam non est seductus, mulier autem seducta fuit in praevaricatione.* **Rationes sunt 1. quia contra ordinem naturae est et legis Gen. 3, v. 16. ut in conspectu virorum feminae eis subditae loquantur, quod observavit Ambrosius; 2. quia est praeter earum verecundiam et humilitatem; 3. quia vir melioris est judicii, discretionis et discursus quam femina. *Muliebre genus lubricum, erroneum atque intellectu humili praeditum,* ait Epiphanius haeres. 79. 4. *jure tacere jubetur femina,* ait Anselmus, *quae, cum loqueretur, viro suo suasit peccatum;* 5. quia frenum injiciendum est loquacitati, *quae in hoc sexu fere nimia est,* Chrysostomus hom. 9. 1. Tim.** Extraordinarie quidem aliquae feminae in V. et N. T. dono prophetiae fuere instructae ac nuntium resurrectionis mandato Christi feminae ad apostolos retulerunt, Matth. 28, v. 10. Joh. 20, v. 17. quin et Priscillam apostolus vocat *suam in Domino adjutricem* Rom. 16, v. 3. sed ex eo inferri nequit, quod *ordinarium* in ecclesia publice docendi munus extra necessitatis casum ipsis sit committendum. Rom. 16, v. 1. Phoebe vocatur *ecclesiae Cenchreensis* διάκονος sive *ministra*, per quam Paulus epistolam suam ad

3. An etiam feminae ad ministerium ecclesiasticum adhibendae?

Romanos e Corintho misit, id vero nequaquam accipiendum de publico docendi in ecclesia munere, sed de cura aegrotorum, pauperum et peregrinorum etc. ** 1. Tim. 3, v. 11. mentio fit *diaconissarum.* Hoc textu abutebantur olim Cataphryges seu Pepuziani ac mulieribus sacerdotium concedebant, quas diaconissas appellabant referente Augustino de haeres c. 27. Epiphanio haeres. 79. ut enim viri ordinabant diaconos, ita feminae diaconissas. Sed Paulus ibi non agit de diaconissis ratione ministerii ecclesiastici sic dictis, sed de diaconorum uxoribus.** Privatim tamen familiam sive domesticam ecclesiam instituere et possunt et debent piae feminae. Distinguendum igitur 1. inter munera ecclesiastica in genere et officium docendi in specie; 2. inter institutionem publicam sive ecclesiasticam et privatam sive domesticam; 3. inter ordinariam regulam et casum necessitatis extraordinarium.

4. An vitio corporis affectis committendum sit ministerium. XIII. 9.

187. Quaeritur 4. *an vitio corporis affectis ministerium sit committendum?* Respondemus: Levit. 21, v. 17. exstat diserta prohibitio: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Loquere ad Aaron, homo de semine tuo per familias suas, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo*, v. 18. *nec accedet quisquam talis ad ministerium ejus, si coecus fuerit, si claudus, si vel parvo vel grandi naso,* v. 19. *si fracto pede, si manu,* v. 20. *si gibbosus, si tenuis, si pelliculam habens in oculo, si vel sicca vel humida scabie plerumque infestetur, vel herniosus.* Sed praeceptum hoc fuit ceremoniale sive Leviticum summam unici sacerdotis in N. T. Christi Jesu perfectionem et ab omni peccati labe immunitatem denotans, Hebr. 7, v. 1. ideo in N. T. iste rigor cessavit. Theodor. q. 30. in Levit.: *Per affectiones illas non sponte susceptas prohiberi agit voluntarias passiones.* Gregorius etiam l. 1. pastor. c. 11. isthaec omnia allegorice ad animam transfert. *Coecus est* (inquit), *qui supernae lucem contemplationis ignorat, qui praesentis vitae tenebris pressus, dum lucem venturam nequaquam diligendo conspicit, quo gressus operis porrigat, nescit. Claudus est, qui quidem quo peragere debeat, adspicit, sed per infirmitatem mentis vitae viam perfectae non valet tenere, quam videt, quia videlicet dum quis ad virtutis statum fluxa consuetudine non erigitur, quo desiderium ejus nititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est, naso quippe odores foetoresque discernimus, recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Nasus grandis et tortus est discretionis subtilitas immoderata, quae dum plusquam decet, excreverit, actionis suae rectitudinem ipsa confundit. Fracto pede vel manu est, qui viam Domini pergere omnino non valet atque a bonis actibus funditus exors vacat, quatenus haec non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnibus alienus existat. Gibbosus est, quem terrenae solicitudinis pondus deprimit, ne unquam ad superna respiciat, sed solis his, quae in infimis calcantur, intendit* etc. *Lippus est, cujus sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Albuginem habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur, qui arrogantia sapientiae seu justitiae excoecatur. Jugem scabiem habet, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. Impetiginem habet in corpore, quisquis avaritia vastatur in mente, quae si in parvis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Ponderosus est, qui totis cogitationibus ad lasciviam defluens pondus turpitudinis gestat in corde et quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non avellitur mente.* Haec omnia Gregorius, qui singulorum membrorum explicationem ex Scripturis ibidem probare conatur. Quamvis vero ecclesia N. T. non sit praecise ad legem illam Leviticam alligata, tamen εὐσχημοσύνης ergo, quantum fieri potest, tales ministri sunt eligendi, qui ob defectum aliquem corporis non sint aliis contemtui, quin etiam propter defectus quosdam insigniores quidam omnino a ministerio excluduntur. In jure canonico de hac quaestione exstant sequentes canones. c. Communiter dist. 33: *Communiter definimus, ut nullus de iis, qui aut in terra arrepti a daemonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscusse se ingerant sacramentis divinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti sine hujusmodi passionibus in terra probantur elisi* etc. c. Clerici dist. ead. ex Gelasio: *Clerici qui in adolescentia a daemonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum adscendere non possunt.* c. Poenitentes. dist. 55. ex syn. Rom.: *Aliqua membrorum damna perpessi ad sacros ordines adspirare non audeant. Corpore autem vitiati intelliguntur non casu, sed propria voluntate abscissi.* c. Si quis absciderit dist. ead. ex can. Ap.: *Si quis semetipsum absciderit, hoc est si quis sibi amputaverit virilia, non fiat clericus, quia sui est homicida et Dei conditioni inimicus.* c. Priscis. dist. ead. ex Gelas.: *Ad clericale munus non accedat, qui est vel ab adolescentia sordidatus vel corpore vitiatus* c. Qui partem. dist. XII
ead. ex Innocentio: *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt; cui vero casu aliquo contigerit, dum operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percutit, hos canones praecipiunt et clericos fieri, et si in clero reperti fuerint, non abjici. In illis enim voluntas est vendicanda, quae sibi causa fuit ferrum injicere, in istis autem casus veniam meruit. Similiter vero intelligendum est de his, qui per languorem a medicis secantur, aut a barbaris abscinduntur, aut a dominis castrantur.* Idem habetur c. Si quis a medicis. c. Eunuchus. c. Si quis pro aegritudine. c. Si quis in infirmitate. c. Lator. dist. eadem. Sed de superveniente corporis vitio post susceptam scilicet ordinationem aliter statuunt. c. Praecepta. dist. ead: *Praecepta canonica, quibus ecclesiastica regitur disciplina, sicut non patiuntur venire ad sacerdotium debiles cor-*

pore, ita si quis in eo fuerit constitutus ac si tunc fuerit sauciatus, amittere non potest, quod tempore suae sinceritatis accepit. Hoc autem (subjungit Gratianus) *non de omnibus membris intelligendum est, qui enim oculum casu amiserit, licet desit voluntas, tamen sacerdotium adipisci non potest*, quod probat ex constitutione Gelasii. Sed ad severitatem horum canonum non sumus simpliciter alligati, praestat enim ministrum carere oculo alterutro quam ecclesiam idoneo ministro.

5. An spurii ad ministerium promovendi.

188. Quaeritur 5. ***an spurii ad ministerium promovendi?* Deut. 23, v. 2: *Non ingredietur in ecclesiam mamzer.* Sap. 3, v. 16: *Filii adulterae non proficient.* c. 17. caus. 1. q. 7. Tali conjugio (vi raptarum) generati ecclesiasticis ordinibus non applicentur, nisi forte eos aut maxima ecclesiae utilitas vel necessitas postulet, vel evidens meritorum praerogativa commendet. Decret. l. 1. tit. 17. c. 1. et 2: *Ut filii presbyterorum et ceteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur.* Paulus neque ad Timotheum, neque ad Titum spurios excludit ab episcopatu vel diaconatu, nisi huc referre velimus illud, quod in genere dicit: *Oportet illum habere bonum testimonium ab extraneis.* In off. decuriones fieri possunt spurii, si necessitas id postularit. Si tamen alius competitor aeque dignus ac legitime natus adfuerit, is spurio praeferendus. Chrysostomus hom. 4. op. imp. in Matth. non vult, ut hujusmodi natales liberis fraudi sint, et utitur hoc argumento: *Si fur, homicida, vel adulter egerit poenitentiam, prior vita illi fraudi non erit, multo minus patris peccatum filio fraudi esse debet, qui si recte se gerat, tanto erit illustrior et majori laude dignus, quod patrem non fuerit secutus.* Hieronymus ad Pamm. dicit, *spurios non esse contemnendos, quod habuerint manum Dei opificis, nec Deus dedignatus sit illos fingere eisque animam adolere.* Item: *Si Christus dignatus est spurios in sua genealogia recenseri, cur nos eos non admittimus ad ministerium?* Canones hic sunt diversi, quidam admittunt spurios, quidam vero rigidiores eos excludunt. Vide in seq. artic. quaest. *an spurii ad magistratum admittendi.*** Quaeritur 6. *an invitis deferendum sit ministerium ecclesiasticum?* Sozomenus lib. 6. histor. ecclesiast. c. 30. ac Socrates lib. 4. histor. ecclesiast. c. 18. de *Ammonio monacho* referunt, quod cum ad episcopatum gerendum impelleretur, clam aufugerit *dextramque sibi auriculam praeciderit*, ut corporis deformitas impedimento esset, quominus ad id munus deligeretur. Postea cum Evagrius ad episcopatum a Theophilo episcopo Alexandrino delectus *ex occulto itidem aufugeret*, nullo corporis membro amputato, Ammonioque forte fortuna occurreret et facete illum propterea perstringeret, quod auriculam praecidendo facinus fecisset seque coram Deo reum ipse peregisset, Ammonius illi respondens: *At tu*, inquit, *non putas, te poenas daturum, quod lingua propter nimium tui ipsius amorem excisa, gratia quae donata est tibi, minime usus es?* **Augustinus epist. 204. Donato neganti, *quenquam ad bonum cogendum esse*, sic respondet: *Attende, quid apostolus dixerit: Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, et tamen tam multi, ut episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quae nolunt, donec ipsis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Ambrosius epist. 82. de se testatur, quod coactus fuerit, ut episcopatui vel invitus humeros subjiceret. Augustinus epist. 225. seu 5. tertiae seriei, Tagastae in propria patria vere invitus a plebe raptus est ad presbyterium. De Piniano viro clarissimo Melaniae marito ibidem memorat, quod Melania ipsa renitente et reclamante per vim presbyter fuerit ordinatus. Hieronymus epist. 60. 61. 62. de Pauliniano fratre suo memorat, quod summa vi adhibita et diaconus et postea presbyter ab Epiphanio factus sit. De Fr. Thoma miraculis claro in lib. Conform. refertur, quod pollicem sibi amputaverit propter humilitatem, ne sacerdos fieret.** Similia recusationis exempla in historia ecclesiastica occurrunt complura. Quamvis XIII. 11.
vero ad ministerium *ipsis angelicis humeris tremendum*, ut Bernhardus loquitur, non sit temere prosiliendum, quamvis etiam ex sincera cordis humilitate cum apostolo dicendum sit, πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; 2. Cor. 2, v. 16. unde etiam Christus Matth. 9, v. 38. utitur voce ἐκβάλλειν, ut ostendat, hoc munus tam arduum esse, ut nemo illius difficultates expendens facile id sibi imponi patiatur; tamen si quis per legitimam vocationem ad officium docendi ab ecclesia postulatur ac sibi conscius est necessariorum requisitiorum, nequaquam ex diffidentia debet vocationem recusare, multo minus in fugam se cum Jona conjicere, minime omnium corpori vitium aliquod inferre, sed fretus Dei promissione et auxilio praemissis seriis ad ipsum precibus oblatam functionem ecclesiasticam suscipiat. Cum Moyses a Deo vocaretur ad eductionem Israëlitarum ex Aegypto ipseque tergiversaretur dicens Exod. 4, v. 10: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri et nudius tertius; et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguae sum;* tunc Deus ipsum erigit et confirmat promissione suae gratiosae praesentiae et auxilii v. 12: *Ego ero in ore tuo doceboque, quid loquaris.* Sed cum tergiversando pergeret dicens v. 13: *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es;* iratus Dominus in Moysen fuisse dicitur. Ergo non placet Deo praepostera legitimae vocationis ex diffidentia profecta reluctatio. Jonas quoque detrectans officium Ninivitis praedicandi exorta propter ipsum in mari tempestate praeceps in illud projicitur Jon. 1, v. 15. Laboranti igitur et operas nostras desideranti ecclesiae non debemus ministerium denegare. In fragmentis apostolorum a Steph. Praetorio editis Petrus ad Clementem dixisse fertur: *Ne refuge suscipere ecclesiae gubernacula peccati periculo deterritus, quin potius statue, te plus peccare, si populum Dei in mediis fluctibus periclitantem, cum possis juvare, tua opera destituas. Si autem pro omnium salute invigilabis, pro*

6. An invitis deferendum sit ministerium.

omnium salute praemia accipies. Quo etiam pertinet illud Augustini lib. 19. de civ. Dei c. 19: *Locus superior, sine quo populus regi nequit, non decenter appetitur, quamobrem otium sanctum quaerit caritas veritatis, negotium justum suscipit necessitas caritatis, quam sarcinam si nullus imponit, percipiendae atque intuendae vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem, sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas et opprimatur justa necessitas.* Itemque ejusdem contra Manichaeos, quod allegatur in c. Olim. caus. 8. q. 1: *Olim jussus est frater praemortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi suscitaret sobolem ejusque nomine vocaret, quod inde nasceretur, quodsi recusaret, discalceatus uno pede conspui solebat in faciem. Nunc evangelii quisque praedicator ita debet in ecclesia laborare, ut defuncto fratri, hoc est Christo, suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, et quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat. At vero qui electus ab ecclesia ministerium evangelizandi et baptizandi renuerit, ab ecclesia ipsa digne meritoque contemnitur. Qui enim et sibi prodest et ecclesiae, bene intelligitur utroque pede calceatus, unde illud, quam speciosi pedes evangelizantium* etc. *qui vero lucrandorum curam refugit aliorum, discalceati illius non figuratum significavit, sed in se impletum portavit opprobrium* etc. **Leo et Anthemius l. Si quenquam 31. c. de episc. et cler.: *Tantum ab ambitu debet esse sepositus episcopus, ut quaeratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi, profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus invitus.* Bernhardus serm. 12. in Cant.: *Fratres revereamur episcopos, sed vereamur labores eorum, si labores pensamus, non affectemus honores, agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles et femineos humeros virorum supponere sarcinis.*** Proinde si
XIII. 12. quis modeste et honeste suam adducens infirmitatem initio recusat ministerii partes suscipere, persuadendus est bonis rationibus, ut Deo vocanti pareat, sin vero in recusatione sua constanter pergat, invitus nequaquam eligendus vel ordinandus, 1. Cor. 16, v. 12. neque enim *placent Deo coacta servitia*, sed spontaneum sibi deferri expetit obsequium, Psalm. 110, v. 3. ac Petrus 1. epist. 5, v. 2. ad officium hoc rite peragendum μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλὰ ἑκουσίως ἐπισκοποῦντας requirit. Gregorius lib. 6. epist. 169. ad Cyriacum: *In scripturis vestris vos magnopere requiem quaesiisse narratis, sed per hoc ad pastoralem solicitudinem vos congrue venisse ostenditis, quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus* etc. *Pastori sanctae ecclesiae dicitur, pasce oves meas, ex quibus verbis colligitur, quod si is, qui valet, omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit, se pastorem summum minime amare. Si enim unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de secreto Patris ad publicum nostrum egressus est, nos quid dicturi sumus, qui secretum nostrum praeponimus utilitati proximorum? Quies itaque nobis ex corde appetenda est, et tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit, qui praedicet, occupationis onus libenti necesse est humero subire, quod ex duorum prophetarum opere docemur, quorum unus praedicationis officium vitare conatus est et alter appetiit, nam mittenti se Domino Jeremias respondit dicens: Ah Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Et cum omnipotens Deus ad praedicandum sibi personam quaereret dicens: Quem mittam et quis ibit ex vobis? ultro se obtulit Esaias dicens: Ecce ego, mitte me. En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit. Duo quippe sunt praecepta caritatis, amor Dei et proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Esaias officium praedicationis appetiit; per contemplativam vero Jeremias amori conditoris sedulo inhaerere desiderans, ne mitti ad praedicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter unus appetiit, hoc laudabiliter alter expavit. Iste ne tacitae contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia et is, qui recusavit, plene non restitit, et is, qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatum vidit, ne aut non purgatus adire quisquam mysteria sacra audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat.*

SECTIO POSTERIOR.

DE MATERIA CIRCA QUAM MINISTERII.

189. *Materiam circa quam sive objectum ministerii* diximus esse gregem Dominicum pastorum curae et fidei commissum, 1. Petr. 5, v. 2: *Pascite eum, qui in vobis est, gregem.* Quemadmodum oeconomus occupatur in familia sibi commissa recte gubernanda, ita ministri ecclesiae sunt *oeconomi* ac dispensatores mysteriorum Dei 1. Cor. 4, v. 1. occupantur igitur in domo Dei, quae est ecclesia, recte regenda. Act. 20, v. 28: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos ποιμαίνειν, pascere, ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine.* 1. Tim. 3, v. 14: *Haec scribo tibi,* v. 15. *ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei versari, quae est ecclesia Dei vivi.* Huc pertinet parabola Christi Luc. 12, v. 42: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* v. 43. *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit ita facientem.* Itemque altera illa Matth. 13, v. 52: *Omnis scriba doctus ad regnum coelorum similis est homini patri-*

Materia circa quam sive objectum ministerii

familias, qui profert de thesauro suo nova et
III. 13. *vetera.* Quemadmodum enim paterfamilias non unum eundemque cibum omnibus proponit, sed alium servis, alium filiis, alium hospitibus honoratioribus; ita quoque minister ecclesiae pro diversitate auditorum alia atque alia doctrinae coelestis capita tractat, pervicacibus, praefractis et impoenitentibus proponit comminationes legis, contritis ac territis conscientiis evangelium. Item unam eandemque doctrinam aliter tractat coram rudioribus et simplicioribus, aliter coram eruditis et provectioribus, 1. Cor. 3, v. 2: *Lac vobis dedi, non escam, nondum enim poteratis,* atque hoc est ὀρθοτομεῖν, *recte secare verbum veritatis* 2. Tim. 2, v. 15. Quemadmodum pastor alio modo tractat oves sanas quam aegrotas, adultas quam tenellas; ita quoque pastor Dominici gregis ovium sibi concreditarum diversitatem respiciens ita eas pascat, ut quod *infirmum, consolidet; quod aegrotum, sanet; quod confractum, alliget; quod errans, reducat; quod periit, quaerat,* Ezech. 34, v. 4. Quemadmodum medicus ac chirurgus pro diversitate morborum ac vulnerum pharmaca et emplastra mutat atque re ita exigente cauteria et sectiones adhibet; ita quoque verbi minister pro diversitate auditorum modo leniores, modo acerbiores reprehensiones adhibeat, quin et necessitate ita exigente mortuum membrum excommunicationis gladio abscindat; ac cum quatuor potissimum instrumenta muneris sui recte et salutariter obeundi divinitus sibi data acceperit, quae sunt *verbi et sacramentorum mysteria, disciplina et bona ecclesiastica,* ideo in horum dispensatione et administratione pro diversitate personarum, cum quibus ipsi res est, eo modo se gerat, ut olim audiat laetissimum illud Christi προσφώνημα Matth. 25, v. 21: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* De quo piorum ecclesiae ministrorum officio inferius plura.

CAPUT V.

DE FORMA MINISTERII.

ma- l- ii. 190. *Formam ministerii* docendi causa possumus statuere duplicem, *internam et externam.* Interna est *potestas ecclesiastica* divinitus huic muneri concessa ad hominum aedificationem, 2. Cor. 10, v. 8. Illam potestatem vocamus ministerii formam internam, quia est quasi anima illius, si enim absque potestate ecclesiastica esset, non posset ministerium consistere, nec partibus sui muneris rite fungi. Externam ministerii formam constituimus *in diversis gradibus et ordinibus* ministrorum, quibus externa ministerii facies decorata in oculos hominum incurrit.

SECTIO PRIOR.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

191. Quidam existimant, ecclesiastico *ministerio* non posse nec debere *potestatem* aliquam tribui, 1. cum ipsa ministerii appellatio potestatem ἀρχικὴν excludat; 2. cum Christus respectu potestatis magistratum politicum et ministerium ecclesiasticum sibi invicem opponat, Matth. 20, v. 25. Marc. 10, v. 42. Luc. 22, v. 25: *Reges gentium dominantur, et qui potestatem habent, benefici vocantur, vos autem non sic*; 3. cum Paulus neget, se ac reliquos apostolos *dominari fidei piorum,* 2. Cor. 1, v. 24.; 4. cum Petrus prohibeat, ne *presbyteri dominentur populo Christiano,* 1. Petr. 5, v. 3. Sed haec et similia nequaquam omnem, sed 1. αὐτοκρατορικὴν ac 2. πολιτικὴν potestatem ministerio ecclesiastico derogant, illa enim soli Deo competit, haec vero magistratui civili divinitus concessa est, ideoque neutram earum ministerium ecclesiasticum sibi arrogare debet. Quod autem praeter illam αὐτοκρατορικὴν et πολιτικὴν potestatem detur adhuc alia ministerio ecclesiastico competens, demonstratur *1. Scripturae dictis.* Matth. 18, v. 17: *Si frater in te peccans arbitros non audierit, dic ecclesiae; si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus.* v. 18. *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta in coelo.* Joh. 20, v. 23. potestas clavium datur apostolis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt.* 2. Cor. 10, v. 8: *Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem et non in destructionem vestram, non erubescam.* 2. Cor. 13, v. 10: *Ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam dedit mihi Dominus.* *2. Honorificis ministrorum encomiis.* Vocantur enim *pastores, patres, doctores,* προεστῶτες, ἡγούμενοι, ut ostendimus superius, quae encomia non possent habere locum, nisi potestas quaedam ipsis esset data. *3. Exemplis.* Christus et apostoli in ministerio usi sunt potestate clavium. Paulus 1. Cor. 5, v. 4. incestuosum Corinthium excommunicat etc. *4. Rationibus.* Absque potestate aliqua ecclesiastica non potest ministerium partes sui officii peragere, nec σύστημα corporis Christi mystici consistere. Ergo Deus talem potestatem ministerio dedit. Antecedens est manifestum, quia officium ministrorum consistit in praedicatione verbi, administratione sacramentorum, exercitio clavis ligantis et solventis, vigore disciplinae ecclesiasticae; jam vero haec omnia non possunt locum habere absque potestate aliqua ecclesiastica. Pertinet etiam ad conservandam corporis mystici unitatem et integritatem, ut praefracte facinorosi ex ecclesiae consortio expellantur et poenitentes iterum recipiantur, 1. Cor. 5, v. 7. 2. Thess. 3, v. 14. id vero fieri nequit absque aliqua ecclesiastica potestate. Deinde

An ministerio ecclesiastico competat potestas.

XIII. 14.

ut reliquis ecclesiae ordinibus, politico scilicet et oeconomico, potestas aliqua divinitus est concessa, ita quoque ordini ecclesiastico aliquam potestatem esse datam in propatulo est. Quemadmodum enim nec politicus, nec oeconomicus ordo potest obtinere finem suum, propter quem institutus est, nisi per potestatem cuilibet illorum ordinum concessam; ita nec ecclesiasticus ordo potest obtinere finem, propter quem divinitus institutus est, nisi per aliquam potestatem itidem divinitus ei concessam.

Qualis potestas ministerio data. 192. *Quae vero et qualis sit illa potestas* ministerio data, plurimum variant sententiae. Episcopi enim Pontificii, cumprimis vero episcoporum episcopus pontifex Romanus potestatem tum ecclesiasticam absolutam, tum politicam sibi arrogat, contra Dei verbum, quod potestatem ecclesiasticam certis limitibus determinavit et politicam ab ea distinctam esse voluit. Antequam vero de abusu ecclesiasticae potestatis, qui in regno Pontificio obtinuit, disseramus, explicabimus prius, in quo *potestas ecclesiastica* ministerio data juxta praescriptum verbi divini sit statuenda. Augustana confessio in artic. sept. abusuum c. de potest. eccles. sic loquitur: *Sentiunt* (nostri), *potestatem clavium seu episcoporum juxta evangelium esse potestatem seu mandatum Dei praedicandi evangelii, remittendi et retinendi peccata et administrandi sacramenta. Nam cum hoc mandato mittit Christus apostolos: Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos. Accipite Spiritum s. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Ite, praedicate evangelium omni creaturae* etc. Ex quibus colligitur, quod potestas ecclesiastica sit duplex, videlicet 1. *potestas praedicandi verbum et administrandi sacramenta;* 2. *potestas clavium*, per quam peccata remittuntur vel ligantur. Illam vocant potestatem *ordinis*, hanc vero *jurisdictionis*, in qua nomenclatura quamvis
XIII. 15. aliquid desiderari possit, tamen cum usu ecclesiae sit recepta, ideo sano sensu eam retinemus. Sunt qui triplicem potestatem ecclesiasticam statuunt, *ministerii*, *ordinis et jurisdictionis*. Illam vocant auctoritatem et potestatem publice praedicandi verbum et administrandi sacramenta per legitimam vocationem datam; istam statuunt in certis gradibus partim jure divino, partim positivo seu approbatione ecclesiae introductis; hanc in disciplina ecclesiastica seu potestate clavium. Haec diversitas in enumeratione partium potestatis ecclesiasticae distinctione quadam conciliari potest. Si respectus habeatur *ad potestatem ministerio divinitus concessam*, illa absolvitur duabus istis partibus, videlicet potestate tum praedicandi verbum et administrandi sacramenta, tum potestate clavium; illa etiam potestas omnibus ministris ex aequo communis est, cum in infimo ministerii ecclesiastici gradu constitutus aeque eam obtineat atque is, qui reliquis ministris praefectus est. Si vero respectus habeatur *ad potestatem certo ministrorum gradui ab ecclesia concessam*, tunc potestas ordinis a potestate ministerii dicto modo distingui potest, nimirum ut potestas ministerii dicatur ea, quae in praedicatione verbi et administratione sacramentorum consistens omnibus ministris ex aequo competit; potestas vero ordinis, quae propter gradus in ministerio eminentiam certis personis ecclesiasticis propria est, non tamen jure quodam divino, sed ecclesiae institutione. Sic episcopi majorem habent potestatem quam presbyteri, nimirum non ministerii, sed ordinis respectu, ex quo facile apparet, quod potestas ordinis diversimode accipiatur. Qui enim διχοτομίᾳ utuntur, potestatem ecclesiasticam *in ordinis et jurisdictionis* potestatem distribuentes, illi per potestatem ordinis intelligunt eam, quae in praedicatione verbi et administratione sacramentorum consistit, quam alii vocant potestatem *ministerii*. Qui τριχοτομίᾳ utuntur, potestatem ecclesiasticam in ministerii, ordinis et jurisdictionis potestatem distinguentes, per potestatem ordinis intelligunt eam, quae propter gradus eminentiam ab ecclesia institutam certis quibusdam personis ecclesiasticis est propria. Ministerium est ordo divinitus institutus, et in ministerio sunt diversi ordines ab ecclesia introducti, ad illum respiciunt διχοτομοῦντες, ad hos vero τριχοτομοῦντες. ** Becanus in resp. ad aphorismos Calvinistarum p. 68: *Ecclesiastica potestas est triplex, una ordinis, altera jurisdictionis interioris, tertia jurisdictionis exterioris. Prima refertur ad sacramenta conficienda et ministranda; altera ad regendum populum Christianum in foro conscientiae; tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori. Ad potestatem ordinis spectat consecrare eucharistiam, confirmare, ordines conferre, chrisma conficere, oleum infirmorum benedicere. Ad potestatem jurisdictionis interioris jus dicere in foro conscientae, id est absolvere vel ligare. Ad potestatem jurisdictionis exterioris synodum convocare, constitutiones condere, causas audire et cognoscere, beneficia conferre, excommunicare vel aliis modis delinquentes punire.* **

193. *Potestatem ordinis* quidam vocant αὐθεντικήν; sed appellatio αὐθεντικῆς potestatis gloriosior Potest ordini
videtur, quam ut ministerio conveniat, quia solus Deus αὐθεντικῶς in ministerio agit, ideo illi soli absoluta potestas competit; sed ministri non nisi ὀργανικῶς agunt, ideo actiones suas ad divinum arbitrium et praescriptum accommodare debent. Ad hanc ordinis potestatem cum pertineat, uti dictum fuit, praedicatio verbi, ideo ad eam referri quoque debet *publica Scripturae interpretatio*, qua coram tota ecclesia verus Scripturae sensus eruitur et ad auditorum informationem accommodatur, ea vero non debet esse ἰδίας ἐπιλύσεως, 2. Pet. 1, v. 20. sed *fidei analoga* Rom. 12, v. 7. hoc est conveniens cum praecipuis et apertis Scripturae pronuntiatis verae religionis fundamenta continentibus. Quidam ad eam referunt *potestatem νομοθετικήν*, quae sancit utiles et salutares constitutiones cum verbo Dei congruentes, *decorum et ordinem* spectantes, 1. Cor. 14, v. 40. quarum quaedam respiciunt ritus et cerimonias, quaedam vero disciplinam rectamque vivendi normam etc. sed quia illarum constitutionum sanctio

non ad solum ministerium, sed etiam ad Christia-
16. num magistratum utriusque tabulae decalogi custodem pertinet ac cum consensu ecclesiae fieri debet, ideo ad potestatem ordinis ministerio propriam non satis commode referri potest. ** Habet ecclesia potestatem faciendi constitutiones, sed non nisi de actibus adiaphoris et mediis, *quas propterea veteres decreta potius et κανόνας appellare maluerunt quam νόμους*, ut scribit Socrates l. 3. c. 6. et l. 6. c. 36. de actibus autem necessariis et ad essentiam fidei pertinentibus normam et leges veluti fundamentales regni Christi nullam condemnandi, sed tantum judicandi potestatem habet, eamque ipsam non nisi delegatam, ministerialem et ἑρμηνευτικήν.** Quidam potestatem ordinis subdistinguunt in duas species, videlicet in δογματικήν, quae est facultas ecclesiae circa doctrinam et fidei dogmata, videlicet potestas custodiendi Scripturas instar tabellionis, eas diligenter legendi, secundum Scripturas de dogmatibus judicandi, genuinas et germanas scripturas a falsis et adulterinis instar vindicis discernendi, doctrinam ex Scripturis approbandi ac falsam doctrinam improbandi; et διατακτικήν seu *constitutivam*, quae est potestas ecclesiae in rebus externis et indifferentibus canones ac regulas ad ordinem et decorum, item certos ritus constituendi ac ad fovendum ecclesiae membrorum in externo cultu consensum stabiliendi vel etiam abrogandi, prout ecclesiae necessitas vel utilitas postulat. Sed hae potestates ad totam ecclesiam pertinent, non autem ecclesiastici ordinis sunt propriae, quamvis primas ac praecipuas illius partes ministerio ecclesiastico competere facile concedamus.

testas jurisdictionis.

194. *Potestas jurisdictionis*, quam vocant κριτικήν, in usu clavium consistit. Est autem duplex clavium potestas, *solvens et ligans*, Matth. 16, v. 19. Joh. 20, v. 23. Quamvis enim unum sit verbi ministerium, quo peccata solvuntur et ligantur, proinde etiam generica consideratione una clavis ad aperiendum et claudendnm regnum coelorum efficax; tamen pro diversitate objectorum, mediorum et effectorum una clavis dicitur *solvens*, qua poenitentes a peccatis absolvuntur et coelum illis aperitur; altera *ligans*, qua impoenitentibus peccata retinentur et coelum illis clauditur. Illa vocatur *absolutio*, haec *excommunicatio*. Utraque vel publice, vel privatim exercetur. Absolutio publica est, quando omnibus vere poenitentibus ex evangelio annuntiatur remissio peccatorum propter Christum; privata, quando in specie alicui poenitenti peccata remittuntur. Excommunicatio publica est, quando omnibus impoenitentibus et incredulis ex lege annuntiatur ira Dei et aeterna damnatio; privata, quando in specie alicui praefracte facinoroso peccatorum retentio denuntiatur. Ratione graduum duplex statuitur excommunicatio, minor scilicet et major. Illa est exclusio sive suspensio ab usu coenae Dominicae; haec e communicatione ecclesiae ejectio; illa vocatur καθαίρεσις, haec vero ἀφορισμός. Ad hunc extremum ecclesiasticae censurae gradum non est temere sine gravi consilio et sine ecclesiae et praecipue Christiani magistratus consensu progrediendum, sed ordo a Christo praescriptus Matth. 18, v. 15. diligenter observandus. Denique ratione objectorum potestatem jurisdictionis statuunt duplicem: *communem*, ad totum ecclesiasticum coetum auditorum spectantem, quae propterea vocatur popularis; et *propriam*, ad personas in ecclesiasticis officiis constitutas pertinentem, quae ob id vocatur clericalis. Ad hanc potestatem jurisdictionis etiam pertinet *ordinatio ministrorum*, per quam ministerium commendatur fidelibus hominibus, et *censura morum*, per quam in officio continentur auditores.

Potestas ecclesiastica non est dominatus quidam politicus.

195. Quomodo *legitimus ecclesiasticae hujus potestatis usus* comparatus esse debeat, ex descriptione officii ecclesiasticis personis incumbentis inferius tradenda erit conspicuum, hoc loco contra Pontificios demonstrandum, potestatem ecclesiasticam 1. *non esse dominatum quendum politicum; 2. nec absolutam dictatoriam et αὐτοκρατορικὴν quandam potestatem.* Prius demonstramus hoc fundamento: Quascunque potestates Deus ipse distinctas esse voluit, eae non sunt invicem commiscendae vel con- XIII. 17.
fundendae. Sed ecclesiasticam et politicam potestatem Deus ipse distinctam esse voluit. Ergo etc. Assumtum variis modis demonstrari potest, sed hoc loco contenti erimus distinctionem utriusque potestatis in quadripartito genere causarum ostendere. Distinguuntur illae primo *causa ὀργανικῇ sive instrumentali.* Potestas ecclesiastica utitur gladio Spiritus, videlicet verbo, Ephes. 6, v. 17. ac clave ligante et solvente, Matth. 16, v. 19. etc. nequaquam vero gladio corporali, quo potestas politica divinitus est armata, Gen. 9, v. 6. Rom. 13, v. 4. 1. Pet. 2, v. 14. etc. 2. *Materia circa quam seu objecto.* Potestas ecclesiastica occupatur in rebus spiritualibus et aeternis ad salutem consequendam immediate spectantibus; politica vero occupatur in rebus corporalibus et externis, in conservanda pace et tranquillitate, in defendendis subditorum facultatibus, fama et corporibus, in administratione civilis justitiae, in gubernanda disciplina externa etc. ad salutem consequendam indirecte ac mediate spectantibus, 1. Tim. 2, v. 2. 3. *Forma.* Ecclesiastica potestas est ministratoria ad praescriptum legum divinarum simpliciter restricta; politica est praetoria, quae habet potestatem ferendarum legum politicarum. Illa coërcet delinquentes verbo, haec poena corporali et gladio. 4. *Fine.* Ecclesiasticae potestatis finis est justitia spiritualis, pax conscientiarum et salus animarum; politicae vero justitia civilis, pax hujus vitae et salus reipublicae. *Cum lex evangelica* (scribit auctor libelli de eccles. et politica potestate Francof. anno 1612. edit. p. 23.) *vitam aeternam pro fine atque animam humanam pro materia et subjecto nativo habeat, tota occupari debet in internis conscientiae motibus dirigendis, minime vero in manu aut vi externa cohibenda, ac proinde judicat de mediis necessariis ad beatitudinem conformiter ad causas essentiales spirituales religionis Christianae, id est suasive tantum et directive per verbi divini praedi-*

cationem, sacramentorum dispensationem et si res postulet, per exclusionem ab ecclesiastica communione ope censurarum, id est armorum spiritualium ecclesiae, quod ibidem probatur ex Johan. 18, v. 36: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Luc. 12, v. 14: *Quis me constituit judicem?* 2. Cor. 10, v. 4: *Arma militiae nostrae non sunt carnalia.* Phil. 3, v. 20: *Politeuma nostrum in coelo* etc. Quamvis vero utraeque potestates sint distinctae, tamen mutuas sibi tradere debent operas, nec altera alteram impediat, sed potius promoveat, ut hominum saluti et gloriae divinae inserviatur, qua de re in loco de magistratu politico dicetur uberius.

Nec est potestas αὐτοκρατορική. 196. Posterius assertionis membrum sic probamus: 1. *A contradictione.* Contradictoria sunt esse ministrum ecclesiae et esse dominum seu habere absolutam et αὐτοκρατορικὴν potestatem. Ergo non possunt simul tribui personis ecclesiasticis. Non est quod regerant, *diverso respectu personas ecclesiasticas esse ministros et dominos; ministros respectu Dei, dominos respectu ecclesiae* (quale quid etiam in magistratu politico animadvertatur Rom. 13, v. 4.), quia non Dei tantum et Christi. sed etiam ecclesiae ministri dicuntur 1. Cor. 3, v. 21. 2. Cor. 4, 5. Col. 1, v. 25. 2. Ab appropriatione. Quodcunque soli Christo proprium est, non debet ad ministros ecclesiae transferri. Sed potestas αὐτοκρατορική, dominatus, magisterium absolutum et principatus in ecclesia soli Christo proprius est. Ergo. Assumtum constat, quia Christus non solum se vocat *Dominum*, Joh. 13, v. 13. sed etiam ab apostolo vocatur *unicus Dominus* 1. Cor. 8, v. 6. *ipse unus est noster καθηγητής*, quod bis repetitur Matth. 23, v. 8. et 10. *ipse solus est sponsus* Joh. 3, v. 29. solus est ecclesiae suae *caput in omnibus principatum tenens* Col. 1, v. 18. ipsi soli competit dominium in animas et conscientias hominum etc. *3. Ab oppositione.* In quo Christus apostolos sibi opponit, illud utpote soli Christo debitum veri apostolorum successores nunquam sibi arrogabunt. Sed Christus apostolos sibi opponit in principatu ac dominatu. Joh. 13, v. 13:

XIII. 18. *Vos vocatis me magistrum et dominum, ac bene dicitis, sum etenim*; v. 14: *si ergo ego lavi pedes vestros, dominus et magister, debetis et vos alter alterius pedes lavare.* v. 16: *Non est servus major domino, nec apostolus major eo, qui misit illum.* Ergo principatum ac dominatum, utpote soli Christo proprium, veri apostolorum successores nunquam sibi arrogent. *4. A prohibitione.* Quo Christus apostolis et ipsorum in ministerio successoribus interdixit, illud ministri ecclesiae sibi non debent arrogare. Sed dominatu et principatu Christus apostolis et ipsorum in ministerio successoribus interdixit Matth 20, v. 25. Luc. 22, v. 25. ubi apostolatus et dominatus ἀντιθετικῶς opponuntur ac τὸ κυριεύειν regibus hujus mundi relinquitur, apostolis autem et veris eorum in ministerio successoribus adimitur. Bernhardus l. 2. de consid. ad Eug. col 1021: *Apostolis interdicitur dominatus, ergo tu usurpare aude aut dominus apostolatum, aut apostolicus dominatum, plane ab utroque prohiberis, si utrumque simul habere voles.* Origenes hom. 12. in Matth.: *Inter vos autem, qui estis mei, non erunt haec, ne forte qui videntur habere aliquem in ecclesia principatum, dominentur fratribus propriis vel potestatem in eos exerceant. Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate; sic et qui principes spirituales, principatus eorum in dilectione debet esse positus, non in timore corporali. 5. A negata usurpatione.* Quod apostoli post acceptum Spiritum s. nunquam sibi arrogarunt, sed potius veris suis in ministerio successoribus eo interdixerunt, illud ecclesiae ministri non debent sibi arrogare. Sed apostoli post acceptum Spiritum s. potestatem quandam αὐτοκρατορικὴν et dominatum nunquam sibi arrogarunt, quia nullus apostolorum sese principem vel dominum appellavit, sed Petrus se vocat συμπρεσβύτερον 1. Petr. 5, v. 1. Paulus inquit 2. Cor. 1, v. 24.: *Non dominamur fidei vestrae*, et taxat Corinthios, qui ab apostolis et ecclesiae ministris se denominare voluerint, 1. Cor. 1, v. 12. cui praepostero honori opponit haec fundamenta: *Num Christus divisus est? num Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? v. 13. Quid est Apollo, quid Paulus? ministri, per quos credentes facti estis*, 1. Cor. 3, v. 5. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, si Apollo, sive Cephas* etc. *omnia vestra sunt, v. 22. vos autem Christi, Christus autem Dei*, v. 23. quae omnia principatui ac dominatui fortissime adversantur, inde etiam Petrus Act. 10, v. 25. noluit ea admittere, quae alioqui principis ac domini tanquam subjectionis signa sibi deferri patiuntur. Hieronymus in c. 2. Mich.: *Si in apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed et conversationem et abstinentiam amplectamur.* Nec solum nunquam arrogarunt sibi apostoli dominatum, sed etiam eo ministris ecclesiae interdixerunt, 1. Petr. 5, v. 3: *Pascite gregem non dominantes clero.* Bernhardus l. 2. de consid. col. 1022: *Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis, pascendas, non premendas suscepisti.* Ergo potestatem αὐτοκρατορικὴν et dominatum apostoli nunquam sibi arrogent. *6. A comparatione.* Oeconomus non est ipse dominus vel princeps, nec habet absolutam et αὐτοκρατορικὴν potestatem, quia οἰκονόμος et οἰκοδεσπότης differunt ut minister ac dominus. Sed ministri ecclesiae sunt *oeconomi*, Luc. 12, v. 42. 1. Cor. 4, v. 1. Ergo non sunt ipsi domini vel principes, nec habent absolutam et αὐτοκρατορικὴν potestatem, sed haec dignitas soli Christo relinquitur, qui est solus οἰκοδεσπότης in ecclesiae domo, Matth. 10, v. 25. Hebr. 3, v. 3. etc. ac solus absolutam in eam habet potestatem. Sic et 7. legatus non est dominus, nec habet absolutam potestatem, sed restrictam et legantis voluntate ac mandatis definitam. Ministri ecclesiae sunt *legati*, 2. Cor. 5, v. 20. Ergo non sunt ipsi domini, nec habent absolutam potestatem, sed restrictam et legantis voluntate ac mandatis determinatam.

197. Sed haec non sunt ad palatum Romani pontificis et episcoporum Pontificiorum, illi enim primo potestatem ecclesiasticam commutarunt in dominatum
19. politicum; secundo absolutam quandam et αὐτοκρατορικὴν potestatem et dominatum in ecclesia sibi arrogant. Prius confirmatione non eget, cum sit in publica praxeos luce positum. Augustana confessio in artic. 7. abus. de potest. eccles. hac de re coram imperatore et statibus sic loquitur: *Magnae disputationes fuerunt de potestate episcoporum, in quibus nonnulli incommode commiscuerunt potestatem gladii. Et ex hac confusione maxima bella, maximi motus exstiterunt, dum pontifices freti potestate clavium regna mundi transferre et imperatoribus adimere imperium conati sunt; haec vitia multo ante reprehenderunt in ecclesia homines pii et eruditi.* Et postea: *Si quam habent episcopi potestatem gladii, hanc non habent ut episcopi ex mandato evangelii, sed jure humano donatam a regibus et imperatoribus ad administrationem civilem suorum bonorum, haec interim alia functio est quam ministerium evangelii. Cum igitur de jurisdictione episcoporum quaeritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica jurisdictione; secundum evangelium seu, ut loquuntur, de jure divino nulla jurisdictio competit episcopis ut episcopis, id est his, quibus est commissum ministerium verbi et sacramentorum, nisi remittere peccata* etc. Bellarminus l. 5. de Rom. pont. c. 6. potestatem illam ecclesiastico-politicam sic temperat, ut statuat, non nisi *indirecte* convenire pontifici temporalem potestatem. *Pontifex ut pontifex* (inquit) *etsi non habet ullam mere temporalem potestatem, tamen habet in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum.* Sed haec moderatio Sixto V. ejus tempestatis pontifici parum placuit, unde Barclajus in libro de potest. papae c. 13. p. 101. scribit, *parum abfuisse, quin omnia illius* (Bellarmini) *opera censura Pontificia magno cum ecclesiae detrimento abolerentur*, id quod ex ordinis Jesuitici patribus se audivisse narrat. Ceterum quod Augustana confessio asserit, multo ante commixtionem illam ecclesiasticae et politicae potestatis in pontifice et episcopis ipsius taxatam fuisse, multorum scriptorum testimoniis comprobari potest. Bernhardus in libris de consideratione ad Eugenium papam multa in hanc sententiam affert; Marsilius Patavinus hac de re integrum librum scripsit anno 1324. pro defensione Ludovici Bavari imperatoris contra papam, cujus titulus: Defensor pacis; auctor oneris ecclesiae compilati an. 1519. et postea editi Landsh. a. 1524. c. 20. § 6. qui a quibusdam vocatur Ubertinus episcopus Chimensis: *Jesus palam negavit, regnum suum esse hujus mundi, quinimo ipse solus fugit in montem, cum cognovisset, quia populi venturi essent, ut facerent eum regem. Quomodo ergo convenit, ut Christi locum tenens mundanam ditionem non solum admittat, verum etiam ambiat, ut libidine, luxu, violentia, superbia, fastu, divitiis, rapacitate regnet, quem Christus docuit esse humilem et mitem.* Guntherus l. 6. Ligurin. Fridericum Barbarossam de papae imperio sic conquerentem introducit:

Ecce paterna fides et magni praesulis alma
Integritas humilisque Petri vestigia sectans,
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet et Augustus mavult quam Petrus haberi etc.
Ergo quid ad summum de regni jure, quid, oro,
Pontificem spectat? nullum caput ista super se
Adspicit, excepto coelorum Rege, potestas.
Ecclesiam regat ille suam divinaque jura
Temperet, imperium nobis fascesque relinquat etc.
Cogitet antiquos primaevi temporis annos
Praeteritosque dies et secula prisca revolvat.
Num Petrus aut Clemens aut cetera turba piorum
Sceptra Latina dabat etc.

In hosce Guntheri versus sic commentatur Jacob Spigelius etiam ante Lutherum: *An nescis, Friderice princeps Christianissime, dictum Christi, inter vos non dominabimini, sicut subditis dominantur reges gentium, hoc valere scilicet: Tu Petre cum tuis successoribus Romani imperii heres esto perpetuus. Item, ego veni ministrare et non ministrari, esse: imperatores et reges terrarum tua ac successorum tuorum in solio plusquam venerabundi gemmata osculentur vestigia? Tum illud, qui primus voluerit* XIII. 20.
esse inter vos, erit vester servus, aliud significare nihil quam apud vos est praecipiendi potestas, reliquam ecclesiam manet parendi necessitas. Et postea: *Hoc* (scilicet ad pontificem non pertinere imperii Romani dispositionem) *si quis hodie constanter assereraret, haeretici nomen apud Pontificios adulatores non effugeret. Contrariam tamen partem ut veritati affinem magni nominis viri tutati sunt, licet hactenus eorum vicerit doctrina, qui universam prope Scripturam divinam adulterinis interpretationibus subverterunt.* Petrus de Vineis cancellarius Friderici II. imperatoris aliquot epistolis demonstravit, *pontifici secularem jurisdictionem non competere;* idem praestitit Wilhelmus Occam, qui in fuga ob excommunicationem pontificis apprehensa de jure caesaris expressis testatus verbis dixit: *Tu me imperator gladio adversus papae injurias tutum sistas, et ego te calamo et scriptis defendam.* Petrus Ferrariensis in forma libell. act. confess. gloss. 7. adverb. plenam num. 2: *Papa, qui deberet tanquam verus vicarius Jesu Christi vestigia sequi, possidere et manu armata nititur tenere jurisdictionem in terris, civitatibus et villis et locis, quae sunt naturaliter et a mundi creatione et Christi ordinatione imperii Romani juxta aliud, quod est Dei reddatur Deo, et quod est caesaris, caesari; imo ipse papa in ipso imperatore nititur superioritatem habere, quod ridiculum est dicere et abominabile audire.* Albericus Rosates in lexico in verbo Electio: *Pastores ecclesiae mittentes falcem in alienam messem fecerunt super hoc tres decretales, unam de electione imperatoris* etc. *quae an sint justae, Deus novit, nullam enim earum (salvo saniori judicio et si erroneum foret, revoco) credo juri consonam, imo eas credo*

proditas contra jura et libertatem imperii et puto, potestates esse distinctas et a Deo processisse. Antonius Rosellus circa annum Christi 1511. scripsit librum titulo monarchiae, in quo probat, *papam non esse mundi dominum, nec posse aut debere caesari imperare, nec omnino habere gladium temporalem.* Sed de his plura inferius, in quaestione scilicet, an idem possit ministerio ecclesiae et magistratu politico fungi.

Absoluta pontificis potestas.

198. Posterius, quod pontifex Romanus et ipsius episcopi potestatem absolutam et αὐτοκρατορικὴν adeoque dominatum in ecclesia sibi vendicent; itidem in propatulo est ac tum in genere, tum in specie probari potest. In genere notandum, quod perpetuo crepent *hierarchiam* ecclesiasticam. Concil. Trident. sess. 23. can. 6: *Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constet ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit.* Sane si per hierarchias vocem nihil aliud intelligatur quam quod Deus ipse ministerium ecclesiasticum non minus atque ordinem politicum et oeconomicum instituerit quodque potestatem, auctoritatem et dignitatem in Scripturis sacris definitam ac determinatam ministerio concesserit, non repugnamus, hoc sensu et respectu ministerium ecclesiasticum dici ἱεραρχίαν, quin imo communi etiam in nostris ecclesiis recepta loquendi consuetudine ita appellatur; sed si propriam et accuratam verbi significationem, itemque si eum sensum, quo Pontificii ecclesiasticum ministerium hierarchiam vocant, respicere voluerimus, non poterit hierarchias vocabulum ministerio tribui, cum non sit quaedam ἀρχὴ δεσποτική, quidam dominatus ac principatus, sed διακονία. In specie notandum, qualem et quantam potestatem pontifex Romanus sibi arroget, qualem item et quantam ipsius episcopi. De potestate pontificis ex canonistis multa afferuntur in libro, qui continet causas recusati concilii Tridentini. p. 134. quod *ejus potestas sit suprema, in qua non habeat parem, quod idem habeat consistorium cum Deo et tribunal cum Christo, quod obtineat plenitudinem potestatis et plenitudinem clavium, quod contra jus, supra jus et extra jus possit omnia, quod ejus potestas sit summa et libera absolutaque ab omnibus vinculis et omni lege coër-*
XIII. 21. *cente, quod formam sacramentorum ab apostolis traditam possit immutare, quod possit statuere contra epistolas Pauli, quod potestas ejus sit major apostolo et quod possit dictis apostoli derogare, quod possit dispensare contra quatuor prima concilia, item contra verba evangelii, licet non contra mentem* etc. Sed praetermissis vetustiorum temporum superstitionibus videamus, quam potestatem Jesuitae hodie illi tribuant, et manifeste apparebit, absolutam et αὐτοκρατορικὴν potestatem in ecclesia ipsi tribui. Bellarminus in praefat. l. de summo pontif. ad illum accommodat vaticinium Esaiae c. 28, v. 16: *Ecce pono in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* l. 2. de Rom. pontif. c. 2. disputat, *episcopum Romanum in monarchia ecclesiastica Petro succedere; c. 18. habere potestatem constituendi et confirmandi episcopos per totum orbem; item deponendi omnes episcopos et injuste depositos restituendi per totum orbem; c. 19. habere potestatem ferendi leges per universam ecclesiam, dispensandi per universam ecclesiam, censuram exercendi in tota ecclesia; c. 20. competere illi jus mittendi legatos ad alias ecclesias, qui in illis nomine ipsius omnia administrent et graviores causas ad ipsius judicium reservent. c. 21. ex quavis Christiani orbis parte legitime ad ipsum provocari posse, ab ejus vero sententia nullam concedi appellationem; c. 26. a nemine ipsum posse judicari; c. 31. esse ipsum caput, fundamentum et sponsum ecclesiae.* lib. 4. de Rom. pontif. c. 1. esse *ipsum summum et ἀνυπεύθυνον in controversiis fidei ac morum judicem; c. 2. non posse ullo modo definire aliquid haereticum a tota ecclesia credendum; c. 16. habere potestatem ferendi leges, quae conscientias obligent et ad earum obedientiam cogere universam ecclesiam; c. 24. omnem ordinariam episcoporum jurisdictionem a papa descendere.*

Ei po Pc cl po [margin note cut off]

199. Episcopi Pontificii praeter politicam ditionum suarum administrationem etiam αὐτοκρατορικὴν quandam potestatem in ecclesia sibi arrogant, 1. in δογματικῇ, quia in conciliis congregati ab omni errandi periculo immunes se esse fingunt, modo pontificis instructionem et sententiam sequantur. Bozzius lib. 5. de not eccles. c. 7. Melch. Canus lib. 5. loc. comm. c. 4. Bellarminus lib. 2. de concil. c. 2. et seqq. 2. In ἑρμηνευτικῇ absolutam Scripturae pro lubitu interpretandae et dogmatum condendorum licentiam sibi tribuunt, ita ut sine ullo ex Scripturis examine ipsorum interpretationes et decisiones sint acceptandae. 3. In νομοθετικῇ ordinationem rituum et cerimoniarum sibi solis excluso Christiano magistratu vendicant, praescribunt magna ex parte inutiles et otiosas cerimonias, easque cum opinione necessitatis, cultus et meriti observandas ecclesiae obtrudunt, multitudine earum conscientias gravant, leges quas proponunt, non ordinis solum causa servandas proponunt, sed divinis constitutionibus eas exaequant et coactivam jurisdictionem in earum transgressores sibi arrogant. 4. In κριτικῇ excommunicationis fulmen absque ecclesiae consensu ejaculantur, et quidem in eos, qui ambitioni et avaritiae suae obsistunt, absolvunt subditos ab obedientia magistratus excommunicati sicque poenam ecclesiasticam cum civilibus confundunt, indulgentias pretio vendunt, adeoque absolutam ligandi et solvendi potestatem sibi tribuunt.

Ar me Po clo prc ser poi αὐ κρ ρι [margin note cut off]

200. Argumenta, quae pro pontificis potestate et conciliorum infallibilitate stabilienda adducunt, suum alibi habent locum; hic ea duntaxat examinabimus, quae in genere pro αὐτοκρατορικῇ potestate ministris ecclesiae asserenda afferri solent. 1. *Matth. 16, v. 19: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in coelo, et quodcunque solveris super terram, erit solutum. c. 18, v. 18: Quaecun-* 1. 16.

Quod-cunque ligaveris. *que alligaveritis super terram, erunt ligata etiam in coelo, quaecunque solveritis super terram, erunt etiam soluta in coelo. Johan. 20, v. 23: Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, et quo-*
XIII. 22. *rumcunque retinueritis, retenta erunt.* In quibus dictis urgent particulas *quodcunque, quorumcunque* etc. quas existimant esse *universales et absolutam potestatem* ministris ecclesiae per eas tribui. Respondemus: datur eo in loco apostolis et ipsorum in ministerio successoribus potestas clavium in ligando et solvendo consistens. Quemadmodum igitur oeconomus per clavium traditionem nequaquam accipit absolutam et αὐτοκρατορικὴν quandam potestatem, sed ministerialem et ad mandata domini restrictam; ita quoque per clavium spiritualium traditionem ministri ecclesiae nequaquam acceperunt absolutam potestatem clavibus illis pro abitrio utendi, sed ministerialem et ad mandata Domini restrictam, qua scilicet poenitentibus peccata remittere, impoenitentibus vero eadem retinere debent, sicut in tractat. de poenitentia §. 111. et 112. et in harm. evang. de resurrect. c. 8. p. 287. fuit latius comprobatum. Gregorius hom. 26. in evangel.: *Tunc vera est absolutio praesidentis, cum aeterni arbitrium sequitur judicis, quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quae videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocavit et vivificavit dicens: Lazare, veni foras, postmodum is, qui vivens egressus fuerat, a discipulis est solutus, sicut scriptum est, cumque egressus esset, qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis, solvite eum et sinite abire. Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, foetorem magis ostenderent quam virtutem, ex qua consideratione intuendum est, quod illos debemus per auctoritatem pastoralem solvere, quos auctorem nostrum cognoscamus per suscitantem gratiam vivificare.* Lombardus 4. sent. dist. 18. sect. 4: *Tunc sententia sacerdotis approbatur Dei judicio, cum ita procedit, ut eorum, quos absolvit vel excommunicat, merita non contradicunt.* Petrus Asilus in l. de tyrann. pontificum c. 5. p. 107. citat dictum Wesseli: *Clavis potestatis nihil operatur sine clave pietatis.* Recte etiam phrasis explicanda est, quid in verbis Christi sit ligare. Bellarminus l. 4. de poenit. c. 5. existimat, quod significet *opera satisfactoria poenitentibus imponere*, sed haec est turpissima confusio clavis ligantis et solventis, ut enim clavis solvens, id est peccatorum remissio, tantum respicit poenitentes, ita claves ligans, id est peccatorum retentio, tantum ad impoenitentes spectat. Vide tract. de poenit. §. 128. Idem Bellarminus l. 4. de pont. Rom. c. 16. per clavem ligantem intelligit *potestatem ferendi leges per universam ecclesiam,* cum Matth. 23, v. 4. *ligare* significet legem ferre. Sed hoc est argumentum a particulari, neque enim sequitur Matth. 23. *ligare significat leges ferre, ergo etiam hoc loco*, propter evidentem rationis disparitatem, quid enim per τὸ ligare apud Matth. c. 16, v. 19. et c. 18, v. 18. intelligatur, clarissime expositum exstat apud Joh. c. 20, v. 23. et Luc. c. 24, v. 47. nec simpliciter dicitur de Pharisaeis Matth. 23, v. 4. quod ligent, sed quod *alligent onera gravia et δυσβάστακτα eademque imponant in humeros hominum*, quae verba manifeste ostendunt, de qua alligatione hoc loco sit sermo. Sed illa significatio ex verbis Christi Matth. 16, v. 19. et c. 18, v. 18. non potest elici; verum ligari ibi est impoenitentibus denuntiata aeternae maledictionis sententia peccata retinere, ut ex circumstantiis textus et parallelis Scripturae locis intelligitur.

201. 2. Paulus 1. Cor. 11, v. 34. scribit: *Cetera, cum venero, disponam*, nimirum *ex potestate* divinitus data, 2. Cor. 10, v. 8. etc. Ergo apostolus vendicavit sibi *potestatem absolutam* disponendi in ecclesia pro arbitrio. Respondemus: 1. sermo ibi est non de dogmatibus fidei, in quibus potestatem aliquam sibi nuspiam arrogat apostolus, Act. 26, v. 22. Rom. 15, v. 18. 1. Cor. 11, v. 23. etc. sed de cerimoniis ac ritibus sua natura liberis ad εὐταξίαν et εὐσχημοσύνην ecclesiasticam facientibus; praecedit enim: *Cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate; si quis vero esurit, domi manducet, ne in judicium conveniatis.* Ambrosius in comment. addit: *Cetera, quae ad aedificationem ecclesiae* XIII. 23. *pertinent.* Chrysostomus hom. 28. in 1. Cor. 11: *Aut ad quaedam alia, aut ad hoc ipsum. Nam quoniam verisimile erat, eos dicere causas aliquas, et non licebat omnia corrigere per literas, quae admonui* (inquit), *interim serventur. Si quid autem habetis aliud, quod dicatis, illud reservetur ad meum adventum, aut de hac re dicens, ut dixi, aut de aliquibus aliis non valde urgentibus, περὶ ἑτέρων τινῶν οὐ σφόδρα κατεπειγόντων.* Jam vero in ordinationibus illis ecclesiasticis aliquam ministris potestatem esse datam non diffitemur. 2. Illud ipsum non potestate quadam αὐτοκρατορικῇ, sed consensu ecclesiae accedente apostolus disponebat. 2. Cor. 8, v. 8: *οὐ κατ᾽ ἐπιταγὴν λέγω, non quasi imperans hoc dico.* 3. Inde etiam potestatem excommunicandi incestuosum nequaquam absque ecclesiae Corinthiacae consensu exercebat. 1. Cor. 5, v. 4: *In nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu cum virtute Domini nostri Jesu, v. 5. statui tradere hujusmodi Satanae.* 4. Potestas igitur illa, quam divinitus sibi datam asserit, non ad destructionem, sed ad *aedificationem*, 2. Cor. 10, v. 8. c. 13, v. 10. non est αὐτοκρατορικὴ et absoluta, sed *ministerialis* potestas a principatu et dominatu plane sejuncta.

2. 1. Cor. 11, v. 34. Cetera, cum venero disponam.

202. 3. Pastores ecclesiae dicuntur προεστῶτες, quibus *exhibendus honor*, 1. Tim. 5, v. 17. et ἡγούμενοι, quibus *oboedientia praestanda*, Hebr. 13, v. 17. Ergo competit illis dominatus et potestas αὐτοκρατορική. Respondemus: 1. προεστῶτες dicuntur ratione dignitatis, sed ipsi per humilitatem judicare debent, sibi magis convenire ut prosint, quam praesint. 2. ἡγούμενοι itidem dicuntur ratione potestatis cujusdam, ea vero non est politica, sed spiritualis; non

3. Pastores dicuntur praepositi.

αὐτοκρατορική, sed ministerialis; non conscientiis vel fidei dominans, sed saluti hominum inserviens. 3. Hinc Christus ipse *ἡγεμονίαν* ecclesiasticam dominatui opponit et per *διακονίαν* illam definit. Luc. 22, v. 25: *Reges gentium dominantur, et qui potestatem habent in illis, benefici vocantur. v. 26. Vos autem non sic, sed qui major est inter vos, fiat sicut junior, καὶ ὁ ἡγούμενος ὡς διακονῶν, et qui antecessor est, sicut ministrans.* 4. *ἡγούμενοι* vero dicuntur, quia non verbo solum, sed etiam vitae exemplo auditoribus sese exhibere debent viae duces, 1. Tim. 4, v. 12 exemplo Christi Johan. 10, v. 4 quam rationem exponit epistola ad Hebr. 13, v. 7. quia Deus *πιστοὺς ἡγήσατο αὐτούς*, quibus *ministerium commendaret*, 1. Timoth. 1, v. 12. et quia *πάσης τιμῆς ἀξίους ἡγεῖσθαι αὐτοὺς* convenit 1. Tim. 5, v. 17. ut superius §. 33. late expositum fuit.

4. I. Tim. 5, v. 19. Adversus presbyterum noli recipere accusationem. 203. 4. 1. Tim. 5, v. 19: *Adversus presbyterum noli accusationem admittere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ergo penes Timotheum fuit *potestas judicialis* cognoscendi accusationes presbyteris intentatas et judicium de illis ferendi. Respondemus: 1. distinguendum inter ecclesiae primitivae et nostrae tempora. In primitiva ecclesia magistratus nondum erat Christianus, ideo ad episcopum deferebantur quaerelae de presbyteris; sed cum hodie per Dei gratiam magistratus ad fidem sit conversus, merito illi causarum civilium dijudicatio relinquitur. 2. Magistratus Christianus constituit consistoria ecclesiastica, in quibus et ecclesiasticae et politicae personae praesident, coram illis causae ecclesiasticarum personarum tractantur, criminalibus ad forum politicum rejectis. 3. Aliud est *episcopalis audientia*, quae per imperatores Christianos episcopis fuit postmodum concessa tot. tit. C. de episc. audient. Novell. de episc. judic. et Novell. 86. et 97. aliud potestas politica et *αὐτοκρατορική*, episcopalis enim illa notio sive audientia mitiori verbo sic dicta certis limitibus fuit restricta ac determinata, siquidem causas civiles duntaxat concernebat, dummodo sine sumptu et scriptura mature litem definirent. Si vero litigantes solenni processu cuperent experiri, aut episcopus de causis cognoscere recusaret, coram judice civili litem intendere liberum erat. In crimi-
XIII. 24. nalibus vero a magistratu civili duorum mensium spatio causa erat expedienda, non poterat tamen clericus damnatus poena civili affici, antequam ab episcopo exauctoratus esset. Sin vero de ecclesiastico crimine, puta haeresi, simonia, usuris, perjurio, clericus argueretur, cognitio pertinebat ad episcopos, in quibus exsequendi duntaxat partes judici civili datae erant, postulante judice ecclesiastico, qua de re in tractatu de magistratu pluribus dicetur.

SECTIO POSTERIOR.

DE GRADIBUS ET ORDINIBUS MINISTRORUM ECCLESIAE.

204. Disquisitio de gradibus et ordinibus ministrorum absolvitur hisce membris: *1. an sint et esse debeant gradus inter ecclesiae ministros; 2. qui et quot sint illi gradus.* Circa prius membrum notandum, quod et *appellationum*, et *functionum*, et *donorum* diversitas probet, esse gradus inter ecclesiae ministros. Appellationum diversitas tum in Veteri tum in Novo Testamento occurrit. In Veteri Testamento erat summus sacerdos, erant sacerdotes inferiores, erant Levitae illorum ministeriis deputati. Num. 3, v. 1. In Novo Testamento Paulus hasce ministrorum distinctas appellationes recenset. Eph. 4, v. 11: *Christus dedit alios quidem apostolos, alios vero prophetas, alios autem evangelistas, alios autem pastores ac doctores.* 1. Cor. 12, v. 28: *Alios quidem posuit Deus in ecclesia, primum apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera linguarum. v. 29. Num omnes apostoli? num omnes prophetae? num omnes doctores? num omnes potestates? v. 30. num omnes donum habent sanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur?* 1. Tim 3, v 2. et 8. Tit. 1, v. 7. *episcoporum et diaconorum* distincta fit mentio. Functionum diversitas ex definitione singulorum istorum ordinum postea erit tradenda. Donorum diversitas et Scripturae sacrae et experientiae testimonio comprobatur Rom. 12, v. 6. 1. Cor. 12. v. 4. et seqq. 1. Petr. 4, v. 10. etc.

An gra int ele mi

205. Dubium igitur esse nequit, tum in V. T. tum in primitiva ecclesia apostolica fuisse gradus et ordines inter ecclesiae ministros, *sed an adhuc hodie inter evangelii ministros gradus esse debeant, quaestionis est.* Disserit hac de re latissime Hadrianus Saravia in tract. de diversis ministrorum gradibus ejusque adversus Bezam defensione edit. Londini an. 1611. ** Hugo Grotius Pietat. ord. Holland. p. 118: *Infirmitatem hanc Puritani putant esse magnam, quod ecclesiae regantur per episopos. Quid boni multi in nostrae ecclesiae regimine desiderent, quibus modis putent vitia ad ἀναρχίαν accedentia commodissime posse sanari, disserere hic non institui. Neque tamen me contineo, quin fontem et originem tum hujus, tum aliarum πλημμελειῶν indicem. Existimamus tanto nos puriores fore, quanto longius ab omnibus ecclesiae Romanae institutis recesserimus, nullo discrimine, neque volumus animadvertere, inter multos illius corporis morbos aliquas tamen mansisse sanioris aevi reliquias. Excessit medicina modum.* p. 120: *In synodo Emdana multa ministri de regendis ecclesiis decrevere. Primum caput est, ne ecclesia una in alteram dominatum exerceat, imo ut omnes a suspicione quavis et occasione dominatus sibi caveant. Quanquam autem*

*episcopalis eminentia dominatus non est, his tamen vocibus eam indicari satis manifestum est.*** Nos *ἀναρχίαν* et *ἀναστασίαν* tollentium ordinem ex ministerio ecclesiastico vehementer improbamus, cum sit fons discordiae et omnis mali, retinemus autem in nostris ecclesiis et retinendum esse censemus ordinem inter ministros, ut alii sint *episcopi*, alii *presbyteri*, alii *diaconi* etc. 1. Deus ipse donorum varietate et differentia ordinem facit inter ministros; quae donorum diversitas cum non solum in primitivae, sed etiam hodiernae ecclesiae ministris animadvertatur, ideo in nostra quoque ecclesia debent esse ministrorum gradus. 2. Exemplum apostolicae et primitivae ecclesiae est *ἀξιομίμητον*. Sed in ea fuere distincti ministrorum ordines et quidem divini-
I. 25. tus constituti. 1. Cor. 12, v. 28. Eph. 4, v. 11. 3. Omnia in ecclesia fieri debent *εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν*, 1. Cor. 14, v. 40. Sed *εὐταξία* illa requirit ordinem inter ecclesiae ministros, ne confusiones oriantur. In omni coetu recte gubernando requiritur ordo eorum, qui praesunt; idem igitur in coetu ecclesiastico requiritur. 4. Constitutio ordinis inter ecclesiae ministros alit concordiam et unitatem, prohibet turbas ex *φιλαυτίᾳ* et ambitione inferiorum ministrorum metuendas ac vinculum injicit temeritati eorum, qui ecclesiae pacem turbare conantur. 5. Ex ordine et gradibus ministrorum hoc insuper nascitur commodi, quod probari in ministeriis inferioribus prius possint, qui ad superiora evehendi sunt. 1. Tim. 3, v. 13: *οἱ καλῶς διακονήσαντες βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται*, in quae verba sic commentatur Chrysostomus homil. 11. in 1. Tim. 3: *Qui in his, quae inferiora sunt, diligentiam suam vigilantiamque monstraverint, facile et ad ea, quae superiora sunt atque excellentiora, pervenient.* Atque hoc in primitiva ecclesia diligenter fuit observatum, ut per gradus ad superiora ministeria fieret accessus. Gregorius Nazianzenus in vita Basilii de ipso testatur, quod *primum voluminum sacrorum lector in ecclesia exstiterit, deinde vero interpres et enarrator, demum in presbyterorum et denique in episcoporum numerum cooptatus fuerit.* Idem etiam *legem nauticam* in ministrorum electione observandam esse dicit, *quae gubernatori futuro primum remos committit, deinde ad proram collocat*, sicut etiam in re militari ex milite primum fit centurio et tum demum imperator. Cyprianus Aurelium quendam illustri loco natum adolescentem Christi nominis confessorem egregium cum collegis suis *in lectorem primum ordinavit, etsi enim sublimiore gradu dignus esset, placuit tamen, ut ab officio lectoris inciperet*, l. 2. epist. 5. 6. Quemadmodum *inter angelos* in ecclesia triumphante Deo servientes sunt certi gradus et ordines, Eph. 1, v. 21. Col. 1, v. 16. 1. Petr. 3, v. 22. ita quoque inter ministros verbi in ecclesia militante Deo servientes gradus atque ordines esse convenit. c. ad hoc dist. 89. ex Bonifacio ad Eulalium: *Ad hoc dispensationis provisio gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, vera concordia fieret, et ex diversitate contextio et recte officiorum gereretur administratio singulorum, neque enim universitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiae ordo servaret; quia vero quaeque creatura in una eademque qualitate gubernari vel vivere non potest, coelestium militiarum exemplar nos instruit, quia dum sunt angeli et archangeli, liquet quia non sunt aequales, sed in potestate et ordine differunt alter ab altero.* **Basilius in Psalm. 33: *Quidam in ecclesia sunt velut oculi, ut seniores; quidam velut lingua, ut pastores; alii velut manus, ut diaconi; alii velut pedes, ut qui vilioribus ecclesiae ministeriis serviunt.***

Quae de gradibus ministrorum sint notanda.

206. Monendum vero circa hosce ministrorum gradus 1. potestatem ministerii et jurisdictionis distinguendam esse ab ordine, sive ut quidam loquuntur, ab *ordinis potestate.* Quamvis enim diversi sint in ministerio ecclesiastico ordines, tamen *potestas ministerii* in praedicatione verbi et sacramentorum administratione ac *potestas jurisdictionis* in usu clavium consistens omnibus ministris ex aequo competit, proinde verbum praedicatum, sacramenta dispensata et absolutio annuntiata ab eo, qui legitime ad ministerium ecclesiasticum vocatus est, etiamsi is in infimo ministerii gradu constitutus sit, tam valida sunt et efficacia, quam si a summo episcopo, propheta vel apostolo fuerint praedicata, dispensata et annuntiata. Ut enim donorum, ita quoque graduum diversitas non mutat doctrinae et sacramentorum vim sive efficaciam, 1. Cor. 3, v. 5: *Quid Apollo? quid Paulus? ministri sunt, per quos ad fidem adducti estis, et unicuique sicut dedit Dominus. v. 7. Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed Deus qui incrementum dedit.* 2. Cor. 12, XIII. 26.
v. 9: *Virtus Dei perficitur in infirmitate.* Gal. 2, v. 8: *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est etiam mihi inter gentes.* 2. Diversitas illa graduum dependet quidem a jure divino tum *ratione generis*, quatenus necessarium est ad *εὐταξίαν* et tranquillitatem in ecclesia, esse aliquos distinctos gradus; tum *ratione donorum*, quatenus Deus ipsa donorum varietate et diversitate declarat, velle se, ut distincti inter ministros gradus constituantur; tum *ratione quorundam graduum* in specie, quatenus prophetarum et apostolorum munus a reliquis gradibus ipsemet distinxit iisque praetulit; interim tamen *absolute et generaliter* de omnibus ecclesiastici ministerii gradibus dici nequit, quod eorum institutio et distinctio institutione divina dependeat, siquidem gradus illi non sunt certo et necessario numero vel a Deo praescripti, vel ab apostolis usurpati, sicut sacramenta divina institutione et apostolorum praxi ad numerum binarium restricta sunt, sed ecclesiae libertas relicta est pro ratione circumstantiarum, temporis scilicet et amplitudinis, in quovis coetu plures vel pauciores gradus inter ministros instituendi. 3. Nemo debet se ipsum ad superiora ecclesiae ministeria offerre vel proprio arbitrio sese illis ingerere, sed exspectet, donec consentiente ecclesia, cumprimis vero presby-

terii suffragio ad fastigium illud honoris evehatur. *Qui primatum in terra appetit, confusionem in coelo invenit.* 4. Sedulo cavendum, ne *primatus ordinis* degeneret *in principatum potestatis.* Contigit illud in Romana ecclesia, cujus episcopis tum ob urbis, quae imperii sedes erat, celebritatem, tum ob praedecessorum in veritate constantiam et sanctitatem, tum ob martyrum frequentiam, tum ob communem illam veterum opinionem, quod a Paulo et Petro ecclesia illa sit plantata, primatus ordinis fuit olim delatus; sed is progressu temporis fuit mutatus in principatum potestatis, tandem plane degeneravit in tyrannidem quidvis pro libitu satuentem et agentem. c. Primae sedis dist. 99. ex conc. Carthag. 3. can. 26: *Primae sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum vel summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primae sedis episcopus. Universalis autem nec etiam Romanus pontifex appelletur.*

Gradus sacerdotum in V. T. 207. Ad alterum disquisitionis institutae membrum, *qui et quot sint ministrorum gradus*, non potest commodius responderi, quam si distincta ecclesiae tempora respiciamus. Quemadmodum enim ecclesia distinguitur in *ecclesiam veteris et novi testamenti*, ita quoque ministros ecclesiae distribuere possumus ratione ea, ut alii dicantur *ministri veteris*, *alii novi testamenti*, 2. Cor. 3, v. 6. veteris testamenti ministri subdividi possunt in eos, qui *ante Moysen* et solennem legis repetitionem ecclesiae praefuerunt, et eos, qui *post Moysen*, id est post legis repetitionem et institutum cultum Leviticum, sacris ministeriis fuere initiati. Illi in duas iterum dispesci possunt classes, quidam *ante*, quidam vero *post diluvium* docuerunt. Utrique tam V. quam N. T. ministri ulterius distingui possunt in *ordinarios* sive perpetuos, et *extraordinarios* sive temporarios.

Ante legem Mosaicam. 208. *Ante legem* per Moysen promulgatam et cultus Levitici institutionem docendi munus ordinarie *a primogenitis familiarum* fuit administratum, inde Rubenum primogenitum suum Jacobus vocat *primum in donis*, id est in sacrificiis offerendis Genes. 49, v. 3. cui scilicet primogeniturae ratione oblatio sacrificiorum et sacerdotium debebatur, nisi incestuosa pollutione se eo indignum reddidisset. Idem colligitur ex Gen. 27, v. 15. ubi Esavo primogenito tribuuntur *vestes sacerdotales*, quarum fragrantiam Isaacus sentit, v. 27. Cumprimis vero huc pertinet, quod Exod. 19, v. 22. *primogeniti* dicuntur כֹּהֲנִים, *sacerdotes*, nimirum quia sacerdotii dignitas ordinarie ad ipsos spectabat. Nec dubium, quin constitutio illa de sacerdotio primogenitis in qualibet
XIII. 27. familia committendo vel immediate ab ipso Deo fuerit facta, vel ab Adamo Spiritus sancti instinctu probata, quamvis Moyses in tanta brevitate nullam illius rei faciat mentionem. Respexit dubio procul illud διάταγμα ad Christum unicum novi testamenti ἀρχιερέα, qui est *primogenitus Patris secundum divinam et primogenitus matris secundum humanam naturam*, Psalm. 89, v. 28. Coloss. 1, v. 15. Hebr. 1, v. 6. Matth. 1, v. 25. Luc. 2, v. 7. *primogenitus inter multos fratres*, Rom. 8, v. 29. *primogenitus ex mortuis*, Col. 1, v. 18. Apocal. 1, v. 5. Cum enim Levitas, quibus postea ordinarium ministerium fuit commissum, loco primogenitorum ex populo Israël Deus elegisse dicatur, Numer. 3, v. 12. et vero sacerdotium Leviticum, epistola ad Hebraeos teste, sit typus Christi, ideo congruum veritati, quod primogeniti ante et post diluvium sacerdotio in qualibet familia fungentes typum gesserint Christi unici illius in novo testamento sacerdotis. Primogeniti illi ecclesiae per singulas familias tum temporis distinctae sacrificiorum oblatione et doctrinae praedicatione servientes dicebantur *patriarchae*, Actor. 7, v. 8. Hebr. 7, v. 4. quasi dicas ἄρχοντες πατριῶν, ita enim exponunt patriarcharum nomen LXX interpretes 1. Paral. 9, v. 9. ac cum Moyses Israëliticum populum convocaret, jamdum in certas πατριὰς sive familias erat distinctus, quibus praeerant primogeniti ἄρχοντες πατριῶν propterea dicti Exod. 6, v. 25. Praeter illos ecclesiae per singulas familias distributae doctores ordinarios Deus quosdam extraordinarie excitavit, quibus per apparitiones, visiones, somnia, angelicas ὀπτασίας etc. sese clarius patefecit, spiritu prophetico illos implevit, donis peculiaribus exornavit, corruptelas doctrinae illorum ministerio repurgavit et prae reliquis ad fastigium auctoritatis in ecclesia extulit. Tales ecclesiae ante Moysen collectae doctores extraordinarii fuere *Adam, Seth, Enos, Enoch, Noah, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph;* quibus per apparitiones divinas clarior lux coelestis doctrinae contigit, unde etiam κατ' ἐξοχὴν *patriarchae et prophetae* dicuntur. Vide plura de his superius §. 39.

209. *Post solennem legis promulgationem* Israëlitis ex Aegyptiaca servitute eductis in monte Sinai per Moysen divinitus factam, institutum fuit *Leviticum sacerdotium*, in quo dignitas sacerdotii ad oriundos ex tribu Levi fuit translata, ut penes illos ordinaria et hereditaria ea esset. Exod. 28, v. 1. Numer. 1, v. 50. c. 3, v. 6. etc. Hierarchia illa Levitica distincta erat in tres ordines. Unus enim inter Levitas erat *summus sacerdos*, Aaronis successor, caput et vertex totius hierarchiae; illi suberant sacerdotes reliqui ex Aaronis posteris oriundi, *secundi ordinis* propterea dicti, quibus *Levitae* in sacrificiis et aliis divini cultus partibus expediendis ministrabant. Quamvis vero ex Dei instituto unus duntaxat esset summus inter omnes sacerdos, tamen apparet ex 2. Reg. 25, v. 18. ipsi adjunctum fuisse collegam, qui ipso vel absente, vel impedito partes muneris sustineret, qui ob id *sacerdos secundus* dicebatur, sic enim ibi loquitur Spiritus s.: *Tulit princeps militiae Serajam sacerdotem primum et Sophoniam sacerdotem secundum*, nisi velimus dicere, sacerdotis secundi nomen accipiendum pro eo, qui est *secundi ordinis*, additur enim et janitores tres, scilicet ex tertio sacris operantium ordine, qui fuit Levitarum. Sed prior explicatio confirmatur ex eo, quod in prima statim Levitici sacerdotii constitutione Aaroni summo sacerdoti conjungitur Eleazar, qui vocatur נְשִׂיא נְשִׂיאֵי

Po… pro… gat

praelatus praelatorum, *princeps principum Levi*, qui Aarone quidem erat inferior, interim reliquis Levitis omnibus superior, Numer. 3, v. 32. Summus sacerdos quaedam officia habebat cum reliquis sacerdotibus communia, quaedam vero propria et peculiaria. Communia erant victimarum in altari holocausti oblatio Lev. 1, v. 9. pro peccatis populi in sacrificiorum oblatione deprecatio Lev. 9, v. 7. solennis populi benedictio Num. 6, v. 23. ignis perpetui in eodem altari per ligna subjecta conservatio Lev. 6, v. 12. thymiamatis in altari ad id destinato incensio, quam bis quotidie, mane scilicet et vesperi, pera-
XIII. 28. gebat Ex. 30, v. 7. lucernarum in candelabro aureo per olei affusionem praeparatio Lev. 24, v. 2. panum propositionis singulis sabbathis facienda permutatio Lev. 24, v. 8. vaccae rufae extra castra immolatio Num. 19, v. 3. ex cujus cineribus parabatur aqua lustrationis; mulieris de adulterio suspectae in casu zelotypiae adjuratio Num. 5, v. 11. leprae a reliquis scabiei speciebus discretio Lev. 13, v. 2. leprosorum, puerperarum, menstruatarum ac seminifluorum mundatio Lev. 12, v. 7. c. 14. v. 2. c. 15, v. 14. etc. legis divinae interpretatio et populi ex ea informatio Malach. 2, v. 7. tubarum in progressu ad bellum, in festis et neomeniis inflatio Num. 10, v. 8. c. 31, v. 6. Propria summi sacerdotis officia erant 1. publica totius populi ab omnibus immunditiis expiatio semel in anno peragenda, decimo scilicet die mensis septimi, in qua ἀρχιερεὺς sanctum sanctorum solennibus ritibus ingressus et se, et sacerdotes, et totum populum expiabat Levit. 16. 2. Reliquorum sacerdotum consecratio Num. 8, v. 11: *Elevare faciet Aaron Levitas elevationem coram Domino*, *et erunt ad faciendum opus Domini*, ubi tamen monendum, quod in illa Levitarum consecratione non solius Aaronis, sed etiam Moysis opera intercesserit, dicit enim Deus ad Moysen v. 13: *Statues Levitas in conspectu Aaron et filiorum ejus et elevare facies eos elevationem*; itemque quod filii Israël *posuerint manus suas super Levitas*, v. 10. ut intelligeretur, publico totius ecclesiae nomine consecrationem illam fuisse factam. 3. Ultimae sententiae in controversiis forensibus pronuntiatio, Deut. 17, v. 12. ubi tamen notandum, quod sacerdoti conjungatur *judex* et quod regula judicii statuatur lex divina, ne absolutam quandam et αὐτοκρατορικὴν potestatem sibi datam existimaret. 4. Oraculi divini in causis dubiis interrogatio, Num. 27, v. 21: *Eleazar sacerdos consulet Dominum in judicio Urim.* 1. Samuel. 23, v. 9. David per pontificem Abiathar quaerit a Deo, an in urbe Ceila commorari debeat; quo vero modo divina oracula pontifici fuerint reddita, de eo latissime ex Hebraeis et recentioribus doctoribus disserit P. Fagius in notis ad paraphr. chaldaic. Exod. 28. Ceterum ut ab Aarone pontificum et sacerdotum, sic per reliquos Levi filios genus Levitarum est propagatum, qui in numerum sacris operantium cooptati (quod anno aetatis vigesimo quinto fieri consueverat) victimarum praeparatione, vasorum custodia, purgatione et aliis operis sacerdotibus ministrabant et hora sacrificii psalmos canebant. Numer 8, v. 24: *Haec est lex Levitarum: a viginti quinque annis et supra ingredientur, ut ministrent in tabernaculo conventus; v. 25. cumque quinquagesimum annum aetatis impleverint*, *servire cessabunt*, *v. 27. eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo conventus*, *ut custodiant*, *quae sibi fuerint commendata*, *opera autem ipsa non facient.* Erant igitur Levitae custodes et janitores, qui portabant arcam, velum, mensam, cortinas, tectum tabernaculi, tentorium, funiculos, vasa, tabulas, vestes, columnas, bases et totam supellectilem; distributi erant in tres familias, *Gersonitarum*, *Caathitarum ac Meraritarum*, ac singulis divino mandato assignatum, quas sacrae supellectilis partes debeant portare, Numer. 3. et 4. sed jus sacrificandi non habebant, Numer. 18, v. 3.

210. Aucto et Israëlitarum et Levitarum numero propheta regius David sacerdotes ex Eleazar et Ithamar Aaronis filiis prognatos in 24 *familias* sive classes distribuit et ordinem earum sorte distinxit, ut singulis septimanis novi sacerdotes ex aliis familiis accederent, 1. Paral. 24, v. 4. 2. Paral. 23, v. 5. 2. Reg. 11, v. 7. cumque singulis sabbathis nova sacerdotum familia sacrorum ministerio adhiberetur, singulorum ministerio certi dies praescribebantur, unde Lucas c. 1, v. 5. dicit, *Zachariam Baptistae patrem fuisse ἐξ ἐφημερίας Abia.* Singulis classibus praeerant sacerdotes, qui שָׂרֵי הַכֹּהֲנִים, ἀρχιερεῖς, *principes sacerdotum*, et שָׂרֵי הַמִּקְדָּשׁ, *principes sanctuarii*, *vocabantur*, 1. Par. 24, v. 5. qualis sacerdotum princeps fuit Esdra, Esdr. 7, v. 6. Cumque Davidis tempore ministerium ferendae arcae cessaret, Levitae eo ordine ab ipso fuerunt XIII. 29.
distributi, ut alios statueret *sacerdotum et templi ministros*, alios *cantores*, alios *janitores*, alios *scribas*, alios *judices*. Sacerdotum et templi ministri aquam et ligna portabant ad tabernaculum et decimas recipiebant, templum et vasa ejus purgabant, si quando contaminata forent; sacrificia sacerdotibus adducebant et in horum pellibus detrahendis inque aliis, quae opus essent quotidie, aut sabbatho, aut diebus festis eos adjuvabant; praecavebant insuper, ne quis impurus tabernaculum ingrederetur etc. Cantores psallebant hymnos sacros tempore sacrificii et voce, et organis, videlicet tubis, cymbalis, psalteriis, citharis. Janitores ad januas templi excubabant et sacras arculas observabant, quorum munus videtur fuisse reliquis omnibus inferius, Psalm. 84, v. 11: *Elegi ad limen sedere in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Scribae describebant, legebant et interpretantur sacras literas, Jerem. 8, v. 8. Judices dirimebant controversias. Levitis hisce ministrabant Nathanaei ex Gibeonitis propagati, qui ligna caedebant et aquas hauriebant.

Ordines sacerdotum a Davide instituti.

211. Scribarum tria in sacris literis occurrunt genera. Unum eorum, qui regibus ministrabant, quodcunque tandem illorum munus fuerit 2. Sam. 9, v. 3. c. 20, v. 25. 2. Regum. 12, v. 10. c. 22,

v. 3. hodie vocantur camerae secretarii. Alterum eorum, qui privatorum contractus et instrumenta videntur descripsisse, quos notarios hodie vocamus, 1. Paral. 2, v. 55. Psalm. 45, v. 2. Jer. 32, v. 11. cui rei operam solitos fuisse navare Cinaeos nullam alioqui hereditatem cum tribubus sortitos, liquet ex 1. Paral. 2, v. 55. De his duobus scribarum generibus hoc loco non agimus, sed de tertio, quod fuit eorum, qui divini juris inter ceteros periti tum in synagogis, tum in templo legem docebant, unde etiam νομικοί et νομοδιδάσκαλοι fuere dicti Matth. 7, v. 29. c. 8, v. 19. c. 23, v. 2. Marc. 12, v. 28. Luc. 5, v. 30. c. 11, v. 44. etc. γραμματεῖς dicebantur, quia legi describendae et interpretandae vacabant, sacrarum tabularum custodes et interpretes. Jer. 8, v. 8. Matth. 13, v. 52. Vide Bezam in annot. Matth. 2.

Sacerdotum et prophetarum in V. T. discrimen.

212. Ordinarie igitur ministerium ecclesiasticum a Moyse usque ad Christum Leviticis *sacerdotibus* fuit demandatum, sed quia illi in conservanda ac propaganda doctrinae coelestis sinceritate erant quandoque negligentes, quin et Baaliticis aliisve idololatricis cultibus eam contaminabant, ideo extraordinarie Deus vocavit *prophetas*, quorum ministerio corruptelae abstergerentur, promissio de Messia repeteretur et illustraretur atque ad poenitentiam agendam poenarum specialium comminatione homines invitarentur. Quamvis enim utrique, tum sacerdotes, tum prophetae, in docendi munere occupati essent, tamen alia erant differentiae capita, quibus invicem distinguebantur, utpote *1. vocationis modo.* Sacerdotes per ordinariam successionem ministerium ecclesiasticum obtinebant; prophetae per extraordinariam missionem, peculiari Spiritus sancti afflatu illi admovebantur. *2. Origine.* Sacerdotes semper erant ex tribu Levitica et quidem ex Aaronis posteritate; sed prophetae etiam ex aliis tribubus divinitus excitabantur, ut constat exemplis Esaiae, Danielis, Amos etc. *3. Officio.* Sacerdotum officium erat non tantum docere, sed etiam sacrificare; prophetae vero docendi munere contenti partes sacrificandi nunquam attingebant; quod enim de Elia legitur 1. Reg. 18, v. 38. ipsum aliquando *sacrificasse*, id fuit plane singulare et extraordinarium exemplum peculiari Dei instinctu ad convincendos Baaliticos sacerdotes factum, unde etiam extra locum a Deo definitum sacrificium illud oblatum fuit, quod alias severe prohibitum erat. *4. Donorum mensura.* Sacerdotes non fuere instructi dono miraculorum nec scientia futurorum; sed prophetae vel dono miraculorum, vel scientia futurorum, vel aliis peculiaribus et extraordinariis donis instructi fuere, unde vocantur *videntes* 1. Samuel. 9, v. 9. Deus enim ipsis loquebatur vel per visiones tum internas menti, tum externas oculis objectas Jer. 1,
XIII. 30. v. 11. Ezech. 1, v. 5. etc. vel per somnia θεόπεμπτα, vel per internum afflatum, vel per angelorum apparitionem, vel per familiarem allocutionem, Num. 12, v. 6: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; v. 7. at non talis est servus meus Moyses, v. 8. ore enim ad os loquor ei, adspectu et non per aenigmata et figuras Deum videt. 5. Doctrinae certitudine.* Sacerdotes errandi periculo fuere obnoxii, ut ostendunt exempla Uriae, Passur etc. sed prophetae, utpote immediate a Deo afflati, in doctrina non errarunt nec errare potuerunt. *6. Duratione.* Sacerdotes fuerunt in populo Israëlitico usque ad Christum; sed prophetae a temporibus Samuelis usque ad Malachiam ultimum V. T. prophetam floruerunt, Actor. 3, v. 24. post cujus tempora nullus amplius ad Israëlitas missus fuit propheta. Monendum tamen hoc loco, prophetae nomen quandoque ordinariis doctoribus ex tribu Levi oriundis tribui, ut apparet ex Jerem. 26, v. 11. c. 29, v. 1. ubi sacerdotes et prophetae conjunguntur ac nomine prophetarum videntur intelligi illi, quos paulo superius vocavimus scribas, sed ea ratione prophetarum nomen hic non accipimus, verum pro doctoribus extraordinarie et immediate a Deo vocatis, nec humanitus institutis, sed divina inspiratione illustratis, quorum seriem proposuimus §. 40.

Min[…] eccl[…] in N[…]

213. Doctorum ecclesiae N. T. ἔξαρχος et caput est Christus, qui propterea dicitur ἀρχιποιμήν *princeps pastorum* 1. Petri 5, v. 4. ἀρχιερεύς Hebr. 2, v. 17. etc. ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν 1. Petr. 2, v. 25. in quo typus sacerdotii Levitici complementum suum obtinuit. Postquam enim in V. T. πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *Deus olim locutus patribus per prophetas, novissime locutus est nobis per Filium,* Hebr. 1, v. 1. *qui est in sinu Patris, ipse* ἐξηγήσατο, *enarravit et exposuit nobis consilium Dei* de salute nostra Joh. 1, v. 18. Is praecursorem sibi elegit Johannem Baptistam, qui poenitentiae concione viam sibi pararet, de quo ipse testatur Matth. 11, v. 11: *Non surrexit inter natos mulierum major Johanne Baptista, qui autem minor in regno coelorum, major est illo.* Idem non solum duodecim apostolos, sed et septuaginta discipulos in schola sua prius informatos in civitates Judaeae misit, quos dono miraculorum instruxit, ut praedicationi evangelii fidem et auctoritatem conciliarent Luc. 10, v. 1. ac post suam resurrectionem novis Spiritus sancti donis per afflatum collatis apostolos instruens mandatum illis dedit de praedicanda in toto terrarum orbe evangelii doctrina Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. quin et denuo promissionem de miraculis ipsorum ministerio edendis repetivit Marc. 16, v. 16. atque hac ratione per immediatam vocationem, per potestatem et mandatum ubivis docendi, per privilegium infallibilitatis in doctrina, per miraculorum operationem reliquis N. T. ministris ipsos antetulit et in gradu ministerii summo, a se scilicet proximo, eos collocavit, unde Paulus dicit 1. Cor. 12, v. 28. quod Deus constituerit in ecclesia πρῶτον ἀποστόλους, *primum* sive *primos apostolos.*

Ant[…] Chr[…] in […] ads[…]sio[…]

214. Hic ergo ante Christi adscensionem inter ecclesiae N. T. ministros fuit ordo: *1. Christus* ἔξαρχος; *2. Johannes Baptista; 3. duodecim apostoli; 4. septuaginta discipuli.* Post adscensionem

Christi plures fuere inter ecclesiae ministros gradus atque ordines constituti, quod ipsum ut fiat evidentius atque ut de ordinum istorum discrimine et officio plenius constet, conjungemus omnia Scripturae dicta, quae de gradibus illis agunt. Eph. 4, v. 11. sic loquitur apostolus: *Christus* (ad dextram Patris coelestis per suam in coelos adscensionem evectus) *dedit quosdam quidem apostolos*, *quosdam autem prophetas*, *alios vero evangelistas*, *alios autem pastores et doctores*, hoc est Christus non solum in diebus carnis suae, sed etiam post gloriosam suam in coelos adscensionem distinctos inter ecclesiae ministros voluit esse ordines ac gradus; *ad consum-*
XIII. 31. *mationem scilicet sanctorum*, *in opus ministerii*, *in aedificationem corporis sui mystici*, quae causa v. 12. subjungitur. 1. Cor. 12, v. 28: *Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas*, *tertio doctores*, *deinde virtutes*, *exinde charismata sanationum*, *opitulationes*, *gubernationes*, *genera linguarum. v. 29. Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? v. 30. numquid omnes charismata habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur?* Rom. 12, v. 7: *Si quis habet prophetiam*, *secundum analogiam fidei; v. 8. sive ministerium*, *in ministrando*, *sive qui docet*, *in doctrina*, *v. 8. sive qui exhortatur*, *in exhortando*; scilicet diligens sit, fidelis et industrius. Phil. 1, v. 1: *Omnibus sanctis in Christo Jesu*, *qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis.* 1. Tim. 3, v. 2: *Oportet episcopum esse irreprehensibilem*, *unius uxoris maritum* etc. *v. 8. diaconos similiter pudicos*, *non bilingues. Tit. 1*, *v. 5: Ideo reliqui te Cretae*, *ut ea quae desunt corrigas et constituas oppidatim presbyteros. v. 7. Oportet enim episcopum esse irreprehensibilem. 1. Petr. 4*, *v. 11*: *Si quis loquitur*, *loquatur ut eloquia Dei*, *si quis ministrat*, *ministret tanquam ex viribus*, *quas suppeditat Deus.* Actor. 6, v. 3. constituuntur *diaconi*, *qui ministrent mensis.* Galat. 6, v. 6: *Qui catechizatur*, *communicet τῷ κατηχοῦντι in omnibus bonis.*

Post Christi adscensionem. 215. Ex his Scripturae dictis colliguntur sequentes ordinum et graduum inter ecclesiae apostolicae ministros divisiones: 1. Quorundam vocatio fuit *immediata* et nulli certo loco alligata, utpote apostolorum, prophetarum et evangelistarum; quorundam vero vocatio fuit *mediata* et ministerium certorum locorum, utpote episcoporum, presbyterorum, pastorum, doctorum etc. 2. Quidam ordines fuere *certi temporis*, qui ecclesiae fundationi peculiariter fuerunt destinati, ideo etiam ecclesia constituta exspirarunt, utpote munus apostolorum, prophetarum, evangelistarum, dona sanationum, virtutes, genera linguarum; quidam vero *perpetui* sunt in ecclesia, qui ecclesiae pleniori aedificationi et consummationi inserviunt, quorum officium usque ad Christi adventum extenditur, ut episcopi, presbyteri, pastores, doctores, diaconi. 3. Eorum, qui functiones ecclesiasticas gerunt, quidam statuuntur *docentes*, quidam *ministrantes.* Illis tribuitur προφητεία, his διακονία Rom. 12, v. 7. Illorum nomine intelliguntur, qui in docendo et exhortando, vel ut apostolus 1. Tim. 5, v. 17. loquitur, *in verbo laborant*, tales sunt episcopi, presbyteri, pastores, doctores; horum vero nomine intelliguntur, qui aliis in rebus, utpote in eleemosynarum distributione, morum censura, pauperum et aegrotorum cura ecclesiae serviunt, *diaconi* peculiariter appellati, Act. 6, v. 3. Rom. 16, v. 1. etc. 4. Ministerium ecclesiasticum respectu eorum, circa quae occupatur, est vel internum, vel externum. Internum in praedicatione verbi et administratione sacramentorum occupatur, eo funguntur pastores, qui laborant in verbo. Externum duplex est, aut enim *externam ecclesiae oeconomiam*, aut ejusdem *externam politiam* spectat. Illo funguntur, qui aerario ecclesiastico et bonorum ecclesiasticorum administrationi praesunt, tales olim erant diaconi, Act. 6, v. 3. hoc vero administrant, qui morum censurae et regendae disciplinae vacant, tales olim erant presbyteri sive seniores. Huc pertinet illud Basilii in Psalm. 33. ubi quatuor gradus ministrorum constituit, quod scilicet alii sint in ecclesia *instar oculorum*, ut seniores; alii *instar linguae*, ut pastores; alii *tanquam manus*, ut diaconi; alii *tanquam pedes* vilioribus ecclesiae ministeriis addicti. Videamus de singulis ordinibus in specie.

216. 1. Apostoli fuerunt primarii ecclesiae N. T. Apostoli. doctores immediate a Christo vocati et in schola ejus peculiariter instituti, qui primo quidem ante Christi passionem et resurrectionem ad Israëlitas tantum ablegati fuerunt, ut praeconio evangelii ipsi viam pararent, Matth. 10, v. 6. sed post resurrectionem Christi acceperunt mandatum de praedicando XIII. 32. evangelio per totum terrarum orbem, Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. ac promissionem de collatione peculiarium Spiritus sancti charismatum, Actor. 1. v. 4. per quam sint *induendi virtute ex alto* Luc. 24, v. 49. itemque de potestate edendi miracula ad doctrinae evangelicae confirmationem Marc. 16, v. 17. Haec promissio impleta fuit in ipsis die pentecostes, in quo visibili Spiritus sancti effusione ad summum apostolatus officium solenniter fuere inaugurati, Actor. 2, v. 1. redintegrata prius sancta ipsorum dodecade per Matthiam in locum Judae proditoris sortis judicio electum Act. 1, v. 26. et postmodum extraordinarie adjuncto ipsis Paulo electo illo Christi organo Actor. 9, v. 15. qui se passim vocat *apostolum* Rom. 1, v. 1. 1. Cor. 1, v. 1. etc. *ac minimum apostolorum* 1. Corinth. 15, v. 9. 2. Cor. 12, v. 11. notanter dicit: οὐδὲν ὑστέρησα τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων. Sed et Barnabas apostolorum ordini accensendus quibusdam videtur, 1. quia Act. 13, v. 2. immediata Spiritus sancti vocatione ad partem quandam muneris apostolici una cum Paulo segregatur; 2. quia Act. 14, v. 14. aeque ut Paulus vocatur apostolus; 3. quia conventione inter apostolos facta functionis apostolicae partes ea ratione sunt distributae, ut Jacobus, Petrus et Johannes inter Judaeos, Paulus autem et Barnabas

apostolatu fungerentur inter gentes; 4. quia Spiritus s. nomen Barnabae apostoli Pauli nomini praemittit, Act. 13, v. 7. c. 14, v. 14. c. 15, v. 12. sed in numerum evangelistarum rectius refertur iste Barnabas quam apostolorum, cum segregatio illa per Spiritum s. facta Actor 13, v. 2. non fuerit prima et immediata Barnabae vocatio, sed duntaxat ad certum locum destinatio, generaliori igitur significatione nomen apostoli accipitur, quando Barnabae tribuitur, quod Paulo apostolo praeponitur, inde est, quia prior fuit ad Christum conversus Act. 9, v. 27. Hi apostoli per immediatam vocationem, mandatum ubique docendi et potestatem miraculorum constituti fuere spirituales architecti, qui aedificium ecclesiae N. T. ministerio suo inter omnes gentes fundarent. 1. Cor. 3, v. 10: *Secundum gratiam, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat.* Rom. 15, v. 20: *Sic praedicavi evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum aedificarem, v. 21. sed sicut scriptum est, quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, et qui non audient, intelligent.* Inde est, quod Justinus in dial. cum Tryph. p. 202. Tertullianus lib. 4. advers. Marcion. p. 293. conferunt apostolos cum duodecim filiis patriarchae Jacobi. Quemadmodum enim ex Jacobi filiis Israëlitae in V. T. propagati fuere, ita apostolorum ministerio spirituales Israëlitae in N. T. ex omnibus gentibus in Christi regnum fuere collecti. Weidn. in locis fid. Christ. praecipuis tract. 1. p. 115. ex veteribus plures colligit typos, quibus duodenarius apostolorum numerus existimatur praefiguratus. *Duodecim illi apostoli* (inquit) *praefigurati fuere per duodecim fontes in Elim Exod. 16. per duodecim gemmas in veste sacerdotis ac per duodecim tintinnabula e veste talari pontificis suspensa Exod. 28. per duodecim panes propositionum* Lev. 24. *per duodecim exploratores in terram Canaan ablegatos* Num. 13. *per duodecim viros de duodecim tribubus Israël a Josua electos* Jos. 3. *per duodecim lapides de medio Jordanis sublatos* Jos. 4. *per duodecim lapides altaris* Jos. 18. *per duodecim praefectos Salomonis* 1. Reg. 4. *per duodecim boves mare aeneum sustentantes* 1. Reg. 7. *per duodecim portas civitatis propheticae,* Ezech. 48. *per duodecim gemmas in corona mulieris* Apoc. 12. *per duodecim fundamenta coelestis Hierosolymae* Apoc. 21. quorum typorum applicationem ostendimus in postill. eccles. in festo Andreae. Irenaeus libr. 3. c. 16. p. 201. vocat eos *veritatis praedicatores et apostolos libertatis* et in praefat. lib. 4. p. 232. *speculatores et ministros veritatis.* Rationem appellationum exponit libr. 3. c. 1. p. 169: *Non per alios* (inquit) *dispositionem salutis nostrae cognovimus quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconiaverunt, postea*
XIII. 33. *vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum et columnam fidei nostrae futurum.* Respicit Irenaeus dubio procul ad Ephes 2, v. 20. ubi *exstructi* dicimur *super fundamentum prophetarum et apostolorum;* itemque ad Apoc. 21, v. 14. ubi *murus civitatis sanctae dicitur habere fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina apostolorum Agni,* quia apostoli utpote immediato Spiritus sancti afflatu ducti habuerunt privilegium non errandi, ideoque doctrina ipsorum est θεόπνευστος et ἀνυπεύθυνος, juxta quam veluti canonem ac regulam omnes reliquae doctrinae exigendae et examinandae. Dicuntur apostoli, id est missi sive *legati* κατ' ἐξοχήν, quia peculiari mandato et promissione instructi ad fundandas ac plantandas in toto orbe ecclesias fuere a Christo ablegati, Johan. 20, v. 21: *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos.* Ut ergo Christus propter suam a Patre in mundum missionem vocatur ἀπόστολος, Hebr. 3, v. 1. ita quoque primarii illi ecclesiae in N. T. ministri propter immediatam suam a Christo missionem apostoli dicuntur. Quandoque tamen apostoli nomen generalius accipitur pro quibusvis ecclesiae doctoribus a Christo missis, licet non immediate nec ad summum illud apostolatus officium. Rom. 16, v. 7. Andronicus et Junias dicuntur ἐπίσημοι ἐν τοῖς ἀποστόλοις, *insignes inter apostolos* (quamvis etiam reddi posset apud apostolos, ut retineatur propria significatio). Phil. 2, v. 25: *Necessarium existimavi mittere ad vos Epaphroditum cooperarium et commilitonem meum, vestrum autem apostolum,* ubi notandum, Epaphroditum non vocari absolute et simpliciter apostolum, sed cum adjectione Philippensium apostolum, nimirum quia una cum Paulo doctrinam Christianam illis tradiderat. Eodem sensu a quibusdam accipitur illud Pauli 2. Corinth. 8, v. 23: *Sive pro Tito, sive fratres nostri apostoli ecclesiarum.*

217. Quaeritur hoc loco *1. an Petrus fuerit caput ac princeps apostolorum,* cui specialis primatus ac principatus in reliquos apostolos a Christo sit datus? Affirmant Pontificii, non tam de Petro quam de papa, quem Petri in monarchico illo primatu successorem fingunt, hac in parte soliciti. Bellarminus libr. 1. de pontific. Rom. c. 10: *Affirmant* (inquit) *Catholici, Petrum apostolum fuisse totius ecclesiae* XII *caput et principem loco Christi ab ipso Christo institutum, est enim revera non simplex error, sed haeresis, negare Petri primatum a Christo institutum.* Hanc sententiam confirmare nititur primo ex duobus evangelii locis Matth. 16: *Tu es Petrus, et super hanc petram* etc. *Joh. 21: Petre, pasce oves meas;* deinde ex *plurimis Petri privilegiis et praerogativis;* tertio *ex veterum testimoniis.* Sed Petrus non est alio modo ecclesiae fundamentum, quam quo modo etiam reliqui apostoli dicuntur ecclesiae fundamenta Apoc. 21, v. 14. Eph. 2, v. 20. nimirum ratione doctrinae de Christo, qui est unicum ecclesiae fundamentum teste Paulo 1. Cor. 3, v. 11. et ipsomet Petro 1. epist. 2, v. 4. et seqq. Nec alias claves accipit Petrus, quam quas reliqui etiam apostoli acceperunt, Matth. 18, v. 18. Joh. 20, v. 23. Nec aliud mandatum pascendi oves Christi accepit Petrus, quam quod reliquis etiam apostolis datum de praedicando evangelio

Qu. Pet fue apo lori pri

in toto terrarum orbe, Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. Praerogativae et privilegia, ut et veterum testimonia nihil aliud probant quam primatum ordinis, qui a primatu monarchicae potestatis tantum differt, quantum summum coelum ab infima terra. Opponimus autem Pontificio somnio de monarchica Petri in reliquos apostolos potestate *1. Christi διάταγμα.* Cum Luc. 22, v. 25. contentio inter apostolos orta esset, quisnam eorum videretur major, ibi Christus nequaquam ad Petrum illos remittit, sed ab arrogando dominatu omnes arcet: *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Quodcunque Christus diserte prohibet, id Petro nequaquam tribuendum. Sed Christus diserte prohibet monarchicum inter apostolos dominatum. Ergo etc. 2. *Christi honorem proprium.* Quod uni et soli Christo convenit, id Petro assignari haudquaquam debet. Sed monarchicus in apostolos et ecclesiam dominatus soli Christo convenit, ipse constitutus est a Patre coelesti *rex* super Siona ecclesiae, Psalm. 2, v. 6. ipse est solus N. T. *ἀρχιερεύς* Hebr. 7, v. 21. *ἀρχιποιμήν* sui gregis Joh. 10, v. 14. 1. Petr. 5, v. 4. ipse est *unicus magister noster* Matth. 23, v. 8. ipse solus ecclesiae *sponsus* Joh. 3, v. 29. *fundamentum* 1. Cor. 3, v. 11. *caput* Coloss. 1, v. 18. haec igitur dignitas et potestas
II. 35. monarchica Petro tribui non debet. *3. Ipsius Petri verba et facta.* 1. epist. 5, v. 1. vocat sese *συμπρεσβύτερον, conseniorem, et testem passionum Christi et ejus, quae in futuro revelanda est, gloriae participem.* v. 3. prohibet, ne presbyteri *dominentur clero;* absit vero, ut id dicamus a Petro fuisse factum, quod ne ab aliis ecclesiae presbyteris fieret, tam diligenter prohibuit. Actor. 8, v. 14. patitur se *ablegari in Samariam* una cum Johanne tanquam coaequali in apostolatu. Actor. 11, v. 3. patitur *se accusari,* quod ad gentes fuerit ingressus, et ut coaequalis sese purgat. Gal. 2, v. 14. patitur se a Paulo *reprehendi*, v. 9. dat eidem *dextram societatis, δεξιὰν κοινωνίας. 4. Reliquorum apostolorum testimonia.* 1. Cor. 1, v. 12. reprehendit Paulus Corinthios, quod quidam dicerent, *se esse Apollo,* alii *se esse Cephae;* ac c. 3, v. 5. addit, *quid Apollo? quid Paulus? ministri ejus, cui credidistis.* Gal. 2, v. 9. *primarios* apostolos *ὑπερλίαν ἀποστόλους* enumerans non solum Petrum nominat, sed Jacobum et Johannem illi adjungit, nec solum Petrum, sed etiam Jacobum et Johannem *pro columnis* habitos fuisse asserit, quin et Jacobum primo loco ponit, imo diserte addit 2. Cor. 11, v. 5. *se nullo ex omnibus apostolis inferiorem esse*, quod cum monarchico Petri primatu nunquam conciliari poterit. Gal. 2, v. 7. dicit, *concreditum sibi esse evangelium in praeputium, sicut Petro in circumcisionem;* ubi in ministerio evangelii et apostolatus munere sese Petro confert v. 14. reprehendit Petrum, quod *non ambulet recto pede ad veritatem*, sed tale quid non fuisset ausus facere, si monarchicus dominatus a Christo illi fuisset attributus. Ambrosius in comment. Gal. 2: *Quis auderet Petro primo apostolo, cui claves regni coelorum Dominus dedit, resistere, nisi alius talis fiducia electionis suae sciens se non imparem.* 1. Cor. 12, v. 28. Eph. 4, v. 11. hierarchiam ecclesiae ex professo recenset, nullum autem verbum facit de quodam monarcha reliquis apostolis ac toti ecclesiae praefecto. Atqui si praeter munus apostolicum aliquod sublimius Petro concreditum fuisset, Paulus ibidem id haudquaquam reticuisset. Eusebius libr. 2. hist. eccles. c. 1. ex libr. 6. hypotyp. Clementis allegat locum: *Petrus et Jacobus et Johannes post assumtionem Salvatoris quamvis ab ipso fuerint omnibus paene praelati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Jacobum qui dicebatur Justus Hierosolymitanorum* (quaedam exemplaria legunt apostolorum) *episcopum constituunt.* Origenes homil. 1. in Matth.: *Num putas, soli Petro claves regni coelorum datas esse? minime vero, quia Johan. 20. ad omnes dicit: Accipite Spiritum sanctum, quorumcunque remiseritis peccata, remissa erunt, quasi omnibus talibus constitutis, qualis erat et Petrus.* Cyprianus tract. 3. de simpl. praelat. p. 113: *Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis.* Ambrosius de in incarn. Domin. sacram. c. 4. circa finem, primatum *confessionis, non honoris; fidei, non ordinis Petro* assignat (ubi per primatum ordinis et honoris intelligit eum, qui includit primatum potestatis). Hieronymus libr. 1. contra Jovin.; *Ecclesia super omnes apostolos fundatur et cuncti claves regni coelorum acceperunt, et ex aequo super omnes ecclesiae fortitudo solidatur.* Leo serm. 1. de natal. apostol.: *Hos* (Petrum et Paulum) *gratia Dei in tantum apicem inter omnia ecclesiae membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constitueret lumen oculorum, de quorum meritis ac virtutibus nihil diversum, nihil sentire debemus discretum, quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit aequales.* Theophylactus in c. 2. Gal. de Paulo dicit, *hic in propatulo collocat, se ejusdem esse cum Petro pretii et honoris.* c. Paulus 2. q. 7: *Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem sciret.* c. Beati eadem: *Beati Petrus et Paulus eminent inter universos apostolos et speciale quadam praerogativa praecellunt, verum inter ipsos quis cui praeponatur, incertum est, puto enim illos aequales etiam meritis, qui aequales sunt passione* etc. Polydorus Virgilius lib. 4. de rer. invent. c. 6: *Existunt, qui contendunt, Petrum in omnes apostolos jus habuisse, de qua re* XIII. 36.
nostrum non est quidquam decernere, qui sacerdotii originem tantum quaerimus, tametsi contra nonnulli aliter censent, quia id videtur apostolus 2. Corinth. 10. negare scribens: Nam etsi amplius quidquam gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus, non erubescam, non enim dicit, quam dedit Petrus, sed quam dedit Dominus.

2. An apostoli privilegio non errandi fuerint instructi.

218. Quaeritur 2. quomodo cum privilegio non errandi apostolis dato consistat, quod apostoli post primam suam ad Israëlitas legationem *errore de mundano Christi regno* adhuc fuere impliciti, Matth. 20, v. 24. Luc. 18, v. 33. Actor. 1, v. 6.

quod Petrus in specie Christum *a passione adeunda dehortatur* Matth. 16, v. 22. quinimo etiam post acceptum Spiritus sancti donum *dubitat de discrimine ciborum* in N. T. sublato Actor. 10, v. 14. ac subtrahens se a conversis ex gentibus *non recto pede ambulat ad veritatem*, cogit gentes judaizare, ideoque ut reprehensibilis a Paulo corrigitur Galat. 2, v. 11. Responsum: distinguendum 1. inter statum et ordinationem apostolorum, qualis fuit *ante collatum Spiritum sanctum et post acceptum illius donum*. Ante collatum illis Spiritum sanctum fuerunt adhuc erroribus obnoxii et laborarunt quarundam doctrinae coelestis partium inscitia, sed post acceptum Spiritus sancti donum in omnem veritatem fuere perducti, luce cognitionis e supernis collustrati ac privilegio non errandi divinitus donati. Joh. 16, v. 12: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare; v. 13. cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* An vero in prima sua ad Israëlitas legatione fermentum praeconceptae illius erroneae opinionis de regno Christi terreno praeconio evangelii commiscuerint, an contra speciali quadam Spiritus sancti directione doctrinam evangelii ab illo fermento puram auditoribus proposuerint, ex Scripturis certo colligi nequit. Si vel maxime aliquid fermenti et stipularum admixtum fuisse statuatur, id tamen saluti credentium per praedicationem ipsorum promovendae haudquaquam obfuit, gratiae divinae beneficio caliginem illam sensim per uberiorem Spiritus sancti illustrationem dispellente, fermentum expurgante et stipulas errorum admixtas igne tentationis expurgante. 2. Distinguendum etiam inter apostolorum *conversationem atque eorundem praedicationem et scriptionem*, inter *infirmitates vitae et errores doctrinae*. Infirmitatibus et lapsibus vitae adhuc obnoxii fuere apostoli post acceptum Spiritum sanctum, nequaquam vero erroribus doctrinae. Sane quidam veterum comminiscuntur, Cephan illum, cujus mentio fit Galat. 2, v. 11. non fuisse Petrum apostolum, sed alium quendam ecclesiae doctorem ex 70 discipulorum numero. Verum circumstantiae textus, cumprimis vero historia Actorum apostolicorum ostendunt contrarium. Hieronymus in comment. *κατὰ πρόσωπον* accipit pro eo, quod est *non ex animo*, sed ut iis, qui aderant, speciem reprehensionis exhiberet, ut *Petri simulatio*, *quam videbat noxiam fore gentibus, simulata reprehensione corrigeretur.* Verum Augustinus libr. de agone Christiano c. 30. rectius censet, seriam fuisse illam reprehensionem, et factum illud Petri *superstitiosam simulationem* appellat, reliquis illius peccatis diffidentiae, pugnae, abnegationis eam accensens, ideoque illud secundum faciem interprete Luthero in comment. fol. 37. significat *coram*, *in os*, quia Paulus in conspectu totius ecclesiae Petro restitit, quo modo ipse apostolus hanc phrasin exponit, quando per aequipollentem locutionem addit, quod Petrum reprehenderit *ἔμπροσθεν πάντων, coram omnibus.* Distinguendum inter *simulationem* sive errorem Petri *directe et in se* consideratum et inter eundem *indirecte ratione eorum, quae per consequentiam ex eo deduci poterant*, spectatum. Error Petri directe ac per se consideratus non est in capita quodam doctrinae, sed in conversatione vitae; non in ipso dogmate libertatis Christianae, sed in ejusdem legitimo usu. Noverat Petrus divina visione edoctus, XI
legem Leviticam et consequenter etiam discrimen ciborum in N. T. sublatum esse; noverat, licere cibum capere cum Christianis ex gentilismo citra susceptam circumcisionem conversis absque Levitici illius ciborum discriminis observatione, quod ipse fecerat in aedibus Cornelii, Actor. 10. et hoc factum suum contra alios defenderat, Actor. 11. quin imo paulo ante quam venirent a Jacobo missi, cum gentibus conversis cibum sumserat, Gal. 2, v. 5. noverat insuper, observatione circumcisionis et rituum Mosaicorum neminem justificari, Act. 15, v. 10. ergo in doctrina de libertate Christiana et de justificatione directe et per se nequaquam erravit; quod vero Paulus asserit, ipsum *non recto pede incessisse ad evangelicam veritatem*, id spectat doctrinae applicationem atque praxin, quod in usu libertatis Christianae offendebat et tale quid agebat, ex quo indirecte articulus de libertate Christiana et justificatione gratuita convelli videbatur. Quia enim praesentibus Judaeis a Jacobo missis subducebat se a conversatione cum conversis gentibus, ex eo in animis illarum nascebatur suspicio, quasi Petrus pseudoapostolorum dogmati in utroque articulo applauderet. D. Hunnius in comment. Gal. 2.

219. Quaeritur 3. *an apostolatus adhuc vigeat in* 3.
ecclesia? Pontificii statuunt, papam in apostolatu ap
succedere Petro apostolorum capiti, sic enim scribit lat
Bellarminus libr. 1. de Rom. pontif. c. 11: *Apostolos* ad vi ac
fuisse fundamenta ecclesiae tribus modis intelligi potest: primo quia primi ecclesias ubique fundarunt; secundo ratione doctrinae a Deo revelatae; tertio ratione gubernationis, quatenus fuerunt capita, rectores et pastores ecclesiae universae. Prioribus modis omnes apostolos ex aequo fuisse fundamenta asserit, sed modo ultimo solum Petrum fuisse fundamentum, scilicet ut pastorem ordinarium ac caput apostolorum, atque ea ratione pontificem Romanum Petro successisse. libr. 2. de pontif. c. 12. disputat, in *apostolatu tria considerari: primo immediatam vocationem; secundo facultatem novarum ecclesiarum condendarum; tertio summam potestatem in omnes ecclesias*; ex his tribus pontificem Romanum solum *secundum et tertium* accepisse et in eo Petro successisse. Atqui si omnes apostoli acceperunt summam potestatem in omnes ecclesias, quomodo solus Petrus fuit ecclesiae monarcha accepta in omnes ecclesias summa potestate? (Regerit quidem Bellarminus, *in Petro fuisse hanc potestatem ordinariam, in aliis apostolis delegatam*, sed manifeste petit principium, cum omnes apostoli ex aequo a Christo mandatum et potestatem acceperint, cumque summa potestas non possit esse delegata.) Si tria sunt in apostolatu invicem connexa, quomodo papa

**Petro ut apostolo successisse dicendus, cum secundum et tertium duntaxat acceperit? Si pontifex accepit ea, quae sunt propria apostoli, utique etiam erit apostolus, non autem Romanus episcopus. Si pontifex in apostolica potestate successit Petro, erit universalis totius ecclesiae, non autem particularis Romanae urbis episcopus. Si pontifex Petro ut apostolo successit, consequens fuerit, quod apostoli constituerint in ecclesia post se alios apostolos, non pastores et episcopos. Si Romanus pontifex Petri successor foret, tunc ratione doctrinae, vitae et officii in Petro et papa esset convenientia. Sed pontificis doctrina, vita et officium a Petro plurimum discrepat, ut collatio ostendit, relinquitur igitur, quod potius sit ἀντίθρονος quam σύνθρονος quodque papa successerit Petro in ecclesia Romana eo modo, ut morbus sanitati et lux tenebris succedere consuevit. Si in toto N. T. codice ne verbo quidem fit mentio hujus successionis, qua Romanus episcopus Petro in apostolicae potestatis monarchia successerit, qua fronte pro *summa rei Christianae* (ut Bellarminus in praefatione appellat) et pro eo quod *ex jure divino* descendit (ut hoc loco pugnat) successio illa Romani episcopi ecclesiae obtrudi potest? Recte igitur Nilus Thessalonicensis episcopus in libro adversus papae primatum statuit, *Romanum pontificem*
II. 38. *non succedere Petro in praefectura totius ecclesiae Catholicae, sed solum in Romano episcopatu*, postea vero eundem ex decretis conciliorum *primatum aliquem ordinis* accepisse, ut videlicet esset primus episcoporum, primus sederet, primus sententiam diceret, non autem primatum potestatis, ut reliquis episcopis imperaret; cum quo consentit illud Cusani libr. 2. de concord. c. 13: *Omnes episcopi sunt aequales quoad jurisdictionem, papatus vero est de gradu positivo, ut omnes gradus majoritatis et minoritatis, quia potestas ligandi et solvendi, in qua fundatur omnis ecclesiastica jurisdictio, est immediate a Christo, et propterea omnes sacerdotes sunt aequales.***

220. Quidam Calvinianus Hadrianus Saravia in libr. de diversis ministrorum gradibus c. 16. et seqq. itidem statuit, apostolatum adhuc in ecclesia vigere, sed negat, solum Romanum episcopum in apostolatu succedere, quin potius omnes episcopos apostolica auctoritate adhuc praeditos esse asserit. Nos distincte respondemus. In apostolatu consideratur 1. ministerium docendi evangelium et administrandi sacramenta cum potestate clavium; 2. ἐπισκοπή, inspectio, non solum gregis Dominici, sed etiam aliorum presbyterorum; 3. potestas praedicandi in toto terrarum orbe cum immediata vocatione, dono miraculorum ὑπεροχῇ et auctoritate αὐτοπίστῳ ac privilegio infallibilitatis conjuncta. Respectu primi omnes veri et sinceri ecclesiae ministri, respectu secundi omnes episcopi apostolorum successores dicuntur ecclesiastica loquendi consuetudine. Irenaeus libr. 3. advers. haeres. c. 3. in princ.: *Habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos.* Cyprianus libr. 4. epist. 9. ante med.: *Omnes praepositi apostolis vicaria ordinatione succedunt.* Hieronymus in epist. ad Evagr. et habetur c. Legimus dist. 93: *Ubicunque fuerit episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Thanais, ejusdem meriti, ejusdem est et sacerdotii. Potentia divitiarum et paupertatis humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum non facit, ceterum omnes apostolorum successores sunt.* Respectu tertii, in quo etiam apostolatus proprie consistit, nullus fuit apostolorum successor, sed apostolatus fuit ordo temporarius et extraordinarius, qui una cum ipsis in ecclesia desiit ac proinde ad ministros ecclesiae sequentium temporum non est propagatus, quod probamus a defectu *1. Potestatis apostolis propriae.* Mandatum praedicandi evangelium in toto terrarum orbe ac ubique fundandi ecclesias ad apostolos proprie spectavit, cui etiam illi fideliter obsecuti sunt, Marc. 16, v. 20: *Egressi praedicaverunt ubique Domino cooperante.* Roman. 10, v. 18: *Numquid non audiverunt? imo vero in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.* Coloss. 1, v. 6: *Verbum evangelii est in universo mundo et fructificat et crescit. v. 23: praedicatum est evangelium in universa creatura, quae sub coelo est.* Ergo cum apostolis mandatum et potestas illa desiit. Quamvis enim immediate in propria persona forte non pervenerint ad omnes ubique gentes, tamen *quo non pervenit pes apostolorum, eo sonus praedicationis apostolicae pervenit*, atque ipsimet apostoli in certas provincias discipulos suos miserunt, qui vel inchoatum ab ipsis opus perficerent, vel ecclesias in illis etiam locis fundarent, quos in evangelistarum potius quam apostolorum ordinem propterea referendos esse judicamus. Eusebius lib. 3. historiar. eccles. c. 4: *Quot et quinam veri et ingenui apostolorum imitatores facti satis habiles et idonei ad ecclesias, quas isti fundaverant, pascendas regendasque aestimati fuerint, dictu certe non est proclive, solis illis exceptis, quos aliquis fortasse ex Pauli scriptis obiter possit colligere. Eodem accedit Lucas, qui discipulos Pauli, dum in Actis eos enumerare contendit, nominatim percenset* etc. *c. 31: Et praeter istos alii complures erant eadem aetate percelebres, qui quidem et apostolis proxime successerunt et tanquam discipuli tantorum et tam insignium virorum eximia et divina virtute decorati ecclesiarum fundamentis ab apo-* XIII. 39.
stolis ubique locorum praeclare jactis structuram illam concinnam adjunxerunt, qui et plenius cumulatiusque amplificarunt, praedicationem verbi divini et salutaria regni coelorum semina fuse lateque per universum orbem disseminarunt. Etenim plerique omnes discipuli, qui eo tempore vixerunt, ardentiore sapientiae coelestis studio amoreque incensi et prae quodam divini verbi desiderio animis perculsi praeceptum Servatoris antea traditum exquisite executi sunt et his, qui ope indigebant, facultates suas libenter impertierunt. Deinde a domiciliis suis peregre profecti munus obierunt evan-

gelistarum atque iis, qui ne adhuc quidem omnino verbum fidei audivissent, Christum praedicare et Scripturas sanctorum evangeliorum tradere omni cura et cogitatione studuerunt, qui cum in locis quibusdam peregrinis fidei duntaxat jecissent fundamenta pastoresque alios constituissent illisque curam eorum, qui ad fidem nuper erant adducti, doctrina Christi sedulo excolendorum commisissent, ipsi ad alias regiones gentesque cum gratia et virtute divina se contulerunt, quippe virtutes multae admirabiles et miracula sacrosancti Spiritus ope per eos ad id usque temporis gerebantur, ita ut frequens hominum multitudo ipsa prima praedicationis auditione persuasa propenso studio pietatem et cultum, qui Deo omnium rerum opifici soli debetur, animis exciperet amplectereturque. 2. *Vocationis immediatae.* In apostolo requiritur immediata et extraordinaria vocatio. Constat enim, omnes apostolos ab ipso Christo in diebus carnis immediate vocatos esse, quorum ordini, cum Matthias in locum Judae additus esset, per sortem divino arbitrio vocatio ipsius fuit commissa Actor. 1, v. 26. eidem cum Paulus adjungendus esset, voce coelitus delata a Christo vocatus Act. 9, v. 6. et *in tertium coelum* raptus 2. Cor. 12, v. 2. *a Domino accipit*, quod ecclesiis postmodum tradidit 1. Cor. 11, v. 23. Jam vero immediata et extraordinaria illa vocatio cum apostolis in ecclesia N. T. desiit, neque enim apostoli exspectarunt, donec alii in ipsorum locum immediate a Christo vocarentur, sed ipsi κατ' ἐκκλησίαν constituerunt presbyteros Actor. 14, v. 23. atque episcopis a se constitutis in mandatis dederunt, ut κατὰ πόλιν presbyteros constituerent Tit. 1, v. 5. Ergo etiam apostolici muneris auctoritas et sublimitas una cum ipsis desiit. 3. *Infallibilitatis absolutae.* Doctrina apostolorum est θεόπνευστος καὶ αὐτόπιστος ac parem omnino cum doctrina prophetarum in V. T. obtinet auctoritatem, unde *exstructi dicimur super fundamentum prophetarum et apostolorum* Ephes. 2, v. 20. ipsi quoque apostoli ratione suae doctrinae dicuntur *ecclesiae fundamenta* Apocal. 21, v. 14. quamvis ibi non ipsa coelestis Hierosolyma, sed murus ejus duodecim fundamenta habere dicatur ac doctrina ipsorum in sublime illud divinae auctoritatis fastigium evecta est, ut nemini liceat aliquid ipsi addere vel alium fidei canonem tradere, Galat. 1, v. 8. et 9. Apocal. 22, v. 18. Christus etiam Joh. 4, v. 38. confert illos cum prophetis, quos dicit fuisse *seminatores*, apostolos vero *messores*, qui in labores eorum introiverint. Atqui talis auctoritas non competit ullis aliis N. T. ministris, sed doctrina eorum juxta canonem et normam praedicationis apostolicae examinanda est, 1. Thess. 5, v. 21. 1. Johan. 4, v. 1. etc. 4. θαυματουργίας *miraculosae.* Apostoli instructi fuere potestate edendi miraculi, Matth 10, v. 1. Marc. 16, v. 16. unde τέρατα καὶ δυνάμεις vocantur σημεῖα ἀποστόλου 2. Cor. 12, v. 12. quo pertinet etiam illud, quod donum linguarum apostolis per visibilem Spiritus sancti effusionem fuit datum Act. 2, v. 3. quodque per manuum impositionem peculiaria Spiritus sancti charismata conferre potuerint, Actor. 8, v. 17. Jam vero donum miraculorum, donum linguarum et peculiaria illa Spiritus sancti charismata hodie non amplius vigent in ecclesia. 5. *Praedicationis ad nullum certum locum restrictae.* Apostolorum ministerium non fuit certo loco alligatum, sed ipsi mandatum ac potestatem acceperant ubique praedicandi Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. Atqui ministerium eorum, qui in docendi officio apostolis olim XII
successerunt et adhuc hodie succedunt, ad certum locum est adstrictum. Act. 14, v. 23. *constituerunt presbyteros* κατ' ἐκκλησίαν. Act. 20, v. 28. Ephesinae ecclesiae ministri dicuntur certi gregris *episcopi a Spiritu sancto constituti.* Tit. 1, v. 5: *Ideo reliqui te Cretae, ut constituas* κατὰ πόλιν *presbyteros.* 1. Petri 5, v. 2: *Pascite eum qui in vobis est gregem,* τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, eum qui vestrae curae ac fidei commissus. Ergo ministerium eorum non est functio apostolica proprie dicta. 6. *Visionis Christi in carne.* Ad apostolicum munus requiritur, ut quis Christum in carne viderit aut coram docentem audiverit, qui eo fungi velit; inde cum Matthias in locum proditoris Judae eligendus esset, Petrus ponit hoc requisitum Actor. 1, v. 21: *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Jesus,* v. 22: *incipiens a baptismate Johannis usque in diem, qua assumtus est a nobis, testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis.* Act. 10, v. 41. officium apostolorum sic describitur, quod sint testes προκεχειροτονημένοι, *praeordinati, a Deo,* quibus proinde Christus ipse post resurrectionem apparuerit, ut de ea testimonium ferre possent, ideo cum Paulus apostolorum ordini adjungendus esset, Christus e coelo ipsi apparuit, 1. Cor. 15, v. 8. Atqui nemo eorum, qui hodie docendi officio funguntur, Christum in carne vidit aut coram docentem audivit. Ergo ipsorum ministerium non est functio apostolica proprie et specifice sic dicta.

221. Argumenta Saraviae, quibus contrarium demonstrare conatur, potiora sunt ista: 1. *Nihil valet* (inquit), *quod apostoli dicuntur extraordinariam habuisse potestatem, nam pari ratione negari posset, quenquam hodie habere baptizandi et praedicandi evangelii potestatem. Si quae erant extraordinaria in apostolis, ea relinquere apostoli non potuerunt, eadem ratio efficiet, nec praedicandi evangelii, nec baptizandi post apostolos relictam esse auctoritatem.* c. 16. Respondemus: est ratio maxime dispar inter extraordinariam apostolorum auctoritatem et ordinarium praedicandi evangelium et sacramenta administrandi munus. Illa cum apostolis desiit, ut ex argumentis allatis est clarissimum, hoc vero in ecclesia perpetuo mansit. Munus apostolorum quatenus talium in primordio duntaxat ecclesiae fuit necessarium, sed munus apostolorum quatenus doctorum et pastorum perpetuo in ecclesia est necessarium, cum enim salutaris Dei notitia hominibus non innascatur, ideo requiritur opera eorum, qui ex verbo Dei de

salutis via homines instruant, quo pertinent argumenta omnia, quibus evicimus superius ministerii ecclesiastici necessitatem et a reliquis ordinibus distinctionem. Quae apostolis a Christo dicta et concessa, ea sunt in triplici differentia: quaedam sunt *personalia*, quae ad solos apostolos pertinent; quaedam sub persona apostolorum *omnibus ecclesiae ministris* ipsorum in docendi officio successoribus dicta sunt; quaedam sub persona apostolorum *omnibus fidelibus* dicta. Quando igitur Christus apostolis dat potestatem et mandatum praedicandi evangelium in toto orbe, instruit eos dono miraculorum, effundit super illos Spiritum sanctum, per quem novis linguis loquuntur, ornat eos privilegio non errandi; illa sunt personalia et ad solos apostolos pertinent, ipsum interim docendi officium omnibus ecclesiae ministris cum ipsis est commune, ac proinde quando Christus ad apostolos inquit: *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos Joh. 20, v. 21. Euntes docete omnes gentes et baptizate eos Matth. 28, v. 19. Praedicate evangelium omni creaturae Marc 16, v. 15. Oportet in nomine meo praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum inter omnes gentes* Luc. 24, v. 47. Ibi accurate distinguendum ipsum officium docendi ac bapitzandi ab illa speciali determinatione addita, quod docere debeant inter omnes gentes, sicut etiam vocatio divina a modo vocationis immediato et extraordinario, promissio generalis de gra-
XIII. 41. tia, auxilio et efficacia per ministerium a speciali promissione de dono miraculorum et privilegio non errandi omnino distingui debent. Officium docendi ac baptizandi, divina vocatio et generalis promissio ad omnes ecclesiae ministros non minus quam ad apostolos pertinent, sed specialis determinatio de praedicatione evangelii inter omnes gentes, modus vocationis immediatus et extraordinarius ac specialis promissio de dono miraculorum et infallibilitate doctrinae ad solos apostolos pertinent.

2. Ex Levitica V.T. successione. 222. 2. *Quemadmodum Moyses et Aaron post suam ipsorum mortem eandem gubernandi rationem, qua ipsi usi fuerant, reliquere posteris, ita apostoli et evangelistae fuerunt exemplum et lex nobis posteris perfecti regiminis ecclesiastici, et quod Servator noster dixit de sacerdotibus Judaeorum, eos sedere super cathedram Moysis et Aaronis, idem dici potest de episcopis, quod in cathedra Petri et Pauli sedeant, id est quod successerint in eodem regiminis munere* c. 16. Respondemus: ex distinctione superius tradita res est manifesta. Successerunt apostolis in docendi munere omnes ecclesiae ministri, successerunt eis in ἐπισκοπῇ et inspectione reliquorum pastorum episcopi, sed respectu illorum, in quibus proprie et principaliter munus apostolorum consistit, quae paulo ante sunt enumerata, nullus in ecclesia apostolis successit. Invertimus igitur comparationem. Quemadmodum in ordinariis duntaxat officii sacerdotalis et regiminis politici partibus Moysi et Aaroni quidam successerunt, nequaquam vero in extraordinariis et temporariis, siquidem in eductione Israëlitarum ex Aegypto, in promulgatione legis, in constitutione et fundatione Levitici sacerdotii etc. nemo illis successit, Deuteronom. 34, v. 10: *Non ultra surrexit propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus a facie ad faciem in omnibus signis atque portentis, quae misit per eum* etc. ita in ordinario docendi, baptizandi, absolvendi munere apostolis successerunt presbyteri, in presbyterorum inspectione episcopi, sed extraordinaria potestas ubique docendi cum dono miraculorum et privilegio infallibilitatis conjuncta mansit apostolorum propria.

223. 3. *Incredulis gentibus praedicandi evangelii mandatum non solum respexit apostolorum seculum, sed omnia quae futura sunt usque ad mundi finem, quia promissio huic mandato addita* Matth. 28: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, non ad solos apostolos pertinet.* Ibidem c. 17. Respondemus: imo vero promissio latius patet quam mandatum, siquidem mandatum pertinet ad solos apostolos, (alias omnibus ministris ecclesiae ad exteras et incredulas gentes vi illius mandati abeundum foret, cum tamen apostoli κατ' ἐκκλησίαν Actorum 14, v. 23. Titus κατὰ πόλιν Tit. 1, v. 5. presbyteros constituerint); promissio vero non solum ad omnes ecclesiae ministros, sed etiam omnia ecclesiae membra, fideles scilicet omnes, pertinet, ut Hieronymus et Chrysostomus in comment. recte monent et evidenter colligitur ex Matth. 18, v. 20: *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Deducimus igitur argumentum ad absurdum. Quam late patet Christi promissio, *Ego sum vobiscum* etc. tam late etiam extenditur mandatum de praedicando evangelio in toto orbe. Sed promissio Christi pertinet ad omnes fideles. Ergo etiam mandatum de praedicando evangelio in toto orbe ad omnes fideles pertinet. Conclusio est absurda, ergo aliqua ex praemissis. Non minor, quae est Christi Matth. 18, v. 23. Ergo major, quae est Saraviae. 3. Ex addita generali promissione.

224. 4. *Si auctoritas apostolica temporaria fuisset, ea personale donum fuisset ac particulare, nec sibi socios et cooperatores in apostolico munere ad Domini opus, ad quod destinati fuerant, assumsissent. Sed illis alios fecerunt consortes apostolicae suae potestatis, quos sciebant futuros etiam successores.* cap. eod. Respondemus: non omnis, qui ab aliquo ut συνεργὸς adsciscitur, in eodem cum illo existit gradu et ordine, quod sic demonstramus XIII. 42.
ἀπαγωγῇ πρὸς τὸ ἄτοπον. Quicunque in apostolico munere ad Domini opus ut socii et cooperatores ab apostolis sunt assumti, illi in gradum auctoritatis et potestatis apostolicae fuere evecti. Priscilla a Paulo apostolo ut συνεργὸς in Christo fuit assumta Roman. 16, v. 3. Ergo in gradum auctoritatis et potestatis apostolicae fuit collocata. Conclusio est absurda. Ergo aliqua ex praemissis. Non minor, quae est Pauli; ergo major, quae est Saraviae. Quid quod apostolus omnes ecclesiae ministros vocat θεοῦ συνεργούς, 1. Corinth. 3, v. 9. num vero propterea in gradum divinae majestatis erunt collocati? Di- 4. Ex potestatis apostolicae communicatione.

stinguendum igitur inter συνεργίαν cum apostolis in evangelii praedicatione et inter participationem auctoritatis ac potestatis apostolicae, cum ex priore posterius inferri nequeat. Evangelistae illi, qui in fundatione ecclesiarum ab apostolis ut συνεργοὶ assumebantur, nequaquam in ordinem apostolatus ab ipsis collocabantur, sed gradu et dignitate erant inferiores, ut evidenter apparet ex Ephes. cap. 4. 11., ubi *evangelistae ab apostolis* distinguuntur, ac 1. Corinth. 12, v. 28. ubi apostoli primo loco in ministerio ecclesiastico N. T. collocantur, unde a majore ad minus contra Saraviam argumentamur. Si evangelistae illi ad fundandas ecclesias ab apostolis εἰς συνεργοὺς olim assumti, nondum tamen propterea in ordinem apostolorum fuere cooptati, quanto minus hodierni ecclesiae episcopi propter inspectionem presbyterorum, quam cum apostolis communem obtinent, in gradum apostolicae auctoritatis ac potestatis evecti sunt censendi. Sed verum prius. Ergo et posterius, ac per consequens apostolatus hodie non amplius viget in ecclesia.

3. Ex operis apostolici per successores facta consummatione.

225. *5. Apostoli cum opus praedicandi evangelii inter omnes gentes et plantandi ubique ecclesias ipsi perficere non potuerint, inchoatum reliquere posteris absolvendum. Si simul cum apostolis ad coelos commigrasset apostolica legatio et praeter particularium ecclesiarum curam propagationem ulteriorem evangelii ad se nihil pertinere judicassent episcopi, quos successores reliquerunt apostoli, nunquam ad tantam magnitudinem regnum Christi pervenisset.* c. eod. Respondemus: Apostolorum temporibus evangelium ubique inter omnes gentes fuit praedicatum, Rom. 10, v. 18. Coloss. 1, v. 6. nequaquam igitur opus a Christo sibi demandatum reliquere inchoatum. Quodsi in eo sibi quosdam adscivere socios et in certas aliquot provincias evangelii praecones ablegaverunt, illi potius ad evangelistarum quam episcoporum vel apostolorum ordinem referendi fuerint, episcopi enim proprie fuere illi, quos certae provinciae vel civitati praefecerunt, ut ecclesiarum et presbyterorum curam in illis gererent, quales episcopi fuere Timotheus in civitate Epheso, Titus in insula Creta, Crescens in Galatia, Linus in urbe Roma, Dionysius Athenis etc. ad apostolatus quoque ordinem, auctoritatem et potestatem non sufficit unam vel alteram provinciam adire, sed inter omnes gentes peculiari auctoritate, dono miraculorum et linguarum, itemque privilegio infallibilitatis instructa evangelium praedicare, cujus auctoritatis, potestatis et dignitatis nec primaevi illi apostolorum συνεργοί, nec hodierni ecclesiae episcopi facti sunt participes. Aliud est fundamentorum in domus exstructione positio, aliud ejusdem ad culmen usque perductio; prius ad solos apostolos pertinet, posterius ad reliquos ecclesiae ministros.

2. Prophetae.

226. 2. Atque haec dicta sint de primo ecclesiae ministrorum in N. T. post Christi adscensionem ordine, videlicet de apostolis, quibus 1. Cor. 12, v. 28. et Eph. 4, v. 11. secundo loco subjunguntur prophetae. Accipitur autem nomen prophetae in N. T. dupliciter, 1. generaliter, 2. specialiter. 1. Γενικῶς sumitur pro quibusvis ecclesiae doctoribus, voluntatis divinae interpretibus et verbi coelestis praeconibus, Matth. 7, v. 15: *Attendite a falsis prophetis.* Matth. 10, v. 41: *Qui recipit prophetam in* XIII
nomine meo, mercedem prophetae accipiet. 2. εἰδικῶς tribuitur 1. Christo magno illi prophetae divinitus promisso Deut. 18, v. 15. sic Matth. 21, v. 11: *Hic est Jesus propheta a Nazareth.* Luc. 7, v. 16: *Propheta magnus surrexit in nobis.* 2. Johanni Baptistae Christi praecursori Luc. 1. v. 76: *Tu puer propheta Altissimi vocaberis.* 3. Prophetis V. T. qui de Christi adventu fuere vaticinati, Matth. 1, v. 22: *Dictum est per prophetam.* c. 11, v. 13: *Omnes prophetae usque ad Johannem prophetarunt.* 4. Peculiari cuidam ordini doctorum in apostolica et primitiva ecclesia, in qua significatione hoc loco a nobis accipitur. Quia enim prophetae a pastoribus et doctoribus distinguuntur Eph. 4, v. 11. ex eo colligitur, quod nomen illud ibi non possit accipi generaliter pro quovis ecclesiae ministro ac divinorum vaticiniorum interprete, sed specialiter pro certo quodam ministrorum gradu atque ordine. Talium prophetarum duae videntur fuisse classes: 1. quidam prophetiae dono instructi futuros ecclesiae in genere vel quorundam fidelium in specie casus et eventus praedicere poterant, quo prophetiae dono licet ipsi quoque apostoli instructi essent, tamen placuit Deo sub initium praedicati evangelii etiam alios praeter apostolos eo instruere et hoc divino charismate nascentem ex Judaeis et gentibus ecclesiam exornare ac praedicationem evangelii confirmare. Act. 11, v. 27: *In his diebus supervenerunt ab Hierosolymis prophetae Antiocham* v. 28. *et surgens ex eis unus Agabus significabat per Spiritum magnam famem futuram* etc. Idem c. 21, v. 11. praedicit Paulo *captivitatem et vincula* etc. Hoc dono benignissimus Deus vi promissionis suae Joel. 2, v. 28. etiam femineum genus in illo N. T. exordio instruxit. Sic de Hanna dicitur Luc. 2, v. 36. quod fuerit *prophetissa* ac de filiabus quatuor Philippi Act. 21, v. 9. quod fuerint προφητεύουσαι. 2. Quidam singulari Spiritus dono et illustratione Scripturas sacras interpretabantur, reconditos et abstrusos earum sensus proferendo, qui vaticinandi potestate interim non erant instructi. Actor. 13, v. 1: *Erant in ecclesia, quae erat Antiochiae, prophetae et doctores, in quibus Barnabas et Simon* etc. ubi prophetae a doctoribus ordinariis distinguuntur ac proinde peculiarem ab illis ordinem constituisse intelliguntur. Huc referri potest 1. Cor. 14, v. 24. ubi *prophetare* significat speciali quadam Spiritus sancti revelatione Scripturas interpretari ac *prophetarum spiritus* dicuntur *prophetis subjecti*, v. 32. quia doctrina, quam adferunt prophetae Spiritu Dei afflati, ita debet institui ac proferri, ut serviat aedificationi fidelium. Plura de nomine prophetarum vide superius §. 17.

Evangelistae. 227. 3. Prophetis Eph. 4, v. 11. tertio loco adduntur *evangelistae*. Accipitur illud nomen dupliciter: 1. generaliter pro quovis ecclesiae doctore, quia ad omnes pertinet εὐαγγελίζεσθαι, Esa. 41, v. 27: *Dabo Jerusalem evangelistam* (quidam tamen Christum principem pastorum speciatim denotari haud inconcinne statuunt). 2. Tim. 4, v. 5: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, διακονίαν σου πληροφόρησον* (quidam statuunt, evangelistae nomen specialiter accipi sensu eo, qui mox explicabitur, sed cum Timotheus jam tum constitutus fuerit ecclesiae Ephesinae episcopus, nec ulterius Paulum fuerit comitatus, cumque διακονίας nomen generale addatur, ideo convenientius etiam evangelistae nomen accipitur hoc loco generaliter, sicut etiam Lutherus reddidit: Thue das Werk eines evangeliſchen Predigers). 2. Specialiter pro certo quodam doctorum in primitiva ecclesia gradu atque ordine, quomodo accipitur Eph. 4, v. 11. Fuerunt autem tales evangelistae apostolorum comites, συνεργοὶ καὶ συλλειτουργοί, a quibus in partem quandam muneris apostolici adsciti ad diversa loca ab illis mittebantur, ut vel prima evangelicae praedicationis fundamenta ibi ponerent, vel in rigando, superstruendo et opere illo, quod ab apostolis coeptum erat, perficiendo vices eorum ibidem gererent, pastores oppidatim constituendo, εὐταξίαν in ecclesiis ordinando et ea, quae deerant, corrigendo. In illo-
XIII. 44. rum evangelistarum numero censendi sunt *Timotheus*, quem Lystris assumsit apostolus Paulus Act. 16, v. 3. ac comitem itineris sibi elegit, postea eum una cum Erasto misit in Macedoniam Act. 19, v. 22. ad Corinthios 1. Cor. 4, v. 17. ad Philippenses Phil. 2, v. 19. ad Thessalonicenses 1. Thess. 3, v. 2. tandem vero ecclesiae Ephesinae praefecit episcopum 1. Tim. 1, v. 3. c. 3, v. 15. *Titus*, quem Paulus vocat suum συνεργόν 2. Cor. 8, v. 23. eum misit ad Corinthios 2. Cor. 8, v. 6. c. 12, v. 18. assumsit secum Hierosolymam Gal. 2, v. 1. misit in Dalmatiam 2. Tim. 4, v. 10. tandem Cretensium ecclesiarum constituit episcopum Tit. 1, v. 5. *Philippus* unus ex septem diaconis Act. 21, v. 8. qui praedicavit in Samaria Act. 8, v. 5. *Barnabas*, quem apostoli miserunt Antiochiam Act. 11, v. 22. ubi peculiariter a Spiritu sancto una cum Paulo ad opus ministerii segregatus individuum itineris comitem Paulo sese praestitit, profectus cum eo in Seleuciam, Cyprum, Salaminam, Paphum Act. 13, v. 2. et seqq. Pergen, Antiochiam Pisidiae v. 14. Iconium v. 51. Lystram, Derben Act. 14, v. 6. Pamphyliam v. 24. ac tandem cum ipso reversus Antiochiam Syriae v. 25. postmodum una cum Paulo missus est ad concilium Hierosolymitanum Act. 15, v. 2. et ex eo ad ecclesias Antiochiae, Syriae ac Ciliciae v. 23. cum vero Antiochiae essent, facta dissensione inter ipsum et Paulum, separarunt se invicem et Barnabas quidem assumto Marco navigavit Cyprum, Paulus vero electo Sila in Syriam ac Ciliciam, v. 39. *Tychicus* Act. 20, v. 4. quem Paulus misit ad Ephesios Eph. 6, v. 21. 2. Tim. 4, v. 12. ad Colossenses Coloss. 4, v. 7. *Silvanus* 2. Cor. 1, v. 19. 1. Thess. 1, v. 1. *Judas Barsabas et Silas* Act. 15, v. 22. c. 16, v. 19. et alii, inter quos dubio procul fuere complures ex LXX discipulis, quos Christus ante suam passionem in Judaeam ablegaverat Luc. 10, v. 1. et apparet ex Eusebio lib. 5. c. 10. quod circa alterum a Christo nato seculum *Alexandriae* adhuc fuerint evangelistae. 3. Specialissime pro amanuensibus illis Spiritus sancti, qui evangelicam de Christo historiam literis complexi ecclesiae non illorum duntaxat temporum, sed etiam ad finem usque mundi colligendae operam et utilem et necessariam divino impulsu praestiterunt. Inter illos duo fuere apostoli proprie sic dicti, Matthaeus et Johannes, duo evangelistae specialiter sic appellati, Marcus Petri et Lucas Pauli individuus comes. Irenaeus lib. 3. c. 11. p. 183. c. 14. p. 198. Eusebius lib. 6. hist. c. 13. Hieronymus in catal. illustr. Nicephorus lib. 2. hist. c. 15. etc.

228. 4. Evangelistis Eph. 4, v. 11. quarto loco adduntur *pastores*, qui non erant extraordinarii et temporarii ecclesiae doctores, sicut apostoli, prophetae et evangelistae, sed ordinarii et perpetui ministri mediate vocati ad docendum evangelium et administranda sacramenta in certo loco, unde etiam certo cuidam gregi velut pastores erant praefecti. Rom. 12, v. 8. dicuntur παρακαλοῦντες et distinguuntur a διδασκάλοις, perinde uti etiam Eph. 4, v. 11. ποιμένων appellatione peculiariter honorantur et a doctoribus specialiter sic dictis distinguuntur, quia non solum Scripturas interpretabantur et fidei capita docebant, sed etiam admonendo, arguendo, corrigendo, objurgando, instituendo, hortando, consolando instabant et ad usum ecclesiae verbum praedicatum applicabant. 2. Tim. 3, v. 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, arguendum, corrigendum, erudiendum in justitia,* v. 17. *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* c. 4, v. 2: *Praedica verbum, insta oportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Administrabant etiam sacramenta, precibus solennibus et publicis instituendis operam dabant, ecclesiasticam disciplinam una cum senioribus conservabant etc. Pastores illi cum non essent immediate vocati nec dono miraculorum instructi, nec ad munus apostolicum ecclesias fundandi et evangelium in toto orbe praedicandi electi, ideo etiam privilegio infallibilitatis destituebantur ac errare poterant, si a doctrina apostolorum discedere et propriis speculationibus indulgere vellent. XIII. 45. Videntur autem pastorum tres constitui posse ordines, ita ut quidam fuerint episcopi; quidam presbyteri, quos hodie vocamus parochos; quidam diaconi, de quibus paulo post plenius dicetur.

4. Pastores.

229. 5. Pastoribus tandem conjunguntur *doctores* Eph. 4, v. 11. Quamvis enim Hieronymus existimet, eosdem ministrorum ordines pastorum et doctorum appellationibus denotari, cum non per disjunctivam δέ, ut praecedentes ordines invicem discriminentur, sed per copulativam καί conjungantur, cumque nulli

5. Doctores.

sint pastores, qui non sint simul etiam doctores, tamen probabilior est eorum sententia, qui existimant, distinctos ministrorum gradus pastorum et doctorum nomenclatura proponi. 1. Cum distincta nomina arguere videantur distincta officia, neque enim in tanta brevitate apostolus uni eidemque ministrorum ordini diversum nomen tribueret. 2. Cum Rom. 12, v. 7. διδάσκοντες a παρακαλοῦσι ac διδασκαλία a παρακλήσει distinguatur, sicut etiam λόγος a γνώσει 1. Cor. 1, v. 5. distinguitur. 3. Cum res ipsa doceat, praeter ordinarios ecclesiarum pastores esse in scholis doctores, quibus non est specialis cujusdam ecclesiae cura commissa, sed qui Scripturae interpretationi, corruptelarum refutationi et methodicae coelestis doctrinae tractationi incumbunt, ut formentur ad ministerium ecclesiasticum, quibus olim illud demandandum, ac reddantur δυνατοὶ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. 1, v. 9. Ad classem illorum doctorum referendi videntur *catechetae* Gal. 6, v. 6. *Zenas* νομικός *sive legisperitus* Tit. 3, v. 13 quales etiam hodie sunt, qui in scholis publicis docent et olim in schola Alexandrina floruerunt Pantaenus, Origenes, Clemens etc. valde enim verisimile est, cum presbyteris et pastoribus in ecclesia docentibus institutos simul fuisse ab apostolis docentes in scholis, cum necessarium sit, in scholis eos prius informari, qui ministerio ecclesiastico admovendi, nisi extraordinaria, immediata et peculiari Spiritus sancti illustratione informentur, quod in mediata vocatione vix habet locum. Quare quod pastores et doctores in verbis apostoli conjunguntur, ideo fieri existimandum, non quod unum eundemque constituant ordinem, sed quia respectu mediatae vocationis et perpetuae in ecclesia durationis conjunguntur, qua ratione apostolis, prophetis et evangelistis opponuntur, quorum vocatio fuit immediata et munus eorum temporarium atque extraordinarium. Quidam doctorum nomine intelligunt eos, qui concionatores duntaxat agunt, sed sacramentorum administrationem et ecclesiasticae disciplinae curam non attingunt, quod adhuc hodie in quibusdam ecclesiis obtinere videmus. Confer Stapletonum relect. princ. cont. 2. q. 3. art. 3.

6. Instructi variis donis Spiritus.

230. 6. Apostolis, prophetis et doctoribus 1. Cor. 12, v. 28. subjunguntur δυνάμεις, χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν, quibus appellationibus (si excipias ἀντιλήψεις καὶ κυβερνήσεις, quas v. 29. et 30. in repetitione apostolus omittit) non tam distincti gradus et ordines ecclesiastici ministerii quam peculiaria et extraordinaria Spiritus sancti charismata certis personis in ecclesia apostolica et primitiva conferri solita describuntur. Cum enim v. 5. et 6. χαρίσματα illa in duas species, διακονίας scilicet καὶ ἐνεργήματα apostolus distribuisset, v. 28. enumerat quaedam χαρίσματα in specie, quorum aliqua pertinent ad διακονίας, utpote munus apostolicum, propheticum, doctorum, opitulationes et gubernationes; aliqua vero ad ἐνεργήματα, utpote δυνάμεις, χαρίσματα ἰαμάτων, γένη γλωσσῶν, ubi ne quis miretur apostolorum, prophetarum, doctorum, opitulatorum et gubernatorum munus referri ad διακονίας, consideret dictum apostolicum 1. Cor. 3, v. 5: *Quis igitur Paulus? quis Apollo?* διάκονοι, *ministri, sunt, per quos ad fidem perducti estis;* neve alicui mirum videatur, eorundem officium referri ad χαρίσματα, consideret dictum apostolicum Eph 3, v. 2: *Si tamen audivistis* τὴν οἰκονομίαν τῆς χάριτος, *dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vos*, ubi apostolicum munus diserte vocatur χάρις. XII Ceterum per δυνάμεις metonymice intelliguntur θαυματουργοί, qui potentia miraculorum edendorum instructi erant ad apostolicae doctrinae confirmationem. Matth. 7, v. 22: *Nonne in nomine tuo* δυνάμεις πολλάς, *virtutes multas, fecimus?* c. 11, v. 21: *Si factae essent in Tyro et Sidone* αἱ δυνάμεις, *id est talia miracula* etc. quia miracula eduntur δυνάμει, virtute et potestate divinitus concessa. Luc. 9, v. 1. dedit illis δύναμιν καὶ ἐξουσίαν *super omnia daemonia.* Matth. 14, v. 2: αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ. *Per* χαρίσματα ἰαμάτων exprimitur certa species δυνάμεων, intelliguntur enim illi, qui miraculosae sanationis dono instructi morbos etiam lethales vel verbo depellere poterant. Marc. 16, v. 17: *Signa eos, qui crediderint, haec sequentur, v. 18. super aegrotos imponent manus, et melius habebunt.* Per τὰ γένη γλωσσῶν intelliguntur illi, qui dono variis linguis loquendi easdemque interpretandi pollebant Marc. 16, v. 17: *Linguis novis loquentur.* Talia χαρίσματα non solum in apostolica, sed etiam primitiva apostolicae proxima ecclesia aliquamdiu viguisse ex Justino, Irenaeo et aliis scriptoribus apostolorum seculo proximis constat. Justinus in dial. cum Tryph. p. 246: *Est apud nos videre et feminas et masculos* χαρίσματα, *dona, a Spiritu Dei habentes.* Irenaeus l. 2. adv. haeres. c. 57. p. 160: *In Christi nomine, qui vere illius sunt discipuli, ab ipso accipientes gratiam perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum unusquisque accepit donum ab eo. Alii enim daemones excludunt firmissime et vere, ut etiam saepe credant ipsi qui emundati sunt a nequissimis spiritibus et sint in ecclesia. Alii autem scientiam habent futurorum et visiones et dictiones propheticas. Alii autem laborantes aliqua infirmitate per manuum impositionem curant et sanos restituunt. Jam etiam et mortui resurrexerunt et perseverarunt nobiscum multis annis. Et quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum ecclesia a Deo accipiens in nomine Christi Jesu crucifixi per singulos dies in opitulationem gentium perficit.* Per τὰς ἀντιλήψεις intelliguntur diaconi, qui pauperum et aegrotorum curam habuerunt; per τὰς κυβερνήσεις gubernatores sive seniores, qui morum censurae et ecclesiasticae disciplinae praefecti erant, de quibus paulo post plenius dicetur.

231. Enumeratis hactenus ministerii ecclesiastici Ep gradibus 1. Tim. 3, v. 2. et 8. c. 5, v. 17. Tit. 1, v. 5. et 7. conjunguntur *episcopi, presbyteri et dia-*

coni. Episcoporum nomen ἀπὸ τοῦ ἐπισκοπεῖν, quod interprete Augustino lib. 19. de civ. Dei c. 19. est *superintendere*, deducitur. Episcopus igitur Latinis idem est qui *inspector*, sive ut hodie in ecclesia loquimur, *superintendens*. Ambrosius vertit *superinspectorem*, Hieronymus *superintendentem*. Tribuitur autem in sacris N. T. literis nomen episcopi in genere omnibus, qui docendi munere in ecclesia funguntur. Illi enim cum *a Spiritu sancto positi sint episcopi ad pascendam ecclesiam Dei* Actor. 20, v. 28. ac jubeantur *pascere gregem* commissum ἐπισκοποῦντες 1. Petr. 5, v. 2. ideo propter hanc commissi gregis inspectionem jure et merito omnes episcopi vocantur. Sed cum ob εὐταξίαν ecclesiasticam et concordiam alendam inter ipsos pastores jam olim tale constitutum fuerit discrimen, ut quibusdam ipsorum non commissi solum gregis, sed etiam aliorum pastorum ac presbyterorum inspectio demandaretur, inde factum, ut episcopi nomen significatione speciali attributum fuerit illis pastoribus, qui in alios docentes habebant inspectionem, cujus significationis vestigia exstant in versione Graeca Num. 6, v. 14. 2. Reg. 11, v. 18. Neh. 11, v. 22. ut ostendimus superius §. 27. An vero ab ipsis apostolis talis ordo inter pastores fuerit constitutus, et an vestigia hujus significationis in ipsorum scriptis inveniantur, dispiciemus postea.

by- 232. *Presbyterorum*, quos Latine dixeris seniores, duo fuere genera in apostolica et primitiva ecclesia,
I. 47. ut colligitur ex 1. Tim. 5, v. 17. Quidam enim docendi munere fungebantur, sive ut apostolus ibidem loquitur, *laborabant in verbo et doctrina*, qui dicebantur episcopi, pastores etc. quidam vero morum censurae et ecclesiasticae disciplinae conservandae duntaxat praeerant, cum magistratus adhuc ethnicus docentes in ecclesia hac in parte destitueret, hi dicebantur κυβερνῆται, *gubernatores*, ut colligitur ex 1. Cor. 12, v. 28. ac προϊστάμενοι Rom. 12, v. 8. Ambrosius in 1. Tim. 5. in princ.: *Et synagoga et postea ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in ecclesia, quod qua negligentia obsoleverit nescio, nisi forte doctorum desidia aut magis superbia, dum soli volunt aliquid videri.* Utrique communiter vocabuntur προεστῶτες 1. Tim. 5, v. 17. ac ἡγούμενοι Act. 15, v. 22. Hebr. 13, v. 7. 17. et 24. Ex utrisque simul conjunctis collectum fuit illud collegium sacrum, quod Paulus vocat *presbyterium*. 1. Tim. 4, v. 14: *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*, ex quo loco colligitur, in ordinatione ministrorum non solos pastores, sed etiam seniores ex populo electos totius ecclesiae nomine manus ordinando imposuisse, perinde ut Num. 8, v. 10. non solus Aaron, sed etiam seniores ex Israëlitis in Levitarum ordinatione manus illi imponunt. Quidam tamen existimant, presbyterii nomine specialiter accepto hic intelligi coetum illorum presbyterorum, qui fuerunt pastores et episcopi. Presbyterio hodie respondet consistorium sive senatus ecclesiasticus, in quo ecclesiasticae et politicae personae praesident, potissimam ecclesiasticae disciplinae curam habentes.

233. *Diaconorum* a ministrando dictorum itidem duo fuere genera. Quidam curae pauperum et dispensationi bonorum ecclesiasticorum praefecti erant, quorum origo describitur Actor. 6, v. 2. illi dicuntur ἀντιλήψεις, 1. Corinth. 12, v. 28. opitulationes, id est *opitulatores*, quia ex eleemosynis et collectis subveniebant pauperibus, orphanis, viduis ac peregrinis. Fuerunt igitur quasi oeconomi ecclesiae, quibus hodie respondent praefecti aerarii ecclesiastici. Quidam vero episcopis sive presbyteris in docendi et sacramenta administrandi munere erant conjuncti, ut vices eorum supplerent et labores allevarent, unde Phil. 1, v. 1. 1. Tim. 3, v. 8. episcopis conjunguntur. Sunt qui existimant, diaconorum officium a docendi munere plane sejunctum fuisse, cum negent apostoli, *mensis simul et ministerio verbi* se vacare posse Act. 6, v. 2. cumque Paulus in episcopo quidem requirat, ut sit διδακτικός, in diacono autem duntaxat illud, *ut mysterium fidei teneat in pura conscientia* 1. Tim. 3, v. 2. et 9. Sed distinguendum inter tempora et functionis partes. Primo quidem in ecclesia Hierosolymitana constituti sunt diaconi eo potissimum fine, ut curam mensarum haberent, hoc est ut in communione illa bonorum aequali distributioni τῶν βιωτικῶν inservirent; sed postea temporis progressu in aliis ecclesiis etiam habendis ad populum concionibus praefecti fuerunt, teste Hieronymo in epist. ad Rusticum diaconum. Inde apostolus easdem fere virtutes in diacono requirit, quas in episcopo, ac diserte de illis dicit, quod *bene ministrantes gradum sibi bonum acquirant*, 1. Tim. 3, v. 13. hoc est quod ad altiora officia ecclesiastica provehi possint. Occasio, ex qua factum, ut a cura pauperum et aerarii ecclesiastici administratione ad sacramentorum administrationem et verbi praedicationem assumerentur, videtur fuisse ea. In ecclesia apostolica et primitiva instituebant ἀγάπας, convivia communia, ex illis, quae a fidelibus conferebantur, quia igitur diaconi ex illis collectis distribuebant pauperibus, inde factum, ut etiam eucharistiae administratione (quae ex iisdem collectis celebrabatur) admoverentur ac tandem etiam praedicationi verbi, ut constat ex Justino apol. 2. pro Christ. Quid quod ne quidem primi illi ecclesiae Hierosolymitanae diaconi a docendi munere simpliciter et absolute fuerint exclusi, ut superius §. 68. exemplo Stephani et Philippi fuit ostensum. Diaconi.

234. Antequam hinc abeamus ad reliquos ministrorum ordines, qui post apostolorum tempora in ecclesia instituti sunt, excutienda est quaestio de discrimine inter episcopos ac presbyteros. Pontificii existimant, *episcopos presbyteris jure divino quoad potestatem tum ordinis tum jurisdictionis superiores esse.* Illud interpretantur hoc modo, quod non solum εὐταξίας et alendae concordiae causa introductus sit ordo inter episcopos et presbyteros, sed quod etiam *jure divino* episcopus majorem habeat potestatem quam presbyter, videlicet ordinandi, XIII. 48. An episcopi presbyteris jure divino superiores.

confirmationis, sacramentum conferendi etc. unde porro inferunt, *Lutherum non habuisse potestatem alios ministros ordinandi, cum non fuerit episcopus, sed duntaxat presbyter, et per consequens nullos hodie in ecclesiis nostris esse veros ministros.* Concil. Trident. sess. 23. c. 4: *Sacrosancta synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere et positos, sicut apostolus ait, a Spiritu sancto regere ecclesiam Dei eosque presbyteris superiores esse* can. 7: *Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, anathema sit.* Bellarminus libr. de clericis c. 14. secutus illud concilii decretum tria demonstrare conatur, primo *jure divino majorem esse episcopum presbytero, quod attinet ad ordinis potestatem;* secundo *majorem esse etiam quantum ad jurisdictionem;* tertio *episcopos in veteri ecclesia non fuisse in coetu presbyterorum quasi consules in senatu, sed quasi reges ac principes in coetu consiliariorum.*

Nostra sententia probatur. 1. Ex Scripturae dictis.

235. Nos ordinem inter ecclesiae ministros haudquaquam tollimus, sed libenter concedimus, quoad *potestatem ordinis* esse discrimen inter episcopos et presbyteros, ac respectu illius episcopos esse presbyteris superiores, sed quoad *potestatem jurisdictionis* jure divino quandam inter episcopos et presbyteros inaequalitatem esse non agnoscimus, cum ex Scripturis contrarium colligi possit. 1. Act. 20, v. 17. Paulus apostolus vocat ad se presbyteros ecclesiae Ephesinae, eos scilicet qui in sermone ac doctrina laborabant, ut colligitur ex v. 28. ubi tribuitur illis τὸ ποιμαίνειν ecclesiam Dei, et v. 30. ubi ex illis ipsis dicuntur surrecturi viri loquentes διεστραμμένα. Jam vero illi ipsi presbyteri v. 28. vocantur episcopi: *Attendite vobis et universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit episcopos.* Ergo in ecclesia apostolica iidem fuere et episcopi et presbyteri. Excipit Bellarminus de cleric. c. 15. *nomina eo tempore fuisse communia, licet res ipsae et potestates fuerint distinctae.* Sed hac de re ex sequentibus fieri poterit judicium. 2. Paulus in ἐπιγραφῇ epistolae ad Philippenses *episcoporum et diaconorum* appellationibus omnes ecclesiae illius ministros complectitur Phil. 1, v. 1: *Paulus et Timotheus servi Christi omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis.* Atqui si episcopi a presbyteris fuissent distincti, apostolus eos haudquaquam praeteriisset, sed ἐπιγραφὴν hoc modo formasset, cum episcopo, presbyteris et diaconis. Praeterea colligitur ex illo loco, plures tunc temporis in una civitate fuisse episcopos, quod ipsum etiam patet ex Act. 20, v. 28. Jam vero de episcopis, prout hodie definiuntur, illud verum esse nequit, *cum in una civitate unus duntaxat sit et esse debeat episcopus.* Bellarminus repudiatis aliorum interpretationibus, utpote Ambrosii, qui in comment. illud *cum episcopis et diaconis* refert ad eos, qui scribunt, ut Paulus et Timotheus dicantur episcopi; Epiphanii, qui haeres. 57. scribit: *Illo tempore ob ministrorum penuriam multis in locis non fuisse ullos presbyteros, sed episcopos solos cum diaconis;* Theodoreti, qui in comment. 1. Tim. 3. scribit, *veros episcopos tunc temporis non episcopos, sed presbyteros dici solitos, presbyteris vero episcoporum nomen attributum;* repetit Chrysostomi et aliorum explicationem, *quod tempore apostolorum nomina illa episcopus et presbyter communia fuerint omnibus sacerdotibus tam majoribus, quos nunc episcopos dicimus, quam minoribus, quos presbyteros appellamus, licet res ipsae et potestates distinctae essent.* Respondemus: τὰ ὀνόματα τῶν πραγμάτων εἰσὶ σύμβολα. Si distinctae fuissent jurisdictionis potestates inter episcopos ac presbyteros, et quidem jure divino, ipsa quoque nomina fuissent distincta. Probandum igitur prius erit certis et immotis Scripturae fundamentis, potestatem jurisdictionis peculiarem jure divino episcopis tunc fuisse attributam, qua presbyteri caruere, antequam illa responsio locum invenire possit. 3. Paulus ordines ecclesiasticos ex professo recensens 1. Corinth. 12, v. 28. Ephes. 4, v. 11. distinctam episcoporum non facit mentionem, sed ipsorum nomen et officium *pastorum ac doctorum* nomine exprimit. Ergo episcoporum officium et ordo tunc temporis a presbyterorum officio et ordine non fuere distincta. 4. Paulus 1. Tim. 3, v. 1. vocabulo ἐπισκοπῆς officium docendi in ecclesia ac proinde etiam presbyterorum officium in genere complectitur, v. 2. subjungit virtutes in episcopo, hoc est quovis ecclesiae presbytero sive doctore requisitas, v. 8. *diaconos* episcopis adjungit. At si episcopi tunc temporis a presbyteris fuere distincti, cur peculiarem et distinctam presbyterorum non facit mentionem? Si episcopi tunc fuere distincti a presbyteris, consequens fuerit, in solis episcopis et diaconis requiri, ut sint unius uxoris mariti, sobrii, prudentes etc. non autem in presbyteris. Repetit Bellarminus suam exceptionem, *sub nomine episcoporum comprehendi sacerdotes majores et presbyteros, sub nomine diaconorum omnes inferiores ministros, quos* paulo ante hac serie recensuerat, *diaconos, subdiaconos, acoluthos, lectores, exorcistas et ostiarios.* Respondemus: an vero Bellarminus existimat, persuaderi nobis posse, talem majorum et minorum ordinum distinctionem in ecclesia apostolica fuisse? cum ipsum jus canonicum testetur, plerosque illorum ordinum apostolicae ecclesiae incognitos fuisse, ut apparebit suo loco. Si solum nomen episcopi presbyteris fuisset commune, potestate jurisdictionis et officio inter episcopos et presbyteros manentibus distinctis, certe proprium illud episcopi officium et virtutes proprias eo in loco apostolus haudquaquam praeteriisset. 5. 1. Timoth. 4, v. 14: *Noli negligere gratiam,* χάρισμα, *donum, quod in te est, quod datum est tibi per impositionem manuum presbyterii.* Ex hoc loco apparet, in ordinatione ministrorum (de qua hunc textum omnes interpretes accipiunt, teste Bellarmino de sacr. ordin. c. 2.) presbyteros etiam manus imposuisse, ac proinde ab ordinandi potestate

Margin notes: 1. Ex Act. 20, v. 17. ubi iidem dicuntur episcopi et presbyteri. — 2. Ex Phil. 1, v. 1. — XI — 3. 1 12 E 4. — 4. 1. 3. — 5. 1. 4.

eos non fuisse jure quodam divino simpliciter exclusos. Atqui superiorem illam jurisdictionis potestatem jure divino episcopis competentem Pontificii in eo vel maxime ponunt, quod episcopus possit ordinare ministros, presbyteri vero minime, cum ex toto codice biblico ne apex quidem proferri posset, quo demonstretur, immutabili quadam necessitate ac ipsius Dei institutione potestatem ordinandi eo modo competere episcopis, ut si minister ab episcopo ordinetur, ejus vocatio et ordinatio censeatur rata, sin a presbytero, quod tunc irrita coram Deo et frustranea sit habenda. Excipit Bellarminus, *presbyterii nomine intelligi ipsum officium Timotheo demandatum, ut sit sensus, per impositionem manuum presbyterii, id est qua presbyteratum accepisti.* Sed haec expositio est dura et coacta, conferimus enim locum parallelum 2. Tim. 1, v. 6: *Resuscites donum Dei, quod in te est per impositionem manuum mearum.* Quemadmodum apostolus ibi docet, sese suas manus in ordinatione Timotheo imposuisse, ita quoque eadem phrasi 1. Tim. 4, v. 14. docet, presbyteros una secum Timotheo manus imposuisse. Praeterea si Timotheus accepto presbyteratu ipso jure etiam fuit episcopus, utique inter episcopos et presbyteros quoad jurisdictionis
III. 50. potestatem jure divino nullum erit discrimen. Prius asserit hoc loco Bellarminus, posterius igitur negare haudquaquam debet. Verum praetermissa illa expositione Bellarminus aliam profert, quam dicit sibi videri veriorem, quod *scilicet nomine presbyterii intelligatur coetus episcoporum, qui novo episcopo manus imponunt,* juxta Chrysostomum, Theodoretum, Theophylactum et Oecumenium in hoc loco. Respondemus: bene est, ille coetus episcoporum, qui manus ordinando imposuit, fuit in ecclesia apostolica coetus presbyterorum, et ille episcopus, cui manus a presbyterio fuere impositae, in ecclesia apostolica fuit presbyter, quod ipsum confirmant Graeci illi interpretes, quos Bellarminus adducit. Ergo non solum nomen episcoporum, sed etiam ordinandi potestas fuit presbyteris in ecclesia apostolica concessa. Unde enim demonstrabit Bellarminus, in ordinatione Timothei episcopi *omnes totius provinciae episcopos vel certe tres episcopos specifice et phrasi Pontificia sic dictos convenisse et una cum Paulo manus ei imposuisse?* quod tamen praecisa et absoluta necessitate in episcopi ordinatione requiri docet
1. Ex Tit. 1. v. 5 lib. 4. de eccles. c. 8. §. Quantum. 6. Tit. 1, v. 5: *Ideo te reliqui Cretae, ut constituas oppidatim presbyteros; v. 6. si quis est sine crimine, unius uxoris maritus* etc. *v. 7. oportet enim episcopum irreprehensibilem esse sicut Dei oeconomum.* Ex hoc loco manifestum, eosdem dici et fuisse episcopos, qui dicebantur et erant presbyteri, alias nulla foret in textu apostolico connexio, quam tamen particula *αἰτιολογικὴ γάρ* diserte ponit. Quae enim *συνάφεια* haec foret? Illi constituendi sunt presbyteri, qui sunt sine crimine, unius uxoris viri, quia episcopum, cujus officium, potestas, jurisdictio et gradus differt a presbytero, oportet esse sine crimine, unius uxoris virum. Bellarminus repetit suam exceptionem, *nomina fuisse tunc temporis communia, non ipsas potestates,* sed hoc est *τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν.* 7. Petrus omnium consensu fuit episcopus, et quidem juxta Pontificios summus episcopus. At is vocat sese presbyterum 1. Petr. 5, v. 1: *Presbyteros inter vos adhortor ὁ συμπρεσβύτερος,* ac v. 2. presbyteros illos vocat *episcopos: pascite gregem Dei ἐπισκοποῦντες.* Johannes etiam epist. 2, v. 1. et 3. v. 1. vocat se *presbyterum,* idem tamen fuit episcopus. Ergo iidem tunc fuere episcopi, qui et presbyteri. Repetit Bellarminus suam cramben, *sola nomina tunc fuisse communia.* Atqui si jure divino distinctae fuissent episcoporum et presbyterorum potestates, vel unus aliquis proferri posset ex Scripturis locus, in quo nomen episcopi sensu illo proprio et peculiari acciperetur, jam vero Scriptura ubique episcoporum et presbyterorum nomina pro *ἰσοδυναμοῦσι* habet easque invicem permutat. Si jure divino distinctae fuissent episcoporum et presbyterorum potestates, apostoli, qui toties de officiis ecclesiasticis et virtutibus ministrorum ecclesiae agunt, vel uno quodam in loco distincte de episcopi et presbyteri potestate, officio, virtutibus tractassent, jam vero Scriptura ubique sub nomine episcoporum potestatem, officium et virtutes etiam presbyterorum describit. Si nominis duntaxat communio inter episcopos et presbyteros fuisset, quae foret cohaerentia textus Act. 20, v. 28. ubi presbyteri Ephesini monentur de diligentia in officio adhibenda, propterea *quod Spiritus sanctus ipsos posuerit episcopos.* At si fuissent sola nominis communicatione episcopi, non potuisset ex nuda appellatione argumentum adhortationis desumi. 7. Ex 1. Petr. 5, v. 1.

236. Hanc sententiam late confirmat Hieronymus in epist. 85. ad Evagrium, ubi omnia fere argumenta hactenus producta complectitur: *Apostolus* (inquit) *perspicue docet, eosdem esse presbyteros, quos episcopos. Quaeris auctoritatem? audi testimonium. Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis, qui sunt Philippis cum episcopis et diaconis. Vis et aliud exemplum? in Actibus apostolorum ad unius ecclesiae sacerdotes apostolus ita loquitur: Attendite vobis et cuncto gregi, in quo vos fratres Spiritus s. posuit episcopos, ut regatis ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine. Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures episcopos fuisse contendat, audiat et aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eundem esse episcopum atque presbyterum. Propter hoc reliqui te Cretae, ut quae deerant corrigeres et constitueres presbyteros per civitates, sicut ego tibi mandavi, si quis est sine crimine* etc. *oportet enim episcopum sine crimine esse. Et ad Timotheum: Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam et per impositionem manuum presbyterii. Sed et Petrus in prima epistola, presbyteros, inquit, qui in vobis sunt, precor ego compresbyter* etc. *regite ecclesiam Dei et inspicite* etc. *quod quidem Graece significantius dicitur ἐπισκοποῦντες,* 2. Ex patrum testimoniis. XIII. 51.

id est superintendentes, unde nomen episcopi tractum est. Parva sibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba evangelica, filius tonitrui, quem Jesus plurimum amavit, qui de pectore Salvatoris fluenta doctrinarum potavit: Presbyter electo Domino et filiis ejus. Et in alia epistola, presbyter Cajo, carissimo etc. *Quod autem postea unus electus est, qui ceteris praeponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet. Nam et Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant, quomodo si exercitus sibi imperatorem faciat aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint et archidiaconum nuncupent. Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? nec altera Romanae urbis ecclesia altera totius orbis existimanda est* etc. *Presbyter et episcopus aliud aetatis, aliud dignitatis est nomen, unde et ad Titum et ad Timotheum de ordinatione episcopi et diaconi dicitur, de presbyteris omnino reticetur, quia in episcopo et presbyter continetur.* Idem in comm. c. 1. epist. ad Tit.: *Olim idem erat presbyter, qui et episcopus et antequam diaboli instinctu studia vel schismata in religione fierent et diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephae, communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur omnibus et schismatum semina tollerentur.* Et postea: *Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint, se magis consuetudine quam dispensationis Dominicae veritate presbyteris esse majores et in communi debere regere ecclesiam.* Ad hunc Hieronymi locum varias proferunt exceptiones. Thomas 2. q. 1. ar. 6. respondet, *Hieronymum loqui solum de nominibus episcopi et presbyteri.* Joh. Anton. Delph. l. 2. de ecclesia docet, *ex Hieronymi sententia initio nascentis ecclesiae omnes presbyteros fuisse episcopos, non quod idem sit episcopatus et presbyteratus, sed quod utraque dignitas omnibus sacerdotibus daretur; deinde autem ad schismata evitanda coepisse aliquos solum presbyteros ordinari, et hoc modo ex ecclesiae consuetudine factum esse, ut episcopi essent majores presbyteris.* Michael Medina lib. 1. de sacror. hominum origine et continentia c. 5. affirmat, *Hieronymnm hac in parte idem sensisse cum Aerianis,* nec solum Hieronymum in ea fuisse, sed etiam multos ex Graecis et Latinis patribus, Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium et Theophylactum. *Atque ita* (inquit) *senserunt isti viri alioqui sanctissimi et sacrarum Scripturarum consultissimi, quorum tamen sententiam prius in Aerio, deinde in Waldensibus, postremo in Johanne Wiclefo damnavit ecclesia.* Et postea: *Ergo in Hieronymo et Graecis illis patribus olim propter eorum honorem et reverentiam haec sententia aut dissimulabatur, aut tolerabatur in illis; contra in haereticis, quod in aliis quoque multis ab ecclesia declinarent, tanquam haeretica semper est damnata.* Horum omnium exceptiones Bellarminus refellit iisque suam praefert, videlicet quod Hieronymus agnoscat *discrimen inter episcopos et presbyteros tanquam legitime, imo et necessario ad* XIII. *schismata vitanda ab ipsis apostolis introductum, non enim dicit, ante paucos annos ex temporum corruptela natum episcopatum, sed ab eo tempore, quo coepit dici in ecclesia: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae.* Respondemus: 1. in verbis proxime praecedentibus Bellarminus dicit, *Hieronymum agnoscere, quod episcopus sit major presbytero quantum ad ordinis potestatem, et quidem jure divino,* cum in epist. ad Evagr. scribat: *Quid facit episcopus excepta ordinatione, quod non facit presbyter?* Atqui si Hieronymus agnosceret, episcopum quoad potestatem ordinis (id est quoad potestatem ministros ecclesiae ordinandi, ita enim Bellarminus eam explicat) jure divino esse majorem presbytero, utique etiam agnosceret, potestate jurisdictionis ipsum esse majorem, quia potestas illa ordinandi solis episcopis jure divino concessa esset pars quaedam jurisdictionis ipsis solis itidem jure divino debitae. Jam vero Hieronymus superiorem episcoporum eminentiam verbis expressis ecclesiae consuetudini, non autem *Dominicae institutioni* sive juri divino tribuit, ergo etiam tam ordinis conferendi, quam jurisdictionis potestatem agnoscit non ex jure divino, sed ex ecclesiae consuetudine descendere. Quae enim haec in verbis Bellarmini consequentia? Hieronymus agnoscit, episcopum esse majorem quoad potestatem ordinis. Ergo jure divino eum superiorem agnoscit? Imo vero Hieronymus diserte se ipsum exponit, quod *non ex Dominica institutione,* sed *ecclesiae consuetudine* illud descendat, quod episcopi sint presbyteris praepositi; proinde quod episcopis partes ordinandi relictae sunt, itidem ex ecclesiae consuetudine descendere judicavit, unde etiam Alphonsus a Castro adv. haer. tit. Episcopus fatetur, *Hieronymum in ea opinione fuisse, ut crederet, episcopum et presbyterum ejusdem esse ordinis et potestatis,* ac Bellarminus ipse l. 1. de Rom. pont. c. 8. circa fin.: *Videtur Hieronymus in ea sententia fuisse, ut existimaret, episcopos, si de jurisdictione agatur, esse quidem presbyteris majores, sed jure ecclesiastico, quae sententia falsa est et suo loco refellenda.* Haec Bellarminus satis pro imperio. 2. Si vel maxime Hieronymus statueret, ab ipsis apostolis introductum esse illum ordinem inter episcopos et presbyteros, qui adhuc in nostris ecclesiis observatur, nondum tamen evictum foret, ipsum statuere, quod *jure divino* episcopi sint presbyteris majores, siquidem apostolica illa constitutio fuisset pars εὐταξίας ecclesiasticae, nequaquam vero collatio potestatis jure divino majoris; ubi probe notandum, quod ipse Bellarminus agnoscat, a con-

stitutione apostolorum ad jus divinum non esse firmam et legitimam consequentiam, sic enim scribit hoc loco: *S. Hieronymus etsi jure divino non agnoscere videtur discrimen inter jurisdictionem episcopi et presbyteri, tamen agnoscit hoc ipsum discrimen tanquam legitime, imo et necessario ad schismata vitanda ab apostolis introductum, vult enim in ipsis ecclesiae primordiis, cum adhuc viverent apostoli, in toto orbe ab ipsis apostolis ecclesias tunc regentibus jurisdictionem ecclesiasticam ad episcopos esse delatam.* 3. Nequaquam dicit Hieronymus, tunc esse introductum discrimen episcoporum et presbyterorum, *cum tempore apostolorum in ecclesia* Corinthiaca diceretur, *Ego sum Pauli, ego Apollo* etc. sed antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et *in populis* diceretur, *Ego sum Pauli*, id est antequam in ecclesiis per omnes gentes et populos propagatis talia partium studia et dissidia nascerentur, qualia in Corinthiaca ecclesia olim erant nata. Diserte enim ad ecclesiae consuetudinem, non autem apostolorum dispositionem revocat illam episcoporum προστασίαν. 4. Ac probe notandum, quod Hieronymus ex epist. ad Tit. et Philippenses et ex epistolis Petri et Johannis argumenta depromat, quibus probat, *episcopos jure divino non esse presbyteris majores.* Jam vero illae epistolae scriptae sunt post priorem epist. ad Corinthios, in qua verba illa: *Ego sum Pauli, ego Apollo* etc. habentur. Ergo non potest de ipso cogitari, quod apostolorum tempore discrimen illud episcopo-
53. rum et presbyterorum introductum statuat. Bellarminus id unum regerit, *Hieronymum non fuisse in illa sententia certum et constantem*, cum *Jacobum a Christi adscensione ordinatum episcopum Hierosolymorum* in libr. de eccl. script. statuat, cum in epist. ad Evagr. *episcopum Aaroni, presbyteros filiis Aaronis* comparet, cum in epist. ad Marcell. *episcopos apostolis succedere* dicat, denique cum lib. 1. adv. Jovin. *unum ex duodecim ob schismata tollenda ipsis ut caput etiam praestitutum* scribat. Sed haec omnia distinctione inter liberam ecclesiae consuetudinem et Dominicam dispensationem ita conciliari possunt, ut Hieronymi sententiae non adversentur. Haec de sententia Hieronymi, quam Anshelmus et Sedulius in c. 1. Tit. iisdem fere verbis repetunt. Chrysostomus in 1. Tim. 3: *Inter episcopum atque presbyterum interest ferme nihil, quippe et presbyteris ecclesiae cura permissa est, et quae de episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt, sola quippe ordinatione superiores illi sunt atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Idem ex Chrysostomo repetunt Primasius, Theophylactus et Oecumenius in illum locum. Bellarminus regerit, *ex eo ipso colligi, quod majores sint episcopi presbyteris, cum illi, non hi ordinare possunt.* Respondemus: id ex libera ecclesiae dispositione et consuetudine, non autem ex jure divino sive Dominica institutione descendit ac proinde nondum probat, jure divino episcopos presbyteris esse majores. Ac si vel maxime potestate ordinis essent superiores (hoc est potestate ordinandi ab ecclesia ipsis commissa), nondum tamen evictum foret, *potestate jurisdictionis* ipsos esse superiores, et quidem *jure divino.* Bellarminus regerit, *auctores illos, cum nihil tribuunt episcopo, quod non sit cum presbyteris illi commune excepta ordinatione, loqui de iis rebus, quae nullo modo presbyteris conveniunt, tale autem nihil est nisi ordinatio praecipue sacerdotum, nam potestas jurisdictionis ex commissione episcopi presbyteris etiam convenire potest.* Respondemus: hoc vero est quidvis pro arbitrio fingere. Verba illorum auctorum sunt satis perspicua. *Sola ordinatione sunt superiores, atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur.* Ambrosius in c. 4. Eph.: *Non per omnia conveniunt scripta apostoli ordinationi, quae nunc in ecclesia est, quia haec inter ipsa primordia sunt scripta. Nam et Timotheum presbyterum a se creatum episcopum vocat, quia primum episcopi presbyteri appellabantur, ut recedente uno sequens ei succederet.* Bellarminus regerit, *agi ibi duntaxat de ratione successionis in episcopis mutata*, sed contextus ostendit, de ipso gradu et ordine inter episcopum et presbyteros loqui Ambrosium, sic enim habent praecedentia: *In episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est princeps sacerdotum et propheta et evangelista* etc. *tamen postquam omnibus locis ecclesiae constitutae sunt et officia ordinata, aliter composita res est, quam coeperat. Primum enim omnes docebant et omnes baptizabant* etc. *At ubi omnia loca circumplexa est ecclesia, conventicula constituta sunt et rectores et cetera officia in ecclesiis sunt ordinata* etc. Augustinus epist. 19. ad Hieron.: *Quamvis enim secundum honorum vocabula, quae jam ecclesiae usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit, in multis tamen rebus Augustinus Hieronymo minor est;* ubi episcopatus dicitur nomen honoris, non potestatis, et ecclesiae usui ejus origo tribuitur. Bellarminus regerit, *Illud, jam obtinuit, non opponi tempori antiquo ipsis ecclesiae Christianae, sed tempori, quod fuit ante exortum ecclesiae Christianae.* Atqui hoc dicitur gratis, si divino jure episcopatum presbyterio quoad jurisdictionis potestatem esse majorem Augustinus judicasset, nunquam dixisset, ex usu ecclesiae illud jam obtinere. Noverat Augustinus Hieronymi sententiam, quam illis ipsis verbis expressit. Beda in c. 10. Luc.: *Primis ecclesiae temporibus, ut apostolica Scriptura testis est, utrique presbyteri, utrique vocabantur episcopi, quorum unum sapientiae maturitatem, alterum industriam curae pastoralis significat.*

237. Addimus his testimonia ipsorum adversariorum c. Legimus dist. 93. etc. Olim dist. 95. Hieronymi sententia recitatur c. Cleros. dist. 21: *Apud veteres iidem episcopi et presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis et non aetatis est.* c. Nullus dist. 60: *Sacros ordines dicimus diaconatum et presbyteratum, hos enim solos primitiva legitur habuisse ecclesia.* c. Ecce. dist. 95: *Ipsi presbyteri, ut legi-* 3. Ex ipsis adversariis. XIII. 54.

mus, episcopi nominantur. Lombardus 4. sent. dist. 24. lit. l. repetit ex Isidoro: *Apud veteres iidem episcopi et presbyteri fuerunt.* Cardinalis Arelatensis referente Aenea Sylvio lib. 1. de gest. concilii Basil. idem docuit. Johannes Parisiensis in libro de potestate papae a Sorbona approbato statuit, *presbyteros non esse inferiores pontificibus, quod ad essentialem ministerii dignitatem attinet.* Erasmus in annot. 1. Tim. 4. p. 472: *Antiquitus inter episcopum et presbyterum nihil intererat; sed post propter schismata a multis delectus est episcopus* etc. in 1. Petr. 5. p. 533: *Presbyteros vocat episcopos, nondum enim increverat turba sacerdotum, sed quot erant presbyteri, totidem erant episcopi.* Michael Medina lib. 1. de sacr. hominum orig. et continent. c. 5. non Hieronymi solum, sed etiam Ambrosii, Augustini, Sedulii, Primasii, Chrysostomi, Theodoreti, Oecumenii et Theophylacti suffragium in hac quaestione nobis largitur. Cassander in consult. art. 14: *An episcopatus inter ordines ecclesiasticos ponendus sit, inter theologos et canonistas non convenit, convenit autem inter omnes, in apostolorum aetate inter episcopos et presbyteros nullum discrimen fuisse, sed postmodum schismatis evitandi causa episcopum presbyteris fuisse praepositum, cui χειροτονία, id est ordinandi potestas, concessa est, sine qua ordinandi distinctione pax vel politica vel ecclesiastica retineri vix possit.*

Antithesis Pontificiorum episcopos jure divino presbyteris majores esse.

238. Bellarminus demonstraturus, *episcopos quoad potestatem ordinis presbyteris jure divino majores esse, sic progreditur: Solus episcopus potest ordinare et eo modo generare patres ecclesiae, presbyteri autem ordinare non possunt, sed solum baptizare et eo modo ecclesiae filios generare.* Id probat ex Damaso epist. 3. concilio Antiocheno c. 10. Ancyrano c. 12. Epiphanio haeres. 75. Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto et Oecumenio in c. 3. et 4. prioris ad Timotheum, Hieronymo epist. 85. Leone epist. 88. addit perpetuam ecclesiae praxin, cum *nunquam auditum sit, quod presbyteri presbyteros aut diaconos, nedum episcopos ordinaverint.* Quod autem sit ex jure divino, ut episcopi ordinent, inde colligit, *quia habeatur irritum, si quid in ea re fecissent, qui presbyteri non erant,* ubi adducit epist. Gregorii III. ad Bonifacium et epist. 3. Damasi. Subjungit deinde argumentum ex hypothesi Pontificia deductum: *Ordinatio est sacramentum, jam vero sacramenta omnia a Deo sunt instituta. Ergo qui major est ordinis potestate, quae per sacramentum ordinationis accipitur, is quoque major sit ex divina institutione necesse est. Denique ex confirmatione baptizatorum et templorum atque altarium consecratione, quae ad solos episcopos pertineat,* hanc thesin suam probare satagit. Respondemus: 1. Probatio Bellarmini non est accommodata ad id, quod est in quaestione. Quaestio est, an potestas ordinandi *jure divino* ad solos episcopos pertineat? Bellarminus id probat ex ecclesiae consuetudine. Atqui probandum erat, *ex Dominica institutione* illud descendere. 2. Si vel maxime demonstratum esset a Bellarmino, quod ipsi apostoli tale discrimen instituissent inter episcopos et presbyteros, quod illis, non autem his potestas ordinandi una cum inspectione reliquorum presbyterorum debeat esse commissa, quod verisimiliter quidam colligi posse existimant ex Tit. 1, v. 5. ubi Tito Cretensium episcopo demandatur haec provincia, *ut constituat oppidatim presbyteros;* nondum tamen evictum foret, *jure divino* majores esse episcopos presbyteris, constitutio enim illa apostolica esset duntaxat pars εὐταξίας ecclesiasticae, non autem praeceptum aliquod divini juris; esset dispositio de ordinaria hujus ecclesiastici actus collatione, nequaquam vero praejudicaret extraordinario necessitatis casui, quasi scilicet ne quidem urgente necessitatis casu, quando episcopi hoc officium suum negligunt, presbyteri nomine ecclesiae possent ministros ordinare. Recolat Bellarminus sua verba in c. seq.: *Etsi Hieronymus non videtur agnoscere, jure divino esse discrimen inter jurisdictionem episcopi et presbyteri, agnoscit tamen, hoc ipsum discrimen ab apostolis introductum, vult enim Hieronymus, in ipsis ecclesiae primordiis, cum adhuc viverent apostoli, jurisdictionem ecclesiasticam ad episcopos esse delatam.* Quodsi Hieronymus agnoscere potuit, ab apostolis profectum esse discrimen episcoporum ac presbyterorum, ut tamen non agnosceret, a jure divino illud esse, utique inter haec duo non est necessaria et immediata connexio, esse ab apostolis introductum et esse ex jure divino. 3. Ostendimus vero superius ex 1. Tim. 4, v. 14. in ecclesia apostolica presbyteros non fuisse ab impositione manuum in ordinatione simpliciter exclusos, licet ordinis causa ὁ προεστὼς sive primarius presbyter, peculiari ratione episcopus dictus, nomine ecclesiae et totius presbyterii actum ordinationis forte administraverit. Ut enim a vocatione ministrorum illorum, quos Titus debuit constituere κατὰ πόλιν, nequaquam excludendum est ecclesiae suffragium, ita quoque ab ordinatione eorundem non est excludenda presbyterii χειροθεσία. 4. Cum Barnabas et Paulus a Spiritu s. ad peculiarem aliquam ministerii ecclesiastici functionem segregarentur, reliqui ecclesiae Antiochenae doctores ipsis, priusquam dimitterentur, *jejunantes et orantes* imposuere manus, Act. 13, v. 3. jam vero Paulus *apostolus* et Barnabas *evangelista* jure divino erant majores illis prophetis et doctoribus. Ergo non est absurdum, presbyteros imponere manus episcopis, qui non divino jure, sed ecclesiae consuetudine majores sunt. 5. Ordinandi potestatem ita fuisse episcopis propriam, ut ne quidem urgente necessitatis casu presbyteris fuerit relicta atque ut plane haberetur irritum, quod ab ipsis in casu necessitatis extraordinarie factum, gratis dicitur, praesto enim sunt exempla in contrarium, quae adduximus in tract. de eccles. §. 201. et hoc ipso tract. §. 154. Ambrosius in c. 4. Eph.: *Apud Aegyptum presbyteri consignant, si praesens non sit episcopus.* Augustinus quaest. ex utroque test. q. 101: *In Alexandria et per totum Aegyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter.* 6. Ordinationem

esse sacramentum proprie sic dictum, falsa est hypothesis. Ac si vel maxime sacramentum esset, nondum tamen consequens foret, ab ejus administratione presbyteros etiam in casu necessitatis exclusos esse, cum baptismi administratio ordinarie ad ministerium ecclesiasticum pertineat, ad quam tamen ab ipsis Pontificiis extraordinarie in casu necessitatis admittuntur laici. 7. De confirmationis sacramento quid statuendum sit, alibi explicabitur. Altarium et templorum consecratio ignota fuit apostolicae ac primitivae ecclesiae, pacatis demum temporibus et cessantibus persecutionibus introducta. Frustra igitur ex consecratione illa episcopis tributa quaeritur argumentum, quod jure divino major sit episcopi quam presbyteri potestas.

ad sta- ju- ctio- 1. Ex a

239. Quod *potestate jurisdictionis jure divino concessa episcopi majores sint presbyteris*, quatuor argumentis Bellarminus confirmare nititur. Primum desumit *ex figura V. T. in quo erat unus summus sacerdos et qui ei succedebant. Erant praeterea minores sacerdotes, omnes videlicet filii Aaronis et qui ab illis descendebant, ac denique erant Levitae ceteri, qui a Levi originem ducebant, sed non per Aaronem. At episcopi idem sunt in ecclesia, quod erant pontifices in V. T. id presbyteri apud nos, quod illic minores sacerdotes, ut etiam id diaconi nostri, quod illorum Levitae, ut docent* Damasus epist. 2. Hieronymus epist. 85. Leo epist. 88. etc. Respondemus: 1. Inter hierarchiam ecclesiasticam V. ac N. T. est evidens disparitas. Illa enim expressam habet divinam institutionem, sed haec ab ecclesiae consuetudine originem trahit. 2. Ex figuris et typis non possunt duci firma argumenta, nisi ipsa Scriptura monstret applicationem. 3. Compa-
L. 56. ratio typi et antitypi non debet extendi ultra tertium, in quo instituitur, cum multa sint in typo, quae non necessario sunt in antitypo. Veteres conferunt episcopos cum pontificibus, presbyteros cum sacerdotibus minoribus, diaconos cum Levitis ratione ordinis; sed ex eo deduci nequaquam debet, quod ut ordo inter pontificem, sacerdotes et Levitas in V. T. fuit ex jure divino, ita quoque ordo inter episcopos, presbyteros et diaconos in N. T. itidem sit ex jure divino, contrarium enim testatur ipse Hieronymus, qui comparatione illa utitur. 4. Epistola ad Hebraeos testatur, summum sacerdotium V. T. fuisse typum et figuram non episcoporum, sed unius ἀρχιερέως Christi Jesu. 5. Bellarminus lib. 4. de Rom. pont. c 1. et alibi passim soli Romano pontifici tribuit supremam illam jurisdictionem, quae in V. T. fuit penes summum sacerdotem, quomodo igitur hoc loco asserit, omnes episcopos succedere summo sacerdoti V. T.? Si constare sibi velit, asserendum ipsi foret, solum Romanum pontificem succedere V. T. pontifici, episcopos autem ac presbyteros succedere minoribus sacerdotibus, diaconos Levitis. 6. Si ex ordine Leviticorum ministrorum judicium faciendum de ordine ministrorum in N. T. consequens fuerit, ut in V. T. duntaxat tres fuere Leviticorum ministrorum ordines ac gradus, ita quoque in N. T. tres duntaxat constituendos esse ministrorum ordines, videlicet *episcopos, presbyteros et diaconos.* Quid ergo fiet ordinibus reliquis? 7. Jurisdictio ecclesiastica in V. T. non fuit penes solum pontificem, sed penes synedrium, in quo erant etiam inferiores sacerdotes; pari igitur ratione inferri deberet, jurisdictionem ecclesiasticam in N. T. non esse penes solos episcopos pontificis successores, sed etiam penes presbyteros, qui inferioribus sacerdotibus successerint.

240. 2. *Ex distinctione apostolorum et septuaginta discipulorum. Omnes patres constanter docent, episcopos succedere apostolis, presbyteros autem septuaginta discipulis.* Conc. Neocaesar. can. 13. Damasus epist. 3. Anacletus epist 2. Hieronymus in epist. ad Marcellam, Augustinus in Psalm. 44. etc. *sed apostolos jure divino majores fuisse LXX discipulis, colligitur tum ex distincta et diversa institutione, tum ex Matthiae in apostolatum electione.* Respondemus: 1. repetat Bellarminus sua verba ex cap. proxime sequente: *Episcopi et presbyteri variis modis a patribus comparantur. Aliquando dicunt, episcopum tenere locum Dei, presbyteros locum Christi, diaconos locum apostolorum*, Clemens lib. 2. constit. c. 30. et Ignatius in epist. ad Trallianos; *aliquando episcopo dant locum Christi, presbyteris locum apostolorum, diaconis locum LXX discipulorum*, ita Clemens loco citato et Ignatius ad Smyrnenses; *aliquando episcopo dant locum apostolorum, presbyteris locum LXX discipulorum* etc. quomodo igitur *omnes patres constanter docent*, episcopos succedere apostolis, presbyteros LXX discipulis? quomodo ex arbitraria et incerta comparatione deduci potest, jure divino episcopos presbyteris majores esse? *Ex scripturis* illud jus divinum erit demonstrandum. 2. Et apostolorum et LXX discipulorum vocatio fuit extraordinaria, officium peculiare, gradus temporarius; ergo successio in eo non habet locum, unde etiam Eph. 4, v. 11. et 2. Cor. 12, v. 28. *apostolorum et evangelistarum* officium a *pastorum et doctorum* officio distinguitur. 3. Quamvis superior fuerit ordinis apostolici gradus, tamen in prima apostolorum et septuaginta discipulorum ad Israëlitas ablegatione utrisque dantur *paria jura*, ut loquitur Saravia de div. grad. c. 4. utrique enim docendi et miracula edendi potestate instruuntur, neque etiam post Christi adscensionem apostoli quandam jurisdictionem et praetoriam potestatem in illos sibi arrogarunt, sed illos fratres, conservos, cooperarios et coadjutores suos vocarunt, ut testantur exempla Barnabae, Apollo, Marci, Silvani, Epaphroditi, Tychici, Andronici, Aquilae etc. Rom. 16, v. 3. Phil. 2, v. 25. Col. 1, v. 7. c. 4, v. 7. etc. 4 Apostolorum
temporibus iidem fuere presbyteri et episcopi, ut superius ostensum, ergo ignotum illis fuit tale discrimen, quod soli episcopi jure divino quoad potestatem jurisdictionis succederent apostolis, presbyteri septuaginta discipulis. 5. Petrus 1. epist. 5, v. 1. vocat se *compresbyterum*, ergo presbyteros certa ratione et respectu apostolorum successores consti- XIII. 57.

2. Ex distinctione apostolorum et LXX discipulorum.

tuit, quatenus scilicet officium docendi verbum, administrandi sacramenta, potestatem clavium exercendi etc. omnes acceperunt, qua in parte non sunt inferiores presbyteris, quod inspectio reliquorum presbyterorum uni ex ipsis postmodum fuit commissa, et peculiari illa ratione episcopi dicuntur apostolis succedere, id non descendit ex *jure divino*, sed ex ecclesiae consuetudine; quod attinet vocationem immediatam, mandatum ubique praedicandi, donum miraculorum, privilegium infallibilitatis etc. ratione horum et similium nec episcopi, nec presbyteri apostolis succedunt.

3. Ex verbis Christi et apostoli Matth. 24. et Act. 20. 241. 3. Ex verbis Christi et apostoli. Matth. 24. inquit Christus: *Quis putas fidelis et prudens est servus, quem constituit Dominus super familiam suam? Haec verba Hilarius et ceteri patres in hunc locum de episcopis dicta esse volunt, ex quo intelligimus, ipso Domino instituente episcoporum propriam esse curam et gubernationem ecclesiae, quo etiam pertinet locus Act. 20: Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Respondemus: 1. Act. 20, v. 28. iidem dicuntur ab apostolo episcopi, quos Lucas v. 17. vocaverat presbyteros, ac in una civitate Epheso plures tunc fuere episcopi. quod non competit illis episcopis, quod non competit illis episcopis, de quibus Bellarminus hoc loco dicit, quod *presbyteris sint praefecti.* Invertimus igitur Bellarmini argumentum. Illis cura et gubernatio ecclesiae tunc temporis competebat, quos apostolus jubet pascere ecclesiam Dei. Atqui apostolus presbyteros ibi alloquitur et eos jubet pascere ecclesiam Dei. Ergo etc. Major est Bellarmini. Minor patet ex v. 17. immota igitur persistit conclusio, quod tunc temporis cura et gubernatio ecclesiae presbyteris competierit. Atque hoc illud est, quod Hieronymus scribit in comm. ad Tit. 1. quod *communi presbyterorum consilio ecclesiae olim fuerint gubernatae.* 2. Dictum Christi Matth. 24, v. 45. Theophylactus generaliter exponit de omnibus, qui a Deo aliquid acceperunt. *Qui tunc inventus fuerit fidelis et prudens* (inquit) *ille et multo plura consequetur, regnum dico coelorum. Nam omnium, quae sunt Dei, heredes erunt sancti. Fidelis autem servus et prudens omnis etiam est, qui in tempore dedit cibum discipulis, sicut Paulus nunc quidem lacte potans, nunc autem sapienter loquens, sed et omnis, qui a Deo acceperit vel, opes vel potentiam, vel principatum, debet fideliter et prudenter ministrare ea tanquam rationem redditurus.* Eodem modo Euthymius in hoc loco: *Convenit* (inquit) *hic sermo non iis tantum, qui divites sunt in sermone, sed et his, qui pecuniis ac possessionibus divites sunt. Omnes enim constituit Deus dispensatores eorum, quae possident, volens ut omnes fideliter ac prudenter cuncta dividant.* Haec interpretatio congruit cum proxime antecedente admonitione et sequente comminatione, quae generalis est ad omnes omnino spectans, siquidem omnes Christus vult vigilare et adventum suum in timore Domini exspectare. 3. Gregorius p. 3. curae pastoralis c. 5. de omnibus ministris, non de solis episcopis locum exponit; idem facit Fulgentius serm. 1: *Haec familia* (inquit) *est sancta ecclesia, quae per orbem terrae copiosa fertilitate diffunditur* etc. *Grex boni pastoris est ipsa familia redemptoris. Dispensator vero quis sit, quem oportet esse fidelem pariter et prudentem, Paulus nobis ostendit apostolus, qui de se suisque sociis loquens ait 1. Cor. 4. v. 1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ne quis autem vestrum solos apostolos dispensatores factos existimet, neglectoque militiae spiritualis officio servus piger infideliter imprudenterque dormitet, ipse apostolus episcopos quoque dispensatores esse ostendens ait Tit. 1, v. 7: Oportet enim episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem.* Haec Fulgentius ex Scripturis suam interpretationem probans. 4. Sed demus de episcopis, qui inspectioni aliorum presbyterorum praefecti sunt, locum peculiariter intelligi posse, nondum tamen evictum erit, *jure divino quoad potestatem jurisdictionis* majores esse episcopos presbyteris, sed hoc duntaxat sequeretur, Deo omnis boni auctori tribuendum esse, quod propter εὐταξίαν talis ordo inter ministros ab ecclesia institutus sit, ut alii aliis praepositi sese mutuo urgeant ad opus ministerii rite perficiendum.

4. 242. 4. Ex antiquitate. *Si jure humano episcopi presbyteris praeessent, inveniretur certe principium aliquod hujus institutionis post apostolica tempora. At ipso tempore apostolorum is erat ecclesiae usus, ut presbyteri episcopis subessent, nam 1. Tim. 5. apostolus ita scribit: Adversus presbyterum noli accusationem recipere nisi sub duobus aut tribus testibus, ubi videmus, episcopum apostolorum tempore judicem presbyterorum ac proinde verum principem et superiorem*, quod probat etiam dictis veterum. Respondemus: 1. ex usu ecclesiae ab ipsis etiam apostolis introducto nondum inferri potest, *jure divino* quoad potestatem jurisdictionis episcopos presbyteris majores esse, ut ex Hieronymo ostendimus superius. 2. Timotheus fuit unus ex evangelistis, quorum gradus jure divino fuit superior presbyteris. 3. Concedimus, Timotheum fuisse in ecclesia Ephesina constitutum, ut reliquorum presbyterorum esset inspector, προεστὼς et ἐργοδιώκτης, ideoque etiam ecclesiastici judicii director; interim tamen potestatem illam judicandi non vendicavit sibi soli, quia tunc temporis Hieronymo teste *communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur*, unde ipsi quoque presbyteri vocantur προεστῶτες 1. Tim. 5, v. 17. 4. Patrum testimonia, quae adducuntur, de temporum suorum consuetudine ecclesiastica, non autem de divina institutione loquuntur. 5. Si presbyteri in illis patrum dictis accipiantur pro illis, qui non *laborant in verbo*, sed morum censurae praefecti sunt, facile concedimus, episcopos illis majores esse. 6. Quos Bellarminus defendit episcopos, illi principum more imperant ac sunt *veri prin-*

cipes (ut loquitur), soli habent solium sive thronum in ecclesia, soli excommunicant, in conciliis praesident ac leges in eis figunt. Sed tales episcopos ignorant Christus et apostoli iisdemque consentiens primitiva ecclesia. In concilio Hierosolymitano non soli apostoli, sed etiam presbyteri sententiam ferunt Act. 15, v. 6. 22. et 23. ac tantum abest, ut in ecclesia apostolica et apostolicae vicina episcopi exclusis presbyteris potestatem vibrandi excommunicationis fulmen sibi solis arrogaverint, ut Paulus apostolus non nisi ecclesiae Corinthiacae consensu incestuosum Satanae tradere judicavit 2. Cor. 5, v. 4. Atque haec dicta sint ad priora duo membra illius capitis, in quo demonstrare conatur Bellarminus, episcopos jure divino esse majores presbytero quoad potestatem ordinis et jurisdictionem; quod attinet membrum tertium, in quo probare nititur, episcopos in veteri ecclesia non fuisse in coetu presbyterorum quasi consules in senatu, sed quasi reges ac principes in coetu consiliariorum, de eo quid statuendum sit, ex dictis facile apparet.

3. Ex Aerianae haereseos damnatione.

243. Non est hoc loco praetermittendum, quod 5. in principio capitis Bellarminus scribit, *haeresin illam jam olim in Aerio damnatam esse*, *quod inter episcopum et presbyterum nihil intersit* teste Epiphanio haer. 75. et Augustino de haer. c. 53. Respondemus: 1. Aerius ille ut testatur Epiphanius, fuit *totus Arianus*. 2. Nemo nostrum dicit, *nihil interesse inter episcopum et presbyterum*, sed agnoscimus, propter εὐταξίαν ecclesiasticam et concordiam alendam utile esse, ut discrimen episcoporum et presbyterorum in ecclesia conservetur. Tale discrimen a nobis statui agnoscit Gregorius de Valent. tom. 4. disp. 9. q. 1. punct. 2: *Omnes Protestantes*
XII. 59. (inquit) *admittunt tres saltem ministrorum gradus, nempe episcoporum, quos vocant superintendentes, ut habeant curam ecclesiasticae disciplinae; presbyterorum, quos vocant ministros verbi et sacramentorum; ac diaconorum, qui superintendentibus et pastoribus navent operam in administratione sacramentorum et officiis aliis.* Bellarminus ipse lib. de clericis c. 11. in princ.: *Chemnicius docet, tres tantum esse veros ordines: episcoporum, quos ipsi pastores lubentius vocant; presbyterorum, quos seniores vel doctores vel ministros verbi appellant; et diaconorum.* Atqui si episcoporum ordinem a presbyteris distinguimus, utique inter episcopum et presbyterum aliquid interesse dicimus. 3. Ergo quod Aerius odio Eustathii, qui in episcopatu ipsi antelatus erat, aequalitatem illam, quae fuit tempore apostolorum, ita coepit urgere, ut ecclesiae consuetudinem, quae in remedium schismatum, ordinis et concordiae causa episcopum presbyteris et inspectioni totius ecclesiae praeponebat, simpliciter repudiaret, id cum ad confusiones ac dissensiones spectare videretur, merito in illo reprobatum fuit. 4. Michael Medina Pontificius lib. 1. de sacror. hom. orig. et continentia c. 5. non solum Hieronymum, sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium et Theophylactum idem cum Aerianis sensisse scribit, cum illo Bellarminus transigat. 5. Si patres illi judicassent, sententiam illam in Aerio tanquam haeresin esse damnatam, tantum abest, ut verbis illi viderentur suffragari, ut potius in contrariam partem declinassent, quod in oppugnatione sententiae adversae ipsis accidere consuevit.

Ordines pontificii.

244. Atque haec dicta sint de ministerii ecclesiastici gradibus, quorum Scriptura mentionem facit; restat, ut Pontificiorum ordines, quorum plerique sunt ἄτακτοι et inordinati, consideremus. Bellarminus lib. de clericis c. 11. disputat, *proprie loquendo septem a Catholicis ordines numerari*, *qui sunt sacerdos, diaconus, subdiaconus, acoluthus, lector, exorcista, ostiarius.* ex c. Cleros. dist. 21. Illos dividunt *in ordines minores et majores.* Minores dicunt esse quatuor: *ostiariatum, lectoratum, exorcistatum et acoluthatum*; majores tres: *subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum.* Catech. Romanus c. de sacr. ordinib. Fab. Incarnatus in scrutinio p. 109. c. 12. Bellarminus *de antiquitate illorum ordinum* disserit, quam non audet quidem diserte ad apostolos revocare, interim tamen cum in Clemente et Ignatio apostolorum discipulis ordinum eorum mentionem fieri statuat, videtur ad apostolorum tempora originem eorundem referre. c. 13. *de officiis singulorum* ministrorum disserit. *Exordium* (inquit) *sumitur in ecclesia a prima tonsura, quae quidem non est ordo, cum nullum habeat certum officium annexum, sed est quaedam dispositio ac praeparatio ad ordines, ut catechismus ad Christianismum. Ostiariorum* officium est *aperire et claudere fores ecclesiae et curam templi habere*; unde in ordinatione episcopus porrigit ipsis *claves* dicens: *Accipe potestatem aperiendi ecclesiam et sacrarium et claudendi infidelibus.* Lombardus 4. sent. dist. 24. lit. C. de ostiariis scribit, *quod tenentes clavem omnia intus et extra custodiant atque inter bonos et malos habentes judicium dignos recipiant, indignos respuant*; unde in ordinatione ipsis dicatur: *Sic agite, tanquam Deo rationem reddituri pro rebus, quae clavibus istis concluduntur. Lectorum* officium est *legere ex pulpito in ecclesia*, quidquid legendum ex utroque (vel secundum alios ex V. duntaxat) Testamento, nimirum extra tempus sacrificii. In illorum ordinatione episcopus porrigit librum, quem vocant *lectionarium*, dicens: *Accipe potestatem et esto verbi Dei relator.* Lombardus d. loco lit. D. monet, eosdem vocari etiam *psalmistas et pronuntiatores*, ac in ordinatione ab episcopo illis dici: *Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleveris officium, partem cum his, qui bene verbum Dei ministraverint. Exorcistarum* officium est *exorcismos ecclesiae legere super energumenos*, et eo modo praeparare illos, ut XII. 60.
sacrificii divini participes fieri possint. In illorum ordinatione episcopus tradit eis *librum exorcismorum* dicens: *Accipe et commenda memoriae et habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptisatos sive catechumenos. Acoluthorum* officium

est *cum cereo accenso sequi diaconum ad locum evangelii et urceolos atque ampullas ad sacrificium praeparare ac subdiacono porrigere*; item *praeparare luminaria.* Dicuntur ἀκόλουθοι ab ἀκολουθέω, sequor, alias *ceroferarii* a gestando cereo. Glossa in c. Cleros dist. 21. legit ἀκώλυτος, non prohibitus, hoc est admissus, addita ratione, *quod ita vocatus fuerit, qui ipse quidem non peragebat mysteria, sed non excludebatur cum ceteris*, quod ignem aut simile quiddam ad sacra necessarium afferebat. In illorum ordinatione episcopus illis porrigit *candelabrum cum cereo et urceolis* dicens: *Accipe ceroferarium cum cereo et scias, te ad accendendum lumina mancipatum in nomine Domini; et accipe urceolum ad suggerendum vinum et aquam in eucharistiae et sanguinis Christi sacramentum. Subdiaconorum vel hypodiaconorum* officium est *ministrare diacono in sacrificio.* In illorum ordinatione episcopus tradit eis *calicem vacuum cum patina, item librum epistolarum* dicens: *Accipe librum epistolarum et habe potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.* Lombardus dict. loc. lit. G. addit, ad subdiaconos pertinere, *ut calicem et patinam ad altare Christi deferant et Levitis tradant, item ut urceolum et aquam, mantile et manutergium teneant, episcopo et presbyteris et Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam praebeant, denique ut corporales et pallas et substratoria lavent. Diaconorum est sacerdoti sacrificanti assistere ac ministrare et populo distribuere eucharistiam, tempore sacrificii evangelium legere, baptizare, praedicare, reconciliare publicos poenitentes, eucharistiam deferre ac praebere laicis, ac breviter omnia facere, quae episcopi et presbyteri faciunt, excepta consecratione corporis Domini et ordinatione clericorum et aliis officiis, quae requirunt potestatem ordinis.* In illorum ordinatione episcopus tradens eis *librum evangeliorum* dicit: *Accipe potestatem legendi evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis;* item: *accipe Spiritum s. ad resistendum diabolo et tentationibus ejus.* Lombardus d. l. lit. H. addit, quod ad diaconum pertineat *oblationes inferre et disponere in altari, componere mensam Domini et vestire, crucem ferre, praedicare evangelium et epistolam ad populum*, ut enim lectoribus Vetus Testamentum ita diaconis Novum esse praedicandum. *Presbyterorum est consecrare corpus et sanguinem Christi, offerre sacrificium pro vivis et mortuis, orationes dicere et dona Dei benedicere* etc. In illorum ordinatione episcopus reflectit *stolam* ab humero sinistro in dextrum in modum crucis dicens: *Accipe jugum Domini, jugum enim ejus suave et onus ejus leve.* Deinde dat *vestem sacerdotalem* et consecrat manus dicens: *Consecrare et sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem et nostram benedictionem.* Postea porrigit *calicem cum vino et aqua et patinam cum hostia superimposita* dicens: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo missasque celebrandi.* Denique imponit ambas manus super caput cujuslibet ordinandi ad sacerdotium dicens: *Accipe Spiritum s. quorum remiseritis peccata, remittantur eis, et quorum retinueritis, retenta erunt.* Vide etiam c. perlectis. dist. 25. ubi ordines et ministeria illa clericorum in archidiaconi cura, primicerii et thesaurarii solicitudine dividuntur. Conjunge titulos decretalium de officio archidiaconi, de officio archipresbyteri, de officio primicerii, de officio sacristae etc.

245. Multa autem sunt, quae in hac ordinum enumeratione Pontificia desideramus. 1. Quod ipsimet *de numero* illorum nondum consentiunt. Fab. Incarnatus in scrutinio sacerdotali part. 1. tract. 2. c. de sacr. ordin.: *Secundum Magistrum 4. sent. dist. 24. sunt septem ordines, scilicet ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acoluthatus, subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus. Et dicuntur septem propter septiformem gratiam Spiritus sancti; canonistae tamen tenent, quod sint novem secundum novem hierarchas scilicet prima tonsura et ordo episcopalis. c. cum contingat de aetat. et qualit. ord. et in c. 1. de ord. ab episc. qui renunt. Secundum Thomam in 4. sent. dist. 24. Si proprie accipiamus ordines, in quantum sunt sacramenta, sunt septem, quatuor scilicet minores et tres sacri; si vero largo modo sumamus, addetur minoribus prima tonsura sive psalmistatus, ut quidam dicunt, sacris vero addetur episcopatus.* c. Cleros. dist. 21. c. Psalmista. dist. 23. *Tamen communior opinio est, quod prima tonsura et episcopatus non sint ordines, quia corona seu tonsura est quoddam signum distinctivum ministrorum ecclesiae a plebe communi* etc. *Item dignitas episcopalis non est ordo, ut tenetur communiter a doctoribus, super quo notandum, quod secundum Thomam duplex dicitur ordo. Uno modo secundum quod est officium respectu ad corpus Christi verum, scilicet ad consecrationem hostiae et illo modo episcopatus non est ordo, quia episcopus non habet potestatem superiorem sacerdote quantum ad consecrationem corporis Christi. Alio modo dicitur secundum quod est officium respectu quarundam actionum sacrarum, super quas habet disponere prae ceteris sacerdotibus, et sic dicitur improprie ordo ratione jurisdictionis, sed tamen non est sacramentum, sed quoddam sacramentale.* Haec omnia Incarnatus. 2. Quod nugantur, *Christum suo exemplo omnium illorum ordinum officia in semet ipso exhibuisse* et corpori suo, quod est ecclesia, eosdem observandos reliquisse. Sic enim habent Lombardus 4. sent. dist. 24. sect. A. et seqq. Compend. theolog. veritatis lib. 4. c. 36. Fabius Incarnatus in scrutin. sacerd. part. 1. tract. 2. c. de ordine p. 111. *Ostiariorum officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes et ementes ejecit de templo. Ipse enim se ostiarium significans dicit, Ego sum ostium. per me si quis introierit, salvabitur* etc. *Ostiariatus ergo institutus est* (inquit Fabius), *quando Christus dixit: Attollite portas principes vestras et elevamini portae aeternales, et quando ementes ac vendentes ejecit e templo.*

Lectorum officium implevit Christus, cum in medio seniorum librum Esaiae aperiens distincte ad intelligendum legit: Spiritus Domini super me. Institutus ergo (inquit Fabius) *est ordo lectoratus, quando Christus librum prophetae aperuit et completa lectione ministro dedit Luc. 4. Exorcistarum officio usus est Dominus, quando saliva sua tetigit aures et linguam surdi et muti dicens Ephata, quod est adaperire; hoc etiam officio usus est Christus, cum daemoniacos multos sanavit. Institutus ergo* (inquit Fabius) *est exorcistatus, quando Christus tetigit aures muti et surdi Marc. 7. et quando de Maria Magdalena septem daemonia ejecit. Acoluthorum officium Dominus se habere testatur dicens. Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Institutus ergo* (inquit Fabius) *est acoluthatus, quando Christus dixit, Ego sum lux mundi Joh. 8. Subdiaconorum officio Christus usus est* et secundum Fabium *ordinem eorum instituit, quando linteo se praecinxit et mittens aquam in pelvim pedes discipulorum lavit et linteo tersit. Diaconorum officio Christus usus est et ordinem eorum instituit, quando post coenam sacramentum carnis et sanguinis discipulis dispensavit et quando apostolos dormientes ad orationem excitavit dicens: Vigilate et orate. Presbyterorum officio Christus usus est et ordinem eorum instituit, cum se ipsum in ara crucis obtulit idem sacerdos et hostia, et quando post coenam panem et vinum in corpus et sanguinem suum commutavit.* Sed nugis hisce merito opponimus, quod Lombardus ibid. lit. l. subjungit: *Cum omnes illi ordines spirituales sint et sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censent, diaconatus scilicet et presbyteratus, quia hos solos primitiva ecclesia legitur habuisse, et de*
II. 62. *his solis praeceptum apostoli habemus, apostoli enim in singulis civitatibus episcopos et presbyteros habuerunt. Levitas etiam ab apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit Stephanus. Subdiaconos vero et acoluthos procedente tempore ecclesia sibi constituit.* Idem habet Gratianus in prooem. dist. 21. Caranza in summa concil. f. 15. sic scribit: *Quae in summa tractat Anacletus in tertia epistola sunt ista: primum a Domino constitutos esse hos duos ordines episcoporum et sacerdotum. Et amplius quam isti duo nec nobis a Deo collati sunt, nec apostoli docuerunt, ex quo colligitur, ordines aut gradus notos in ecclesia non a Domino ordinatos nec apostolis.* Becanus in disp. de vocat. ministr. th. 34. fatetur, *trium duntaxat ordinum, episcoporum scilicet, presbyterorum et diaconorum, apertam in scriptis apostolicis fieri mentionem.* Nec Bellarminus fuit ausus institutionem et originem illorum septem ordinum ad Christum revocare, sed asserit, *originem illorum rem longe antiquiorem esse,*
odais- imita- tiem. *quam Calvinus existimet.* 3. Quod ex κακοζηλίᾳ *Judaismi* ordines illi in ecclesiam Christianam sint introducti. Lombardus 4. sent. dist. 24. lit. C: *Ostiarii iidem et janitores sunt, qui in V. T. electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus.* lit. D: *Ordo lectorum formam et initium a prophetis accepisse videtur, quibus dicitur: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* lit. E: *Exorcistarum ordo a Salomone videtur descendisse, qui quendam modum exorcizandi invenit, quo daemones adjurati ex obsessis corporibus expellebantur.* lit. F: *Hujus* (acoluthorum) *officii formam illi gerebant in V. T. qui lucernas candelabri componebant et accendebant igne coelesti ad illuminandas tenebras aquilonares.* lit. G: *Subdiaconi apud Hebraeos Nathinaei vocabantur, hoc est in humilitate Domino servientes.* lit. H: *Diaconorum ordo in V. T. a tribu Levi nomen accepit, dicuntur enim et Levitae,* et postea: *Quod huic ordini a Moyse statutum est, hoc etiam in N. T. repraesentatur, cum diacono super laevum humerum stola ponitur et casula in diebus jejunii complicatur.* lit. I: *Ordo presbyterorum a filiis Aaron sumsit exordium. Summos enim pontifices et minores sacerdotes instituit Deus per Moysen, qui ex praecepto Dei Aaron in summum pontificem, filios vero ejus unxit in minores sacerdotes.* Gratianus in prooem. dist. 21. paulo aliter haec accommodat: *Institutio ordinum* (inquit) *est in V. T. inchoata et in N. plenius consummata. Summi etenim pontifices et minores sacerdotes a Deo sunt instituti per Moysen, qui ex praecepto Domini Aaron in summum pontificem, filios vero ejus unxit in minores sacerdotes. Postea vero David cum ministeria domus ampliaret, janitores et cantores instituit. Salomon quendam modum exorcizandi invenit. Haec omnia in N. T. ecclesia imitata habet janitores suos, quos ostiarios appellamus, pro cantoribus lectores et cantores instituit. Exorcistas autem nomine antiquo et officio permanente recepit, pro filiis vero Aaronis omnes infra summum pontificem sacerdotium administrantes sunt consecrati.* 4. Quod distinctionem inter presbyteros (qua alii appellantur simpliciter *sacerdotes,* alii *archipresbyteri* alii *chorepiscopi,* alii *episcopi,* alii *archiepiscopi,* seu *metropolitae,* alii *primates,* alii *patriarchae,* alii *summi pontifices*) *ex gentilismi* κακοζηλίᾳ in ecclesiam introduxerunt. Sic enim disertis verbis in prooem. dist. 21. loquitur Gratianus: *Discretio illa sacerdotum a gentilibus maxime introducta est, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.* Quo etiam pertinent sequentia juris canonici capitula. c. Urbes. dist. 80. ex Lucio papa: *Urbes et loca, in quibus primates praesidere debent, non a modernis, sed multis ante adventum Christi statutae sunt temporibus, quarum primates gentiles etiam pro majoribus negotiis appellant. In ipsis vero urbibus post adventum Christi apostoli et eorum successores patriarchas et primates posuerunt* etc. c. in illis. dist. ead. ex Clemente: *In illis vero civitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines* XIII. 63.
eorum atque primi legis doctores erant, episcoporum primates vel patriarchas Petrus poni praecepit, qui reliquorum causas episcoporum et majora negotia in fide agitarent; in illis autem, in quibus dudum

4. Gentilismi assimilationem.

apud praedictos ethnicos erant eorum archiflamines, quos tamen minores esse tenebant quam memoratos primates, archiepiscopos instituti praecepit. Idem repetitur. c. *Provinciae. dist. 99. ex Anacleto.

5. De antiquitate nugationem. 5. Quod *antiquitatis temporibus apostolorum proximae* suffragio ordines illos omnes probare conantur. Bellarminus de cleric., c. 12. Clementem l. 8. constitut. et Ignatium in epist. ad Antiochenses ordinum eorum omnium mentionem facere scribit, qui cum apostolorum discipuli fuerint, ex eo colligendum relinquit, quam antiqua sit ordinum origo. Sed Ignatii epistolis admixta sunt multa peregrina. Eusebius lib. 3. hist. c. 31. epistolas tres Ignatio tribuit, ad Ephesinos scilicet, ad Magnesianos, ad Trallenses, quas ipsas non carere corruptione patet ex eo, quod Theodoretus dial. 1. et Gelasius in lib. de duab. natur. ex epist. ad Eph. citant testimonium, quod in exemplaribus editis non habetur. De libris constitutionum Clementi Romano attributis nihil habent Eusebius, nihil Hieronymus, nihil Gennadius. Sed de his suo loco plura. Opponimus igitur Bellarmino c. Nullus. dist. 60. ex Urbano: *Nullus in episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose vivens fuerit inventus, sacros autem ordines dicimus diaconatum et presbyteratum, hos siquidem solos* (nota exclusivam) *primitiva legitur habuisse ecclesia.* ** *Vetus ordo in officiis personarum, quae praesunt, duplex: temporarius et perpetuus. In illo apostoli, prophetae, evangelistae; in hoc doctores, pastores, episcopi, seniores et diaconi. Novos rectores sequentia tempora designarunt: papas, cardinales, archiepiscopos, metropolitanos; primates, decanos, archidiaconos, praepositos, archipresbyteros, subdiaconos, ostiarios, exorcistas, psalmistas, acoluthos, abbates, monachos, Jesuitas et infinitos monachorum ordines.* Pisecius in app. resp. ad 10. rat. Camp. p. 133.**

6. Ad numerum septenarium restrictionem. 6. Quod *ad septenarium numerum* ordines ecclesiasticos praecise restringunt, cum tamen ecclesiastici scriptores modo plures, modo pauciores numerent ordines. Dionysius Areop. de hierarch. eccles. c. 5. enumerat *pontificum, sacerdotum et ministrorum ordinem;* in canonibus apostolorum numerantur quinque ordines, *episcoporum, presbyterorum, diaconorum, lectorum et cantorum*; Ambrosius in c. 4. Eph. numerat etiam quinque, sed loco *cantorum* ponit *exorcistas*; Ignatius in epist. ad Antioch. et Epiphanius in fine panarii addunt *κοπιῶντας, laborantes in sepultura.* Ignatius etiam addit *confessores*; canonistae addunt *psalmistam.* Bellarminus regerit, *Dionysium voluisse saltem hierarchias, non autem ordines enumerare.* At ubi reliquorum ordinum, qui ab hierarchia ecclesiastica sese excludi aegre ferent, mentionem facit? Clementem in canonibus plures ordines agnovisse, probat ex can. 15: *Si quis presbyter, aut diaconus, aut quilibet de numero clericorum* etc. At non est quaestio de ordinum pluralitate, sed de eorum determinato numero. Ambrosium dicit *numerare quinque ordines ex occasione dicti Ephes. 4.* at si ad numerum septenarium ordines ecclesiasticos judicasset adstrictos, talem apostolici dicti explicationem haudquaquam protulisset. Ignatium et Epiphanium dicit *numerare non solum ordines proprie dictos, sed et alios quomodocunque divinis obsequiis dedicatos*, inter quos laborantes in sepultura mortuorum recenseantur. Atqui idem nos dicere possumus de illis quoque veteribus, qui janitores, lectores, acoluthos, subdiaconos inter ordines numerant, quod videlicet *non ordines proprie sic dictos, sed ministeria eorum, qui quomodocunque divinis obsequiis dedicati et adhibiti fuere*, recenseant. Dissensionem de ordinum numero inter Canonistas et Scholasticos sic conciliat, quod illi considerent *ordines, ut hierarchiam constituant*, quo modo episcopus a presbytero et cantor a lectore discernatur, ac proinde novem ordines constituantur; hi vero eosdem considerent *ut se habent ad sacrificium*, quo modo nec episco- XII
pus a presbytero, nec cantor a lectore distinguatur, ac proinde septem duntaxat ordines constituantur. At Bellarminus sibi ipsi aperte contradicit. Si enim *ordines inferiores sive minores non sunt hierarchiae*, ut in hoc ipso capite in resp. ad locum Dionysii disertis verbis asseruit, quomodo dici potest, *quod canonistae in numero ordinum novenario considerent eos, ut hierarchiam constituant?* Possuntne inferiores ordines una cum tribus superioribus constituere hierarchiam, si in illis constituti non sunt hierarchae? Jesuitica subtilitate ad haec concilianda erit opus, quae enim nostra est simplicitas, conciliare ea non possumus. Exponant etiam nobis modum, quo se habeat ad sacrificium ostiarius, lector et exorcista? num quia ostiarius fores aperit, ut sacrificulus intrare et missam celebrare possit, et quia lector hoc officium eidem praestat, ut tempore sacrificii a canendo et legendo sileat, et exorcista, ut energumenos ante missae celebrationem ex templo ejiciat? Acoluthus ampullas atque urceolos ad sacrificium praeparat ac subdiacono porrigit; subdiaconus calicem et patinam ad altare defert; diaconus oblationes infert et disponit in altari, componit et vestit mensam Domini etc. ergo respectum quendam habent ad sacrificium, sed in ostiario, lectore et exorcista nihil tale occurrit. Exponant denique causam, quare ex respectu ad sacrificium septem ordines numerandi sint, cum enim distincta sint ordinum singulorum officia, utique etiam sine ullo ad sacrificium respectu ratione distinctorum officiorum enumerandi erunt, ac proinde cum officium episcopi ab officio presbyteri sit distinctum, stabit thesis canonistarum, quod dignitas episcopalis sit ordo a presbyteratu distinctus. 7. Quod *quaevis in ecclesia ministeria in peculiares ordines transforment.* Fores enim claudere ac aperire, cereos accendere ac circumferre, vasa sacra custodire, mundare, ad usus divinos praeparare, mensam Domini vestire, pastori ad ministrandum adstare, aquam ad baptismum, panem et vinum ad eucharistiae celebrationem afferre etc. non constituunt peculiares et distinctos ordines ecclesiasticos, sed sunt ministeria eo modo comparata, ut ab uno eodemque homine facile praestari

7. (… vis … ste … in … tra … ma

possint, uti praxis nostrarum ecclesiarum testatur. *8. Quod perpetuam illorum ordinum in ecclesia necessitatem urgent*, cum tamen ex libero ecclesiae instituto pro ratione circumstantiarum quandoque pluribus, quandoque paucioribus ministeria, quae ordinibus illis hodie distincte assignantur, conjuncte fuerint olim demandata. Noluit certe purior et antiquior ecclesia legem aliquam necessitatis hac in re ponere, sed propter multitudinem fidelium et ecclesiasticae politiae *εὐσχημοσύνην* illos clericorum ordines libera dispositione distinxit, ut omnia fierent *ordine ac decenter* et in inferioribus ministeriis eorum fidelitas et industria prius probaretur, qui ad superiora admovendi erant. *9. Quod titulos sine re usurpant.* Exorcistae enim ordinantur, qui dono expellendi daemonas non sunt instructi; lectores et cantores dicuntur, qui in ecclesia non legunt; sacerdotes et episcopi dicuntur, qui a docendi ac praedicandi munere, quod inter ecclesiastica ministeria primarium est, toto vitae tempore abstinent contra proprios ipsorum canones, quos inferius adducemus. *10. Quod nomen et dignitatem sacramenti ordinibus illis tribuunt*, cum requisita sacramenti propria in illis monstrare nequeant; magna tamen hic occurrunt inter ipsos sententiarum divortia, de quibus superius. *11. Quod praecipuum ac principale sacerdotum munus, ad quod reliquorum ordinum officia respectum habeant, statuunt offerre sacrificium missaticum pro vivis ac mortuis*, cum tamen Christus in N. T. ecclesiae ministros non constituerit missi-
65. fices, sed evangelii praecones et mysteriorum divinorum dispensatores 1. Cor. 4, v. 1. etc.

246. Sacerdotum sive presbyterorum ordinem eo modo subdividunt, ut quosdam statuant *majores*, dictos episcopos, quosdam vero *minores* sive simplices sacerdotes. Bellarminus lib. de sacram. ordin. c. 5. Ordo episcoporum ipsis vicissim est quadripartitus *in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis et episcopis.* c. cleros. dist. 21. ex Isidor. ubi singulorum tales dantur definitiones: *Patriarcha summus patrum interpretatur, quia primum post apostolicum tenet locum et ideo, quia summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus. Archiepiscopus Graeco interpretatur vocabulo, quod sit summus episcoporum, id est primas, tenet eum vicem apostolicam et praesidet tam metropolitanis quam ceteris episcopis. Metropolitani autem a mensura civitatum vocantur, singulis enim provinciis praeeminent, quorum auctoritati et doctrinae ceteri sacerdotes subjecti sunt, sine quibus nihil reliquis agere licet episcopis, solicitudo enim totius provinciae archiepiscopis commissa est. Omnes autem superius designati ordines uno eodemque vocabulo episcopi nominantur, sed ideo privato nomine quidam utuntur propter distinctionem potestatum, quam singulariter acceperunt.* Haec Isidorus. Romani Pontificis electores et consiliarii perpetui dicuntur cardinales, quod summo pontifici proxime adhaereant, qui est velut *cardo totius ecclesiae*, quam rationem nominis proponit Leo IX. in ep. ad Michael. c. 32. cum quo affinitatem quandam habet, quod Hostiensis contendit, cardinales figuratos esse in verbis 1. Sam. 2, 8: *Domini sunt cardines terrae et posuit super eos orbem.* Baronius figuram cardinalium quaerit in visione prophetica Esa. 6, v. 4: *Commota sunt superliminaria cardinum*, quem Veneti in resp. ad ipsius paraenes. hoc nomine salse irrident. *Satis lepide*, inquiunt pag. 44. *at non minus periculose cardinales tuos a superliminaribus cardinum, quorum propheta meminit, arcessis. Nam ut demus tibi, vaticinium Esaiae in hoc pontificis judicio* (contra Venetos) *impletum esse, tu vicissim nobis largieris, jamjam implendum esse illud, quod Amos scriptum reliquit c. 9, v. 1: Percute cardinem et commoveantur superliminaria. Avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum gladio interficiam.* Et postea p. 45: *Cautius fecisses Baroni, si cardinales tuos vel a scapis cardinalibus Vitruvii vel a veterum Romanorum dea Cardea derivare quam instar bubonis tam dirum omen collegis tuis occentare maluisses, cumque in prisca ecclesiasticae hierarchiae delineatione ne mentio quidem fiat cardinalium, nedum locus aut statio aliqua in militantis ecclesiae castris ipsi assignetur, non immerito inter impedimenta rejiciendi erunt* etc. Officium cardinalium revocat Bellarminus lib. de cleric. c. 16. ad tria capita, *primum est commune cum episcopis, presbyteris et diaconis ceteris, omnes enim cardinales aut episcopale, aut presbyterale, aut diaconale officium habent;* alterum officium est *summum pontificem eligere*; postremum *eidem pontifici perpetuo assistere eumque in regenda universa ecclesia consilio et industria adjuvare.* Operose autem ibidem disputat, *an cardinalitia, an episcopalis dignitas major sit*, ut suspicari aliquis possit, ipsum interfuisse disceptationi apostolorum Luc. 22, v. 24. *ecquis eorum videretur major.* c. 17. *agit de chorepiscopis*, quorum nomen et officium olim in usu fuisse, nunc autem paene interiisse videatur. *Chorepiscopi* (inquit) *olim dicebantur presbyteri quidam, qui in pagis aut oppidulis curam animarum gerebant loco episcoporum, vel juxta Damasum quasi villarum episcopi, nam χώρα Graece oppidum ac regionem significat, vel juxta concilium Neocaesariense quasi vicarii episcoporum, seu loco episcoporum constituti, χώρα enim locum etiam significare potest.* Postea duo statuit chorepiscoporum genera, *quidam vere episcopalem consecrationem acceperant*, sed dicebantur chorepiscopi, quod non haberent propriam ecclesiam, sed in aliena dioecesi ministrarent, *quales* (inquit) *hoc tempore sunt episcopi quidam titulares, qui et suffraganei dici solent;* alii vero chorepiscopi XIII. 66.
fuere duntaxat *presbyteri*, qui in pagis ac villis seu etiam oppidulis episcopum aliquo modo repraesentabant Sed de his titularibus episcopis multis agere operae foret plane infrugiferae.

247. Ceterum tota illa hierarchia episcoporum, metropolitanorum, archiepiscoporum, patriarcharum ad stabiliendum Romani Pontificis dominatum ac Hierarchiae papalis.

primatum fuit directa, quod ut evidentius fiat, recensebimus ex Casparo Bruschio geometricam illam ecclesiarum Germanicarum dimensionem ac distributionem a Pontificibus Romanis factam. Is ergo in praefat. operum suorum manuscript. et ex eo Wolffius tom. 2. lect. memorab. p. 564. sic scribit: Constitutae sunt in Germania septem archiepiscopales seu metropolitanae sedes, *Moguntia*, *Colonia*, *Treviris*, *Magdeburgum*, *Salisburgum*, *Brema et Riga*. Earum unaquaeque suos sub se habet episcopatus: *Moguntia* comprovinciales episcopatus sub se habet 12. Curiensem, Constantiensem, Argentinensem, Spirensem, Wormatiensem, Herbipolensem, Augustanum, Aichstetensem, Hildesheimensem, Paderbornensem, Halberstatensem et Verdensem. Subjiciebatur olim Moguntino etiam Bambergensis episcopatus, sed a Clemente II. qui antea Bambergensis ecclesiae secundus fuerat episcopus, est exemtus, ut immediate Romano Pontifici subsit, is habet sub se episcopatum Pomerano-Caminensem. *Colonia* comprovinciales episcopatus habet quinque: Leodiensem, Trajectensem, Mindensem, Monasteriensem et Osnabrugensem. *Treveris* habet tres episcopatus, Metensem, Tullensem et Virdunensem. *Magdeburgum* sub se tenuit episcopatum Mersburgensem, Naumburgensem, Brandenburgensem, Havelbergensem et Misnensem. *Salisburgum* octo comprovinciales episcopatus sortita est, Frisingensem, Pataviensem, Ratisbonensem, Brixinensem, Sabionensem, Chiemensem, Gurcensem, Seccoviensem et Laventinensem. *Bremensis* sedis comprovinciales episcopatus sunt Lubecensis, Suerinensis, Lebussinensis, Schlesvicensis, Razenburgensis et Hamburgensis. *Rigae* subjecti sunt episcopatus Revaliensis, Curonensis, Oeselicensis et Tarbatensis seu Derptensis. Praeter hosce episcopatus septem archiepiscopis subjectos sunt adhuc alii in Germania aliis archiepiscopatibus vel etiam immediate Pontifici Romano subjecti, ut Warmiensis, Sambiensis, Pomesaniensis et Culmiensis in Borussia, Vratislaviensis in Silesia, Olomuntinus in Moravia, Viennensis et Neostadianus in Austria, Labacensis in Carniola, Tridentinus in provincia Athesina, Basiliensis, Sedunensis et Lausannensis in Helvetia etc. Hi omnes ante exortam evangelii lucem juramenti vinculis sedi Romanae fuere adstricti, ut populum in obedientia Romani Pontificis tanquam *oecumenici et universalis* perpetuo continerent et conservarent, unde factum, ut quoties aliquis adversus Pontificem justissimis etiam causis motus insurrexerit, reliquos statim armatos adesse et caput illud suum adversus omnem violentiam tueri ac defendere oportuerit, neque id immerito, *cum Dei et apostolicae sive Romanae sedis gratia* se episcopos vel archiepiscopos esse fuerint professi et quibusdam exceptis adhuc profiteantur.

CAPUT VI.

DE FINE ET EFFECTU MINISTERII AC MINISTRORUM.

248. Expositis tribus causarum generibus, *efficiente* scilicet *materia* et *forma* ministerii, restat, ut de *fine* ejusdem, et qui affinis illi est, *effectu* disseramus. Quemadmodum vero superius in ὀνοματολογίᾳ primum de appellationibus *ministerii* in abstracto, postmodum de appellationibus *ministrorum* in concreto egimus, ita quoque hoc loco docendi causa primo *de fine et effectu ministerii in abstracto*, postea *de fine et effectis ministrorum in concreto* tractabimus. Intelligimus autem per effecta ministrorum eorundem officia, quae licet certo respectu ad classem *adjunctorum* referri possint, tamen cum actionum nomine eadem rectissime exprimantur, cum propter eorum exsecutionem ministerium divinitus sit institutum et adhuc conservetur, cumque illi, qui partes hasce officii sui negligunt, sint ὁμωνύμως et aequivoce ecclesiae ministri, ἐργάται κακοί, ut apostolus eos vocat Philip. 3, v. 2. ideo ad finis et effectorum potius quam adjunctorum classem officia ministrorum referre voluimus.

SECTIO PRIOR.

DE FINE ET EFFECTU MINISTERII ECCLESIASTICI IN ABSTRACTO.

249. *Finis ministerii ecclesiastici* duplex est: *principalis*, qui est Dei gloria, et *intermedius*, qui est hominum conversio, reconciliatio cum Deo et salus aeterna. De hoc fine multa scripturae dicta agunt Marc. 16, v. 15. cum Christus apostolis suis dedisset mandatum de praedicando evangelio et administrando baptismo inter omnes gentes, subjungit, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, ostendens, finem minsterii esse, ut homines ad fidem perducantur ac per fidem salutis aeternae reddantur participes. De suo quoque in his terris ministerio sic loquitur Johan. 5, v. 34: *Haec dico, ut vos salvi fiatis.* Joh. 8, v. 49: *Ego honorifico patrem.* v. 51: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Joh. 10, v. 9: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.* v. 11. *Ego veni, ut oves vitam habeant.* Joh. 17, v. 4: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam*; v. 6. *manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo;* quae omnia testantur, Christo in suo ministerio unice propositam fuisse Patris coelestis gloriam et hominum salutem. De ministerio apostoli Pauli sic loquitur Christus Act. 9, v. 15:

Hic est vas electionis mihi, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israël. Act. 26, v. 16: *Constituam te ministrum et testem eorum, quae vidisti;* v. 17. *mittens te ad gentes,* v. 18. *ad aperiendum oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem ac de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et partem inter sanctos per fidem, quae in me est.* Apostolus ipse de eo sic loquitur 1. Cor. 3, v. 5: *Quid est Apollo? quid Paulus? ministri, per quos credidistis sive ad fidem adducti estis.* 2. Cor. 2, v. 14: *Deus odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco.* Eph. 3, v. 8: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, illuminare omnes, quae sit communio mysterii absconditi a seculis.* De ministerio Petri dicitur ad Cornelium Act. 11, v. 14: *Petrus loquetur tibi verba, per quae salveris, tu et universa domus tua.* De ministerio Timothei 1. Tim. 4, v. 16. sic scribit: *Attende tibi ipsi et doctrinae, insta in illis, hoc enim faciens te ipsum salvabis et eos qui audiunt.* In genere vero de fine ecclesiastici ministerii pulcherrime disserit apostolus Eph. 4, v. 11: *Christus dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios evangelistas, alios autem pastores et doctores,* v. 12. *πρὸς τὸν καταρτισμὸν sanctorum in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi* (mystici), v. 13. *donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram plenae aetatis Christi.* 1. Cor. 1, v. 21: *Placuit Deo per stultam praedicationem evangelii salvos facere credentes.* c. 15, v. 1: *Notum vobis facio evangelium, quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini.*
I. 68. 2. Cor. 5, v. 20: *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo,* unde etiam vocatur *ministerium reconciliationis* v. 18. *ministerium Spiritus* 2. Cor. 3, v. 8. *ministerium justitiae in gloria* v. 9.

250. Inde Augustana confessio art. 5. recte statuit, *ut fidem* (in Christum) *consequamur, institutum esse ministerium docendi evangelii et porrigendi sacramenta. Nam per verbum et sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus S. qui fidem efficit, ubi et quando visum est Deo, in iis qui audiunt evangelium* etc. *Damnant Anabaptistas et alios, qui sentiunt Spiritum s. contingere sine verbo externo hominibus per ipsorum praeparationes et opera.* Opposita est haec antithesis non solum veteribus haereticis, puta *Manichaeis* (qui fingebant, hominem purgari per certa ciborum genera, quibus admixta sit divina substantia et per certa quaedam exercitia) ac *Enthusiastis sive Messalianis* (de quibus Tripart. lib. 7. c. 11. Nicephorus lib. 11, c. 14. memorant, quod cujusdam daemonis operationem exspectantes, hanc Spiritus sancti praesentiam arbitrati fuerint, hoc est quod raptus divinos exspectaverint et somniorum suorum phantasias appellaverint prophetias); sed etiam *novis Enthu-*
69. *siastis, Anabaptistis et Svencfeldianis* (qui externum verbi et sacramentorum ministerium negant fidei et salutis conferendae esse medium, contra vero ad verbum internum et afflatus Spiritus sancti interiores homines remittunt; quam opinionem novi fanatici Ezechielis Methi asseclae itidem complectebantur). ** *Thom. Muncerus ann. 1523. Scripturam externumque verbum negavit esse verum Dei verbum, sed esse solum testimonium veri verbi, hoc autem internum et coeleste esse et immediate ex ipso Deo prodire et hoc interius docere oportere, non autem Scripturis et concionibus.* Bullingerus adv. Anabapt. lib. 1. c. 1. Svencfeld. de verb. Dei p. 24. scribit, *Deum non agere nobiscum per Scripturam.* p. 12. de Sacra scriptura: *Scriptura est humana vox, sonitus, strepitus et mortua litera.* Argumenta Svencfeldii epist. 90. tom. 1. p. 765 haec sunt: 1. alias oporteret, ut omnes, qui verbum illud audiunt, converterentur, quod tamen nec per verbum, quod Christus praedicavit, factum fuit; 2. gloriam suam Deus nulli dare vult, ergo nec verbo; 3. solus Deus est, qui dat incrementum, 1. Cor. 3. 4. litera occidit, Spiritus vivificat, 2. Cor. 3. 5. non verbum externum, sed internum, quod definit esse Christum, in Spiritu s. est mediator inter Deum et homines. 6. Spiritus majestas non fert, ut verbo subjaceat; 7. sicut puer mortuus non evigilabat, cum Gechazus Elisaei scipionem faciei ejus imponeret, sed ipsum prophetam puero oportebat incumbere, sic solus Christus nos vivificat; 8. omnia agit unus et idem Spiritus distribuens singulis sicut vult, 1. Cor. 12. 9. ipse Paulus verbum suum a verbo Dei discernit, 1. Thess. 2. 10. Paulus non ministerio suo, sed gratiae Dei omnia accepta fert 1. Cor. 15, v. 10. 11. Christus ait Joh. 6, v. 45: Quisquis audit a Patre meo et didicit, venit ad me. Ergo verbo praedicato non adhaerendum. 12. 1. Cor. 2. dicitur, ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei. Ergo non ad hominum ministerium, sed ad solius Dei potentiam respiciendum; 13. scriptura proprie loquendo non est Dei naturale verbum, nec omne quod docetur et praedicatur est Dei verbum, etiamsi ex Scriptura desumatur, sed hoc est solum Dei verbum, quod Deus in homine loquitur, quodque se ipsum docet, praedicat, ad salutem se manifestat, potenter se exserit, in cor fidele se insinuat, inque eo operatur, habitat et vivit; 14. erunt omnes docti a Deo, Esa. 54. Joh. 6. 15. unctio docet vos omnia, 1. Joh. 2. Confer Svencfeld. ep. 65. ad Burch. Schilligium et Weigelium in dial. de Christianismo p. 56. et 57.** Verba ipsius in tom. cent. epist. ep. p. 90. sive tom. 1. p. 765. sunt: *Verbum externum est vox humana, sonus, litera vel concio, in qua nulla virtus divina est inclusa, nec ad eam alligata, non tantum quando Petrus et Paulus conciones habebant, multo minus nunc, sed etiam in Christo ipso verbi externi praedicatio instituta est a Deo propter externum hominem, ut illi quoque Dei actiones innotescant.* Ibid. distinguit *inter verbum externum et internum.* De interno dicit, quod sit *Spiritus e coelo veniens, afferens secum*

virtutem et replens corda fidelia; de externo dicit, *quod sit sonus, vox, litera e terra veniens, deducens ad primum, quodque nihil amplius possit, quam ut externi hominis memoriam et aures repleat et aeternum vivumque verbum Dei Jesum Christum notum faciat. Oportet* (inquit) *ut Deus absque externis mediis per Christum animam tangat,* ex quô concludit, *externum verbum non dare salutem, nec ullam divinam virtutem etiam apud ministros Spiritus assignari vel tribui posse, quin imo idolum ex suis concionibus facere eos, qui dicunt, eas homines salvos facere, esse virtutem Dei ad salutem omni credenti, initium conversionis et salutis nostrae non fieri per externum verbum et sacramenta tanquam instrumenta et media; denique tres crassos errores esse eorum, qui dicunt, verbum praedicatum a se esse vivificum Dei verbum, esse potentiam Dei ad salutem et Deum interne in anima per media externa operari ac sine verbo illo externo salutem nos consequi non posse.* Haec ibi Suencfeldius subjungens, *verbum externum duntaxat de verbo interno, quod est Christus testari, monere, excitare, non autem per illud tanquam per medium dari remissionem*
XIII. 70. *peccatorum, cum id soli verbo interno, quod est Christus, competat.* Idem: *Scriptura prophetica et apostolica est externum et corporale Dei verbum, non autem verbum Dei vivificum, quo animae pascuntur et de quo Christus inquit, Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* etc. *Salus et remissio peccatorum non est quaerenda in Scriptura et signo, sed sursum corda apud dominum Deum. Sic discerno inter servum et Dominum, inter interiorem Dei operationem et externum ministerium, inter id quod cor intrat et quod ad externos sensus hominis pertinet* etc. *Salutaris Dei cognitio et fides ipsius Jesu Christi non est ex Scriptura, sed ex ipso Deo, Christus in V. et N. T. est manifestatus non per Scripturam, sed per Spiritum Dei.* Similia occurunt apud Weigelium novum Suencfeldii asseclam in l. 1. γνῶθι σεαυτόν c. 11: Man muß zugeben, daß die göttliche Erkenntniß im heil. Glauben nicht herkomme vom Buchſtaben, das iſt vom Gegenwurf als von der Bibel, ſondern vom Auge ſelbſt, das iſt aus dem geiſtlichen erleuchteten Auge des Menſchen. *p. 54*: Viele meinenen, die äußerliche Predigt trage von außen zu hinein den heil. Geiſt, ſolches iſt ein Irrſal, wie will das Auswendige wirken auf das Inwendige? in dial. de Christian. p. 13: Fürwahr das äußere Mittel machet noch wirket nicht das innere, der Schatten machet nicht das Weſen, der Buchſtabe wirket nicht den Geiſt, ꝛc. Suencfeldio affines sunt Libertini, de quibus Calvinus in instruct. adv. Libert. c. 9: *Jam diximus* (inquit), *istos initio aperte ridere solitos fuisse, si quis Scripturas allegaret, nec dissimulasse, quin eas pro fabulis haberent; interim tamen non desinebant iis uti, si quis esset locus, quem in sensum suum torquere possent, non quod eis adhiberent fidem, sed tantum ut perturbarent idiotas atque ita concuterent, ut tandem eos ad se possent facilius adducere. Si quis locus ipsis objiceretur, respondebant, nos literae minime obnoxios esse, sed Spiritum, qui vivificat, sequi oportere. Quin etiam porcus ille Quintinus* (qui una cum Coppino fuit primus hujus sectae auctor) *unumquemque apostolorum aliquo scommate notaverat, veluti Picardico suo sermone Paulum vocans vas fractum, Johannem juvenem stolidulum, Petrum abnegatorem Dei, Matthaeum foeneratorem.*

251. Ad hanc Suencfeldii opinionem ex parte Cal- nia- eid. asse-
accedunt quidam *Calviniani et Pontificii.* Quamvis enim Calvinus et ipsius asseclae quandoque de ministerio verbi et sacramentorum satis honorifice loqui videantur, tamen plurima apud illos occurrunt, praesertim in disputatione de absoluto reprobationis decreto, quae Suencfeldianismo admodum sunt affinia. Andreas Carolstadius sacramentarii certaminis seculo proximo primus auctor scripsit libellos hisce titulis insignitos, Von der Offenbarung Gottes, wie die geſchehe in unſerer Inwendigkeit, von dem geheimen Willen Gottes, von der Gelaſſenheit, daß man nichts wiſſen dürfe um den Buchſtaben, ſondern eingehen in die Macht des Herrn. Ejusdem generis erat doctrina de gradibus, quibus ad Dei cognitionem perveniri possit, ab asseclis Carolstadii tradita et a Carolstadio non obscure comprobata, docebant enim, nos in cognitionem Dei intromitti primo durch die Entgröbung, secundo durch die Studirung, tertio durch die Verwunderung, qua scilicet *homo dubitet, sintne vera, quae ex verbo Dei proponuntur, ideoque a Deo hujusce rei sensibilem patefactionem petere debeat,* ubi impostores illi hominibus suum proponebant exemplum, quo consueverunt in coelum exspuere et hoc modo orare: *Pater immitte in cor meum exporrectum desiderium tuae justitiae, sin minus, ego te tuosque apostolos abnegabo.* Quartum gradum vocarunt die lange Weile. Quintum vocarunt *adspersionem, quando homo viva Dei voce edoctus corde suo certum concipiat de rebus ad salutem pertinentibus judicium atque ita possessor in interiora hominis veniat.* Docebat etiam Carolstadius, studium linguarum nihil conferre ad hauriendam ex Scripturis agnitionem Dei, *sed oportere eos, qui ministerio funguntur,* XIII.
esse a Deo doctos per vivam ipsius vocem ac revelationem, unde etiam glossam suam verbis coenae illatam, *hoc est corpus meum, hoc est hic ad mensam sedet corpus meum,* se didicisse professus *a viro quodam, qui in visione sibi apparuerit,* quem fuisse Patrem coelestem existimavit. Et quid multis? fatetur ipse Carolstadius in epistola quadam ad Krautwaldium et Svencfeldium exarata Kembergae d. 17. Maii an. 1528. quod *Svencfeldii fuerit socius.* Exstat autem haec epistola tom. 4. oper. Luth. Jen. Germ. f. 375. Cinglius in confess. ad Carolum: *Spiritus non indiget auriga vel vehiculo.* Idem in exegesi part. 2. oper. p. 347: *Nos putamus, fidem ex verbis hauriri non posse, sed fide magistra, quae proponuntur intelligi.* in resp. ad serm. Luth.: *Fides nequaquam ex verbis desumi potest seu addisci, sed doctor hujus Deus est.* In sub-

sidio dicit, se veram verborum coenae interpretationem didicisse *a monitore nocturno, de quo ater an albus fuerit, nesciat.* lib. cont. Strassium: *Res externae internum hominem aliqua in re juvare vel fidem augere non possunt.* Oecolampadius in lib. de verb. Dom. *Hoc est corpus meum*, an. 1525. edit. lit. H VI. et VII. scribit, *Christum non esse in verbo praedicato, nec in Bibliis lectis adesse.* Idem an. 1527. praefatiuncula quadam ornavit libellum Svencfeldii *de cursu verbi Dei*, in qua ipsum *eruditum juxta ac pium vocat atque optat, ut ejus mansuetudinem doctores sibi male conscii magis imitentur, quam doctrinam* (Svencfeldii) *vere solidam arrodant.* ** Cinglius et Oecolampadius in disp. Bernensi docent, *externo Dei verbo nihil tribuendum esse, sed intellectum ejus in hominis corde latere et ibi potius internum occultari verbum.* ** Calvinus lib. 4. instit. c. 14. §. 17: *Quanquam Deum ipsum praesentissima Spiritus sui virtute suae institutioni adesse non inficiemur, ne infructuosa sit et inanis, quam ordinavit, sacramentorum administratio, interiorem tamen Spiritus gratiam, ut ab externo ministerio distincta est, seorsum reputandam et cogitandam asserimus.* Et postea: *Hic quoque notandum est, quod externa actione figurat ac testatur minister, Deum intus peragere, ne ad hominem mortalem trahatur, quod Deus sibi uni vendicat.* (At quomodo hoc convenit cum dicto apostolico 1. Tim. 4, v. 16: *Hoc faciens te ipsum salvabis et eos, qui te audiunt?* Si Spiritus sancti gratia ab externo ministerio ita distinguenda est, ut seorsim reputetur ac cogitetur, verbum et sacramenta non amplius erunt organa et media, per quae Spiritus s. operatur conversionem ac salutem.) Idem lib. 4. instit. c. 16. §. 19: *In multorum vocatione Deus usus est interiore modo, quos, Spiritus sancti illuminatione nulla intercedente, praedicatione vera sui cognitione donavit.* (De extraordinariis casibus in infantibus Christianorum ante susceptum baptismum demortuis hoc concedimus, interim ordinarie et regulariter conversio et illuminatio non fit nisi per verbum ac sacramenta.) Beza part. 1. resp. ad colloq. Momp. p. 31. disput, *Deum non remittere peccata vere et efficaciter per homines, sed ex se et per se, id est immediate.* part. 2. resp. p. 115: *Quod sermo audientes afficit, non arguit, vim ullam aliam ipsis, quae audiuntur, vocibus inesse, quam res illas significandi, de quibus dicuntur.* Ibid. vocat *dogma ex foetidis Scholasticorum lacunis haustum, quando causativa vis gratiae conferendae principalis quidem Deo, instrumentalis autem sacramentis tribuitur.* p. 116: *Administri verbi suas habent actiones distinctas proprias nec ullo modo cum Spiritus sancti actione commiscendas, externas videlicet.* Et postea: *In regeneratione hominis, propter quam dicit apostolus non esse Dei opus, valde fallitur et in Deum ipsum injurius est, quisquis aut hominibus, per quorum os loquitur, vel ipsi externo Dei verbo, vel sacramentalibus signis Deum existimat vel tantillum divinae illius suae virtutis hominibus renovandis et aeterna vita in Christo servandis attribuere.* p. 117: *Non aliter intelligenda sunt patrum dicta ministerium evangelii commendantium a benedictione, quae Dei unius in solidum propria est, non autem aliquid divini suae plantationi et rigationi vel aedificationi vel verbis suis* XIII. 72.
vel sacramentis ipsis ultra significationis usum attribuentium. ** Bucerus in Joh. p. 138: *Libenter fatemur, Deum communi lege verbum externum adhibere ad docendum suos, sed quod propterea medium et instrumentum sit, quo detur Spiritus s. et alia Dei dona ex nullis sacrae Scripturae locis probari potest.* pag. 139: *Nemo unquam orthodoxorum hunc Spiritum s. vel communi, vel privata lege sic verbo addixit, ut medium illud et instrumentum faceret, quo ille sanctis daretur. Sophistarum est ista de instrumentis et mediis Spiritus et gratiae Dei philosophia, non Christianorum.* p. 140: Nos *Thomistas appellat, quod doceamus, verbum et sacramenta esse instrumenta gratiae et Spiritus Dei, sine quibus interna Dei dona nemini contingant.* p. 190. scribit, *errorem manifestum esse et auribus Christianorum intolerabilem, dicere, Spiritum s. et fidem dari a Deo per ministerium verbi et sacramentorum.* ** Idem in praefat. epist. ad Ephes. *eximiam revelationem tribuit* Svencfeldio. Grynaeus in praefat. theorem. theolog. ad Joach. a Berga. *Asseveranter* (inquit) *affirmo, esse inscitiam indignam Christi servis, nescire quod per evangelium et sacramenta nos ita erudiat Dominus, ut non per evangelium et sacramenta nos salvari credamus, sed per unum Jesum Christum* (quae est turpissima oppositio causae efficientis meritoriae et instrumentalis). Ac paulo post: *Evangelio, baptismo, eucharistiae, fidei tribuitur remissio peccatorum, prout fert vocabulum πρὸς ἕν, ratio quae ita comparata est, ut instrumentis honestandi eadem gratia tribuantur effecta, quae alioquin propria sunt causae efficientis.* In disp. Heidelb. anno 1584. th. 6. aphor. 4: *Ministerio externo ejus cohonestandi ergo phrasi sacramentali effectum ministerii interni tribuitur.* Paraeus in exeg. germ. p. 81. *internam vim et efficaciam, qua sanctificamur,* negat *esse ministrorum, nec in ipsorum externo verbo et actionibus* (sacramentorum scilicet administratione) *inclusam, sed esse Spiritus sancti.* p. 82: negat, *ministros cum externis interna dona exhibere.* Goclenius lib. 1. problem. logic. probl. 24: *Verbum Dei non est efficax conversionis causa, qua dicitur, et est sonus evanescens, sed qua accipitur et consideratur.* Vide Svencfeldio-Calvinianismum a D. Heilbrunn. Lavingae anno 1597. editum. Utamur etiam hoc argumento: Quicunque statuunt, fidelium parentum liberos nasci sanctos, esse baptismum duplicem, externum et internum, ex absoluto decreto reprobationis vocationem apud maximam hominum partem esse inefficacem, ac gentilibus sanioribus salutem asscribunt, illi coguntur negare, ministerium verbi et sacramentorum esse ordinarium conversionis et salutis organum. Sed Calviniani haec omnia statuunt, ut alibi

ostensum fuit. Ergo. Connexio majoris est manifesta. 1. Si enim fidelium liberi ab utero matris sunt sancti, utique *absque ministerio verbi et sacramentorum Spiritus s. in illis immediate accendit fidem*, ut diserte scribit Sohnius in exeg. p. 792. 2. Si duplex statuitur baptismus, externus et internus, atque ita quidem, ut externus baptismus contingat illis, quibus in adulta aetate demum internus datur, utique administratio baptismi non erit efficax organum, sed duntaxat signum significans, quid Spiritus s. interius vel illo tempore operetur, vel postmodum sit operaturus. 3. Si ex absoluto decreto reprobationis fit, ut vocatio per verbum apud multos sit inefficax, utique verbum non erit efficax salutis organum, sed duntaxat signum, quid Deus operari velit in illis, qui absoluto decreto sunt electi, et sic per verbum fieri conversionem hunc habebit sensum, Spiritum sanctum una cum externa verbi praedicatione quandoque operari. 4. Si gentilibus sanioribus asscribitur salus, qui tamen ministerio verbi et sacramentorum fuere destituti, utique eo ipso negatur, quod verbum et sacramenta sint ordinarium conversionis ac salutis organum.

Ut et quidam Pontificii. 252. Sed nec Pontificii a Svencfeldianismo penitus immunes sunt. Bellarminus quidem lib. 1. de verbo Dei c. 1. *impudentissimum vocat mendacium,*
XIII. 73. *quod Svencfeldii et Libertinorum error pontifici Romano competat*, verum expendi jubemus sequentia fundamenta. 1. Andr. Fabricius in Harmonia Augustanae confessionis diserte scribit, *Spiritum s. etiam dari sine externo verbo*, *nempe per verbum internum, quod illo non est infirmius.* Idem repetit Joh. Hoffmeisterus p. 55. ubi ex Scholasticis dicit, *gratiam non esse alligatam sacramentis* (At distinguendus est casus necessitatis extraordinarius ab ordinario in negotio salutis agendi modo, neque enim ille huic opponendus.) Tostatus q. 25. in c. 21. Matth. negat, *virtutem aliquam realiter fuisse in verbis Christi ad discipulos: Dominus his opus habet* (de physica virtute id concedimus, manet interim, quod divina virtus per illa verba se exseruerit). 2. Qui Spiritus sancti sensum a Scripturae verbis separant, illi hactenus et hoc respectu Svencfeldianismum propugnant. Sed Pontificii Spiritus sancti sensum a verbis Scripturae separant. Ergo. Assumtum in tract. de interp. Script. demonstratum fuit. Ut enim Svencfeldius ad spiritum privatum homines remittit, per quem Scripturae sint intelligendae, ita Pontificii in ecclesia et apud ecclesiam, hoc est, ut ultima analysis docet, in pontifice et apud pontificem, illum Scripturae ἀνυπεύθυνον interpretem, Spiritum sanctum quaerendum esse statuunt, contra vero negant, *Scripturam dicere posse*, *quis sit verus suus sensus*, hoc est negant, ex ipsa Scriptura verum Scripturae sensum et genuinam Spiritus sancti sententiam addisci posse. Becanus in lib. de jud. controv. p. 78. §. 51: *Aliud est verba Scripturae esse clara*, *aliud sensum scripturae esse clarum. Nam claritas verborum pendet ex cognitione grammatices*, *claritas autem sensus ex intentione et consilio Spiritus sancti;* ubi re ipsa negat, ex verbis Scripturae sensum Spiritus sancti colligi posse vel debere. 3. Qui Scripturam vocant *literam mortuam*, illi hactenus et hoc respectu sunt Svencfeldiani. Sed Pontificii scripturam vocant literam mortuam per spiritum ecclesiae animandam et recte explicandam. Ergo. Assumtum probant illa emblemata, quibus Scripturam passim ornant. Cusanus epist. 2: *Ecclesia non potest ad literam Scripturae obligari, licet semper ad Spiritum. Intellectus, qui cum ecclesiae praxi concurrit, est Spiritus vivificans.* Piggius lib. 1. eccles. hierarch. c. 2: *Scripturae sunt velut plumbea Lesbiae aedificationis regula, quae ad sensum, quem quis ante secum praesumserit, accommodari se facile patiantur.* Andradius in def. Trit. fid. negat, *quidquam inesse divinitatis in illis libris*, *quibus sacra mysteria consignata sunt.* Costerus in enchir. p. 43: *Christus ecclesiam suam nec a chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit, sed cum spiritualem constitueret ecclesiam suo Spiritu sancto informatam, usus est sublimiore charactere scribens digito Dei in corde ecclesiae.* pag. 45: *Scripturae sunt litera mortua scripta atramento in membrana vel charta.* **Eadem erat vox Svencfeldii pag. 12. de Script.: *Scriptura est vox humana*, *sonitus*, *strepitus et mortua litera.* Excipit Gordonus in epit. controv. 1. c. 3: *Haec omnia a Pontificiis asseri de sola, nuda et mortua litera, quae vero sensu caret, non vero de ipsa literae vita et anima seu vero sensu.* Respondemus: Quaerimus, quid per *literam*, quid per *literae animam* intelligant. Per illam scriptum Dei verbum, prout est in codice biblico atramento exaratum; per hanc sensum ab ecclesia suopte spiritu et proprio ausu illatum intelligunt. Quid inde consequitur aliud, quam ipsum adhuc Dei verbum scriptum sine pontificis interpretatione consideratum esse literam mortuam, quae demum animam et quasi vitam accipiat a pontifice? Ex Fausti Socini tract. de ecclesia in explic. loci Matth. 16, v. 19. p. 72. et seqq. apparet, neque ipsos Photinianos sincere credere, quod ministri ecclesiae revera et efficaciter (tametsi organice) poenitentibus hominibus peccata remittant, sed eos sentire, quod tantum significative et declarative id faciant.** 4. Qui Scripturae lectione laicis interdicunt, illi in Scripturas sacras si non magis, tamen aeque injurii sunt ac Svencfeldiani, qui lectionem Scripturae concedunt, sed negant, ex illarum lectione vel meditatione fidem accendi. Atqui Pontificii a lectione Scripturarum laicos arcent. Ergo. Quod vero Bellarminus *oblique* lib. 3. de verbo Dei c. 3. §. At haeretici: Gretserus lib. 1. defens. de Script. c. 2. XI
directe Svencfeldianismum nobis tribuit ac *Spiritum Svencfeldianum et Lutheranum eundem esse* scribit, ejus accusationis falsitas in tract. de interpr. Scripturae fuit detecta.

Hy th co Sv fel eri 253. Ceterum ut status quaestionis inter nos ac Svencfeldianos eorumque asseclas sit illustrior, notandae sunt sequentes hypotheses. 1. Verbum Dei

scriptum sive Scriptura sacra hic a nobis accipitur non tam *formaliter*, prout literarum apicibus describitur vel voce articulata ministri profertur, quam *materialiter*, prout consilium et voluntatem Dei nobis proponit, hoc est non tam *ratione signorum*, quae sunt voces scriptae vel prolatae, quam *ratione signati*, quod est sententia illis vocibus scriptis vel prolatis significata. 2. Per verbum a nobis hoc loco intelligitur non λόγος ὑποστατικός, qui est Christus Joh. 1, v. 1. Apoc. 19, v. 13. sed λόγος προφορικός, verbum Dei vel ab ipso Deo immediate, vel per Christum, prophetas et apostolos prolatum et in Scripturas ab illis redactum. 3. Distinguendum est *inter causam principalem et instrumentalem*. Ministerium verbi et sacramentorum nequaquam statuimus causam conversionis ac salutis principalem, hic enim honor soli Deo competit, sed instrumentalem, ut ipsum ministerii nomen arguit. Nec tamen opponenda est causa principalis causae instrumentali, cum effectus de utraque *aeque*, licet non *aequaliter* praedicetur. 4. Distinguendum inter *instrumenta ex necessitate et ex libera voluntate adhibita*. Architectus domum exstructurus adhibet artis suae instrumenta ex necessitate, quia sine illis non potest producere opus. Sed tale instrumentum conversionis et salutis non est verbum, Deus enim etiam absque verbo posset hominem convertere, sed ex libera voluntate hunc ordinem instituit, quod ordinarie non nisi per verbum et sacramenta conversionem et salutem in hominibus operari velit. 1. Cor. 1, v. 21: *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*. 5. Verbum Dei nequaquam statuimus eo modo esse causam instrumentalem conversionis ac salutis, quasi vis *aliqua naturalis* ad hunc effectum producendum *subjective* inhaerens illi insit, sed quia *Deo placuit*, ad divinum illum effectum conversionis ac salutis hominum verbum externum tanquam causam instrumentaliter agentem evehere, nec immediate, sed mediate in negotio salutis cum hominibus agere. Quidquid igitur verbo externo hac in parte tribuitur, illud omne ac totum a divina ordinatione dependet. 6. Quemadmodum alias effectus praedicatur de instrumento non quocunque modo se habente, sed quatenus illud *in usu* consistit, ita quoque conversio et salus hominum praedicatur de verbo Dei non quatenus in charta continetur, vel voce recitatur extra suum proprium et legitimum usum divinitus institutum, sed quatenus annuntiatur, praedicatur, legitur, mediatione expenditur, hoc est quatenus est in proprio, legitimo et ordinario suo officio ac usu, in quem divinitus est institutum, quo pertinet comparatio D. Brentii allegata in tract. de evang. §. 47. 7. Usus ille tam in lectione quam in auditu verbi consistit, idem enim est ac manet verbum Dei sive legatur, sive praedicetur et audiatur, proinde salutares illi effectus, quos praedicationi verbi Scriptura tribuit, etiam lectioni et meditationi ejusdem tribuendi sunt, quemadmodum amicum audit et verbis ejus afficitur, non solum qui praesentem eum audit, sed etiam qui literas ejus legit. 8. Aliud est *distinguere*, aliud *separare* ac divellere. Scriptura et nos cum ea media salutis externa ab interna Dei virtute et operatione distinguimus, ita ut aliud sit praedicatio et auditus verbi, aliud interior conversio; in baptismo aliud aquae affusio, aliud interna regeneratio etc. sed ex illa distinctione non est inferenda nefaria separatio ac divulsio, cum ex ipsa Dei ordinatione media salutis externa et interior illa Dei virtus et operatio sint conjuncta. Placuit enim Deo spiritualia et coelestia sua beneficia per media externa nobis conferre. 9. Quod verbi et sacramentorum ministerio
in Scripturis tribuitur, illud etiam ministris, verbi XIII. 75.
praeconibus et sacramentorum administris tribuitur, non ratione *personae*, sed ratione sui *ministerii*, quatenus scilicet verbum praedicant et sacramenta administrant. *Sic evangelium est potentia Dei ad salutem* Rom. 1, v. 16. et Timotheus praedicans evangelium *salvat se ipsum et eos, qui ipsum audiunt* 1. Tim. 4. 16. 10. Distinctae quaestiones sunt de *efficacia verbi divini in genere et de efficacia evangelii in specie*. Quando in genere quaeritur de verbo Dei et ejus efficacia, recte respondetur, quod non sit litera mortua, sed efficax instrumentum, per quod Deus efficaciter in hominibus operari velit et operetur. Quamvis enim lex non sit medium atque organum illud, per quod Deus vult accendere fidem in Christum, tamen et ipsa non est litera mortua, sed *occidens*, ut loquitur apostolus 2. Cor. 3, v. 6. *iram operans* Rom. 4, v. 15. sicque in suo genere non minus efficax quam evangelium. Quando vero in specie quaeritur de evangelio et ejus efficacia, recte respondetur, quod evangelium sit organum illud, per quod detur Spiritus s. fidem in cordibus accendens, regenerans ac renovans hominem ad vitam aeternam. 11. Distinguendi sunt effectus *verbi proprii ab accidentariis*. Sic proprius evangelii effectus est, quod afferat fidem, pacem conscientiae, reconciliationem cum Deo, donationem Spiritus sancti et vitam aeternam etc. accidentarius effectus est, quod afferat crucem suis confessoribus, quod mundum offendat, quod sit occasio excaecationis incredulis et impiis etc. Vid. tract. de evang. §. 45. et 46. Hoc loco potissimum de propriis verbi effectis agitur, ad quos salutari Dei consilio est ordinatum.

254. Hisce praemissis producimus argumentorum nostrorum aciem, quae in duas classes generales distingui possunt. Prior complectitur ea, quae de *efficacia verbi;* posterior ea, quae tum de *efficacia sacramentorum* in genere, tum in specie *de baptismi et eucharistiae efficacia* agunt. Posterioris classis argumenta produximus superius in tract. de sacramentis, de baptismo et de eucharistia, restat igitur, ut priorem duntaxat classem hoc loco ordinemus. Ac possent quidem illius classis argumenta eo modo ordinari, ut primo loco producerentur dicta Scripturae ea, quae *de efficacia verbi in genere;* secundo loco ea, quae *de efficacia legis et evangelii in specie* agunt, verum quia hic proprie non quaeritur, quae dicta de lege, quae de evangelio sint

accipienda, sed sufficit contra Svencfeldium demonstrare, verbum esse efficax organum, per quod Deus in negotio conversionis et salutis operetur, ideo alia ratione classem nostrorum argumentorum ordinabimus.

Argumenta contra Svencfeldium. 1. Ex Psalmis Davidicis.

255. Primam classem assignamus testimoniis Spiritus sancti *ex Psalmis* desumtis. Psalm, 19, v. 8: *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam praestans parvulis.* v. 9. *praecepta Domini recta laetificantia corda, praeceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Psalm. 119, v. 92: *Nisi lex tua fuisset consolatio mea, periissem in afflictione mea.* v. 105: *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis mei.* Ex hisce dictis sic concludimus: Quidquid convertit animas nostras, sapientiam praestat parvulis, laetificat cor, illuminat oculos, consolatur animas ac lumen praestat semitis nostris, illud effectuum istorum est vel principalis, vel instrumentalis causa. Sed verbum Dei convertit animas nostras, sapientiam praestat parvulis, laetificat cor, illuminat oculos, consolatur animas ac lumen praestat semitis nostris. Ergo effectuum illorum est vel principalis, vel instramentalis causa. Non principalis, quia hic honor soli Deo competit. Ergo instrumentalis. Majoris connexio est manifesta, quandocunque enim effectus de sua efficiente praedicatur, id fit vel principaliter vel instrumentaliter. Excipit Svencfeldius *1. In aliis Scripturae dictis Deo tribui hunc effectum, quod nos doceat et convertat* Psalm. 85, v. 9: *Audiam quid loquatur Dominus.* Psalm. 94, v. 12: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine et de lege tua docueris eum.* Psalm. 119, v. 33: *Doce me*
XIII. 76. *Domine viam justificationum tuarum.* Matth. 11, v. 27: *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Matth. 16, v. 17: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis.* Joh. 1, v. 18: *Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Respondemus: vitiosa est oppositio causae principalis et instrumentalis. Deo hi effectus tribuuntur ut causae principali, verbo ut causae instrumentali, omnes enim illos effectus operatur Deus ut causa princeps, verum non immediata, sed per verbum suum praedicatum, auditum, lectum etc. Quando igitur Svencfeldius sic argumentatur: Quidquid Deo tribuitur, id Scripturae tanquam creaturae tribui non debet; sed Deo tribuitur docere et erudire homines, loqui in cor eorum etc. ergo id Scripturae tanquam creaturae tribui non debet; tunc in majore confundit rem et rei modum, sic enim limitanda major. Quidquid Deo tribuitur, id Scripturae non debet tribui, scilicet eo modo, quo Deo tribuitur, nisi enim haec limitatio admittatur, neganda erunt expressa Scripturae testimonia, quae eosdem effectus alio scilicet praedicandi modo tribuunt verbo. *At*, inquis, *in dictis illis Scripturae est manifesta oppositio inter Deum et homines. Beatus homo, quem tu Domine erudieris, non qui ab homine docetur; nemo hominum novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare; caro et sanguis, hoc est homo, non revelavit tibi, sed Pater meus.* Respondemus: homines considerantur dupliciter, primo *ut per peccatum excoecati*, quatenus coecitatem ac tenebras secum in hunc mundum afferunt, natura ignari salutaris cognitionis Dei; secundo *ut a Spiritu s. illuminati*, quatenus per gratiam Spiritus s. luce verbi illuminati ad ministerium verbi adhibentur ac Dei συνεργοί in conversione et salute aliorum constituuntur. Oppositio illa Dei et hominum in revelatione et doctrina accipienda est respectu priori, non autem respectu posteriori. *2. Verbum non esse causam instrumentalem horum effectuum, sed duntaxat signum, quia scilicet exterius significet, quid Deus interius agere velit.* Respondemus: Spiritus s. nuspiam dicit, quod verbum duntaxat hoc exterius significet, quid Deus interius agat, sed quod vere et efficaciter per verbum tanquam salutare organum Deus agat et operetur, ut ex sequentibus apparebit. Aliud est Deum *per verbi praedicationem* operari conversionem, *aliud simul et una cum verbi praedicatione* conversionem operari; illud notat causam instrumentalem, hoc vero duntaxat signum, potest enim aliquid simul et una cum re quippiam fieri, cujus tamen res illa nequaquam est organum vel instrumentum. Jam vero Scriptura expresse testatur, Deum non solum una cum verbi praedicatione conversionem operari, sed etiam per verbi praedicationem, sicut de baptismo dicit, quod *per illum* utpote *lavacrum regenerationis ac renovationis* Deus nos salvos faciat Tit. 3, v. 5. Ergo praedicatum verbum est non solum externum signum, sed etiam efficax organum et instrumentum. Signum pertinet ad locum adjunctorum, instrumentum ad locum causarum. Plura contra hanc exceptionem adduximus in tract. de sacram. §. 55.

2. dic… ph…

256. Secundam classem assignamus *dictis propheticis.* Esai 55, v. 10: *Quomodo descendit imber et nix de coelo et illuc ultra non revertitur, nisi inebriaverit terram et foecundat eam et germinare eam facit et dat semen serenti et panem comedenti*; v. 11. *sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui et prosperabitur in his ad quae misi illud.* Jer. 23, v. 29: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis et quasi malleus conterens petram?* Ex quibus locis sic concludimus: Cuicunque tribuuntur efficaces actiones, illud est non litera mortua nec nudum signum. Verbo Dei praedicato tribuuntur efficaces actiones, videl. *non reverti vacuum sed efficere, quae Deus voluit, instar ignis corda hominum frigida calefacere et instar mallei corda hominum dura conterere.* Ergo verbum Dei praedicatum non est litera mortua nec nudum signum, sed efficax organum. Aut enim verbum Domini *ex se et ut causa principalis* efficax est ad tales effectus, ad convertendos scilicet et renovandos homines, aut *ex virtute Dei et ut causa instrumentalis.* Ex se quantum ad literas et sonum non habet tantam efficaciam, neque etiam ut causa prin- XI

ceps eam exserit, ergo habet eam ex virtute Dei, qui per verbum ex ore suo egressum tanquam per salutare organum in cordibus audientium ac meditantium efficax est ac fidem et novos motus legi congruentes in illis accendit. Excipiunt *1. de verbo prophetiae, non autem de verbo doctrinae apud Esaiam esse sermonem, hoc sensu, quod prophetiam sequatur complementum.* Respondemus: verbum doctrinae aeque est Dei verbum ut verbum prophetiae, neutrum igitur sua efficacia destituitur. In modo efficaciae fatemur esse differentiam; nam verbum simplicis prophetiae effectum et complementum suum sortitur frustra renitentibus ac repugnantibus hominibus, sed verbum doctrinae non affert simplicem et absolutam sive irresistibilem (ut vocant) conversionis necessitatem, verum si audiatur, nec proterve Spiritus s. per verbum operationi resistatur. Nunquam tamen *verbum doctrinae* plane omni effectu destituitur. Quibus enim non est *odor vitae in vitam*, illis est *odor mortis in mortem* 2. Cor. 2, v. 15. Ergo si vel maxime in specie de verbo prophetiae apud Esaiam esset sermo, nihilo tamen minus efficaciam verbi illius, quod est conversionis medium, probaret. Sed circumstantiae textus ostendunt, in genere de verbi sui efficacia Deum loqui, in antecedentibus enim agitur de vocatione gentium ad regnum Christi per verbum evangelii; protasis etiam comparationis ostendit, de illo verbo proprie esse sermonem, quod instar foecundae pluviae terram germinare et fructificare facientis animas hominum irrigat et ad bonum fertiles reddit. *2. Apud Jeremiam intelligi verbum essentiale.* Respondemus: imo vero in versu proxime antecedente diserte loquitur Dominus de verbo praedicato, quod a pseudoprophetarum somniis distinguit. v. 28: *Propheta qui habet somnium, narret somnium, et qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* Quod dicit, hominum doctrinae sunt leves et inanes, nullum praebentes fructum, nullum spiritualem succum, sed verbum meum est instar tritici, imo instar ignis et mallei, postea additur v. 30: *Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea*, hoc est qui auditores suos celant verba mea et sua duntaxat figmenta proponunt, quae omnia de verbo praedicato ibi sermonem esse evidenter ostendunt.

1. Ex dictis Salvatoris.

257. Tertiam classem argumentorum petimus *ex dictis Christi.* Matth. 13, v. 23. Marc. 4, v. 20. Luc. 8, v. 15: *Semen est verbum Dei; quod in bonam terram cadit, hi sunt, qui in corde honesto ac bono audientes verbum retinent et afferunt fructum in patientia.* Joh. 5, v. 39: *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini in illis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae de me testificantur.* Joh. 6, v. 63: *Verba quae locutus sum vobis, sunt Spiritus et vita.* v. 68: *Verba vitae aeternae habes.* Joh. 8, v. 31: *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* v. 51: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.* Joh. 17, v. 20: *Non pro illis tantum rogo, sed etiam pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum* (apostolorum) *in me.* Ex quibus sic concludimus: Quod est semen fructificans ac verbum vitae, per quod reddimur credentes ac discipuli Christi, quod conservat nos a morte aeterna et in quo est vita aeterna, illud non est litera mortua, sed efficax organum conversionis ac salutis. Sed verbum Dei est semen fructificans, verbum vitae, per quod reddimur credentes ac discipuli Christi, quodque conservat nos a morte aeterna et in quo est vita aeterna. Ergo non est litera mortua, sed efficax organum conversionis ac salutis. Repetit Svencfeldius suam exceptionem, *de verbo Dei essentiali haec esse accipienda.* Respondemus: circumstantiae textus ostendunt contrarium. Christus enim, qui est essentiale Dei verbum, confert se ipsum seminatori, Matth. 13, v. 37. XIII. 78. jam vero semen est distinctum a seminatore. Ergo etiam verbum Dei, quod per semen intelligitur, est distinctum a Christo. Talia quoque tribuuntur semini, quae non competunt verbo Dei essentiali, dicitur enim *cadere secus viam et ab avibus coeli devorari; cadere inter spinas et ab illis suffocari.* In Johanne itidem Christus se ipsum ut verbum Dei essentiale a verbo praedicato distinguit ac notanter addit, sibi sermonem esse de illó verbo, quod locutus est et quod apostoli sint in mundo praedicaturi.

2. Ex dictis apostolicis.

258. Quartam classem argumentorum petimus *ex dictis apostolicis* Rom. 1, v. 16: *Non me pudet evangelii, est enim potentia Dei ad salutem omni credenti.* Rom. 10, v. 17: *Fides est ex auditu, auditus autem per Dei verbum.* Rom. 15, v. 4: *Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem haberemus.* 1. Cor. 1, v. 21: *Postquam mundus per suam sapientiam Deum non cognovit, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Eph. 1, v. 13: *Cum audissetis verbum veritatis, evangelium salutis.* Col. 1, v. 6: *Verbum veritatis evangelii in universo mundo est et fructificat et crescit.* 2. Tim. 3, v. 15: *Sacrae literae possunt te σοφίσαι, sapientem reddere, ad salutem*, v. 16. *omnis enim Scriptura divinitus inspirata et utilis est ad docendum ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia.* Hebr. 4, v. 12: *Vivus sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens usque ad divisionem animae simul ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, ac dijudicans cogitationes et conceptus cordis.* Jac. 1, v. 18: *Genuit nos voluntarie verbo veritatis, ut simus primitiae creaturarum ejus;* v. 21. *suscipite verbum ἔμφυτον, quod potest salvare animas vestras.* 1. Petr. 1, v. 23: *Renati sumus non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili per verbum Dei viventis.* Ex illis sic concludimus: Per quod Deus in hominibus accendit fidem, illos regenerat, consolatur et salvat, quod est utile ad docendum, arguendum, corrigendum et erudiendum, quod est vivum et efficax, gladio ancipiti penetrantius etc. illud non est litera mortua, sed efficax

organum conversionis et salutis. Sed per verbum suum Deus in hominibus accendit fidem, eos regenerat, consolatur et salvat, ac verbum illud Dei est utile ad docendum, arguendum, corrigendum et erudiendum estque vivum et efficax, gladio ancipiti penetrantius. Ergo verbum Dei non est litera mortua, sed efficax organum conversionis ac salutis. Hisce addimus dicta, quae proprie et specifice de efficacia legis loquuntur. Rom. 4, v. 15: *Lex iram operatur.* 2. Cor. 3, v. 6: *Lex est litera occidens.* Quodcunque operatur iram Dei et occidit, non est litera mortua, quomodo enim id quod ἄεργον et mortuum est, operaretur et occideret? Sed lex operatur iram et occidit. Ergo lex non est litera mortua.

Exceptiones 1. ad Rom. 1, v. 16. Excipit Svencfeldius 1. Rom. 1, v. 16. *nomine evangelii intelligi ipsum Christum essentiale Dei verbum, cum de tali evangelio apostolus ibi loquatur, cui essentialis Dei proprietas, videlicet potentia, competit. Jam vero soli verbo essentiali, videlicet Christo, non autem verbo praedicato essentialis Dei proprietas, videlicet potentia, competit.* Respondemus: Evangelium definiente Scriptura est praedicatio de Christo. Ergo non est ipse Christus, nec uspiam in tota Scriptura invenietur locus, in quo evangelii nomen de ipso Christo ratione essentiae accipiatur. Adde quod in hoc ipso loco circumstantiae textus ostendunt, non Christum ratione essentiae, sed praedicationem de Christo evangelii nomine ab apostolo intelligi, siquidem v. 15. dicit, *se esse promtum Romanis evangelizare sive evangelium praedicare;* postea v. 16. de illo ipso evangelio praedicato dicit, *quod sit potentia Dei ad salutem.* Notanter etiam in textu Graeco vocatur *evangelium Christi*, ergo est distinctum ab ipso Christo, ac v. 9. dicit apostolus, quod *serviat Deo in evangelio Filii*
XIII. 79. *ejus.* v. 1. et 3. *quod sit segregatus ad evangelium de Filio Dei*, utique ergo evangelium illud, de quo postea praedicat, quod sit potentia Dei ad salutem omni credenti, distinctum est ab ipso Christo, de quo evangelium concionatur. Dicitur autem illud verbum evangelii potentia Dei, quia scilicet in usu divinitus instituto est efficax organum et medium, per quod Deus in cordibus hominum salutarem suam efficaciam exserit ad eorum salutem. Cum haemorrhoussa Christi vestem tangens a profluvio sanaretur, dicit Marcus c. 5, v. 30. *virtutem a Christo exiisse*, id quod Lucas c. 6, v. 19. in reliquorum etiam aegrotorum sanatione contigisse asserit, nequaquam hoc sensu, quasi essentialis Christi virtus ab ipso exierit, sed quia potentia sanandi per attactum vestis, per impositionem manuum, per verbum mandati etc. efficaciter se exseruit, ita quoque evangelium Christi est potentia Dei ad salutem, quia potentia salvandi per evangelium praedicatum, auditum ac fide receptum efficaciter sese exserit. Ambrosius in comm. hoc loco: *Praedicatio apostolica virtus Dei est, quae invitat ad fidem et dat salutem omni credenti, dum peccata donat et justificat, ut a secunda morte detineri non possit signatus mysterio crucis, praedicatio enim crucis Christi indicium est mortis evictae.* Neve ulla restet de haec interpretatione dubitatio, conjungimus locum 1. Cor. 1, v. 17. et 18. ubi disertis verbis evangelium a Paulo praedicatum dicitur Dei virtus. Non misit me Christus (inquit) ad baptizandum, sed ad evangelizandum, non in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi; v. 18. verbum enim crucis (de cruce, hoc est de Christo crucifixo) pereuntibus quidem stultitia est, nobis autem, qui salvi fiunt, Dei virtus est.

259. 2. Rom. 10, v. 17. *intelligi verbum inter-* 2. R v.
num, cum in textu non dicatur, quod ex praedicatione verbi externi sit fides, sed quod ex auditu scilicet interno, qui immediate est a Spiritu sancto, fides oriatur. Si enim fides esset ex praedicatione et auditu verbi externi, consequens foret, omnes, qui verbum audiunt, ad fidem pervenire, quod tamen minime fieri videmus, unde etiam accusat Lutherum, quod vitiose textum verterit, Der Glaube kommt aus der Predigt, das predigen aber durchs Wort Gottes. Respondemus: ad fidem requiri etiam auditum internum, et internum illum auditum esse a Spiritu s. facile concedimus, sed hoc in quaestione est, an Spiritus s. immediate operari velit fidem et internum illum auditum sive assensum. Svencfeldius id affirmat, nos vero negamus et rationem petimus ex hoc textu apostolico. Constat enim ex antecedentibus et consequentibus apostolum loqui de verbo praedicato et audito ac de eo diserte affirmare, quod per illud Deus velit esse efficax ad fidem, v. 14. inquit: *Quomodo invocabunt, in quem non credunt? quomodo credent, de quo non audiverunt? quomodo vero audient sine praedicante?* v. 15. *Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* v. 16. *Sed non omnes obedierunt evangelio, Esaias enim dicit: Domine, quis credit auditui nostro?* v. 16. *Ergo fides ex auditu, auditus per verbum Dei.* Ostendit apostolus pulcherrima quadam gradatione ordinem, quem Deus in hominibus convertendis et salvandis observet, quod scilicet nolit immediate agere, sed instituerit ministerium docendi, per quod cum hominibus velit agere, sicut etiam Eph. 4, v. 11. ac 12. dicit, *Christum dedisse apostolos, prophetas, evangelistas, pastores ac doctores ad instaurationem sanctorum, in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi.* Nequaquam igitur a mediis salutis excluditur auditus verbi externus, sed potius includitur, ut ostendit relatio inter praedicationem et auditum. Ut enim praedicatio est externa, ita quoque auditus est externus, per quem Deus ad excitandum auditum internum et fidem vult esse afficax, sicut de Lydia dicitur Act. 16, v. 14. *quod Dominus aperuerit ei cor προσέχειν, ut intenderet his quae a Paulo dicebantur.* Neque quidquam vitii est in versione Lutheri, quae petita est ex idiotismo Hebraico dicti prophetici versu proximo ab apostolo citati: *Domine quis credit auditui nostro*
לִשְׁמֻעָתֵנוּ, hoc est praedicationi nostrae, quia שְׁמַע XI
Hebraeis significat non solum audiendi actionem, sed etiam *μετωνυμικῶς sermonem, qui auditur ex*

alio, rumorem ad aures delatum. Gen. 29, v. 13: *Postquam audivit Laban*, שֵׁמַע, *auditum, Jacobi*, id est sermonem sive rumorem de Jacobo. Hanc loquendi formam etiam evangelistae in N. T. secuti sunt, Matth. 14, v. 1: *Audivit Herodes* ἀκοὴν Ἰησοῦ, *rumorem sive famam de Jesu.* Ita quoque hoc loco: Quis credidit τῇ ἀκοῇ, auditui nostro, hoc est sermoni de Christo, quem audivimus de Christo et sparsimus, rumori, quem audivimus ex ore prophetarum. Quod enim prophetae praedicarunt, illud prius a Deo interius eos docente audierunt, unde ipsorum praedicatio vocatur auditus. Eodem sensu necessario accipitur in verbis sequentibus, qui immediate cum illis cohaerent, imo ex illis συμπεράσματος loco deducuntur. *Fides est ex auditu*, hoc est ex praedicatione, auditus autem per verbum praedicatum. Gal. 3, v. 2: *An ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* hoc est ex praedicatione evangelii, per quam auditam et meditatione expensam Spiritus sanctus vult operari fidem. Neque quidquam roboris inest ἐνστάσει Svencfeldianae: *Si fides esset ex praedicatione et auditu verbi externi, omnes ad fidem pervenirent*, quia praedicatio et auditus verbi externi consideratur dupliciter, primo quatenus ex Dei ordinatione est medium efficax conversionis et fidei, secundo quatenus ex parte hominum salutaris illa Spiritus sancti efficacia impeditur, quando scilicet verbum praedicatum quidem auditur, sed interim Spiritui sancto pertinaciter resistitur ac repugnatur, qua ratione ex accidenti verbum praedicatum et auditum non est in illis ad fidem et salutem efficax, interim tamen non desinit esse fidei et salutis organum respectu divinae ordinationis consideratum, sicut baptismus non desinit esse lavacrum regenerationis et renovationis, licet actu in quibusdam, adultis hypocritis scilicet et impiis, regenerationem ac renovationem non operetur.

3. Ad 1. Cor. 1, v. 21.

260. 3. 1. Cor. 1, v. 21. *per stultitiam praedicationis non intelligi externam verbi praedicationem; sed mysterium redemtionis, hoc est ipsum Christum crucifixum, siquidem talis explicatio addatur* 1, Cor. 2, v. 2. *non judicavi me quidquam scire inter vos nisi Jesum crucifixum.* Respondemus: quid per *stultitiam praedicationis* in textu apostolico intelligendum sit, non opus ex incertis conjecturis divinare, cum ex serie contextus sit clarissimum. v. 17: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sapientia sermonis, ne evacuetur crux Christi.* v. 18. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, nobis autem, qui salvi fiunt, est Dei virtus*, v. 21. *quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Quod intelligitur per *verbum crucis* sive de Christo crucifixo v. 18. illud etiam intelligitur *per stultitiam praedicationis* v. 21. ut ostendit manifesta illorum versiculorum connexio. Atqui per verbum crucis v. 18. intelligitur evangelium de Christo, ut apparet ex connexione v. 17. et 18. Ergo etiam per stultitiam praedicationis intelligitur evangelium de Christo. Regerit Svencfeldius *1. Apostolum non dicere per stultam praedicationem salvos fieri credentes, quod de externa verbi praedicatione potuisset accipi, sed per stultitiam praedicationis, hoc est per ipsum Christum, qui est Judaeis scandalum, gentilibus stultitia*, ut exponitur v. 23. Respondemus: Hebraismus ille in scriptis apostolorum usitatissimus est, *justitia et sanctitas veritatis*, hoc est vera Eph. 4, v. 24. *Misit illis Deus efficaciam erroris*, hoc est efficaces errores 2. Thess. 2, v. 11. *O profunditatem divitiarum*, id est o profundas divitias Rom. 11, v. 33. ita quoque hoc loco per stultitiam praedicationis intelligitur praedicatio evangelii, quae coram mundo apparet stulta. Nec repugnat huic interpretationi v. 23. ubi Christus dicitur esse *gentilibus stultitia*, id enim de Christo non praedicatur absolute, sed certo respectu, quatenus scilicet praedicatur in evangelio, jam vero idem est XIII. 81.
sive dicas praedicatio evangelii de Christo est gentilibus stultitia, sive Christus in evangelio praedicatus est gentilibus stultitia, quemadmodum idem est sive dicas fides Christum apprehendens imputatur nobis ad justitiam, sive Christus fide apprehensus est nostra coram Deo justitia. *2. Mentionem fieri credentium, qui salvi fiant. Jam vero non nisi respectu Christi dici credentes, proinde etiam per stultitiam praedicationis intelligi ipsum Christum.* Respondemus: subordinata non sunt sibi in vicem opponenda; credentes non nisi respectu Christi dicuntur credentes, sed Christum fide apprehendere non possunt, nisi quatenus in evangelio ipsius beneficia ipsis offeruntur. Ergo inter Christum in evangelio oblatum et inter evangelium de Christo praedicatum non est oppositio, sed potius subordinatio ac mutua relatio. Quamvis vero effectus salutis aliter de Christo, aliter de evangelio praedicetur (Christus enim est causa principalis, evangelium instrumentalis), tamen ex eo, quod per Christum dicimur salvari, non potest nec debet inferri, nos non salvari per evangelium, cum causa principalis et instrumentalis sibi non opponantur. Ex quibus de reliquis Svencfeldii exceptionibus, in quibus vitiosa oppositio causae principalis et instrumentalis perpetuo recurrit, facile potest fieri judicium.

5. Ex illis dictis, in quibus ministris verbi spirituales et divini effectus tribuuntur.

261. Quintam classem argumentorum petimus *ex illis Scripturae locis*, in quibus ministris verbi spirituales et divini effectus tribuuntur, quatenus scilicet in praedicatione verbi et administratione sacramentorum agunt ὀργανικῶς ad hominum conversionem et salutem. Dan. 12, v. 3: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae.* Luc. 1, v. 77. de Johanne Baptista praedicitur, *quod daturus sit scientiam salutis plebi Israëliticae in remissionem peccatorum.* Joh. 1, v. 7: *Hic venit in testimonium, ut testificaretur de lumine, ut omnes crederent per illum.* Actor. 26, v. 18. de Paulo dicit Christus: *Mittam te, ut aperias oculos gentilium, ut convertantur a tenebris ad lucem, a potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem*

peccatorum et partem sanctorum in lumine. Rom. 11, v. 14: *Glorificabo meum ministerium, ut aliquos ex illis salvos faciam.* 1. Cor. 3, v. 5: *Quid Apollo? quid Paulus? ministri sunt, per quos credidistis.* v. 9. *Dei sumus συνεργοί, Dei agricultura.* 1. Cor. 4, v. 1: *Sic nos aestimet homo, ut ministros Dei et dispensatores mysteriorum Christi.* 1. Cor. 4, v. 15: *Si decem millia paedagogorum habetis in Christo, tamen non multos patres, nam in Christo Jesu genui vos per evangelium.* Galat. 4, v. 19: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus in vobis formetur.* Ephes. 3, v. 8: *Mihi omnium sanctorum minimo data est haec gratia evangelizandi in gentibus impervestigabiles divitias Christi*, v. 9. *et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti.* Philem. v. 10: *Obsecro te pro filio, quem genui in vinculis.* 1. Tim. 4, v. 16: *Haec faciens te ipsum salvabis et eos, qui te audiunt.* Ex illis dictis sic concludimus: Cuicunque tribuuntur actus et effectus divini, illi sunt eorum causae vel principales, vel instrumentales, tertium non datur. Atqui ministris verbi tribuuntur effectus divini, erudire ad justitiam, dare scientiam salutis, aperire oculos gentium, illuminare, gignere Deo filios et salvare. Ergo sunt eorum causae vel principales, vel instrumentales. Non principales, quia hic honor soli Deo debetur. Ergo instrumentales, quod ipsum ex sequenti argumento erit evidentius. Regerit Svencfeldius: *1. Paulum nunquam se vocare medium salutis.* Respondemus: Qui se vocat ministrum, per quem homines credunt sive ad fidem adducuntur, is etiam se vocat ministrum ac medium salutis. Ratio est, quia fide reddimur participes salutis. Sed Paulus se vocat ministrum, per quem homines credunt sive ad fidem adducuntur 1. Cor. 3, v. 15. Ergo etiam se vocat ministrum ac medium salutis. Qui se vocat patrem spiritualem et regenerationis opus sibi tribuit ὀργανικῶς et instrumentaliter, is etiam medium salutis sese constituit, quia regeneratio et salus sunt immediate connexa. Sed Paulus se vocat patrem
XIII. 82. spiritualem et regenerationis opus sibi tribuit ὀργανικῶς 1. Cor. 4, v. 15. Gal. 4, v. 19. Philem. v. 10. principaliter enim illud Deo competit. Ergo etiam medium salutis se constituit. Qui salvationem auditorum expressis verbis sibi tribuit, ille aut causam principem, aut medium salutis sese constituit. Sed Paulus salvationem auditorum sibi tribuit Rom. 11, v. 14. Ergo aut causam principem, aut medium salutis sese constituit; non illud, ergo hoc. Qui se vocat dispensatorem mysteriorum divinorum, ille etiam est dispensator ac proinde etiam medium salutis, quia in illis mysteriis ac per illa mysteria salus hominibus dispensatur. Jam vero Paulus se vocat dispensatorem mysteriorum divinorum 1. Cor. 4, v. 1. Ephes. 3, v. 9. Ergo etiam est dispensator ac proinde medium salutis. *2. Johannem Baptistam non praedicasse evangelium, ac proinde non fuisse medium fidei et salutis hominibus conferendae, cum tribuatur illi, quod duntaxat viam Christo paraverit* Luc. 1, v. 76. Respondemus: contrarium ostendimus in quaestione de baptismo Johannis tract. de bapt. §. 45. et 59. Johannes non solum legis, sed etiam evangelii praedicatione Christo viam paravit, quem digito demonstrans vocavit *agnum Dei tollentem peccata mundi* Joh. 1, v. 29. 36. ac Zacharias diserte ibidem exponit, qua ratione Baptista Christo viam paraverit, videlicet *dando scientiam salutis, quae est in remissione peccatorum.*

262. Sextam argumentorum classem petimus ex illis locis, in quibus Christus ac Spiritus sanctus dicuntur loqui in apostolis et aliis ministris apostolorum doctrinam proponentibus, et in quibus instrumentales divinorum effectuum causae ministri ecclesiae statuuntur. Matth. 10, v. 20: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis loquitur.* Rom. 15, v. 18. *Non ausim loqui quidquam eorum, quae non efficit Christus per me in obedientiam gentium verbo et facto.* 2. Cor. 13, v. 3: *Siquidem experimentum quaeritis in me loquentis Christi.* Act. 11, v. 14. dicit angelus de Petro apostolo ad Cornelium: *Is dicet tibi verba, per quae salvaberis, et tu et domus tua.* De Paulo dicit Christus Act. 9, v. 15: *Hic erit mihi σκεῦος ἐκλογῆς, electum organum, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus et filiis Israël.* Ex illis sic colligimus: In quibuscunque Christus ac Spiritus s. loquitur et per illos ad conversionem et salutem efficax est, illi sunt organa Christi et Spiritus sancti salutaria et efficacia. In apostolis et aliis ecclesiae ministris apostolorum doctrinam tradentibus Christus ac Spiritus s. loquitur et per illos ad conversionem et salutem efficax est. Ergo. Denique ultimo loco conjungimus exempla eorum, qui per praedicationem apostolorum ad Deum conversi, Spiritu s. donati et salutis aeternae participes facti. Marc. 16, v. 20: *Apostoli egressi praedicaverunt ubique Domino cooperante*, videlicet ut juxta promissionem v. 16. ad fidem et salutem multos adducerent. Act. 2, v. 40: *Petrus exhortabatur Israëlitas verbis plurimis*, v. 41. *et apposita sunt illa die animarum circiter tria millia.* Actor. 10, v. 44: *Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Act. 11, v. 23: *Barnabas hortabatur omnes, ut proposito cordis permanerent Domino*, v. 24. *quia erat vir bonus et plenus Spiritu s. et fide, et apposita est multa turba Domino* etc.

263. Argumenta Svencfeldii ex hypothesibus superius assignatis facili negotio solvuntur, in plerisque enim omnibus *oppositio causae principalis et instrumentalis* occurrit. Videbimus potiora fundamenta. Ex Scripturis haec affert. 1. Esai. 54, v. 13. Jer. 31, v. 34: *Non docebit ultra vir proximum suum, sed omnes erunt docti a Deo. Ergo Deus immediate per se ipsum, non autem per externum verbi ministerium homines docet.* Respondemus: exposuimus horum dictorum verum et genuinum sensum superius §. 46. hoc loco breviter dicimus, causa efficiens principalis non tollit instrumentalem, et beneficium in vita aeterna expectandum non tollit ministerii ecclesiastici in hac vita necessitatem et XI

fructum. 2. Psalm. 85, v. 9: *Audiam, quid loquatur in me Dominus. Ergo Deus non per verbum externum, sed per afflatus internos nobiscum agit.* Respondemus: verba in Hebraeo sic habent: *Utinam audiam Dominum loquentem et consolantem populum suum per prophetas*, illud autem *in me loquatur* non est in textu Hebraeo, et si maxime adesset, tamen a propheta immediato Spiritus sancti impulsu afflato ad quosvis alios non licet argumentum ducere. Denique verbum externum et Spiritus sancti impulsus interior non sunt opposita, sed subordinata. 3. Act. 1, v. 5: *Johannes baptizavit quidem aqua, vos autem baptizabimini Spiritu s. post dies hosce non multos. Johannes igitur sola aqua adspersit homines sine Spiritu sancto. Jam vero qualis fuit baptismus Johannis, talis etiam reliquorum ministrorum.* Respondemus: explicationem illius dicti proposuimus tract. de bapt. §. 54. 4. 1. Cor. 3, v. 6: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum;* v. 7. *itaque neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed Deus, qui dat incrementum, ubi incrementum fidei et bonorum spiritualium eo modo videtur Deo attribui, ut ministerio verbi adimatur.* Respondemus: Apostolus eo ipso in loco v. 5. diserte dicit: *Quid Apollo? quid Paulus? ministri sunt, per quos credidistis* sive ad fidem perducti estis, nequaquam igitur suo ministerio derogat omnem efficaciam, sed opponit haec verba perversae opinioni ac dissidiis Corinthiorum, qui ex qualitate personarum judicabant de ministerii efficacia ac propterea in factiones divisi dicebant, *ego sum Pauli, ego sum Cephae, ego Apollo.* 1. Cor. 1, v. 12. ostendit igitur apostolus, efficaciam ministerii non a peculiaribus donis ministrorum, ab eloquentia, auctoritate vel acumine, sed ab ipso Deo depêndere. Nulla vero consequentiae legitimae forma ex eo evinci potest, quod externum verbi ministerium destituatur omni efficacia. Quamvis enim Pauli plantatio et Apollo rigatio adeoque omnium ecclesiae ministrorum opera sit *nihil*, hoc est irrita et frustanea, si remota divina efficacia consideretur ac nisi Deus det incrementum, tamen placuit Deo incrementum illud ordinarie non nisi per ipsorum ministerium dare, sicut verbis proxime praecedentibus dicitur: *Ministri sunt, per quos credidistis et unicuique sicut divisit Dominus* ac v. 9: *Dei sumus συνεργοί, Dei agricultura.* 5. 1. Cor. 4, v. 20: *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute. Ergo fides et salus non potest sperari ex sermone externo.* Respondemus: loquitur apostolus de sermone *πεφυσιωμένων*, ut patet ex versu proxime praecedente, ac de *persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, ut colligitur ex 1. Cor. 2, v. 4. quibus opponit *ostensionem Spiritus et virtutis*, sed illa ipsa Spiritus et virtutis divinae *ἀπόδειξις* exhibet se per praedicationem verbi. 6. 1. Cor. 12, v. 6: *Deus ipse operatur omnia in omnibus. Ergo non agit per medium externum.* Respondemus: *αὐτός* ibi non significat immediatam Dei operationem praedicationi externae oppositam, sed unitatem illius, a quo *χαρίσματα, διακονίαι καὶ ἐνεργήματα* varia in ecclesiam descendunt, ut constat ex verbis praecedentibus: *Divisiones vero gratiarum sunt τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα, idem vero Spiritus; divisiones ministrationum sunt, καὶ ὁ αὐτὸς κύριος, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, ὁ δὲ αὐτός ἐστι θεός, idem autem Deus est, qui operatur omnia in omnibus.* 7. 1. Cor 15, v. 10. *Gratia Dei in me non fuit vacua, sed abundantius omnibus laboravi, non autem ego, sed gratia Dei mecum, ubi ministerio suo omnem efficaciam conversionis et salutis derogare eandemque solius Dei gratiae asscribere videtur.* Respondemus: negat, suum ministerium esse causam principalem illius efficaciae, interim non negat, illud fuisse salutare organum, per quod divina gratia fuit efficax, ut colligitur ex fundamentis superius adductis. Graecus textus est emphaticus, *ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, gratia Dei, quae mecum est* vel quae mihi data est, hoc est Deus suppeditavit ex gratia vires et cooperatus est meo ministerio. Ergo ab agendi efficacia non excludit suum ministerium. 8. 2. Cor. 3, v. 6: *Litera occidit, Spiritus autem vivificat. Ergo verbum externum est litera mortua.* Respondemus: variae sunt dicti hujus apostolici detorsiones. Monachi fratres ignorantiae per literam intelligi existimabant eruditionem ac scientiam, sicut literas scire de erudito dicitur. Sed salse eos irridet poëta isthoc disticho: XIII. 84.

Cavisti bene, ne fore te ulla occidere possit
Litera, nam nulla est litera nota tibi.

Origenes per literam intelligebat sensum Scripturae literalem, per Spiritum vero sensum allegoricum. Svencfeldius per literam praedicationem verbi externam, per Spiritum adjunctam Spiritus efficaciam internam. Sed contextus apostolicus ostendit, per literam ab apostolo intelligi *legem in literis haerentem*, quia non confert vires ad praestandum, per Spiritum vero *evangelium*, quod habet adjunctam vim Spiritus et vivificat, quia Spiritus s. fidem per illud confert, sicut Gal. 3, v. 2. dicit apostolus: *Hoc solum a vobis discere volo, ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Invertimus autem Svencfeldii argumentum: Quidquid occidit, non est litera mortua; praedicatio legis occidit; ergo non est litera mortua. 9. 1. Tim. 2, v. 5: *Unus Deus et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Ergo per solum Christum absque medio externo in negotio salutis Deus nobiscum agit.* Respondemus: subordinata non sunt invicem opponenda, ut ergo in negotio conversionis et salutis causa principalis non excludit causam meritoriam, quae est Christus in officio redemtionis ac mediationis, ita quoque causa meritoria non excludit instrumentalem causam sive media conversionis et salutis, quae sunt ex parte Dei verbum et sacramenta, ex parte nostra fides. Est ergo vere unus duntaxat mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, sed illius mediatoris beneficia in verbo et sacramentis nobis offeruntur fide amplectenda et recipienda.

264. Rationes potiores hae sunt: *1. Christus est ecclesiae caput, in quo totum corpus coagmentatum* 2. Ex rationibus.

et conjunctum per omnem commissuram subministrationis secundum efficaciam in mensuram uniuscujusque partis incrementum corporis facit in aedificationem sui ipsius per caritatem. Rom. 12, v. 5. Eph. 4, v. 15. 16. *Est etiam vitis, nos palmites*, Joh. 15, v. 5. *Jam vero caput et corpus immediate cohaerent, et illud huic sensum ac motum suppeditat sine medio, palmites etiam ex vite succum et vigorem immediate attrahunt. Ergo etiam corpus Christi mysticum a capite immediate subministrationem vitae ac motuum spiritualium accipit, ac spirituales palmites ex Christo vite succum et vigorem spiritualem immediate attrahunt.* Respondemus: similitudo non est extendenda ultra comparationis tertium; Christus sese confert *capiti et viti*, credentes *membris et palmitibus*, quia scilicet hi ab ipso spiritualem vitam, sensum, motum, vigorem et operandi efficaciam accipiunt; sed ex eo non potest inferri, quod eodem omnino modo ac proinde immediate haec bona Christus corpori suo mystico et spiritualibus palmitibus suppeditet, quo modo caput naturale suo corpori et vitis naturalis palmitibus ea suppeditat, alias etiam inferri posset, communicationem illam esse naturalem, physicam et terrenam. Adde quod in posteriore similitudine diserta fiat mentio illius medii, per quod in negotio salutis Christus nobiscum agere velit, *si manseritis in me* (inquit) *et verba mea in vobis manserint, quidquid volueritis, petetis, et fiet vobis* v. 7. *et mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis* v. 3. 2. *Si verbum et sacramenta essent causae instrumentales conversionis et salutis, omnes audientes verbum ac sacramentis utentes converterentur ac salvarentur. Sed posterius falsum esse testatur Scriptura et experientia. Ergo.* Respondemus: negatur connexio majoris, ostendimus enim suo loco in tract. de elect. §. 139. vitio hominum multiplici contingere, quo minus verbum praedicatum et auditum in cordibus eorum ad conversionem et salutem sit efficax. Objecti, circa quod ver-
XIII, 85. satur agens tum principale tum instrumentale, vitiosa dispositio saepius etiam in naturalibus impedit, quo minus effectus sive opus sequatur. 3. *Si verbum Dei et sacramenta essent media salutis, consequens foret, omnes infantes ante baptismum morientes et omnes surdos damnari, quod est absurdum.* Respondemus: distinguendus est modus agendi ordinarius ab extraordinario; Deus nos ad usum illorum mediorum adstrinxit, interim tamen gratiam suam illis non eo modo alligavit, ut in casu necessitatis citra illorum usum non possit esse efficax. 4. *Detrahitur divinae perfectioni, si Deus per media externa in negotio salutis nobiscum agere statuitur.* Respondemus: si ex quadam indigentia et necessitate Deus uteretur mediis, perfectioni ejusdem aliquid detraheretur, jam vero liberrima voluntate et beneplacito mediis utitur, 1. Cor. 1, v. 21: *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Quemadmodum non detrahitur ejus perfectioni, quando per media naturalia nos in vita conservat, cibat, sanat etc. ita quoque non detrahitur quidquam ejus perfectioni, quando per media nobiscum in negotio salutis agit. 5. *Spiritualia et coelestia dona non possunt comprehendi ac distribui mediis externis. Ergo etiam non dantur per media externa.* Respondemus: est ambiguitas in voce *comprehendendi*, si enim accipiatur pro inclusione, concedimus, spiritualia et coelestia bona non comprehendi mediis externis; si vero notetur divina illa ordinatio ac dispositio, qua ipsi placuit per media communicare coelestia bona, negamus, eo sensu bona coelestia mediis externis non comprehendi ac distribui. 6. *Patriarchas, prophetas, Johannem Baptistam et apostolos Deus immediate absque externo verbo illuminavit. Ergo eodem modo adhuc illuminat credentes.* Respondemus: *num omnes prophetae? num omnes apostoli?* inquit Paulus 1. Cor. 12, v. 29. ostendens, Deum non velle eodem modo, per immediatam scilicet illuminationem, cum omnibus credentibus agere, sed ordinarie per verbum et sacramenta vult in illis fidem accendere, augere et confirmare. Adde quod ipsimet prophetae et apostoli non solum alios ad verbum revocarunt, sed ipsi quoque verbo externo usi fuerunt. 7. *Proprium creaturae est agere per media. Ergo creatori illud non competit.* Respondemus: creaturae in actionibus suis utuntur mediis ex necessitate et indigentia, Deus ex libera voluntate et ordinatione. 8. *Sine quo non possumus verbo praedicato fidem habere, illud non datur per praedicationem verbi. Sed sine Spiritu sancto non possumus verbo praedicato fidem habere, unde etiam ecclesia ante concionem verbi petit, Spiritus s. gratiam sibi dari. Ergo Spiritus sanctus non datur per verbum praedicatum.* Respondemus: negatur propositio major. Quemadmodum enim baptismus non prodest absque fide et nihilominus per ipsum baptismum infantibus confertur regenerationis donum ac proinde etiam fides; *ita sermo auditus non prodest, si non sit admixtus fidei eorum, qui audiunt*, Hebr. 4, v. 2. ac nihilominus per ipsum evangelii verbum Deus vult operari fidem Rom. 10, v. 17. Deinde distinguendum inter dona Spiritus sancti et illorum donorum augmentum. Quando petimus Spiritus sancti gratiam et efficaciam ante auditum verbi, tunc illae preces, si sint seriae et Deo gratae, sunt effectum Spiritus sancti in nobis habitantis, sed nihilominus illorum donorum augmentum et incrementum, adeoque etiam uberiorem illuminationem per verbum nobis conferri petimus. Sic *nemo potest dicere Jesum Dominum nisi in Spiritu sancto* 1. Cor. 12, v. 3. et tamen Deus dicitur *dare Spiritum sanctum petentibus* Luc. 11, v. 13. Atque haec dicta sint de errore Svencfeldii, ministerii ecclesiastici in verbo et sacramentis occupati efficaciam negantis, consequens foret, ut ageretur de quaestione, *an efficacia ministerii pendeat a dignitate ministri*, ab ejus scilicet legitima vocatione, qualitatibus donorum, fidei sin-

ceritate et vitae sanctitate, sed quia de ea late dictum fuit in tract. de sacram. §. 30. et in tract. de baptismo §. 22. et seqq. ideo hac vice uberiori ejus explicatione supersedemus. Videatur etiam D. Chemnicius part. 3. locor. c. de ecclesia p. 359.

II. 86.

SECTIO POSTERIOR.

DE OFFICIIS MINISTRORUM ECCLESIAE.

icia ii- orum le-

265. Sacerdotium *non est otium*, *sed negotiorum negotium*, scribit alicubi Bernhardus, *et episcopatus nomen est operis*, *non honoris*, juxta Augustinum lib. 19. de civit. Dei cap. 19. Ideo expositis ministerii ecclesiastici causis ejusdemque necessitate, dignitate atque utilitate ab illis dependente restat, ut de officiis ecclesiae ministrorum disseramus. Officia illa varie a variis enumerantur, Hugo de S. Victore lib. 2. de sacr. part. 2. c. 5: *Omnis ecclesiastica administratio in tribus consistit*, *in sacramentis*, *in ordinibus et in praeceptis;* Hieronymus in c. 8. Levit.: *Officia sacerdotis sunt aut aliquid a Deo discere*, *aut populum docere*, *aut pro populo orare* etc. Sed ut plenior sit enumeratio, dicimus, officia ministerii rectissime aestimari *ex fine*, propter quem divinitus institutum est et adhuc conservatur ministerium ecclesiasticum, quem in superioribus diximus esse duplicem, *principalem* scilicet, qui est Dei gloria, et *intermedium*, qui est hominum conversio et salus. Intermedius finis obtinet rationem alicujus medii, per quod ad finem principalem et ultimum pervenitur; ex quo etiam nomen est sortitus. Ad intermedium autem finem obtinendum spectant ministrorum officia et actiones, per quas Deus ad hominum conversionem et salutem vult esse efficax. 1. Homines convertendi et salvandi nascuntur *in tenebris ignorantiae* Esa. 9, v. 2. Luc. 1, v. 79. Joh. 1, v. 5. Act. 26, v. 18. Ephes. 5, v. 8. *ἐσκοτισμένοι* sunt *διανοίᾳ*, *alienati a vita Dei per ignorantiam Dei;* Ephes. 4, v. 18. nativas illas tenebras dispellere vult Spiritus s. per lucem verbi coelestis Psalm. 19, v. 9. Psalm. 119, v. 105. 2. Pet. 1, v. 19. Primum igitur ac praecipuum ecclesiae ministrorum officium est *verbi praedicatio*, per quam Spiritus sanctus ad interiorem cordis illuminationem est efficax, Actor. 26, v. 17. et 18: *Constituam te ministrum mittens te ad gentes ad aperiendum oculos eorum*, *ut convertantur a tenebris ad lucem.* 2. Verbo addita sunt sacramenta, gratiae divinae et promissionum evangelicarum sigilla, unde a veteribus dicuntur verbum *ὁρατὸν* sive visibile; proinde alterum ministrorum officium est *sacramentorum dispensatio*, 1. Cor. 4, v. 1: *Sic nos aestimet homo*, *ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Matth. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eas*, ubi verbi praedicatio et sacramenti baptistici dispensatio connectuntur. 3. Cum vero absque benedictione coelesti omnis ministrorum labor sit frustaneus, 1. Cor. 3, v. 6: *Ego plantavi*, *Apollo rigavit*, *sed Deus dedit incrementum;* v. 7. *itaque nec qui plantat*, *est aliquid*, *neque qui rigat*, *sed Deus*, *qui dat incrementum.* Augustinus serm. 4. de verb. apost.: *Nos loquimur*, *sed erudit Deus; nos loquimur*, *sed Deus docet; cathedram in coelo habet*, *qui intus docet.* Ideo tertium ministrorum officium est *diligens pro commisso sibi grege precatio*, 1. Sam. 12, v. 23: *Absit a me*, *ut peccem Jehovae cessando orare pro vobis ac docere vos viam bonam et rectam*, ubi institutio auditorum et oratio pro fructificatione verbi conjunguntur. 4. Ulterius cum illi, qui sana docent et turpiter vivunt, altera manu rapiant, quod una porrexerant, ac quandoque plus noceant exemplo, quam prosint verbo, ideo ministris convenit probatae vitae exemplo auditoribus praeire; ac proinde quartum ipsorum officium est *vitae et morum honesta gubernatio*, Tit. 2, v. 7: *Per omnia te ipsum praebe exemplar bonorum operum.* 5. Cum praeter nativas ignorantiae tenebras voluntatis corruptio et ad omne malum proclivitas in hominibus haereat, ideo ecclesiasticae disciplinae vinculis divinitus ministerio commendatis ea coërcenda est, ne vel conversionem per verbum impediat, vel conversos in transversum iterum abripiat, quintum proinde ministrorum officium est *ecclesiasticae disciplinae administratio*, Matth. 18, v. 17: *Si non audient illos*, *dic ecclesiae.* XIII. 87.
6. Cum in exercitio divini cultus solenni atque publico certi quidam ritus ad *εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην* spectantes totius ecclesiae consensu introducti pie conservandi sint, ideo ad ministerium ecclesiasticum etiam pertinet ritus ecclesiasticos gravi consilio approbatos, et de multis utiliter admonentes in congressibus publicis tueri, nec privata quadam animi libidine cum scandalo ecclesiae eos mutare; proinde sextum ministrorum officium est *rituum ecclesiasticorum conservatio.* 7. Denique cum inter auditores sint orphani, viduae, pauperes, exules, aegroti, quibus officia caritatis ad inopiam et afflictionem eorum sublevandam cumprimis debentur, ideo ad ministrum ecclesiae spectat *pauperum cura et aegrotorum visitatio*, ut pecuniam in usus pauperum destinatam fideliter colligat ac dispenset, vel si aerarii ecclesiastici praefectis haec functio demandata est, auditores ad beneficentiam erga pauperes demonstrandam diligenter exhortetur et bonorum ecclesiasticorum dispensationem rite ac legitime fieri curet, 1. Cor. 16, v. 2. 2. Cor. 9, v. 1. etc. Septem igitur in universum sunt ecclesiae ministrorum officia, ad quae reliqua commode referri possunt: 1. *Verbi coelestis praedicatio;* 2. *sacramentorum dispensatio;* 3. *pro commisso sibi grege precatio;* 4 *vitae et morum honesta gubernatio;* 5. *disciplinae ecclesiasticae administratio;* 6. *rituum ecclesiasticorum conservatio;* 7. *pauperum cura et aegrotorum visitatio.* De singulis uberius disserendum.

266. Primum ministrorum officium dicimus esse *verbi praedicationem*, quod probant 1. *expressa* 1. Verbi praedicatio.

mandata apostolis et ipsorum in ministerio successoribus data. Matth. 28, v. 19: *Euntes docete omnes gentes.* Marc. 16, v. 15: *Ite in orbem universum et praedicate evangelium.* 2. Appellationes *et encomia* a Spiritu sancto ipsis attributa. Dicuntur *doctores*, *διδάσκαλοι* 1. Cor. 12, v. 28. Ephes. 4, v. 11. ergo debent docere populum Dei Act. 20, v. 28. dicuntur *pastores* Esa. 63, v. 11. Eph. 4, v. 11. ergo debent gregem sibi commissum pabulo coelestis doctrinae pascere; dicuntur *angeli Domini* Mal. 2, v. 7. Apoc. 1, v. 20. *legati Dei* 2. Cor. 5, v. 20. ergo exponant voluntatem Dei per praedicationem coelestis verbi; dicuntur *ἐργάται*, *operarii* Matth. 9, v. 38. 2. Tim 2, v. 15. ergo laborent in verbo 1. Tim. 5, v. 18. 3. *Regula apostolica*, juxta quam episcopi sunt examinandi, 1. Tim. 3, v. 2. Tit. 1, v. 9. in qua expresse requiritur, ut episcopus sit *διδακτικός*. 4. *Finis instituti ministerii*, siquidem eo cumprimis fine Deus instituit et adhuc conservat ministerium, ut verbum praedicetur ac per praedicationem verbi ecclesia ex genere humano colligatur Eph. 4, v. 11, 5. *Distincto ministerii ecclesiastici a regimine politico et reliquis ordinibus.* Ministrorum enim est gladio Spiritus, verbo scilicet Dei, non autem gladio corporali uti, is enim magistratui traditus est, Eph. 6, v. 17. Rom. 13, v. 4. 2. Cor. 10, v. 4. etc. 6. *Praxis Christi, apostolorum et episcoporum* in primitiva ecclesia, illi enim non administrarunt nec affectarunt regimen aliquod politicum, sed in praedicatione verbi occupati fuere, Matth. 4, v. 17. Act. 6, v. 2. etc. De Ambrosio refert Augustinus lib. 6. confess. c. 3. quod singulis diebus Dominicis conciones ad populum habuerit. 7. *Testimonia patrum.* Hieronymus lib. 1. adv. Jovian. c. 20. in verba apostoli, episcopum oportet esse doctorem, sic commentatur: *Nihil enim prodest conscientia virtutum frui, nisi et creditum sibi populum possit instruere, ut valeat exhortari in doctrina et eos, qui contradicunt, redarguere.* Prosper lib. 1. de vita contempl. c. 2: *Praepositi ecclesiae sancte vivere debent propter exemplum et docere propter administrationis officium.*
XIII. 88. 8. *Juris canonici suffragium.* c. Qui ecclesiast. dist. 36. ex epistola 1. Sozimi ad Hesych.: *Sacrarum literarum oportet episcopum habere peritiam, unde in V. T. inter cetera ornamenta pontifex rationale ferebat in pectore, in quo scribebatur manifestatio et veritas, quia in pectore pontificis manifesta debet esse cognitio veritatis, hinc etiam vectes, quibus arca portabatur, jugiter annulis erant inserti, ut cum arca esset portanda, nulla esset vel fieret mora de intromittendis vectibus, quia praedicatores, per quos ecclesia circumfertur, sacris literis semper debent insistere, ne tunc quaerant discere, cum ex officio alios debeant docere.* c. Si quis. dist. ead. ex Hieronym. ex Origene homil. 6. ad cap. 8. Levit.: *Si quis vult pontifex esse, non tam vocabulo quam merito imitetur Moysen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? quod non discedunt de tabernaculo Domini; erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Domini. Quid autem ei opus erat? ut aut a Deo aliquid disceret aut ipse populum doceret. Haec duo sunt pontificis opera, ut aut a Deo discat legendo Scripturas divinas et saepius meditando, aut populum doceat, sed illa doceat, quae a Deo ipse didicerit, non ex proprio corde vel humano sensu, sed quae Spiritus s. docet.* c. Ignorantia ex conc. Tolet. 4. c. 24: *Omne opus sacerdotum in praedicatione et doctrina consistat, atque aedificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina.* in princ. dist. 86: *Doctorem episcopum esse oportet, ne inferiorum culpae in eum refundantur, qui docendi officium accepit, quod exsequi nescit vel negligit.* c. Sicut vir. caus. 7. q. 1. ex epist. 2. Evaristi: *Episcopum oportet opportune et importune atque sine intermissione ecclesiam docere eamque prudenter regere et amare, ut a vitiis se abstineat et salutem consequi possit aeternam.* In epistola Clementis Petrus ad eum dixisse refertur: *Tu ad hoc solum vacato, ut opportune et sine intermissione doceas verbum Dei, per quod salutem consequi possint.* Conjungimus etiam jus civile l. Addictos. C. de episc. aud. impp. statuunt, *ad episcopos pertinere populos Christianae religionis doctrinae insinuatione moderari.* 9. *Typi V. T.* Inter ornamenta summi sacerdotis erat *rationale*, quod in pectore gerebat, cui insculptum erat *Urim et Thumim, doctrina et veritas*, Exod. 28, v. 30. quo significatum fuit, ministros debere doctrinam et veritatem populo proponere. Pectusculum et armus dexter ex hostiis pacificis debebatur sacerdoti, quo significatum fuit, *necessariam esse ministris sapientiam ad docendum et fortitudinem ad ferendos auditorum defectus.* Thomas p. 1. 2. q. 102. art. 3. *Eunuchus non intret in ecclesiam Dei*, Deut. 23, v. 1. hoc est, qui non habet semen verbi, per quod generet spirituales ecclesiae filios, non toleretur in ministerio. Huc referendum ex N. T. quod apostoli ex manibus Christi panem accipiunt, quem turbae distribuunt, Matth. 14, v. 19. sic ministrorum officium est panem vitae ex Christi manibus acceptum, hoc est verbum evangelii, auditoribus proponere; item quod episcopi dicuntur *stellae in manibus Christi* Apoc. 1, v. 20. quia ipsorum est luce doctrinae alios illuminare Matth. 5, v. 14.

267. Ex quo recte colligitur, pontificem Romanum, qui a docendi munere penitus abstinet, ejusdemque praelatos, qui politicis, quandoque etiam bellicis negotiis impliciti nullam fere ecclesiastici ministerii partem attingunt, non esse veros episcopos, nec est quod excipiant Jesuitae, *pontificem, si vel maxime non doceat ipse, tamen docere per alios, quibus hoc officium committat.* Respondemus enim: 1. argumenta et testimonia allata probant, pontificem debere ipsummet docere, quodsi facere negligat, titulo ac vocabulo duntaxat esse episcopum. 2. Praedicare verbum ac docere ingreditur definitionem episcopalis muneris, ergo ab episcopo proprie sic dicto sejungi nec potest, nec debet. 3. Christus, cujus vicarium sese jactitat pontifex, Petrus, cujus successor audire cupit, ac reliqui apostoli nequaquam docendi munus a se repudiarunt, sed ipsi ad ecclesias abie-

Pont et ip prae non veri XIII scop

runt easque pabulo coelestis verbi paverunt. 4. Utrumque requiritur ad officium episcopi, docere et alios doctores ordinare, unius igitur inclusio non debet esse alterius exclusio. 5. In regnis terrenis legati regum habent suos subdelegatos, sed in regno spirituali ministri ecclesiae munus legationis divinitus sibi commissum ipsimet subire debent. 2. Cor. 5, v. 20: *Pro Christo legatione fungimur Deo exhortante per nos.* 6. Nec convenit, pontificem et ipsius episcopos indignum sua sublimitate judicare munus docendi, cum eo tota sacrosancta Trinitas fuerit perfuncta Pater Matth. 3, v. 17. c. 17, v. 5. Filius Matth. 4, v. 17. Act. 1, v. 3. etc. Spiritus sanctus 2. Sam. 23, v. 2. 2. Petr. 1, v. 21. inde apostolus dicit Rom. 1, v. 16. *οὐκ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ.* 7. Illi quos pontifex ad docendum mittit, quandoque ad illud sunt inepti ac plerique omnes loco verbi coelestis doctrinas humanas superstitiones et corruptelas auditoribus proponunt.

elo- 268. Docendi munus in habendis ad populum concionibus versatur vel maxime; quae quomodo instituendae sint, latissime exposuimus in methodo studii theologici part. 3. sect. 4. c. 2. ubi ostendimus, ecclesiastici oratoris duo esse officia primaria, *Scripturae scilicet interpretationem ejusdemque ad salutarem auditorum usum accommodationem.* Interpretatio Scripturae complectitur *tum veri et genuini sensus investigationem*, tum ejusdem *perspicuam enarrationem.* Accommodatio ad quinque generalia capita juxta praescriptum apostoli Rom. 15, v. 4. 2. Tim. 3, v. 16. commode referri potest, videlicet ad *διδασκαλίαν*, ad *ἔλεγχον*, ad *ἐπανόρθωσιν*, ad *παιδείαν* et ad *παράκλησιν*. Nimirum Scripturae legitime et sano sensu expositae accommodatio est *vel theoretica*, *vel practica.* Theoretica versatur circa *veri cognitionem*, unde *διδασκαλία*; et *falsi refutationem*, unde *ἔλεγχος*. Practica versatur *circa bonum agendum*, unde *παιδεία*; circa *malum culpae fugiendum*, unde *ἐπανόρθωσις*; ac *malum poenae tolerandum*, unde *παράκλησις*. In hisce omnibus, quae probe observanda sint, certis canonibus dicto tractatu fuit expositum. Pari ratione, quod ad munus docendi pertineat, non solum per *διδασκαλίαν* oves colligere, sed etiam per *ἔλεγχον* lupos ab ovili Dominico arcere ostendimus in praefat. aphorismorum theologicorum theoreticorum ex dicto apostoli Tit. 1, v. 9. *episcopum oportet esse δυνατὸν παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν;* ex typo reparatorum urbis ac templi Hierosolymitani, qui una manu laborem perficiebant, altera vero clypeum ferebant Nehem. 4, v. 17. ex comparatione doctorum ecclesiae cum *pastoribus*, qui oves non solum ad salubria pascua ducunt, sed etiam a luporum insidiis atque incursibus eas defendunt; cum *medicis*, quibus duplex propositus est finis, sanitatem praesentem conservare et deperditam restituere etc. ut actum hac in parte agere non videatur operae pretium. Hisce addi potest similitudo ab *agricola* petita, ut enim illius est non solum optimam sementem facere, sed una infelix lolium sterilesque avenas avellere; sic theologi est non solum sanae doctrinae semen spargere, sed etiam errorum zizania ex agro Dominico evellere. Pulchre Origenes hom. 2. in Genes. part. 1. oper. p. 14: *Ligna quadrata in arca Noae denotant doctores ecclesiae. Quadratum est, quod nulla vacillat ex parte, sed quocunque verteris, fida et solida stabilitate consi-* XIII. 90. *stit. Ista sunt ligna, quae omne pondus vel animalium intrinsecus vel fluctuum extrinsecus ferunt, quos ego arbitror doctores esse in ecclesia et magistros atque aemulatores fidei, qui et populos intrinsecus positos verbo commonitionis et doctrinae gratia consolantur et impugnantibus extrinsecus vel gentilibus, vel haereticis et quaestionum fluctus ac procellas certaminum commoventibus virtute verbi ac sapientia rationis obsistunt.* ** Hieronymus epist. 83. ad Ocean.: *Latratu canum baculoque pastoris luporum rabies deterrenda est.* Augustinus serm. 89. de temp.: *Hoc per hanc figuram* (Num. 16, v. 39.) *videtur ostendi, quod thuribula ista, quae Scriptura nominat aerea, imaginem teneant Scripturae divinae. Cui Scripturae haeretici alienum ignem imponentes, sensum videlicet vel errorem et intelligentiam alienam a Deo et veritati contrariam introducentes, incensum Domino non suave, sed exsecrabile offerunt. Ista ergo thuribula aerea, id est haereticorum voces, si adhibeamus ad altare Dei, ubi divinus ignis est, ubi vera praedicatio fidei, melius ipsa veritas ex falsorum comparatione fulgebit.* **

Qu. 1. An haereticorum refutationem, magistratus prohibere possit.

269. Quaeritur hoc loco circa *ἔλεγχον*. 1. *An magistratus Christianus prohibere possit, ne ministri ecclesiae haereticos pertinaces et convictos nominatim perstringant, ac si talis prohibitio auctoritate magistratus promulgetur, an ministri ecclesiae salva et illaesa conscientia illi obedire possint.* Respondemus: nequaquam, id enim pugnat 1. *cum vocatione ministrorum ecclesiae*, quippe quorum munus inter cetera non postremum est corruptelis doctrinae coelestis obsistere. Jer. 15, v. 19: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* 2. Tim. 3, v. 16: *Scriptura utilis est ad ἔλεγχον, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Tit. 1, v. 9: *Episcopus sit δυνατὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.* 2. *Cum mandatis divinis tum generalibus*, quibus jubentur omnes vere pii *cavere pseudoprophetas, fugere idololatriam, probare spiritus* etc. Matth. 7, v. 15. c. 16, v. 11. Rom. 16, v. 17. Ephes. 4, v. 14. Phil. 3, v. 2. etc. jam vero nisi ab ecclesiae ministris oviculae de lupis admoneantur, non possunt eos noscere ac fugere; tum *specialibus*, quibus ecclesiae doctoribus praecipitur, ut resistant lupis ovile Dominicum vastare cupientibus. Cant. 2, v. 15: *Capite nobis vulpeculas, quae demoliuntur vineas*, in quae verba sic commentatur Augustinus ser. 107. de temp.: *Comprehendite, constringite, convincite, confutate, ne exterminentur ecclesiasticae vineae. Quid est aliud vulpes capere quam haereticos divinae legis auctoritate revincere et sanctarum Scripturarum testimoniis quasi quibusdam vinculis alligare atque constringere?* Act. 20, v. 31. cum prae-

dixisset apostolus, surrecturos *lupos gregi non parcentes ac viros loquentes διεστραμμένα*, subjungit, *quapropter vigilate*, ostendens, divino mandato ecclesiae ministros teneri obstrictos, ut vigilanti oculo luporum insidias observent iisdemque summo conatu resistant. 2. Tim. 2, v. 25: *Servum Domini cum modestia corripere oportet τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, ut det illis Deus poenitentiam ad agnitionem veritatis*. Tit. 1, v. 10. et 11: *Sunt multi seductores, qui universas domos subvertunt docentes, quae non oportet, illos δεῖ ἐπιστομίζειν.* 3. *Cum peculiari Spiritus s. in ecclesia officio*, quod est *ἐλέγχειν*. Joh. 16, v. 8: *Spiritum s. arguet mundum de peccato*, videlicet per ministerium verbi, quod officium non ad primitivam duntaxat, sed in genere ad omnium temporum ecclesiam pertinet, nec solum peccata et peccatores, sed etiam corruptelas et falsos doctores redarguit, ut ex subjuncta explicatione v. 9. apparet, ubi Christus peccatum illud dicit esse incredulitatem, quae non solum fons est peccatorum actualium, sed etiam complectitur *κακοπιστίαν ἀπιστίας χείρονα*, ut monet Epiphanius. Quotquot igitur *ἐλεγκτικὸν* illud officium ex ecclesia semotum cupiunt, nihil aliud agunt, quam quod Spiritui sancto capistrum injiciant. 4. *Cum encomiis*, quae ecclesiae ministris tribuuntur. Vocantur enim *speculatores ac videntes* Ezech. 3, v. 17. c. 33, v. 7. ergo prospicere debent, ne quid

XIII. 91. detrimenti a pseudoprophetis capiat ecclesia. Dicuntur *voces clamantes* Esa. 40, v. 3. ergo exaltent vocem suam instar tubae Esa. 58, v. 1. vocantur *pastores* Esa. 63, v. 11. Ezech. 34, v. 2. ergo videntes lupum venientem non fugiant ut mercenarii, Joh. 10, v. 12. sed inclament eum, abigant etc. Augustinus tract. 46. in Johan.: *Lupus ovi guttur apprehendit, diabolus fideli haeresin persuasit, tu taces, non increpas, ne forte offendas? O mercenarie, lupum vidisti et fugisti; respondes forte, ecce hic sum, non fugi; fugisti quia tacuisti.* 4. *Cum comminationibus divinis* adversus eos, qui vel ex negligentia, vel metu periculorum, vel praepostero favoris mundani aucupio falsis doctoribus non resistunt. Jerem. 48, v. 10: *Maledictus, qui fecerit opus Domini negligenter.* Esa. 56, v. 10: *Coeci sunt omnes, canes muti non valentes latrare.* Ezech. 3, v. 18: *Si non locutus fueris impio, sanguinem ejus requiram a manu tua.* Apoc. 3, v. 15: *Utinam frigidus esses aut calidus;* v. 16. *sed quia tepidus es, evomam te ex ore meo.* 5. *Cum utilitatibus*, quae ex falsorum doctorum refutatione oriuntur, eae vero non possunt melius perspici, quam si considerentur incommoda, quae provenire consueverunt, si haereses libere grassari ac stragem dare permittantur, *sizania* sunt, quae tritici incrementum impediunt Matth. 13, v. 38. *fermentum* sunt, cujus modicum corrumpit totam massam Matth. 16, v. 11. 1. Cor. 5, v. 6. *grangraena* sunt, quae vicina membra protinus corripit, nisi resistatur 2. Tim. 2, v. 17. Pulchre Hieronymus in cap. 5. Galat.: *Scintilla statim ut apparet exstinguenda est et fermentum a massae vicinia removendum, secandae putridae carnes et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus et pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant* etc. 6. *Cum praxi ecclesiae* V. T. de Abele scribit Philo in lib. quod deterius meliori insidiari soleat, ipsum de sacrificio et religione cum Caino disputasse. De Moyse scribit Augustinus epist. 119. ad Jan. *quod inquietae animositati haereticorum, quales fuerunt Jannes et Jambres, Core, Datan et Abiran, restiterit.* De Elia, Jeremia, Micha, Amos ac reliquis prophetis constat, quod Baalitis et aliis pseudodoctoribus mascule se opposuerint. 7. *Cum praxi Christi, Baptistae et apostolorum* in N. T. qui nominatim verbis gravissimis veritatis coelestis adversarios redarguerunt. Matth. 3, v. 7. Johannes Pharisaeos et Sadducaeos vocat *progeniem viperarum* audiente tota multitudine. Matth. 16, v. 11. dicit Christus ad discipulos: *Cavete a fermento Pharisaeorum ac Sadducaeorum.* Matth. 23, v. 13. et seqq. aliquoties repetit: *Vae vobis scribae et Pharisaei.* 1. Tim. 1, v. 20. cum apostolus in genere dixisset, *quosdam fidei naufragium fecisse*, subjungit *κατ᾽ ὄνομα, ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Satanae.* 8. *Cum primitivae ecclesiae* et eorum, qui apostolis in docendi officio successere, *perpetua praxi.* Polycarpus pugnavit contra Marcionem, Valentinum et alios haereticos ac Marcionem obvium sibi factum *primogenitum Satanae* appellavit referente Irenaeo lib. 3. cap. 3. Irenaeus contra Valentinianos, Gnosticos, Basilidis asseclas et alios diaboli emissarios disputavit; Tertullianus adversus Praxeam et Marcionem, Augustinus adversus Manichaeos, Pelagianos, Donatistas, Arianos etc. Antonius referente Athanasio in ipsius vita, morti vicinus sic allocutus est suos: *Haereticorum et schismaticorum venena vitate merumque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus quidem cum ipsis sermo fuerit.* Concilium Constantinopolitanum V. anathem. 11. tom. 2. Concil. p. 565: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen cum impiis eorum conscriptis et alios omnes haereticos, qui condemnati sunt ab ecclesia, et eos, qui similia praedictis haereticis sapiunt et in sua impietate permanserunt et permanent, talis anathema sit.* Lutherus Schmalcaldia discedens precatus est suis in ministerio collegis, *ut implerentur Spiritu Dei et odio papae.* Caveat igitur pius et Christianus magistratus, ne violentis edictis haereticorum pertinacium et *αὐτοκατακρίτων*

condemnationem prohibeat, nec docendi et arguendi XIII

libertatem ministerio divinitus concessam eidem eripere conetur, quin potius audiat illud Ambrosii lib. 5. epist. 29. ad Theodosium in princ.: *Neque imperiale est libertatem docendi denegare, neque sacerdotale, quod sentiat non dicere. Nihil in regibus tam populare et tam amabile est quam libertatem etiam in illis diligere, qui obsequio ipsis subditi sunt; si quidem hoc interest inter bonos et malos principes, quod boni libertatem amant, servi-*

tutem improbi, nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat, non libere pronuntiare, siquidem scriptum est: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum et non confundebar. Caveant etiam ecclesiarum ministri, ne praepostera quadam ἀνθρωπαρεσκείᾳ edictis illis magistratuum consentiant secuti exemplum Basilii Camateri, qui ut patriarchatum Constantinopolitanum facilius consequeretur, turpi et episcopo indigna syngrapha imperatori Andronico se obstrinxit, *omnia quae imperatori placerent, se exsecuturum, et quae displicerent, studiose aversaturum.* Camer. part. 3. oper. succis. c. 6. Vide plura de hac quaestione in Calvinista aulicopolitico D. Huteri opposito Johanni a Münster, in quo consultationes Wigandi, Chytraei et Selnecceri de hac quaestione proponuntur; item in disputatione D. Krakevitzii de necessitate ἐλέγχου doctrinae Calvin. Gryphisw. ann. 1614. instituta.

270. Quaeritur *2. an formula illa damnatoria articulis fidei ἀντιθετικῶς in libris Symbolicis subjecta, damnamus contra sentientes, pugnet cum caritate et modestia Christiana?* Ita quidem statuunt politici quidam Calvinianae haeresi occulte faventes moderationis laudem affectantes et pacis studium opinioni suae praetexentes, quibus applaudunt et Calviniani et Photiniani, qui negant, *haereseos dicam illis scribendam, qui falsas opiniones fovent, si Christum nobiscum confiteantur.* Ostorodus praefat. instit. p. 8. Schmaltzius contr. Frantz. disp. 1. p. 9. sed urgemus *1. mandata divina* de cavendis pseudoprophetis et arcendis ab ovili Dominico lupis superius exposita. *2. Exempla Christi et apostolorum*, qui anathematismos in pseudodoctores ejaculari non fuere veriti. Christus, quo nemo habet *majorem caritatem* Joh. 15, v. 13. quique *se mitem et ex corde humilem esse profitetur* Matth. 11, v. 29. Pharisaeis ac scribis vae denuntiat Matth. 23, v. 13. et seqq. item etiam gravissimis verbis contra Judaeos intonat, Joh. 8, v. 44: *Vos ex patre diabolo estis.* ac v. 47. *vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Apostolus generali anathematis fulmine percellit omnes doctrinae coelestis adversarios 1. Cor. 16, v. 22: *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema, hoc est maledictus.* Gal. 1, v. 8: *Si licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Johan. 2. epist. v. 9. 10. 11: *Omnis qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. 3. Perpetuam ecclesiae praxin*, quae confessioni ac repetitioni verae doctrinae anathematismos semper conjunxit. *4. Veram verae caritatis naturam;* ea enim cum ex fide profluat Gal. 5, v̇. 6. ideo non approbat errores doctrinae fidei repugnantes; cum sit *fructus Spiritus* Gal. 5, v. 22. ideo non tollit officium ἐλεγκτικὸν Spiritus sancti Joh. 16, v. 8. cum feratur non solum erga proximum, sed etiam, imo cumprimis erga Deum, ideo gloriam Dei per corruptelas doctrinae labefactatam asserit atque vendicat. Monendum tamen est, anathematismis illis 1. nequaquam damnari eos, qui ex quadam simplicitate errant sine pertinacia et blasphemia in veritatem; distinguendum enim inter seductores veritati toties ipsis monstratae pertinaciter contradicentes, quos Lutherus vocat *duxios*, et inter seductos, qui profunditates Satanae in corruptelis doctrinae latitantes non intelligunt, sed ex imbecillitate in errorum societatem abrepti parati sunt veritatem monstratam amplecti. 2. Multo minus damnari totas atque integras ecclesias, quarum pastores Pontificiae vel Calvinianae haereseos veneno sunt infecti, siquidem Deus etiam per corruptum ministerium sibi XIII. 98.
adhuc potest colligere ecclesiam et in mediis Baaliticorum sacerdotum coetibus sibi servare aliquos, qui non curvant genua sua coram Baal. Testatur experientia, *puriores quandoque esse auditorum aures quam labia docentium*, ac si nulli alii, tamen infantes baptizati pertinent ad verae ecclesiae consortium, si vel maxime ab haeretico baptizentur, modo substantialia hujus sacramenti conserventur. 3. Nequaquam eos, qui ob corruptelas doctrinae anathemate feriuntur, carnifici excruciandos atque enecandos tradi vel politicae pacis commodum illis denegari; distinguendum enim inter censuras ecclesiasticas et judicia forensia; inter gladium spiritualem, qui errores amputat, homines vero in vita conservat, et gladium corporalem; inter pacem civilem et consensum in doctrina spiritualem. Chrysostomus serm. de anathem: *Dogmata impia et quae ab haereticis profecta arguere et anathematisare oportet, hominibus autem parcendum et pro salute eorum orandum.* Eo respicit Chytraeus, quando in praefatione libelli de vita et morte aeterna sic scribit: *Quamquam dogmata, quae in communi ecclesiarum nostrarum confessione publice repetita rejiciuntur, improbo et repudio, absit tamen, ut ipsas ecclesias, principes aut populos alicubi dissentientes propterea condemnem aut condemnandos seu flammis et suppliciis objiciendos esse censeam. Video enim Paulum ipsum, etsi Galatarum et Corinthiorum errores quosdam graviter refellit et damnat, tamen ecclesias Corinthiorum et Galatiae propterea non condemnare vel ethnicis persecutoribus trucidandas objicere, sed nihilominus amantissime complecti et fovere.* 4. Omnium minime diabolo illos tradi et omnem spem salutis ipsis praescindi, quibus errorum, quos damnamus, labem ac scabiem falsi doctores affricuerunt, sed monstrari, repudiari ac damnari doctrinas erroneas ac pertinaces earum propagatores ac defensores, nisi ad veritatem monstratam convertantur; contra vero praemoneri simpliciores, ut ab ejusmodi erroribus diligenter sibi caveant, ne divinam maledictionem sibi ipsis attrahant. 5. Denique et hoc monendum, quod si quando cum illis, qui falsae religioni addicti sunt, voce vel scriptis agendum, nequaquam ab anathematismis faciendum sit initium, sed inter sanabiles et insanabiles distinctione adhibita cum illis ex verbo Dei placide et modeste agendum, scurrilitatem, levitatem, scommata et convicia cavenda, in ἐλέγχῳ adhibenda verba

Scripturae ac modis omnibus laborandum, ut animae salutem unice a nobis in disputatione contra errantes quaeri omnibus manifestum fiat.

3. An damnandi sint nondum in conciliis auditi.

271. Quaeritur *3. an haeretii nondum in conciliis auditi ac convicti sint damnandi?* Calvinianorum perpetua est querela, inique secum agi, quod anathematum fulmina in ipsos vibrentur, cum in concilio nondum sint auditi, multo minus convicti. In praefat. orthodoxi consensus inter cetera sic scribunt: *Nos nullius erroris hactenus convicti sumus, in nulla synodo legitima damnati sumus, imo nunquam huc usque obtinere potuimus, ut controversia haec in publico conventu cognoscatur.* Sturmius in Antipapp. 4. p. 45. et alibi passim pugnat, *Calviniani dogmatis damnationem differendam esse, donec in justa synodo ex delectis viris constituta de ea disceptetur.* Jetzlerus de diuturnitate belli eucharist. caus. 13. fol. 107. *omissionem synodorum non minimam continuationis belli sacramentarii causam esse et contra justitiam atque aequitatem sacramentarios a nobis extra synodum damnari* scribit. Hospinianus in concord. discord. tragicam texit querelam *de temerario illo et ne ethnicis quidem, nedum Christianis probato auctorum concordiae ausu, quo homines innocentes nondum auditos vel haereseos aut erroris legitime convictos, partim anathematis fulmine percutere, partim aliis nationibus igni ferroque persequendos tradere non fuerint veriti.* Paraeus in Irenico id ipsum multis urget. Ejusdem argumenti est scriptum Holsaticum anno 1611. evulgatum. Pelargus in antithesibus apologeticis contra
XIII. 94. D. Bald. th. 31: *Ubi, quos ille pungit, fratres aut in synodis generalibus, aut ab universa ecclesia damnatos et legitime proscriptos docuerit Balduinus, aliis ut annumerentur sive schismaticis, sive haereticis facile assentimur. Nos conciliorum saluberrimam in ecclesia Dei auctoritatem* libenter agnoscimus cum Augustino epist. 118. quippe quae nihil aliud sunt, modo sint legitima et Christiana, quam sacri et liberi piorum doctorumque hominum conventus, in quibus judicio Scripturae adhibito collatisque inter se et examinatis rationum momentis, aut de articulis fidei controversis, aut de ceremoniis ac ritibus sive disciplina etiam ecclesiastica unanimi multorum consensu certi quid concluditur ac decernitur, veritatis ac tranquillitatis ecclesiasticae causa ac omnis ἑτεροδιδασκαλία eliminatur et damnatur. Jam vero quod a pluribus piis et eruditis quaeritur, facilius invenitur et fortius errores debellantur, qui a multis unanimi suffragio juxta Scripturae normam damnantur, ac quae deliberato plurimorum consensu statuuntur, ea deliberantur exactius et statuuntur firmius; interim negamus, absolutam quandam, adeoque talem esse conciliorum necessitatem, ut sine praevia eorum decisione falsa dogmata refutare ac damnare nullatenus liceat. 1. Nullum ex Scripturis proferri potest mandatum, quod exspectanda prius concilii definitio, antequam haereses refutentur. 2. Scripturae sacrae vel quod idem est, Spiritus sancti in Scripturis et per Scripturas loquentis judicium est publicum, perpetuum et infallibile, quo haereses damnantur, si vel nunquam in conciliis damnentur. In multis conciliis haereses sunt stabilitae, sed Scriptura sibi perpetuo constat ac nulli obnoxia est errandi periculo. 3. Ecclesiae et fides Christiana incolumis mansit ac multae haereses damnatae sunt per trecentos primos N. T. annos, antequam imperatores Christiani celebrarent concilia. Sine ulla synodo Hymenaeus, Philetus, Alexander et alii haeretici ab apostolo Paulo, Simon Magus a Petro, Nicolaitae, Ebion, Cerinthus a Johanne, Marcionitae, Valentiniani, Gnostici etc. a primitivae ecclesiae doctoribus fuere damnati. 4. Concilia haeresium damnationem non ex se et proprio arbitrio proferunt, sed ex Scripturis duntaxat repetunt, siquidem omnes haereses in Scripturis prius sunt damnatae, antequam a synodis reprobatae, imo antequam fuerint natae. 5. Huc referenda piorum veterum dicta haereticis synodum flagitantibus opposita. Cum Ariani synodum flagitarent, respondebat illis Athanasius in epist. de synod. Arimin. et Seleuc. p. 673: *Frustra circumcursitantes praetexunt se ob fidem synodos postulare, cum divina Scriptura sit omnibus potentior.* Cum Pelagiani idem urgerent, respondebat ipsis Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelag. ad Bonifac. c. 11. p. 182: *Quid est quod dicunt, de simplicibus episcopis sine congregatione synodi in locis suis sedentibus extorta subscriptio est? numquid beatissimis et in fide catholica excellentissimis viris Cypriano et Ambrosio ante istos adversus istos extorta subscriptio est, qua eorum impia dogmata tanta manifestatione subvertunt, ut quae contra eos manifestiora dicamus, vix invenire possimus? aut vero congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla haeresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit, multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandae innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quae tantum se extollit adversum Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos orientis et occidentis synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potius vigilantia et diligentia pastorali post factum illis competens sufficiens judicium ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.* 6. Cum Philippus Hassiae landgravius anno 1530. in comi- XIII.
tiis Augustanis concilium propter Cinglianos cogendum esse judicaret, Philippus Melanthon et Johannes Brentius in hanc sententiam ipsi responderunt: *Si iis rationibus concilium ab imperatore cogeretur, sicut scriptum est, posset pro concilio agnosci. At sive concilium instituatur, sive non instituatur, certe*

nemo cogendus est, ut verae et piae doctrinae, quam profitemur, renuntiet. Praeterea diligenter cavendum est, ne nimia subtilitate, quae tamen nihil habet certi, cursus doctrinae verae et certissimae impediatur, quod sane jam etiam aliqua ex parte fieri experimur. Cumque landgravius denuo urgeret, *Cinglianos nondum esse in concilio alicujus erroris convictos*, Philippus et Brentius altera vice inter cetera ad ipsum sic scripserunt: *De concilio petendo et urgendo nihil certi constituere possumus, non quod fidei nostrae certitudinem ex concilii placitis et decretis haurire et petere necesse habeamus, sed ut calumnias et mendacia, quibus multipliciter deformamur et oneramur, amoliri et abstergere possimus. Quod si Deo agente factum fuerit, nec conscientiae nostrae praegravabuntur, aut doctrinae purioris cursus, ut hactenus a Caesarea majestate impedietur, Cinglianae doctrinae defensione et propugnatione concilium minime impediendum esse arbitramur, cum probari ea et tolerari non possit.* Cum theologi Jenenses in certamine Interimistico synodum peterent, idem Philippus Melanthon in epistolis ad amicos aliquoties repetiit illud Nazianzeni ad Procopium p. 329: ἔχω μὲν οὕτως, εἰ δεῖ τἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάνια σύλλογον φεύγειν ἐπισκόπων, ὅτι μηδὲ μιᾶς συνόδου τέλος εἶδον χρηστόν etc. 7. Si non licet damnare falsa dogmata cum Scripturis pugnantia ante synodi decisionem, quo jure ipsimet damnant Pontificios, Anabaptistas, Svencfeldianos? etc. 8. Imo quo jure nostram de persona Christi confessionem accusant Eutychianismi, Marcionitismi etc. in pseudo στερεώματι Witebergensi anno 1571. edito apolog. admonit. Neostad. p. 14. cum in nulla synodo simus legitime convicti? 9. Auditi omnino sunt Calviniani in colloquiis Marpurgensi anno 1529. Maulbrunnensi anno 1564. Mumpelgartensi anno 1586. in publicis imperii comitiis et principum conventibus, in libris sexcentis in publicum utrinque editis, unde in libello εἰρηνικῷ Neostadii edito sub titulo Treuherzige Vermahnung ipsimet fatentur, *controversias utrinque hactenus agitatas sufficienter disceptatas ac definitas.* 10. Quam adhuc expetunt et exspectant synodum, ea nunquam vel certe vix speranda est, quod ex verbis Sibrandi Luberti in praefat. comment. ad 99 errores Vorstii pag. 43 manifestum, ubi sic scribit: *Cum Vorstius dicit, velle sese omnium Reformatarum ecclesiarum judicio submittere, id perinde est, ac si dicat, se non velle se ecclesiarum Reformatarum judicio submittere. Scit enim homo prudens, omnium Reformatarum ecclesiarum sive late, sive stricte vocem Reformatarum accipias, concilium nunquam convocatum iri, tam variis enim studiis tenentur principes illi, in quorum ditionibus agunt ecclesiae Reformatae, ut nunquam consensuri sint in unum aliquod generale concilium.* Haec Sibrandus uno ictu Paraei et asseclarum postulata evertens. Antequam fiat postulata a Calvinianis σύνοδος, fiet mundi ἔξοδος.

272. Quaeritur *4. an in ἐλέγχῳ approbanda sint scripta ἀνώνυμα vel ψευδώνυμα?* Ita quidam ex Jesuitis et Calvinianis sentiunt, ut ipsa praxis testatur. Sed opponimus illis *1. dictum Christi* Joh. 3, v. 20. *Omnis qui mala agit, odit lucem et non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus;* v. 21. *qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia sunt in Deo facta.* Lucifugae igitur illi ipso facto ostendunt, se non esse filios lucis, sed organa diaboli, qui est Spiritus tenebrarum. Aut enim agnoscunt et approbant veritatem, aut eandem ore quidem confitentur, corde autem negant. Si illud, non vereri debent publica nominis expressione eandem confirmare: 4. An approbanda scripta ἀνώνυμα ac ψευδώνυμα.

Carum atramentum est, quod non subscribat aperte, XIII. 96.
Cui subscripserunt sanguine mille alii.

Si hoc, agunt hypocritas pessimos. 2. *Incommoda*, quae ex suppressione vel variatione nominis oriri solent. Infirmis praebetur scandalum, quando veritatem timide propagari animadvertunt; hostes in erroribus confirmantur, cum enim *veritas nihil timeat nisi abscondi*, inde est, quod confessionem illam fidei veram et sanam esse negant, cujus confessores publice eam proponere pudet; scriptores ἀνώνυμοι armantur licentia convitiandi, calumniandi ac mentiendi. Quemadmodum enim peregrina veste induti quidvis agendi licentiam sibi arrogant; ita quoque illi, qui alieni nominis schema sibi assumunt, quidvis pro libitu fingere et audacter conviciari sibi licitum esse existimant, cum demonstrandi labore sint sublevati. 3. *Exempla prophetarum, evangelistarum et apostolorum*, qui scriptis suis nomina praefixerunt. Idem observarunt primitivae ecclesiae patres et cordati nostrae aetatis theologi. Vide Lutherum tom. 1. Jen. Germ. f. 477. in lib. cui titulus Unterricht der Beichtkinder tom. 4. Jen. Germ. f. 508. in lib. cui titulus Chriſtliche Ermahnung an den Churfürſt zu Brandenburg. **Tom. 5. Jen. Germ. f. 551: Der H. Geiſt ſchleicht nicht, ſondern flieget öffentlich vom Himmel, die Schlangen ſchleichen, aber die Tauben fliegen; darum iſt ſolch ſchleichen der rechte Gang des Teufels, das fehlt nimmermehr. tom. 1. f. 425: Wann ich ſolchen Zug und Flug des Lichtes ſpüre, wie kann ich mich fürchten vor den blinden Maulwürfen, die das Licht ſcheuen. Et postea: Das iſt gewißlich der Teufel, der heimlich und meuchlings ſo herum ſchleichet. Lutherus de se ipso tom. 4. p. 508. er habe wider Kaiſer, Könige, Päpſte und andere hohe Perſonen ſcharfe Schriften müſſen verfertigen, aber ſeinen Namen jederzeit fürgeſetzet und aufs Blatt geheftet.** 4. *Leges civiles*, quae mutationem nominis si dolo malo et in alterius damnum fiat, poenis subjiciunt. l. unic. C. de mutat. nominis: *Mutare nomen vel praenomen sive cognomen sine aliqua fraude licito jure, si liberes, minime prohiberis.* Ergo a contrario sensu, si cum fraude et pernicie proximi mutatio illa nominis suscipiatur, prohibita est censenda. l. Falsi 13. ff. de

lege Cornelia de falsis: *Falsi nominis vel cognominis asseveratio poena falsi coërcetur.* In decretis comitiorum Augustanorum anno 1545. expresse prohibitum, *ne quis vel sine nomine, vel mutato nomine scripta in publicum edat.* **De famosis pasquillis l. unic. C. de famos. libell. Peinliche Hals-Gerichts-Ordnung art. 110. In decretis imperii non solum famosi libelli, sed etiam scripta ἀνώνυμα καὶ ψευδώνυμα prohibentur. Abſchied zu Augsb. ann. 1548. p. 403. zu Speier ann. 1570. fol. 666.** *5. Propriorum asseclarum testimonia.* Boquinus in assert. veri et veteris Christianismi c. 1. scribit, *non leviter peccare eos, qui nomina sibi minime convenientia in rebus religionis assumunt.* Bullingerus contra lib. Polon. anno 1566. Tigur. edit. *dissimulationem ac mutationem nominum in hujusmodi scriptis eo* dicit *fieri consilio, ut licentius ceu ex plaustro conviciorum et calumniarum nimbos profundant isti lucifugae in innoxios et ita cum omnibus impuris convitiatoribus communia convitia cacodoxas potius quam orthodoxas proferre possint doctrinas.* Quae in contrariam partem afferuntur, facilem habent explicationem, si distinguatur inter scripta didactica et elenctica, inter factum et jus, inter calliditatem politicam et candorem ac simplicitatem theologicam.

2. Sacramentorum dispensatio. 273. *2. Sacramentorum dispensationem* ad ecclesiae ministros ordinarie spectare ostendimus in tract. de sacram. §. 28. de baptismo §. 19. ubi tamen monendum, in sacramento initiationis, quale in V. T. fuit circumcisio, in N. T. est baptismus, urgente extrema necessitate etiam aliis ecclesiae membris administrationem ejus esse permittendam, ut late ostendimus in tract. de bapt. §. 23. Circa sacramentorum dispensationem minister observet, 1. ne indignos ad eorum participationem admittat Matth. 7, v. 6: *Nolite sanctum dare canibus neque margaritas projicere porcis.* Ambrosius lib. 2.
XIII. 97. de poenit. c. 9: *Praeceptum est, nolite sanctum dare canibus* etc. *hoc est immundis impuritatibus sacrae communionis non impertienda consortia;* in quam sententiam plura adduximus in tract. de eucharist. §. 222. et seqq. 2. ut in dispensatione sacramentorum institutionem Christi et praxin apostolorum diligenter observet ac rejectis inutilibus et superfluis ceremoniis, quam potest fieri simplicissime, juxta regulam modo traditam ea administret.

3. Pro commisso grege precatio. 274. 3. *Pro commisso sibi grege precationem* ministro ecclesiae commendatam esse debere ostendunt *1. dicta generalia*, quae ab omnibus vere piis requirunt, ut pro se invicem orent et precibus suis aliorum etiam salutem complectantur. Jac. 5, v. 16: εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων. Forma precum a Christo nobis praescripta totum ecclesiae corpus mysticum complectitur. *2. Exemplum Christi*, qui in seriis ad Deum precibus orat pro apostolis et omnibus, qui per verbum illorum erant in ipsum credituri Joh. 17, v. 20. *3. Exempla Moysis, Samuelis, prophetarum et apostolorum*, qui pro auditoribus suis vota ad Deum fecerunt. Exod. 32. v. 11: *Moyses orabat Dominum dicens: Cur domine irascitur furor tuus contra populum tuum?* Deut. 9, v. 18: *Procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus panem non comedens et aquam non bibens propter omnia peccata vestra, quae gessistis contra Dominum.* Lev. 5, v. 6: *Orabit pro eo sacerdos, qui inconsiderate juravit.* c. 16, v. 34: *Statutum hoc sempiternum, ut oretis pro filiis Israël.* 1. Sam. 12, v. 23: *Absit a me*, inquit Samuel ad Israëlitas, *ut peccem Jehovam cessando orare pro vobis* (ergo ministri ecclesiae graviter peccant negligentes preces pro commisso sibi grege). Esa. 63, v. 16: *Tu Domine pater noster, redemtor noster, a seculo hoc nomen tuum*, v. 17. *quare errare nos fecesti de viis tuis?* etc. Jer. 23, v. 3: *Jubetur propheta orare ad Dominum pro populo.* c. 37, v. 3: Sedecias ad prophetam dicit: *Ora pro nobis Dominum Deum nostrum.* Dan. 9, v. 17: *Exaudi Deus noster orationem servi tui et preces ejus, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum* etc. 2. Cor. 13, v. 7: *Oramus Deum, ut nihil mali faciatis,* v. 9. *oramus vestram consummationem.* Eph. 1, v. 15: *Audiens fidem vestram in Christo et dilectionem in omnes sanctos* v. 16. *non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis,* v. 17. *ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriae, det vobis Spiritum sapientiae et revelationis.* Eph. 3, v. 14: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis corroborari per Spiritum ejus.* Phil. 1, v. 4: *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens* v. 9. *hoc oro, ut caritas vestra magis abundet.* Col. 1, v. 3: *Gratias agimus Deo semper pro vobis orantes.* 2. Thess. 1, v. 11: *Oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus noster et impleat omnem voluntatem bonam et opus fidei in virtute.* De Polycarpo Johannis Evangelistae discipulo commemorat apud Eusebium lib. 4. hist. c. 15. epistola ecclesiae Smyrnensis, quod imminente martyrii tempore dies noctesque nihil fecerit aliud, quam quod precibus immoratus sit, quibus pro pace omnibus per orbem ecclesiis impetranda suppliciter oraverit. *4. Preces ecclesiae* pro pastoribus requirunt, ut pastores vicissim pro ecclesia sibi commissa orent. Act. 12, v. 5: *Oratio sine intermissione ab ecclesia fiebat pro Petro ad Deum.* Col. 4, v. 3: *Orantes simul pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* 1. Thess. 5, v. 25: *Fratres orate pro nobis.* 2. Thess. 3, v. 1. Hebr. 13, v. 18. etc. *5. Summa necessitas* requirit, ut praedicationi verbi conjungantur preces, siquidem absque coelestis benedictionis gratia semen verbi non est efficax ad proferendos fructus in auditorum cordibus 1. Cor. 3, v. 6. jam vero fluenta divinae benedictionis non descendunt ad homines nisi per canales piae ac devotae orationis. Diabolus rapit semen verbi ex cordibus eorum, qui audiunt et non intelligunt Matth. 13, v. 19. sed clamore orationis infernales istae aves abigendae. *Circuit diabolus tanquam leo rugiens,* XIII.

XIII. 9. *quem devoret quaerens, huic fide et precibus resistendum* 1. Petr. 5, v. 8. et 9. πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός? inquit apostolus de ministerii ecclesiastici officiis tractans 2. Cor. 2, v. 16. sed illa ἱκανότης ἐκ τοῦ θεοῦ 2. Cor. 3, v. 5. a quo unice piis precibus est impetranda. Ad preces illas pertinet etiam *benedictio ecclesiastica generalis*, ministrorum ordini peculiariter demandata Num. 6, v. 23. ut cum ea concio dimittatur; itemque specialis novorum *conjugum benedictio*, quae tamen certo respectu etiam ad ritus ecclesiasticos, de quibus inferius dicetur, referri poterit. Observatur ea tamen propter conjugii honestatem et dignitatem, ut sit publicum testimonium divinae institutionis, tum propter distinctionem divinae et illicitae conjunctionis, soli enim illi a Deo conjuncti aestimandi, quos non insana libido, sed parentum consensus et ecclesiae minister Dei nomine conjunxit, tum propter sanctionis hujus ecclesiasticae antiquitatem. Teste enim Platina in vit. pontif. fol 23. Soter primus, qui imperante Antonino Commodo episcopatum Romanum administravit, instituit, ne legitima haberetur uxor, nisi cui sacerdos ex instituto benedixisset, ac mentio fit hujus antiquissimae consuetudinis in conc. Carth. IV. an. 436. celebrato et in Novel. Leon. 89.

I. Vitae et morum honesta gubernatio.

275. *4. Vitae et morum honestam gubernationem* a ministro ecclesiae vel maxime requiri ostendunt: *1. Canones apostolici* episcopis ac diaconis praescripti. 1. Tim. 1, v. 18: *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, ut milites bonam militiam,* v. 19. *retinens fidem et bonam conscientiam.* c. 3, v. 2: *Oportet episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem*, διδακτικόν, v. 4. *qui domui suae bene praesit, filios habentem subditos cum omni castitate,* v. 6. *non neophytum* etc. v. 8. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpis lucri cupidos,* v. 9. *habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Ac diserte addit apostolus v. 15: *Haec tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia.* c. 4, v. 7: *Exerce te ipsum ad pietatem.* v. 12. τύπος, *exemplum, esto fidelium in verbo, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate.* c. 6, v. 11: *Tu o homo Dei haec fuge* (avaritiam scilicet et ambitionem), *sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem.* 2. Tim. 2, v. 15: σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ θεῷ. v. 22. *Juvenilia desideria fuge, sectare vero justitiam, fidem, caritatem et pacem cum iis, qui invocant Dominum ex puro corde.* Tit. 1, v. 7: *Oportet episcopum esse sine crimine, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum,* v. 8. *sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.* c. 2, v. 7: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina integritatem, gravitatem* etc. *2. Incommoda et scandala*, quae oriri consuevere ex ministrorum vitiis. Rom. 2, v. 21: *Qui alium doces, te ipsum non doces, qui praedicas, non furandum, furaris* etc. v. 24. *nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Quamvis enim verbi et sacramentorum efficacia nequaquam dependeat a ministri dignitate vel indignitate, ut ostendimus in tract. de sacr. §. 30. res ipsa tamen manifestum facit, cursui doctrinae coelestis et fructificationi verbi non mediocrem remoram atque impedimentum objici per ministrorum improbitatem. Docendi auctoritas perditur, quando vox opere non adjuvatur. Qui recte docent et impie vivunt, illi quod sincera doctrina aedificant, malis moribus iterum destruunt; coelum aedificant voce, vita vero infernum; linguam Deo, animam consecrant diabolo; similes sunt statuis Mercurialibus, quae aliis viam ostendunt, quam ipsae non ingrediuntur; similes sunt fabris lignariis, qui in exstructione arcae Noacho auxiliares operas praestiterunt, parantes enim aliis arcam, in qua a diluvio fuere liberati, ipsi in diluvio perierunt. Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. c. 27: *Habet ut obedienter audiatur, quantacunque granditate dictionis majus pondus vita docentis.* Idem epist. 112: *Plus valet* XIII. 99.
vivendi quam loquendi modus. Hilarius can. 5. in Matth.: *Optimum est exemplo potius docere quam dictis.* Cyprianus de dupl. Mart. p. 362: *Efficacius est vitae quam linguae testimonium.* Lactantius lib. 3. instit. c. 16. p. 159: *Bonum est recta et honesta praecipere, sed nisi et facias, mendacium est et incongruens atque ineptum non in pectore, sed in labiis habere bonitatem.* Idem lib. 4. instit. c. 23: *Homines malunt exempla quam verba, quia loqui facile est, praestare autem difficile, utinamque tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene.* E contrario autem *honoratur ministerium morum gravitate, consiliorum maturitate et actuum honestate*, ut loquitur Bernhardus epist. 28. *3. Divinae comminationes* adversus ministros impios prolatae. Psalm. 50, v. 16: *Impio dixit Deus: Cur recitas statuta mea et assumis testamentum meum per os tuum?* v. 22. *Arguam te et statuam contra faciem tuam.* Matth. 5, v. 19: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus* (id est nullus) *vocabitur in regno coelorum; qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum*, in quae verba sic commentatur Ignatius epist. 11. ad Ephesios p. 63. edit. Antwerp.: *ἄμεινόν ἐστι σιωπᾶν καὶ εἶναι ἢ λαλεῖν καὶ μὴ εἶναι. οὐκ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει. Καλὸν τὸ διδάσκειν, ἐὰν ὁ λέγων ποιῇ, ὃς γὰρ ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας ἐν τῇ βασιλείᾳ.* Chrysostomus homil. 43. in c. 23. Matth. ac citatur c. Multi. dist. 40: *Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit cathedrae, qui male sederit, injuriam facit cathedrae; ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem, in judicio enim tuo sedes, siquidem bene vixeris et bene docueris, populum instruis; si bene docueris et male vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene vivendo et bene docendo populum instruis, quomodo vivere debeat; bene autem docendo et male*

vivendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare. Prosper in sent. August.: *Bene loqui et prave vivere nihil aliud est quam sua se voce damnare.* 4. *Absurda vitae et orationis atque status discrepantia. Insolens est,* inquit Nazianzeus in carmin. *videre aberrantem viae ducem et medicum aliorum ipsum ulceribus scatentem.* Ambrosius lib. 10. epist. 82: *Quis ferat, si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit? si curam suscipiat animae alienae, qui suam nequit custodire? Monstrosa res est,* inquit Bernhardus, *gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita ima, lingua magniloqua et manus otiosa, sermo multus et fructus nullus, vultus gravis et actus levis, ingens auctoritas et nutans stabilitas. An non confusio et ignominia est,* scribit Hieronymus in cap. 2. Mich. *Jesum crucifixum, pauperem et esurientem farctis praedicare corporibus et jejuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre?* 5. *Exemplum Christi, apostolorum et piorum ecclesiae doctorum,* qui non verbis solum, sed et vitae exemplo auditores suos instruxerunt. De Christo dicunt discipuli euntes in Emaus Luc. 24, v. 19. quod fuerit propheta *potens in opere et sermone,* ac Lucas Actor. 1, v. 1. *quod coeperit facere ac docere,* id quod Ignatius d. l. accommodat ad exemplar vitae sanctae omnibus veris ecclesiae ministris ad imitandum propositum. Paulus de se ipso dicit 1. Cor. 9, v. 27: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne aliis praedicans ipse reprobus efficiar. Si ergo in apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed etiam conversationem et abstinentiam,* ut recte colligit Hieronymus d. l. 6. *Typi V. T.* Gregorius part. 1. pastoral. c. 4. et citatur c. Sit rector. dist. 43: *Moysi praecipitur in Exodo c. 28. ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur* etc. *aperte autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta, testimentà enim sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere? propheta testante qui ait in Psalmis: Sacerdotes tui induantur justitia. Vestimentis itaque illius tintinnabula inhaerent, si vitae viam cum linguae sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament.* Gratianus dist. 40. in
XIII. 100. princ. ex veteribus: *Oportet episcopum esse ornatum: per ornamenta episcopalia virtutes debent intelligi, quae a Domino eis repromittuntur, dum dicitur: Sacerdotes ejus induentur salutari, unde in V. T. variis vestibus ex praecepto Domini sacerdotes ornati leguntur, quia multimodis virtutibus debet splendere vita Pontificis, ut gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit,* Berthor. in allegor. Summus Pontifex habebat superhumerale et rationale, hoc est ministri ecclesiae debent habere bonam conversationem et doctrinam. Rationale debet conjungi cum superhumerali Exod. 28, v. 22. hoc est vita a doctrina non discordet. Camerarius part. 1. meditat. succisiv. c. 22. ex veterib.: *In fabrica templi Salomonis coelati non tantum leones, sed et boves et Cherubim, ut is, qui regit populos, sit vigilans et in tuendis justitiae legibus fortis ut leo, modestiae legibus commode ligatus ut bos, et ita demum scientiae luce dotatus ut Cherubim.* Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 151. pag. 39: *Dei sacerdos, quoniam ad Deum appropinquat, animalium illorum multis oculis praeditorum in morem* (κατὰ τὰ πολυόμματα ζῶα) Ezech. 1. et 10. capp. *omni ex parte oculus esse debet, eorum instar nihil nesciens* etc. Facies leonis denotat infractum animum adversus quaevis pericula; facies bovis notat laborum tolerantiam, unde Paulus ad ministros ecclesiae accommodat legem Mosaicam: *Bovi trituranti non alligabis os* 1. Tim. 5, v. 18. facies hominis denotat humanitatem, quia infirmos tractent; facies aquilae notat animum ad coelestia a terrenis evehendum.

276. Ceterum *virtutes,* quas in ecclesiae ministro apostolus 1. Tim. 3. Tit. 1. requirit, superius in duas classes distinximus. Quaedam enim sunt *communes* ipsi cum aliis vere piis, quaedam vero ipsi *propriae* ac peculiares; illae personam, hae vero officium, illae vitam ac morés, hae vero doctrinam ministri potissimum concernunt. Virtutes communes eo modo subdistingui possunt, ut quaedam referantur *ad primam,* quaedam *ad secundam* decalogi tabulam. Ad primam decalogi tabulam pertinet, quod episcopus debeat esse ὅσιος, *pius ac sanctus* Tit. 1, v. 8. Cum enim ad pietatem et sanctitatem alios vel maxime cohortari debeat, omnino requiritur, ut ipse quoque sanctae erga Deum pietati studeat. Praelucet hac in parte ministris ecclesiae Christus ἀρχιποιμήν, qui et ipse dicitur ὅσιος Act. 2, v. 27. c. 13, v. 35. Hebr. 7, v. 26. itemque apostoli, de quibus Paulus dicit, quod ὁσίως καὶ δικαίως καὶ ἀμέμπτως conversati fuerint 1. Thess. 2, v. 10. Virtutes ad secundam decalogi tabulam pertinentes, *tum per* θέσιν, *tum per* ἄρσιν, exprimi diximus superius; hoc loco alia utemur divisione; quaedam enim generalibus appellationibus obedientiam erga secundam decalogi tabulam in genere complectentibus exprimuntur; idque tum per ἄρσιν, quod episcopus debeat esse ἀνεπίληπτος 1. Tim. 3, v. 2. καὶ ἀνέγκλητος Tit. 1, v. 6. tum per θέσιν, quod debet esse δίκαιος Tit. 1, v. 8. κόσμιος 1. Tim. 3, v. 2. καὶ σεμνός v. 8. quaedam vero in specie certi alicujus praecepti obedientiam requirunt. Primo episcopus debet esse ἀνεπίληπτος. ἐπίληπτοι dicuntur tum morbo comitiali laborantes, quo ita corripiuntur, ut nullum membrum movere possint; tum crimini et accusationi justae obnoxii, ἐπιλαμβάνεσθαι enim est tum apprehendere et sistere, tum reprehendere et corripere. ἀνεπίληπτος igitur est, qui reprehendi juste non potest, qui reprehensioni non est obnoxius. Apud Thucydidem lib. 5. p. 170. κἂν αὐτὸς τοῖς ἐχθροῖς ἀνεπίληπτος εἶναι, id scholiastes exponit, μὴ παρέξων κατηγορίας ἀφορμήν, *criminationis materiam non praebiturus.*

Virtute ministr duplice

Debet esse ἀνεπίληπτος

277. 2. Idem notat verbum ἀνέγκλητος, *inculpatus, irreprehensus,* cui nullum crimen juste objici potest; ἐγκαλεῖσθαι enim est accusari, reprehendi; τὰ

Ἀνέγκλητος.

ἐγκεκλημένα sunt objecta in judiciis loco probri sive criminis. Usurpatur in genere de omnibus vere piis 1. Cor. 1, v. 8. Coloss. 1, v. 22. apud LXX interpretes in V. T. neutrum vocabulum occurrit. Re-
II. 101. quiritur proinde ab episcopo, ut inculpatam et irreprehensibilem vitam transigat nec gravioribus criminibus sese obnoxium reddat. Gregorius part. 1. pastoralis c. 11. ac citatur c. Ecce. dist. 49: *Solicite formidandum est, ne, qui placare posse iram Dei creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquido novimus, quia cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Solerter ergo se quisque metiatur nec locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat, ne is, quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum.* An autem illi, qui in gravius aliquod crimen prolabuntur, postquam poenitentiam egerunt, ecclesiasticis officiis praefici vel ad ea revocari possint, de eo plurima eademque contraria extant in jure canonico decreta. dist. 50. Gregorius lib. 7. epist. 53. merito urget exemplum *Petri, Quid gravius est* (inquit) *aut carnale delictum committere, sine quo pauci inveniuntur, aut Dei filium jurejurando negare, in quo ipsum Petrum lapsum esse cognovimus? sed post negationem poenitentia secuta est, et post poenitentiam misericordia data est, quia ab apostolatu eum non expulit, qui ante quidem ipsum se negare praedixit.* Hieronymus in c. 3. Mich. profert exemplum *Davidis*, qui post adulterium et homicidium perpetratum dicit Psalm. 51: *Docebo iniquos vias tuas.* Augustinus epist 150. ad Bonifac. distinguit inter rigorem juris et ἐπιείκειαν. *Ut constitueretur* (inquit) *in ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis poenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu permaneat, non desperatione indulgentiae, sed rigore factum est disciplinae, alioquin contra claves ecclesiae disputabitur, de quibus dictum est: Quaecunque solveritis super terram, soluta erunt et in coelo. Sed ne forte etiam de ceteris criminibus spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbe ageret poenitentiam, severissime placuit, ut post actam poenitentiam de damnabili crimine nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major et verior esset humilitatis* etc. Isidorus ad Massanum distinguit inter poenitentes et impoenitentes: *Illos* (inquit) *ad pristinos gradus redire canones praecipiunt, quos poenitentiae praecessit satisfactio, vel condigna peccatorum confessio. At contra hi, qui neque a vitio corruptionis emendantur atque hoc ipsum carnale delictum, quod admittunt, vendicare quadam superstitiosa temeritate nituntur, nec gradum utique honoris, nec gratiam recipiunt communionis. Ita ergo determinanda est sententia, ut necesse sit illos restaurari in locum honoris, qui per poenitentiam reconciliationem merentur divinae pietatis; hi enim non immerito consequuntur ademtae dignitatis statum, qui per emendationem poenitentiae recepisse noscuntur remedium vitae.* Rabanus ad Heribaldum distinguit inter crimina publica et occulta: *Qui deprehensi* (inquit) *fuerint publice in perjurio, furto ac fornicatione et ceteris hujusmodi criminibus, secundum canonum sacrorum instituta a proprio gradu decidant, quia scandalum est populo Dei tales personas supra se positas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat; qui autem de praedictis peccatis absconse a se admissis peccata per occultam confessionem coram angelis Dei praesente etiam sacerdote, qui eis inducturus est poenitentiam, confitentur et semet ipsos graviter deliquisse queruntur, his etiam gradu servato spes veniae de misericordia Dei promittenda est.* Circumstantiarum diligens et accurata consideratio manifestum faciet, quid in ejusmodi casibus faciendum sit. Cumprimis distinguendus est necessitatis casus ab ordinaria regula. Si alii idonei ecclesiae ministri haberi possunt, nequaquam vel eligendi, vel recovandi sunt, qui in gravius aliquod delictum fuere prolapsi, etiam post peractam poenitentiam; sin minus, praestat tales admittere, quam ecclesiam necessariis ministris destitui.

278. Virtutes *ad secundam decalogi tabulam* Δίκαιος.
pertinentes, *ac generalibus* appellationibus obedientiam erga eam γενικῶς requirentibus κατὰ θέσιν expressae hae sunt, quod episcopus debeat esse δίκαιος, κόσμιος καὶ σεμνός. 1. Per δικαιότητα XIII. 102.
Tit. 1, v. 8. possit quidem in specie intelligi *justitia particularis*, quae est virtus septimi praecepti, ut opponatur τῇ αἰσχροκερδίᾳ cujus praeced. v. fit mentio, sed quia conjungitur vocabulum ὅσιος, quod est generale, obedientiam erga primam decalogi tabulam exprimens; ideo rectius videtur generaliter accipi pro *justitia universali*, sicut eo sensu etiam alibi ὅσιος καὶ δίκαιος conjunguntur Luc. 1, v. 75. Ephes. 4, v. 24. 1. Thessal. 2, v. 10. Requiritur igitur ab episcopo, ut erga proximum sese gerat δικαίως, sicut erga Deum sese gerere debet εὐσεβῶς καὶ ὁσίως. 2. Κόσμιος significat Κόσμιος.
eum, *qui moribus est compositis*, qui recte atque ordine omnia agit, a κοσμέω, quod est ordino, compono, Lutherus vertit ſittig; item orno, unde vulgata versio reddidit *ornatum*, non adeo absurde, quia compositi mores sunt maximum hominis ornamentum, inde in jure canonico exigitur, ut episcopi et ecclesiastici sint ornati exterius et interius. c. Nos qui. dist. 40. ex Gregorio: *Nos qui praesumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus.* dist. 41. in princ.: *Oportet episcopum esse ornatum etiam in exterioribus, habitu videlicet et incessu. Habitu, ut nec fulgidis, nec sordidis se vestibus ornet.* Ut enim ait Hieronymus: *Nec affectatae sordes, nec exquisitae deliciae laudes pariunt*, quod tam de vestibus quam de cibis intelligendum est. c. Episcopus dist. ead. ex concil. Carthag. 4. can. 17: *Episcopus vilem supellectilem et mensam ac victum pauperem habeat et dignitatis suae auctoritatem fidei et vitae meritis quaerat*, sed ibi glossa asscripsit: *Hoc hodie non*

Σεμνός. *tenetur.* 3. *Σεμνός* quandoque in malam partem accipitur ut sit *ὁ ὑπερήφανος καὶ μὴ ὁμιλητικός*, tumidus, odiose et immodice gravis, sed hoc loco in laude ponitur pro eo, qui est cum auctoritate et modestia gravis, qui in verbis, factis, vita ac moribus ita se gerit, ut reverentiam quandam erga se in animis auditorum ac spectatorum sibi conciliet. Lutherus vertit ehrbar. LXX utuntur pro נָעֵם *gratus, acceptus fuit* Prov. 15, v. 27. quia gravitas cum modestia et comitate suavissima quadam *συζυγίᾳ* copulata gratum et acceptum reddit hominem. Vulgata *pudicus*..

279. Virtutes *ad secundam decalogi tabulam* pertinentes *et in specie* certi alicujus praecepti obedientiam requirentes sic distingui possunt, ut quaedam referantur *ad quartum*, quaedam *ad quintum*, quaedam *ad sextum*, quaedam *ad septimum*, quaedam *ad octavum* praeceptum. Ad quartum decalogi praeceptum pertinet, quod episcopus debeat esse *τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενος, τέκνα ἔχων ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνότητος* 1. Tim. 3, v. 4. *τέκνα ἔχων πιστὰ μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας ἢ ἀνυπότακτα* Tit. 1, v. 6. quod ipsum etiam a diaconis requiritur, ut sint *τέκνων καλῶς προϊστάμενοι καὶ τῶν ἰδίων οἴκων* 1. Tim. 3, v. 12. Is vero domui ac liberis recte praeesse censendus, non qui in id unice incumbit, ut divitias corradat ac de liberali sustentatione suis prospiciat, sed qui liberos et domesticos suos enutrit *in institutione et commonefactione Domini*, ut exponit apostolus Eph. 6, v. 4. ac liberos habet non luxuriosos et immorigeros, sed cum omni honestate subjectos ac fideles, ut his ipsis in locis explicat. Quare vero ab episcopo requiratur, ut domui suae hac ratione bene praesit, ejus rei causam *παρενθετικῶς* apostolus subjungit: *Si quis domui suae praeesse nescit, quomodo ecclesiam Dei curabit?* in quo est argumentum a minori ad majus. Qui domui propriae nescit praeesse, quomodo ecclesiae, quae est *Dei domus* 1. Tim. 3, v. 15. recte praeesse poterit 1. Tim. 5, v. 17. Qui liberos ac domesticos suos in officio continere nescit, quomodo totum coetum ecclesiasticum in officio continebit? Chrysostomus homil. 10. in 1. Tim. 3: *δεῖ οἴκοθεν παρέχεσθαι τὰ παραδείγματα· τίς γὰρ πιστεύσειεν, ὅτι τὸν ἀλλότριον ὑποτάξει τὸν υἱὸν μὴ ὑποτάξας; τοῦτο καὶ ἔξωθέν φασιν, ὅτι ὁ οἰκονομικὸς καὶ πολιτικὸς ἂν γένοιτο ταχέως, ταὐτὸ γάρ ἐστιν ἐκκλησία ὡσανεὶ μικρὰ οἰκία.*

Ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενος.

XII. 103. *Oportet, ut ex vicino atque ex re domestica virtutis suae episcopus praebeat indicia. Quis enim crederet, illum alienos quosque subjectos habiturum, qui filios non habuerit subditos? Hoc et externae sapientiae auctores ajunt, ut qui rem familiarem suam rite administraverit, rei quoque publicae convenienter possit contrectare negotia. Est enim ecclesia velut domus quaedam* etc. Liberorum ac domesticorum vitia arguunt negligentiam parentum ac patrumfamilias in oeconomia recte gubernanda; at qui in privatae oeconomiae gubernatione negligens est, quomodo de ecclesiae recta gubernatione admodum solicitus erit? Consideretur exemplum sacerdotis Eli, de quo 1. Sam. 3, v. 13. dicit Dominus: *Praedixi Eli, quod judicaturus essem domum ejus in aeternum propter iniquitatem, eo quod noverat filios suos contemtores esse et non contraxerit frontem contra eos.*

280. Ad quintum decalogi praeceptum pertinet, quod episcopus debeat esse *μὴ πλήκτης* 1. Tim. 3, v. 3. *μὴ αὐθάδης, μὴ ὀργίλος* Tit. 1, v. 7. sed *φιλόξενος* 1. Tim. 3, v. 2. *ἐπιεικής, ἄμαχος*, v. 3. *φιλάγαθος* Tit. 1, v. 8. 1. *Πλήκτης* dicitur, qui promtus est ad verbera incutienda. Plutarchus in Fab. *κατὰ χεῖρα πλήκτης*, manu promtus, a *πλήττειν* ferire, percutere. Chrysostomus in comm. 1. Tim. 3. ad linguae verbera sive ad convitia refert, sic enim scribit homil. 10: *οὐ τὸν μὴ πλήττοντα φησὶν ταῖς χερσὶν ἐνταῦθα φησίν· τί οὖν ἐστι μὴ πλήκτην; ἐπειδὴ εἰσὶν ἀκαίρως τινὲς πλήττοντες τῶν ἀδελφῶν τὴν συνείδησιν, τούτους νῦν αἰνίττεσθαί μοι δοκεῖ.* et in comm. Tit. 1. homil. 2: *μὴ πλήκτην, τὸν ὑβριστὴν ἐνταῦθά φησιν· νουθετοῦντα γὰρ ἢ ἐπιπλήττοντα πάντα χρὴ ποιεῖν μὴ ὑβρίζοντα.* Eadem est Hieronymi sententia, qui ad linguae acerbitatem illud refert, ne scilicet *episcopus sit saevus et improbus objurgator*, sicut cap. 5. v. 1. dicitur, *πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς*. Sed rectius accipitur de percussione corporis, *πληκτίζεσθαι* enim, quod verbum ex illo descendit, significat contendere ad plagas usque, in altercatione usque ad plagas venire. Eustathius Iliad. *φθι* annotat *πληκτίζεσθαι* poni pro *τὸ μάχεσθαι* vel *ἐρίζειν ἕως πληγῆς*, unde Chrysostomus ipse sic accipit, quando ibidem egregiam illam sententiam *αἰτιολογικῶς* subjungit: *Ἰατρός ἐστιν ὁ διδάσκαλος τῶν ψυχῶν, ὁ δὲ ἰατρὸς οὐ πλήττει, ἀλλὰ τὰ πεπληγότα διορθοῦται καὶ θεραπεύει, medicus est animarum doctor. Porro medicus minime percuit, verum etsi forte se aeger percusserit, corrigit, emendat et curat.* Lutherus vertit: Ein Biſchof ſoll nicht pochen. 2. *Αὐθάδης* est sibi ipsi placens, arrogans, superbus, qui ita sibi placet, ut alios prae se contemnat, ab *αὐτός* et *ἁδεῖν*, quod est placere, ut docet Aristoteles lib. 1. magn. ethicorum. Vulgo exponunt *contumax* et *praefractus*, quia ex arrogantia pertinacia solet oriri, ac Cicero *αὐθάδειαν* reddit pervicaciam, quo respiciens Lutherus hoc loco vertit eigenſinnig, et in margine annotat, der ſeinen eigen Kopf hat, Niemand weichet, man muß ihm weichen, wie man ſpricht: Mit dem Kopf hindurch. 2. Petr. 2, v. 10. conjunguntur *τολμηταὶ καὶ αὐθάδεις*, ubi vulgata reddidit *sibi placentes*, et hoc loco *superbos*. LXX interpretes Genes. 49, v. 7. utuntur pro עַז obfirmatus, contumax. Sensus igitur est, quod episcopus non debeat sibi eo modo placere, ut pertinaciter suae opinioni inhaereat, contra vero neminem audiat, sed omnes suis cogat obsequi cogitatis. 3. *Ὀργίλος* est *iracundus*, qui facile ad iram concitari se patitur. Aristot. lib. 4. ethic. c. 5: *οἱ μὲν οὖν ὀργίλοι ταχέως μὲν ὀργίζονται καὶ οἷς οὐ δεῖ καὶ ἐφ' οἷς οὐ δεῖ καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ· παύονται δὲ ταχέως.* Dicuntur alias *ὀξύχολοι* ac *πικρόχολοι*,

Μὴ πλή

Μὴ θάδ

Μὴ γίλ

denen die Laus bald über die Leber läuft, Lutherus vertit zornig. LXX interpretes utuntur pro אִישׁ אַף Prov. 29, v. 20. *vir narium*, hoc est pronus ad iram, qua nares sufflantur. Item אִישׁ חֵמָה Prov. 29, v. 24. *vir ardoris* et excandescentiae. Sensus igitur est, quod episcopus non debeat esse ad iram pronus, levi de causa iras suscipiens etc. rationem egregiam addit Chrysostomus in comm.
104. Tit. 1: *Qua ratione docebit alios hoc vitio irae temperare, qui se ipsum ante non docuit? quippe plurima in dies hujusmodi principatus parit crimina molestumque et ingratum facit, etiam si quis modestissimus fuerit innumerasque quotidie necessitates iracundia suggerit. Nisi igitur quisque ad hoc longe praemeditatus accesserit, molestissimus erit plurimaque corrumpet ac perimet ex his, quae*
Φιλό-ξενος. *sui muneris sunt.* 4. *Φιλόξενος* est *hospitalis*, qui alios lubens hospitio recipit, Lutherus gaſtfrei. Petrus 1. epist. 4, v. 9. ab omnibus Christianis in genere requirit, ut sint *φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους ἄνευ γογγυσμῶν*, sed hic in specie cumprimis illud requiritur ab episcopis. Erant tunc temporis propter persecutiones exilia crebriora, necdum constituta erant diversoria publica, *φιλοξενίαν* igitur in episcopo requirit apostolus, ut ipsius domus sit exulum refugium ac receptaculum. in princ. dist. 42: *Hospitalem sacerdotem esse oportet, ne sit de numero eorum, quibus in judicio dicetur: Hospes fui, et non suscepistis me. Qui enim apostolum secutus fuerit, alios ad hospitalitatem debet invitare. Quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim sacerdos primum a se ipso et a domestica sua ecclesia debet exigere, quod postea populis imperet, si primum imitando Christum ipse debet facere, quae postea populum doceat, necesse est ut pauperes hospitio recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos attrahat. Ordinandus itaque sacerdos ad memoriam revocet, quomodo Abraham et Loth per hospitalitatis opera Deo placere et angelos meruerunt hospitio recipere, et quomodo angeli Sodomis hospitalem domum ingressi Loth cum familia sua liberaverunt, quomodo clausas domos cum hospitibus ignis ingressus perdiderit, quomodo etiam secundum Hieronymum in regul. monach. aliena rapere convincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur* etc. Si vidua ab ecclesia recipi prohibetur, quae pauperes non recipit hospitio, quae pedes sanctorum non lavit, quae omne opus bonum non est exsecuta, multo magis sunt prohibendi a sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni. Cavendum vero ministris ecclesiae, ne sint *φιλόξενοι* passive, gaudentes aliena vivere quadra, neve hospitalitas degeneret in crebras commessationes, qua de re in constit. eccles. electorali Saxonica art. gener. 16. p. 337. sic praecipitur: Die Pfarrer ſollen ſich der Tabernen und Schenkhäuſer enthalten, auch ſelbſt in der Pfarrbehauſung nicht viel Quas, noch oftmals Gaſterei halten ꝛc. Hieronymus in epist. ad Demetr.: *Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia.* Ἐπιει-κής.
5. *Ἐπιεικής* dicitur, qui *aequitatem* stricto juri praefert, qui de jure suo pacis causa cedit sive concedit. XIII. 105.
Aristoteles lib. 5. ethic. c. 10: *ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλὰ ἐλαττωτικὸς καίπερ ἔχων νόμον βοηθὸν, ἐπιεικής ἐστιν.* Idem: *τὸν ἐπιεικῆ μάλιστά φαμεν εἶναι συγγνωμονικὸν καὶ ἐπιεικὲς τὸ ἔχειν περὶ ἔνια συγγνώμην*, ubi *ἐπιεικῆ* Budaeus dicit vocari *clementem veniae concessorem*. In lexicis *ἐπιεικής* dicitur lenis, mitis, modestus, quomodo etiam vulgata hoc loco reddidit, Lutherus gelinde. 1. Petr. 2, v. 18. vocantur *δεσπόται ἐπιεικεῖς*, qui sint mites ac moderati, quibus opponuntur *σκολιοί*. 2. Cor. 10, v. 1. *πρᾳότης καὶ ἐπιείκεια* conjunguntur, LXX interpr. ponunt pro סַלָּח propitius, condonator Psalm. 85, v. 4. sensus igitur est, quod episcopus exemplo Christi *ἀρχιποιμένος* debeat esse *mitis* Matth. 11, v. 29. nec in omnibus strictum jus exigere, sed aequitatem et moderationem sectari, unde subjungitur, quod debeat esse 6. *ἄμαχος*, Ἄμαχος.
alienus a pugnis, qui enim rigide jus suum persequuntur, in rixas et pugnas saepius prolabuntur, sed qui *ἐπιείκειαν* sectantur, illi possunt esse *ἄμαχοι*, unde *εἰρηνικός* et *ἐπιεικής* conjunguntur Jac. 3, v. 17. Apud Suidam *ἄμαχοι* sunt, qui pugna abstinent ab *α* et *μάχομαι*, pugno. Tit. 3, v. 2. *ἄμαχοι καὶ ἐπιεικεῖς* dicuntur *οἱ πᾶσαν ἐνδεικνύμενοι πρᾳότητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους*. Lutherus ad verborum contentiones respiciens h. l. vertit nicht haderhaftig. 7. *Φιλάγαθος*, amans bonos ac amans bonum, posset hoc generaliter accipi de studio virtu- Φιλά-γαθος.
tis, sed quia subjungitur verbo *φιλόξενος*, ideo rectius videtur accipi specialiter pro eo, qui aliis lubens benefacit. Lutherus vertit gütig. Sic Graecis *ἀγαθὰ ποιεῖν* est beneficia in aliquem conferre et *ἀγαθοποιοί* ipsis sunt munifici ac liberales. LXX interpr. semel duntaxat usurpant Sap. 7, v. 22: Est in sapientia *πνεῦμα φιλάγαθον*, *spiritus amans bonum.* Sensus igitur est, quod episcopus debeat esse beneficus, gaudens aliis bene facere.

281. Ad sextum decalogi praeceptum pertinet, quod episcopus debeat esse 1. *μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ* Μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ.
1. Tim. 3, v. 2. Tit. 1, v. 6. de cujus phraseos sensu aliqua protulimus superius et suo loco in quaestione de conjugio ministrorum plura dicemus. 2. *ἐγκρατής*, *continens* Tit. 1, v. 8. *ἀκρατής* dicitur, Ἐγκρα-τής.
qui se continere non potest, sic *ἀκρατὴς ἀφροδισίων*, incontinens voluptatis venereae sive libidinosus; *ἀκρατὴς τιμῆς*, qui cupiditatem gloriae continere et refrenare non potest. Aristoteles lib. 7. ethic. c. 1. pro iisdem poni scribit *ἀκρατῆ* et *ἀκόλαστον*. Illi opponitur *ἐγκρατής*, qui novit cupiditates praesertim circa cibum, potum et conjugii usum refrenare, haec enim tria *ἐγκρατὴς τῆς γαστρός καὶ οἴνου καὶ συνουσίας*, Budaeus vertit uno vocabulo *continens.* Lutherus reddidit keuſch, respiciens ad potissimam *ἐγκρατείας* speciem, sed nomen est generale, quod episcopus debeat se continentem gerere in cibo, potu, affectibus, conjugio etc. Erasmus in annot. Tit. 1: *ἐγκρατῆ, ut indicat Hieronymus, quidam*

haud recte ad solam referunt libidinem, cum ad omnes pertineat affectus, iram, avaritiam, ambitionem, invidiam, timorem. Chrysostomus hom. 2. in c. 1. Tit.: ἐγκρατῆ· οὐ τὸν νηστευτὴν εἶπεν ἐνταῦθα, ἀλλὰ τὸν πάθους κρατοῦντα καὶ γλώττης καὶ χειρὸς καὶ ὀφθαλμῶν ἀκολάστων, τοῦτο γάρ ἐστιν ἐγκράτεια τὸ μηδενὶ ὑποσύρεσθαι πάθει. Athanasius et Oecumenius per ἐγκρατῆ intelligunt eum, *qui imperat linguae, oculis, manibus* etc. ut autem est castitas virginalis et castitas conjugalis, ita quoque ἐγκράτεια quandoque sumitur specialiter, ut virginibus extra conjugium caste viventibus tantum tribuatur, 1. Cor. 7, v. 9: εἰ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν; quandoque vero generaliter accipitur, ut piis
XIII. 106. conjugibus etiam competat Galat. 5, v. 23. et 2. Petr. 1, v. 6. inter fructus Spiritus et virtutes ab omnibus piis requisitas numeratur ἐγκράτεια. Eccl. 26, v. 20. conjugatis expresse tribuitur ἐγκράτεια: *Non est pondus omne dignum ἐγκρατοῦς ψυχῆς αὐτῆς*, ubi sermonem esse de muliere conjugata apparet ex v. 16: *Gratia mulieris delectat virum ejus.* Sed hac de re in quaestione de conjugio ministrorum itidem dicentur plura.

Μὴ πάροινος. 3. μὴ πάροινος, *non vinolentus* 1. Tim. 3, v. 3. Tit. 1, v. 7. Apostolus ipse exponit, quid per τὸν πάροινον intelligat, videlicet τὸν τῷ οἴνῳ προσέχοντα, eum, qui vino deditus est 1. Tim. 3, v. 8. Apud Athenaeum lib. 10. ἄνθρωπος πάροινος dicitur, quem Latini vocant vinosum, q. d. vino assidentem ad perpotandum ac pergraecandum. παροινία est petulantia, injuria, contumelia etc. quae ebrietatem comitatur, ex quo dubio procul Chrysostomi sententia originem duxit, qui πάροινον intelligit τὸν ὑβριστήν, homil. 10. in 1. Tim. 3. οὐ τὸν μέθυσον (inquit) ἐνταῦθα φησίν, ἀλλὰ τὸν ὑβριστήν, τὸν αὐθάδη. In jure canonico praeclari exstant hac de re canones. dist. 35. in princ.: *Quod episcopus non debeat esse vinolentus, ex auctoritate V. T. introductum est. Ministri enim templi prohibentur vinum et siceram bibere, ne ebrietate graventur corda eorum, ut sensus eorum semper vigeat, vel quia venter mero aestuans facile despumat in libidinem.* c. Episcopus. etc. dist. ead. ex Can. Apost.: *Episcopus aut presbyter aut diaconus aleae atque ebrietati deserviens aut desinat, aut certe damnetur.* c. Ante omnia. dist. ead. ex Conc. Agath.: *Ante omnia clericis vetatur ebrietas, quae vitiorum omnium nutrix ac fomes est. Itaque ille, quem ebrium fuisse constiterit, aut 30 dierum spatio a communione submoveatur, aut corporali subdatur supplicio.* dist. 44. in princ.: *Cum vinolentus esse prohibetur episcopus, gulae intemperantiam nequaquam habere permittitur, neque enim ebrietas prohibetur et voracitas permittitur, utrumque enim inter opera tenebrarum apostolus commemorat* Rom 13, v. 13. *Ventris namque ingluvies ad luxuriam provocat facile et omne opus bonum dissolvit, unde Hieronymus ad Amandum: Venter et genitalia sibimet ipsis vicina sunt, ut ex vicinitate membrorum confoederatio intelligatur vitiorum. Hinc Nabusardam princeps coquorum muros Hierusalem destruxisse legitur, quia venter, cui multitudo coquorum deservit, aedificia virtutum ad solum redigit. Sacerdos itaque de altari vivere, non luxuriari quaerat.* c. Non oportet. dist. ead. ex concil. Laodic. c. 24: *Non oportet clericos servientes a presbyteris usque ad diaconos et deinceps ordinis ecclesiastici omnes etc. tabernas nisi causa necessitatis ingredi.* (Eadem constitutio repetita est in const. eccles. Saxon. artic. generali 16. pag. 337.) c. Clerici. dist. ead. ex concil. Carthag. 3. c. 27: *Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur nisi peregrinationis necessitate compulsi.* c. Pro reverentia dist. ead. ex concil. Tolet. 4. c. 7: *Pro reverentia Dei et sacerdotum id universa constituit synodus, ut (quia solent crebro mensis otiosae fabulae interponi) in omni sacerdotali convivio lectio divinarum Scripturarum immisceatur, per hoc enim et animae aedificantur ad bonum et fabulae non necessariae prohibentur.*

4. ἀλλὰ νηφάλιος, *sobrius* 1. Tim. 3, v. 2. ut autem *Νηφάλιος.* apud Latinos sobrius non solum de sobrietate corporis, sed etiam de sobrietate mentis, vigilantia scilicet, prudentia et attentione usurpatur, ita quoque apud Graecos νηφάλιος in utraque significatione ponitur. Sicut et νήφειν tum opponitur τῷ μεθύειν, tum de eo dicitur, qui est vigilans, prudens et circumspectus. Epicharmus apud Lucianum et Ciceronem, νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, *anima enim sobria ac prudens in sicco habitat*, unde cum γρηγορεῖν conjungitur 1. Thess. 5, v. 6. 1. Petr. 5, v. 8. Eo respiciens Chrysostomus homil. 10. in 1. Tim. 3. et in lib. de sacerd. νηφάλιον intelligit prudentem ac circumspectum. νηφάλιον (inquit) τουτέστι διορατικὸν, μυρίους ἔχοντα ὀφθαλμοὺς, ὀξὺ βλέποντα καὶ μὴ ἀμβλύοντα τὸ τῆς διανοίας ὄμμα etc. *clarissima mentis acie praeditum innumerosque habentem omni* XIII. 10 *ex parte oculos, quibus acutissime cuncta prospiciat.* Et postea: ἄγρυπνον τοίνυν αὐτὸν εἶναι χρὴ τὸν οὐ τὰ ἑαυτοῦ μεριμνῶντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν λοιπῶν, διεγηγέρθαι χρὴ καὶ ζεῖν τῷ πνεύματι καὶ πῦρ πνέειν (ὡς εἰπεῖν) καὶ μᾶλλον στρατηγοῦ καὶ ἐν νυκτὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ τὸ στράτευμα περιιόντος κάμνειν καὶ διακονεῖσθαι καὶ τὴν ὑπὲρ ἁπάντων ἔχειν φροντίδα καὶ μέριμναν, *vigilantem necesse est esse illum, qui non tantum sui curam habet, verum etiam reliquorum; decet esse pervigilem eum, qui ejusmodi est ac spiritu fervere et affectus sui flammam operibus ipsis ostendere ducesque omnes solicitudine atque industria superare, ut die noctuque exercitum et castra perlustret, laboret et sui officii munus diligentissime impleat atque omnium curam et solicitudinem gerat.* Juxta hanc expositionem νηφάλιος pertineret ad officium ministri, sed quia additur σώφρων, commodius intelligitur de corporis sobrietate, ut Lutherus etiam reddit, nüchtern, qua ratione est virtus sexti praecepti opposita παροινίας vitio.

5. σώφρων, quasi σόρφρων, qui est mente prudenti, *Σώφρ* *prudens, sobrius*, ut Vulgata reddidit. Usurpatur etiam pro moderato ac temperante, sicut Demosthenes et Aeschines σώφρονα καὶ μέτριον εἶναι conjunxerunt, unde Lutherus hoc loco vertit mäßig; σωφρο-

σύνη non solum est prudentia, sed etiam temperantia, moderatio, dicta Aristoteli lib. 6. ethic. c. 5. quasi *σώζουσα τὴν φρόνησιν*, quae tamen etymologia non probatur Stephano. Aristoteles 1. rhet. scribit, *σωφροσύνην εἶναι ἀρετὴν, δι' ἣν πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῦ σώματος οὕτως ἔχουσιν, ὡς ὁ νόμος κελεύει*, eique opponi *ἀκολασίαν*. Hieronymus reddidit *castum*, in qua significatione apud Euripidem usurpatur. Erasmus in annot. *σώφρων* Graecis non tam prudentem sonat quam sobrium et sanae mentis, ut intelligamus animum sibi praesentem et nullis temulentum cupiditatibus.

282. Ceterum ex eo, quod episcopus hic prohibetur esse *πάροινος*, recte colligit constitutio ecclesiastica elect. Saxon. art. generali 16. p. 338. Es ſollen ſich die Pfarrer des Wein- und Bierſchenkens enthalten ꝛc.', daß ſie nicht ſchenken, Zeichen ausſtecken, oder Gäſte zur Zeche im Hauſe ſetzen, daraus großes Aergerniß der Kirche, und ihnen, den Pfarrern, mehrmals großer Schimpf, Spott, Gefahr, Nachtheil und Schaden erfolget, derwegen es keinem Kirchendiener geſtattet, ſondern bei Allen mit Ernſt abgeſchafft werden ſoll. Congruit haec constitutio cum decreto sextae synodi citato c. Nulli dist. 44: *Nulli clerico licet tabernam aut ergasterium habere. Si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.* Ac nititur justissimis rationibus. Primo enim *ζυθέψησις* illa, hoc est coctura et negotiatio cerevisiaria, *auctoritatem ministerii* dedecet, verbi namque praeconem et ecclesiae doctorem non convenit esse *οἰνοπώλην* ac cerevisiae coctorem 2. Tim. 2, v. 4. nemo qui militat, *ἐμπλέκεται ταῖς πραγματείαις τοῦ βίου*. 2. *Libertatem arguendi ἀσωτίαν* auditorum labefactat, siquidem privati commodi causa ad potandum eos potius invitabunt. 3. *Occasionem luxuriae* liberis et domesticis ministrorum exhibet (cum tamen diserte praecipiat apostolus Tit. 1, v. 6. *quod episcopus debeat habere τέκνα μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας*), testis enim est experientia talium cerevisiarum coctorum liberos utplurimum degenerare in decoctores et *κυπελλομάχους*. 4. *In multa a ministerio aliena* animum pastoris distrahit et efficacem dat causam, ut multa reprehen-
III. 108. sione dignissima audire, videre ac perferre cogatur. 5. *Repugnat aedium parochialium honestati* et *ἑπομένως* etiam templi sanctitati, quippe cui aedes parochiales consueverunt esse vicinae. Ecquid enim turpius esse potest quam tabernam cerevisiariam erigere in loco templo vicino? Christus certe ementes ac vendentes ex atrio templi binis vicibus expulisse legitur Joh. 2, v. 15. Luc. 19, v. 45. 6. *Adversatur apostolorum* in docendi munere *fidelitati*, quorum tamen imitatores decebat esse sinceros pastores, Act. 6, v. 2. *οὐκ ἀρεστόν*, inquiunt, *non est aequum ac decens, nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis.* Quia vero jure municipali respectu aedium propriarum talis cerevisiae coctura quibusdam pastoribus videtur concedenda, ideo constit. eccles. dicto loco hanc adhibet moderationem atque *ἐπιείκειαν*: Das vom Wein- und Bierſchenken iſt vermeldet, ſoll alſo verſtanden werden, da den Kirchendienern eigener Wein wüchſe, oder zu Decem gefiele, oder ſie auf der Pfarre, oder ſonſten Gerechtigkeit hätten Bier zu brauen, mehr denn ſie zur Haushaltung bedürften, oder eigene Häuſer hätten, darauf ſie zu brauen befugt, daß ihnen bei Fäßern, Eimern und Tonnen andern Leuten zu verkaufen unverwehrt ſein ſoll.

283. Ad septimum decalogi praeceptum pertinet, quod episcopus debeat 1. *μὴ αἰσχροκερδής, non turpis lucri cupidus*, non sectans lucra turpia 1. Tim. 3, v. 3. Tit. 1, v. 7. *αἰσχροκερδής* ab *αἰσχρὸς καὶ κέρδος*, quibusdam est turpi lucro deditus, sordidum faciens quaestum; quibusdam vero non deditus turpiter lucro; sed prior expositio praeferenda, nam possit generaliter dici turpiter lucro esse deditus, qui supra modum ei studeat ejusque sit avidus, alioqui tamen minime sordidi. *αἰσχροκερδείας* vox exstat apud Demosthenem advers. Aeschinem, *τῆς ἰδίας ἕνεκ' αἰσχροκερδείας τὰ κοινῇ συμφέροντα προΐεντο, commodis publicis lucrum privatum idque turpe praetulerunt.* Budaeus monet, *αἰσχροκερδείαν* notare vitium *πλεονεξίᾳ* cognatum, avari enim solent esse *αἰσχροκερδεῖς*, quippe quibus *lucri bonus est odor ex re qualibet.* Petrus quoque admonet presbyteros, ut officii sui partes exsequantur *μὴ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως*. Chrysostomus homil. 2. in c. 1. Tit. *μὴ αἰσχροκερδῆ, τουτέστι πολλὴν ὑπεροψίαν χρημάτων ἐπιδεικνύμενον.* Lutherus vertit der nicht unehrliche Handthirung treibt. Ex hoc canone apostolico desumtum est illud in constit. eccles. elect. Saxon. dicto loco: Es ſollen ſich die Pfarrer aller unehrlichen Handthirung, wie auch des Wein- und Bierſchenkens, Kaufmanſchaft, Verkaufs auf Wucher und dergleichen Händel gänzlich enthalten. *Αἰσχροκερδείας* exempla in papatu passim erunt obvia, si respicere velimus nundinationes missarum, indulgentiarum, jubilaeos, taxam poenitentiariam curiae Romanae, in qua pro quovis peccato certum exigitur pretium, ut merito de clericis papalibus intelligatur illud Petrinum 2. epist. 2, v. 3: *ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ὑμᾶς ἐμπορεύσονται.* Utinam vero *αἰσχροκερδείας* exempla a nostrarum ecclesiarum pastoribus penitus exsularent! de quibusdam certe usurpare cogimur illud Poëtae: *Iliacos intra muros peccatur et extra.* 2. *ἀλλὰ ἀφιλάργυρος, alienus ab avaritia* 1. Tim. 3, v. 3. *φιλαργυρία* est argenti amor, pecuniae cupiditas, *φιλοχρηματία, ὑπόληψις τοῦ τὸ ἀργύριον καλὸν εἶναι*, ut Hesychius exponit, quam apostolus dicit esse *ῥίζαν πάντων τῶν κακῶν* 1. Tim. 6, v. 10. *ἀφιλάργυρος* igitur erit, qui non est huic vitio obnoxius, non amans pecuniae. Lutherus nicht geizig. Hebr. 13, v. 5: *ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος, ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν*, ubi *φιλαργυρίᾳ* opponitur *αὐτάρκεια*, qua quis *στέργει τὰ παρόντα*, sua sorte ac praesentibus contentus vivens.

Μὴ αἰσχροκερδής. — *Ἀφιλάργυρος.*

284. Ad octavum decalogi praeceptum pertinet, quod ministri ecclesiae 1. non debeant esse *δίλογοι, bilingues* 1. Tim. 3, v. 8. ubi in specie de diaconis illud requiritur, sed in genere ad omnes ecclesiae

Μὴ δίλογος.

XIII. 109. ministros recte refertur. *δίλογοι* dicuntur, *qui ore aliud promunt, aliud sub pectore condunt*, quos Scriptura alibi dicit *loqui corde et corde*. Lutherus zweizüngig, Chrysostomus homil. 11. in 1. Tim. *μὴ διλόγους, τουτέστι μὴ ὑπούλους μηδὲ δολερούς*, quod vitium hypocriseos politicae prudentiae schemate velatum multis hodie commune est, sed a ministris ecclesiae abesse debet quam longissime, rationem addit Chrysostomus loco dicto *οὐδὲν γὰρ οὕτως ποιεῖν εἴωθεν ἀγενὴς ὡς τὸ δολερὸν, οὐδὲν οὕτως ἄχρηστον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὡς τὸ ὕπουλον*. Minister qui in societate civili est *δίλογος καὶ δίγλωσσος*, fidem sibi derogat in ipsa verbi praedicatione. Atque hae sunt virtutes episcopi personam, vitam et mores concernentes, quas cum aliis vere piis habet communes, in quibus ut reliquos tanto antecedat intervallo, quanto ab ipsis distat officii dignitatis fastigio, summopere conari debet. Virtutes episcopi *propriae* ipsius officium et doctrinam concernentes hae sunt, quod debeat esse *διδακτικὸς, δυνατὸς παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*, de quibus suo loco egimus uberius.

5. Disciplinae ecclesiasticae administratio.

285. Diximus hactenus de quarto ministrorum officio, quod est *vitae et morum honesta gubernatio*, succedit quintum, quod est *disciplinae ecclesiasticae administratio*. Quemadmodum in ordine politico et oeconomico, ita quoque in ecclesiastico requiritur certa disciplina, absque qua ut illic subditi ac domestici, ita hic auditores in officio contineri nequeunt. *Objectum* disciplinae ecclesiasticae sunt homines in domum Dei ac familiam Christi recepti, *ἁμαρτάνοντες* Matth. 18, v. 15: *Si peccaverit in te frater tuus;* praeoccupati aliquo *παραπτώματι* Gal. 5, v. 1. qui redarguendi, objurgandi et corrigendi, ut in viam redeant et juxta verbi praescriptum officium suum faciant. Tales *lapsus* sunt duplices: circa doctrinam et circa mores. Lapsus *circa doctrinam* est error in dogmatibus, qui vel ex simplici ignorantia oritur neque conjunctam habet pertinaciam, vel ex malitia et improbitate originem habet et contemto ecclesiae judicio ex Scripturis prolato pertinaciter defenditur, qua ratione in haeresin degenerat. Lapsus *circa mores* est delictum aliquod vitae verbis aut factis commissum, estque vel *publicum*, vel *privatum*. Publicum quod vel palam gestum vel publice notum et cum manifesto scandalo conjunctum; privatum quod occulte perpetratum, cujus unus vel pauci duntaxat conscii sunt, nec cum publico et notorio scandalo conjunctum est. Utrumque vel ex ignorantia vel infirmitate vel malitia est commissum. Correctio instituitur vel publice coram omnibus, vel privatim, ac spectat vel unum aliquem delinquentem in specie, vel promiscuum auditorum coetum, sive *παιδείας* in genere. *Gradus* correctionis tres sunt: 1. *νουθεσία, commonefactio*, ac *ἐπιτιμία* seu *ἐπιτίμησις*, objurgatio ac increpatio; 2. *excommunicatio minor*, quae est suspensio ab usu coenae ad tempus; 3. *excommunicatio major*, qua quis ex ecclesiae communione ejicitur. Quemadmodum enim in V. T. leprosi et immundi ex castris Israëlitarum ejici jubebantur Numer. 5, v. 2. sic notoriis et publicis delictis velut lepra quadam infecti inque illis sine poenitentia perseverantes per excommunicationem ex ecclesiae consortio debent ejici. Quidam addunt 4. *anathema*, Hebr. חֵרֶם, quo inemendabilis aeterno exitio devovetur Gal. 1, v. 8. 1. Cor. 16, v. 22. sed haec non tam ecclesiasticae disciplinae pars quam tremenda ex spiritu prophetico facta exsecratio. Ecclesiasticae huic disciplinae in ecclesia primitiva cumprimis praefecti erant presbyteri sive seniores, in quorum locum consistoria ecclesiastica hodie successerunt.

Canones de ecclesiasticae disciplina. XIII.

286. Canones de ecclesiasticae disciplinae administratione. *1. In delictis privatis a privata νουθεσίᾳ faciendum est exordium*, antequam ad publicam *ἐπιτιμίαν* progressus fiat. Matth. 18, v. 15: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum*, v. 16. *si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos;* v. 17. *si non audierit eos, dic ecclesiae;* ubi ne quis existimet, Christum loqui in specie duntaxat de privatis illis offensis, quibus alter alteri in vita communi est molestus, notandum phrasin Graecam *εἰς σέ* etiam reddi posse *apud te, coram te*, sive te conscio, ut in genere Christus loqui intelligatur de quibusvis delictis proximo conscio admissis. *2. In hac ipsa privata νουθεσίᾳ debita adhibenda est prudentia.* Qui enim ex ignorantia vel infirmitate peccavit, illi sufficit blanda admonitio cum exhortatione ad cavendos futuros lapsus, sed qui ex malitia peccavit, is severiori castigatione excipiendus est. Ambrosius lib. 8. in Luc.: *Plus proficit amica correptio quam turbulenta accusatio, illa pudorem incutit, haec indignationem movet.* Neque in hac disciplinae ecclesiasticae administratione privatis indulgendum est affectibus 1. Tim. 5, v. 21. sed ad lapsi conversionem et salutem velut ad unicum scopum omnia dirigantur. *3. Publice peccantes et lapsu suo publicum scandalum exhibentes publice etiam corrigendi sunt.* 1. Tim. 5, v. 20: *peccantes* (cum publico scilicet scandalo) *coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.* Gal. 2, v. 14. cum Paulus videret, Petrum publice peccare, *coram omnibus* illum reprehendit. **Circa peccata igitur reprehendenda non unus idemque teneri debet modus. Alia aperte et vivis coloribus depingenda, alia tecte perstringenda, quorum accuratior descriptio non neminem ad imitationem instrueret; alia lenius, alia acrius; quae omnia certis regulis comprehendi vix possunt, sed prudentiae et fidei pastoris tanquam animarum medici relinquenda, qui quibus haec vel illa conveniant, nosse exacte debet et ut prudens architectus ac fidus dispensator 1. Cor. 3, v. 10. c. 4, v. 1. opportune et importune instando 2. Tim. 4, v. 2. adhibere.** 4. In publica *νουθεσίᾳ* itidem prudentia adhibenda est, *ne excedat medicina modum.* Augustinus epist. 64. ad Aurelium *severitate erga peccata paucorum utendum esse* suadet, *sed in delictis, quae totam multitudinem invaserunt ac velut in mores abierunt*, sic scribit: *Non aspere*

quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tollantur, sed magis docendo quam jubendo, magis monendo quam minando. Misericorditer corripiat homo quod potest, quod autem non potest, patienter ferat et cum dilectione gemat ac lugeat. 5. Severitatem disciplinae et correctionis semper temperet *mansuetudo lenitatis.* Concilium Bracarense 3. can. 6: *Leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti, asperitatis autem nimiae increpatio nec increpationem recipit nec salutem.* **Gregorius lib. 1. epist. 25: *Arca, id est ecclesia et respublica, ejusque praeses habeat tabulas legis, virgam disciplinae et correctionis, manna dulcedinis in gubernatione. Hinc Samaritanus vulnerato infundit oleum et vinum, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Sit ergo amor, sed non emolliens, sit vigor, sed non exasperans.* Vide eundem part. 2. pastoral. c. 6. et lib. 20. moral. c. 6. Quidam rex prudentissimus insigne sibi voluit esse gubernationis punicum malum, quod dulcedinem habet acori permixtam.** Ambrosius libr. 20. moralium

XIII. 111. c. 6: *Disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur, sed circa subditos inesse debet rectoribus et juste consulens misericordia, et pie serviens disciplina. Hinc est, quod semivivi illius vulneribus, qui a Samaritano in stabulum ductus est, et vinum adhibetur et oleum, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur, quatenus unusquisque qui, sanandis vulneribus praeest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis. Per vinum mundantur putrida, per oleum sananda foventur. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est, quia cum Scripturae sacrae scientia est in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur et baculo sustentamur. Sit ergo districtio justitiae, quae feriat, sit et consolatio baculi, quae sustentat. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plus quam expediat parcens. 6. Ad excommunicationem* praesertim majorem non descendatur nisi omnibus prius frustra tentatis in peccatore, est enim ut summum et ultimum, ita maxime formidabile ecclesiae judicium. 7. *Nec major nec minor excommunicatio* ab ecclesiae ministro absque ecclesiastici senatus sive consistorii judicio suscipiatur, quia potestas excommunicandi non est penes unum aliquem episcopum, sed penes presbyterium, quod repraesentat totam ecclesiam, Matth. 18, v. 17: *Dic ecclesiae; si ecclesiam*, hoc est presbyterium et conventum seniorum, *non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus*, ex communione ecclesiae separatus. Quinimo major excommunicatio non nisi conscia et approbante tota ecclesia fieri debet, 1. Cor. 5, v. 4: *Vobis cum spiritu meo congregatis in nomine Domini nostri Jesu Christi constitui Satanae tradere ejusmodi hominem.* 2. Cor. 2, v. 6: *Sufficit istius modi homini ista increpatio ὑπὸ τῶν πλειόνων, a pluribus facta.* Gravissima in ecclesia negotia suscipi non debent sine totius corporis ecclesiastici consensu, et ut Leo papa scribit, *quae ad omnes pertinent, cum consensu omnium fieri debent.* Quid vero potest esse gravius et quid majus ad ecclesiae corpus pertinet, quam membrum aliquod a corpore abscindere? Ac si a familiari et ordinaria conversatione cum excommunicato tota ecclesia abstinere debet, utique necessarium est, ut in congregatione totius coetus et cum tacita ejusdem approbatione excommunicatio suscipiatur. 8. Denique *in usu clavium* ministro diligenter cavendum, ne ligandos solvat vel solvendos liget, cum Deum *non sententia sacerdotum, sed vita reorum quaeratur*, ut ait Hieronymus in c. 16. Matth. *cumque clavis potestatis nihil operetur sine clave scientiae et discretionis.*

287. **Quaeritur hoc loco, 1. *an actio contra ministrum verbi, qui in taxandis auditorum delictis vehementior sit, danda et concedenda?* Actionis illius duae possunt constitui partes, quarum una est praeparatoria, nempe querelae delatio et ex hac citatio; altera cognitio causae et cognitae dijudicatio. De priori quoad citationem hic est quaestio, non de posteriori. An permittendum sit, ut in jus sine discrimine vocentur quilibet ministri, id est tam ii, quorum notus et exploratus est zelus secundum scientiam Phil. 2, v. 22. quam qui eo destituuntur Roman. 10, v. 2. Negativa quoad priores probatur 1. ex dicto apostoli 1. Tim. 5, v. 19: *Adversus presbyterum accusationem ne admittito nisi sub duobus aut tribus testibus.* 2. Ex causa legis. Qui quod bene mereri de aliorum aeterna salute totaque ecclesia unice student, multorum insidiis et calumnis obnoxii, contra eos non est nisi sub dicta conditione admittenda accusatio. De presbyteris bonis et eorum similibus verum est antecedens. Ergo etc. 3. A consequentibus incommodis. Vera ecclesia hoc processu offenditur, quae titulo tenus hoc nomine gaudet, in sua perversitate confirmatur et ad majores in ea progressus faciendos incitatur. Tarn. de minist. q. 6.** Quaeritur hoc loco 2. *an liceat ministris ecclesiae magistratum peccantem publice arguere?* Quidam politici putant, tales reprehensiones honori magistratui debito repugnare ejusque existimationi detrahere, quin et seditioni ansam praebere; quidam etiam aulici concionatores animadvertentes, tales reprehensiones magnatibus parum grates, sibi vero periculosas esse (saepius enim coguntur audire illud, quod rex Amasias prophetae idololatriam accusanti dixit 2. Paral. 25, v. 16: *Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te*; et Amos 7, v. 12: *Heus tu videns abi; fuge in terram Juda et comede ibi panem et prophetabis ibi*, v. 13. *et in Bethel non adjicies ultra, ut prophetes, quia sanctuarium regium est et domus regni est)*,

redduntur in officio suo negligentes. Sed opponimus illis 1. *mandatum generale*, quo ministri ecclesiae absque ullo personarum discrimine jubentur peccata redarguere, Esa. 58, v. 1. 1. Tim. 5, v. 20. nuspiam vero additur illa limitatio, quod privatorum quidem
XIII. 112. delicta arguenda sint non autem magistratus. 2. *Mandatum speciale*, quo magistratum etiam arguere jubentur ecclesiae ministri. Exod. 6, v. 11. dicit Deus ad Moysen: *Ingredere et loquere ad Pharaonem regem Aegypti, ut dimittat filios Israël.* Jerem. 13, v. 18: *Dic regi et dominatrici: Humiliamini, sedete in terra.* Ezech. 31, v. 1: *Factum est verbum Domini ad me dicens*: v. 2. *fili hominis dic regi Aegypti et populo ejus.* 3. *Exempla prophetarum, apostolorum et ipsius Christi*, qui non solum privatis et plebejis, sed etiam publicis et in magistratu constitutis personis delicta ipsorum ob oculos posuerunt. Moyses et Aaron divino mandato obsecuti Pharaonem Aegypti graviter reprehendunt, quod populum Israëliticum dimittere nolit, Exod. 7. 8. et 9. Samuel objurgat regem Saulem 1. Sam. 15, v. 19. Nathan Davidem 2. Sam. 12, v. 9. Elias Achabum 1. Reg. 18, v. 17. Esaias Ezechiam Esa. 39, v. 6. Jeremias c. 32, v. 4. Sedeciae regi denuntiat abductionem in captivitatem, Micheas propheta c. 3, v. 1. inquit: *Audite principes Jacob et duces domus Israël, numquid non vestrum est scire judicium?* c. 6, v. 2: *Audite montes judicium Domini et fortia fundamenta terrae.* Johannes Baptista ad regem Herodem dixit: *Non licet tibi habere fratris tui conjugem in uxorem*, idque *audientibus omnibus*, ut Chrysostomus annotat, Matth. 14, v. 4. Ambrosius redarguit Theodosium ob nimiam crudelitatem in cives Thessalonicenses. **Gregorius monachus Dominicanus, ecclesiastes aulicus ducis Saxonici Friderici, qui admodum a Luthero et ceteris probabatur, cum aliquando pro concione vitia in principibus taxare vellet nec palam id facere auderet, arte in populum derivavit hac usus similitudine: *Concionator non absimilis est ei, qui detrahit lepori pellem. Etsi enim a toto corpore facile detrahatur corium, tamen cum ad caput ventum est, aliquid est difficultatis; ita concionator dum populi vitia taxat, non est quod metuat difficultatem, sed cum ventum est ad caput* (digitis inter haec monstrans principem adstantem), ſo ſtreif dich einander. *Princeps manacho dedit novam cappam.* Wolff. Cent. 16. p. 140.** 4. *Ecclesiastici officii dignitatem.* Quamvis enim personae et res ministrorum certo modo subsint magistratui, illorum tamen officium non agnoscit ullum alium dominum quam solum Christum, pro quo legatione funguntur 2. Cor. 5, v. 20. Ergo quod doctrinam et ministerium arguendi attinet, illius respectu non magistratui, sed soli Deo se subesse noverint. Lutherus tom. 6. Jenens. German. fol. 384: Das Predigamt iſt nicht ein Hofdiener oder Bauernknecht, ſondern es iſt Gottes Diener und Knecht, und ſein Befehl geht über Herr und Knecht. Arguere peccata est Spiritus sancti opus Johan. 16, v. 8. ille est, qui loquitur per ministros Matth. 10, v. 20. quando ergo ministri arguunt **magistratum peccantem,** *Deus inter deos dijudicat* Psalm. 82, v. 1. 5. *Redargutionis hujus utilitatem.* Cedit enim ea magistratui in bonum, ut a peccatorum cursu ad poenitentiam revocetur et ad vitae aeternae hereditatem perducatur. Quod autem fit juxta Dei mandatum et ad magistratus bonum, illud non judicandum existimationi ejus detrahere aut seditioni ansam praebere. 6. *Redargutionis illius necessitatem.* Necessaria enim est tum respectu Dei mandantis, cui obedire tenentur ecclesiae ministri. Jerem. 1, v. 7: *Ad omnia, ad quae mittam te, ibis et universa, quaecunque mandavero tibi, loqueris*; tum respectu ipsorummet ministrorum, qui non tantum pro animabus subditorum, sed etiam ipsius magistratus rationem in judicio extremo reddere cogentur Ezech. 3, v. 17. c. 33, v. 7. Hebr. 13, v. 17. quibus insuper officii ratione necessitas incumbit poenitentiam et remissionem peccatorum praedicandi omnibus hominibus, Lucae 24, v. 47. utique ergo etiam magistratui; tum denique respectu ipsius magistratus, qui ex verbo Dei arguendus et informandus, si ad agnitionem peccatorum, conversionem et salutem perduci debet. Quinimo cum magistratuum peccata exemplo plurimum reipublicae noceant (quod enim ipsi faciunt, sibi quoque licere subditi arbitrantur, et *regis ad exemplum totus componitur orbis*), ideo XIII. 1
magistratuum delicta arguere vel maxime necessarium est, quemadmodum cura corporis initium accipit a medicina capitis. Interim addimus 1. ut in aliorum hominum, ita vel maxime in magistratus reprehensione prudentiam esse adhibendam, cujus exemplum proponitur in Nathane 2. Sam. 12, v. 1. et seqq. et in propheta anonymo 1. Regum 20, v. 39. qui ex Davidis et Achabi ore sententiam condemnatoriam contra ipsos prolatam singulari arte elicuerunt. 2. Distinguendos esse leviores naevos a delictis notoriis et enormibus; item delicta occulta a flagitiis manifestis, ne propter leviora vel occulta peccata magistratus statim publice redarguatur. 3. Sedulo cavendum, ne redargutorium Spiritus sancti officium in tribunitios clamores ad seditionem contra magistratum excitandam comparatos degeneret. Pii ministri sunt praecones conversionis, non autem tubae seditionis. 4. Officium magistratus a vitiis personarum officium illud administrantibus recte distinguendum. Vitia magistratus non minus quam subditorum ab ecclesiae ministro argui possunt et debent, interim officii dignitas et ministro et subditis debet esse sacrosancta. **Quaeritur 3. *an quis possit alteri quam ordinario suo pastori confiteri et absolutionem ab ipsopetere?* Negatur 1. a Scriptura; 1. Petr. 4, v. 15: *Nemo patiatur ut* ἀλλοτριοεπίσκοπος. Confer Act. 20, v. 28. 1. Petr. 5, v. 2. Hebr. 10, v. 25. cap. 13, v. 17. 2. A canonibus sacris; c. ut Dominicis etc. in decretalibus Gregorii tit. de parochiis, ubi statuitur, quod Dominicis vel festis diebus presbyteri, antequam missam celebrent, plebem interrogare debeant, num alterius paroecianus sit in ecclesia, qui

proprio contemto presbyterio ibi velit missam audire, quem si invenerint, statim ab ecclesia abjiciant. 3. A decreto concilii Carthaginensis, cui placuit, ut a nullo episcopo plebes alienae nec aliquis episcopus supergrediatur in dioecesi suum collegam. 4. Ab auctoritate Cypriani libr. 1. epist 3. quae est 55. in codice Goulartii. Singulis pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque et gubernet; rationem sui actus Domino redditurus, Lutheri tom. 5. Jenensis German. fol. 76. in expl. Psalm. 82. Bidembachii decad. 2. concil. 4. quod est Hieronymi Mencelii pag. 99. decad. 3. cons. 6. quod est Tilem. Hesshusii pag. 128. 5. A pari. Concionari enim in aliena parochia invito pastore nemini licet, nec baptizare nec copulare quenquam. Ergo nec absolvere ex aliena eique porrigere coenam, etsi ibidem habeat villam aut praedium, sed tamen alterius paroeciae sit membrum. 6. Ab effectis incommodis. Turbaretur ordo divinitus institutus, ministerium orthodoxi pastoris contemneretur, si quis ad alienum pastorem abire vellet. **

6. Rituum ecclesiasticorum conservatio.

288. Sextum ecclesiae ministrorum officium versatur *in rituum ecclesiasticorum conservatione.* Institutio quidem illorum rituum non pertinet ad solos ecclesiae ministros, sed simul ad magistratum Christianum ac totius ecclesiae consensu fieri debet, interim tamen ministris recte tribuitur eorundem conservatio, ne scilicet privato arbitrio ritus publica ecclesiae auctoritate receptos mutent vel abrogent, sed tuendae concordiae et promovendae εὐταξίας causa eos conservent. Quamvis enim ecclesiastici ritus sua natura sint ἀδιάφοροι, cum in verbo Dei neque praecepti, neque prohibiti sint, nec partem aliquam cultus divini per se constituant; tamen eorum abrogatio non debet fieri ab una duntaxat ecclesiae parte, ne arbitraria ac temeraria illa abrogatione 1. peccetur contra Christianam libertatem, cujus usum moderatur caritas, quae diligenter cavet, ne praepostero adiaphororum usu proximus scandalizetur Roman. 14, v. 15. 1. Cor. 8, v. 9. 2. neve violetur εὐταξία et auctoritas ecclesiae; 3. denique ne contemtui habeatur praeceptum apostolicum, quod in rituum ecclesiasticorum vel institutione vel abrogatione omnia fieri debeant πρὸς οἰκοδομήν 1. Corinth. 14, v. 12. Consequens hujus canonis est, quod hostibus veritatis introductionem et abrogationem alicujus ritus ecclesiastici urgentibus ministri ecclesiae, ne quidem ad horam cedere debeant, 1. ne libertas Christiana adversariorum libidini subjiciatur et sub jugum hominum captivetur, Gal. 5, v. 1: *In libertate, qua Christus vos do-*
III. 114. *navit, state et nolite jugo servitutis implicari.* 1. Cor. 7, v. 23: *Pretio emti estis, nolite fieri servi hominum.* Sic apostolus falsis fratribus, qui circumcisionem, quae tunc temporis erat ἀδιάφορος, tanquam necessariam urgebant, *ne quidem ad horam voluit cedere*, ut in Tito eam admitteret, *subintroierant enim illi ad explorandam libertatem in Christo, ut in servitutem pios reducerent* Gal. 2, v. 4. 4. Ne cessione aliqua adversariis facta in sua psychotyrannide reddantur audaciores ac calumniandi occasio ipsis praebeatur. 3. Ne videantur cum adversariis in confessione, cujus symbola ritus ecclesiastici habentur, colludere, sed verbo et factis in hoc casu confessionis veritati potius dent testimonium, Gal. 2, v. 5: *Non cessimus illis subjectione, ut veritas evangelii permaneat apud vos.* 2. Cor. 6, v. 14: *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* 1. Thess. 5, v. 22: *Ab omni specie mala abstinete.* 4. Ne infirmis occasionem scandali praebeant, illi enim si in gratiam adversariorum tales mutationes suscipi vident, in dubitationem de veritate et sinceritate confessionis facile conjiciuntur. Neque est quod obtendatur *vel ipsa rituum ἀδιαφορία*, ea enim in casu confessionis cessat; *vel ecclesiae concordia*, ea enim nec cum detrimento veritatis, nec cum scandalo infirmorum, nec cum libertatis violatione quaerenda; *vel exemplum apostoli, qui se omnibus omnia factum esse testatur* 1. Corinth. 9, v. 22. distinguendum enim inter fratres infirmos et pertinaces evangelicae veritatis adversarios.

7. Pauperum cura et aegrotorum visitatio.

289. Septimum denique ministrorum officium est *pauperum cura et aegrotorum visitatio.* Quod ad curam pauperum attinet, eam ministri ecclesiae non debent a se alienam existimare, 1. cum Christus in suo ministerio diligentem pauperum curam habuerit Joh. 13, v. 29. 2. Cum Paulus de collectis in usum sanctorum in ecclesiis Galatiae et Corinthiorum ordinationes fecerit, 1. Corinth. 16, v. 1. Galat. 2, v. 9: *Jacobus, Cephas et Johannes dederunt mihi et Barnabae dexteras societatis* etc. v. 10. *tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam solicitus fui, ut facerem.* 3. Cum in primitiva ecclesia ἀγάπαι sive publica convivia in usum pauperum a ministris ecclesiae ex collectis fuerint instituta. In concilio Gangr. c. 11: *Si quis despicit eos, qui fideliter agapas, hoc est convivia pauperum exhibent et propter honorem Domini convocant fratres, et noluerit communicare hujuscemodi convocationibus parvi pendens, quod geritur, anathema sit.* Quamvis vero in ipsa apostolica ecclesiastica διακονία τραπεζῶν a ministerio verbi fuerit distincta ac certis quibusdam personis commissa, quae ex eo dicebantur diaconi Actor. 6, v. 5. ad quorum exemplum praefecti aerarii ecclesiastici adhuc hodie constituuntur, quibus ecclesiasticorum bonorum collectio et dispensatio committitur; tamen non debent propterea ecclesiae ministri judicare, pauperum curam ad se nihil attinere, sed tum crebra ad beneficentiam erga pauperes exercendam auditorum suorum exhortatione, tum hospitalitatis et beneficentiae exemplo, tum aerarii ecclesiastici inspectione pauperum usibus subveniant. Aegrotorum visitatio eo nomine ecclesiae ministro debet esse commendata, quod illi vel maxime evangelica consolatione erigendi et contra mortis terrorem instruendi sint. Hac de re ita praecipit const. eccl. elect. Saxon. articulo generali 14. fol. 332: Es ſollen die Pfarrer und Kirchendiener die Kranken, betrübten, bekümmerten Chriſten oftmals, ſonderlich aber zu Sterbenszeiten,

(nota) beſuchen und tröſten, und denſelben auf ihr Begehren das Hochwürdige Sacrament des Leibes und Blutes Chriſti reichen, hierinnen willig und unverdroſſen ſein, und ſolchen Dienſt keinen aus Nachläſſigkeit oder Rachgier und Widerwillen gegen irgend einer Perſon unterlaſſen, auch eben gleich bereit ſein den Armen in ſolchen Fällen zu dienen, als den Reichen, und da ſie bei den Kranken in Häuſern große Armuth, Hunger und andere Gebrechen an nöthigen Dingen
XIII. 115. ſpüren würden, ſollen ſie dieſelbe den Vorſtehern des Kirchenkaſtens anzeigen, daß ſolchen heimlichen armen Leuten, die ihre Nothdurft aus Scham niemand dürfen klagen, gerathen und geholfen werde. Auch ſollen ſie wohlhabende Bürger und Bürgerinnen inſonderheit anſprechen, und chriſtlich vermahnen, daß ſie ſolchen armen Hülf- und Rathloſen mit Gelde, Speiſe, Labung, keinen Geräth und dergleichen behülflich und rathlich ſein. Es ſollen aber die Pfarrer und Kirchendiener den Unterſchied und Gelegenheit jeder Perſon wohl in acht nehmen, und die Kranken mit langen verdrießlichen Worten nicht beſchweren, ſondern ſie kurz und rund mit etlichen wenigen tröſtlichen Sprüchen heiliger Schrift erinnern, lehren und tröſten, beſonders wenn ſie ganz ſchwach ſein. Der Urſach, wenn ein Eingepfarrter unter ſeinen Zuhörern in beſchwerliche Krankheit gefallen, mit dem der Pfarrer des Kranken Seelen Seligkeit zu gut etwas zu reden, ſoll der Pfarrer ſolches nicht bis auf die Letzt ſparen, ſondern auch unberufen (nota) ſich förderlich zu den Kranken finden, mit aller chriſtlichen Sanftmuth und Beſcheidenheit gebührende Erinnerung Troſt und Vermahnung zu thun, weil der Kranke ſolches noch faſſen, und ſich chriſtlich zu ſeinem Abſterben ſchicken kann. Quae vero illius admonitionis et consolationis praecipua debeant esse capita, late exposuimus in constit. eccl. ab illust. et celsiss. Principe ac Domino, Domino Johanne Casimiro duce Saxoniae seniore etc. publicanda.

290. Atque haec sunt septem potiora ministrorum ecclesiae officia, ad quae reliqua commode referri possunt. Apostolus ea omnia uno verbo complectitur 1. Cor. 4, v. 1: *Sic nos aestimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei;* v. 2. *jam vero id unum quaeritur in dispensatoribus, ut fidelis quis inveniatur.* Quinimo fidelitas illa non solum ea officii munia, quae in praecedentibus exposita sunt, sed insuper etiam duo alia complectitur, videlicet primo *in vocatione legitima constantiam*, ne scilicet desultoria quadam levitate minister ecclesiae officia ecclesiastica permutet, sed in vocatione sua, ad quam divinitus adscitum se esse cogitet, permaneat; deinde *aliorum ministrorum surrogationem*, cum enim ministris ecclesiae cum reliquis hominibus mortalitas communis sit, ac subinde per beatum fidelium ministrorum obitum munia ecclesiastica vacare incipiant, ideo alios in eorum locum ordinare non ex re solum, sed etiam necessitate ecclesiae existimandum. Sed de hoc posteriore, videlicet ordinatione solis episcopis per ecclesiasticas constitutiones attributa, superius diximus, quantum sufficit, circa prius igitur quaeramus. *1. An ministro ecclesiae liceat fugere tempore pestis?* Negamus. 1. quia auditores eo tempore vel maxime ipsius opera et ministerio indigent, ut de agenda vera ac sincera poenitentia admoneantur et de beata εὐθανασίᾳ recte instituantur. 2. Cum clades divinitus immissa sive pestis repente saeviret ac celeri progressa cursu quatuordecim millia et septingentos homines absumeret, *Aaron stetit inter vivos et mortuos* incenso suo Deum placans, Num. 16, v. 48. sic ministris convenit tempore pestis θυμίαμα precum accendere nec ullum ab aegrorum vel mortuorum vicinia periculum extimescere. Esaias jussu Domini ad regem Ezechiam peste correptum intrat et cataplasma ex ficubus ulceri ipsius imponi jubet c. 38, v. 21. nec ullum ex eo sentit nocumentum. 3. Praepostera timiditas ministrorum fugientium infirmis scandalum praebet et arguit diffidentiam erga promissiones divinas, Psalm. 91, v. 7: *Cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Matth. 10, v. 30: *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Hebr. 13, v. 5: *Ipse dixit, non derelinquam te, nec deseram te.* Harum promissionum veritatem exempla periculossimae pestilentiae tempore edita comprobarunt, vide Exod. 8. et 6. Euseb. lib. 7. histor. eccl. c. 21. Evagrium lib. 4. histor. c. 28. Quidam addunt limitationem, quod liceat ministris ecclesiae tempore XIII
pestis secessus quaerere, si alios in suum substituant locum, qui non minore dexteritate, diligentia ac fide quam ipsimet ecclesiastici muneris partes obeant. Sed cavendum sedulo, ne scandalum praebeatur infirmis, quod vix praecaveri potest, si tempore pestis illi fugiant, quos reliquis exemplo suo praelucere et ad fidem, caritatem, patientiam, beneficentiam alios exhortari aequum erat, etiamsi alios in suum locum substituant; interim non omnino improbandum videtur, si qua ecclesia ministris verbi compluribus instructa sit et conveniat inter eos uni vel pluribus officium aegrotos visitandi committere, vel etiam unum vel plures, quorum opera ecclesiae insigniter utilis esse possit, a se in loca tuta dimittere. ** Alii sic procedunt: *Quod non liceat pastori vel omnes vel aliquas muneris sui partes tempore pestis intermittere et earum curam alteri, quem pestilentialem vocant, commendando permittere,* probatur *1. ex Scripturae dictis.* Ezech. 3, v. 17. Actor. 20, v. 28. Hebr. 13, v. 17. Qui citra ullam conditionem temporis periculosi constituti sunt gregis Dominici pastores, eos oportet citra ullam conditionem aut exceptionem quamcunque ita vigilare pro animabus omnium suorum auditorum, ut possint Deo rationem sui officii eo modo administrati reddere, quemadmodum illud acceperunt. Omnes pastores sunt citra ullam conditionem temporis periculosi ecclesiae constituti etc. Ergo. *2. Ab auctoritatibus.* Lutherus tom. 3. German. Jenensis fol. 426. in tractat. Ob man vor Sterben fliehen möge. Wigandus libr. de persecut. et exsilio pag. 270. Binderus in αἰτιολογ. theolog. de causis pestis pag. 96. Winckelmanus tom. 5. disput. Gissensis disput. 14. thes. 23.

Accedunt testimonia Calvini epistol. 362. Bezae in **tractat.** de peste pag. 30. Ursini part. 2. exerc. pag. 514. Sohnii tom. 1. in thesib. de hoc argumento pag. 195. *3. Ex rationibus:* 1. Fugae hujus causa non est legitima, neque enim nititur certa lege vel petentis, vel indulgentis respectu. Petens est minister, at ille non habet causam fugiendi justam, sed impellitur partim diffidentia erga Deum, partim confidentia propriae sapientiae in quaerendis mediis extra Dei verbum, qui debebat fide respicere promissiones divinas Psalm. 91. etc. Indulgens est ecclesia, at illa itidem destituitur causa legitima nec ultra vocem sponsi sui praesertim ad suum incommodum quidquam disponere potest. 2. Si ecclesia periculosissimo suo tempore potest pastoris sui opera carere et pastori in eodem statu licet vices alteri committendas permittere, potest idem, et quidem multo magis, fieri tempore non tam periculoso, atque ita omnimoda cessatio ab officio indulgeri. At non hoc, quod partim ostendit ratio, quae demonstrat, functionem unamquamque in peragendis functionis cujusque partibus sive operibus consistere; partim judicium et sententia nostrorum de otiosis Pontificiorum episcopis. Ergo nec illud. 3. Animam singuli de gregariis militibus et ovibus Christi *debent ponere pro fratribus suis* 1. Johan. 3, v. 16. Ergo multo magis antesignani et duces id tenentur facere. Tarn. de ministerio quaest. 3.**

An npore sidio- ac rsecu- nis.

291. Quaeritur 2. *an tempore obsidionis vel persecutionis ministro fugere liceat?* Non agimus hoc loco *de fuga animi*, qua minister ecclesiae errores doctrinae et vitia morum ac vitae inter auditores invalescere videns potentiorum odia vel alia pericula subveritus connivet nec sese instar muri castigando et reprehendendo opponit. De qua fuga praeclare dicit Augustinus tract. 46. in Johan.: *Quia tacuisti, fugisti; tacuisti, quia timuisti*, quamque prohibitam et damnatam esse nemo ambigit; sed quaeritur *de fuga corporis* tempore obsidionis vel persecutionis instituta. **Lactantius lib. 4. c. 18: *Christus secessit, non ut vitaret, quod necesse erat perpeti ac sustinere, sed ut ostenderet, quod ita fieri oporteret in omni persecutione, ne sua quis culpa incidisse videatur.* Augustinus in Psalm. 142: *Corpore fugere licet, concessum est, permissum est Domino dicente, Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Idem dictis et exemplis confirmat Athanasius in apologia de fuga sua. Idem Augustinus tract. 15. in Johan.: *Unusquisque servus Dei non peccat, si secesserit in alium locum videns furorem persequentium se aut quaerentium in malum animam suam. Videretur autem servus Dei peccare, si faceret, nisi in faciendo Dominus praecessisset. Fecit hoc ille magister bonus, ut doceret, non quod timeret.* tract. 28. in Johan.: *Futurum erat, ut aliquis fidelis absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur et ne illi pro crimine objiceretur latibulum, praecessit in capite, quod in membro confirmaretur.* Athanasius quoque affirmativam defendit in apologia pro fuga. Tertulliano negativa simpliciter tribuitur a Perkinso libr. 2. de casibus consc. c. 12. pag. 342. et aliis, qui librum ejus de fuga allegant, sed Martyr class. 3. loc. comm. loco 12. §. 27. et Aretius parte 1. problem. loco 2. pag. 26. eum excusant. Augustinus epist. 180. ad Honoratum utitur distinctione.** Sane fugam aliquando concessam esse, ostendit consilium Christi Matth. 10, v. 23: *Cum vos persecuti fuerint in una* XIII. 117.
civitate, fugite in aliam; exemplum Christi Matth. 2, v. 13. c. 12, v. 15. Joh. 8, v. 59. Luc. 4, v. 30. etc. apostoli Pauli Act. 9, v. 25. 2. Cor. 11, v. 33. Polycarpi apud Eusebium libr. 4. eccles. histor. c. 15. Athanasii apud Socratem libr. 2. histor. c. 11. Theodoret. libr. 2. c. 4. Rufin. lib. 1. c. 18. etc. **Adde Socratem libr. 3. histor. c. 6. Nicephorum libr. 10. c. 16. Tripartitam libr. 4. cap. 22. Matth. 10, v. 16: *Estote prudentes sicut serpentes.* At illi latebras quaerunt, cum vitae suae insidias strui sentiunt. *Fugit Elias* 1. Reg. 19. v. 3. Fugam probat Basilius Magnus in homil. de Gordio martyre, Augustinus tract. 15. in Johan. Rationes 1. Cujuscunque operis principium, objectum, modus circa illud versandi et finis est legitimus, illud est licitum. Fugae ministrorum verbi certis conditionibus circumscriptae omnia illa competunt. Ergo. 2. Manere in ecclesia, quae te gloriae Dei propagandae, conscientiae tuae liberandae et hostium judicii non aggravandi causa libere dimittit, est illicitum. Ergo secedere ex eadem sub enumeratis conditionibus est licitum. Eodem modo argumentatur Athanasius apud Socratem lib. 3. c. 6. Persequi et occidere immerentem est peccatum. Ergo secedere et fuga sibi salutem quaerere non est peccatum.** Distinguendum vero inter *persecutiones singulares*, in quibus unius ministri persona quaeritur, *et communes totius ecclesiae persecutiones;* in illis fugam concessam esse dicimus, in his non nisi certo respectu. Distinguendum ulterius inter status ecclesiarum. Quandoque enim minister ecclesiae consensu, imo suasu auditorum suorum ita fugit, ut interim ecclesia, cui praefectus erat, aliis idoneis doctoribus non destituatur, quod licitum esse judicamus. **(Praeter consensum ecclesiae, de quo fugienti constare debet, probe excutiendus et examinandus est fugienti suus animus et fugae scopus. Ille ita comparatus esse debet, ut si remedium hoc non successerit, sed Deus ad mortem et martyrium secessione sibi consulere volentem revocet, paratus sit etiam eum sequi. Hic vero diuturniori vitae hujus fruitione quaerenda inprimis et potissimum Dei gloriam et ecclesiae sive proximi commodum, non suum, quod subrepit ex nimio amore vitae longioris et cura suorum praepostera, spectare debet. Tarn. de minist. quaest. 4.)** Quandoque vero ita fugit, ut auditoribus suis fugam nec suadentibus, nec in eam consentientibus scandalum, hostibus vero ansam calumniandi et insidias oviculis struendi occasionem praebeat, quod illicitum esse arbitramur. c. Adversitas caus. 7. quaest. 1. Gregor.: *Adversitas, quae bonis viris objicitur, probatio virtutis est, non indicium reprobationis.* *Quis*

enim nesciat, quam prosperum fuit, quod Paulus apostolus praedicaturus ad Italiam veniebat et tamen veniens naufragium pertulit, sed tamen navis cordis in maris fluctibus integra stetit? Hoc etiam tunc observandum intelligitur, quando inter subditos aliqui inveniuntur, quibus praelatorum vita proficiat, quando nec specialiter praelatus quaeritur, nec per alios tuta potest esse ecclesiae salus, ne si deserere incipiat, quibus prodesse potest, dicatur de eo: Mercenarius autem et qui non est pastor, cujus oves non sunt propriae, videt lupum venientem et deserit oves et fugit. Cum vero specialiter quaeritur, fugiat exemplo Christi, qui a facie Herodis fugit in Aegyptum, fugiat exemplo Pauli, qui a fratribus per murum submissus est in sporta. Unde Augustinus ait (epistola 180. ad Honoratum), *fugiat minister Christi, sicut Christus in Aegyptum fugit; fugiat, qui specialiter quaeritur, dum per alios est firma salus ecclesiae* etc. *Cum vero non praelatorum tantum, sed totius ecclesiae salus quaeritur, fides impugnatur, necesse est, ut ex adverso accedant et in die belli se ipsos ut murum opponant pro domo Domini et animas suas ponant pro ovibus suis, ut exemplo suae passionis accendant, quos sermone doctrinae diutius confirmare non valent.* Vide Lutherum tom. 3. Jenens. Germ. fol. 392. Augustinus d. l. censet, ingruente gravi persecutione *ministros ecclesiae nec omnes fugere debere, nec*
XIII. 118. *omnes mortis periculo se objicere, sed aliquos jubet manere, qui in praesenti calamitate ecclesiae magis usui videntur esse posse, ceteros vero dimittendos censet. Quodsi in delectu habendo inter eos non conveniat, quod omnes videantur aequales, sorte decernendum esse existimat*

3. An minister possit sponte abire propter auditorum pertinaciam.

292. Quaeritur 3. *An propter auditorum pertinacem improbitatem minister ecclesiae salva et illaesa conscientia officio suo abire possit?* De translatione ministrorum, quae fit per legitimam et ordinariam ecclesiae vocationem, idemque de remotione eorum dictum fuit superius, hic vero quaeritur de voluntario ministrorum abitu, an et quibus ex causis etiam nondum accepta ad alium locum vocatione minister officio suo se abdicare possit? Non esse simpliciter prohibitum voluntarium ministrorum abitum, patere potest ex quaestione proxima. Si enim in certis casibus propter persecutiones hostium licet fugere, utique etiam in certis casibus propter pertinacem auditorum improbitatem persecutioni aequiparandam officio abire licebit; quando igitur fidelis ecclesiae minister videt, auditorum animos ita a se abalienatos esse, ut ex personae odio ipsam quoque doctrinam contemnant, praestat causis abitus publice et solenniter expositis officio suo se abdicare quam propter fastidium auditorum aegritudine et molestiis quotidianis confici. Sic Deus ipse Lothum ex Sodoma educebat, *cum ipsius auditores quotidie justam ejus animam iniquis operibus cruciarent,* 2. Petr. 2, v. 8. Cavenda tamen in voluntario illo abitu omnis temeritas et praecipitantia, tentanda prius media reconciliationis omnia et causae cognitio ad senatum ecclesiasticum superiorem vel ad vicinae ecclesiae episcopos deferenda. Accurate etiam circumstantiae omnes sunt expendendae. Quandoque enim pauci duntaxat ministro adversantur, quandoque auditores omnes, quod in priori casu non licet, in posteriori non improbandum. c. Adversitas caus. 7. quaest. 1: *Est et aliud genus persecutionis* (praeter violentam illam, quae ab hostibus sustinetur), *nam abundans iniquitas Christianorum ministro ecclesiae passio est, ut Loth corporalem persecutionem a nullo in Sodomis sustinuit, sed a malis eorum, cum quibus habitabat. Est ergo persecutio justi vel a leone in impetu, vel a dracone in insidiis. Cum autem a vitiis subditorum praelatus affligitur, aliquando omnium est una et insatiabilis obstinatio, aliquando mali inveniuntur bonis admixti. Quando boni simul cum malis habitant, non sunt deserendi boni propter malos, ne perverse malos evitando vinciamus, quos fugimus, ad gehennam, sed potius mali tolerentur propter bonos.* Et postea: *Majus malum in separatione bonorum committimus, quam in conjunctione malorum fugiamus* etc. *quando vero omnium subditorum est obstinata malitia nec prodest eis praelatorum praesentia, tunc etiam corpore licet ab eis recedere, ne illorum nequitia semper in deterius proficiat et isti quidem fructum amittant, quem de aliorum profectu possent invenire.* c. Ibi adunati. caus. et quaest. iisdem ex Gregor. lib. 2. dialog. c. 3: *Ibi adunati aequanimiter portandi sunt mali, ubi inveniuntur aliqui, quibus adjuventur boni. Nam ubi omnino fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor supervacaneus, maxime si e vicino causae suppetant, quae fructum Deo valeant ferre meliorem. Saepe agitur in animo perfectorum, quod silentio praetereundum non est, quia cum laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant.* ** Quaeritur 4. *An ministro verbi ordinario officio in ecclesia Dei fungenti liceat medicam artem simul exercere?* Mehlfurerus decad. 6. Vind. disput. 2. thes. 93. respondet *negate. 1. Si enim servus in vocatione, qua vocavit ipsum Dominus, manere debet et sic quilibet alius 1. Cor. 7, v. 17. 20. 21. multo magis pastor ecclesiae in sua vocatione, ubi satis laborum est, si cui fidelitas muneris cordi est, manere debet. 2. Idem colligitur ex aliis praeceptis. Sirac. 38, v. 25. Non potest aliis rebus vacare, qui Scripturam debet tractare. 1. Thess. 4, v. 11: ἡσυχάζειν καὶ τὰ ἴδια πράττειν.* Luc. 9, v. 62: *Qui manum aratro admovit. 1. Petri 5, v. 2: Nihil faciat turpis lucri gratia. 2. Tim 2, v. 4: Secularia negotia* etc. Contra urgetur *1. exemplum Christi.* Respondemus: non sanavit ut medicus, sed ex officio Messiae, qui hujusmodi miraculis suam potentiam demonstrare debuit. Esa. 35, v. 5. Matth. 11, v. 5. *2. exemplum Lucae, quem Paulus vocat medicum Col. 4, v. 14. cujus tamen laus in evangelio* 2. Cor. 8, v. 18. Respondemus: nullibi legitur, quod durante suo ministerio artem medicam exercuerit. Si exercuit,

eandem rationem habuit cum Paulo, qui fuit in opere manuario 2. Thess. 3, v. 8. quia aerarium et stipendia nondum erant pro ministris constituta. *3. Commodum. Satius est, si minister verbi bonas aliquot horas in hisce operis honestissimis et toti viciniae utilibus collocet, quam si ruri colendo incumbat aut se in tabernas vinarias insinuet.* Respondemus: qui ex pluribus malis eligit minus, nondum eligit bonum, πολυπραγμοσύνη id vitiat, quod in aliis vocationis suae terminos observantibus bonum. Limitatio. Necessitati et caritatis officio lex non potest statui. Si quis arte medica praestare aliquid solide potest, succurrat aegrotanti proximo non spe lucelli, sed affectu caritatis, quando alius, cui corporis cura legitime demandata est, haberi nequit. Quaeritur 5. *An qui semel ministerio se addixit, abdicare se ab eodem unquam in vita libere et licite possit?* Per ministrum ecclesiae in subjecto quaestionis intelligitur persona legitime ad ministerium vocata, fideliter in officio versans, facultate praestandi muneris adhuc satis instructa, ab ecclesia etiam diutius desiderata, sed sola voluntate ulterius inserviendi auditoribus destituta, vel quia taedet eum laboris et molestiarum vel quia abunde ipsi suppetit, unde se suosque sustentet, vel etiam quia aliis carnalibus causis ad mutationem et spontaneam abdicationem permoveatur. In praedicato licitum, quemadmodum etiam liberum intelligitur respectu juris divini, quo uno bona conscientia nititur, non humani ullius, aut etiam poenae, quam in ejusmodi inconstantes constitutam esse non novimus. Negativa probatur 1. a testimoniis Scripturae; 2. ab exemplis ex eadem; 3. ex ratione. 1. Testimonia sunt partim generales et communes sententiae apostoli, 1. Cor. 7, v. 17. et 20: Unusquisque in qua vocatus est vocatione, in ea maneat; partim specialia et singularia Christi monita de perseverantia in officio, Matth. 10, v. 22: Qui perseveraverit usque ad finem, salvabitur. Luc. 9, v. 62: Qui manu ad aratrum admota retro respexerit, non est aptus ad regnum coelorum. Apoc. 2, v. 10: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. 2. Exempla prolata sunt prophetarum et apostolorum aliorumque, qui munus suum non ante reliquerunt, quam cursum suum consummaverunt, ut de se praedicat apostolus 2. Tim. 4, v. 7. 3. Ratio ab oppositis duci potest. Vocare et ingerere se ipsum in ministerium non est liberum et licitum. Ergo nec abdicare et relinquere semel susceptum ministerium est liberum et licitum. Valet consequentia ex eo, quod quorum est vocare, eorundem etiam est dimittere. Tarn. Quaeritur 6. *An propter veritatis confessionem capiendus et deducendus in carcerem captusve quispiam sive pastor, sive auditor possit se salva conscientia pretio redimere.* Tertullianus lib. de fug. et persecut. c. 12. simpliciter negat. Perkins. lib. 2. de cas. consc. c. 12. sect. 3. p. 351. Pontificiis affirmativam tribuit, quos scribit *sibi licitum statuere, carcerem effringere, si suae in carcerem conclusionis causa injusta existat, idque medium evadendi frequentissime apud ipsos usurpari.* Distinguendum inter personas, quibus datur pretium. Illae sunt triplices. Una index et actor, altera judex, tertia custos carceris. De incarcerando concedunt nonnulli, ut paciscatur et solvat pretium indici et actori sive delatori atque ita se redimat ab imminente periculo. De incarcerato negant, sive judicem, sive ejus ministrum largiendo corrumpere velit et possit. Vide Danaei isagogen part. 4. lib. 2. cap. 45. Tertullianus de incarcerando quidem tantummodo negat, quia de illo solum erat ibi quaestio, multo magis vero de incarcerato idem negasset, si consultus fuisset. Affirmatio probatur: 1. Omne illicitum jure divino est prohibitum in lege Dei. At redimere vitae hujus temporalis usuram, si in homines lucri et quaestus cupidos incidamus, adeo prohibitum non est, ut illud dictet ratio. Ergo. 2. Omnia media non palam cum pietate et honestate pugnantia in discrimine vitae prudenter tentare licitum est. Dare insidiatori vitae, quod unice captat, praemium, est medium non palam pugnans cum pietate et honestate, quia decalogo nuspiam prohibetur. 3. Si persecutionem fugere et declinare omni pia et honesta ratione licet, etiam persequentes fugere et declinare licebit eodem modo. At prius, ergo et posterius. Connexio patet, quia quomodo finis, eodem modo media ad finem perducentia sunt licita. Quaeritur 7. *An qui omnibus et singulis auditoribus est exosus, deserere suam conditionem licite possit, etiamsi alibi novae alterius consequendae spes non appareat?* Affirmatur ex Matth. 10, v. 14. Confer Calvinum epist. 227. 229. 381. Quaeritur 8. *An liceat resignare suum munus, si altera ejus pars, nempe administratio sacramentorum, denegetur.* Calvinus epist. 99. negat, quod probandum secundum quid. Confer Martyrem tom. 3. epistol. col. 206. Quaeritur 9. *An judicium pastoris Curiensis, de quo Zanchius in comment. epist. Philipp. fol. 223. in agone dolentis, se consilium Zanchii de consulendo sibi per fugam et secessionem non esse secutum, fuerit ex carne an ex spiritu?* Zanchius probat posterius, sed rectius affirmatur prius.**

293. In pontificiali Romano quinque recensentur sacerdotum officia: *1. Offerre, 2. praeesse, 3. benedicere, 4. baptizare* et *5. praedicare.* De singulis quaedam monebimus. 1. Offerre sive sacrificare esse partem officii ecclesiastici in N. T. negamus sequentibus moti fundamentis: 1. Nuspiam in libris N. T. Christus legitur instituisse *missifices sacrificulos.* In V. T. variae traduntur ordinationes de munere sacrificandi sacerdotibus ac Levitis commisso, sed de ministris N. T. nuspiam tale quid legitur. Quod enim attinet exemplum Christi, qui in prima coenae institutione et administratione se ipsum modo incruento Patri coelesti obtulisse dicitur, additis verbis istis προστακτικοῖς *hoc facite*, hoc est meum secuti exemplum sacrificate, in eo duplex petitio principii committitur, tum quod Christus se ipsum tunc temporis Patri coelesti obtulerit, tum quod

XIII. 119. Officia sacerdotum juxta Pontificios. 1. Offerre.

XIII. 120.

faciendi verbum absolute opsitum pro sacrificandi actione ibidem usurpetur, cum neutrum horum ex verbis institutionis vel aliis Scripturae locis firmiter demonstrari possit. Quod attinet vaticinium Mal. 1, v. 11. illud apostolus Rom. 15, v. 16. diserte exponit de praedicatione evangelii in omnes gentes. Reliqua ψευδοθεμέλια pro sacrificio et sacrificandi actione adducta alibi explicantur. 2. Cum in prima apostolorum in Judaeam et secunda eorundem ad omnes gentes legatione Christus ministerii auctor omnes ecclesiastici officii partes diligenter recenseret, de sacrificii oblatione nullam facit mentionem, sed jubet eos *praedicare ac baptizare* Matth. 10, v. 7. c. 28, v. 19. Marc. 6, v. 12. c. 16, v. 15. Luc. 9, v. 2. Paulus etiam diligenter enumerans ministrorum ordines Eph. 4, v. 11. 1. Corinth. 12, v. 28. *apostolorum, prophetarum, evangelistarum, pastorum et doctorum* mentionem facit, sed de sacrificulis nullum addit verbum. 3. In N. T. unius duntaxat sacerdotis proprie sic dicti et unius duntaxat propitiatorii sacrificii in ara crucis oblati fit mentio, ut ex epistola ad Hebraeos c. 7. 9. et 10. manifestum. Quare cum Christus *unica oblatione consummaverit in aeternum sanctificandos*, nec alio sacrificio, nec ejusdem sacrificii crebra repetitione opus fuerit, ut nihil dicatur de eo, quod quotidiana eorundem sacrificiorum repetitio V. T. statuatur propria Hebr. 7, v. 27. — c. 9, v. 25. etc. c. 10, v. 1—5. et v. 10—14. 4. Sacerdotis nomen nuspiam in N. T. peculiariter tribuitur ecclesiae ministris, sed generali eademque metaphorica significatione omnibus Christianis in genere tribuitur, quod ipsorum officium sit spirituales hostias invocationis, gratiarum actionis, beneficentiae etc quotidie offerre.

2. Praeesse. 294. 2. *Praeesse* non accipitur ab illis sensu apostolico, quod ministri ecclesiae debeant esse προεστῶτες 1. Tim. 5, v. 17. καὶ ἡγούμενοι Actor. 15, v. 22. Hebr. 13, v. 17. et 24. doctrina et vitae exemplo sese auditoribus tanquam vitae duces exhibendo; sed sensu papali de potestate politica et αὐτοκρατορικῇ, dictatoria atque absoluta potestate ecclesiastica eidem conjuncta, cum utramque pontifex et ipsius episcopi sibi vendicent, ut superius ostendimus, quo jure, quave injuria paulo post discutietur, ubi reliquas sacerdotalis officii partes prius

3. Benedicere. examinaverimus. *3. Benedicere* itidem non accipitur ab illis phrasi Spiritus sancti pro illa εὐλογίᾳ, quae fit *verbo Dei et precibus*, 1. Tim. 4, v. 5. sed pro consecratione per exorcismos, formationes crucis, characteres sine omni verbo mandati ac promissionis; item pro administratione sacramenti confirmationis, extremae unctionis etc. quem esse horribilem nominis divini abusum secundo decalogi praecepto repugnantem ostendit Brentius in apolog.

4. Baptizare. XIII. 121. confess. Wirtenberg. *4. Baptizare* itidem non accipiunt sensu Spiritus sancti pro eo, quod est aqua in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti baptizandum tingere, sed addunt, requiri insuper, ut aqua ad baptismum adhibenda certis ritibus et exorcismis consecretur, addunt etiam exsufflationem, gustum salis, salivam auribus et naribus illitam, unctionem in pectore et scapulis ac ritibus illis peculiarem aliquam efficaciam praeter et contra verbum tribuunt, administrant baptismum in lingua ignota etc. Deinde officium baptizandi ita tribuunt sacerdotibus, ut ab episcopis illud dependere asserant, sic enim Bellarminus lib. 1. de sacramento baptismi c. 7: *Catholici doctores communi consensu affirmant, jus baptizandi ex officio ordinario convenire solis sacerdotibus, id est episcopis et presbyteris, sic tamen, ut presbyteris conveniat cum subordinatione et dependentia ab episcopis.* Item *diaconis ex officio convenire baptizare, sed in absentia sacerdotum aut eorum jussu, ut ordinarie ad solos sacerdotes, extraordinarie etiam ad diaconos pertineat.* Sed talem dependentiam sacerdotum ab episcopis in administratione baptismi Scriptura penitus ignorat, quamvis non improbemus, ordinis causa certis personis ecclesiasticis hasce partes committi. *5. Prae-* **5. Praedicare.**
dicare ad officium sacerdotum referunt, sed plerique sacerdotes, praesertim majores (ut vocant) hoc est episcopi, a praedicatione abstinent, quin imo nostrae ecclesiae ministros in praedicatione verbi occupatos per contemtum vocant praedicantes. Quodsi quando ad praedicandi officium accedunt, non praedicant *eloquia Dei* pura et incorrupta 1. Petr. 4, v. 11. sed fermento humanarum traditionum commixta, legenda sanctorum, decreta papalia etc.

295. Ceterum quia per τὸ praeesse episcopis attributum politicum dominatum ab ipsis intelligi, praxis testetur, quaeritur hoc loco, *an personae ecclesiasticae officio magistratus civilis simul fungi possint* et per consequens *an pontifex Romanus hierarchiae ecclesiasticae caput temporalem potestatem ac in omnes principes, reges ac imperatores superioritatem jure obtineat*? Pontificii affirmant, sed negantem sententiam ecclesiae nostrae sequuntur, quam hisce demonstramus fundamentis. 1. Ab expresso Christi interdicto. Matth. 20, v. 25. Marc. 10, v. 42. cum apostoli reliqui indignarentur collegis suis Jacobo et Johanni, quod primatum ac dominatum in Christi regno petiissent ac partes eas sibi praereptas cupivissent, Christus de conditione regni sui rectius ipsos informans sic loquitur: *Scitis, quod οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν*, ut est apud Matthaeum, vel ut est apud Marcum *οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, κατακυριεύουσιν αὐτῶν, principes populorum dominatum in eos exercent, καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, magnates eorum potestatem in eos exercent; sed non ita erit inter vos apostolos* et vestros in ministerio successores, sed *quicunque voluerit inter vos fieri magnus, sit vester minister, et quicunque voluerit inter vos esse primus, sit omnium servus.* Luc. 22, v. 25. cum contentio oriretur inter apostolos, *ecquis eorum videretur major*, Christus pari modo illis respondet: *Reges gentium dominantur in illas, κυριεύουσιν, et qui potestatem habent in eis, vocantur εὐεργέται, benefici; vos autem non sic, sed qui major inter vos, fiat sicut junior, et qui praecedit, tanquam minister.* Ex hisce sic concludimus: Quocunque apostolis et ipsorum in

An personae ecclesiasticae officio civilis magistratus fungi possint? Negatur

1. Ob Christi mandatum Matth. 20, v. 25.

ministerio successoribus Christus interdixit, illud eis usurpare non licet. Sed dominatu politico et principatuum terrenorum administratione apostolis et ipsorum in ministerio successoribus Christus interdixit. Ergo. **(Brentius in pass. Christi homil. 48. pag. 484: *Non licet episcopo sive ecclesiae ministro habere externum principatum eumque usurpare praetextu evangelii et ecclesiastici ministerii. Petrus non idcirco debet Antiochiae aut Romae dominari, quia apostolus est* etc. *Quodsi vero externus principatus aut externorum bonorum possessio contigerit ministro ecclesiae vel legitima hereditate vel ordinaria electione, aliove civili et legitimo contractu, ibi tamen, etsi difficillimum sit, una externas opes administrare et praedicando evangelio servire, tamen licet haec externa bona habere, non ut apostolo aut ministro ecclesiae praetextu ministerii, sed ut externo heredi, ut civi aut collegae ordinarie electo, ut negotiatori legitimis contractibus utenti.*)** Excipit Bellarminus libr. 5. de pontif.
122. c. 10. dupliciter: Primo, *Dominum hic solum instituere meros principes ecclesiasticos ac docere, debere eos, ut tales sunt, praeesse subditis non more regum et dominorum, sed more patrum et pastorum, hinc autem nondum sequi, quod non possit esse unus et idem episcopus ac princeps*; secundo, *Dominum illis verbis non prohibere episcopis dominatum, qualis esse potest regum et principum piorum, sed qualis est regum ignorantium Deum, qui tyranni potius sunt quam reges, cum in Graeco sit κατακυριεύειν, quod est violenter dominari.* Respondemus: 1. Personae ecclesiasticae a Spiritu sancto vocantur *ministri ecclesiae*, non autem principes ac domini ecclesiae. Dicuntur quidem absolute *reges* Psalm. 68, v. 13. ac *principes* Psalm. 45, v. 17. sed non propter dominatum quendam politicum ac monarchicum in ecclesiam, verum significatione ea, qua propter spirituale regnum etiam reliqui pii dicuntur *reges* 1. Petr. 2, v. 9. Apoc. 1, v. 6. 2. Si Christus hoc loco meros ecclesiasticos principes instituit, ergo non instituit episcopos politica potestate armatos, illi proinde vel *meros ecclesiasticos* principes se esse fateantur, vel apostolorum successores sese esse negent. 3. *Τὰ ἔθνη* generaliter dicuntur populi ac gentes, non ii solum, qui religione sunt gentiles, Matth. 24, v. 7. Luc. 7, v. 5. c. 23, v. 2. Joh. 11. v. 48. Actor. 2, v. 5. etc. frustra igitur somniat Bellarminus, de regibus gentilium duntaxat Christum loqui, cum in genere de politicis regibus agat. 4. Tyrannicum illum dominatum, qualis est quorundam regum gentilium, in ipsis Christianis regibus Christus detestatur, atqui dominatum illum, de quo textus agit, politicis regibus concedit, ab apostolis vero et eorum in ministerio successoribus removet. Ergo non loquitur de dominatu tyrannico. 5. Ejusmodi imperium Christus apostolis derogat, quale ille affectabant, alias responsum non fuisset accommodatum ad quaestionem. Sed Jacobus et Johannes, item reliqui apostoli non affectabant tyrannicum imperium, sed principatum ac dominatum politicum, fovebant enim adhuc carnale somnium de regno Christi terreno. 6. Quod Matthaeus vocat κατακυριεύειν et κατεξουσιάζειν, id Lucas simpliciter appellat κυριεύειν et ἐξουσιάζειν, Marcus habet verbum ἄρχειν, Syrus utrobique ponit nomen מָרֵי *Domini eorum sunt.* Frustra igitur emphasis in compositis verbis quaeritur, quasi violentam et tyrannicam dominationem significent. LXX interpr. eo utuntur pro בָּעַל, quod est dominari, potestatem exercere, et ipsi Deo tribuunt Jerem. 3, v. 14. item Christo Psalm. 72, v. 8. Psalm. 110, v. 2. a quo dominatus tyrannicus est [alienissimus]; pro מָשַׁל Psalm. 18, v. 14. quod est dominationem et potestatem habere, in eminentia constitutum esse. Gen. 1, v. 28. jubet Deus hominem κατακυριεῦσαι τῆς γῆς, nec tamen Adamus tyrannus, sed dominus terrae constitutus est. 7. *Κατακυριεύοντας* illos Christus dicit vocari εὐεργέτας, sed qui tyrannicum dominatum exercent, non merentur vocari εὐεργέται 8. Si ullum aliquod imperium politicum apostolos tenere Christus voluisset, non proposuisset illis suum exemplum, cum tantum absit, ut ipse regnum politicum affectarit, ut etiam oblatum repudiarit. Jam vero Christus utrobique suum ipsis proponit exemplum 9. Ut praetermittamus interim, multa gentilium imperia fuisse moderata et paterna, ad quae si conferatur potestas illa, quam pontifices exercuerunt in Fridericos, Ludovicos, Henricos et alios imperatores, eam propius ad tyrannicam accedere conspicietur.

296. 2. A Christi exemplo. Christus diserte testatur, *regnum suum non esse de hoc mundo* Jo- 2. Propter Christi exemplum.
han. 18, v. 36. *se non venisse, ut sibi ministraretur,* XIII. 123.
sed ut ministraret Matth. 20, v. 28. unde cum ipsi regnum offerre cuperent, *fugit in montem* Joh. 6, v. 15. cum quidam ab ipso peteret, ut *fratrem ad hereditatis divisionem* cogeret, recusavit Luc. 12, v. 14. *solvit magistratui tributum* Matth. 17, v. 27. *ac caesari dandum esse docuit*, *quae sunt caesaris*
Matth. 22, v. 21. Inde sic colligimus. Si regnum XIII. 124.
Christi non est de hoc mundo, etiam papae et episcoporum regnum non debet esse de hoc mundo, vel si papae regnum est de hoc mundo, non erit Christi in illo regno vicarius. Cyprianus libr. 2. epist. 3: *Si sacerdotes Dei et Christi sumus, non invenio, quem magis sequi quam Deum et Christum*
debeamus. Excipit Bellarminus, *responderi quidem* XIII. 125.
posse, Dominum in hoc mundo suscepisse personam pontificis, non principis temporalis et illis verbis: Quis me constituit judicem aut divisorem inter vos, monuisse simplices pontifices, ne se misceant alienis negotiis; sed ipsemet agnoscit, hanc responsionem non esse ad palatum pontificis, si enim Christus non suscepit personam principis temporalis, ergo nec papa, qui audire cupit Christi vicarius, personam principis temporalis suscipere debet; aliter igitur excipit, *admoneri pontifices et principes, ne minutis et vilibus officiis ita occupentur, ut omittere cogantur majora.* Respondemus: 1. ostendantur vero ex evangelistarum tabulis majora illa, quae

Christus in politicis suscepit. 2. Certe non solum minuta et vilia in politico imperio, videlicet controversiam de herciscunda hereditate, sed integrum etiam regnum sibi oblatum repudiavit. 3. Nec solum controversiam de hereditatis divisione a se rejecit, sed ipsum quoque judicis politici nomen repudiavit, unde etiam Johan. 8, v. 11. in condemnanda adultera partes magistratus politici suscipere noluit. 4. Quae ex Bernhardo Bellarminus addit, quod *verbis Domini in medium adductis hortatus fuerit pontificem Eugenium, ut judicia rerum temporalium aliis dimitteret, cum tamen sciret, ipsum tunc principem temporalem fuisse*, ad ea ex ipso Bernhardo respondemus, lib. 2. de consid. ad Eugen. col. 1021: *Non dominantes in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in evangelio, reges gentium dominantur, vos autem non sic. Planum est, apostolis interdicitur dominatus; i ergo tu et tibi usurpare aude aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis, si utrumque similiter habere voles, perdes utrumque. Forma apostolica haec est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio* etc. Sic ergo non solum vilia et minuta ad dominationem politicam pertinentia, sed ipsam dominationem politicam ecclesiasticis personis prohiberi statuit, nec solum in dominatione humilitatem requiri, sed ipsam dominationem prohiberi sentit.

3. Propter apostoli interdictum.

297. 3. Ab apostoli interdicto. 1. Petr. 5, v. 1: *Presbyteros inter vos* obsecro ego *συμπρεσβύτερος*, v. 2. *pascite gregem Dei*, v. 3. *οὐ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, non dominantes in cleris*, ex quo sic inferimus: Quicunque eo modo debent *ἐπισκοπεῖν* et pascere gregem Domini, ne in eum dominatum exerceant, illi non possunt simul esse episcopi et domini politici. Sed presbyteri eo modo debent *ἐπισκοπεῖν* et pascere gregem Domini, ne in eum exerceant dominatum. Ergo. Bellarminus repetit suam exceptionem, per *τὸ κατακυριεύειν violentam et tyrannicam duntaxat dominationem prohiberi*, sed
XIII. 126. praeter ea, quae paulo superius adducta sunt, monemus, cavendum esse Bellarmino, ne incurrat fulmen concilii Tridentini, quo a vulgata versione quovis praetextu recedere prohibetur. Vulgata enim simpliciter reddidit *non dominantes* etc. Syrus habet nomen מָרְיָא *non tanquam Domini gregis*. Conjungimus etiam locum apostolicum 2. Cor. 1, v. 24: *οὐ κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως*, ubi ponitur verbum simplex *κυριεύειν*. Urgemus insuper oppositionem in dicto Petri, *οὐ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου*, ergo exemplo potius quam imperio praeesse debent presbyteri. Denique Petrus suum illis proponit exemplum, dum se vocat *συμπρεσβύτερον*, at quam partem politici dominatus Petrus in suo apostolatu unquam attigit?

4. Propter apostolorum exemplum.

298. 4. Ab apostolorum exemplo. *Si in apostolorum loco sumus*, inquit Hieronymus in c. 2. Mich. *non solum sermonem eorum imitemur, sed et con-*
versationem amplectamur. Apostoli nuspiam legun
tur politicum imperium administrasse. *Non monstra
bunt puto*; scribit Bernhardus lib. 1. de consid. a
Eugen. col. 1015. *qui hoc dicent, ubi aliquand
quispiam apostolorum judex sederit hominum au
divisor terminorum aut distributor terrarum. Ste
tisse lego apostolos judicandos, non sedisse judi
cantes*, Actor. 6, v. 2. cum per curam mensarun
impedimentum aliquod praedicationi verbi injic
animadverterent, eam a se rejecerunt. *Non es
aequum*, inquiunt, *ministrare mensis et relinquer
verbum Domini* ostendentes, quod non possit utrum
que fieri *μετὰ σπουδῆς*, *accurate*, ut Chrysostomu
hom. 14. in Act. loquitur. Quodsi apostoli judica
runt, se non posse simul verbum praedicare et men
sis ministrare, quomodo episcopus ecclesiastico o
ficio rite fungi et integram provinciam imperio po
litico gubernare simul poterit? Excipit Bellarminu
*apostolos ita omisisse in Hierusalem curam mini
strandi mensis, ut tamen praesiderent etiam in tem
poralibus toti illi ecclesiae, unde Gal. 2. Petrus e
Jacobus et Johannes soliciti pro fratribus, qu
erant in Hierusalem, rogant Paulum et Barnaba
ut memores sint colligere aliquam eleemosynam e
mittere in Jerusalem. Illi vero id fecerunt et col
lectam pecuniam ipsimet detulerunt non ad diaco
nos praefectos mensis, sed ad seniores, Actor 1*
Respondemus: 1. prospicere pauperibus de eleem
syna non pertinet ad jurisdictionem politicam, se
ad curam ecclesiasticam, ut ostendimus superiu
inde etiam vocatur *διακονία* Rom. 15, v. 31. 2. Cor.
v. 4. c. 9, v. 1. etc. 2. Cura illa eleemosynae pr
egenis fratribus colligendae fuit temporaria, cu
enim caritas annonae in Judaea cessaret, simul *δια
κονία* illa cessavit, sed episcoporum in regno Pon
tificio dominatus politicus est perpetuus. 3. Hau
inviti permittimus Romano pontifici et ipsius epi
scopis, ut pauperum curam suscipiant ac tempor
famis collectas pro pauperibus fieri jubeant, an ver
id fiat, nec ne, res ipsa loquatur. *Pontifices su
bella juvant, sunt cetera nugae* canit Marc. Pali
genius, at in bellis potius exactiones et expilation
pauperum regnant quam eorum sustentatio. Era
mus cent 9. adag. chil. 1. adag. 12. fol. 295. test
αὐτόπτης refert, *se cum in rure Bononiensi ager
Julio ejus orbis ditione potito vidisse extrema
paupertatis agricolas, quibus universae facultat
in duobus bobus fuerint, quippe quorum labore t
tam familiam sustentarint, pro singulis singulos d
catos tributi loco dependere.* Nimirum hoc e
pauperum curam habere?

299. 5. Ex dicto apostolico 2. Tim. 2, v.
Nemo militans Deo implicat se negotiis secularib
Novimus quidem, in Graeco non exstare τῷ Θ
nec de solis ministris ecclesiae in spirituali milit
occupatis apostolo sermonem esse, sed de militib
in bello corporali laborantibus, quorum exemplu
Timotheo spirituali Christi militi apostolus propon
interim quia versio vulgata apud Pontificios e
authentica, et quia iidem ex hoc dicto legem coe

batus ministris ecclesiae impositam probare conantur, ideo ex illorum hypothesi sic concludimus. Quae sunt negotia secularia, illis episcopus utpote Deo militans non debet implicari. Sed magistratum politicum gerere pertinet ad negotia secularia. Ergo. Sicut miles prohibetur se ingerere in causas civiles, l. militares C. de re milit. l. repetita. C. de episc. et cler. ita multo probabiliori ratione miles spiritualis ab iis debet abstinere, arg. c. reprehensibile 23. q. 8. Observa etiam additam ab apostolo rationem, quare militans Deo sese non implicet negotiis secularibus, *ut ei placeat*, *cui se probavit*, id est ut satisfaciat muneri suo ad beneplacitum imperatoris, non posset autem illud facere, si operam suam rebus tam diversis addiceret, Arnisaeus de exemt. cleric. cap. 1. num. 1. Excipit Bellarminus, *negotia secularia hoc loco non vocari regimen politicum, sed curam victus parandi ac proinde negotiationes, mercimonia et similia, cum in Graeco sit τοῦ βίου πραγματείαις, prohibere igitur episcopo non regimen politicum, sed nimiam solicitudinem circa vitam corporalem.* Deinde monet ex Chrysostomo, *haec dici a Paulo non tam episcopo quam aliis hominibus, cum omnes etiam laici, etiam reges milites Christi esse debeant.* Denique addit, *non haberi in Graeco, nec in omnibus Latinis codd. illud Deo, sed generaliter οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται.* Respondemus: 1. revocamus Bellarminum ad decretum concilii Tridentini de non repudianda quovis praetextu vulgata versione. 2. Oppositio evidenter ostendit, per τὰς πραγματείας βίου non solum curam parandi victus, sed in genere quaevis negotia intelligi, quae militi in vocatione sua impedimentum aliquod objiciunt. Quare cum administratio dominatus politici non mediocrem remoram injiciat ministro ecclesiae in officii sui partibus recte expediendis, utique ut bonus Christi miles ab ea abstinere debet. 3. Si enim cura parandi victus episcopo interdici intelligitur, eo quod sit negotium mundanum politicum, quanto magis tota regiminis politici administratio ipsi prohibita intelligenda est? 4. Interpretes generaliter exponunt de negotiis secularibus. Interpres Chrysostomi: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Primasius: *Comparatione militum utitur, ut ostendat, multo magis nos a negotiis secularibus liberos esse debere, ut Christo placeamus, si etiam seculi milites a reliquis ejus actibus vacant, ut possint regi suo perfecte placere.* Ambrosius: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Ecclesiasticus autem idcirco se probat Deo, ut huic devotus officium impleat, quod spopondit in Dei rebus solicitus a seculari negotio alienus. Non enim convenit, unum duplicem habere professionem.* Haec Ambrosii verba citans episcopus Espencaeus comment. in 2. Timoth. 2. subjungit: *At nunc, quod post Augustinum queritur Anshelmus, nunc inquam videmus secularium causarum discussionibus intendere ac de temporalibus judicare episcopos. Quid dicturi boni patres, qui hujus et similium locorum occasione sacris hominibus adeo profanis negotiis interdixerunt, ut et inde titulum fecerint, ne clerici vel monachi secularibus negotiis sese implicent?* Lyranus: *Nemo militans Deo solicite in praedicationis opere implicat se negotiis secularibus.* 5. Si de nimia cura victus ἡ πραγματεία βίου explicetur, facile concedimus, ad quemvis pium tanquam spiritualem Christi militem hanc prohibitionem pertinere, sed quia apostolus speciali quadam significatione Timotheum episcopum vocat Christi militem v. 3. ideo in specie ad ministros ecclesiae haec prohibitio proprie et primo spectat, ne involvant se negotiis secularibus, sed in ministerio verbi sese contineant, unde Theophylactus in comm. ad episcopos locum accommodat.

300. 6. A discrimine ecclesiasticae et politicae potestatis. Quascunque potestates Deus ipse distinctas esse voluit, eae non sunt invicem commiscendae, ut ab una eademque persona administrentur. Sed ecclesiasticam et politicam potestates Deus ipse distinctas voluit, quod *ex causa instrumentali, materia circa quam sive objecto, forma ac fine* utriusque potestatis manifestum fecimus superius §. 195. Ergo hae potestates non sunt invicem eo modo commiscendae, ut ab una eademque persona administrentur. Quamvis vero sufficiens causa illius distinctionis merito nobis esse debeat Dei voluntas; tamen possunt etiam aliae addi causae. 1. Quia pari cura utraque administrari nequit, Ambrosius in lib. de fuga seculi c. 2: *Quod ad alia officia confertur, hoc religionis cultui divinoque ab officio decerpitur.* 2. Forma, objectum et finis administrationis utrobique sunt diversissima. 3. Si doctrina armata esset gladio, facile irrumperet idololatria. 4. Uno eodemque tempore utraque potestas ab uno nequit exerceri. Quo pertinet, quod Ezech. c. 34, v. 4. et Jerem. c. 5, v. 30. et 31. in catalogo rerum horribilium recensent *dominationem sacerdotum in potestate sua.* 7. ** *A divina in ecclesia Israëlitica ordinatione.* Regnum fuit tribui Judae proprium, sacerdotium autem tribui Levi fuit assignatum. 2. Par. 19, v. 11. inquit Josaphatus: *Amarias sacerdos et pontifex, videlicet in his, quae ad Deum pertinent, praesidebit; porro Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Judae, super ea opera erit, quae ad regis officium pertinent.* **

6. Ex discrimine ecclesiasticae et XIII. 128. politicae potestatis.

7. A divina in ecclesia Israëlitica ordinatione.

301. 8. A testimoniis veterum canonum et scriptorum ecclesiasticorum. In fragmentis apostolorum a Praetorio editis refertur, quod Petrus ad Clementem successorem suum dixerit: *Impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studiis solicitudines suscipere seculares;* item: *Tu ad hoc solum vacato, ut doceas verbum Dei.* Marianus Scotus hac de re sic scribit in Chron.: *Petrus, ut in gestis pontificum habetur, Clementem episcopum consecravit atque cathedram et omnem ecclesiam disponendam commisit dicens: Sicut mihi gubernanda tradita est a Christo Jesu potestas ligandi ac solvendi, ita et ego tibi committo, ut ordinans dispensatores diversarum cau-*

8 Ex scriptoribus ecclesiasticis.

sarum, tu minime in curis seculi, sed solummodo orationi ac praedicationi deditus reperiaris. Canon. 7. apostolis attributus sic habet: *Episcopus, aut presbyter aut diaconus nequaquam seculares curas assumat; sin aliter, dejiciatur.* Cyprianus serm. de lapsis conqueritur, quod *episcopi, quos et hortamento ceteris oporteat esse et exemplo, visi sint divina procuratione contemta procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta per alienas provincias oberrantes negotiationis quaestuosae nundinas aucupari, esurientibus in ecclesia fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus foenus augere.* Id ipsum in regno Pontificio hodie adhuc fieri testatur experientia. Tertullianus de idol. c. 8: *Christus gloriam seculi et sibi et suis aliena esse judicavit.* Origenes homil. 12. in Matth.: *Inter vos autem, qui estis mei, non erunt haec, ne forte qui videntur habere aliquem in ecclesia principatum, dominentur fratribus propriis vel potestatem in eos exerceant. Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate; sic et qui principes spirituales, principatus eorum in dilectione subjectorum positus esse debet, non in timore corporali.* Hieronymus ad Nepot.: *Qui Dominum possidet et cum propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quodsi quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non erit Dominus; si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus pars ejus fieri Dominus non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum et funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi Levita et sacerdos vivo de decimis et altari serviens altaris oblatione sustentor, habens victum et vestitum, his contentus ero et nudam crucem nudus sequar.* Ambrosii in 2. Tim. 2. dictum vidimus paulo superius. Idem orat. in Auxent.: *Adversus*
XIII. 129. *arma, milites, Gothos quoque lacrimae meae arma sunt, alia enim munimenta non sunt sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere.* Bernhardi testimonia ex lib. 1. et 2. de considerat. ad Eugen. itidem superius adduximus, ad quem Bellarminus excipit, *Bernhardum loqui de pontifice, ut est pontifex totius ecclesiae et secundum id, quod habet ex Christi institutione, cum addat, Esto ut alia quacunque ratione haec tibi vendices, sed non apostolico jure.* Item *Bernhardum hoc velle, quod pontifex ut pastor ovium non debeat eis dominari, sed eas pascere, interim sicut nihilominus iisdem ovibus, ut sunt cives reipublicae dominatur princeps politicus, ita eadem ratione posse iisdem dominari pontificem, si sit eorum princeps politicus.* Respondemus: Id vero est in quaesito, an pontifex simul esse possit ecclesiae pastor et princeps politicus. Ac si pontifex ut pastor non debet ovibus dominari, cur ipse Bellarminus c. 7. praecedente ex dicto Christi Joh. 21, v. 16 et 17. *Pasce oves meas,* demonstrare conatur, papam habere summam temporalem potestatem indirecte. Si pontifex ut pontifex et secundum id, quod habet ex Christi institutione, non obtinet dominatum politicum, ut hoc loco diserte Bellarminus concedit, cur praeced. c. 1. scribit, *non tam sententiam quam haeresin esse, quod pontifex ut pontifex et ex jure divino nullam habeat temporalem potestatem?* Si jure apostolico pontifex non habet politicum dominatum, cur igitur propter successionem in sede apostolica eam sibi vendicat? Qui aliquid sibi arrogat, quod nec ex Christi institutione, nec ab apostolo Petro accepit, is nec verus Christi vicarius, nec Petri successor est. Bernhardus quid de temporali illa pontificum potestate senserit, ex verbis illius manifeste conspicitur. lib. 2. de consid. ad Eugen. col. 1021: *Interdicitur* (inquit) *apostolis dominatus, ergo tu usurpare aude aut dominus apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab utroque prohiberis, si utrumque simul habere voles, utrumque perdes* etc. *Sarculo prophetae opus est tibi, non sceptro, ut opus facias prophetae, et ille quidem non regnaturus adscendit, sed exstirpaturus* etc. *Cum dicat Dominus ac magister, se non esse constitutum inter duos judicem, non debet servo ac discipulo indignum videri, si non judicet universos. Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has accepisti claves regni coelorum. Quaenam tibi videtur major dignitas dimittendi peccata, an praedia dividendi? nulla comparatio. Habent haec infima et terrena judices suos, reges et principes, quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* lib. 4. de consid. col. 1036: *Quid denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam?* etc. *Uterque ergo ecclesiae, et spiritualis scilicet gladius et materialis, sed is quidem pro ecclesia, ille vero et ab ecclesia exercendus est. Ille sacerdotis is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et jussum imperatoris.* Idem in epist. ad archiepisc. Senonensem: *Conditor caesaris caesari non cunctatus est reddere censum, exemplum enim dedit vobis, ut et vos ita faciatis.* Gregorius libr. 4. epistol. 44: *Si quis ecclesiasticorum unquam titulos ponere sive in rustico, sive in urbano praedio sua sponte praesumserit, anathema sit.* Excipit Bellarminus, *ecclesiam tunc temporis nondum habuisse politicum principatum, sed possedisse bona temporalia ad eum modum, quo privati cives possident.* Respondemus: apparet igitur, melioribus ecclesiae temporibus episcopos a politico principatu abstinuisse, ad quae nostri episcopi iterum revocandi sunt, praesertim cum generaliter loquatur Gregorius, ita ut futurum quoque tempus includat. Nicolaus I. circa annum Christi 860. in epistola ad Michaelem imperatorem scripsit, fuisse quidem ante Christi adventum eosdem reges et pontifices, at Christum verum regem et pontificem ista distinxisse. *Cum ad verum ventum est* (inquit), *ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit, quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, pro-*

II. 130. *pria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in infernum demergi, et ut Christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret incursibus, et Deo militans minime se negotiis secularibus implicaret ac vicissim non ille rebus divinis praesidere videretur, qui esset secularibus negotiis implicatus.* Haec epistola Nicolai relata est inter decreta c. Cum ad verum dist. 96. Excipit Bellarminus, *Nicolaum hoc solum voluisse dicere, non convenire, ut item sit pontifex totius orbis et simul imperator totius orbis, non quod hoc repugnet evangelio et nullo modo possit fieri, sed quia Christus ad conservandam humilitatem voluerit Pontificem indigere imperatoris defensione in temporalibus et simul imperatorem indigere pontificis directione in spiritualibus, quod autem Christus voluerit, patere ex eo, quod reliquit imperium Tiberio et Petro solum contulit Pontificatum.* Respondemus: Christus nec totius orbis imperium, nec partem aliquam politici dominatus Petro reliquit, sed apostolatum et docendi ministerium; si ergo pontifex Christi vicarius et Petri successor audire cupit, nec totius orbis imperium, nec principatuum quorundam administrationem politicam sibi arrogare debet, ac ratio, quam affert Nicolaus pontifex, quod scilicet *Deo militans negotiis secularibus se ipsum implicare neutiquam debeat,* generalis est, tam in provinciarum, quam orbis imperio locum obtinens. dist. 88. titulus hic est: *Episcopi et ecclesiastici secularia negotia non curent.* ** Apud Nicephorum exstat sententia Synesii veteris theologi: *τὰς πολιτικὰς ἀρετὰς ἱεροσύνῃ συνάπτειν, συγκλώθειν ἔστι τὰ ἀσύγκλωστα.* ** Marsilii Patavini, auctoris *ἀνωνύμου* de onere ecclesiae, Güntheri, Jacob. Spigelii, Petri de Vineis, Wilhelmi Occami, Petri Ferrariensis, Alberici a Rosate et Antonii Roselli testimonia adduximus superius §. 197.

Ex re- iptis pera- um.

302. 9. Ex rescriptis imperatorum et regum. ** Papa summa imperii jura non solum sibi tribuit, sed etiam praeterea perpetuum imperii vicariatum ambit, ut ambitiose praetendit in c. Si fratrum ne sed. vac. in extrav. Clem. 1. de jurejur. Clem. Pastoralis de sent. et re judic. cujus ambitionis primum auctorem Clementem V. statuunt Onuphr. Panvinus de comit. imper. et ad eundem in not. Frid. Hordlederus, sed Ludovicus Bavarus recte dixit: *Nulla scriptura, nulla ratio, sed sola usurpatio introduxit, ut pontifex vacantis imperii administrationem haberet,* Paraleip. ad Abb. Ursperg. in Ludov. Bavaro p. 377. Vide Buxtorffium ad Aur. bull. Sigismundum Sold. in consil. ad Ferdinandum imperat. Ludolphum de Babenberg de imp. Rom. imo omnia quae in gratiam Pontificis contra libertatem imperii introducta putantur, nec divino jure, nec ulla patrum ordinatione, sed blanda quorundam assentatione et Romanorum spontanea ingestione ad pontifices talia, qualia sunt, pervenisse post Ludovicum Bavarum plurimi Christiani imperatores sanciverunt.** Hadrianus VI. pontifex ad Fridericum imperatorem scripsit hisce verbis: *Adrianus episcopus servus servorum Dei Friderico imperatori salutem et apostolicam benedictionem. Lex divina sicut parentes honorantibus longaevitatem promittit, ita maledicentibus patri et matri sententiam mortis intendit. Veritatis voce docemur, quia omnis, qui exaltat, humiliabitur; quapropter dilecte in Domino fili super prudentiam tuam non mediocriter admiramur, quod Petro et sanctae Romanae ecclesiae non quantam deberes reverentiam exhibere videris, in literis enim ad nos missis nomen tuum nostro praeponis, in quo insolentiae, ne dicam arrogantiae notam incurris.* Rescripsit vero imperator in hanc sententiam: *Fridericus Dei gratia Romanus imperator semper Augustus Adriano Romanae ecclesiae pontifici omnibusque adhaerere volentibus iis, quae cepit Jesus facere et docere, salutem dicit. Lex justitiae unicuique quod suum est, restituit, non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem, a quibus et regni dignitatem suscepimus, et coronam. Numquid tempore Constantini Sylvester regalis aliquid habuisse dignoscitur, sed ejus pietatis concessione libertas data est ecclesiae, pax restituta et quicquid regalis papatus vester habere dignoscitur, largitione principum donatur, unde cum* XIII. 131.
Romano pontifici scribimus, jure ex antiquo nomen nostrum praeponimus et ad justitiae normam idem nobis scribenti concedimus, revolvite annales, et si lectum neglexistis, quod asserimus, illic invenitur. Cum Bonifacius VIII. in Philippum Pulchrum Galliae regem potestatem ac superioritatem sibi arrogaret, hasce ab eo accepit literas: *Philippus Dei gratia Francorum rex Bonifacio se gerenti pro summo pontifice salutem sive modicam, sive nullam. Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos alicui non subesse, ecclesiarum et praebendarum collationem ad nos jure regio pertinere.* Referunt verba rescripti M. Jean de Serres en seconde partie generale de l'histoire de France in vita Phil. IV., Stephanus Aufrer. in repetit. Clement. 1. de offic. ordin. n. 57., Bodinus lib. 1. de republ. c. 9. num 139. Henricus imperator de Hildebrando pontifice Romano ad episcopos in haec verba scripsit: *Unus cum utrumque regimen* (politicum et ecclesiasticum) *sibi vendicavit, utrumque dissiparit, nec in uno profuit, qui in neutro prodesse voluit nec potuit.* Abbas Urspergensis in chron. Flacius in catal. test. veritatis. Ludovicus imperator in edicto publico contra Johannem XXII: *Maxime diversa sunt crucifixus et summa potestas, miles et sacerdos, imperator et pastor, regnum et patibulum, corporalia et spiritualia, arma et sacra, bellum et pax, caesar et nuntius, princeps et minister, dominus et servus,* referente Aventino lib. 2. annal. Bojor. In eandem fere sententiam scribit Carolus Calvus in epist. apologetica, quam contra Adrianum II. §. Quod et nos etc apud Heimensfeldium tom. 1. constit. imper. Philippus Vallesius Galliae rex suo tempore constituit, ut a parlamento tanquam a politica admini-

stratione praelati et episcopi omnino arcerentur, negavit enim, *se bona conscientia pastores animarum curam gerentes a tam ardua cogitatione revocare posse,* referente Obrechto jurisconsulto in disp. de bello th. 100. Richardus rex Angliae, cum Philippum episcopum Bellovacensem, qui contra exercitum ejus militem duxerat, acie captum detineret eumque tanquam filium suum pontifex dimitti juberet, Romam misit arma, quae episcopus in acie gestaret, petiitque considerari, *an haec esset tunica filii et an filii papae talem amictum gestarent,* unde papa ita erubuit, ut ejus gratuitam liberationem ulterius non postularet. Helinsh. in chron. Rich. I. Alexius imperator Constantinum Mesopotamitam pontificem Thessalonicensem ab officio removit, quod *ex templo pedem in curiam proferret,* Nicetas 2. annal. Alexander Sigismundus rex Poloniae prohibuit, *ecclesiasticos prorsus misceri judiciis secularibus nisi peculiariter a rege requisitos,* lib. 1. stat. Polon. c. 2. art. 11.

10. Ex testimoniis politicorum. 303. 10. Ex testimoniis jurisconsultorum et politicorum et historicorum. Aristoteles lib. 4. politic. c. 15. negat, sacerdotes civilem magistratum gerere posse. Fabius Maximus cum in eligendo consule occupatus esset, Aemilium Regillum sacerdotem Quirinalem a consulatu removit, *neque enim,* inquit, *eum a sacrificiis et Deorum cultu avocare licet.* Ferrariensis in practic. in forma libell. respons. rei conven. gl. 18. num. 1. scribit, *clericis prohibitum esse implicare se negotiis secularibus, cum male sonet psalterium cum cithara.* Glossa in c. Quemadmodum 24. q. 1. in verbo *Invidia* dicit, *papam esse successorem* Petri *piscatoris, non Augusti imperatoris.* in c. Quoniam dist. 10. ad verbum *discrevit,* statuit, *pontifices Romanos non minus quam alios cujusvis ecclesiae antistites jurisdictione seculari carere,* quod prolixe etiam probant Antonius de Rosell. tract. de potest. pap. et imper. et Almain tract. de potest eccles. et laic. relati a Covarruvia in c. peccatum p. 2. §. 9. n. 7. ubi *contrarium quidem a plerisque in favorem pontificis traditum, hoc tamen absque ulla haereseos suspicione defendi posse* scribit, cui adstipulatur Bodinus lib. 3. de republ. c. 3. num. 227. et seqq. Cum enim *ecclesiasticis opprobrium esse dicatur, se peritos ostendere*
XIII. 132. *rerum secularium,* ideo ex officii sui natura jurisdictione seculari carere convincuntur. Prius patet arg. l. placet 17. l. repetita 41. v. absurdum C. de episc. et clericis l. consulta, divalia C. de testam. c. Cum ad verbum dist. 96. c. Sacerdotibus in fin. c. sed nec procurationes et t. t. Extr. ne cler. vel mon. secular. negot. se immisceant. c. 1. 2. et seqq. 21. q. 3. c. Sanctor. et venerabil. episc. 80. et 82. Nov. Leonis 86. etc. Michael Alcurunnus Pampilonensis in tract. de regim. mundi imperatori Carolo V. inscripto p. 2. q. princ. num. 47. concludit, *quod papa temporalem potestatem nec actu, nec habitu in imperatorem obtineat.* Johannes de Paris. lib. de regali et papali potest. c. 16. ostendit, *imperatorem a solo Deo, non a pontifice romano habere potestatem et Christum, cujus vicarius cupit esse Romanus pontifex, non administrasse imperium mundanum.* Idem demonstrat Ludolphus de Babenberg in lib. de jure regni et imp. Rom. c. 9. etc. Cum Philippus Hispaniarum rex Portugalliae regnum defuncto rege Henrico ad se jure hereditario pertinere contenderet ac papa ultro et non rogatus judicem se offerret, rex expetivit super ea re ab universitate Alcaldana consilium. Doctores re pensiculatius deliberata responderunt, *papam et apostolicam sedem nequaquam in hac causa vel posse, vel debere judicialiter cognoscere, quia secularis et mundana omnino esset, spiritualibus illum potius, omissis his, ut incumbat decere.* Refert Wolffius cent. 16. p. 937. Ex Fulgoso lib. 6. memorat Duarenus lib. 1. de sacr. eccles. minist. c. 4. cum archiepiscopus Coloniensis per pagum quendam iter faceret et ingens armatorum numerus eum sequeretur, forte fortuna bubulcum aliquem eo viso vehementius ridere coepisse ac interrogatum, quaenam risus causa, respondisse, *sibi ridiculum videri, quod Petrus apostolus sacerdotalis ordinis princeps in tanta inopia vitam egisset, ut ejus successores adeo locupletarentur et regibus satrapisque pares fierent.* Objiciente vero *episcopo, se duplicem personam sustinere, ducis scilicet et episcopi,* majorem cachinnum sustulit bubulcus dicens: *Velim hoc unum abs te doceri, cum hunc ducem, cujus personam geris, jam fato functum daemones ad inferos rapient, quonam iturum esse episcopum existimes?* Convenit cum hoc bubulci responso Roberti a Licio dicterium in concione coram papa et cardinalibus prolatum, quod recensuimus in loc. praeced. de ecclesia. Sigebertus in chron. ad annum Christi 1088. cum Hildebrandus pontifex primum illam potestatem adversus Henricum imperatorem sibi injuste assumeret de solio imperali ipsum deturbandi, hoc in pontifice *tanquam novitatem* et, quanquam id subveritus dicere, *haeresin* condemnat. *Haec sola novitas, non dicam haeresis* etc. Crantzinus lib. 8. hist. Saxon. c. 36. referens de Bonifacio VIII. quomodo secunda solennitatis jubilaeae die habitu caesareo praeferente quodam aulico gladium nudum praesentibus caesaris Alberti legatis templum ingressus sit, et ubi consedit, alta voce exclamarit: *Ecce duo gladii hic, Ego sum papa et caesar, coelestis et terrestris imperii potestatem habeo etc.* subjungit: *Vide o Petre successorem tuum, et tu salutifer Christe tuum cerne vicarium, vide quo adscenderit superbia servi servorum tuorum.*

304. 11. Ex testimoniis quorundam scriptorum 11.
Pontificiorum. ** *Sublati in papam* (primis trecentis post Christum annis) *non ad temporale dominium trahebantur, sed ad martyrium,* Greg. Heimburgerus in admonit. de injustis usurpationibus Romanorum paparum fol. 118. in 4. Et postea: *Hujus ecclesiae gloria fuit non purpura, non divitiae, non equus albus, non fastus, non dominatus, sed ecce reliquimus omnia et secti sumus te Domine. Speramus ex hoc non acquirere sedem temporalis eminentiae, sed sedem judicantium duodecim tribus Israël juxta*

*Christi promissum. Sed a tempore Sylvestri, qui fuit vicesimus quartus papa a Petro, incepit ecclesia mista, sanctus enim Sylvester Constantini donationem pro usu notariorum, qui gesta martyrum describerent, et pauperum, non in dominium, sed usumfructum acceptavit.*** Barthol. Cassan. lib. 4. catal. glor. mundi consid. 7. scribit, *summum pontificem et sacerdotes sancti ordinis regi et principi subditos esse, argumento eo, quod 2. Reg. 22. ponatur verbum principis ad sacerdotes imperative, Tolite* etc. Erasmus in comp. theol. p. 26: *Non dictum est, rege aut subige oves, sed pasce, neque dictum est, oves tuas, sed meas, alieni gregis pastor es, non dominus, vide ut oves bona fide annumeratas tibi creditas.* in annot. 1. Tim. 3. p. 469: *Olim qui episcopatum appetebat, praeclarum opus appetebat, his temporibus, qui episcopatum expetit, omnem censum expetit, praeclarum imperium expetit.* In annot. 1. Petri 5. p. 533: *Pascite gregem. Praeceptum hoc apostolorum principis in omnibus omnium episcoporum aulis vel aureis literis oportebat inscribi. Pascite, inquit, gregem, non opprimite, non expilate, idque non coacte velut ex officio, sed ex sincero affectu tanquam patres, neque turpis lucri gratia, quasi praesentiens ecclesiae pestem hinc orituram; denique non dominantes more regum, sed exemplo pascite, benefactis vincite. Nunc episcoporum vulgus nihil audit ab assentatoribus nisi dominia, ditiones, gladios, claves, potestates, atque hinc fastus quorundam plusquam regius, saevitia plusquam tyrannica* etc. Auctor orat. ad regem Christianum, qui se Catholicum nominat p. 19. edit. Lugd.: *Claves quas Deus dedit Petro et sanctis patribus successoribus ejus, ad regnum coelorum duntaxat pertinent, ad regnum terrae nullo modo, ille ipse omnipotens, cum hic in terris ageret, non instituit castigare reges, non coronas effringere, sed contra tota vita ipsius fuit quidam apertus humilitatis liber.* p. 15: *Propositionem illam, quod penes pontifices sit, ut reges excommunicent et a jurejurando ac fide data subditos absolvant, quotquot in regno Gallico, ex quo Christianum est, vixerunt, exploserunt velut omnium periculosissimum et summe adversantem verbo Dei, qui dixit: Regnum meum non est de hoc mundo, super quem locum Aug. tract. 115. in Joh. Audite omnia terrena regna, non impedio dominationem vestram.* Auctor libr. de eccles. et pol. potest. in Gallia scripti ed. Franc. anno 1612. p. 24. et seqq. multis Scripturae dictis demonstrat, *ecclesiam nec territorium, nec jus gladii, carceris aut alterius poenae corporalis habere, de terrenis hereditatibus ac possessionibus minime judicare, cum anima hominum, non terrena imperia habeat pro subjecto, ecclesiasticos non debere se negotiis secularibus immiscere,* et addit, *a quo tempore contrarium fieri coeptum, magnam ecclesiasticae disciplinae conturbationem esse subsecutam.* Petrus Well jurisconsultus in tract. de usuris edit. Colon. anno 1564. in octern. c.: *Miscentur officia politica et ecclesiastica, quod cum fit, differentia inter politicum et ecclesiasticum magistratum non recte evanescit, Deum precor, ut hoc tandem corrigere dignetur ad nominis sui gloriam sempiternam.* Hieron. Vendramenus in assert. contra reipubl. Venet. detractores thes. 1: *Summus pontifex, qua Christi vicarius est, nullum habet temporale dominium in principum secularium regnis atque imperio.* Gallofrancus in epistol. ad Philenetum pro libertate status Veneti Paris. anno 1606: *Videant qui temporalem gladium in potestate Petri atque ideo in ecclesia esse contendunt, cum tamen Paulus in 2. Cor. 10. contra dixerit: Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum.* Barclajus contra Bellarminum de temporali potestate pontificis aliquot scripta in publicum edidit. Stapletonus in promt. Catholic. dominic. 22. post. pentecost. text. 2. sic scribit: *Catholicam doctrinam de distincta potestate ecclesiastica et politica Christus hoc loco* (Matth. 22. date Caesari etc.) *diserte docet.* Et postea: *Christus ita respondet, ut spiritualem potestatem tam suam, quam eorum, quos missurus esset, a politica et regia distinctam stabiliret.*

305. Videamus, quae sit Pontificiorum de temporali potestate pontificis et episcoporum ipsius sententia. Bellarminus lib. 5. de pontif. c. 1. *tres* extare de ea sententias: *1. summum, ait, pontificem jure divino habere plenissimam potestatem in universum orbem terrarum tum in rebus ecclesiasticis, tum in politicis.* Hanc tribuit Augustino, Triumpho, Alvaro, Pelagio, Hostiensi, Panormitano et aliis canonistis. *2. Pontificem ut pontificem et ex jure divino nullam habere temporalem potestatem, nec posse ullo modo imperare principibus secularibus, nedum eos regnis privare; nec licuisse pontifici aliisque episcopis accipere temporale dominium, quod nunc habent in quasdam urbes et provincias* etc. Hanc tribuit nobis, quos vocat haereticos. *3. Pontificem ut pontificem non habere directe et immediate ullam temporalem potestatem, sed solum spiritualem, tamen ratione spiritualis habere solum indirecte potestatem quandam eamque summam in temporalibus.* Hanc dicit esse communem Catholicorum sententiam, quam ipse quoque defendere conatur, pollicetur igitur se tria demonstraturum. *1. Pontificem jure divino non habere directe temporalem potestatem,* illud probat per tria capita ostendens, *papam non esse dominum totius orbis* c. 2. *nec esse dominum totius orbis Christiani* c. 3. *nec esse dominum ullius provinciae aut oppidi, nullamque habere jure divino jurisdictionem mere temporalem* c. 4. argumenta contraria solvit c. 5. *2. Pontificem habere aliquo modo, id est ratione suae spiritualis monarchiae summam potestatem etiam temporalem, indirecto scilicet* quod explicat c. 6. probare conatur c. 7. et 8. *3. Non esse contra jus divinum, quod episcopi habeant etiam actu et directe jurisdictionem temporalem in urbes et provincias sibi donatas a regibus vel alio titulo justo acquisitas,* quod c. 9. demonstrare nititur, solutis argumentis contrariis c. 10.

Antithesis Pontificiorum.

XIII. 134.

306. In primo habet nos sibi Bellarminus ὁμο-

ψήφους, ipse vero viderit, quomodo hac in parte ei conveniat cum aliis Pontificiis, imo cum ipsis pontificibus. Nam in decretalibus non indirectam tantum, sed directam et plenariam potestatem in temporalibus pontifices sibi vendicant c. omnes dist. 22. ubi *terreni et coelestis imperii jura Petro dicuntur commissa*. c. Cuncta caus. 9. quaest. 3. ubi *Romana ecclesia dicitur fas habere de omnibus judicandi, ut nulli liceat de ejus judicare judicio*. c. omnes extra de major. et obed. ubi *omnes principes terrae ac ceteros homines episcopis obedire a Petro jussos esse* asseritur c. Unam sanctam. extra de majorit. et obed. ubi Bonifacius dicit, *in potestate pontificis Romani esse duos gladios, spiritualem videlicet ac temporalem, ac subesse Romano pontifici omni humanae creaturae omnino esse de necessitate salutis*. c. Licet extra de foro competent. Innocentius III. statuitur, *vacante imperio summum pontificem in administratione succedere et imperiali potestate uti, donec alius electus fuerit*. Idem habet Clemens V. in Clem. pastoralis de re judic. unde etiam Sixto V. parum placuit temperamentum illud Bellarminianum de potestate indirecta, siquidem in bulla contra Henricum III. Franciae regem affirmat, *se supremam in omnes reges et principes universae terrae cunctosque populos et gentes et nationes non humana, sed divina institutione sibi traditam potestatem obtinere*, ac parum abfuit, ut ex Barclajo monuimus superius, quin omnia Bellarmini opera propter hanc assertionem censura sua Pontificia aboleret. Hostiensis in c. Quod super his de voto et voti redemtione, eo progreditur, ut statuat, *per Christi adventum omne dominium principum infidelium translatum esse ad ecclesiam et residere in summo pontifice, ut vicario summi regis Christi, ideoque posse pontificem regna infidelium jure suo donare, quibus voluerit fidelibus*. Panormitanus statuit, *quod papa jus utriusque gladii a Christo acceperit, ac proinde ipsum imperium ab ecclesia, id est a pontifice, dependere, atque ita de necessitate salutis credi oportere*. Johannes de Lignano scribit, *Constantinum non donationem, sed restitutionem papae fecisse, cum papa gerat Christi vices, cujus est terra et plenitudo ejus et cui data est omnis potestas in coelo et in terra*. Barbatia scribit, *Deum omnia subjecisse pedibus papae juxta illud propheticum: Subjecisti omnia sub pedibus*
XIII. 135. *ejus*. Jodocus de Terano Urbani VI. cubicularius in tract. de monarch. verba Christi, *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*, sic exponit, *quod Christus omnia imperia et regna mundi recuperaturus et a caesare, regibus aliisque principibus per milites suos apostolos ablaturus sit ac papae ea daturus*. Similia in Bozio, Mariana et aliis recentioribus occurrunt.

Potestas pontificis indirecta. 307. Secundum assertionis membrum de summa potestate temporali indirecte papae competente declarat Bellarminus similitudine aliqua. *Ut in homine* (inquit) *se habent caro et spiritus, ita se habent in ecclesia duae illae potestates, politica et ecclesiastica. Caro subest, spiritus praeest, et licet spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere suas operationes, tamen quando eae officiunt fini ipsius spiritus, tunc spiritus carni imperat eamque castigat. Sic spiritualis potestas non se miscet temporalibus negotiis, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest et debet coërcere temporalem omni ratione ac via, quae ad id videtur necessaria.* Respondemus: 1. parum abest, quin Bellarminus repetat illud Innocentii c. Unam sanctam. extra de majorit. et obed.: *Fecit Deus duo luminaria magna in firmamento coeli, luminare majus, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur coeli, id est universalis ecclesiae, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas magnas instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas. Sed illa, quae praeest diebus, id est spiritualibus, major est; quae vero carnalibus, minor; ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter pontifices et reges differentia cognoscatur.* Ex quo colligit glossa, quod *dignitas papalis quadragies septies major sit imperiali dignitate*. 2. Si potestas ecclesiastica spiritui, politica carni absolute et simpliciter comparatur, quid mirum, quod ecclesiastici nomen *spiritualium* in papatu sibi solis arrogarunt, cum tamen omnibus vere piis per Spiritum s. renatis ex praescripto sacrarum literarum competat 1. Cor. 2, v. 15. c. 3, v. 1. Gal. 6, v. 1. 1. Petri 2, v. 5. 3. Similitudo ex parte concedi potest, si recte explicetur. Ut spiritus dirigit carnem in actionibus animalibus, sic potestas ecclesiastica dirigit politicam in spiritualibus, sed ex eo non est inferenda absoluta subordinatio potestatis politicae ad ecclesiasticam, quia in temporalibus potestas ecclesiastica vicissim subest politicae. 4. Bellarminus similitudinem de arte frenifactoria et equestri ab aliis huc applicatam propterea repudiat, quod *in illis artibus inferior sit solum propter superiorem, adeo ut sublata superiore tollatur continuo inferior*, quale quid in politica et ecclesiastica potestate non deprehendatur, siquidem etiamsi ecclesiastica non esset, adhuc esset politica. Verum idem desiderari posset in similitudine Bellarmini. Subducto enim spiritu in homine caro nec vivit, nec operationes suas exserit, sed sublata ecclesiastica potestate nihilominus politica suas actiones exercere potest. 5. Spiritus non miscet se actionibus carnis, nisi quando eae officiunt fini ipsius spiritus, tunc enim carni imperat eamque castigat, vel quando ad finem spiritus obtinendum necessaria est aliqua carnis operatio, ut Bellarminus hoc loco disserit; sic ecclesiastica potestas non debet se miscere politicae, nisi quando repugnat fini ecclesiasticae potestatis, et tunc debet eam coërcere non armis carnalibus, sed spiritualibus. At pontifex Romanus ex privato odio, ambitione, dominandi cupiditate etc. imperatoribus se opponit, ut exempla Paschalis II.

Innocentii III. Clementis V. Sixti IV. et aliorum pontificum testantur, nec spiritualibus, sed corporalibus armis eos castigat, regno et imperio eos exuit, subditos juramentis exsolvit et hac ratione disciplinam ecclesiasticam in tyrannidem politicam commutat. Plura de hac comparatione dicentur in tractat. sequente in quaestione de exemtione clericorum a potestate civili.

136. atar ra-bus. po- tis ora- ab- one.

308. Sed videamus, quomodo *indirectam* illam pontificis *potestatem* Bellarminus probet. c. 7. adducit *rationes et exempla.* Prima ratio sic habet: *Potestas civilis subjecta est spirituali, quando utraque pars est ejusdem reipublicae Christianae. Ergo potest princeps spiritualis imperare principibus temporalibus et disponere temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale, omnis enim superior imperare potest inferiori suo.* Respondemus: 1. argumentum nititur falsa hypothesi de monarchica pontificis potestate in universam Christi ecclesiam. 2. Politica potestas non simpliciter nec in omnibus ecclesiasticae est subjecta, sed in spiritualibus; nec subordinatio finium, quam Bellarminus urget, absolutam imperatorum erga pontifices etiam in temporalibus subjectionem probat; finis frenifactoriae artis subordinatus est fini equestris, et tamen qui frenum facit, non est necessario equiti subjectus. 3. Quae absolute et simpliciter subordinata sunt, eo modo conjunguntur, ut sublato superiore statim tollatur inferius, atque tale quid in ecclesiastica et politica potestate non animadvertitur. Nam *sublata ecclesiastica potestate politica adhuc manet, ac inveniuntur hae potestates quandoque separatae, ut tempore apostolorum,* quae sunt verba Bellarmini c. praeced. *4. At,* inquit Bellarminus, *reges et pontifices, clerici et laici faciunt unam rempublicam, id est unam ecclesiam, jam vero in omni corpore membra sunt connexa et unum ab alio dependet.* Respondemus: etiam aristocratica respublica unum constituit corpus, nec tamen in eo unum membrum dependet ab altero tanquam inferius a superiore. Nobilissimum illud in mystico ecclesiae corpore membrum, a quo reliqua omnia dependent, non est papa, sed Christus, Eph. 1, v. 22. c. 4. v. 15. Col. 1, v. 18. c. 2, v. 10. etc. Possunt omnino reges et ecclesiastici unum constituere corpus, etiamsi reges non sint in temporalibus subjecti ecclesiasticis; in quibusdam ecclesiastici subjecti sunt magistratui politico, scilicet quoad leges civiles ac dominatum politicum; in quibusdam politici pendent a praesidibus ecclesiasticis, scilicet quoad spiritualia et coelestia bona, quae per verbum et sacramenta distribuuntur, item quoad censuras ecclesiasticas. *5. At,* inquit Bellarminus, *magistratus tenetur in suo imperio mutare quidquid spirituale bonum impedit, ergo subjecta est temporalis potestas spirituali.* Respondemus: Magistratus pius hoc facit propter Dei gloriam, cujus vices in terris sustinet, et propter aeternam subditorum salutem, ad quam civilis potestatis administratio dirigenda, nequaquam vero ob jurisdictionem quandam coactivam externam ecclesiasticae potestati competentem. Quodsi namque magistratus politicus illud mutare recuset, ecclesiae προεστὼς per vim externam eum cogere nec potest, nec debet.

309. 2. *Respublica ecclesiastica debet esse perfecta et sibi sufficiens in ordine ad suum finem, tales enim sunt omnes respublicae bene institutae. Ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad suum finem consequendum; sed necessaria est ad finem spiritualem potestas utendi et disponendi de temporalibus rebus, alioqui possent mali principes impune fovere haereticos et religionem evertere, igitur et hanc potestatem habet.* Respondemus: 1. perfecta olim fuit tempore Christi, apostolorum et primitivae ecclesiae respublica ecclesiastica, neque tamen episcopi tunc temporis habebant talem potestatem disponendi de temporalibus. *Separatae erant illae potestates tempore apostolorum,* scribit Bellarminus capite proximo praecedente; *tempore Gregorii ecclesia nondum habebat politicum principatum,* scribit idem cap. ult. hujus libri. Ergone tempore Gregorii nondum erat perfecta et sibi sufficiens in ordine ad suum finem respublica ecclesiastica? 2. Non potest major aliqua potestas tribui successori, quam in antecessore invenitur. Jam vero papa ex hypothesi Bellarmini est successor Petri. Ergo non debet majorem potestatem sibi arrogare, quam in Petro invenitur. Ubi vero Petrus XIII. 137.
exercuit vel arrogavit sibi potestatem disponendi de temporalibus? 3. Imperatores olim fovebant haereticos Arianos, neque tamen eversa fuit religio, neque episcopi temporalem potestatem sibi arrogabant. 4. Quid si ipse papa, cui summam de temporalibus disponendi potestatem Bellarminus assignat, in haeresin incidat, ecquod tunc remedium superest? num protinus omnis eversa erit religio? Non est, quod regerant, hypothesin eam esse ἐκ τῶν ἀδυνάτων, ostendunt enim exempla Liberii, Felicis, Anastasii, Vigilii, Honorii etc. ad papalem illam sedem haeresibus patefactum quandoque esse aditum. 5. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 2. de concil. c. 19: *Non est mirum* (inquit), *si ecclesia, quando habet malum pontificem, manet sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus praecipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus rex Deus sit. Itaque etiamsi ecclesia non possit deponere pontificem, tamen potest ac debet Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat et certum est, Deo fore curae ejus salutem, qui talem pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam ecclesiam destruat.* Idem nos verbis paululum immutatis ad Bellarmini argumentum hoc loco allatum respondemus. Non est mirum, si ecclesia, quando habet magistratus impios vel haereticos, manet sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus salus praecipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus rex Deus sit. Itaque etiamsi episcopi non possunt deponere tales magistratus, tamen debent ac possunt Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat.

2. Ex reipublicae Christianae perfectione.

3. Ex necessaria regum infidelium ac haereticorum depositione.

310. *3. Non licet Christianis tolerare regem infidelem aut haereticum, si ille conetur subditos pertrahere ad suam haeresin vel infidelitatem. At judicare, an rex pertrahat ad haeresin, necne, pertinet ad pontificem, cui est commissa religionis cura. Ergo pontificis est judicare, regem esse deponendum vel non deponendum.* Respondemus: hoc caput theologiae Jesuiticae Christo, apostolis et primitivae ecclesiae Christianis penitus ignotum fuit. Christus infideli et ethnico imperatori tributum solvit Matth. 17, v. 27. atque idem facere suis praecepit Matth. 22, v. 21. Paulus et Petrus jubent, ut ethnicis et impiis magistratibus obtemperemus, alii enim tunc temporis non erant, cum suas epistolas exararent Rom. 13, v. 1. Tit. 3, v. 1. 1. Petri 2, v. 13. quod agnoscit ipse Stapletonus Dom. 22. post pentec. sic scribens: *Cum jure gentium et naturae dubium nemini hoc esset, docent apostoli, etiam Dei voluntatem esse, ut regibus etiam ethnicis et infidelibus, neque enim alii tunc erant, ipsi pii et fideles obtemperarent.* Christiani olim non deposuerunt Neronem, Diocletianum, Julianum Apostatam, Valentem Arianum ac similes. Tertullianus in apol. c. 30: *Nos pro salute imperatoris Deum invocamus aeternum, ut concedat ei vitam prolixam, regnum securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, orbem quietum* etc. Nullus prophetarum auctor fuit populo Israëlitico, ut propter apostasiam reges deponeret, quin potius Jeremias pro Nabuchdonosore Israëlitas vota facere jubet. Argumenta, quibus Bellarminus haereticam ac seditiosam suam thesin probare nititur, in seq. tractatu part. 2. in quaestione, *An etiam infideli et haeretico magistratui subditi Christiani et orthodoxi teneantur obstricti*, soluta dabuntur, hoc loco acceptamus illud, quod Bellarminus in diexodo hujus capitis concedit, *apostolis et Christianis in primitiva ecclesia defuisse vires temporales ad deturbandos e solio imperatores ethnicos*, ex eo enim colligimus, potestatem illam non esse necessariam ad reipublicae perfectionem, si enim necessaria fuisset, certe Christus apostolis ac Christianis eam dedisset.

4. Ex sceptrorum in XIII. 138. manus pontificis resignatione.

311. *4. Quando reges et principes ad ecclesiam veniunt, ut Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso vel tacito, ut sceptra sua Christo subjiciant et polliceantur, se Christi fidem servaturos et defensuros etiam sub poena regni perdendi. Ergo quando fiunt haeretici aut religioni obsunt, possunt ab ecclesia judicari et a principatu deponi.* Respondemus: 1. Aliud est sceptra Christo, aliud papae subjicere. 2. Principes ad imperii gubernacula evecti non paciscuntur cum Romanis pontificibus, sed quandoque cum regni proceribus. 3. Julianus cum in imperatorem eligeretur, Christianam religionem profitebatur, postea ad gentilismum se convertebat, nemo tamen Christianorum imperio eum propterea spoliavit. Multi imperatores facti sunt Ariani, nec tamen propterea ex solio imperiali dejecti. 4. Ut *arma* ecclesiae non *sunt carnalia, sed spiritualia* 2. Cor. 10, v. 4. ita quoque ecclesiastica correctio non est e sede regali deturbatio, sed excommunicatio. Ambrosius Theodosium delinquentem non expulit regno, sed per excommunicationem prohibuit a templi ingressu. 5. Et quis unquam ante tyrannicum Antichristi in ecclesia dominatum fando audivit, regnorum collationem et ademtionem inter officia ecclesiastica referri?

5. [...] sto offi[...] dit

312. *5. Cum Petro dictum est, Pasce oves meas Joh. 21, v. 17. data est illi facultas omnis, quae ad tuendum gregem pastori est necessaria. Ea vero triplex: circa lupos, ut eos arceat omni ratione, qua poterit; circa arietes, ut eos recludat, si cornibus gregem laedunt; ac circa oves reliquas, ut eis tribuat convenientia pabula. Si ergo princeps fiat lupus, id est haereticus, pastor ecclesiae potest eum arcere per excommunicationem et simul jubere populo, ne eum sequatur, ac proinde privare eum dominio in subditos. Si fiat aries furiosus ovile destruens, potest eum recludere vel redigere in ordinem ovium. Denique potest ac debet ecclesiae pastor regibus jubere, ut Deo serviant defendendo ecclesiam ac puniendo haereticos, ac nisi fecerint, eos cogere per excommunicationem aliasque commodas rationes.* Respondemus: 1. mirum est, Bellarminum hanc indirectam pontificis potestatem elicere velle ex dicto Christi, *Pasce oves meas*, cum in cap. ultimo fateatur, *pontificem ut pontificem et secundum id quod habet ex institutione Christi consideratum, non habere dominatum politicum.* Atqui si non habet eam ut pontifex, utique etiam non habet ut pastor, si non habet ex institutione Christi, utique nec ex verbis *pasce oves meas.* 2. Omnibus apostolis et veris eorum in ministerio successoribus dictum, *pascite gregem* 1. Petr. 5, v. 2. ergone omnes ecclesiae ministri habent potestatem imperatores de solio deturbandi? 3. Si pascere oves est reges infideles ex solio deturbare, Petrus officio pascendi sibi commisso non est rite ac legitime functus, nunquam enim tale quid ausus fuit facere. 4. Petrus jubet *obedire* regibus etiam infidelibus 1. epist. 2, v. 13. ergo verba Christi non accepit eo sensu, quem Bellarminus illis affingit. 5. Bellarminus de impletione legis disputans lib. 4. de justificat. c. 13. arctissime et individuo nexu conjungit *mandatum et vires implendi*, quodsi ergo verba Christi *pasce oves meas*, continerent mandatum de infidelibus regibus ex solio deturbandis, utique etiam vires illud implendi Petrus et Christiani in primitiva ecclesia habuissent; jam vero Bellarminus in praecedentibus negavit, tales vires Petro et Christianis tunc temporis adfuisse. 6. Corrigantur magistratus, si in lupos vel arietes degenerare velint, exhortando, ligando, excommunicando, nequaquam vero a solio imperii deturbentur. Excommunicatio enim ab ecclesiastica duntaxat communione arcet, nequaquam vero jura gentium evertit, proinde nec subditos a juramento fidelitatis magistratui praestito absolvit. 7. Fimbria illa in Bellarmini verbis per excommunicationem *aliasque commodas rationes* latissime patet ac multas Jesuiticas practi-

cas complectitur, de quibus libri Marianae et aliorum videantur.

Exemplis. III. 139. 313. Cap. 8. producit *exempla*, ad quae in genere respondemus, 1. non exemplis, sed legibus esse judicandum; 2. exstare multa exempla pontificum a conciliis depositorum, neque tamen Bellarminus concedit, concilium habere eam potestatem. Ozias. Sed videamus singula in specie. *1. Rex Ozias cum sacerdotum officium usurparet, fuit de templo a pontifice ejectus et propter lepram regni administratione privatus* 2. Paral. 26. *Si ergo propter lepram corporalem poterat olim sacerdos regem judicare et regno privare, utique idem hodie poterit propter haeresin, quae est lepra spiritualis.* Respondemus: 1. A summo sacerdote V. T. ad papam in N. T. propter causas alibi monstratas non licet argumentum ducere. 2. Non solus Azarias pontifex, sed una cum eo sacerdotes octoginta robusti viri steterunt contra regem et dixerunt: *Non est tuum suffire*, 2. Paral. 26, v. 18. 3. Exstat mandatum expressum, quod regibus non debet permitti adolere incensum, cum solis sacerdotibus hoc injungatur; verum quod non liceat tolerare regem infidelem vel haereticum, nuspiam in Scripturis docetur. 4. Propter incensum thymiama Ozias non est statim e solio regni deturbatus, sed cum ob inobedientiam lepra divinitus percuteretur, compulsus est e templo egredi et in domo separata juxta legis divinae praescriptum habitare. 5. Sacerdotes e templo Oziam ejecerunt, sed quod regno eum privarint, nuspiam legitur. 6. Joatham filius ipsius *pro eo regnasse* dicitur v. 23. ergo non desiit plane rex esse, sed quia ob lepram in domo separata ipsi vivendum erat, Joatham filius vices ejus tenuit, qui ipso mortuo demum rex declaratus est, 2. Paral. 27, v. 1. 7. Si propter haeresin, utpote spiritualem lepram, potestate aliquis privandus, quoties pontifices erunt de sede sua deponendi?

Judae. 314. *2. Jojada pontifex vocavit centuriones ac milites et jussit eis, ut Athaliam, quae tyrannice regnum occupaverat et idololatriam Baaliticam fovebat, interficerent*, 2. Paral. 23. Respondemus: 1. Regnum jure hereditario pertinebat ad Joram, illi igitur merito fuit restitutum. 2. Athalia multis regiorum filiorum caedibus erat contaminata ac tyrannice regnum occupaverat, merito igitur regni proceres eam e solio dejecerunt. 3. Non a solo pontifice, sed ab omnibus regni proceribus Athaliae e solio regali dejectio et Jorami in illud evectio fuit suscepta, sic enim habet, v. 1: *Confortatus Jojada assumsit centuriones, Azariam videlicet filium Jeroham et Ismaël filium Johanan, Azariam quoque filium Obed et Mahasiam filium Adaiae et Elisaphat filium Zechri et iniit cum iis foedus.* v. 2. *qui circumeuntes Judam congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda et principes familiarum Israël, veneruntque in Jerusalem.* 4. Sacerdotes V. T. ex Dei mandato gerebant partem muneris politici atque una cum judice sedebant in judiciis, Deut. 16, v. 9. ac Jojada peculiari ratione ad heroicum illud factum fuit permotus, tum enim politiae gubernatio maxima ex parte illi incumbebat et ipse erat tutor regis. 5. Liceat sane papae regem injuste depositum juvare, modo id legitimis mediis fiat, interim non sequitur, posse papam etiam jus regni alteri dare.

315. *3. Ambrosius excommunicavit imperatorem* Ambrosii. *Theodosium et coëgit eum, ut ferret legem, ne sententiae latae de caede vel bonorum publicatione essent, nisi post triginta dies a sententiae pronuntiatione. Ergo etiam in foro externo legitimus judex Theodosii fuit.* Respondemus: 1. Ambrosius non fuit papa Romanus, nec in episcopatu Mediolanensi papa illi successit. 2. Excommunicavit imperatorem, non autem imperio eum privavit, nec subditos a juramenti religione absolvit. 3. Nec coëgit imperatorem, ut legem illam ferret, quae in codice XIII. 140. adhuc habetur, sed suasit et auctor exstitit. Quae ergo consequentiae ratio a censura ecclesiastica ad dominium politicum, a consilio et suasu ad coactionem?

316. *4. Gregorius I. in quodam decreto illos* Episcoporum Romanorum. *reges et judices, qui decreta sedis Romanae violaverint, honore suo privandos dicit. Gregorius II. Leoni imperatori a se excommunicato vectigalia ab Italis solvi prohibuit et proinde parte imperii eum mulctavit; Zacharias deposuit Childericum et Pipinum Caroli Magni patrem regem Francorum creari jussit; Leo III. imperium transtulit a Graecis ad Romanos; Gregorius V. sanctionem edidit de imperatore eligendo per septem Germaniae principes; Gregorius VII. Henricum IV. imperatorem deposuit et alium eligi jussit; Innocentius III. Othonem IV. similiter deposuit; Innocentius IV. deposuit Fridericum II. Clemens VI. deposuit Ludovicum IV.* Respondemus: 1. Exempla probant factum, non jus. 2. Quod ex veteribus historicis multi ea facta laudant, tribuendum est papalis potentiae magnitudini. 3. Multi pro imperatoribus contra pontifices scripserunt, proinde ex Scriptura, non ex hominum testimoniis de illis factis judicandum. 4. Pontifices fuere judices in propria causa, quod legibus prohibitum l. unica. C. ne quis in sua causa. l. 10. de jurisdict. etc. 5. Ob censuram ecclesiasticam imperatores, reges, principes non sunt imperiis, regnis ac ditionibus suis privandi. Excommunicatus enim juxta Christi sententiam habendus *ut ethnicus et publicanus* Matth. 18, v. 17. Proinde cum eo tanquam cum ethnico et publicano versandum. Jam vero Israëlitae in rebus politicis non abstinebant a conversatione cum ethnicis et publicanis, nam ethnicorum, sub quorum imperio vivebant, legibus parebant; publicanis vectigalia pendebant atque alia negotia politica cum illis tractabant. Christus ipse infidelibus principibus vectigalia solvi praecepit atque idem exemplo suo confirmavit. Matth. 17, v. 27. c. 22, v. 21. 6. Quoties haec jura Romanus pontifex anathematum suorum fulminibus evertere conatus est, Deus horrenda judicia in perfidos exercuit, ut apparet ex miserando exitu Rudolphi Sueviae ducis, quem Gregorius VII.

in Henrici IV. caesaris locum suffecerat. Is enim referente Urspergensi et aliis historicis mandato papae a Moguntino coronatus miser post vanam coronam, quae diu non floruit, malam reportans crucem, in proelio ab Henrico victus moriensque abscissam dextram perjurii indicem episcopis demonstravit dicens: *En vobis dextra, quae interposita sancte juravi, nihil injuriarum domino meo Henrico me facturum, nihil insidiarum comparaturum. Sed ad hanc juramenti transgressionem apostolica jussio vestraque persuasio me commoverunt, videte igitur, quam recta via vos vestra monita sequentem duxeritis.*

317. Atque haec in genere ad exempla a Bellarmino allata respondemus, de singulis in specie late tractant Haiminsfeldius in const. imperial. Arnisaeus de exemtione clericorum et alii. 1. Leonis excommunicatio fuit illegitima, facta scilicet propter stabiliendum idololatricum cultum imaginum. Fascic. tempor. annotat, quod *circa illa tempora papae plus solito se opponere coeperint imperatoribus in temporalibus.* 2. De Childerici depositione sic scribit Arthusius com. de rebus in regno Antichristi gestis tom. 1. lib. 1. c. 11: Cum Luitprandus Longobardorum rex Romam obsideret, Gregorius III. pontifex misit legatos ad Carolum Martellum Pipini patrem in Galliam rogans, ut laboranti ecclesiae
XIII. 141. Romanae opem ferret. Carolus misericordia motus patrocinium pontificis suscipit et Romam obsidione solvit Luitprando rege et compatre suo ab incepto isto amica exhortatione retracto. Hoc beneficio adeo sibi obnoxios Romanos pontifices princeps Francus fecit, ut postmodum Pipino Caroli filio in re inhonestissima obsequium suum non denegarint. Mortuo Theodorico rege Galliae vigesimo regnum ad Childericum ejus fratrem circa annum 750. pervenit. Ejus gubernator, vel ut vocant major domus erat Pipinus Caroli Martelli filius. Is ambiebat quidem regnum Galliae ipsumque Childericum regno exuere et se regio diademate insignire admodum gestiebat, verum qua ratione id commode faceret, cum dominum eum suum, cui juramento obstrictus esset, agnosceret, invenire non potuit. Suggerebatur autem ei, pontificem Romanum ex potestate Christi et Petri, quorum ille esset vicarius ac successor, facile posse, cum aliquem regno inidoneum sciret, qualis esset Childericus, submovere et ejus alteri digniori magisque idoneo habenas tradere, tum vero et ipsum et subditos omnes a praestito fidelitatis et observantiae juramento absolvere. Tametsi igitur primo Pipinus illaudabile et impium esse fateretur datum regi juramentum violare, tamen cum de potestate pontificis ita informatus esset, legatos hoc nomine ad eum mittendos censuit. Burckhardus igitur Bonifacii episcopi Moguntini in repurganda a gentilismo Germania adjutor cum Volrado quodam Pipini sacellano hujus negotii causa Romam profectus est et pontifici, qui tum erat Zacharias, consilium illud aperuit. Pontifex inauditum id esse affirmans, ut regnorum negotiis se episcopus involvat, diu multumque super ista petitione deliberat, tandem tamen beneficiorum Caroli patris Pipini memor, consentit legatis Pipinumque cum subditis a juramento Childerico dato absolvit, in monasterium detrudit et Pipinum in regem eligit. 3. De translatione dignitatis imperialis a Graecis ad Germanos per Leonem III. facta dicimus: *Quod Leo nunquam in sua potestate habuit, illud dare non potuit.* Nec in Italiam, nec in urbem ipsam Leo imperium habuit, maximam enim Italiae partem tenebat Desiderius, ac Leoni in urbe vix fuisse locum docet ejus querela ad Carolum itemque legatio, quam Adrianus Leonis antecessor ad Carolum misit supplex orans, ut se et urbem contra Desiderium defenderet. Nec a pontifice, sed a senatu, clero populoque Romano Carolus imperator est designatus. Sic enim scribit Aventinus: *Cum mulier Constantinopoli imperaret, quod inauditum esse videbatur, putabant Romani, se potestatem habere et jus eligendi caesarem, quod imperium ex ipsis esset et nominaretur. Tenebat autem Carolus omnes provincias, quae ad urbem Romanam pertinebant. Itaque anno Christi 801. Leo papa, senatus et populus Romanus illum designabant imperatorem.* Marianus Scotus: *Carolus hoc tempore a Romanis Augustus appellatus.* Sigebertus: *Romani uno omnium consensu Carolo regi imperatorias laudes acclamant eumque per manum Leonis coronant.* Onuphrius: *Cum primum imperator et Augustus renuntiatus fuisset, a Romano pontifice ungebatur aureoque diademate coronabatur tanquam Romani imperii uno totius orbis primario sacerdote, more accepto ab imperatoribus orientalibus, qui a patriarchis Constantinopolitanis primariis Graecanici imperii pontificibus consecrati aurea corona redimiebantur.* Videatur tractatus D. Arnisaei amici nostri singularis de translat. imperii oppositus Bellarmino edit. Franc. 1612. item oratio Joh. Garsenii de Pontificia imp. coronatione et ἀνάμνησις Simonis Schardii in polit. imper. Goldasti part. 4. pag. 296. et 309. 4. De electorum origine plurimum variant historicorum sententiae, quidam ad Carolum Magnum, quidam ad Ottonem III. eam revocant, si quid a pontifice accessit, illud suasus et consilii fuit, non potestatis. Sed haec relinquimus politicis, qui jura sacri imperii contra pontificem tutari noverint.

318. Cap. 9. conatur Bellarminus *demonstrare, non pugnare cum verbo Dei, ut unus idemque sit princeps ecclesiasticus et politicus simul,* ubi primo adducit exempla *Melchisedeci*, qui fuit rex et pontifex Gen. 14. *primogenitorum*, quibus regnum et sacerdotium debebatur Gen. 49. *patriarcharum*, qui praefuerunt suis tam in iis, quae ad religionem, quam quae ad politicam vitam pertinebant; *Moysis*, qui fuit summus princeps temporalis et summus pontifex Exod. 18. 32. 40. *Heli*, qui fuit summus pontifex et judex politicus annis 40 1. Reg. 1. et *Maccabaeorum*, qui simul pontifices et duces politici fuerunt. Respondemus: 1. Nicolaus I. pontifex in epistola ad Michaëlem imperatorem respondet,

ante Christi adventum eosdem reges et pontifices fuisse, sed Christum verum regem et pontificem ista distinxisse. Cum ad verum ventum est (inquit), *ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit, quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus propriis actibus et dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis discrevit* etc. c. Cum ad verum. etc. dist. 96. 2. Hinc Petrus August. Morla. part. 1. emp. juris tit. 2. ff. qu. 4. num. 13. scribit, *in lege naturae fuisse primogeniturae annexum sacerdotium teste Hieronymo in qq. Hebr., sed ex hoc non debere sumi argumentum ad legem gratiae, in qua sacerdotium est a regno separatum.* Interdictum igitur novo testamento ministris, quod in veteri testamento sacerdotibus fuit concessum. 3. In Melchisedeco fuit hoc singulare, gessit enim typum Christi regis et pontificis nostri, qui ad apostolos et ipsorum in ministerio successores dixit: *Vos autem non sic.* 4. Tempore patriarcharum nondum constituta erat ordinaria ministerii ac regiminis politici forma, sed quilibet in sua familia patrium exercebat imperium. 5. Lege divina regnum Hebraeorum assignatum fuit tribui Judae, sacerdotium vero tribui Leviticae. Josephus et Nicephorus recensent catalogum pontificum Judaeorum ab Aarone usque ad Hierosolymitanum, inter quos nulli fuere simul reges. 6. Quamvis fateamur, Leviticum sacerdotium in V. T. aliquid politici mixtum habuisse, id tamen in N. T. propter expressum Christi interdictum non debet trahi in exemplum. Olim enim sola tribus Levitica sacerdotio fuit destinata, quod ipse Bellarminus agnoscit in N. T. non amplius obtinere, lib. de clericis c. 6. 7. Moyses peculiari et expresso Dei mandato aliquam sacerdotalis muneris partem ad tempus sustinuit, postquam vero ordinaria sacerdotii Levitici forma fuit constituta, civilem gubernationem sibi retinuit, sacerdotium fratri detulit. 8. Heli et Maccabaeorum exempla sunt extraordinaria, quia perturbatus erat reipublicae status. 9. Quare non producuntur homogenea exempla Christi, apostolorum et primitivae ecclesiae episcoporum?

atio- s. 319. 2. Profert rationes. *1. Potestas ecclesiastica et politica non sunt contrariae, sed utraque bona, utraque a Deo, utraque laudabilis et una alteri servit, ergo non pugnant inter se, ergo simul in eo uno esse possunt.* Respondemus: 1. Quamvis potestates hae in se ac per se non sint invicem contrariae, tamen propter Christi interdictum in N. T. non debent ab uno eodemque homine administrari. 2. Cumque differant causa instrumentali, materia circa quam sive objecto, forma et fine proximo, non possunt ab uno eodemque homine rite administrari. 3. Quid respondebit Bellarminus, si eodem modo quis argumentetur: *Conjugium et sacerdotium non sunt status contrarii, sed uterque est bonus, uterque a Deo, uterque laudabilis et unus alteri servit, ergo non pugnant inter se.* Ergo simul in uno esse possunt. Secunda ratio: *Magis diversa sunt pax et bellum, quam bona temporalia et spiritualia, at unus et idem rex simul potest praeesse senatui et exercitui, togatis et armatis. Ergo multo magis unus praeesse potest in temporalibus et spiritualibus rebus.* Respondemus: Principis politici officium est et pacis et belli tempore subditos tueri, gladium contra turbatores humanae societatis stringere etc., sed hoc ministro ecclesiae non competit, ut simul regimen politicum administret. Tertia ratio: *Potest unus rex gubernare diversissima regna, quae diversos mores, leges, ritus et consuetudines habent et potest unus episcopus regere plurimas ecclesias. Ergo etiam poterit unus homo regere unum episcopatum et unum principatum.* Respondemus: Quae invicem comparantur, debent habere unum subjectum δεκτικόν. Sic duo principatus ab uno gubernari possunt, quia unus capax est duorum principatuum, sed ministerium ecclesiasticum et principatus politicus simul non potest ab uno administrari, quia unus non est utriusque capax ac ratio administrationis in utroque plurimum variat, nec est unius, sed diversi generis. Regna administrantur vi externa et gladio corporali, ideo rex per suos duces, principes, praefectos potest varia regna administrare; sed ecclesia regitur verbo, gladio scilicet spiritus, ac proinde verbi praedicatio incumbit illi, qui ministerium ecclesiasticum administrare cupit. Quarta ratio: *Qui donaverunt episcopo Romano aliisque episcopis principatus temporales, fuerunt pii homines et propter illas donationes laudantur; qui eos receperunt, itidem plerique fuerunt boni.* Respondemus: 1. Etiam pii homines quandoque ex infirmitate peccant. Intentio eorum fuit fortassis bona, sed eventus docuit, Deo non probari, ut ea confundantur, quae ipse voluit esse distincta. 2. Qui principatus illos receperunt, non fuere omnes optimi, unde Bellarminus ipse dicit, *plerosque* ipsorum optimos fuisse. 3. Papa possidet plurima, quae non habet ex donatione. 4. Missae, indulgentiae, purgatorium sunt tres primarii fontes, ex quibus amplissimi illi reditus praelatorum in regno papali profluunt. XIII. 143.

320. 3. Ultimo adducit Bellarminus experientiam. *Etsi* (inquit) *absolute forte praestaret, pontifices tractare solum spiritualia et reges temporalia, tamen propter malitiam temporum experientia clamat, non solum utiliter, sed etiam necessario et ex singulari Dei providentia donatos fuisse pontifici aliisque episcopis temporales aliquos principatus. Si enim in Germania episcopi principes non fuissent, nulli ad hanc diem in suis sedibus permansissent* etc. Quod autem summus pontifex jure habeat eum principatum, probat ex eo, *quia dono principum habet*, quarum donationum *authentica instrumenta* dicit Romae exstare. Tandem concludit: *Etiamsi nihil horum exstaret, tamen abunde sufficeret praescriptio octingentorum annorum. Nam etiam regna et imperia per latrocinium acquisita, tandem longo tempore fiunt legitima.* Respondemus: 1. Pontifici et episcopis multos principatus ab 3. Experientia.

imperatoribus, regibus et principibus donatos esse agnoscimus, sed illi donationes eas non debuissent recipere, sed vestigiis Christi insistere, qui regnum sibi oblatum acceptare noluit. 2. Quibus artibus ac fraudibus pontifex Romanus imperatores, reges et principes multis principatibus privaret, ex historiis notum est ac legi ea de re potest Simonis Schardii hypomnema de fide, observantia et benevolentia Romanorum pontificum erga imperatores Romanos. 3. Res ipsa docet, quantae tenebrae in ecclesiam hac occasione introductae sint, quod episcopi neglecto suo officio principatus temporales administrare coeperunt. 4. Particulares illae donationes Ludovici I. Pipini, Mathildae comitissae etc. nondum probant summam illam in omnes imperatores, reges ac principes potestatem, quam papa sibi vendicat. 5. *Constantini donatio*, quam pontifices Romani alias praetendunt ac Bellarminus generaliter duntaxat tangit, jam olim a multis oppugnata et expugnata est. Videantur Nicolaus
XIII. 144. Cusanus cardin. lib. 3. de conc. cath. c. 2. Laur. Valla in peculiari declamatione, Antonius archiepiscopus Florentinus part. 1. hist. tit. 8. cap. 1. Hieronymus Cathalanus Alexandri IV. cubicularius in practica, Renus episcopus Paduanus de vitis pontificum, Marsilius Patavinus in defens. pacis, Raphaël Volaterranus, Alciatus lib. 7. parerg. juris cap. 19. Baptista Mantuanus, Baptista Egnatius, Franciscus Petrarcha, Ulricus Huttenus, Aventinus, Vasquius, Balduinns de legibus Constantini lib. 1. Molinaeus in comm. ad edictum Henrici regis num. 133. Anton. Contius lib. 2. subsec. lection. c. 20. num. 1. Cujacius lib. 1. resp. Papin. ad l. Legatus 20. ff. de offic. praes. Schneidewinus in prooem. instit. ad rubr. num. 8. ibid. Wesembecius in apostill. ad lit. C. Bodinus 1. de republ. c. 9. num. 141. Joh. Dauth. de testamentis num. 255. Georgius Merula de vicecomitibus, Brutum fulmen Hotomanni, Gilbert. Regius lib. 1. ἐναντιοφ. c. 24. Jacob. de Belleviso in prooem. digest. Everhardus a Middelburg in topicis in loco a verisimil. Longoval. in repetit. l. Imperium ff. de jurisd. p. 4. Sichardus cons. feud. 6. num. 28. Schonborn. lib. 2. polit. c. 17. Phil. Camerarius in hor. succisiv. Pruckmannus, Flacius cent. 1. mend. papist. p. 45. Wolffius cent. 16. memorab. p. 769. etc. Aeneas Sylvius, qui postea pontifex et Pius II. dictus in dialogo, quem adhuc cardinalis scripsit, *stolidos legistas* appellat, quod tantopere sudent, an donatio Constantini valeat, *cum nunquam sit facta.* Bartolus in prooem. ff. num. 13. et seqq. argumentis, quae pro ea afferuntur, accurate respondet, sed postea addit: *quia sumus in terris ecclesiae, dico eam constitutionem valere.* Jacobus Spigelius in
XIII. 145. comment. advers. Guntheri circa annum 1507. scribit: *De Constantini donatione apud nullos exstat auctores praeterquam in libro decretorum.* Postea addit: *O beatas nugas, quae tantum constituerunt imperium.* Veneti a pontifice rogati, quo jure vectigalia in mari Adriatico sibi vendicarent, salse responderunt, *authentica privilegia exstare in cancellaria Romana, in altera scilicet folii parte, in cujus priore donatio Constantini exstet.*

321. Nec leves sunt rationes, quibus illi et complures alii auctores donationem istam oppugnant. Gentilletus in apol. pro Christ. Gallis c. 12. fol. 197. undecim argumentis probat, donationem illam nunquam fuisse factam. 1. Refertur haec donatio ad tempus quarti consulatus Constantini et post baptismum ab eo susceptum, quasi eodem tempore quartum consulatum gesserit et sacro baptismi lavacro ablutus fuerit, cum tamen longe diversa sint tempora. Quartum consulatum anno Christi 318. gessit, baptismum autem viginti et amplius annis postea suscepit. 2. Tempore suscepti baptismatis Sylvester vita functus erat, quia Constantinus mortuus statim post baptismum susceptum anno 340. cum Sylvester septimo anno antea, videlicet 334. e vita migrasset. 3. Tempore quarti consulatus habebat adhuc collegam Licinium, qui erat Christianorum hostis, quem armis tandem debellavit, sed id plus decennio post quartum consulatum factum. 4. Quomodo potuit sibi Constantinus orientalis imperii adipiscendi spem polliceri? 5. Tempore quarti consulatus nondum re ipsa pacem Christianis indulserat. 6. Eodem tempore bellum civile Romae gerebatur. 7. Senatus Romanus ex proceribus ethnicis et paganis magna ex parte adhuc constabat. 8. Divisit filiis imperium, ergo non dedit Sylvestro. 9. Ἄστοργος fuisset, si quod liberis jure naturali debetur, episcopo dedisset. 10. Titulus universalis episcopi non nisi post Gregorium demum Romano episcopo attributus trecentis fere annis post Sylvestrum. 11. Multae clausulae insulsae donationis instrumento sunt infarctae. Nos sequentia fundamenta urgemus. 1. Donationis illius non meminere Eusebius, qui libros quinque de vita Constantini scripsit, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, nec Damascenus in chronicis, nec Beda, nec Orosius, unde cum Sigonius in hist. de imp. occidentali ad instantiam Sirleti cardinalis edictum Constantinianae donationis in librum tertium retulisset, tamen fundamentum ejus l. 4. subruit, excusatione utens, *se officii sui esse putasse, ut quid Eusebius et multi alii scripsissent, minime reticeret, licet ab ecclesiae Romanae auctoritate dissentirent.* 2. Capitulum illud in antiquis decretis non haberi, jam olim testatus est Antoninus archiepiscopus d. l. Flacius de se ipso scribit d. l.: *Ego ipse quod coram Deo affirmo, quatuor melioris fidei exemplaria vidi, ex quibus adhuc duo penes me habeo, sunt autem manuscripta ac ob vetustatem adhuc glossa carent.* Zangerus in orat. de jure can. refert, *hodierna die adhuc inveniri exemplaria, quae istam donationem non habent.* 3. Ipsum capitulum refertur inter paleas, nec scholiis a glossatore dignum fuit habitum. 4. Repugnantia falsitatis testis est. c. Constantinus dist. 96. Romana urbs et tota Italia una cum imperio occidentis donata dicitur Sylvestro, sed c. Fundamentum in decreta-

libus Sixti lib. 1. tit. 6. de elect. urbis tantum fit mentio. c. futuram 12. qu. 1. Melchiades quasi suo tempore donatio facta esset, eam commemorat, sed c. Constantinus dist. 96. sub Sylvestro eam de-
XIII. 146. mum factam esse refert, cum tamen Melchiades ante Sylvestrum sub Maximino vixisse in hist. pontificum probetur. Sic Platina, Volaterranus, Sabellicus ennead 8. lib. 8. exarchatum papalem circa annum Christi 800. ex donatione Pipini et Caroli Magni initium habuisse dicunt, quomodo igitur a Constantini temporibus illud deduci potest? 5. Regna, quae Constantinus in illa donatione Romano pontifici assignasse dicitur, paulo ante mortem filiis suis distribuit, sic enim habet Sext. Aurelius Victorinus: Ad tres orbis Romani dominatio redacta est, Constantinum, Constantem et Constantium, filios Constantini. Socrates lib. 1. histor. eccles. c. ult. Nauclerus lib. 2. generat. 11. Zonaras in vita Constantis in princ.: Constantius orientem et Thraciam sortitus est, Constantinus II. regnavit in Gallia, Germania, Brittania et Hispania, Constans in Italia. Zosimus histor. diserte indicat, natu maximum inter Constantini filios patri ὁμώνυμον cum natu minimo Constante omnia trans Alpes sita, etiam ipsam Italiam et Illyricum sorte partitum fuisse. 6. Historiae testantur, Romam tamdiu sub imperio Romano permansisse, donec circa annum Christi 752. in Francorum potestatem et inde in pontificum Romanorum manus pervenerit, nec potest negari, imperatores Romanos per plures quam trecentos annos post Constantinum tenuisse gubernacula urbis Romae et Italiae per praesides et exarchos. Multi imperatores post Constantinum tulere leges, ad quarum observantiam tum populus, tum ipsi pontifices fuere obstricti. 7. Ipsum donationis instrumentum. quod exstat in Catal. test. verit. pag. 244. descriptum, multa continet fabulosa ac historiae illorum temporum contraria, ut ostendit Doctor Hoë lib. 3. comment. in Apoc. c. 9. p. 203.

322. Si vel maxime ea donatio facta esset, tamen non valeret, primo quia ad praescriptionem requiritur omni tempore *bona fides*, etiam in praescriptione immemoriali juxta jus canonicum. Jam vero pontifex sciebat (vel scire debebat, quae in legibus censentur paria l. 5. ubi Dd. si cert. pet. l. qui fundum 7. §. 2. pro emt.) quod imperatori in detrimentum et incommodum imperii non liceat alienare. Hotomannus q. illust. 1. p. 23. Deinde deficit *possessionis continuatio*, quia pontificum possessio toties interrupta est, quoties imperator mortuus, qui successori et eligendo praejudicare non potuit. Everg. in top. loc. a plen. potest. num. 9. unde papa imperatorem de novo electum jurejurando ad ratificandam Constantini donationem sibi obstringere semper studuit c. Tibi Domino dist. 63. Clem. un. §. ipsaque omnia de jurejur. et cum pontificis tyrannidi saepius contradictum sit, eo quoque vitio Romanensium praescriptionem laborare constat. Denique quae donatio acceptanti inutilis, ea censetur invalida argum. l. mortuo 49. §. Labeo 2. ff. de legat. 2. l. Multum interest 34. de verb. oblig. §. non solum ib. Sed si talis instit. de legatis. Jam vero donatio illa si fuisset facta, ecclesiae esset inutilis. Refert enim Malleolus de nobilit. *quod illa ipsa die, qua Constantinus Silvestro dederit palatium Lateranum, urbem Romanam ac Italiae provincias, visa fuerit in Laterano manus auctoris invisi, qua ad parietem cunctis videntibus simul ac legentibus scriptum fuerit: Hodie venenum ecclesiae infusum est.* Vasquius lib. 1. controvers. usu frequent. c. 6. num. 2. ex Salyceto in rubr. C. de verb. signif. refert, *eo ipso tempore de coelo vocem illam auditam: Hodie venenum est infusum ecclesiae, et addit: interest ecclesiae plus aequo non ditari, quo enim magis ditescit, eo magis periclitatur. Religio peperit divitias, sed filia devoravit matrem.* Ac diversa esse debet ab episcopali munere dominandi potestas.

CAPUT VII. XIII. 147.

DE ADJUNCTIS MINISTERII.

323. Diximus hactenus de *fine et effectu ministerii*, restat, ut de *adjunctis* ejusdem postmodum disseramus. Ad classem illam adjunctorum referimus: *1. ministrorum salarium*, *2. eorundem conjugium.* Cum enim tam varia eademque gravissima sint ministrorum ecclesiae officia, quae eis non permittunt victum labore manuum vel aliis negotiationibus sibi suisque comparare, ideo ut commodius officio suo fungi possint, dantur illis stipendia, quibus se suosque honeste alere et relicta mensarum cura verbo unice vacare possint, Actor. 6, v. 3. Eadem tamen cum non sint de essentia ministerii, ut constat exemplo Christi et apostolorum, ideo in classem adjunctorum referuntur. Vicissim cum apostolus requirat in episcopo, ut sit unius uxoris maritus 1. Tim. 3, v. 1. ideo etiam conjugii ineundi libertas ministris ecclesiae relinquenda, quod ipsum cum non sit de ministerii essentia, ideo pari ratione adjunctis ejusdem annumeratur. Adjuncta ministerii.

SECTIO PRIOR.

DE STIPENDIIS MINISTRORUM ECCLESIAE.

324. **Praemium, quod ministri ecclesiae fidelibus promissum, *ratione conferentium* duplex est, *divinum et humanum.* *Humanum* subdistinguitur in *honestam sustentationem et honorem* Phil. 2, v. 29 1. Thess. 5, v. 12. 1. Tim. 5, v. 17. qua appellatione omne pium officium cum reverentia et subjectione quadam conjunctum denotatur. *Divinum* distingui potest partim ratione ecclesiae militantis et triumphantis, partim ratione collationis in hac vita. In *militante ecclesia* merces et benedictio

omnis generis fideli ministro promissa est 1. Cor. 9, v. 17. Eph. 6, v. 8. non tamen sine conditione crucis Matth. 10, v. 24. Hebr. 13, v. 5. Haec autem benedictio ratione collationis complectitur gratias sive *beneficia Dei*, tum *positiva*, tum *privativa*. *Positiva* sunt, quae bonum aliquod per se et immediate afferunt. Talia sunt argumenta donorum habitualium animi, quae crescunt iu habentibus et exercentibus Matth. 13, v. 12. c. 25, v. 29. corporis Psalm. 91, v. 16. quibus accedit propriae conscientie gaudium 1. Cor. 4, v. 4. et aliorum recte sentientium testimonium Gal. 4, v. 15. *Privativa* sunt quae quia malum avertunt, non nisi consequenter et mediate bonum important. Talis est defensio contra omnis generis hostes promissa Moysi Exod. 3, v. 12. Jer. 1, v. 8. apostolis omnibus communiter Matth. 10, v. 31. c. 8, v. 20. et sigillatim Paulo Act. 18, v. 10. In *triumphante ecclesia* quale praemium fidelium ministrorum sit futurum, definite et in specie scire non possumus Es. 64, v. 4. 1. Cor. 4, v. 9. sed in genere et quantum revelavit Dominus in Scriptura quae id appellat *coronam justitiae* 2. Tim. 4, v. 8. *gloriae* 1. Petrus 5, v. 4. *vitae* Apoc. 2, v. 10. vulgo donum accidentale, quod in peculiari et eminenti quadam claritate et splendore ponitur.** His praemissis primo omnium hoc loco quaeritur, *an ministris ecclesiae licitum sit accipere stipendia?* Affirmatam quaestionis partem ex professo confirmat apostolus 1. Cor. 9. variis argumentis. *1. Ex loco parium. Num ego solus ac Barnabas non habemus potestatem non operandi?* v. 6. quo dicit quod reliquis apostolis est licitum, idem etiam mihi ac Barnabae licere non est negandum, propter paritatem rationis. Sed reliquis apostolis licitum est non operari, id est manuum laboribus victum quaerere, sed ab auditoribus eum accipere. Ergo etiam mihi ac Barnabae illud licet. Quod vero apostolus sibi licitum esse adstruit, reliquis etiam ecclesiae ministris licitum erit. *2. Ex jure gentium,* quod declaratur inductione trium exemplorum v. 7: *Quis unquam stipendiis suis militat? Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat?* quo dicitur quod jure gentium communi licet militibus, vinitoribus ac pastoribus, illud ministris ecclesiae non est denegandum. Sed salaria et laboris fructum accipere jure gentium communi illis licet. Ergo etc. *3. Ex lege Mosaica v. 9: Scriptum est in lege Moysis, videl. Deut. 25, v. 4. Non alligabis os bovi trituranti. Num de bobus cura est Deo? v. 10. an propter nos utique hoc dicit?* Quemadmodum jumenta Deus prohibet a pabulo arceri, ita quoque ministros ecclesiae fructu laboris carere noluit. *4. Ex similibus* processu a minore ad majus amplificatis v. 10: *Qui arat, debet in spe arare, et qui triturat in spe fructus percipiendi. v. 11. Si nos vobis spiritualia seminamus, num magnum est, si cornalia vestra metamus?* quod dicit si ex semente licet sperare messem et ex triturandi labore sperare fructus, multo magis ex spiritualium bonorum semente licet ecclesiae ministris sperare messem bonorum corporalium. *5. Ex ordinatione divina* sacerdotes V. T. concernente. v. 13: *Nescitis, quoniam qui sacris operantur, quae de sacrificiis supersunt edunt? et qui altari deserviunt, cum altari participant? v. 14. ita et Dominus ordinavit his, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* Gal. 6, v. 6. aequum esse dicit, ut is qui catechizatur sermone, communicet ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Hisce apostolicis argumentis addendum est expressum Christi effatum Matth. 10, v. 10: *Dignus est operarius alimento suo*, ubi voce dignitatis admonet, justum et aequum esse, ut illis, qui in verbo laborant 1. Tim. 5, v. 17. persolvantur stipendia; sed voce alimenti admonet de *αὐταρκείᾳ*, ne invigilent opibus congerendis, sed habentes *victum et amictum*, *διατροφὰς καὶ σκεπάσματα*, illis sint contenti, 1. Tim. 6, v. 8. **Rationes alias Scriptura suppeditat quatuor. 1. A genere. *Omnis operarius dignus cibo et mercede.* Ministri verbi sunt operarii Matth. 9, v. 38. Ergo. 2. A pari. *Nemo militum militat citra stipendium, nemo vinitorum excolit vineam citra fructus ex ea participationem, nemo pascit gregem nisi comedat de lacte illius.* Ergo pari jure fruuntur ministri in sua militia, cultura et pastura spirituali. 3. A minori. *Bovi trituranti non est obturandum os.* Ergo. multo minus deneganda est merces laboranti ministro. 4. Ex aequo et justo. *Qui spiritualia seminant, eosdem carnalia metere fas et jus est,* Rom. 15, v. 27. 1. Cor. 9, v. 11. Ergo. Finis, propter quem stipendia ministris ecclesiae numeranda, pulcherrime exprimitur 2. Par. 31, v. 4: *Hiskias dixit populo habitatoribus Jerusalem ad dandum partem sacerdotum et Levitarum, ut confortarentur in lege Domini* (id est ut eo majori diligentia cultui divino vacare possent, a quo per curam victus abstraherentur).** Ceterum quod Matth. 10, v. 10. dicitur, *operarium dignum esse alimento suo,* id Luc. 10, v. 7. sic effertur, *operarium dignum esse mercede sua,* ne dimensum aliquod cibarium absque ulla laboris remuneratione alia ministris ecclesiae convenire quispiam cavilletur. **Alii ad affirmativae sententiae probationem adducunt: *1. Testimonia.* 1. V. T. Num. 18, v. 31. Deut. 18, v. 1. quod repetit apostolus 1. Cor. 9, v. 13. 2. N. T. Matth. 10, v. 10: *Dignus est operarius alimento suo.* Luc. 10, v. 7: *Manete in domo* etc. 1. Cor. 9, v. 7. usque ad 14. ubi ex Scriptura et natura hoc jus deducit. Gal. 6, v. 6: *Qui instituitur.* 1. Tim. 5, v. 17. et 18: *Qui bene praesunt* etc. *2. Exempla.* 1. V. T. Levitae et sacerdotes vivebant ex proventibus et reditibus lege ceremoniali imperatis, quorum alii fuerunt stati et certi, alii ambulatorii et quodammodo dubii. Prioris generis erant 1. decimae agrorum, vinearum, olivetorum, hortorum Num. 18, v. 21. 2. primitiae Num. 5, v. 9. c. 18, v. 8. 3. portio certa ex primogenitis gregis, jumentorum offerendorum Domino Deut. 15, v. 19. et pecunia pro redemtione primogenitorum ex hominibus Exod. 22, v. 29. 4. pectusculum et armus dexter ex hostiis pacificis Lev. 7,

Qu. 1. An ministris ecclesiae licitum sit accipere stipendia.

XIII. 148.

v. 31. c. 10, v. 14. 5. panes propositionis 12 singulis sabbatis apponendi Lev. 24, v. 8. 6. carnes residuae ex sacrificiis et panes azymi in canistro consecrationum Exod. 29, v. 32. Lev. 8, v. 31. Posterioris generis erant 1. voluntariae oblationes Deut. 12, v. 17. item votiva eorumque redemturae Lev. 27, 2. sacrificia cum pro delicto, tum pro peccato Lev. 7, v. 32. Deut. 18, v. 3. c. 23, v. 12. restitutio rei defraudatae cum quinta parte pretii Num. 5, v. 8. 2. N. T. utpote 1. apostolorum 1. Cor. 9, v. 4. 2. Pauli 2. Cor. 11, v. 8. Phil. 4, v. 10.**

325. Apud fratres Waldenses ministri operis manuariis victum sibi quaerunt ac Anabaptistae negantem quaestionis partem defendunt **(de Anabaptistis quod negent, licitum esse stipendia accipere, testis est Wigandus de Anabapt. p. 8. ex coll. Emdensi et Danaeus in com. 1. Tim. 5. p. 307. Quidam distinctione utendum censent et quod alias per se semper licitum esse concedunt nobiscum, id aliquando per accidens et in certis casibus illicitum volunt, nempe si ecclesia vel primum plantetur et auditores nondum intelligant dignitatem et necessitatem ministerii et proinde ad conferendum stipendium alendosque ministros sint difficiles, aut etiam putent, mercedem esse compensationem charismatum spiritualium; vel plantata non sufficiat ad sustentandum suum pastorem, ad quod se teneri agnoscit, et promta foret, nisi egestate impediretur; hic petere et requirere stipendium, eoque denegato operam ecclesiae suam denegare si quis volet, is se Dei gloriae in propagando evangelio et hominum salutis minorem quam sui rationem habere declarabit. Petrus Martyr in loc. comm. tom. 1. class. 4. loc. 2. §. 3.)** hisce potissimum usi fundamentis. *1. Mich. 3, v. 11. reprehenduntur sacerdotes, qui in mercede docebant, et prophetae, qui in pecunia divinabant.* Respondemus: aliud est μισθοφορία, aliud φιλαργυρία. Reprehenduntur, qui ob pecuniam a ditioribus emungendam falsa docebant, qui loquebantur placentia ac felicem reipublicae statum pollicebantur, ut stipendia liberaliora acciperent, cum potius auditorum suorum peccata acriter taxare et comminatione poenarum ad poenitentiam eos hortari debuissent; sed ex eo inferri nequit, illicitum esse accipere stipendia, quia illis ipsis sacerdotibus, qui ob avaritiam accusantur, Deus liberalem sustentationem in lege sua constituerat. *2. Christus ad apostolos dicit Matth. 10, v. 8: Gratis accepistis, gratis date; v. 9. non possideatis aurum neque argentum neque aes in crumenis vestris, neque peram ad iter, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Respondemus: Christus ipse ibidem addit, *dignum esse operarium suo alimento et sua mercede*, ergo non possunt haec verba eo torqueri, quasi nefas sit ecclesiarum ministris accipere salaria. Ipse etiam a mulieribus τὰ ὑπάρχοντα accepit, Luc. 8, v. 3. ac γλωσσόκομον habuit, cujus cura Judae Ischariotae fuit demandata Joh. 12, v. 6. Priora igitur verba, ut ex συνεπείᾳ textus apparet, secundum subjectam materiam de miraculosis sanationibus sunt intelligenda, ne scilicet apostoli donum miraculorum vel beneficia, quae per illud conferuntur, venalia prostituant ac simoniam exerceant; sed ex eo inferri nequit, pro laboribus, quos in ministerio pastores sustinent, ipsis non esse persolvenda stipendia. In posterioribus verbis mandatum temporale ad primam illam in Judaeam ablegationem duntaxat spectans proponitur, ut colligitur ex verbis Christi Luc. 22, v. 36: *Antea misi vos sine pera, nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram;* item ex historia Petri Act. 12, v. 8. ubi angelus illum soleas et sandalia subligare jubet. Cum enim XIII. 150.
apostoli primam illam legationem festinanter obire et absolvere deberent, ideo Christus omnibus illis, quae iter remorari possent, eis interdixit atque in his, quae ad victum pertinent, a solo Deo cordis fiducia ipsos pendere voluit. *3. Paulus dicit Act. 20, v. 33: Argentum et aurum aut vestem nullius concupivi, seque evangelium ἀδαπάνως apud Corinthios praedicasse* testatur 1. Cor. 9, v. 18. Respondemus: ἐπιθυμία argenti, auri ac vestium illicita et inordinata reprehenditur, sed μισθοφορία necessaria approbatur. Ipse quoque apostolus se jure suo uti noluisse ibidem evidenter asserit, ergo stipendia accipere juris esse praesupponit, quibus vero de causis eo jure uti noluerit, expositum fuit in tract. de evang. §. 100.

2. An ditioribus id licitum sit.

326. Quaeritur 2. *An ministris ecclesiae, qui vel ex patrimonio, vel ex hereditate habent, unde vivant, nihilominus liceat accipere stipendia, an vero de suo vivere teneantur?* Prosper lib. 2. de vita contemplativa c. 9. et seqq. disputat, *non posse clericum sine gravissimo peccato vivere ex bonis ecclesiasticis, si habeat bona propria, unde sufficienter alatur*, ac probat hac ratione. Bona ecclesiastica non dantur clericis in praemium laboris, sed solum, ut sustententur et necessaria ad vitam habeant. Ergo si necessaria suppetunt, non debent temporalia in praemium laboris accipere. ***Clericos illos convenit ecclesiae stipendiis sustentari, quibus parentum et propinquorum nulla suffragantur bona, qui autem bonis parentum et opibus sustentari possunt, si quod pauperum est accipiunt, sacrilegium profecto committunt et per abusionem talium judicium sibi manducant et bibunt.* Hieronymus et habetur c. 6. caus. 1. q. 2. lb. c. 7: *Pastor ecclesiae iis, quibus sua sufficiunt, non debet aliquid erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere, nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.*** Alii idem probant ex can. 41. apost. ubi statuitur, *ut episcopus accipiat ex bonis ecclesiae pro sua sustentatione, si tamen indigeat.* Ergo a contrario sensu, si non indiget, accipere non debet. Idem ipsum repetitur in conc. Antioch. c. 25. Sed testatur ipse Prosper, suam illam opinionem visam fuisse multis duram, eo quod esset nova. Proinde cum operarius sive dives, sive pauper dignus sit mercede sua Luc. 10, v. 7. cumque jure divino ac naturali ministris ecclesiae stipendia debeantur

1. Cor. 9, v. 11. et seqq. ideo indiscriminatim ac promiscue singulis ministris ecclesia subministret stipendia, si vel maxime unus itemque alter habeat, unde vivat. **Modus conferendi ministris salaria triplex observatur. Vel enim *de novo* conferri necesse est ab auditoribus ad salaria ministrorum; vel *ex collatis* olim ad hunc et ad alios usus numeranda sunt stipendia; vel denique *utroque modo* providetur necessariae et honestae ministrorum sustentationi. Omnes hos et singulos modos licitos statuimus, an vero ubique et semper sint pariter útiles, merito dubitatur etc. Tarnov. disp. de min. eccl. Modus recte accipiendi colligitur ex Joh. 21, v. 15. et seq. 1. Petr. 5, v. 2. Augustino tr. 123. in Joh. Chrysostomo l. 2. de sacerd. videlicet ut ministerium suscipiatur ex amore Dei, gloriae et salutis hominum promovendae, non ex studio quaerendi quae sua sunt. Conf. Lutherus tom. 6. Germ. Jen. f. 39.** Notari insuper hic potest: 1. In nostris ecclesiis nobilium ac opulentiorum filii raro se conferunt ad theologiae studium et ecclesiae ministerium, ut paucissimi sint, qui sufficientem ex propriis bonis sustentationem habeant. Ergo propter exempla paucorum non discedendum a regula generali. 2. Christus facile potuisset immediate sibi suisque apostolis de victu et necessariis ad vitae sustentationem per miraculum prospicere, sed placuit ipsi vivere ex iis, quae ipsi a piis subministrabantur, Luc. 8, v. 3. suo ut doceret exemplo, etiam illis ecclesiae doctoribus esse dandum, qui de suo habent, unde vivant. 3. Si ministri, quibus de suo, unde se suosque alant, suppetit, ordinaria stipendia negligant, reliqui in invidiam adducuntur, qui salaria accipiant, sed et successoribus injicitur difficultas impetrandi sustentationem ab auditoribus consuetudini non solvendi stipendia assuetis. 4. Melchisedecus sacerdos Dei altissimi regias habebat facultates, quales quidem regum ejus
XIII. 151. temporis fuerunt, nihilominus tamen ab Abrahamo decimas accipit, Gen. 19, v. 20. ergo non agunt injuste illi ecclesiae ministri, qui stipendia accipiunt, etiamsi e suis patrimoniis vivere possint. 5. Qui praemia stipendiorum accipere recusant, facile in suspicionem adduci possunt, quod peculiaris cujusdam sanctimoniae gloriolam aucupentur et singularem prae reliquis ὑπεροχὴν sibi vendicent. Si quis tamen majori cum fructu gratis docere possit ac sufficientem omnino sustentationem habeat, illi consulendum est, ut jure stipendia exigendi non utatur. Ac qui stipendia accipit, licet bonis abundet propriis, ille in conferendis eo liberalius in pauperes eleemosynis pietatem suam probet, caveat etiam, ne rigidius ab indulgentibus stipendia exigat, neve congerendis opibus scandalum cuiquam praebeat. **Illos tandem, qui bona patrimonialia habent, posse simul bona ecclesiastica habere sive stipendium ex aerario ecclesiastico accipere, affirmat glossa et Joh. de Turrecremata in c. clericos 1. q. 2. consentit eidem P. Martyr in loc. comm. class. 4. loc. 2. §. 2. et seq. et Junius animadvers. ad Bellarm. 1. de cleric. c. 27.**

327. Quaeritur 3. *An armenta alere et agriculturam exercere ministris ecclesiae plane sit prohibitum.* Non quidem probamus eorum ecclesiae ministrorum φιλοχρηματίαν et praeposteram victus comparandi rationem, qui majorem alendi pecoris et colendorum agrorum quam studiorum, negotiorum ecclesiasticorum ac promovendae auditorum salutis curam suscipiunt, quos rectius pastores armentorum πολυάρνους, φιλομήλους καὶ πολυβούιας quam pastores ecclesiae et ministros Christi dixeris, contra quos merito usurpatur illud Eccles. 38, v. 26: *Quomodo sapiens evadat, qui tenet aratrum, qui gloriatur in fuste stimuli, boves agitans et nutritus in operibus eorum, cujus in ore atque sermone taurorum progenies solum versatur? v. 27. is ad sulcos ducendos animum suum applicat et ad pabula vaccis paranda vigilantiam praestat.* Interim non potest absolute et simpliciter improbari in ecclesiae ministro, si absque officio et studiorum jactura aliquam rei familiaris curam habeat, quae cum in alendis armentis et colendis agris apud quasdam parochias sit occupata, ideo non potest praecise repudiari. Sancti patriarchae et aras Deo exstruxerunt praedicantes in nomine Dei, et aliquam simul rei pecuariae colendisve agris impenderunt curam. De Spiridone Cypri episcopo refert Socrates lib. 1. hist. c. 8. quod *cum episcopatus munere fungeretur, oves etiam paverit, et cum fures quodam tempore nocte concubia clam in ovilia ejus irruissent ovesque inde surripere molirentur, vi et efficacia precum sancti viri religatis a tergo manibus per noctem ibi adstricti et exorto sole deprehensi fuerint, quos tamen ille non modo precibus suis vicissim solverit, sed ariete insuper donatos dimiserit dicens: Vobis istum dono, ne frustra vigilasse videamini.*

328. Quaeritur 4. *An exaequanda omnium ecclesiae pastorum, eorum praesertim, qui in pagis vivunt, stipendia?* Videri alicui posset commodum et cum ecclesiae fructu conjunctum, si agri, vineae, prata etc. ex quorum annuis fructibus ministri ecclesiae in pluribus locis sustentantur, pretio divendantur, vel eorum cultura ruricolis pro certis reditibus annuis commendetur atque interim ministris certa pecuniae summa, et quidem omnibus aequalis numeretur, hac enim ratione ecclesiae pastoribus nullum ex terrae cultura in studiis et ecclesiasticis officiis objici posset impedimentum, neque quaererent subinde novas sedes, quas existimant esse opimiores et proventibus gaudere melioribus. Verum XI
distinguendum est vitiosum accidens a re ipsa; alere armenta et agros colere per se nullum objicit ministerio impedimentum, si modo debito tractetur; pastores ecclesiae ob ditiores proventus subinde mutáre parochias vitiosum est, sed potest huic vitio aliter occurri quam per defalcationem et exaequationem salariorum ecclesiasticorum. In const. eccl. elect. Sax. f. 87. prohibetur ministerii candidatis et ecclesiae ministris, ne suo sibi arbitrio certum eligant ac denominent locum, sed operam suam ecclesiae offerant et consistoriis sua gravamina exponant,

interim non prohibentur ministri agros, quos majorum pietas sustentationi ministerii voluit addictos atque addicatos, colere, quin potius dotalium servitia, operae scilicet manuariae ac serviles a colonis praestandae ipsis confirmantur. In artic. generalib. c. 27. f. 349: Dieweil an etlichen Orten von den löblichen Vorfahren, alten Herrſchaften oder Collatorn zu den Pfarren dotales, das iſt Dienſt oder Frohnleute verordnet, auf daß die Pfarrer Leute zu Dienſte haben und ihre Güter deſto geruhiger und beſſer beſtellen können, ſollen durch jedes Ortes Obrigkeit und Visitatores die Leute vermahnet werden ſolche Dienſte willig und gern ihren getreuen Seelſorgern zu leiſten, c. 30. fol. 315. expresse prohibetur, ne salaria ministrorum diminuantur, vel bona ecclesiastica in aerarium collatorum inferantur. Nachdem auch etliche Collatores zum Theil die Pfarrgüter an ſich ziehen, zum Theil mit den Pfarrern, ſo bei ihnen um Dienſt anhalten, pacisciren und ſich mit ihnen vergleichen, was ſie in der Pfarrnützung ſchwinden laſſen, und wie lange ſie dieſelbige beſitzen ſollen, dabei kein Gedeihen noch Segen, dazu die Kirchen mehrmals der Urſachen mit untüchtigen Dienern verſehen, auch ſolcher Abzug wider Gott und die Kaiſerlichen beſchriebene Rechte, ſollen die Visitatores beſonders darob und daran ſein, damit was einmal zum Pfarr- und Gottesdienſt ergeben und verordnet, auch dabei bleibe, und ſolchergeſtalt die Kirchendiener ihren gebührenden Unterhalt haben mögen, und ſo von jemand, wer der auch ſein möchte, heimlich oder öffentlich hierwider gehandelt, ſollen beide Pfarrer und Collatores ernſtlich geſtraft werden. Denique cum nec Dei dona nec labores ministerii, nec familiae numerus inter ecclesiae ministros sint aequalia, ideo non videtur commodum salaria exaequare et quae a piis majoribus determinate ad hanc parochiam legata sunt, ad aliam parochiam vel etiam alios usus convertere.

An in rata fes- ne uid pien- n.

329. Quaeritur 5. *An nefas sit ecclesiarum ministris in privata ἐξομολογήσει a confitentibus muneris loco aliquid accipere?* Valde hoc improbat Jodocus Naum et alii ex Calvinianis, qui etiam ipsam privatam confessionem et absolutionem hoc argumento ex ecclesia eliminandam censent. Sed abusus separandus est a vero et legitimo usu. Non probanda est simonia Pontificia, qua spiritualia beneficia corruptibili auro et argento venduntur, quam jampridem damnavit Petrus Act. 8, v. 20. Nec probanda esset illorum φιλαργυρία, qui absolutionem alicui impertire recusarent nisi numerata prius pecunia; removenda quoque ex animis simpliciorum esset perserva illa opinio, si qua tamen inhaereret, quasi peccatorum remissio interventu illius pecuniae a pastoribus ematur; interim simpliciter et absolute improbari nequit accipere in audienda privata confessione ab auditoribus, praesertim ditioribus, aliquod honorarium. Cum enim quovis tempore licitum sit illi, *qui catechizatur sermone, communicare ei in omnibus bonis, qui se catechisat* Gal. 6, v. 6. eccur eo tempore id prohibitum esse censendum? In V. T. ex sacrificiis quaedam ad sacerdotes redibant, nemo tamen illis simoniae dicam propterea scripsit vel scribere potuit. Absit tamen omnis mali species, et si metuitur scandalum, moneantur auditores, ut alio potius tempore suam erga ministerium beneficentiam et εὐεργεσίαν declarent. ** Quaeritur 6. *An decimae ex justitia debeantur ministris ecclesiae, an vero sint dona gratuita seu purae eleemosynae?* Prius asserit Bellarminus lib. de cleric. c. 25. Zepperus l. 4. explan. leg. Mosaic. c. 10. posterius olim asseruit Wiclefus, hodie tuentur Anabaptistae et Antitrinitarii. Nos mediae insistimus viae, sustentationem ministrorum statuimus esse juris divini ac necessitatis, sed modum et quantitatem ex pietate, caritate et commoditate metiendam dicimus. Notat Bellarminus dicto loco, *decimarum nomen hic sumi ἐν πλάτει pro iis, quae debentur vel juxta quantitatem lege divina determinatam, qua solvuntur integrae decimae, vel juxta quantitatem consuetudine loci determinatam, quae solvitur minus quam decima et tamen vocatur decima.* Argumenta Bellarmini haec sunt: *1. Ex jure naturae. Qui pro populo laborant, illis populus alimenta debet. Ministri verbi non minus pro populo laborant quam reges et principes.* Respondemus: non est quaestio de genere, an verbi ministris debeantur stipendia, sed de specie et quantitate. *2. Ex jure divino, tum ex V. T. Lev. 28. v. 30. Num. 18, v. 21. Mal. 3, v. 10. ubi Deus jubet Levitis dari decimas. Ergo easdem dari voluit ministris N. T. quia fundamentum legis est morale et quia justitia Christianorum plus debet abundare quam Pharisaeorum et scribarum; tum ex N. T. Matth. 22, v. 21: Reddite quae sunt Dei Deo. Matth. 10, v. 10: Dignus operarius. 1. Cor. 9, v. 7: Dominus ordinavit* etc. Respondemus: 1. jus decimarum in V. T. dandarum non fuit naturae seu morale, sed ceremoniale fundatum in distributione terrae Canaan inter duodecim tribus filiorum Israel, quae omnes habebant suam peculiarem portionem sola Levitica excepta, cujus portio erat Dominus, Num. 18, v. 20. Deut. 18, v. 2. id quod ipse Bellarminus d. l. agnoscit. Huic populo quia ad cultum divinum serviebant Levitae, jus naturae quidem dictitat ipsis aliquid dandum, modum vero et quantitatem, de qua sola hic quaestio, definivit illa proportio distributionis terrae Canaan, cui par in N. T. ostendi nequit. 2. Probatio addita genus duntaxat, non speciem, de qua unice quaeritur, confirmat. 3. Matth. 5, v. 20. non agit Christus principaliter de justitia operum. 4. Inverti potest haec probatio: Si Christianorum liberalitas erga ministros abundare debet supra Judaeorum erga Levitas, utique non tenentur praecise decimas dare. *3. Ex jure ecclesiae sive decisionibus conciliorum et decretis pontificum.* Respondemus: decreta illa aut fuerunt particularia certarum regionum et nationum, aut hominum, quorum intereat, nempe pontificum eisque adhaerentium. **

XIII. 153.

SECTIO POSTERIOR.

DE CONJUGIO MINISTRORUM ECCLESIAE.

Status controversiae de coelibatu sacerdotum.

330. Gravis adversaria de hac quaestione cum Pontificiis nobis constituta est, illi quippe ad coelibatus perpetui legem eos, qui in majoribus, quos ita vocant, ordinibus constituti sunt vel constitui volunt, adstringunt; nos contra ministris ecclesiae conjugii libertatem permittimus ac jure divino illis permissam esse statuimus. Antequam vero nostrae sententiae argumenta proferantur, recte formandus erit quaestionis status. Non hoc quaeritur, an omnes, qui in ministerio constituti sunt vel constitui expetunt, uxorati esse debeant, id enim nequaquam dicimus, sed illis, qui peculiari continentiae dono instructi sunt, extra conjugium vivere facile concedimus, neve quis objiciat const. eccl. elect. Sax. in nostris eccles. receptam, in qua art. gener. 16. f. 337. requiritur, *ut ecclesiae ministri, si adhuc coelibes sint, conjugium ineant*, illud namque proponit regulam, a qua peculiariter illi, qui singulari continentiae dono instructi caste vivere et possunt, et volunt, intelliguntur excepti. Hoc ergo in quaestione est, an jure divino coelibatus sacris ordinibus ecclesiasticis sit annexus, vel ecclesia coelibatus jugum tanquam necessarium ministris imponere possit ac debeat. Utrumque negamus, Pontificii contra legem coelibatus sacrificulis imponunt, cujus originem quidam ad jus divinum, quidam ad ecclesiae, hoc est pontificis Romani constitutionem, referunt. Argumenta sententiae nostrae potiora haec sunt.

Pro conjugio ministrorum 1. ex Scripturae dictis 1. ex 1. Tim. 3, v. 2. Episcopum oportet esse unius uxoris maritum.

331. Primo Spiritus s. per apostolum Paulum accurate describit virtutes, quas Deus in episcopo requirit, nuspiam vero coelibatus legem illis imponit, quin potius requirens, ut *1. episcopus sit unius uxoris maritus*, 1. Tim. 3, v. 2. Tit. 1, v. 6. ostendit, non esse repudiandum ab officio episcopali eum, qui in
XIII. 154. conjugio vivit, modo sit *unius* tantum et non plurium simul uxorum maritus. Argumentum potest esse tale. Si maritus unius uxoris in episcopum eligi potest, consequens erit, conjugium non ita pugnare cum ministerio ecclesiastico, ut in una eademque persona conjungi nequeant. Sed verum prius, ut apparet ex textu apostolico. Cum enim dixisset v. 1: *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, mox subjungit v. 2: *Oportet autem episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris maritum.* Ergo et posterius. Item si virtutes, quas apostolus in episcopo requirit, etiam in illo locum habere possunt, qui est unius uxoris maritus, consequens est, maritum et episcopum esse nequaquam invicem pugnare. Sed illud. Ergo et hoc. Excipit Bellarminus. *1. Falsissimum esse, quod inter dotes ac virtutes absoluti episcopi ponatur conjugium, cum quotquot sanctissimi episcopi fuerunt, omnes continentes fuerint, cumque idem apostolus 1. Cor. 7. hortetur ad continentiam dicens, bonum esse innuptis ac viduis, ut sic permaneant.* Respondemus: conclusio argumenti nostri sic habet, conjugium non ita pugnare cum ministerio ecclesiastico, ut in una eademque persona conjungi nequeant. Item esse maritum et episcopum nequaquam invicem pugnare, id quod ex hoc loco apostolico evidenter probatum dedimus. Clemens Alexandrinus lib. 3. strom.: *Unius uxoris virum utique admittit, sive sit presbyter, sive diaconus, sive laicus, utentem matrimonio citra reprehensionem.* Chrysostomus homil. 10. in 1. Tim. 3: *Non hoc veluti sanciens dicit apostolus, quasi non liceat absque uxore episcopum fieri, sed ejus rei modum constituens. Judaeis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio jungi et duas simul κατὰ ταὐτὸν habere uxores.* in cap. 1. Tit. homil. 2: *Cujus rei gratia hujusmodi homines in medium adducit? Obstruere prorsus intendit haereticorum ora, qui nuptias damnant, ostendens, eam rem culpa carere, imo ita esse pretiosam, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum episcopatus solium evehi.* Quod Bellarminus satis confidenter pronuntiat, *quotquot sanctissimi episcopi fuerunt, eos omnes fuisse continentes*, id est extra conjugium vixisse, de eo ex sequentibus fieri poterit judicium. Nos in sacerdotibus atque aliis dono continentiae instructis nequaquam improbamus coelibatum, sed pugnamus contra coelibatus jugum omnibus sacerdotibus indiscrete impositum. *2. Chrysostomum et alios patres docere, quod Paulus non tulerit legem, ut episcopi habeant uxores, sed solum ut non habeant vel non habuerint plures quam unam.* Respondemus: Quorundam recentiorum sententia est, Paulum hoc loco tradere generalem regulam, quod episcopi debeant in honesto conjugio vivere, a qua tamen regula excipiantur, qui peculiari continentiae dono instructi extra conjugium vivere et volunt, et possunt, sicut generalis regula est: *Non est bonum hominem esse solum* Gen. 2, v. 18. cujus exceptio proponitur 1. Cor. 7, v. 8: *Bonum est innuptis ac viduis, si sic permanserint;* nimirum qui donum hoc proprium a Deo habent, illis extra conjugium vivere bonum est propter *praesentem necessitatem* v. 6. Haec interpretatio nec absurda est, nec analogiae fidei repugnans, unde ex parte probatur a D. Chemnicio part. 2. loc. cap. de castitate pag. 537: *Apostolus* (inquit) *describens idoneum et expeditum episcopum dicit: sit unius uxoris vir, non quod illos excludat, qui se castrarunt propter regnum coelorum, sed quia donum coelibatus paucis datum est et singulae ecclesiae opus habent ministris; talem descripsit sanctimoniam episcopi, non quae consistat in singularibus donis, quae paucorum sunt, ut miraculorum, linguarum, vaticiniorum, coelibatus etc. sed quam Deus piis doctoribus omnibus largiturum se promisit.* Praeferimus tamen alteram, quae est Chrysostomi et aliorum ex veteribus, quam approbat Lutherus in propositionibus de digamia, qua verba apostoli accipiuntur *negative, non positive*, ita ut non teneatur episcopus habere unam, sed teneatur non habere plures feminas una cum uxore legitima, qua ratione

τὸ oportet non pertinet ad verbum uxoris, sed ad verbum unius, nec infert simplicem et absolutam
155. conjugii necessitatem, quasi non possit esse episcopus, qui non sit maritus, sed conjugii libertatem, ad ejusdem tamen leges restrictam, ne scilicet episcopus, si in conjugio vivere velit, sit *πολύγαμος*. Veritatem hujus interpretationis videtur agnoscere ipse Bellarminus, quando scribit, *requiri ab apostolo, ut episcopi non habeant vel habuerint plures uxores quam unam*, sed latet in verbis ὕπουλόν τι dupliei ratione, primo quod *τὸ non habere plures uxores*, eo modo intelligit, quasi etiam successive non liceat episcopo plures uxores ducere, cum apostolus excludat solum eos, qui *κατὰ ταὐτόν* uno eodemque tempore simul plures uxores habent; deinde quod verbis quidem concedit, apostolum tulisse legem ut episcopus non habeat plures uxores quam unam, sed re vera hoc intelligit non de tempore eo, quo est episcopus, ita enim promte inferri posset, prohibet habere plures uxores quam unam, ergo concedit habere unam; sed de tempore ante ordinationem, unde etiam addit *vel habuerint*, quae verba juxta sonum externum sunt disjunctiva, sed ex mente Bellarmini sunt exegetica, hoc enim vult Bellarminus, quod apostolus legem tulerit, ne quis in episcopum eligatur, qui habuerit plures successive uxores quam unam, in quam classem etiam refert eum, qui duxit viduam vel ab alio repudiatam, ut postea apparebit. Urgemus autem contra Bellarminum verba textus apostolici: *Δεῖ τὸν ἐπίσκοπον εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα*, non dicit *δεῖ ἐπίσκοπον γεγονέναι*; sicut quidam jam olim expuncto vocabulo *εἶναι* substituerunt praeteritum illud *γεγονέναι*, ut probarent ad episcopatum admitti eum, qui aliquando habuerit uxorem, non autem qui nunc habeat, teste Eusebio lib. 1. demonstr. evangel. cap. 9. quorum sententiam cupide amplectitur Bellarminus, sed notanter dicit, *δεῖ ἐπίσκοπον εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα*. Ac quilibet cogitet, quam absurdum foret, si de reliquis illis episcopi requisitis, ad quae verbum *εἶναι* aequaliter extenditur, dicatur, *oportet episcopum fuisse irreprehensibilem*, *sobrium*, *prudentem* etc. Quid quod apostolus eodem in loco, cum episcopi virtutes ac requisita descripsisset, describit etiam, *quales debeant esse eorum uxores*. Ergo loquitur de illis, qui non habuerunt olim uxores, sed qui jam habent. Viderunt hanc difficultatem Pontificii, ideo triplici ratione illi occurrere voluerunt. Primo papa Calixtus tom. 1. concil. epist. 2. *per uxorem* intelligit *ecclesiam*, *ut episcopo prohibitum intelligatur, ne plures quam unam regat ecclesias*; sed apostolus notanter loquitur de tali uxore, ex qua liberos susceperit episcopus, quos ipsos quales esse oporteat, ibidem addit, unde Salmeron in comment. hoc loco scribit, *sensum hunc esse quidem mysticum, sed minime solidum nec ad mentem apostoli*. Secundo quidam respondent, hoc *διάταγμα apostoli esse temporarium ac valuisse in primitiva duntaxat ecclesia, cum propter paucitatem eorum, qui ad episcopatum idonei, etiam conjugati erant eligendi, nostrorum vero temporum rationem esse diversam*. Atqui si in primis ecclesiae temporibus, quae ab Egesippo apud Eusebium lib. 4. histor. eccles. cap. 21. *virginitati* ejusdem conferuntur, honestum conjugium non pugnavit cum ministerio, quo minus in una eademque persona sociari potuerint, utique etiamnum non pugnabunt inter se invicem. Denique Bellarminus respondet, *Paulum quando dicit, mulieres similiter pudicas, vel loqui de mulieribus generatim*, *vel de diaconissis*, *quae viduae erant, vel si loquatur de uxoribus episcoporum et diaconorum, loqui de uxoribus, quas acceperant ante ordinationem, non quas postea accepturi essent*. Atqui priores duae explicationes cum serie textus non congruunt ac secum quodammodo pugnant. Si enim de mulieribus in genere apostolus agit, non potest dici, quod de diaconissis viduis tantum agat. In posteriore acceptamus, quod conceditur, loqui apostolum de uxoribus episcoporum et diaconorum, quas ante ordinationem acceperant, et ex eo inferimus: Si licuit in primitiva ecclesia in episcopos et diaconos eligere eos, qui uxores acceperant, utique adhuc hodie licebit, conjugatos in ministerium adsciscere. Oppositio illa Bellarminiana inter uxores, quas ante ordinationem acceperunt episcopi et quas postea accipiunt, est illegitima. Si enim episcopo,
salvo episcopali officio, licet esse maritum, perinde XIII. 156.
est, quo tempore maritus esse incipiat, quemadmodum si licet Christiano gerere magistratum, perinde est, sive ante susceptum magistratum fuerit Christianus, sive Christianus esse incipiat in ipso magistratu, ac si licet episcopo simul administrare regimen politicum, perinde est sive ante episcopatum susceptum illud gesserit, sive post episcopatum susceptum gerere incipiat.

332. 2. Hebr. 13, v. 4: *Honorabile dicitur matrimonium in omnibus et torus immaculatus, scortatores autem et adulteros judicabit Dominus*, ex quo loco tale ducimus argumentum. Quidquid in omnibus honorabile, illud non est certo hominum generi ad id idoneo idemque legitime expetenti prohibendum. Conjugium in omnibus est honorabile. Ergo non est certo hominum generi ad id idoneo idemque legitime expetenti prohibendum. Ulterius. Quod coram Deo est immaculatum, ab eo non possunt nec debent sacerdotes tanquam ab immundo prohiberi. Sed torus conjugalis coram Deo est immaculatus. Ergo sacerdotes nec debent, nec possunt ab eo tanquam immundo prohiberi, quod pontifices Siricium et Innocentium fecisse apparebit inferius. Denique qui periculo scortationis sunt subjecti ac deprehendunt, se non instructos esse dono continentiae nec caste extra conjugium vivere posse, illis matrimonium utpote remedium divinitus institutum concedendum est, ut colligitur ex oppositione textus et ex 1. Cor. 7, v. 2. Sed plurimi sacerdotes periculo scortationis sunt subjecti ac deprehendunt, se non instructos esse dono continentiae nec caste extra conjugium vivere posse. Ergo illis matrimonium utpote remedium divinitus constitutum concedendum est. Excipit Bel-

2. Ex Hebr. 13, v. 4. Honorabile matrimonium in omnibus.

larminus *1. Si conjugia omnium sunt honorabilia, etiam conjugia consanguineorum in primo et secundo gradu erunt honorabilia, et conjugia adolescentium injussu parentum contracta.* Respondemus: ibi vero est dispar ratio, propter intercedentem divinam prohibitionem, quae ex Lev. 18. et ex quarto decalogi praecepto est manifesta, ac proinde talium conjugia ostendit esse illegitima; sed in proposita quaestione illud ἀθέμιστον ostendi nequit, proinde argumentum nostrum plenum et integrum sic habet, quod certo hominum generi ad illud idoneo et legitime illud expetenti conjugium non sit prohibendum. Ostendat vero Bellarminus in conjugio sacerdotum divinam prohibitionem, quod facere nunquam poterit. *2. Tribus modis illud ἐν πᾶσι exponi posse, primo ut in omnibus idem sit, quod omni ex parte, id est conjugium honorabile est in omnibus, quae conjugii sunt sive sacramentum, sive fidem, sive prolem consideres, ita Oecumenius in hunc locum; secundo ut in omnibus significet apud omnes, id est nemo debet conjugium reprehendere, etiamsi virginitatem profiteatur, ita videtur accepisse Fulgentius libr. de fide ad Petrum cap. 3. denique in omnibus, id est in omnibus legitime conjunctis, quicunque illi sint sive senes, sive juvenes, sive nobiles, sive obscuri, ita Theophylactus hoc loco.* Respondemus: priores duae interpretationes verae quidem sunt, sed tamen non plenae nec satisfaciunt textui apostolico, ex quo manifeste apparet, τὸ ἐν πᾶσι referri non solum ad rem, sed etiam ad personas. Opponit enim apostolus eos, qui castas nuptias sectantur, et scortatores, in quos eo gravius Deum animadversurum testatur, quia adversus carnis concupiscentiam remedium illis instituit, sanctum scilicet conjugium, quod in omnibus honorabile cujuscunque sint conditionis. Proferimus interpretationis hujus testem Paphnutium martyrem, qui in synodo Nicaena hoc dictum protulit adversus eos, qui clericis conjugatis necessitatem ab uxorum consuetudine abstinendi imponere voluerunt teste Socrate libr. 1. histor. eccles. cap. 8. et Sozomeno libr. 1. histor. cap. 22. Nicephoro libr. 8. cap. 19. Gelasio Cyziceno in actis syn. Nicaen. cap. 33: *Nolite, dicebat, grave jugum cervicibus illorum imponere, qui sacris sunt initiati. Hono-*
XIII. 157. *rabile enim conjugium in omnibus ac torus immaculatus.* Hanc Paphnutii sententiam tota synodus approbavit et continentiam ab uxore in arbitrio cujusque reliquit. Sic et patres sextae synodi universalis in Trullo illud ipsum dictum ad personas ecclesiasticas applicarunt hisce verbis can. 13. prolatis: *Si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus vel diaconus vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum, ne ex eo a Deo constitutas et sua praesentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, evangelica voce exclamante, quae Deus conjunxit, homo non separet, et apostolo docente, honorabile matrimonium in omnibus.* Hieronymus ad Oceanum epist. 83. in causa Carterii episcopi conjugati: *Ille in uxore optavit liberos, tu in meretrice sobolem perdidisti; illi scribitur, honorabiles nuptiae et cubile immaculatum; tibi legitur, scortatores et adulteros judicabit Deus.* Chrysostomus hom. 33. in epist. Hebr. ἴδωμεν ὡς τίμιος ὁ γάμος πᾶσι, ubi ἐν πᾶσι explicat per πᾶσι. Haymo iu hunc locum: *Immaculatus lectus, immaculati et illi inde surgentes, id est maculam peccati non inde trahentes.* Cajetanus hoc loco: *In omnibus et non in aliquibus sic, in aliquibus non.* Acceptamus ergo ultimam expositionem. Honorabile conjugium in omnibus legitime conjunctis, quicunque illi sint, ac concludimus, ergo etiam in sacerdotibus, illos enim lege aliqua divina a conjugio prohiberi nondum est evictum. Neque obtendi potest prohibitio Pontificia, cum non ea, quam pontifex, sed quam Deus approbat, conjunctio sit legitima. Cogitet autem Bellarminus, quomodo cum verissimis illis pronuntiatis, quod conjugium in omnibus suis partibus sit honorabile, ac quod nemo debeat conjugium reprehendere, conciliare velit non solum Innocentii et Siricii constitutiones, in quibus ad conjugium sacerdotum accommodantur illa verba apostoli: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt,* sed etiam sua ipsius verba c. praeced. temere prolata: *In actu conjugii negari non potest, quin admixta sit quaedam impuritas et pollutio, non quae peccatum sit, quae ex peccato tamen nata. Sanctorum etiam matrimonium sine pollutione quadam et turpitudine non exerceri docet rebellio membrorum. Actus conjugii hebetat aciem mentis et deprimit ad inferiora et animam ipsam quodammodo carnalem facit, unde etiam conjugium orationem impedit.*

333. 3. 1. Cor. 9, v. 5: *Numquid non ego et Barnabas habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et reliqui apostoli et fratres Domini et Cephas?* ex quo loco sic concludimus. Quod Paulo apostolo licitum fuit, illud ministris ecclesiae non est lege quadam interdictum vel interdicendum. Sed Paulo licitum fuit sororem mulierem circumducere, id est matrimonium contrahere. Ergo. Item, in quocunque vitae statu vixerunt apostoli, in eo bona conscientia vivere possunt ecclesiae ministri. Sed apostoli vixerunt in conjugio. Ergo. Excipit Bellarminus *1. non esse certum, quinam ex apostolis uxores habuerint et qui non habuerint, cum varient hac de re veterum sententiae; illud vero certum esse, eos ex apostolis, qui uxorem habuerunt, postquam vocati a Christo fuerunt, officio conjugali renuntiasse, ut colligitur ex eo, quod Matth. 19. dicunt: Ecce omnia reliquimus, ubi Christus subiungit: Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem.* Respondemus: Sufficit nobis, aliquos apostolos fuisse conjugatos, quod ex hoc loco apostolica et Matth. 8, v. 14. Marc. 1, v. 30. Luc. 4, v. 38. manifestum. Actor. 21, v. 9. XIII
Philippus evangelista dicitur *quatuor filias* habuisse; Ignatius in epist. ad Philadelph.: *Excepto Johanne*

3. E[...] 1. C[...] 9, v. Non non bem pote tam cum cen[...] lier[...]

omnes apostolos, ut et Paulum conjugatos fuisse asserit. Clemens Alexandr. libr. 3. strom. pag. 210. *aliquos apostolos in conjugio vixisse* testatur. *An reprobant etiam apostolos* (inquit)? *Petrus enim et Philippus filios procrearunt, Philippus etiam filias viris nuptum tradidit, Paulus uxorem suam vocat σύζυγον, de qua inquit: Habemus potestatem circumducendi.* Eusebius libr. 3. histor. eccles. c. 27: *Clemens propter eos, qui nuptias reprobabant, eos ex apostolis, qui in conjugiis fuisse probantur, recenset dicens: An et apostolos reprobant* etc. Ambrosius in 2. Cor. 11: *Omnes apostoli exceptis Johanne et Paulo uxores habuerunt.* Quamvis igitur exacte sciri nequeat, quinam praeter Petrum ex apostolis fuerint conjugati, tamen argumento nostro, quod praesupponit, aliquos apostolos fuisse conjugatos, nihil decedit. Desertio illa conjugum, quam Bellarminus apostolis tribuit, pugnaret cum primaeva lege conjugii. *Relinquet homo patrem ac matrem et adhaerebit uxori suae; quos ergo Deus conjunxit, homo non separet;* pugnaret cum regula apostolica 1. Cor. 7, v. 10: *Uxor a viro non discedat*, v. 11. *vir uxorem non dimittat;* nec uspiam τὸ *relinquere uxorem* pro resignatione officii conjugalis usurpatum esse monstrari potest. Quomodo apostoli reliquerint omnia, colligitur ex eo, quod Matthaeus relictis omnibus Christum secutus, tamen postea eum ad convivium in suas aedes vocat, Matth. 9. v. 10. et quod Petrus ac reliqui apostoli post Christi resurrectionem utuntur suis retibus et piscationi operam dant Joh. 21, v. 3. Sic ergo omnia reliquerunt, ut tamen bona sua non penitus abjecerint nec eorum proprietate et possessione se omnino abdicarint, sed ut animam averterent ab omnibus negotiis, facultatibus et possessionibus, quae in vocatione ipsis impedimento esse poterant, tandem vero cum peculiari mandato post Christi adscensionem in omnem terram illis exeundum erat, omnia in commune contulerunt. Quod uxores apostolorum attinet, illae non fuerunt in numero eorum, quae relinquuntur causa nominis Christi, quia scilicet ab eo avocant, proinde etiam non fuerunt ab ipsis separatae, sed itineris comites, ut ex hoc ipso loco apostolico colligitur ac de Petro referunt historiae, quod uxori ad supplicium raptae praesto fuerit, ipsique acclamarit: *O memento Domini*, Clemens libr. 7. stromat. p. 340. Eusebius libr. 4. histor. cap. 27. Nicephorus libr. 2. histor. cap. 44. et ex illis Baronius in annal. tom. 1. annotat. 69. num. 30. Sicut piae matriarchae dominos suos in exsilium sunt secutae Genes. 11, v. 31. c. 12, v. 5. c. 20, v. 2. c. 26, v. 7. c. 31, v. 17. ita idem ab apostolorum uxoribus factum fuisse verisimile est. Quod verbis Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, Christus apud Matthaeum c. 19, v. 29. subjungit: *Omnis, qui reliquerit uxorem*, ex eo non potest colligi, apostolos ab uxoribus se plane separasse, sed transit Christus ab hypothesi ad thesin et consolationem illis proponit, qui per violentam tyrannorum persecutionem non a bonis solum, sed etiam ab uxore et liberis separantur, a quibus voluntario ausu se alias non deberent separare. Jansenius in comment. conc. evangel. cap. 100: *Quamvis Petrus locutus fuerit de dimissione omnium propter desiderium perfectioris vitae, Dominus tamen suam doctrinam extendit non tantum ad eos, qui ad instar apostolorum sua vel suos relinquunt propter perfectionem assequendam, sed etiam ad eos, qui relinquunt propter conservandam vitam spiritualem et gratiam Christi, quam conservare non possent nisi suorum derelictione* etc. *Quemadmodum enim dixit Dominus, qui perdiderit animam suam, inveniet eam, non hoc dixit, ut nos ipsos interimamus, sed ut ipsi etiam animae nostrae fidem, quae in illum est, et amorem praeponamus; ita et nunc dicens, qui reliquerit uxorem, non hoc dixit, ut nuptias penitus dividat, sed ut ipsi quoque conjugi praeponamus et ipsum et evangelium et regnum Dei.* Haec Jansenius. Sed quidquid sit de apostolorum uxoribus, urgemus hoc, quod Paulus expresse asserit, *se habere potestatem circumducendi uxorem*, ergo coelibatus non est necessario quodam vinculo ministerio ecclesiastico conjunctus. 2. Igitur excipit Bellarminus, *apostolum non loqui de uxoribus, sed de piis feminis, quae sequebantur apostolos et eis ministrabant, sicut etiam Dominum sequebantur* Luc. 8. quod confirmat ex testimonio quorundam veterum et ex proprietate linguae Graecae, dicit enim sine articulo ἀδελφὴν γυναῖκα non τὴν ἀδελφήν, ut certa quaedam mulier intelligatur. Respondemus: Clemens Alexandrinus et ex eo Eusebius libr. 3. histor. eccles. c. 27. de uxoribus hunc locum accipiunt, quos sequitur Leo IX. contra epistolam Nicetae c. Omnino dist. 31. Bellarminus regerit, *Clementem statuere, quod conjugale officium inter apostolos et ipsorum uxores cessaverit*, sed Clemeus diserte illud non asserit, verba sic habent pag. 192. edit. Commelin. *οὐχ ὡς γαμετὰς, ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς περιῆγον τὰς γυναῖκας συνδιακόνους ἐσομένας πρὸς τὰς οἰκουροὺς γυναῖκας, δι' ὧν καὶ εἰς τὴν γυναικωνῖτιν ἀδιαβλήτως παρεισεδύετο ἡ τοῦ κυρίου διδασκαλία*, dicit eas magis in propagando evangelio sororum, quam in privato usu uxorum officium implevisse, utpote per quas etiam in gynaecea citra calumniam doctrina Domini insinuabatur. Sed demus, ex hypothesi apostolos postea ab usu conjugali abstinuisse, id quod nos in medio relinquimus, tamen ex peculiari illo continentiae conjugalis in apostolis exemplo, (si vel maxime evictum esset) tam non posset generalis regula inferri, quod omnibus ecclesiae ministris a conjugii usu penitus abstinendum sit, quam ex Josephi et Mariae exemplo. Apostolus eas non solum sorores, sed etiam uxores vocat, re vera igitur uxores erant ac maritalem potestatem in eas habeant. Probatur autem haec interpretatio nostra primum *ex phrasi*, in singulari vocat γυναῖκα, non plures mulieres, quarum sumtibus potuisset sustentari, appellat ἀδελφήν (sicut etiam Tob. 8, v. 9. Tobias suam conjugem vocat), quia loquitur de conjuge fideli; ac quamvis non addat articulum τήν, sufficit tamen, quod in singulari loquatur, nec

opus fuisset ἐξηγήσεως causa addere γυναῖκα, si de quavis in Christo sorore loqueretur ac in genere
XIII, 160. quamvis feminam Christianam voluisset intellectam, nisi quis absurde statuere velit, etiam viros posse esse sorores. Urgemus etiam verbum περιάγειν, quod indicat jus mariti, quem uxor tenetur sequi itemque individuam illam vitae viaeque societatem ex conjugii jure dependentem. Secundo ex *scopo apostoli*. Demonstrare conatur apostolus, se habuisse potestatem gravandi ecclesiam Corinthiacam sumtibus pro sui ac familiae sustentatione necessariis ab ea recipiendis, qua tamen potestate apud Corinthios se non fuisse usum asserit. Atqui non gravata, sed potius sublevata fuisset ecclesia Corinthiaca, si hujusmodi mulieres apostolus secum circumduxisset; proinde etiam exemplum mulierum, quae Christum sequebantur et suppeditabant ipsi τὰ βιωτικά, est ab hoc loco alienum, illis enim ecclesia minime onerabatur, sed potius sublevabatur. Tertio *ex re ipsa*. Quam enim quaeso habuisset speciem, si Petrus propriam suam conjugem relinquere et interim opulentiores aliquas mulieres per varios populos in longinquis peregrinationibus secum circumducere voluisset? Regerit Bellarminus *1. sic vocari sorores mulieres*, sicut Actor. 1, v. 16. dicuntur *viri fratres*; sed hanc explicationem non permittunt scopus textus et circumstantiae reliquae, nec mutatus verborum ordo, non enim dixit apostolus *mulierem sororem*, sed *sororem mulierem*. Idiotismus linguae permittit, ut dicatur *viri fratres*, nequaquam vero ut inverso ordine de feminis dicatur *sorores mulieres*. *2. Potestatem, de qua apostolus loquitur, non fuisse in mulieres, sed in actionem eas circumducendi, si sequi vellent, vel si in mulieres erat potestas, dicam, apostolos habuisse auctoritatem in eas mulieres, non virorum in uxores, sed doctorum in discipulas.* Respondemus: Si in actionem circumducendi illam sororem mulierem potestatem habuit apostolus, utique etiam in ipsam personam respectu illius actionis, quia sine jure in personam non potest habere locum jus in personae actionem. Praeterea si in actionem circumducendi eam potestatem habuerunt apostoli, utique etiam erant apostolorum uxores, quia extra conjugii vinculum nullus vir in feminam habet illam circumducendi potestatem. Quod de auctoritate apostolorum in sorores mulieres tanquam doctorum in discipulas additur, a textu est alienum, agitur enim de potestate cum reliquis apostolis uxoratis communi, ac diserta fit mentio Petri, quem constat et uxorem habuisse, et eandem in praedicatione evangelii secum circumduxisse. Repetimus igitur nostram ἔνστασιν, parum honorifice fuisse apostolis conjugatis ac propagationi evangelii aliquid labis adspersisset, si proprias uxores deseruissent et feminas alias tanquam discipulas secum circumduxissent. *3. Illas mulieres vel fuisse pauperes et non ministrasse pecuniam, sed obsequium tantum, accipientes pecunias a populis, quibus apostoli praedicabant; vel fuisse divites et aluisse apostolos, sed non semper fuisse cum apostolis, ideoque apostolos aliquando fuisse nutritos a mulieribus, aliquando a populis.* Respondemus: Fingere hoc est et pingere, non disputare. Quam habuisset facti speciem, si apostoli desertis uxoribus propriis alias et quidem pauperes ad obsequia sibi praestanda adscivissent? De divitibus autem cogitare scopus et circumstantiae textus non permittunt, circumductio enim divitum mulierum ecclesias non onerasset, sed potius sublevasset. Ceterum cum de hoc loco apostolico pulchre disserat Dudithius in demonstr. pro conjugio clericorum pag. 56. verba ejus huc referemus: *Quid aliud* (inquit) *per sororem mulierem intelligi potest? An alia quaevis femina? cur ergo addidit vocem mulierem? Nugatio enim esset et ad excludendum virum satis erat sororem nominasse. Graecus contextus habet ἀδελφὴν γυναῖκα. Primum illud idem valere satis apparet, quodsi* πιστήν *dixisset, id est fidelem seu Christianam, ita enim fratres et sorores apostoli et tota illa antiquitas vocare solebat eos, qui eundem Deum Patrem colerent inque ejus filium Jesum Christum crederent, quare novum videri non debet neque inusitatum, quod uxorem sororis quoque vocabulo cohonestarit. Jam illud alterum omnino uxorem significare, certum est,* γυνή *enim eam vim habet, ut et mulierem simpliciter et uxorem plerumque denotet, quod ne apud Latinos quidem auctores infrequens est, ut mulieris nomine uxor significetur* etc. *supra c. 7. cum de uxoribus apostolus loquitur, non alio quam hoc quoque loco, nimirum* γυναικός *vocabulo utitur et 1. Timoth. 3. episcopum vult esse* μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα *et proxime superiore capite, cum inquit: Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit,* ἡ δὲ γυνή *inquit, eam autem mulierem quis neget Adami uxorem fuisse? ita ad Tit. 1. cum presbyteros ordinari praecepit, si quis sine crimine est, unius uxoris vir, inquit,* μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ. *Interpres eo loco, ut supra quoque 1. Corinth. 7. et alibi acutius vidit, nam quemadmodum et hic facto opus fuerat, ibi* γυναικός, *uxoris, vertit. Adde quod nisi illae uxores fuissent, suspicio oriri potuit, scorta ab apostolis circumduci, quod summo studio illos cavisse verisimile est, ne per ipsorum latus evangelii, quod docebant, auctoritas convitiis et criminationibus vulneraretur. Decebat autem, apostolorum domum et familiam atque universam societatem non crimine solum, verum etiam omni criminis suspicione vacare* etc. Quae de loco Phil. 4, v. 3. *Rogo te, germane compar*, Bellarminus disputat, facilem habent explicationem, concedimus enim, non posse ex illo loco firmiter concludi, apostolum Paulum in conjugio vixisse.

334. Scripturae dictis perspicuis addimus hasce rationes: 1. Quod Deus omni hominum generi reliquit liberum, illud non est ecclesiae ministris prohibendum. Sed conjugium Deus omni hominum generi reliquit liberum. 1. Cor. 7, v. 25: *De virginibus praeceptum Domini non habeo.* v. 28: *Si acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo,*

non peccat. v. 36: *Si quis indecorum existimat super virgine sua, si sit ὑπέρακμος, et ita oportet fieri, quod vult, faciat, non peccat,* nubant, scilicet tales virgines. Ergo conjugium non est ecclesiae ministris prohibendum. Huc pertinet, quod 1. Tim. 4, v. 3. *prohibitio matrimonii inter doctrinas daemoniorum* refertur. Excipit Bellarminus, *1. Ecclesiam* (Romanam) *non prohibere matrimonium aut cogere ullum ad coelibatum absolute suscipiendum, sed solum requirere eam conditionem in iis, qui initiari volunt sacris mysteriis, quam conditionem si quis nolit accipere, potest non accipere, sed non initiabitur, quemadmodum non censetur ecclesia prohibere judicia forensia, nec officium tortoris, etiamsi nolit talia ab ecclesiasticis fieri.* Respondemus: Ecclesia Romana non habet potestatem prohibendi conjugium illis, quibus ex Dei ordinatione illud est liberum, quia ecclesiae potestas non debet esse major quam apostolica. Sed apostolus non arrogavit sibi potestatem injiciendi *laqueum* conscientiis per legem coelibatus 1. Corinth. 7, v. 35. Nec per illam prohibitionem donum continentiae datur illis, quibus conjugio interdicitur, sed illud totum ex Dei arbitrio dependet; jam vero qui continentiae dono instructi non sunt, illis conjugium non solum est liberum, sed etiam necessarium, ex quo colligitur, legem coelibatus vere θεομαχεῖν, dum illud, quod Deus ut liberum omnibus, ut necessarium illis, qui uruntur, proposuit, certo hominum generi ab ustionibus haudquaquam libero penitus interdicit. Magna igitur diversitas est in allatis exemplis. Judicia forensia tractare, officium tortoris administrare pendet ex voluntate humana, sed extra conjugium caste vivere, non ex arbitrio humano, verum ex peculiari solius Dei dono dependet. Refero huc locum ex libro Justi Jonae, quem Lutherus magnopere commendat, in quo defendit conjugium sacerdotum adversus Fabrum: *Ex Genes. primo* (inquit) *constat, hominem non solum masculum creatum, sed et feminam. Praeterea cum creasset Deus masculum et feminam, benedixit eis inquiens: Crescite et multiplicamini. Ex illo igitur clarum est, masculum et feminam sic creatos, ut conjungantur, crescant et multiplicentur. Atque haec verba Dei tam potentia et efficacia sunt, ut nulla creatura neque in terra, neque in coelo aliam hanc naturam facere possit, proinde cum hae duae naturae sic a Deo creatae sint ac factae, ut conjungantur, si sis masculus, nihilo magis in tua potestate situm est, ut careas muliere, quam illud*
III. 162. *est, ut non sis quod creatus es, nempe masculus. E diverso si sis mulier, nihilo magis in tua potestate situm est, ut careas viro, quam hoc est, ut non sis mulier. Illum ergo genialem impetum et naturae insculptum affectum, quo mulier concupiscit masculum et masculus feminam, non est nostrarum virium sumere aut ponere, sed sic a Deo creati, sic ficti, sic conditi sumus. Haud aliter ergo atque ignis non potest non calere, aqua non potest non madere, quod utrumque sic sit creatum; sic mulier non potest non concupiscere masculum, contra masculus non potest non affici erga feminam. Nam hoc verbum, crescite et multiplicamini, non est lex nec praeceptum, sed vivum et efficax Dei verbum, imo opus Dei, quod non desinit in natura agere et operari. Hoc opus Dei impedire aut remorari nihilo magis in nobis situm est, quam hoc est, ut nosmet ipsos alios homines aut angelos faciamus. Perinde igitur atque ex meis viribus non est, sed mera creatio et natura, quod sum masculus et hujus vel illius sexus membra habeam; sic non ex me est, sed plane innatum et insculptum quiddam est haec propagatio seu propensio et ardor ad propagandum. Et haud aliter atque sic creata natura est, ut non possit carere cibo aut potu aut aliis necessariis rebus, ita et creata est, ut non possit non aestuare et flagrare desiderio et ardore se propagandi.* **Gregorius de Valent. tom. 4. oper. theol. in Thom. p. 2236. negat, *consensum parentum in nuptiis filiorum esse de necessitate, propterea quia pertineat ad facultatem generandi naturalem, quae solius filii sit, non patris, eaque propter filium posse sine consensu patris valide de ea disponere, idque probat ex Thom. 2. 2. qu. 104. art. 5. et tandem addit, quod pater non vi possit filium privare vita aut prohibere, quominus utatur aliqua facultate naturali, ut exempli gratia ne unquam rideat, aut ne comedat.* Pererius libr. 8. de comm. rerum nat. princ. c. 16. p. 480: *Appetitus generandi cuilibet homini est naturaliter insitus et penitus infixus acerrimus et incitatissimus est, quique post labefactatam primi hominis scelere integritatem naturae multo vehementior et effrenatior exstitit.*** *Non praecepit unquam Deus ulli, ut esset masculus aut femina, sed sic creavit, sic finxit et condidit, ut essent ex natura masculus et femina; sic et non praecepit, ut crescerent et multiplicarentur, sed hoc naturae et gemino huic sexui insevit et indidit, ut inter se mutuo exardescat et nativa vi atque impetu feratur ad crescendum et propagandum. Hunc impetum igitur, has flammas sic ipsi naturae insitas ac sexui connatas non est ut illis humanis aut ullius creaturae viribus coërcere aut reprimere coneris, nisi Deus aliquam peculiari vocatione ac dono sublimiore eximat.* Haec ille. Res igitur eo redit, quia pontifex per suam prohibitionem personas ecclesiasticas non eximit nec eximere potest ex numero hominum, in quibus verbum Dei, *crescite et multiplicamini*, est efficax, nec peculiari illo continentiae dono eos instruit, ideo prohibitio conjugii divinae ordinationi repugnat. Nec refert, quod cum conditione prohibitio feratur, dum enim pontifex neminem sacris initiari in majoribus ordinibus permittit, nisi voto coelibatus sese prius obstringat, eo ipso matrimonium certo alicui hominum generi penitus interdicit. *2. Apostolus loquitur de iis, qui absolute nuptias damnarunt, quales fuere olim Tatianus, Marcion et Manichaeus, Pontificii id non faciunt.* Respondemus: Fatemur, haec apostoli

verba recte a veteribus opposita fuisse Tatiano, Encratitis et Manichaeis, sed ex eo colligi nequit, non posse eadem opponi Pontificiis conjugium in personis ecclesiasticis damnantibus, loquitur enim apostolus generaliter de omnibus prohibentibus matrimonium sive absolute, sive cum conditione, ac si textus apostolici seriem et verborum emphasin intueamur, apparet, omnino etiam notari Pontificiam conjugii prohibitionem. Primo enim apostolus in capite praecedente de *uxoribus et liberis episcoporum* disseruerat, quare cum hoc loco praedicit, fore qui nuptias prohibeant, utique etiam episcoporum nuptias includit. Deinde seductores illos dicit venturos *temporibus posterioribus*, at Tatianus, Marcion et Manes secundo ac tertio post Christum natum seculo vixere. Praeterea apostolus non dicit, illos seductores damnaturos nuptias, sed *prohibituros*, quae vox notat auctoritatem *νομοθετικήν*, qualem sibi in ecclesia solus pontifex arrogat, ac pro-
XIII. 163. hibitionis illius causam fore dicit *hypocrisin*, hoc est specimen majoris sanctitatis, hoc certe animadvertitur in lege illa coelibatus, ad quam Siricius pontifex accommodat illud Dei praeceptum: *Sancti estote, quia et ego sanctus sum.* Addit apostolus, conscientiam talium seductorum fore velut *cauterio notatam*, id est in conscientia eos fore convictos de incommodis ex hac prohibitione ortis, nec tamen ab eodem promulgando et urgendo destituros, id quod in Pontificios maxime quadrat, cum Aeneas Sylvius postea pontifex Pius II. dixerit: *Sacerdotibus olim magna ratione ademtum esse matrimonium, sed majori ipsis esse restituendum.* Ad haec ibidem dicitur, quod iidem seductores *prohibituri sint cibos*, quos Deus creavit ad accipiendum cum gratiarum actione, illud itidem non simpliciter, sed *κατά τι* respectu certorum temporum ac certorum ciborum accipi potest, eadem est ratio prohibitionis conjugii, ut nihil dicamus de eo, quod ex ipsa praemonitione apostoli tam solicita et accurata manifeste appareat, magnam per spiritus illos seductores ecclesiae cladem inferendam, sed Encratitae cum Manichaei paucos habuerunt sectatores, si conferantur cum iis, qui vinculis papalis prohibitionis obstricti tenentur. Denique nec ipsi Manichaei, quos Pontificii hoc dicto perstringi agnoscunt, absolute omnibus, sed tantum *electis* suis prohibuerunt nuptias teste Augustino lib. 2. de moribus Manich. c. 18. et in epist. 74. ad Deuterium. Ac quis audiret eum, qui absolute omnibus Christianis in ecclesia conjugium prohiberet? 3. Regerit Bellarminus, *Manichaeos simpliciter interdixisse nuptias, licet enim auditoribus suis eas permitterent, tamen id fecisse, quia non poterant aliud obtinere; Pontificios vero non nisi cum conditione prohibere matrimonium ac non solum tolerare Christianos conjugatos, sed etiam laudare; deinde Manichaeos auditoribus suis permisisse nuptias tantum ad explendam libidinem, non autem ad procreationem liberorum, quod est nuptias detestari; Pontificios vero propter hunc finem eas potissimum laudare, ad quem a Deo sunt institutae.* **Respondemus: manet interim** tertium illud comparationis, quod utrique in certo quodam hominum genere ad perfectiorem sanctitatem adspirante nuptias prohibeant. Ac si vere et ex animo Pontificii laudarent nuptias, tunc in ecclesiasticis personis eas saltem tolerarent, si vel maxime in illis laudare nollent; pertinet omnino ad laudem conjugii, quod sanctitati personae nihil deroget, hanc laudem Pontificii illi derogant, dum ob majoris sanctitatis studium certo hominum generi nuptiis interdicunt. 4. *Apostolum dicere non in diebus ultimis, ἐσχάτοις, sed posterioribus, ὑστέροις, qua temporis notatione totam hanc ultimam aetatem intelligat a Christi ministerio usque ad extremum judicium, non autem certam ejus particulam postremam.* Respondemus: bene est; ergo apostolus etiam intelligit omnes, qui conjugium prohibent sive primis, sive ultimis post Christum natum seculis vixerint, sive uni tantum ecclesiae ordini, sive pluribus ordinibus conjugium prohibeant, ac per consequens etiam pontifices prohibitione illam in ecclesiam introducentes perstringit. Perpetuae enim veritatis sunt illa pronuntiata veterum, Hesychii in Gen.: *Maledictione digni sunt, qui nubere prohibent.* Ambrosii lib. 1. de virg.: *Nuptias suadeo et eos damno, qui nuptias dissuaserunt.* Hieronymi in 1. Tim. 4: *Omnis qui nuptias damnat, non amator, sed inimicus est castitatis, quia incontinentes sublato nuptiarum remedio fornicationis facit inire discrimen,* Theodoreti in 1. Timoth. 4: *Apostolus non vituperat coelibatum aut continentiam, sed eos, qui lege lata ea sequi compellunt.*

335. 2. Jus divinum et naturale non potest tolli 2. Ex juris vini natu aequ
lege humana. Conjugium est de *jure divino* Genesis 1, v. 28. ac *jure naturae*, ut patet ex appetitu propagationis omnibus insito. Ergo non potest tolli lege humana. Ut nemo potest obligari vel a se, vel ab alio ad non comedendum, quia hoc esset contra naturalem inclinationem conservandi individuum; sic nemo potest obligari vel a se, vel ab alio ad non ducendam uxorem, quia id esset contra naturalem XIII.
inclinationem conservandi speciem. Excipit Bellarminus: 1. *Verbum Domini, crescite et multiplicamini non sonare praeceptum, sed naturae institutionem exprimere, cum etiam brutis hoc sit dictum.* Respondemus: Bellarminus ipse paulo post agnoscit, *praeceptum naturale* de conjugio ineundo in illis verbis proponi, cur igitur praeceptum et naturae institutionem hic opponit? Si natura Dei voluntate ita instituta est, ut per conjugium propagandum sit genus humanum, utique quos Deus et natura ad conjugium vocant, illi ab eo non sunt arcendi. Deus ante lapsum in paradiso conjugium instituit, idem per legitimam maris ac feminae conjunctionem genus humanum et in eo ecclesiam Christi conservari ac propagari voluit; post lapsum idem confirmavit et mandavit Genes. 8, v. 17. c. 9, v. 1. haec institutio et ordinatio Dei omnes obligat, qui non sunt peculiari dono excepti. Brutorum et hominum hac in parte est dispar ratio, illorum enim respectu

internum duntaxat naturae instinctum verba illa exprimunt, sed horum ratione sanctam Dei ordinationem et praeceptum naturale continent. *2. Praeceptum illud de conjugio esse affirmativum, ideo non obligare nisi in casu necessitatis, id est quando periculum immineret, ne genus humanum periret.* Respondemus: Pererius tom. 1. in Genes. lib. 4. p. 657. negat, datum *esse praeceptum de conjugio* contra expressum textum apostolicum 1. Cor. 7, v. 2. propter *fornicationem habeat unusquisque uxorem suam,* et Becanus in lib. de judic. controv. p. 75. Genes. 1, v. 28. negat, proponi *praeceptum de matrimonio contrahendo,* sed duntaxat *benedictionem pro matrimonio contracto.* Sed Bellarminus hac in parte a Pererio et Becano discedit ac secutus Lombardum 4. dist. 26. et Thomam 2. 2. q. 152. art. 2. concedit, *esse praeceptum,* sed addit, *non obligare omni tempore, cum sit affirmativum.* Verum ne sic quidem vim argumenti nostri effugere potest. Tempus enim, quo praeceptum de conjugio ineundo obligat, non solum illud est, quando periculum imminet, ne genus humanum intereat, sed etiam quando ustiones sentiuntur, et sic periculum imminet, ne in scortationem homo prolabatur. 1. Corinth. 7, v. 2: *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam et quaelibet virum suum.* v. 9: *Dico innuptis ac viduis, si non se continent, nubant, melius enim est nubere quam uri,* in quae verba Chrysostomus sic commentatur homil. 19: *Magna est tyrannis* ἐπιθυμίας, *si igitur sustineas* βίαν καὶ πύρωσιν, ἀπαλλάγηθι πόνων καὶ ἱδρώτων, μήποτε καὶ περιτραπῇς. Qui ergo sentiunt, se non esse peculiari continentiae dono instructos, statuant se vocari ad matrimonium, remedium scilicet divinitus monstratum et comprobatum, quo pertinet illud Epiphanii libr. 2. advers. haeres. tom. 2. haeresi 61. contra Apostolicos in Graeco. fol. 222. in Lat. col. 426: *Melius est judicium quam condemnatio. Qui enim ut ne apud homines infamiam sibi conflent, occulte scortantes vel solitudinis, vel continentiae pactum ineunt, non hominibus, sed Deo pollicentur, qui novit occulta et redarguit omnem carnem in adventu suo, prout quisque peccavit. Melius est itaque unum peccatum habere et non plura. Melius est, lapsum a cursu palam sibi uxorem sumere secundum legem et a virginitate multo tempore poenitentiam agere et sic rursus ad ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum et fractum et obligatione opus habentem et non quotidie occultis jaculis sauciari ab improbitate, quae a diabolo ipsi infertur. Sic novit ecclesia praedicare. 3. Sicut non tenemur comedere, nisi quando periculum est, ne pereat individuum; ita non tenemur ducere uxorem, nisi quando periculum esset, ne species humana interiret.* Respondemus: finis conjugii non est unus ille, generis humani propagatio, sed etiam alter, videlicet scortationis evitatio; ergo si vel maxime respectu prioris finis nulla adest conjugii ineundi necessitas, tamen respectu posterioris adesse potest. Quemadmodum igitur edendum est, non solum quando periculum est, ne individuum intereat, sed etiam quando opera vocationis non potest absque sustentatione cibi commode obire; ita quoque conjugium ineun- XIII. 165.
dum, non solum quando periculum est, ne species intereat, sed etiam quando ob flammas ustrices impediuntur preces, quando periculum est ruinae ac tranquillitas conscientiae turbatur, tunc enim manifestum est, donum illud continentiae non haberi. Neque enim ad puritatem coelibatus sufficit solum corpus habere impollutum, quando enim cor aestuat et ardet libidine, ut voluntas succumbat et delectetur impuris cogitationibus, tunc non amplius locum habet definitio virginitatis, quae est, quod sit *sanctitas corporis et spiritus* 1. Cor. 7, v. 34. *4. Tunc fuit praeceptum singulis hominibus, ut conjugium inirent, quando terra erat vacua, ut in exordio mundi et mox a diluvio, nunc autem cum terra plena sit, coelum potius replendum est, quod fit melius continendo quam nubendo.* Respondemus: petitum hoc ex Tertulliano et Hieronymo, qui cum contumelia conjugii quandoque laudant coelibatum, ut suo loco demonstrabitur. *Bonum propagationis* etiam multiplicato genere humano non desinit esse finis conjugii, ad quem accedit *evitatio scortationis,* quem finem expresse addit apostolus 1. Cor. 7, v. 2. durante igitur finis alterutrius necessitate durat etiam conjugii necessitas, durante ratione legis durat lex ipsa. Christus doctrinam de conjugio revocans ad divinam institutionem Matth. 19, v. 4. docet, de jure divino et conjugii bono nihil esse in N. T. detractum. Ipse sua praesentia et divino miraculo nuptias cohonestavit Johan. 2, v. 2. conjugatos in collegium apostolicum adscivit Matth. 8, v. 14. 1. Cor. 9, v. 5. sextum decalogi praeceptum, quod fundamentum est vitae conjugalis, a variis corruptelis vendicatum diligenter exposuit Matth. 5, v. 27. liberos matrimonii fructus blande amplexatus est Matth. 19, v. 13. seque sponsum nostrum vocando Matth. 9, v. 15. Luc. 5, v. 34. in conjugio speculum divini erga ecclesiam amoris propositum esse docuit Os. 2, v. 19. Ephes. 5, v. 25. Absit igitur, ut N. T. tempore dignitati, utilitati ac necessitati conjugii quidquam detractum esse suspicemur. Et quid? an non in pio conjugio coelestis paradisi plantulae educantur ac formantur? an virginitas absolute meretur vitam aeternam, ut continendo melius quam nubendo coelum repleatur? *5. Si jure divino homines tenentur ad matrimonium, peccarunt Christus, Johannes, Maria, qui extra conjugium vixerunt.* Respondemus: nos non imponimus legem conjugii sine discrimine omnibus, sed illis, qui sentiunt ustiones, ac pugnamus, *legem coelibatus* non esse imponendam continentibus, multo minus illis, qui agnoscunt, se extra conjugium non posse caste vivere. Cuilibet dicimus esse donum suum a Deo datum 1. Cor. 7, v. 7. ideo quemlibet expendere debere suas vires et respicere suam vocationem. Pulchre Dudithius in demonstr. pro conjugio clericorum p. 54: *Jure naturae in humana vita matrimonium receptum, cum autem jure naturae communiter omnes homines uti possint, quid est, cur ejus usura certo hominum generi inter-*

dicatur? Postea addit: *Neque tamen ii sumus, qui necessario omnibus utendum hoc jure naturali censeamus, sed qui contendamus, neminem ab eo arcendum. Est enim naturae jus duplex: unum, quo utendum sit omnibus; alterum, a quo nemo prohibendus; cujus generis est matrimonium.*

5. Ex continentiae raritate. 336. 3. Quicunque non sunt continentiae dono praediti, illis apostolus praecipit, ut conjugium ineant 1. Cor. 7, v. 2. et 9. Jam vero multi ex ordine sacerdotum non sunt praediti dono continentiae. Ergo illis praeceptum est, ut conjugium ineant, et per consequens conjugium non est ordini sacerdotali penitus auferendum. Excipit Bellarminus 1. *Apostolum loqui de conjugatis, qui cum in paganismo uxores duxissent, post conversionem ad fidem dubitabant, an deberent uxoribus uti; illis respondet, ut unusquisque uxorem suam retineat et conjugale debitum invicem reddant. Tertullianus lib. de monogam. Hieronymus lib. 1. adv. Jovin.* Respondemus: si vel maxime concederemus, v. 2. de conjugatis apostolum loqui, tamen v. 9. expresse loquitur de *non nuptis ac viduis*, de quibus disertis verbis asserit,
XIII. 166. quod *bonum quidem sit*, eas *sic permanere*, interim *si non contineant*, debere nubere, cum *melius sit nubere quam uri.* Sed nulla necessitate cogimur limitationem illam v. 2. admittere, apostolus enim in toto illo capite generaliter disputat de conjugio ac coelibatu, v. 1. indefinite pronuntiat: *Bonum est homini mulierem non tangere*, id est non ducere uxorem, sed postea v. 3. addit correctionem, *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat et unaquaeque suum virum habeat*, ubi τὸ ἐχέτω de ipso conjugii contractu loquitur. Non erat a Corinthiis proposita quaestio, an mariti deberent uxoribus cohabitare, sed an coelibes personas eo rerum statu matrimonii vinculis illigari conveniens sit; ubi apostolus respondet, esse quidem καλόν, commodum et utile propter *praesentem necessitatem* mulierem non *tangere*, id est non habere, ut exponitur v. 2. sed non omnes ad coelibatum esse aptos, ideo propter ἀταξίαν καὶ ἀκρασίαν, quae ex lapsu primorum parentum in natura hominum invaluit, et propter periculum fornicationis conjugium esse ineundum omnibus illis, qui sentiunt, se dono illo continentiae non esse instructos, quippe cum in hac naturae fragilitate conjugium non solum sit medium propagandi genus humanum, sed etiam remedium adversus vagas libidines; *ante lapsum fuit officium, sed post lapsum fuit remedium.* Lyranus in comm.: *Apostolus instruit his verbis Corinthios de matrimonio contrahendo. Aliqui zelum habentes, sed non secundum scientiam, in detestationem fornicationis etiam matrimonium contemnebant, et aliqui faciebant hoc ex hypocrisi, ut magis eis tanquam sanctioribus crederetur, hoc autem videbatur durum Corinthiis fidelibus, ideo super hoc scripserunt apostolo, ad quod hic respondens ostendit primo, quid sit perfectionis, secundo quid necessitatis. Bonum est homini, hoc est perfectum, mulierem non tangere, sed simpliciter continere. Licet autem majoris perfectionis sit concupiscentiam superare totaliter per continentiam, tamen haec perfectio non potest in omnibus esse, sed in paucioribus propter pronitatem ad sequendum concupiscentiam, unde dicit Salvator: Non omnes capiunt verbum hoc. 2. Non esse praeceptum apostoli, sed consilium vel promissionem potius, ut sit sensus juxta Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosii et aliorum in hunc locum expositionem, bonum est mulierem non tangere et vel uxorem non ducere, vel post eam ductam ex consensu ab officio conjugali abstinere; tamen si timetis fornicationem, bene facitis uxori adhaerendo, quia melius est carere perfectione virginitatis quam incidere in flagitia fornicationum.* Respondemus: recte facit Bellarminus, quod priorem responsionem deserit concedens, de matrimonio contrahendo verba apostoli accipi posse, cum periculo forinicationum non soli conjugati ab usu conjugii abstinentes, sed etiam soluti ac coelibes dono continentiae destituti sint obnoxii. Negamus vero, in verbis apostoli esse duntaxat *permissionem*, illis enim, qui continere non possunt, praecipitur, ut remedio divinitus instituto utantur, praecipitur enim illis, ne fornicentur; proinde illis, qui continere non possunt, nec consulendus, nec praecipiendus est coelibatus. Valde probamus illud Bellarmini, *quod melius sit carere perfectione virginitatis quam incidere in flagitia fornicationum*, ergo illis, qui se continere non possunt, sed periculo fornicationis obnoxii sunt, non est imponenda lex de virginitate, sed permittendum conjugium. *3. Haec omnia dici iis, qui votum continentiae non habent. Qui enim voverunt continentiam, illis non dicitur, unusquisque uxorem suam habeat, et virgo si nupserit, non peccat; sed dicitur, redde Altissimo vota tua, quam exceptionem ponunt veteres.* Respondemus: votum illud perpetuae continentiae, praesertim a juvenibus personis indiscrete emissum, dicimus esse temerarium, cum nemo certus esse possit, quod perpetuo illud donum sit habiturus, propterea non debet conjugium abjurare ac libertate divinitus concessa sese privare. Sunt enim quaedam dona omnibus piis communia et necessaria, ut fides, spes, caritas etc. de illis exstant promissiones, *dona Dei* sunt ἀμεταμέλητα Roman. 11, v. 29. *qui incepit opus bonum, idem etiam perficiet* Philip. 1, v. 6. sed sunt dona alia extraordinaria, quae non sunt omnibus XII
piis necessaria, de illis non est talis certitudo, cumque ad classem posteriorem pertineat donum continentiae, ideo ex hoc fundamento disputat apostolus, *nemini injiciendum esse laqueum*, *praeceptum Domini sese non habere*, *junioribus viduis esse nubendum*, ac 1. Tim. 5, v. 12. ostendit exemplo juniorum viduarum, multis esse occasionem tristissimae ruinae, quod sine diligentiore examine, cum donum continentiae non haberent, genus vitae coelibis arripuerunt, ideoque in collegium viduarum, quibus in hoc statu manendum, non vult allegari nisi sexagenarias, in ea enim provectiore aetate ustio exstinguitur, ut continere possint. De hoc coelibatus voto uberius in tract. de conjugio agetur.

337. 4. Continentiae donum est singulare et non omnibus commune. Matth. 19, v. 11: *Non omnes capiunt verbum hoc, quibus datum est.* 1. Cor. 7, v. 7: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Ergo non debuit indifferenter omnibus clericis coelibatus imponi. Excipit Bellarminus: 1. *Sicut non omnium est donum continentiae, ita nec omnes debent esse sacerdotes, sed solum ii, qui videntur hoc donum habere.* Respondemus: falsum est, quod illi solum eligendi sint in sacerdotes, qui dono continentiae praediti sunt, docet enim apostolus, eligi etiam posse eum, qui est *unius uxoris maritus.* Praeterea multi videntur et sibi, et aliis, se hoc donum habere, sed postea quando ordines susceperunt, contrarium experiuntur, ergo non debent se ad perpetuum coelibatum voto quodam obstringere et remedium divinitus monstratum temere repudiare. *2. Illi habent donum continentiae, qui volunt et cupiunt continere, quibus autem Deus dedit velle, dabit etiam perficere, si ipsi velint.* Respondemus: fidem et preces oportet niti certo verbo promissionis, jam vero Deus nuspiam in genere omnibus donum continentiae promisit. Ergo etiam non potest esse fiducia in precibus pro impetrando illo dono ad Deum fusis. Negari certe nequit, multos uri etiam invitos et contra suam voluntatem, ergo illorum respectu non sunt perpetuo connexa τὸ *velle et perficere.* Quemadmodum Deus illas preces exaudit, quae secundum voluntatem ipsius concipiuntur 1. Joh. 5, v. 14. ita illud velle a Deo proficisci judicandum, quod est conforme divinae voluntati, jam vero divina voluntas haec est, ut illi, qui uruntur, remedio conjugii divinitus monstrato utantur 1. Cor. 7, v. 9. Christus diserte inquit: *Non omnes capiunt verbum hoc* Matth. 19, v. 11. ergo in hominis voto ac voluntate non est, ut perpetuo sit continens extra conjugium. Si propria voluntate, labore ac precum assiduitate obtineri posset continentia et sic omnibus esset possibilis, qui ad eam adspirant, quare Christus dicit, *non omnes esse hujus dicti capaces?* Aut igitur monstrent precum suarum pro continentiae perpetuae dono effusarum mandatum ac promissionem in verbo, aut si his destituuntur, agnoscant, esse temeritatem et tentationem Dei, quod spreto medio ordinario audeant petere extraordinarium ac Deo praescribere modum, quibus ornari velint donis extraordinariis. Huc pertinet illud Dionysii Corinthiorum episcopi, qui in epistola ad Gnosios circa annum Christi 170. referente Eusebio lib. 4, hist. eccles. c. 23. Pinytum ecclesiae illius episcopum admonuit, *ne grave onus castitatis fratribus* (comministris) *ex necessitate imponeret, sed multorum imbecillitatem accurate consideraret;* itemque illud Ignatii Dionysio antiquioris in gnomologio Graeco lib. 1, c. 14: *Coelibatus jugum nemini imposueris, est enim res periculosa et custoditu cum obtinetur difficilis, quando ex necessitate servatur. 3. Etiam conjugati saepe coguntur vel propter absentiam, vel propter aegritudinem longissimam conjugis abstinere se ab uxore, et tamen non licet eis aliam uxorem ducere, quantumvis urantur aestu libidinis.* Respondemus: est ratio dispar, ibi enim alter conjugum certo statuere potest, se divinitus vocari ad continentiam, cum juxta ipsius Dei ordinationem conjugium sit individua vitae societas, ergo preces in tali casu nituntur divina voluntate. XIII. 166.
Alia vero est ratio eorum, qui non ex necessitate a Deo immissa, nec ex conditione suae vocationis divinitus imposita, sed ex libera voluntate vel ex pontificis praescripto a conjugio abstinent. Quod si vel maxime ustiones quasdam tales conjuges adhuc sentiant, tamen fide earum condonationem petere possunt, cum sciant, nullum aliud sibi propositum esse medium quam preces, temperantiam et periculorum evitationem, sed hac fide coelibes, qui uruntur, non possunt Deum invocare, cum negligant medium conjugium divinitus ordinatum. *4. Nemo est, qui continere non possit, si velit, ut docent patres, sed oportet media necessaria non negligere, quae tria sunt, oratio, jejunium et periculorum evitatio.* Respondemus: manifesta sunt verba Christi: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est,* et Pauli: *Alius donum suum habet sic, alius vero sic,* quibus conformes sunt quorundam patrum sententiae, ut suo loco videbimus. Orationem, jejunium et periculorum evitationem non in virginali, sed etiam conjugali castitate requiri dicimus, absit igitur ut haec media plane improbemus, sed negamus, media illa ad continentiam virginalem perpetuo et in omnibus sufficere, sed requiri insuper peculiare continentiae donum divinitus et extraordinarie datum, id quod testantur exempla *Benedicti* in spinis, *Francisci* in frigidissimis nivibus se volutantium, *Hieronymi* inedia fere consumti et tamen chorearum Romanarum fixe recordantis. Quando ergo aliquis amator et admirator coelibatus sentit calorem concupiscentiae, quando titillationibus venereis tentatur, oratione, temperantia, jejunio, laboribus et omni diligentia debet repugnare, turpes motus reprimere, impuras cogitationes praecidere, occasiones vitare etc. quando vero incendia libidinis illa diligentia non possunt exstingui vel reprimi, sed accidit illud poetae:

— — — *Est mollis flamma medullas.*
Vulnus alit venis et coeco carpitur igni.

item:

Quoque magis premitur, tanto magis aestuat ignis.

breviter quando est periculum ruinae vel tranquillitas conscientiae et invocatio turbatur, tunc scire potest, se donum illud peculiare non habere, ideo utatur remedio contra ustiones divinitus monstrato. Apostolus enim illis, qui uruntur, non praescribit exercitia precum, jejuniorum, laborum, sed vult eos nubere, ac 1. Tim. 5, v. 11. annotat, experientiam sui temporis illam persuasionem refutasse, quod quilibet modo velit, precetur et annitatur, continere possit, ideo non dicit, *volo, juniores viduas* anniti, conari, precari, sed volo, eas *nubere* addita ratione, *ne occasio detur adversario.* Nec rectius intelligi

potest hoc argumentum quam ex ipsa praxi, quae de fructu temerariorum illorum votorum et coacti coelibatus luce clarius testatur.

5. Ex legis de coelibatu incommoditate.

338. 5. Quod parit prodigiosas libidines, mundum concubinis et ecclesiam scandalis replet, merito detestandum. Coactus ille clericorum coelibatus tales fructus profert. Ergo. Ássumtum multis confirmari potest. c. Quidam. dist. 81. *Quidam clerici legitimum non habentes conjugium extranearum mulierum vel ancillarum suarum, quae interdicta sunt, consortia appetunt.* Polydorus Virgilius lib. 5. de rerum inventorib. c. 4: *Illud tamen dixerim, tantum abfuisse, ut ista coacta castitas illam conjugalem vicerit, ut etiam nullius delicti crimen majus ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis impresserit, attulerit, quam sacerdotum libidinis labes, proinde forsitan tam e reipublicae Christianae, quam ex ordinis usu esset, ut tandem aliquando jus publici matrimonii sacerdotibus restitueretur, quod illi sine infamia sancte potius colerent, quam se spurcissime ejusmodi naturae vitio turpificarent.* Anno 1523. proceres imperii in comitiis
XIII. 169. Norimbergensibus coram legato Pontificio de clericorum libidinibus graviter fuere conquesti. Sleidanus lib. 4. histor. refert, Campegium cardinalem ad legàtos Argentinenses dixisse, scire se episcoporum hunc esse morem, ut accepta pecunia scortationem suis permittant. Legatus Bavaricus in oratione ad patres Tridentinos anno 1561. habita sic loquitur: *Clerus noster gulae libidinibusque indulget, ac quasi velit in contemtum Dei hominumque omni genere vitiorum se coopertum potius palam cognosci quam minima aliqua in re emendatum animadverti, ut cetera cleri vitia, quae cum populo habet communia, taceantur, at certe libido illa nimis libera atque notoria, propter quam is nunc potissimum infamis habetur, a plebe irritatoque populo alienissima esse judicatur.* Idem testatur Claudius episcopus Espencaeus domesticus testis in comment. Tit. 1.: *Turpissimum est* (inquit), *quod officiales permittunt, clericos cum concubinis, meretricibus et pellicibus cohabitare, liberos procreare sinunt, accepto ab iis certo quotannis censu atque adeo alibi a continentibus, nam habeant, ajunt, si velint.* Comprobat hoc ipsum sua fide Cornelius Agrippa lib. de vanit. scient. c. 64: *Sic ergo illos supputantes aliquando audivi: Habet ille duo beneficia et tres meretrices, solvat, et censum a sacerdotibus pro concubinatu quotannis extorquent, ut apud plebem ipsam in proverbium abierit illa eorum concubinaria actio, sive lenocinium, cum dicunt, habet aut non habet aureum, solvat et habeat, si velit.* Testatur experientia ob oculos omnium posita, id quod Arnobius lib. 8. de puritate coelibatus sacerdotum gentilium scripsit, in plerosque Pontificios sacrificulos quadrare: *Impunitatem* (inquit) *fecit non castitas tutior, sed impudicitia felicior. Ubi autem magis a sacerdotibus quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in aedituorum cellulis quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Barlette olim in Galliis praedicator in sermone fol. 262. col. 2: *O quot luxuriae! o quot sodomiae! o quot fornicationes! clamant latrinae, latibula, ubi sunt pueri suffocati. Utinam haberemus aures apertas et audiremus voces puerorum in latrinis suffocatorum et in fluminibus. Ad omnes diabolos, talis modus faciendi. Taceo de adulteriis, stupris et incestibus, peccatis etiam contra naturam. O naturae destructores, o bestiis deteriores!* **Johannes cardinalis cum Pontificia auctoritate anno 1135. in synodo Londinensi conjugium sacerdotum Angliae prorsus damnaret, mirabili judicio Dei sequenti nocte cum scorto in lecto deprehensus captus fuit, referente Balaeo. Anshelmus archiepiscopus Cantuariensis primus fere, cum id frustra aliquoties tentatum fuisset a Britwaldo, Odone, Dunstano, conjugiis interdixit Anglorum sacerdotibus, *quod*, ait Henricus Huntingdonus, *quibusdam mundissimum visum, quibusdam periculosissimum, nedum munditias viribus majores appeterent, in immunditiės horribiles ad Christiani nominis summum dedecus inciderent.* Horum praesagium proximus statim annus confirmavit, qui nova decreta Anshelmo expressit ad compescendas sodomiticas libidines, quae in locum legitimi conjugii successerant, ut refert Balaeus cent. 3. qui idem cent. 8. et 9. multa monstra libidinum ab Henrico VIII. in perfossis monasteriis inventa et detecta enarrat. Experientia ducti quidam rustici nolebant parochum admittere, nisi concubinam haberet, ut refert Barbat. in c. at si Clerici de judic. quod a coelibe timerent uxoribus suis. *Nullum enim unquam clericum de frigiditate conquerentem se audivisse,* narrat Joh. Andreae ad Specul. t. de sponsalibus §. 1. Cum quaedam concilia referente Aventino clericis concessissent matrum et sororum cohabitationes, ut de quibus nulla esse posset suspicio, postea compertum fuit, coelibatum sacerdotum tam castum esse, ut nec matres, nec sorores inire dubitaverint, ut testatur Specul. in tit. de test. §. Proponitur. De interdicto Hildebrandi sic memorat Aventinus: *Grata illa lex erat quibusdam clericis, quibus pro una uxore jam sexcentas licebat inire mulierculas.* De multitudine concubinarum testatur Naeviz. lib. 1. silv. nupt. num. 128. Johan. Faber instit. de jure person. §. penult. inquiens: *Si verum est, quod filii episcoporum usque ad subdiaconum sunt servi ecclesiae, Deus bone, quot essent hodie servi?*** Quod ergo Bernhardus serm. 66. sup. Cant. in genere dicit: *Tolle de ecclesia honorabile concubium et torum immaculatum, nonne reples eam concubinariis,* XI
incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus et omni denique genere immundorum? Idem in specie de ordine ecclesiastico dicimus: Tolle ex eo conjugii ineundi libertatem, et replebis illum concubinariis etc. Excipit Bellarminus: 1. *non coelibatum, sed abusum coelibatus talia parere, fructus enim colibatus sunt cogitare quae Dei sunt, sanctum esse corpore et spiritu sine intermissione Domino assistere. Jam vero propter abusum non*

sunt res bonae tollendae, alias etiam coelum et terra abolenda essent. Respondemus: distinguendum inter coelibatum liberum eorum, qui dono continentiae sunt instructi, et coelibatum coactum eorum, qui uruntur; illum probamus hunc detestamur propter fructus, quos producit. Tertullianus lib. de vel. virg. non procul a fine p. 499: *Non confitebuntur nisi ipsorum infantium suorum vagitibus proditae. Quantum autem plures non etiam de pluribus sceleribus suspectas habebis? dicam, licet nolim. Difficile mulier semel fit, quae timet fieri, quaeque jam facta potest virginem mentiri sub Deo; quanta item circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus, quot jam infantes et perfici et perduci ad partum integros duxerit debellatos aliquamdiu matribus. Facillime semper concipiunt hujusmodi virgines et felicissime pariunt et quidem simillimos patribus. Haec admittit flagitia coacta et invita virginitas* etc. Nequaquam igitur coelibatum in personis idoneis improbamus, sed legem coelibatus impositam indifferenter omnibus clericis, etiam illis, qui ustiones sentiunt. 2. *Non sunt tot concubinarii et impuri inter clericos, plurimi enim sunt, qui quotidie celebrant, et de quibus nulla mala suspicio auditur.* Respondemus: dies extremus coacti illius coelibatus fructus manifestabit. Testantur de illis querelae publicae ipsorum Pontificiorum, quarum quasdam exposuimus superius, quibus plures paulo post addemus.

stola ulrici. 339. Ac quid multis? Exstat in orthodoxographis p. 481. epistola Udalrici episcopi Augustani ad Nicolaum papam, in qua narrat, *Gregorium Magnum suo quodam decreto sacerdotibus aliquando uxores ademisse, cum vero paulo post jussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscatores pro piscibus sex millia capitum infantium suffocatorum reperisse, quam caedem infantium cum intelligeret Gregorius ex occultis fornicationibus vel adulteriis sacerdotum natam esse, continuo revocavit decretum et peccatum suum dignis poenitentiae fructibus purgavit, laudans apostolicum illud, melius est nubere quam uri, et de suo addens: Melius est nubere, quam mortis occasionem praebere.* Excipit Bellarminus: 1. *auctoritate illius epistolae nos magis premi, cum Romanus pontifex in ea dicatur caput omnium, quique debeat cogere presbyteros et monachos, ne uxorem ducant et si duxerint, debere separari.* Respondemus: non statim approbare cogimur errores personae, si acceptemus veritatem facti, quam narrat. Udalricus ille reprehendit pontificem ob decreta de clericorum continentia a discretione aliena, ergo non existimavit, pontificem esse ἀνυπεύθυνον, ab errandi periculo immunem, nec judicavit absolute et simpliciter sine examine decretis ejus obtemperandum. *Non parum* (inquit) *a sancta discretione deviasti, cum clericos, quos ad continentiam conjugii monere debebas, ad hanc imperiosa quadam violentia cogi volebas. Numquid enim merito communi omnium sapientium judicio haec est violentia, cum contra evangelicam institutionem ac Spiritus sancti dictationem ad privata aliquis decreta cogitur exsequenda?* Et postea: *Non quanta possumus gravitate, istam licet gravissimam negligentiam tuam corripimus et judicamus.* Ergo ignotum fuit Udalrico illud ἀξίωμα pontificis, quod nullus mortalium ipsum judicare debeat. 2. *Epistolam illam videri confictam, cum Udalricus creatus sit episcopus anno 924. ut Hermanus Contractus et abbas Urspergensis docent, vel anno 903. ut in chronico Augustanae ecclesiae scriptum, Nicolaus autem papa I. obierit anno 867. ut Onuphrius annotavit, ergo episcopus Udalricus non potuit scribere ad papam Nicolaum I. Nec duos posse statui* XIII. 171. *Udalricos episcopos Augustanos, cum hujus assertionis nullum exstet in historiis vestigium. Falsum esse, quod auctor epistolae illius asserit, Gregorium ademisse sacerdotibus uxores, magis falsum, quod decretum hujusmodi resciderit, falsissimum, quod in piscina Gregorii sex millia capitum sint inventa, cum in operibus Gregorii et aliorum historiis nulla fiat istius rei mentio* etc. Respondemus: Hedio parte 3. hist. eccles. lib. 8. c. 12. duos Udalricos in catalogo episcoporum Augustanorum ponit. Compilatio et chronologica an. 978. expresse testatur, quod duo fuerint Udalrici ejusdem nominis et paris sanctitatis episcopi Augustani; fieri igitur potest, ut de episcopo Udalrico loquantur Hermannus Contractus et abbas Urspergensis. Vixisse autem temporibus Nicolai papae quendam Udalricum Augustanum episcopum constat ex Jacobo de Voragine in historia Lombardica c. 202: *Udalricus* (inquit) *ex nobili Alemanorum genere ortus in monasterio S. Galli enutritur, ubi dum habitum vellet accipere, ab inclusa prohibetur dicente sibi, quod futurus esset episcopus in Augusta.* Item: *Post multa miracula anno Domini nongentesimo, aetatis suae octogesimo tertio, ordinationis quinquagesimo migravit ad Dominum.* Quare cum Udalricus iste anno 850. jam tum fuerit episcopus, Nicolai pontificis tum creationem, tum supremum diem videre potuit ac porro 33 annis superstes fuit. Onuphrius itidem in fastis pontific. anno 858. immediate sub Nicolai pontificatu Udalrici Augustani episcopi mentionem facit. **Epistola illa Hulderici ante mota de hac re certamina publici juris facta est ex bibliotheca Holandiae. Hedio lib. 8. hist. eccles. c. 12. et ipse Aeneas Sylvius in sua Germania ejus mentionem facit.** Nec potest falsitatis argui assertio de Gregorii decreto, nisi Bellarminus se ipsum mendacii arguere velit, superius enim c. 19. inter pontifices, qui sacerdotum conjugia prohibuerunt, numerat Gregorium lib. 1. epist. 42. et lib. 3. epist. 34. idem statuentem. Nec decretum illud Gregorii ad solam Siciliam pertinuit, sed peculiariter ad Siculos directum fuit, quia ibi minus observabatur, interim Romae et alibi non fuisse legem coelibatus sacerdotibus impositam ex eo colligi minime potest. Neve ulterius Bellarminus cavilletur, epistolam hanc esse confictam, notandum, quod Bertholdus Constantiensis presbyter in appendice Hermanni Contracti de synodo Romana Gregorio VII. pontifice habita anno Chr. 1070. sic

scribat: *In hac synodo papa presbyteros deinceps in fornicationem lapsos absque spe recuperationis deposuit. Et scriptum quod dicitur S. Udalrici ad papam Nicolaum de nuptiis presbyterorum et capitulum Paphnutii de eadem re, imo omnia sacris canonibus adversa damnavit.* Consequens igitur fuerit, jam tum Bertholdi aetate, qui sub Henrico IV. Gregorii contemporaneo floruit epistolam illam fuisse confictam. Sed quidquid sit de auctore vel tempore hujus epistolae, respondeat Bellarminus fundamentis in ea adductis: *Dominus* (inquit) *in veteri lege sacerdoti conjugium constituit, quod illi postmodum interdixisse non legitur, sed in evangelio loquitur, sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum, sed non omnes hoc verbum capiunt, qui potest capere, capiat. Quapropter apostolus ait, de virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, quod etiam juxta praedictum Domini non omnes hoc consilium capere posse consideras, sed multos ejusdem consilii assentatores, hominibus non Deo pro falsa specie continentiae placere volentes graviora vides committere; patrum scilicet uxores subagitare, masculorum ac pecudum amplexus non abhorrere, ne morbi hujus adspersione ad pestilentiam usque convalescente, nimirum status labefactetur ecclesiae totius, propter fornicationem, dixit, unusquisque suam uxorem habeat, quod specialiter ad laicos pertinere idem mentiuntur hypocritae, qui licet in quovis sanctissimo ordine constituti, alienis revera uxoribus non dubitant abuti, et quod flendo cernimus, omnes in*
XIII. 172. *supradictis saeviunt sceleribus. Hi nimirum non recte Scripturam intellexerunt, cujus mammillam, quia durius pressere, sanguinem pro lacte biberunt.* Postea excipit Udalricus eos qui continentiam professi sunt, quos post votum matrimonio junctos jubet ab ordine deponi, quod ex seculi illius moribus ei adhaesit, deinde addit: *Verum ut hujus voti nescios omnino scias non esse cogendos, audi apostolum dicentem ad Timotheum: Oportet episcopum irreprehensibilem esse unius uxoris virum, quam ne quis sententiam ad solam ecclesiam verteret, subjunxit: Qui autem domui suae praeesse nescit, quomodo ecclesiae Dei diligentiam habebit? Similiter, inquit, diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene praesint et suis domibus.* Paulo post prohibitionem conjugii vocat *periculosum haeresis decretum.* Sub finem concludit: *Quid veritati magis contrarium potest inveniri, quam hoc? cum ipsa veritas de continentia loquens non unius hominis, sed omnium plane excepto numero professorum continentiae dicat: Qui potest capere, capiat, quod isti, unde nescitur, instigati dicant: Qui non potest capere, feriatur anathemate. Quid vero per homines fieri potest stolidius? quid divinae maledictioni obligatius? quam cum aliqui, vel episcopi videl. vel archidiaconi, ita praecipites sint in libidinem, ut neque adulteria, neque incestus, neque masculorum proh pudor turpissimos amplexus sciant abhorrere, quod casta cleriorum conjugia sibi dicant foetere, ab eis non verae justitiae compassione clericos ut conservos cogant vel moneant continere, sed ut servos jubeant ac cogant abstinere. Ad cujus imperii, ne dicam consilii, tam fatuam tamque turpem addunt suggestionem, ut dicant: Honestius est pluribus occulte implicari quam aperte in hominum vultu et conscientia cum una ligari, quod profecto non dicerent, si ex illo et in illo essent, qui dicit: Vae vobis Pharisaeis, qui omnia facitis propter homines; et per psalmistam: Quoniam hominibus placent, confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos. Hi sunt homines, qui prius deberent nobis persuadere, ut in conspectu ejus, cui omnia nuda et aperta sunt, erubescamus peccatores esse, quam in conspectu hominum mundi esse* etc. *Hic est autem, si diligenter inspiciatur, totius eorum manipulus zizaniae, totius conventus insaniae, ut dum clerici licita unius mulieris consortia Pharisaico devicti, quod absit, furore relinquere coguntur, fornicatores et adulteri et aliarum pravitatum turpissimi ministri cum ipsis efficiantur.* Haec omnia Udalricus, ad quae fundamenta solide respondeat Bellarminus, cui ne videatur ἄτοπον in uno Gregorii vivario tot crania infantum esse inventa, addimus, patrum memoria simile quid accidisse, quando in comitatu Mansfeldensi in oppido Gerbstädt in piscina prope monasterium inventa fuere trecentorum submersorum infantum crania. **Lutherus in comment. c. 4. Gen. p. 54. *epistolae Udalrici ac inventorum sex mille capitum infantilium in vivario Romano* meminit et addit: *Simile exemplum nostra aetate accidit. Cum moniales in Austriae vico Closter Neumburg propter turpem vitam cogerentur mutare locum et monasterium Franciscanis habitandum concessum esset atque illi pro sua commoditate quaedam aedificia mutarent, inventae sunt in fundamentis novis duodecim ollae, quarum singulae cadaver infantis habebant. Hujusmodi infinita alias passim acciderunt. Romae quoque propter copiam puerorum expositorum erecta sunt monasteria, quorum pontifex pater dicitur, et antecedunt eum proximi in processionibus publicis. Taceo infinita alia, quae animus dicere reformidat.* **

340. 6. In quocunque statu vixerunt ac Deo 6. A emp pari
placeuerunt *patriarchae, prophetae ac sacerdotes V. T.* ille nihil derogat sanctitati ministerii ecclesiastici. Sed in statu conjugali vixerunt ac Deo placeuerunt patriarchae, prophetae ac sacerdotes V. T. Ergo status conjugalis nihil derogat sanctitati ministerii ecclesiastici. Assumtum constat, quia Adam, Seth, Enos, Enoch, qui cum Deo ambulavit, Noah vir justus et perfectus, Sem, Abraham pater credentium, Isaac, Jacob, Joseph, Aaron et cuncti sacerdotes V. T. multi etiam ex prophetis, Moyses, Samuel, Ezechiel etc. in conjugio vixerunt. Chrysostomus hom. 21. in Gen. de Enocho sic scribit: XIII
Audiant mariti et uxores et discant justi virtutem, nec putent, nuptias in causa esse, quo minus quis Deo placeat. Nam idcirco divina Scriptura semel atque iterum id significavit dicens: Genuit Mathu-

sala et tunc placuit. Et idem ingeminat ac repetit dicens: Et placuit, postquam genuit; ut ne quis arbitretur, obstaculum virtutis esse conjugium. De Noaho in eadem homil. subjungitur: *Vide iterum alium justum cum uxore et filiis, qui bona operando placuit Deo et displicentem omnibus virtutis viam elegit, et neque nuptiis, neque filiorum educatione prohibitus est.* Index expurgat. Belgicus p. 27. intonat: *Prophetas omnes uxores habuisse, ex indice Chrysostomi deleatur.* Idem habet index expurgat. Hispan. p. 169. sed cur in indice expungunt, cum textus exstet disertus apud Chrysostomum homil. 56. in Matth.: *Prophetae omnes et domos et uxores habebant, sicut Esaias et Ezechiel et eximius ille Moyses, et nihil hinc virtuti eorum fuit impedimento.* Idem in serm. de evang. *Nuptiae factae sunt* tom 5. oper.: *Vis cognoscere, quod nihil nocet habere uxorem ac liberos? Moyses nonne uxorem habuit et liberos? Helias nonne virgo erat? nonne Moyses manna e coelo adduxit? nonne Helias ignem de coelo deduxit? nonne Moyses coturnices advolare fecit? nonne Helias verbo coelum clausit? nonne Moysi Deus locutus est? nonne et cum Elia conversatus est? an nocuit huic virginitas? an impedimento illi fuerunt uxor et liberi?* Excipiunt, *prophetas non jussos sacrificare, ideo matrimonium illis relictum fuisse liberum.* Respondemus: non soli prophetae, sed etiam sacerdotes in conjugio vixerunt, quinimo Deus expressam ordinationem proposuit, quod sacerdos virginem debeat ducere, Lev. 21, v. 14. cujus rei Philo lib. de monarchia varias affert rationes, sed peregrinas, procul dubio respectus fuit habitus ad Christum unicum N. T. sacerdotem, cujus sponsa ecclesia fidei virginitate debet esse conspicua 2. Cor. 11, v. 2. Praeterea nec N. T. ministri habent peculiare aliquod externum sacrificium, ob cujus administrationem a conjugio abstinere debeant. Denique officium prophetarum fuit vere divinum et sanctum, illud ergo si non fuit vel contaminatum, vel impeditum per matrimonium, utique nec N. T. ministris fraudi esse debet, si conjugium inire velint. Neve excipiant, *aliam esse rationem ministrorum in V. aliam in N. T.* jubemus, ut producant expressam prohibitionem, qua N. T. ministris conjugium sit ademtum, addimus etiam argumentum.

›n- 341. 7. Quemcunque vitae statum Christus in N. T. sua praesentia et munere amplissimo honoravit, ab eo nemo sub specie majoris sanctitatis est arcendus. Sed Christus statum conjugalem in N. T. sua praesentia et munere amplissimo, adeoque primo suo miraculo honoravit Joh. 2, v. 1. et seqq. Ergo nemo ab eo sub specie majoris sanctitatis est arcendus. Excipiunt, *Christum ad nuptias illas venisse, ut Johannem evangelistam sponsum a sponsa abduceret,* quod probant ex Abdia Babylonio lib. 5. fol. 69. ubi Dominus ad Johannem dixisse commemoratur: *Nisi meus esses, permitterem tibi uxorem ducere.* Respondemus: figmentum illud Abdiae pugnat cum Dei verbo, quasi non possit esse Christi, qui uxorem ducit, ac quasi liceat sponsum a sponsa abstrahere, cum tamen Deus praeceperit, virum ab uxore non separari 1. Cor. 7, v. 10. Idem etiam figmentum evangelistae injuriam facit ac fidem ejus in dubium vocat, non enim hac ratione nuptiis auctoritatem conciliasset, si Christus eas in ipso damnasset. Nec vetustiores patres hujus separationis mentionem faciunt, sed potius dignitatem conjugii ex historia colligunt. Augustinus tract. 8. in Joh.: *Utique ad cujus nuptias, ut eas honoraret, venerat, is ideo ducebat uxorem, ut filios procrearet.* serm. 41. de temp.: *Interfuit nuptiis, ut concordiae jura firmaret, interfuit nuptiis et commessationes non renuit nuptiarum, ut psalmos et tympana ad Dei Patris gloriam provocandam concitaret.* Cyrillus lib. 2. in Joh. c. 22: *Honeste celebratis nuptiis tam* XIII. 174.
mater, quam ipse invitatus adest, ut quantum ad carnem nativitatis nostrae principium sanctificaret. Quia enim in doloribus parere filios ad mulierem propter peccatum dictum fuit, quomodo aliter haec depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum sanctimonia videretur quam Salvatoris praesentia? Chrysostomus in serm. de evang. *Nuptiae factae sunt: Vocatus est Jesus ad nuptias. Venit, vel non venit? certum, quod venit. Quodsi venit, quomodo ergo nuptiae malae? non potes excusare. Ego autem non dico, quod tantum venerit, sed etiam quod dona secum attulerit. Aquam in vinam mutavit. Ne excuses te propter nuptias. Dominus tuus nuptiis interfuit et tu nuptias arguis et dicis, nuptias esse obstaculum ad pietatem, nullum enim ad pietatem est obstaculum,* Ex quibus constat, quantum fidei Abdiae illi fictitio sit tribuendum; editus est ille liber ante annos non ita multos a Wolffg. Lazio et proponit fabulas de interfecto a leone eo, qui Thomam percusserat, de cane, qui ejusdem viri manum ad mensam attulit, de Maximilla Egetis conjuge etc. quas Augustinus de fide contra Manich. c. 38. a Manichaeis confictas asserit, ac lib. contra Adimant. c. 17. lib. 1. contra adv. legis et prophet. c. 20. nunquam ab ecclesia recepta esse dicit, unde Molanus lib. 1. de fide haeret. serv. cap. 6. scriptorem illum vocat *spurium et mendacem.* Vide Ivell. in duplic. adv. Harding. art. 1. sect. 5.

342. 8. Matrimonium ex hypothesi Pontificiorum est sacramentum. Jam vero qui ad sacramentum aliquod recipiendum idoneus est atque id suscipere desiderat, non est ab eo arcendus. Ergo nec sacerdotes a matrimonio sunt arcendi. Item: sacramenta sibi invicem non repugnant. Matrimonium et ordo ex hypothesi Pontificiorum sunt sacramenta. Ergo sibi invicem non repugnant, sed in uno eodemque subjecto convenire possunt. *In omni sacramento proprie sic dicto confertur gratia,* scribit Bellarminus lib. 1. de sacr. in genere c. 9. cur ergo gratia hujus sacramenti se ipsos privant? Si datur in conjugio sanctificatio, cur actum conjugalem dicunt tam immundum, ut sacerdotum ministeria contaminet?

8. Ex hypothesi Pontificia de sacramenti utilitate.

9. Ex legis de coelibatu origine. 343. 9. Quodcunque a gentilium superstitione originem trahit et ex ethnicismo in ecclesiam introductum est, merito debet repudiari. Lex coelibatus sacerdotum a gentilium superstitione originem trahit et ex ethnicismo in ecclesiam introducta est. Ergo. Assumtum probatur. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. circa fin. refert, *hierophantas Atheniensium cicutae sorbitione castrari et postquam in pontificatum fuerint electi, viros esse desinere;* lib. 2. contra Jovin. ex Chaeremone Stoico de sacerdotibus Aegypti commemorat, *quod nunquam mulieribus se miscuerint;* Alexander ab Alexandro lib. 4. gen. dier. c. 17. de sacerdotibus Cybeles literis prodidit, *quod terrae Samiae testa castrare se fuerint soliti.* A gentibus ad Essaeos in Judaismi declinatione eadem lex promanavit, constat enim ex Josepho lib. 15. antiq. c. 13. et Eusebio de praepar. evang. lib. 8. c. 4. ὑπεροψίαν γάμου, *nuptiarum contemtum*, apud illos viguisse. Ab Essaeis ad Montanistas, Encratitas, Marcionitas et Manichaeos descendit, ac tandem in ipsa ecclesia erroris hujus semina relicta sunt coelibatus jugo ecclesiasticis ministris imposito, unde Siricius epist. 4. in prohibitione conjugii provocat ad gentilium assensum: *Tollatur* (inquit) *hoc opprobrium, quod potest jure etiam gentilitas accusare.* Atque hactenus primam argumentorum classem contra prohibitionem conjugii sacerdotum produximus, quam Dn. D. Mentzerum secuti huic syllogismo includimus. Quicunque vitae status 1. a Deo ipso universo hominum generi institutus et commendatus est; 2. et exornatus multis modis et benedictus, 3. et certis legibus divinis et humanis munitus; 4. ad quem ipsa natura homines format; 5. in quo pie et sancte vixerunt multi viri Dei, patriarchae, prophetae, evangelistae et apostoli,
XIII. 175. 6. quem etiam in N. T. singulariter approbavit et confirmavit multis rationibus ipse Christus Salvator noster, 7. itemque sancti apostoli; 8. in quo nihil est, quod per se repugnet fidei Christianae, sanctae orationi, divinis in ecclesia officiis vel pietati, sed potius est pulcherrima schola quarumvis verę Christianarum virtutum; 9. et sine quo genus humanum, ex quo ecclesia Christi in his terris colligitur, honeste et legitime propagari et conservari non potest, 10. qui praestat ingentia bona tum reipublicae, tum singulis hominibus; 11. adeoque etiam plenus est variorum argumentorum divini erga ecclesiam amoris et conjunctionis, 12. Deoque summe displicet, quidquid huic ordini adversatur: ab eo vitae statu nemo hominum, quem idoneum ad illum Deus fecit, arceri sive rebelli debet. Conjugium est talis vitae status. Ergo a conjugio Christiano nemo hominum, quem idoneum ad illud Deus fecit, arceri sive repelli debet.

3. Ex canonibus conciliorum. 344. Tertiam argumentorum classem ducimus ex canonibus conciliorum, 1. Canon sextus apostolorum a Clemente Romano editus sic habet: *Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam religionis obtentu abjiciat, si vero rejecerit, excommunicetur, sed si perseveraverit, dejiciatur.* Can. 40. apostolorum episcopis de privatis suis rebus per testamentum disponendi potestatem facit, *propterea quod aliquando evenit, ut uxorem habeant aut filios aut propinquos aut servos.* Huc pertinet etiam illud ejusdem Clementis Romani, quem Petri discipulum ac successorem esse volunt lib. 2. const. Apost. c. 2: *Episcopus eligatur, si uxorem honestam habeat vel habuerit, si filios religiose educatos et in disciplina Domini institutos produxerit.* lib. 6. c. 17: *Episcopum et prespyterum ac diaconum dicimus unius uxoris virum debere constitui, sive vivant eorum uxores, sive decesserint.* Excipit Bellarminus lib. 1. de cler. c. 21. *intelligendum hoc de cura quoad victum et vestitum, non autem quoad torum.* Atqui apostolus ostendit, legitimam conjugem etiam contemni, si ὀφειλομένη εὔνοια illi denegetur. 1. Cor. 7, v. 3: *Uxori vir debitam benevolentiam reddat, similiter et uxor viro.* v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* v. 5. *Nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi ac jejunio.* Inde in concilio Gangr. c. 14. statuitur: *Si qua mulier derelicto viro discedere voluerit soluto vinculo conjugali nuptias contemnendo, anathema sit;* ac sexta synodus canonem apostolicum diserte de cohabitatione cum uxore accipit, ut infra apparebit. 2. Nicaena synodus voluit introducere hanc legem, ut episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi cum conjugibus, quas ante consecrationem duxerant, non commiscerentur, surgens autem Paphnutius contradixit, *honorabiles confessus nuptias et castitatem dicens esse cum propria conjuge concubitum.* Suasit itaque concilio, ne talem poneret legem, gravem esse asserens causam, quae aut ipsis, aut eorum conjugibus occasio fornicationis existeret, et hoc quidem Paphnutius, licet nuptiarum inexpertus esset, exposuit synodusque laudavit ejus sententiam et nihil hac in parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate, non necessitate permisit. Socrates lib. 1. hist. eccl. c. 8. Sozomenus lib. 1. c. 22. Excipit Bellarminus, *hoc testimonium aliquid habere momenti pro sententia Graecorum, sed nullum penitus pro errore Lutheranorum, cum uterque auctor in eodem loco testetur, Paphnutium adjecisse, bonum sibi videri, ut secundum antiquos canones prohibeatur clericis, ne post ordinationem ullo modo uxores ducant, sed solum permittantur illis uti, quas ante ordinationem acceperunt, quod totum est contra Lutheranos, qui post sacerdotium uxores ducunt.* Respondemus: imo vero si uxoribus ante ordinationem ductis cohabitare non prohibendum esse Paphnutius suasit, propterea quod matrimonium sit honorabile in omnibus et torus impollutus, ex eo colligitur, sacerdotibus non esse conjugium interdicendum, ita colligit ipse Bellarminus cap. praeced. 18. §. 4: *Si licuit jure divino sacerdotibus habere uxores, quas* XI. *ante ordinationem duxerant et eis uti more maritorum; cur quaeso non liceat etiam post ordinationem ducere?* Aliter igitur excipit Bellarminus *ac*

totum illud Socratis et Sozomeni testimonium vel falsum, vel male ab illis narratum esse evincere conatur; primo *quia Sozomeni historia reprobatur a Gregorio* lib. 6. epist. 31. *et Socrates alibi mentitur;* deinde *relatio illa de Paphnutio pugnat cum Epiphanio* haeres. 59. et Hieronymo lib. contra Vigilantium, *qui per canones ecclesiasticos sacerdotibus et diaconis interdictum esse referunt uti uxoribus*; tertio *non cohaeret illa narratio cum can. 3. cons. Nicaeni, ubi prohibetur episcopis, presbyteris et diaconis, ne ullam domi mulierem habeant praeter matrem, sororem et amitam, denique nec Rufinus, nec alius ex veteribus huius rei meminere.* Respondemus: si vel maxime in aliis Socrates et Sozomenus quaedam falsa proferunt, tamen haec de Paphnutio relatio non potest esse fidei suspectae, cum non solum Cassiodorus in tripart. lib. 2. c. 14. Gelasius Cyzicenus in recensione canonum Nicaen. concil. cap. 33. p. 170. ex bibliotheca Vaticana in lucem productus, Nicephorus lib. 8. hist. eccles. c. 19. Suidas in vita Paphnutii et illius mentionem faciant, sed etiam in ipsum jus canonicum sit relata c. Nicaena synodus dist. 31. et apud Ivonem Carnutensem lib. 3. c. 88. Bellarminus ipse Sozomenum testem non repudiat lib. 3. de poenit. c. 9. §. Sexto habemus etc.; cur igitur hoc loco fidem illius elevat? Ac si Socrates ac Sozomenus *Novati partibus addicti fuere*, quod Bellarminus de ipsis asserit, iniquiores fuissent sacerdotum matrimonio, ac proinde testimonium ex ipsorum ore profectum majus habet pondus. Canones illos ecclesiasticos quod attinet, quorum Epiphanius et Hieronymus meminerunt, illos non fuisse apud omnes ecclesias, praesertim orientales, usu receptos et temporum illorum historia, et ipsi illi auctores, Epiphanius scilicet haeres. 59. et Hieronymus lib. 1. cont. Jovin. testantur. Nec pugnat cum historia Paphnutii canon Nicaenus, in quo prohibetur clericis, *ne domi ullam habeant mulierem praeter matrem, sororem, amitam;* hic enim intelligendus de iis, qui extra conjugium viventes συνείσακτον, ut loquitur Gelasius pag. 159. sive focariam extraneam habere voluerunt. Quando enim canon diserte addit, *personas, quae suspicionem effugiant,* satis perspicue ostendit, patres concubinatum, non matrimonium illis verbis prohibere voluisse. Testatur id Balsamon in illum canonem sic commentatus, ἐπείσακτος ἢ συνείσακτος *omnis mulier est cum aliquo externo cohabitans, etiamsi ab omni suspicione aliena sit.* Chrysostomus sermonem scripsit, πρὸς τοὺς ἔχοντας συνεισάκτους, quas vocat κόρας ἀπειρογάμους. 3. Concilium Gangrense canon. 4. sic decernit: *Si quis discernit presbyterum conjugatum tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, et ab ejus oblatione ideo abstinet, anathema sit.* Excipit Bellarminus, *anathema dici illis, qui putant, matrimonium ex se esse malum et propterea existimant, non licere sacra facere ei, qui uxorem habuit, licet ab ea se contineat.* Respondemus: canon disertis verbis loquitur de presbytero, non qui olim uxorem habuit, *sed qui adhuc conjugatus est,* ita enim recitat illum canonem Gratianus c. Si quis etc. dist. 28. ac Graeca habent πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, quod participium quam habeat significationem clarissime patet ex 1. Cor. 7, v. 10. τοῖς δὲ γεγαμηκόσι παραγγέλλω, οὐκ ἐγώ, ἀλλὰ ὁ κύριος, ubi Lat. versio *iis, qui matrimonio juncti sunt, praecipio.* In conciliorum voluminibus duplex exstat hujus synodi editio: in prima canon inscribitur *De oblatione presbyteri conjugati,* canon ipse habet: *Qui uxorem habuit;* in secunda canon inscribitur *De presbyteris, qui habuere conjugia,* canon vero habet: *Si quis discernat presbyterum conjugatum,* ex quo apparet, eos, qui canonum titulos digesserunt, τὸν γεγαμηκότα indiscriminatim reddidisse *conjugatum* et *qui uxorem habuit.* Ac patriarcha Antiochenus Balsamon in commentariis omnem ambiguitatem tollit, sic enim loquitur interprete Herveto: *Praesens canon eos anathematizat, qui non indistincte communicant sacris sacerdotum, qui habent uxores.* Unde etiam Gratianus non utitur illa Bellarmini XIII. 177. exceptione, sed respondet, *illud quod in canone apostolorum et in concilio Gangrensi legitur, ex causa et ex tempore considerandum esse. Causam dicit fuisse haeresin Manichaeorum, qui conjugium detestabantur; tempus, quia nondum erat institutum, ut sacerdotes continentiam servarent.* Agnoscit igitur, non de presbytero, qui olim uxorem habuit, sed eam dimisit, verum de eo, qui adhuc uxorem habet, Gangrense concilium loqui; testantur etiam reliqui canones illius concilii, non conferri coelibes et eos, qui olim in conjugio vixerunt, sed coelibes et eos, qui in conjugio adhuc vivunt, can. 10: *Si quis propter Deum virginitatem professus in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit.* Adde quod Eustathius, contra quem Gangrense illud concilium institutum, docuerit, *si laicus quisquam in matrimonio legitimo conjugem habens presbyter lectus esset, ejus benedictionem et communionem perinde atque piaculum esse devitandum,* referente Nicephoro lib. 9. histor. cap. 45. Ergo etiam canon illi oppositus non de eo, qui uxorem habuit, sed qui adhuc uxorem habet, intelligendus est. 4. c. Quoniam dist. 31. recitatur canon 13. sextae synodi oecumenicae in Trullo imperatoris palatio Constantinopoli habitae, in quo sic statuitur: *Quoniam in Romani ordine canonis cognovimus esse traditum, eos qui ordinati sunt, diaconi vel presbyteri, confiteri, quod non suis jam copulentur uxoribus, antiquum sequentes canonem apostolicae diligentiae et constitutiones sacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes aut privantes eos familiaritate ad invicem tempore opportuno. Quicunque ergo diligens inventus fuerit in subdiaconali ordinatione aut diaconali aut sacerdotali, hi nullo modo prohibeantur ad talem adscendere gradum pro uxoris suae cohabitatione, nec etiam tempore ordinationis suae profiteri castitatem cogantur, quod abstinere debeant a legalis uxoris familiaritate. Si quis igitur prae-

sumserit contra apostolicos canones, aliquos presbyterorum et diaconorum privare a contactu et a communione legalis uxoris suae, deponatur. Similiter et presbyter aut diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur; si vero in hoc permanserit, deponatur. Balsamon illum canonem plenius et sincerius recenset: *Quoniam Romanae ecclesiae pro canone traditum esse cognovimus, ἐν τάξει κανόνος, ut diaconi vel presbyteri, qui digni qui ordinentur existimandi sunt, profiteantur, ὡς οὐκέτι ταῖς αὐτῶν συνάπτονται γαμεταῖς, quod non amplius contingent uxores suas; nos antiquum canonem τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας, apostolicae perfectionis ordinisque, servantes hominum, qui sunt in sacris, conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma et stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus συνάφειαν, conjunctionem, dissolventes vel eos τῆς πρὸς ἀλλήλους ὁμιλίας, mutua tempore conveniente consuetudine, privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus vel diaconus vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibetur γαμετῇ συνοικῶν νομίμῳ, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum, τῆς νομίμου ὁμιλίας, ne ex eo a Deo constitutas et sua praesentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur evangelica voce exclamante: Quae Deus conjunxit, homo ne separet! et apostolo docente, honorabiles nuptias et torum immaculatum;* et, *alligatus es uxori, ne quaere solutionem. Scimus autem, sicut et qui Carthagine convenerunt, et ministrorum gravitatis honestatisque curam gerentes dixerunt, ut subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, et diaconi et presbyteri κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, propriis terminis (id est in ministerii sui vice), a consortibus abstineant, ut et quod per apostolos traditum est, et ab ipsa usque antiquitate servatum nos quoque similiter servemus, tempus in omni re scientes et maxime in jejunio et oratione. Oportet enim eos, qui divino altari assident, in*
XIII. 178. *sanctorum tractandorum tempore esse omnino continentes, ut possint id, quod a Deo simpliciter petunt, obtinere. Si quis ergo praeter apostolicos canones incitatus sit aliquem eorum, qui sunt in sacris, presbyterorum inquimus vel diaconorum vel hypodiaconorum, τῆς πρὸς τὴν νόμιμον γυναῖκα συναφείας καὶ κοινωνίας, conjunctione cum legitima uxore et consuetudine privare, deponatur. Similiter et si quis presbyter vel diaconus suam uxorem pietatis praetextu ejecerit, segregetur; et si perseveraverit, deponatur.* In hoc canone observandum 1. esse eum in synodo oecumenica anno circiter 681. editum praesentibus pontificis Romani legatis. *Ut papa* (inquit Balsamon Graecus) *ex nostris etiam regionibus legatos haberet, excogitatum est propter viae longitudinem;* 2. antiquum canonem τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας opponi recentioribus Romanae ecclesiae canonibus; 3. permitti sacerdotibus conjugatis mutuam tempore convenienti ὁμιλίαν; 4. rationem peti ex Scriptura sacra, ne ex eo a Deo constitutas et sua praesentia benedictas nuptias injuria afficere cogantur; item, *quia evangelica vox clamat: Quae Deus conjunxit, homo non separet;* et: *Honorabiles nuptiae et torus immaculatus;* 5. occurri adversariorum objectioni, sacerdotibus assidue orandum, ergo perpetuo a conjugali consuetudine abstinendum; 6. canonem apostolicum opponi illis, qui presbyteros a conjugio arcent, qui proinde non potest tantum de cura victus uxoribus denegata intelligi. Excipit Bellarminus, *canones illos non a sexta synodo, sed ab episcopis, qui Constantinopoli in palatio Imperatoris Justiniani II. quod Trullum dicebatur, convenerant, esse editos et a Sergio pontifice improbatos,* unde vocat eam *profanam synodum* cap. 19. proximo. Respondemus: Gratianus sextae synodo illos tribuit, nec auctoritatem illorum elevat, sed addit, *hoc esse intelligendum ex loco. Orientalis enim ecclesia,* inquit, *cui sexta synodus regulam vivendi praescripsit, votum castitatis in ministris altaris non suscepit.* Glossator opponit alium canonem sextae synodi qui extat c. Si quis eorum etc. dist. 32. sed hic non est Constantinopolitanae, verum Romanae cujusdam synodi canon, vel certe non de orientalis, sed occidentalis ecclesiae consuetudine loquitur, ut colligitur ex c. Cum de quorundam etc. dist. 84. et ejusdem glossa. Neve Bellarminus auctoritatem illorum canonum elevare pergat, opponimus illi act. 4. synodi Nicaenae secundae, ubi Tharasius patriarcha Constantinopolitanus illos canones approbat, et c. Sextam. dist. 16. ubi Hadrianus papa ad Tharasium patriarcham scribit: *Sextam synodum sanctam cum omnibus canonibus suis recipio. Sed dubitatur de ea* (addit Gratianus), *an canones conscripserit? quod ex quarta actione sextae synodi facile solvitur. Ait enim episcopus Petrus episcopo Nicomediae: Habeo librum continentem canones sanctae synodi sextae. Patriarcha dixit: Quidam scandalizantur per ignorantiam pro canonibus istis dicentes: Numquid sexta synodus canones fecit? Sciant ergo, quoniam synodus sancta sexta sub Constantino congregata est contra eos, qui dicebant, unam operationem et unam voluntatem esse in Christo, in qua sancti patres illos utpote haereticos anathematizarunt et orthodoxam fidem explanaverunt. Soluta est haec synodus Constantini decimo tertio anno, post quatuor vero aut quinque annos iidem patres* (nota contra Bellarminum lib. 2. de pontif. Rom. c. 17. aliquot Graecos episcopos duntaxat convenisse dicit) *congregati sunt sub Justiniano filio Constantini et praedictos canones promulgaverunt, de quibus nullus dubitet, qui enim sub Constantino imperatore in synodo fuerunt, iidem ipsi episcopi sub Justiniano istis canonibus subscripserunt. Oportebat enim, ut synodus universalis canones ecclesiasticos promulgaret.* Ac testatur ibidem Gratianus, *canones ducentos ac duos ab illis episcopis fuisse editos,* sed illi quia Romano pontifici non placuerunt, aboliti ac rejecti sunt, aliquos tamen Gratianus decreto suo inseruit. Nec

reliqui tantum episcopi, sed etiam legati Romani (videl. Basilius Gortynae et quidam alius Ravennae episcopus *Romanae ecclesiae vicem gerentes*, ut Bal-
179. samon loquitur) canonibus istis subscripserant, ideo imperator illos Romam misit et a Sergio confirmationem postulavit. Sed ille eos approbare prorsus recusavit, quod Romanae ecclesiae adversarentur, ea re imperator offensus Johannem Portuensem episcopum Roma Constantinopolin abduci curavit ac misit Zachariam protospatharium, hoc est militiae principem, ut Sergium etiam captum deportaret, verum pontifex Ravennatis exarchi praesidio defensus est Zacharia interim de vita periclitante. Pontifical. in vita Sergii, Blondus decadis primae lib. 10. Sabellicus enneadis 8. lib. 6. Paulus Diaconus lib. 6. c. 4. de gestis Longobardorum etc. 5. Canon 3. concilii V. Carthaginensis statuit, *ut episcopi, presbyteri ac diaconi abstineant ab uxoribus in propriis terminis, hoc est in ordine vicis suae*, ut exponunt Trullani patres canone jam citato. Ergo conjugium non fuit ipsis simpliciter prohibitum. Excipit Bellarminus, *verba Latina esse non in propriis terminis, sed secundum priorum statuta, hoc est secundum legem conditam in conciliis prioribus Carthaginensibus, in quibus omnis usus uxoris sacris hominibus prohibetur.* Respondemus: Balsamon illud Graecum *κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους* can. 28. interpretatur *κατὰ τὰς ἐφημερίας*, *tempore vicis suae*, atque ita accipiendum esse ecclesiae Graecae consuetudo ostendit. Ac Graeca illa editio Balsamonis minime recens, sed diu in ecclesia recepta, quin et magis authentica quam Latina, quippe a sexta synodo universali auctoritatem habens, in cujus can. 13. dicitur, *quod juxta praescripta tempora presbyteri a conjugibus continentes esse debeant.* can. 74. ipsius Carthaginensis concilii canoni 3. lucem addit, qui sic habet: *Placuit, ut presbyteri, episcopi et diaconi propriis terminis etiam a suis abstineant uxoribus, ἀπὸ τῶν οἰκείων γαμετῶν, quod nisi fecerint, ecclesiastico ordine moveantur*, ubi Balsamon annotat: *Nota, quod tempore praesentis synodi habebant episcopi suas uxores sine praejudicio.* 6. c. Aliter etc. dist. 31. sic statuit Stephanus papa: *Aliter se orientalium traditio habet ecclesiarum, aliter hujus sanctae Romanae ecclesiae. Nam earum sacerdotes, diaconi aut subdiaconi matrimonio copulantur, istius autem ecclesiae vel occidentalium nullus sacerdotum a subdiacono usque ad episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Glossator verbum *copulantur* exponit *copulato utuntur*, sed oppositio illam interpretationem repudiat: *Orientalis ecclesiae sacerdotes copulantur, sed occidentales non habent licentiam conjugium sortiendi*, nimirum propter prohibitionem Siricii, nam ut idem glossator c. cum in praeterito. dist. 84. testatur: *Quidam dicunt, ante Siricium etiam in Romana ecclesia sacerdotes olim contrahere potuisse.* Bellarminus eandem expositionem repetit addens, *nunquam fuisse licitum nec nunc haberi licitum in Graecia, ut in sacris existentes ducant uxores*, sed opponimus illi c. Diaconi etc. dist. 28. ex concilio Ancyritano can. 10: *Diaconi, quicunque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes, se velle habere uxores nec posse se continere, hi si postea ad nuptias pervenerint, maneant in ministerio, propterea quod his episcopus licentiam dederit*, ac testatur Erasmus in apolog. contra Paris., *se vidisse Venetiis apud Graecos sacerdotem post susceptum ordinem uxorem ducere.* Quod vero Bellarminus hunc canonem plane repudiat, cum de auctore non constet, frivolum est, receptus enim est et comprobatus a pontifice ac refertur ab Ivone Carnutensi lib. 3. de contin. ordinand. Quodsi omnes illi canones rejiciendi essent, quorum auctores ignorantur, de multis non solum canonibus ecclesiasticis, sed etiam libris Biblicis ecclesia Romana periclitabitur. 7. c. Cum igitur etc. dist. 35. q. 1: *Ecclesia post apostolica instituta quaedam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia ministrorum.* Excipit Bellarminus, *sensum hunc esse, quod ecclesia imposuerit clericis continentiam praecepto servandam, quae alioqui solum fuerit consilium perfectionis.* Respondemus: illud capitulum Gratiani recte opponitur illis Pontificiis, qui jure divino coelibatum sacris ordinibus annexum esse censent, an vero ecclesia, id est pontifex Romanus, potestatem habuerit non solum consulendi, sed
etiam praecipiendi coelibatum sacerdotibus, alterius XIII. 180.
est quaestionis, Paulus tantus apostolus etiam illis, qui dono continentiae instructi sunt, noluit legem coelibatus imponere, quanto minus indistincte omnibus sacerdotibus, quorum plurimi dono illo destituuntur, jugum illud imponi debuit. 8. Huc referimus etiam sequentia capitula. c. His igitur etc. dist. 23. ex Isidoro lib. 2. de eccles. offic. cap. 2: *Clerici castimoniam non violati corporis perpetuo observare studeant aut certe unius matrimonii vinculo foederentur.* Innocentius in epist. ad episc. Maced. c. Deinde etc. dist. 26: *Uxorem ducere crimen est, an non est crimen? Si crimen est, ergo praefata venia dixerim, erit auctor in culpa, qui ut crimina committerentur, in paradiso praecepit, cum ipse eos benedixit. Si vero non est crimen, quia quod Deus instituit, nefas sit crimen appellare, et Salomon addidit: Etenim a Deo praeparatur viro uxor, quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod auctore Deo legitur consummatum?* Urbanus ad archiepiscopum Turonensem c. Cenomanensem etc. dist. 56: *Legitima conjugia sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant et in orientali ecclesia usque hodie eis licere probantur*, in quae verba Gregorius XIII. sic annotat: *Hic ostendit aperte Gratianus, se in ea fuisse opinione, aliquando in Latina ecclesia olim presbyteris etiam licuisse uti conjugio, quod in ecclesia Graecorum et olim et nunc permissum est.* c. Sors 26. q. 2: *Antequam evangelium claresceret, multa permittebantur, quae tempore perfectioris disciplinae penitus sunt eliminata. Copula namque sacerdotalis nec legali, nec evangelica vel apostolica auctoritate prohibetur, ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* c. Cum

olim etc. in decretal. Gregorii. tit. de cleric. conjug.: *Orientalis ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam orientales in minoribus ordinibus contrahunt et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto.*

4. Ex probatis exemplis.

345. Quartam argumentorum classem petimus ex probatis ministrorum conjugatorum in primitiva ecclesia exemplis. De patriarchis, prophetis, sacerdotibus V. T. et apostolis dictum est superius; de Luca evangelista sic scribit Platina in Clero: *Vixit annos 83, uxorem habuit* (Onuphrius in postremis editionibus addidit negativam, *uxorem non habuit* contra fidem veterum librorum); Clemens Romanus Petri discipulus in epistola ad Corinthios referente Clemente Alexandrino lib. 4. stromat. p. 580. de se sic scribit: *Uxores nostras ad id, quod bonum est, corrigamus, amabiles mores castitatis ostendant.* Hermes, quem salutat Paulus Rom. 16, v. 14. ac qui judicatur auctor libri, cujus titulus Pastor (qui liber ab Athanasio de incarn. verbi p. 37. Hieronymo in catal. cap. 20. vocatur *valde utilis*, ab Eusebio lib. 3. hist. c. 3. et Nicephoro lib. 2. cap. 46. *valde necessarius)* uxorem et liberos habuit, ut apparet ex vision. 1. et 2. Polycrates Ephesinae ecclesiae episcopus in epistola ad Victorem Romanum pontificem apud Eusebium lib. 5. hist. eccles. c. 22. et Nicephorum lib. 4. hist. c. 37. refert, septem suorum *συγγενῶν*, cognatorum seu majorum (Rufinus Hieronymi contemporaneus vertit *parentum)* episcopos fuisse seque jam esse octavum. Nicolaum diaconum uxorem habuisse ex Eusebio intelligi potest. Tertullianus Carthaginensis presbyter librum ad uxorem scripsit. Irenaeus lib. 1. adv. haeres. c. 9. p. 46. mentionem facit uxoris cujusdam diaconi in Asia, quae a Marco Valentiniano *tum mente, tum corpore fuerit corrupta.* Agapetus I. qui Romanae ecclesiae praefuit sub imperatore Justiniano, patrem habuit Gordianum sacerdotem Romanum teste Platina et Volaterrano. Quinimo c. Osius. dist. 56. ex epistola Damasi ad Hieronymum aliquot pontifices Romani ex episcopis, presbyteris, diaconis etc. nati enumerantur: *Osius papa fuit filius Stephani subdiaconi, Bonifacius papa fuit filius Jucundi presbyteri, Felix papa filius Felicis presbyteri, Agapetus papa filius Gordiani presbyteri, Theodorus papa filius Theodori episcopi, Sylverius papa filius Sylverii episcopi Romae. Deus dedit papa filius Jucundi presbyteri, Felix III.*
XIII. 181. *natione Romanus ex patre Felice presbytero fuit, Gelasius natione Afer ex patre episcopo Valerio natus est; complures etiam alii inveniuntur, qui de sacerdotibus nati apostolicae sedi praefuerunt.* Postea additur c. Cenomanensem. dist. ead.: *Cum ex sacerdotibus nati in summos pontifices legantur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis conjugiis nati, quae sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant.* Dionysius Alexandr. apud. Eusebium lib. 6. hist. cap. 36. ed. Gr. de se ipso: *Vix tandem post dies quatuor Deo mihi, ut inde demigrarem, praecipiente et se mirandum in modum quasi ducem itineris praebente, ipse, liberi et alii multi fratres simul egressi sumus.* De Hilario Pictaviensi episcopo sic canit Baptista Mantuanus lib. 1. fastor:

Integritas vitae, legum prudentia, cultus
Coelituum, tutela inopum diadema pedumque
Pictaviense tibi, dum nil mortalia curas,
Dum vivis tibi sorte tua contentus, ab omni
Ambitione procul populo applaudente tulerunt.
Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitimo conjuncta toro, non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, taedas.
Sola erat in pretio, quae nunc incognita virtus
Sordet et attrito vivit cum plebe cucullo.
Propterea leges, quae sunt connubia contra,
Esse malas quidam perhibent prudentia patrum,
Non satis advertit, dicunt, quid ferre recuset,
Quid valeat natura pati cervicibus ajunt;
Hoc insuave jugum nostris imponere Christus
Noluit, istud onus, quod adhuc quam plurima monstra
Fecit, ab audaci dicunt pietate repertum.
Tutius esse volunt, qua lex divina sinebat
Isse via veterumque sequi vestigia patrum,
Quorum vita fuit melior cum conjuge, quam nunc
Nostra sit exclusis thalamis et conjugis usu.

Haec Mantuanus de Hilario, quem fuisse maritum etiam ex ejus epistola ad Apram filiam constare potest. Chaeremonem Nili Aegyptiacae episcopum sanctissimum, quo tempore Christianos impii gravissime persequebantur, aetate prope exacta ad montem Arabiae una cum uxore sua fugisse narrat Eusebius lib. 6. hist. cap. 40. edit. Gr. ex epist. Dionys. Alex. ad Fabium episcop. Antioch. Gregorius Nazianzenus orat. 19. pag. 290. de matre sua Nonna patri pastori Nazianzeno conjugata scribit, *quod marito non solum adjutrix, sed etiam ἀρχηγός, dux et antesignana fuerit, vita et sermone ad optima quaeque per se ipsam ducens ac ceteris quidem in rebus, ut matrimonii leges ferebant, viro suo parere optimum esse judicans, fides autem et pietatis magistram quoque se praebere haudquaquam erubescens;* inde Baptista Mantuanus de Nazianzeno sic canit:

Praesule patre satus, nam tunc id jura sinebant,
Pastorale pedum gessit post funera patris.

De Gregorio Nysseno Basilii Magni fratre sic scribit Nicephorus lib. 11. cap. 19. in princ.: *Habuit Basilius fratres, quorum unus Gregorius fuit ecclesiae Nyssenae lux et ornamentum, vir secundum fratrem doctrina, moribus et vitae sanctitate spectatus, et quamvis is conjugem habuerit, rebus tamen aliis fratri minime cessit.* Parens Basilii Magni itidem fuit episcopus teste Nazianzeno in ipsius vita; de Synesio Cyrenensi episcopo refert Nicephorus libr. 14. cap. 55. quod cum Theophilus Alexandrinus illi suaderet, ut ad ministerium ordinaretur atque interim vereretur, ne exemplo quorundam uxorem relinquere cogeretur, hisce protestatus fuerit

verbis: *Mihi et Deus ipse, et leges ipsaque sacra Theophili manus uxorem dederunt. Quapropter omnibus praedico testatumque volo, me illam prorsus deserturum non esse, neque cum illa veluti moechum clandestinam consuetudinem habiturum, alterum enim minime pium, alterum minime legitimum est, quin potius volo et opto, plures et probos mihi nasci liberos* etc. inde concessum Synesio, ut in sacerdotali dignitate uxorem retineret. l. Omnis C. de episc. et clericis §. 4. privilegia clericis tributa etiam *ad conjuges et liberos eorum* a Constantino imperatore extenduntur, ex quo constat, tempore Constantini conjugia sacerdotum in usu fuisse. Athanasius ad
182 Diacontium (qui quod monachus est, episcopatum Alexandrinum deprecabatur) sic scribit p. 518: *Ne talia objiciant tui consiliarii. Novimus enim et episcopos jejunantes et monachos comedentes* etc. *Multi quoque ex episcopis matrimonia non inierunt, monachi contra parentes liberorum facti sunt, quemadmodum vicissim episcopos filiorum patres et monachos generis potestatem non quaesivisse animadvertas.* Ergo Athanasii tempore episcopis matrimonium adhuc fuit liberum. **Gaudentius Brixianus in serm. de dedicatione templi scribit, *se peregrinatum in Jerusalem et in itinere, cum transiret per Caesaream Cappadociae, accepisse dono a duobus sanctis mulieribus neptibus magni Basilii reliquias 40 martyrum.* At unde Basilio fuere neptes, si extra conjugium vixit?** Apollinarii Laodiceni parens episcopi munus gessit teste Hieronymo in catal. script. c. 114. tom. 1. fol. 135. Idem epist. 8. tom. 1. f. 29. meminit cujusdam sacerdotis Romani uxorati epist. 83. ad Ocean.: *Carterius Hispaniae episcopus homo et aetate vetus et sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram post lavacrum priore mortua duxit uxorem et arbitraris, eum contra apostoli fecisse sententium, qui in catalogo virtutum unius uxoris virum praecepit ordinandum? Miror autem, te unum protraxisse in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus sit, non dico de presbyteris, non de inferiori gradu, ad episcopos venio, quos si sigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis synodi multitudo superetur.* lib. 1. adv. Jovin.: *Quasi non hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia et apostolus episcopum describat unius uxoris maritum habentem filios cum omni castitate.* Pelagius pontifex Romanus c. De Syracusanae. dist. 28. *conjugatum in episcopum ordinari* ratione circumstantiarum habita permisit. Sidonius Apollinaris Arvernus episcopus, qui post Siricium coelibatus legislatorem vixit, maritus fuit, ut constat ex lib. 5. epist. 16. ac Gregorio Turon. lib. 2. c. 21. Idem Sidonius lib. 7. epist. 9. narrat, se orationem habuisse, qua persuasit, *ut Biturigum archiepiscopus et metropolitanus crearetur honestus quidam maritus Benedictus Simplicius, qui et sanguine sacerdotali prognatus erat et uxorem cum liberis et pudica familia recte regebat, quod et universo populo placuerit.* De Spiridione Cypri episcopo sic scribunt Socrates lib. 1. hist. cap. 8. Tripartita lib. 1. cap. 10. Sozomenus lib. 1. hist. cap. 11. Nicephorus lib. 8. hist. cap. 42: *Rusticus cum esset conjugemque in matrimonio et liberos ex ea susceptos haberet, non propterea in rebus divinis deterior aliquo fuit.* De Francilione Turonensi episcopo sic scribit Gregorius Turonensis lib. 10. cap. 31: *Erat civis Pictavus ex senatoribus, ordinatus episcopus habens conjugem Claram nomine, sed filios non habens.* Nicephorus lib. 12. cap. 34. circa med.: *In Thessalia licebat clerico cuivis, priusquam in ordinem eum cooptaretur, legitime uxorem ducere, at si postea, ut consuetudine receptum est* (nota ergo non lege aliqua apostolica, nec canone ecclesiastico constitutum) *uxorem cognovisset, ordine eo movebatur, cum in oriente omnes atque etiam episcopi, si vellent, pro arbitrio suo, non aliqua legis necessitate coacti uxorum congressum declinarent, multi etiam ipso episcopali munere fungentes in episcopalibus aedibus liberos multos ex conjugibus, quas sibi legitimo matrimonio antea conjunxissent, susciperent, nunc autem ne in somnis quidem episcopus cum uxore sua concumbens impudicus habetur.* Eadem habet Tripartita lib. 9. hist. cap. 38. Socrates lib. 5. hist. eccles. cap. 21. Hispani sacerdotes tempore Siricii non tantum habuerunt uxores ex iisque liberos procrearunt, sed etiam conjugium suum in V. et N. T. a Deo permissum esse defenderunt, quos propterea Siricius vocat *praeceptores libidinum et sectatores vitiorum.* Nicetas cognomento Pectoratus abbas natione Graecus, sed sede Latinus circa annum 1050. legi coelibatus sese graviter opposuit. Quis est ille (inquit), qui tradidit prohibere et abscindere nuptias sacerdotum? quis ex doctoribus ecclesiae hanc vobis
tradidit pravitatem? etc. Huic Nicetae opposuit se XIII. 183
Leo IX. c. omnino etc. dist. 31. et Humbertus cardinalis Sylvae Candidae episcopus. Aventinus in historia Bojorum circa annum 1070. scribit: *Sacerdotes illo tempore uxores publice sicut ceteri Christiani habebant, filios procreabant, sicut in instrumentis donationum, quae illi templis, mystis, monachis fecere, ubi hae nominatim cum conjugibus testes citantur et honesto vocabulo presbyterissae nuncupantur, invenio.* Balaeus et Polydorus Virgilius testantur, conjugia sacerdotum in Britannia usque ad annum 1100. retenta fuisse. Circa annum enim 975. in synodo Wintoniensi sacerdotes Anglicani ex verbo Dei et exemplis primitivae ecclesiae demonstrarunt, licitum esse sacerdotibus conjugium. De Celso Armachano archiepiscopo et totius Hiberniae primate circa annum 1120. refert Balaeus, quod more in Hibernia recepto in ipso archiepiscopatu uxorem et liberos habuerit. In concilio Londinensi anno 1129. Henricus Angliae rex permisit sacerdotibus conjuges suas retinere, frustra contradicentibus archiepiscopis, episcopis et abbatibus in concilio congregatis, qui potius fornicationes quam conjugalem cohabitationem tolerabant. Matth. Parisius lib. 3. chron. In Germania itidem legi coelibatus diu restiterunt sacerdotes, cum enim circa annum 1074. Gregorius VII.

Hildebrandus prius dictus legem promulgaret, ut presbyteri uxores suas legitimas, quas habebant, aut dimitterent, aut sacerdotio se abdicarent, clerici magno conatu sese illi opposuerunt, qua de re Lambertus Schaffnaburgensis in anno 1074. sic scribit: *Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum hominem plane haereticum et vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait, non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere, capiat; et apostoli, qui se non continet, nubat, melius enim est nubere quam uri, violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, et dum consuetum naturae cursum negaret, fornicationi et immunditiae frena laxaret, quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quam conjugium deserere, et tum visurum eum, cui homines sorderent, unde gubernandis per ecclesiam Dei plebibus angelos comparaturus esset.* Cumque praesul Moguntinus in synodo Moguntina postulatum Romani pontificis de deserendo vel conjugio, vel sacerdotio repeteret, sacerdotes unanimi voce ex verbo Dei protulerunt illustria dicta confirmantia sacerdotum conjugia, deinde exempla ecclesiae Christi, tertio rationes plurimas et consuetudinem veterem ac diuturnam; cum anno sequente 1075. alia synodus Moguntiae cogeretur, in qua denuo praesul pontifici Romano morem gerens conjugio sacerdotibus interdicere vellet, clerici manibus totiusque corporis commotione adeo in eum debacchati sunt, ut aegre synodo excederet vivus. Sigebertus etiam cum in hist. anni 1074. de illo Gregorii interdicto mentionem facit, haec addit: *Uxoratos sacerdotes a divino officio removit et laicis missam eorum audire interdixit, novo exemplo et ut multis visum est, inconsiderato praejudicio contra sanctorum patrum sententiam;* ibidemque multa incommoda recenset ex decreto illo orta. Aventinus lib. 5. p. 465. de concilio contra Hildebrandum illum Brixinae habito scribit: *Adsunt legati aliorum pontificum Galliae, Italiae, Germaniae, communi omnium consensu Hildebrandi secta pietati Christianae repugnans explosa, exsibilata est.* In Poloniae regno sacerdotes usque ad annum Christi 1219. uxores habuisse ex annalibus, in quibus archiepiscoporum et episcoporum Polonorum vitae descriptae sunt, demonstrari posse asserit Dudithius imperatoris Maximiliani in Poloniam legatus in demonst. pro coelib. clericorum p. 60. Justus Jonas in def. adv. Joh. Fab. pro conjug. sacerd. Tigur. anno 1523: *Ante paucos annos adhuc sacerdotibus in Germania conjugium liberum fuit, id quod literae quaedam et vetusta tum Coloniensis, tum etiam Constantiensis ecclesiae monumenta testantur.* Vide Marc. Anton. de Dominis lib. 2. de rep. eccles. cap. 10. Bellarminus his exemplis obvertit lib. 1. de cleric c. 19. *quod vel debeant intelligi de uxoribus, quas antea duxerant, vel de clericis*
XIII. 184. *minorum ordinum, vel esse exempla eorum, qui reprehenduntur, vel esse expressa et manifesta mendacia.* Sed vanitas harum exceptionum ex illis, quae modo dicta sunt, sponte elucet. **Moscovitae denique nulli nec sacro, nec profano conjugio interdicunt, ut constat ex opere de variis rerum Moscovit. auctoribus p. 152.**

346. Quintam argumentorum classem complent ipsorum adversariorum testimonia. Gratianus in c. de Syracusanae, dist. 28: *Ecce hac auctoritate* (Pelagii) *electus in episcopatum non prohibetur habere uxorem et liberos. Eligi autem ad episcopatum non debet nisi aut sacerdos, aut diaconus, subdiaconus vero non nisi necessitate cogente. Sive ergo presbyter, sive diaconus, sive subdiaconus fuerit, apparet quod in praefatis ordinibus constituti licite matrimonio uti possint.* Thomas in summa, quae incipit commiserationes c. 165: *Si acoluthus in secreta confessione ad discretum sacerdotem veniat et se nullo modo posse continere dicat, non multum peccat sacerdos dando ei consilium, ut cum aliqua occulte matrimonium contrahat et occulte episcopi sui oculos fallat. Si vero postea sacros ordines a praelatis cogatur accedere, credimus, minus esse periculum uxore uti quam cum alia fornicari, si ex toto noluerit continere.* Durandus episcopus Mimatensis auctor Speculi juris vulgo Speculator dictus in libro de modo celebrandi concilii, quem jussu Clementis V. Viennae concilium habituri conscripsit tit. 46: *Videtur utile, ut in concilio matrimonium sacerdotibus concedatur, cum plane frustra et incassum hactenus sint ad castitatem coacti cumque Graeci sacerdotes jus matrimonii habeant, idque etiam apostolorum tempore in usu fuerit.* **Praepositus in c. Rursus, Qui clerici vel voventes etc. aperte fatetur, *coelibatum in sacro ordine non esse voti nec taciti, nec expressi, nec ex jure divino, sed tantum ex confirmatione ecclesiae, ideoque etiam ab ecclesia permutari posse.* Franc. Zabarella eod. in loco dicit, *praeceptum de coelibatu materiam dare plures animas illaquesandi, et ideo ecclesiam, sicut induxit votum continentiae, sic etiam vicissim revocare posse.*** Innocentius IV. tit. de conversatione conjugum c. placet: *Matrimonium de jure divino non prohibet susceptionem sacrorum ordinum, sed tantum ex constitutione ecclesiae, et sic naturaliter matrimonium non resistit promotioni ad sacros ordines; imo etiam post consecrationem sacerdos posset contrahere matrimonium, nisi ecclesiae statuto prohibitum esset.* Panormitanus, cujus magna in Basileensi concilio fuit auctoritas, in c. Licet de elect. fatetur, *ex Scripturis probari non posse, quod coelibatus sacerdotibus sit necessarius.* Idem in c. cum olim de cleric. conjug.: *Numquid hodie ab ecclesia possit statui, ut clericus matrimonium contrahat, quaeritur? Credo quod sic (inquit) et hoc indubitatum est apud me respectu eorum, qui non sunt obligati ex voto vel tacito, vel expresso, et probo hac ratione. Continentia enim non est in clericis secularibus de substantia ordinis, sicut dixit Innocentius, nec est de jure divino, quia alias Graeci peccarent, nec excusaret eos consuetudo, quia illa non valet contra legem divinam.*

5. E vers rum mos

***Et non solum credo, potestatem inesse** ecclesiae hoc **condendi**, sed credo pro bono ac salute animarum, quod esset salubre statutum, ut valentes continere, et magis mereri, relinqueretur voluntati eorum, non valentes autem continere possent contrahere, quia experientia docente contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiae, cum hodie non vivant spiritualiter nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu cum eorum gravissimo peccato, ubi cum propria uxore esset castitas* etc. *unde deberet ecclesia facere sicut bonus medicus, ut si medicina experientia docente potius officit quam prosit, eam tollat.* Sub tempus illud concilii Basileensis anno circiter 1430. quosdam reformationis articulos imperator Sigismundus instituit (qui postea Argentinae excusi sunt anno 1520.) in quibus inter cetera etiam hoc habetur: *Plus mali quam boni ex Calixti decreto in ecclesia secutum est; melius et animae tutius est, ut juxta ritum ecclesiae orientalis cleri-*
15. *cis licentia concedatur honesta matrimonia contrahendi.* Aeneas Sylvius lib. 2. de concil. Basil. refert, quod cum in concilio Basileensi deliberaretur de eligendo Amadeo Sabaudiae duce in pontificem Romanum et obstare illi videretur, quod uxorem habuisset, quidam patrum in haec verba prorupit: *Id autem quod de uxore dicitur, nihili pendo, cum non solum qui uxorem habuit, sed uxorem adhuc habens queat assumi. Cur enim disputant doctores, an uxoratus electus in papam uxori solvere debitum teneatur, nisi quoniam etiam conjugatus recipi possit, fueruntque ut scitis, etiam in matrimonio pontifices, nec Petrus apostolorum princeps uxore caruit. Quid ista modo objicimus? fortasse non est pejus sacerdotes quam plures uxorari, quoniam multi salvarentur in sacerdotio conjugato, qui in sterili presbyteratu damnantur.* Idem Sylvius cum jam pontifex esset et Pius II nominaretur, reliquit hoc dictum: *Sacerdotibus magna ratione ademtum conjugium, majori autem restituendum,* ut Platina in Pio II. p. 295. et Sabellicus lib. 6. enneade 10. p. 502. referunt. Paulus II. pontifex Romanus ut ex Stanislao Orichovio Balaeus refert, cum quaedam poëmata Romae legisset in se ac filiam scripta, illacrimasse dicitur et ob acerbitatem legis coelibatus cum amicis expostulasse, quod is, qui non solum ecclesiae, verum etiam continentiae antistes esse deberet, filiam in ore atque oculis civitatis cum summo probro versari videret, quae etsi erat eximia pulchritudine, scortationem tamen ab se ortam dolebat existimari, cum legem Dei sciret esse, qua huic in matrimonio nasci licebat, nisi idem coelibatus obstitisset, itaque consilium ipsum coepisse de restituendo sacerdotum matrimonio ferunt, quod ille tamen morte praeventus exsequi non potuit. Cusanus epist. 2. ad Bohemos de commun.: *Consequenter in N. T. visum est post aliquot tempora* (nota: ergo non statim ab apostolorum temporibus, sed post aliquot demum secula) *irrationale fore, quod in sacris ordinibus existentes contraherent, quod si facerent, separandos esse, qui tamen ante tanquam a Deo conjuncti separari **non potuissent**.* **Polydorus** Virgilius lib. 5. de rer. invent. cap. 4: *Forsitan tam e reipublicae Christianae quam ex ordinis usu esset, ut tandem aliquando jus publici matrimonii sacerdotibus restitueretur* (sed illud ex Polydoro Virgilio eradi jubet index expurgat. Belgic. p. 203.). Stephanus Aufrerius canonista in tit. de presbyteris conjugatis: *Tempore* (inquit) *primitivae ecclesiae licebat presbyteris et sic constitutis uxorem ducere.* c. Quoniam etc. et c. Aliter etc. dist. 31: *Dummodo die celebrationis abstinerent a conjugibus, postea in occidentali ecclesia venit prohibitio, ut constituti in sacris ordinibus deberent abstinere.* c. aliter etc. dist. ead. Concludit itaque, *quod praeceptum illud det materiam illaqueandi plures animas propter fragilitatem nostram, ideo credit, quod sicut ecclesia induxit hoc praeceptum continentiae, quod quoque revocabit.* Thomas de Vio Cajetanus cardinalis ordinis Dominicanorum prior et inquisitor generalis tom. 1. opuscul. tract. 27: *Nec ratione, nec auctoritate probatur, quod absolute loquendo sacerdos peccet contrahendo matrimonium; nec ordo in quantum ordo, nec ordo in quantum sacer est, est impeditivus matrimonii.* Et postea concludit: *Sacerdotium non dirimere contractum matrimonii, sive ante post seclusis omnibus legibus stando tantum in his, quae a Christo et apostolis habemus.* ** Citat ex Cajetano Gregorius de Valent. 8. tom. 4. disp. 9. q. 5. punct. 5.** Erasmus in cap. 19. Matth.: *Scortari licet, uxorem ducere non licet, si profitentur concubinam, sunt catholici sacerdotes; sin uxorem dici malint, in ignem conjiciuntur.* in 1. Cor. 7. p. 321: *Aetate Pauli cum inter innumeros ethnicos perpauci essent Christiani, fortasse commodius erat abstinere a matrimonio, nunc mutatis rebus haud scio an magis expediat, sanctum connubium et immaculatum torum sancte pureque colere, etiam sacerdotes, si qui non continent, quando horum tam ingens ubique copia.* Ibidem ut et in annot. Philip. 4. p. 439. statuit, *Paulum apostolum habuisse conjugem, σύζυγε γνήσιε. Quidam hoc referunt ad uxorem Pauli, nam Graeca possunt et feminino genere accipi, sunt autem magni* XIII. 186.
auctores apud Graecos, qui putant, Paulum habuisse uxorem, et consentaneum est mulieres commendari mulieribus. in 1. Timoth. 3. p. 469: *Si quis perpendat horum temporum statum, quotam portionem hominum monarchorum greges occupent, quotam sacerdotum et clericorum collegia; deinde perpendat, quam pauci e tanto numero vere servent vitae castimoniam, in quae libidinum genera quam innumeri devergant, quanto cum probro complures palam incesti sint et impudici, fortassis judicabit magis expedire, ut iis, qui prorsus non continent, jus fiat publici matrimonii, quod absque mala fama pure sancteque colant potius quam infeliciter ac turpiter libidinentur, sed etiam atque etiam vereor, ne census ecclesiastici castrent hodie clericos verius quam pietas, dum metuimus, ne quod tenemus, intercipiatur aut certe nihil accedat.* in declamat. de

laudib. matrimonii, ***utile esse*** statuit, *si sacerdotibus jus matrimonii concedatur.* Similia exstant in lib. de conscribendis epistolis edito Parisiis anno 1527. Claudius Espencaeus lib. 1. de continent. cap. 13: *Romanos pontifices, Siricium inprimis et Innocentium quibuscum Jovinianum exsecror.* Et postea: *Proinde non intelligo, idque dictum summa cum reverentia ut cetera volo, quo sensu conjugii praesertim ante ordines sacros contracti usum cleri sui sanctimonia indignum et carnis esse immundiciem, in qua Deo placeri non possit, vocare non dubitarint. Nam Paulina, quae allegant, vel immundis nihil esse mundum vel qui in carne sunt, Deo placere non possunt, non minus ad laicos quam ad clericos pertinent, et prior locus se de fidelibus explicat et posterior contra connubium alibi honorabile et impollutum voçatum facere non potest.* Duarenus de sacris eccles. minist. p. 171. fatetur, *veterem ecclesiam et antiquos canones non summovisse conjugatos a sacerdotio.* Item *legem novam de coelibatu sacerdotum videri θεομαχεῖν nec receptam ab orientali ecclesia fuisse.* Andreas Fricius lib. 4. de republ. emend. cap. 20. *matrimonii contrahendi libertatem sacerdotibus restituendam omnibus modis* suadet, *atque id* (inquit) *multo honestius atque ecclesiis salubrius fuerit, quam scortationes presbyterorum ferre docereque, sacerdotem minus peccare fornicando aut adulterando quam matrimonium contrahendo.* lib. 2. de eccles. fol. 546: *De matrimonio presbyterorum quod ego scripsi, idem ante me scripserunt papae, cardinales, episcopi, abbates, monachi, theologi, jurisperiti, quorum verba citavimus, nec scio quis a nobis discrepet praeter Piggianos et quosdam similes.* Idem in apologia Innocentii IV. Johannis Antonii cardinalis, abbatis Panormitani, Alfonsi Virvesii, Thomae Aquinatis, Baptistae Mantuani, Salviani episcopi Massiliensis ac Polydori Virgilii formalia verba recenset, quibus liberam ducendarum conjugum potestatem sacerdotibus concedendam judicant. Lindanus in panoplia: *Certe et hodie licet castos atque vitae integros maritos ad sacerdotium assumere, quod meo quidem judicio rectius sanctiusque forte fuerit per aliquot Germaniarum provincias, quam impurissimos aliquot praeficere aut etiam diutius tolerare nebulones, apostatas et sacrilegos pastores, quod factum ab aureo illo Paphnutii responso minime foret alienum, neque a vero remedio forte abhorriturum videri posset.* Cassander in consult. art. 23. p. 196. edit. Colon.: *Fatendum est, graviter a posteris esse peccatum, qui hanc utilem pro tempore* (de coelibatu sacerdotum) *constitutionem multis in laqueum veterunt, dum juvenes nondum sibi cognitos et exploratos temere ad ministerium ecclesiasticum admiserunt, et cum illis castitatis onus sibi impar esse sentirent, illi potius impuros quosvis concubitus dissimularunt et quodammodo probarunt, quam ut permittendo constitutionis illius humanae gratiam illis facerent, qui eam sine offensione divinae legis observare non poterant. Adde etiam, quod aetas adhuc rerum imperita et temporum ac conditionum vitae mutatio hanc observationem pene impossibilem fecerit.* ***Quare nimis rigida*** XI
et intempestiva hujus constitutionis exactione gravissima et abominanda in ecclesia scandala exstitisse videmus. Nam causae illae, quibus majores ad constitutionem hanc faciendam inductos esse diximus, non solum hodie cessarunt, sed etiam in contrarium sunt conversae. Nam primum videmus, hoc decreto usque adeo castitatem et continentiam in clero non confirmari, ut per illud ad omne libidinis et flagitii genus fenestra aperta esse videatur. Item *usque adeo non refrenatam in clero avaritiam, ut etiam frena magis laxata esse videantur, tum res in plerisque sacerdotibus ita comparatae sunt, ut conjugum piorum consortio non modo ad functiones ecclesiasticas obeundas non impediantur, sed etiam ad earum procurationem adjuventur ab eis, quemadmodum de patre suo Gregorio et matre Nomia Gregorius Nasianzenus testatur. Sunt et contra plerique coelibes, qui usque adeo coelibatu suo ad ea, quae Dei sunt, expeditius curanda non incitentur, sed etiam contra curis hujus seculi supra reliquos homines immerguntur et obruantur. Ad ea igitur incommoda et scandala tollenda optimum quidem et praestantissimum remedium esset, si prisca cleri disciplina, quae, quo tempore haec constitutio primum inducta est, viguit, restituatur, hoc est, ut nemo in sacerdotem ordinetur, nisi qui a pueritia in ecclesia institutus et cleri numero asscriptus est per gradus ministeriorum, aetatem ut minimum triginta annorum attigisset ac totum illud tempus caste continenterque traduxisset, aut si maritum aliquem in sacerdotem cooptari contigisset, is ea esset aetate atque morum gravitate, ut mutuo uxoris consensu ab ejus commercio abstinere posset; deinde ut in sacerdotio constitutus ab omni prorsus cohabitatione et familiaritate mulierum abstineret, sine quibus conditionibus impossibilem esse castitatis observationem judicabant. Notum enim est illud Bernhardi, cum femina habitare et feminam non tangere majus esse quam mortuos suscitare. Sed vere dictum est a Gersone, in primo rigore ecclesiasticae disciplinae multa severo rigore statuta sunt, quae modo defluentibus in pejora majoribus non modo inutilem, sed impossibilem haberent exsecutionem. Quodsi itaque de hac disciplina restituenda desperetur, praesertim in pastoribus ecclesiarum, quos in media hominum turba vivere et, ut nunc quoque res se habent, rem quoque familiarem curare necesse est, restat primum, ut in posterum ordinandis hoc statutum relaxetur et more veteris ecclesiae et orientalium ecclesiarum honesti quoque mariti ad ecclesiae ministerium admittantur et extra tempus ministerii familiaritate quoque suarum conjugum uti permittantur juxta canonem sextae synodi generalis, qua decernitur, nullo modo legitimas diaconorum et presbyterorum nuptias esse dissolvendas, nec ante ordinationem ad profitendam castitatem esse compellendos. Sunt igitur hujus constitutionis relaxandae graves causae.*

Primum quia ea manifeste multorum malorum et incommodorum, praesertim qui vagam et effrenatam libidinem sequuntur, occasionem praebeat, malorum enim non propriae modo causae, sed occasiones quoque nonnunquam tollendae sunt, qua ratione Paulus conjuges non diu a mutuo congressu separari voluit, ne a Satana tententur, et juniores viduas nubere praecepit et liberis dare operam, ne criminandi occasionem adversario praebeant; ubi Cassander inserit locum ex Panormitano superius adductum, postea addit: *Altera ratio sumitur ex temporum commutatione. Nam quo tempore haec continentia sacerdotum indicebatur, longe alia ratio erat disciplinae cleri. Tertiam causam et quidem praecipuam affert praesens ecclesiae status et idoneorum ministrorum inopia. Plerique enim homines docti et pii ad continentiae observationem adstringere sese nolunt, cum et infirmitatis suae rationem habeant et exemplis turpitudinum et scelerum, quae praetextu coelibatus passim in oculos et aures incurrunt, moveantur, quo fit, ut paucissimi adolescentes pietatis indole praediti ad theologiae studium*
XIII. 188. *sese adjungant, aut a piis parentibus ad hoc studium applicentur, sed ii fere tantum, qui opima beneficia, vitae luxum et splendorem ac carnis licentiam et vagam effrenemque libidinem animo praesumunt, praeter nonnullos, qui imprudentia et nondum satis sibi noti in laqueum inducuntur. Sed de maritis ad ecclesiae ministerium eligendis non tantopere quidem reluctantur, cum ea res exemplum habeat priscae ecclesiae et ab orientalibus omnibus hucusque servetur. Gravior autem quaestio est de iis, qui post sacerdotium uxores duxerunt, an eis in ministerio permanendi et uxoris opportuno tempore familiaritate utendi facultas permitti possit, quae res omni prorsus vetustatis exemplo careat. Sed haec ratio non satis concludit. Non est factum, ergo fieri non licuit. Cogunt enim novas aliquando invenire medicinas novorum experimenta morborum. Sunt autem causae non leves, cur hodie iis quoque, qui jam ordinati non libidine, sed conscientia ducti uxores duxerunt et utiles ecclesiae esse possunt, gratia hujus legis fieri deberet et imposterum quoque, si magna ecclesiae utilitas invitet, aliquibus idem concedi possit; primum quod conjugium inire post ordinationem nullo divino jure, sed solo ecclesiae statuto prohibeatur, et in veteribus canonibus tale conjugium non dirimitur, sed leviore censura punitur, nam in concilio Neocaesariensi c. 1. sacerdos uxorem ducens deponitur ab ordine, hoc est, ut exponit glossa, ab officio et non beneficio, ubi et illud additur, magis puniri sacerdotem qui fornicetur, quam qui publice contrahit. Idem statuitur canon. 6. concilii generalis. In constitutionibus vero Leonis irrita fit constitutio, quae diaconos et sacerdotes post ordinationem contrahentes a clericali habitu ad profanam vitam redigi vult, statuit vero, ut ab eo tantum ordine, quem ante nuptias tenuerunt, recedant, nec habitu cleri, nec legitimo ecclesiae ministerio priventur. Cum igitur haec matrimonii contractio post ordinationem solo statuto prohibeatur et exempla prisca exstent, quae testentur, hujusmodi statuta non tam anxie observata fuisse, quin ob ecclesiae necessitatem aliquando relaxata fuerint, quis non concedat, in extrema hac ecclesiae necessitate hoc idem hodie fieri posse? Exempla non observatorum ecclesiae statutorum etiam apud veveteres hujusmodi sunt, nam primum Epiphanius ait, in quibusdam locis sua aetate presbyteros et diaconos liberos gignere, quamvis id fiat contra ecclesiasticos canones, idque fieri propter inopiam ministeriorum. Item jamdudum ecclesia cohabitationem sacerdotum cum feminis tolerat, quod haud secus atque ipsum conjugium ecclesiae statutis prohibetur, quin non solum contra ecclesiae statuta, sed etiam contra statuta apostolica in ecclesia aliquando aliquid exigente id insigni utilitate admissum legimus, ut neophytos ordinatos, quod constat de Fabiano, Cypriano, Nicolao, Nectario, Ambrosio, Severo, Tarasio. Item Tertullianus testatur apud Psychicos, quo nomine Catholicos appellat, etiam digamos adversus praeceptum apostoli ecclesiis praesidere. Nil igitur absurdi fiet, si in tanta ecclesiae necessitate hujus ecclesiastici statuti, etiamsi apostolicum esset, moderatio et relaxatio fiat. Nec audiendus est novus quidam in Italia dogmatistes* (Franciscus Turrianus sive Torrensis lib. 2. de dogm. characteribus), *qui unus contra omnium veterum et recentium ecclesiasticorum scriptorum sententiam coelibatum ordini sacro οὐσιωδῶς, hoc est substantialiter, et lege divina adjunctum esse contendit, nec esse in potestate pontificis, nec ecclesiae, ut conjugii usum sacerdotibus permittant, non magis quam furandi aut latrocinandi, atque eo modo universam ecclesiam tam orientalem, quam occidentalem violati divini juris accusat; illam quod conjugium in sacerdotibus hactenus observarit, hanc quod eam recte facere judicarit. Cur autem etiam in ordinatis conjugium hodie admitti possit haec ratio est, quod ex hujusmodi conjugio non modo nulla offensio populi, sed magna etiam utilitas sit exspectanda, nam eo res rediit, ut vix centesimum invenias, qui ab omni commercio feminarum abstineat, populus vero ita affectus est, ut* XIII. 189.
sacerdotis fornicatoris seu concubinarii ministerium vel porsus condemnet, vel levius aestimet, maritum vero sacerdotem aequius ferat, ut cum populo quoque jam notum sit, honorabile esse in omnibus conjugium, adulteros autem et fornicatores a Deo judicandos. Accedit et hoc, quod nisi hujusmodi conjugium toleretur, vix idonei ecclesiae ministri in posterum quoque inveniri poterunt. Quare si unquam tempus fuit antiquae alicujus consuetudinis immutandae, certe haec tempora hujus quamvis prisci moris immutationem aliquam efflagitare videntur, cum optimi quique et religiosissimi sacerdotes infirmitatem suam agnoscentes et perpetuae scortationis foeditatem exhorrescentes, si publice non audent, certe privatim conjugium ineunt et populus hodie, ut diximus, eo animo comparatus est,

ut maritum quam scortatorem facilius patiatur. Cum igitur hoc tempore eo necessitatis res propemodum redacta sit, ut aut conjugatus, aut concubinarius sacerdos sit admittendus, quis non videt, etiamsi quid in hoc conjugio sit incommodi, minoris mali ratione esse potius eligendum? etc. Haec omnia Cassander. Andreas Dudithius Quinque-Ecclesiensis episcopus in excus. ad Maximilianum II. imperatorem, in qua rationes affert, cur episcopatu et aliis honoribus abdicatis uxorem duxerit, circa finem sic loquitur: *Nullo unquam tempore in vita tranquilliorem et pacatiorem animum habui, postquam ex illo impuri coelibatus coeno Dei beneficio emergere me sensi abjectis impiis illis cogitationibus, purgata jam conscientia mea, magna laetitia efferor, quod translatum me video in sanctorum hominum numerum ex infelicium coetu, qui libidinibus et vitae sordibus contaminati in summa impietate consenescunt, quorum animos cum perpetuo voluptates et impurae cogitationes nunc in hanc, nunc in illam partem quasi fluctus quidam impellant, eo tandem deferuntur, ut malint aliorum uxoribus insidiari, virgines, viduas, omnis generis mulieres, ne quid deterius dicam, ad stuprum solicitare, scorta alere eaque frequenter novis succedentibus permutare quam suam uxorem, ut Paulus praecipit, ad vitandam fornicationem habere.* Huic apologiae adjunxit Dudithius libellum, in quo demonstrat, *matrimonium omni hominum ordini sine exceptione divina lege permissum esse;* in publicum is editus est opera Quirini Reuteri Offenbachii anno 1610. Alberti ducis Bavariae legatus in concilio Tridentino libere pronuntiavit, *sacerdotum matrimonium nec legi divinae, nec veterum monumentis repugnare.* Ferdinandus imperator, Henricus II. et Carolus IX. Galliarum reges in concilio Tridentino per suos legatos strenue laborarunt, *ut matrimonii ineundi libertatem* sacerdotibus impetrarent. ** Tandem oppugnare possumus Bellarminum ex Bellarmino. Quaecunque enim argumenta profert lib. 5. de Rom. pont. c. 9. ut probet, non repugnare, pontificem esse simul principem spiritualem et temporalem alicujus provinciae, ea omnia pro sacerdotum conjugio urgere possunt. *1. Producit exempla Melchisedeci, Noae, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Moysis, Heli et Maccabaeorum principum simul et summorum pontificum.* At illi ipsi, atque adeo omnes summi pontifices Deo simul ministrarunt et liberos ex conjugio susceperunt, id quod tanto certius, quanto incertius, quod Bellarminus de illis asserit, cum Noë, Abraham, Isaac, Jacob non rexerint nisi amplas suas familias nec summi sacerdotes, sed prophetae fuerint. 2. Affert quatuor rationes, quas totidem verbis contra Bellarminum retorquere possumus. *1. Sacerdotium et conjugium non sunt contraria, sed utrumque bonum, utrumque a Deo, utrumque laudabile et unum alteri servit.* Ergo non pugnant inter se et simul in eodem esse possunt. *2. Magis diversa sunt pax et bellum quam conjugium et sacerdotium. At unus et idem rex praeest senatui et exercitui, togatis et armatis.* Ergo multo magis unus poterit simul esse maritus et sacerdos. *3. Potest pontifex universam ecclesiam regere et longe lateque patentes regiones politico imperio premere et Christianis principibus leges dare.* Ergo multo facilius poterit sacerdos parvam ecclesiae manum pascere et simul familiae suae praeesse. *4. Qui duxerunt uxores ex episcopis et quae nupserunt iis, uxores piae fuerunt, ut de patriarchis et apostolis nihil dicatur.* Ergo licitum est, quod illi fecerunt. 5. Denique probatur experientia. Nam nisi facultas ducendi uxores reddatur sacerdotibus, nullus erit finis scortationum, adulteriorum et veneficiorum, quibus referendis nec Dantes, nec Bocatius, nec Petrarcha sufficiet. Bellarminus lib. de monach. c. 38. §. Dices: *Monasticae professioni per se et ex natura rei repugnat conjugium, non autem repugnat per se et ex natura rei ordini sacro, sed ex solo decreto ecclesiae.***

347. Atque haec sunt sententiae nostrae fundamenta, a quibus antequam ad argumenta adversariorum dissolvenda progressum faciamus, notabimus 1. *calumnias*, quibus in hac quaestione nostram de conjugio sacerdotum sententiam praegravare conentur. Stapletonus in relect. princ. fidei doctrinalium controv. 1. de eccles. q. 5. art. 2. secutus Cochlaei fidem refert, *Carolstadium primum ex sacerdotibus post reformationem a Luthero inchoatam duxisse uxorem*, et quidem anno Christi 1525. Cochlaeus addit, *Lutheranos pro illo conjugio novam confinxisse missam, quam et in lucem edere non fuerint veriti, cujus collecta fuerit isthaec: Deus qui Andream Carolstadium ea gratia donare dignatus es, ut primus nulla habita papistici juris ratione uxorem ausus fuerit ducere, da quaesumus, ut omnes sacerdotes recepta sana mente ejus vestigia sequentes ejectis concubinis aut eisdem ductis ad legitimum consortium tori convertantur* etc. Addit sequentia missae sic habuisse: *Deus in virtute tua Andreas Carolstadius gaudet et laetatur thalamo copulatus.* Subjungit ejusdem sententiae secreta et complenda ac tandem ex infelice successu Carolstadii colligit, *sacerdotum conjugia divinitus improbari.* Verum peccat Cochlaeus et eum secutus Stapletonus contra historiae fidem, non enim Carolstadius, sed Bartholomaeus Bernhardi Kembergensis praepositus, vir pius et eruditus, eo tempore, quo Lutherus in Patmo versabatur, primus ex sacerdotibus uxorem duxit ac facti sui rationem in scripto apologetico publice reddidit, quod exstat tom. 2. oper. Lat. Jenens. Lutheri ac citatur a Nevizano in silva nuptiali impressa Venetiis anno 1570. f. 81. cujus Bernhardi familia in illo oppido et ampla et felix evasit. *2. Ignominiosa dicta*, quibus conjugium sanctissimam illam Dei ordinationem impetunt seque Antichristi satellites eo ipso demonstrant, de quo Dan. 11, v. 37. praedictum, quod *ad desiderium ac amorem mulierum*, hoc est ad honestum et licitum amorem conjugalem, non sit animum adhibiturus, sed potius specie sanctitatis eundem prohibiturus 1. Tim. 4, v. 3. Siricius epistola 4. et Innocentius epist. 3.

XIII. 19 Adversariorum in hac quaestione 1. Calumniae.

2. Ignominiosa dicta.

ideo se a conjugio sacerdotes arcere dicunt, *ut mundiciae et pudicitiae puritate securi possint orare, baptizare et sacrificium offere. Si enim, inquiunt, contaminatus quis est carnali concupiscentia, hoc est conjugali consortio, quo pudore, qua mente sacrificare audebit, qua conscientia, quo merito exaudiri se credit? cum scriptum sit, omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum.* Accommodant etiam ad conjugium sacerdotum dictum apostolicum: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, atque illos, qui conjugia sacerdotum defendunt, vocant *libidinum sectatores vitiorumque praeceptores.* Vide tom. 1. conc. f. 422. c. decernimus. dist. 28. c. tenere. dist. 31. c. Proposuisti etc. dist. 82. Exstant etiam in jure canonico sequentes canones in conjugium injurii ac concubinatum introducentes in ecclesiam eo ipso tempore, quo conjugium ejus ministris fuit interdictum. c. Is qui etc. dist. 34. ex concil. Toletano 1: *Is qui non habet uxorem et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris aut uxoris aut concubinae sit conjunctione contentus*, ubi glossa addit: *Luxuria quandoque plus juris habet quam castitas, quia castus repelleretur, sed fornicator non, ac summa illius canonis sic habet: qui non habet uxorem, loco uxoris concubinam debet habere.* c. Christiano etc. dist. ead.: *Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum uxorem, aut certe loco uxoris, si conjunx deest, concubinam.* c. Quidquid etc. causa 32. q. 2: *Non datur praesentia sancti Spiritus tempore, quo conjugales actus gerun-*
XIII. 191. *tur.* c. Connubia etc. caus. et quaest. iisdem: *Connubia legitima carent quidem peccato, non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, praesentia sancti Spiritus dabitur, etiamsi propheta videatur esse, qui officio generationis obsequitur.* c. Sciatis. causa 33. q. 4: *Quicunque uxori debitum reddit, vacare non possunt orationi, nec de carnibus agni comedere debet* etc. c. Vir cum propria etc. causa et quaest. iisdem: *Vir cum propria uxore dormiens nisi lotus aqua ecclesiam intrare non debet. Quamvis diversae hominum nationes de hac re diversa sentiant atque alias custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit post admixtionem propriae uxoris et lavacri purificationem quaerere et ab ecclesiae ingressu paululum temperare.* Monachi Burdegalenses in abjurat. art. 53. redeuntibus ad ecclesiam Romanam hanc praescribunt confessionem: *Specialiter abhorreo commentitium matrimonium presbyterorum, qui una sibi tribuunt nomen ministrorum divini evangelii et una serviunt mundo per mulierem* (volunt igitur, ministros uxoratos non posse servire Deo, cum duobus dominis tam contrariis nemo servire possit, quia vero idem matrimonium in conjugatis presbyteris et aliis Christianis, sequetur etiam, relinquos conjuges per mulierem servire mundo). Et quid multis? Campegius, Piggius, Eccius et Hosius dixerunt, *gravius peccare sacerdotem, si uxorem ducat, quam si scortetur*, cujus pronuntiati rationes aliquot profert Costerus in enchir. c. 15. de coelib. sacerdotibus: *Vide* (inquit) *gravitatem delicti commissi, si sacerdotes uxorem ducant. Primo voto solenni castitatis injuriam faciunt; secundo ecclesiam gravius vulnerant, cum qua tanquam sponsi copulati sint; tertio inverecundius scortantur cum ea, quam pro sua haberi volunt; quarto obstinata praefractaque voluntate in peccato perseverant; quinto haeresi vitiatum intellectum habent, quod arbitrentur, esse nuptias, quae non sunt nuptiae, sed pejora omnibus adulteriis sacrilegia.* Bellarminus lib. 1. de clericis c. 19. circa finem: *Non solum conjugium sacerdotum, quod sacrilegium est, non conjugium, sed etiam sanctorum matrimonium sine pollutione quadam et turpitudine non exerceri, satis testatur rebellio membrorum et verecundia humana in illo actu, quae secretum semper quaerit.* Et postea: *Actus conjugii hebetat aciem mentis et deprimit ad inferiora et perturbat et animam ipsam carnalem quodammodo facit.* c. 18. praeced. in princ.: *Actus conjugalis hominem reddit totum carnalem et ineptum ad divina.* 3. Dissensiones, quibus in quaestione de coelibatu sacerdotum adversarii a se invicem separantur Joh. Major 4. sent. dist. 24. q. 2. docet, *jure divino coelibatum ordinibus ecclesiasticis annexum esse, ac proinde nullam dispensationem hic habere locum.* Idem docent Torrensis libr. 2. de dogm. charact. Pererius libr. 4. in Gen. Mich. Medina libr. 4. de continent. controv. 2. etc. sed Thomas 2. 2. q. 88. art 11. docet, *non ex jure divino, sed ex solo ecclesiae decreto votum continentiae esse ordinibus sacris annexum.* Idem statuunt Cajetanus in opusculis tom. 1. tract. 27. (ubi scribit, *nulla ratione probari posse ordinem solutis omnibus legibus et stando tantum his, quae a Christo et apostolis habemus, etiam impeditivum matrimonii)*, Dominicus Sotus lib. 7. de justitia q. 6. art. 2. ut et q. 5. art. 3. ** Lombardus 4. sent. dist. 34. et 37. Durandus 4. sent. dist. 37. q. 1. et alii ex Scholasticis, Alb. Piggius controv. 5. Claud. Espencaeus lib. 1. de continent. sacerd. c. 3. quod congruit etiam juri canonico c. Sors etc. 26. q. 2: *Copula sacerdotalis nec legali, nec evangelica vel apostolica auctoritate prohibetur, ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* ** Petrus a Soto in confutat. Wirtenb. conf. et in instit. sacerd. lect. 5. de matrim. Joh. Caspar Rulandus in locis tit. 16. Gregorius de Valent. tom. 4. disp. 9. quaest. 5. puncto 5. Costerus in enchir. c. 15. ac Bellarminus lib. 1. de clericis c. 18. lib. 1. de matrimon. sacram. c. 21. etc. Illi ipsi vero, *qui jure positivo* coelibatum sacris ordinibus annexum esse statuunt, invicem dissentiunt, quidam enim revocant hujus constitutionis originem *ad apostolorum* XIII. 192.
usque tempora, ut Dominicus Sotus, quem sequitur Bellarminus d. l. sic scribens: *Verissimum puto, quod Sotus docet, decretum hoc, quo votum continentiae est annexum ordinibus, non quidem proprie divinum esse, sed tamen esse apostolicum et in tota ecclesia a temporibus apostolorum longo tempore esse servatum.* Quidam vero apostolorum et primitivae ecclesiae

3. Dissensiones.

apostolis proximae temporibus conjugium sacerdotibus adhuc liberum fuisse agnoscunt et ab ecclesia sequente demum ipsis prohibitum. Cusanus epist. 2. ad Bohemos: *Consequenter in N. T. visum est post aliquot tempora irrationale fore, quod in sacris ordinibus existentes contraherent.* Clichtovaeus putat, legem continentiae impositam clericis *primum a Siricio* circa annum 390. (cui propterea succenset Bellarminus lib. 1. de clericis c. 19. §. Ex hac). Clichtovaeo consentit glossa juris canonici c. Cum in praeterito. dist. 84. in verbo Antiquitas: *A tempore Siricii vocat antiquitatem.* Polydorus Virgil. lib. 5. de rer. inv. c. 4: *Jus matrimonii sacerdotibus restitui suadet*, agnoscit igitur, primis ecclesiae temporibus illud jus ipsis adhuc integrum fuisse. Costerus in enchir. in cap. de coelib.: *Antiquissimis ecclesiae temporibus, viventibus adhuc apostolis, et post apostolos aliquot adhuc annos admissi fuerunt ad sacros ordines viri conjugati non quidem promiscue, sed electi, qui unicam tantum duxissent uxorem, eamque virginem.* Claudius Espencaeus episcopus in comm. c. 1. Tit.: *Multis annorum centenariis post apostolos ecclesia primitiva defectu coelibum sacerdotes habuit maritos.*

Bellarmini sententia. 348. Sed missis ceteris cum Bellarmino agamus. Is statuit, decretum illud, quo coelibatus ordinibus sacris annexus est, *non proprie divinum esse, sed tamen esse apostolicum et in tota ecclesia a temporibus apostolorum longo tempore servatum.* Atqui 1. quomodo hanc assertionem suam conciliare poterit Bellarminus cum capitulis quibusdam juris canonici? c. Sors etc. causa 26. q 2: *Copula sacerdotalis nec legali, nec evangelica vel apostolica auctoritate* (nota) *prohibetur, ecclesiastica tamen lege penitus interdicitur.* c. Quoniam etc. dist. 31: *Quoniam in Romani ordine canonis esse cognovimus traditum, eos, qui ordinati sunt diaconi vel presbyteri, confiteri, quod non suis jam copulentur uxoribus, antiquum sequentes canonem apostolicae diligentiae et constitutiones sacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes* etc. c. Cum igitur etc. 35. q. 1: *Ecclesia post apostolica instituta quaedam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia ministrorum.* c. Cenomanensem etc. dist. 56: *Legitima conjugia sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant* etc. Si coelibatus sacerdotum jure apostolico fuisset definitus, utique etiam copula sacerdotalis apostolica auctoritate prohiberetur, nec unquam in N. T. conjugia sacerdotibus fuissent licita. Atqui contrarium constat non solum ex capitulis citatis, sed etiam ex historia synodi Nicaenae, in qua Paphnutius martyr obtinuit, *ut illi, qui uxores duxerant ante susceptum sacerdotium, a conjugali cum eis consuetudine minime arcerentur, qui vero in clerum asscripti erant, antequam uxores duxissent, hi deinceps a nuptiis abstinere jussi secundum veterem ecclesiae traditionem*, ubi notandum, quod traditio duntaxat ecclesiae, non autem apostolica quaedam constitutio pro coelibatu sacerdotum afferatur. 2. Quomodo conciliare eam poterit cum illis, quae ipsemet postea subjungit c. 21. resp. ad ultimum, ubi ad capitulum cum igitur etc. 35. q. 1. respondet, *sensum ejus esse bonum et quidem eum, quod ecclesia imposuerit clericis continentiam praecepto servandam, quae alioqui solum erat consilium perfectionis.* Quaero enim ex Bellarmino, quid hoc loco per ecclesiam intelligat? certe apostolos intelligere nequit, quia Gratianus diserte dicit, *ecclesiam post apostolica instituta quaedam consilia perfectionis addidisse;* fateri igitur cogitur, apostolorum tempore coelibatum fuisse in libertate adhuc positum, sed a sequentis temporis ecclesia praecepto fuisse clericis impositum.. 3. Quodnam discrimen statuet XIII. 11
Bellarminus *inter jus divinum et praeceptum apostolicum?* Quae apostoli ex mandato Dei praeceperunt, ea etiam sunt juris divini mediate scilicet promulgati, quando apostolus dicit 1. Cor. 7, v. 25: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do*, non distinguit inter jus divinum et praeceptum apostolicum, sed inter jus divinum et consilium apostolicum ad circumstantias illorum temporum accomodatum; manet interim certissimum, quod omne illud, quod apostoli loco Dei praeceperunt, sit jus ac praeceptum divinum, quippe ab immediata Spiritus s. inspiratione profectum. Matth. 28, v. 20. Rom 15, v. 18. 2. Cor. 5. v. 20. Sibi ipsi igitur Bellarminus contradicit, quando negat, *jure divino coelibatum sacris ordinibus annexum*, et tamen *ex divinis literis*, hoc est juris divini tabulis, demonstrare conatur, sacerdotes oportere esse coelibes. Certe si hic esset sensus canonis illius apostolici, ἐπίσκοπον δεῖ εἶναι ἐγκρατῆ, quod episcopus a conjugio penitus abstinere debeat, utique coelibatus non solum apostolico praecepto, sed etiam jure divino episcopatui foret annexus, quemadmodum divini juris sunt reliqua omnia, quae in episcopo ibidem requiruntur. Sed prius asserit Bellarminus. Ergo non debet negare posterius. 4. In eo quoque Bellarminus sibi contradicit, quod in libro 4. de notis eccles. c. 9. cum Vigilantii haeresi nostram in hac quaestione sententiam conjungit: *Vigilantius* (inquiens) *docuit, ecclesiasticos debere esse uxoratos, idem docent nunc sectarii* etc. sed lib. 1. de clericis c. 19. inter Vigilantii haeresin et nostram sententiam aperte distinguit. *Duo*, inquit, *refutandi sunt errores, unus Graecorum, alter Lutheranorum. Prior est, oportere clericos, antequam ordines sacros suscipiant, uxores ducere, quem errorem constat expresse Vigilantium docuisse. Posterior error longe gravior est, non solum licere ante ordinationem, sed etiam post ordinationem uxorem ducere, quod docuit Wiclefus, quem secuti sunt Lutherani.* At si diversus est in hac quaestione error Vigilantii et Lutheri, quomodo idem omnino cum Vigilantio docent Lutherani? Si Vigilantius docuit, oportere clericos uxores ducere, quomodo illius error tribui potest Lutheranis docentibus, licere clericis uxores ducere, aliud est conjugii *necessitas*, aliud *libertas.* Pontificii in clericis propugnant coelibatus necessi-

tatem, Vigilantius conjugii necessitatem, nos medium tenentes coelibatus libertatem propugnamus.

349. Ex Scripturis Bellarminus producit haec fundamenta. *1. Paulus* Tit. 1. *Oportet, inquit, episcopum esse hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, ubi notandum pro eo, quod nos habemus sobrium, Graece esse σώφρονα, quod ut Hieronymus in hunc locum dicit, ambiguum est et prudentem, sobrium, castum significare potest, hoc autem loco significat castum. Quia vero castitas etiam conjugatis communis est, ideo apostolus addit etiam continentem, quod ibidem Hieronymus exponit ab uxoris amplexibus.* Respondemus: 1. Si ex praecepto apostolico episcopi ab uxoribus abstinere tenentur, utique coelibatus jure divino erit ministerio annexus, quae enim apostolus hoc in loco praescribit episcopis, ea sunt juris divini. 2. Apostolus in hoc ipso loco *unius uxoris maritum et filios habentem* ad episcopatum admittit, quomodo igitur coelibatum in episcopo praecise et absolute requirere dicendus? 3. Bellarminus incurrit anathema concilii Tridentini discedendo a vulgata versione, quae σώφρονα reddidit sobrium. 4. Ambrosius σώφρονα vertit *prudentem*; Erasmus monet, notari *sobrium et sanae mentis, ut intelligamus animum sibi praesentem et nullis temulentum cupiditatibus.* 5. Ἐγκρατής, ut late ostensum fuit superius, significat eum, *qui se continentem gerit in cibo, potu, usu conjugii* etc. qui refrenat affectus, qualem ἐγκράτειαν in conjugio locum habere, ibidem docuimus ex Eccles. 26, v. 20. Gal. 5, v. 22. 2. Petr. 1, v. 6. 6. Si in conjugio est castitas, quod Bellarminus concedit, utique etiam ἐγκράτεια. Vicissim si piis conjugibus absolute et simpliciter denegatur ἐγκράτεια, quomodo erit τίμιος ὁ γάμος καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος? 7. Quemadmodum igitur Tit. 2, v. 5. adolescentulae maritatae jubentur esse σώφρονες καὶ ἁγναί, *prudentes et castae;* sic hoc loco apostolus episcopum vult esse σώφρονα καὶ ἐγκρατῆ, *sobrium sive prudentem et continentem;* quorum utrumque in conjugatis locum habere potcst.

350. 2. Idem apostolus 2. Tim. 2: *Labora, inquit, sicut bonus miles Christi, nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. Hic apostolus praecipit episcopo, ut strenue militet Deo, deinde dicit, non posse eum bene militare Deo, si se implicaverit negotiis secularibus, qualia certe esse nuptias nemo negare potest, nam ut docet Basilius in prooem. constit. monast. nuptiae pedicae sunt.* Respondemus: 1. in textu Graeco non additur τῷ Θεῷ, sed generaliter dicitur, οὐδεὶς στρατευόμενος, *nemo militans.* 2. Loquitur igitur apostolus *de milite proprie sic dicto*, non de clerico *spirituali milite.* 3. Per πραγματείαν βίου intelligit non moderatum usum eorum, quae ad vitae sustentationem necessaria sunt, sed negotiationes, mercimonia et alia quae cum militia non possunt simul consistere, ut sit sensus, unumquemque debere τὰ ἴδια πράττειν, et quae vocationi sunt impedimento, ab iis studiose abstinere, sicut miles simul ac imperatori nomen dedit, relictis vitae negotiis ac mercimoniis militiam sectari et imperatoris nutui se accommodare cogitur, nec ita intentus est rei familiari, ut praecipuam militiae suae vocationem negligat. 4. Si per negotia secularia intelligeretur *conjugium*, consequens foret, omnes milites debere esse coelibes, ac neminem posse esse militem, nisi sit coelebs. 5. Si de spirituali milite dictum apostoli acciperetur, consequens foret, neminem spiritualem militem esse posse ac sub vexillo Christi pugnare, nisi idem sit coelebs, sicque conjugati non possent esse spirituales milites Christi. At cur apostolus panopliam spiritualem etiam conjugatis accommodat Ephes. 6. cur jubet, conjugatos *reverti ad conjugalem consuetudinem, ne tentet eos Satanas* 1. Corinth. 7, v. 5. si spiritualis militia in conjugio non habet locum? Recognoscat Bellarminus sua verba ex lib. 5. de pontifice cap. ult. §. Quinto objicitur: *Dicuntur haec* (inquit) *a Paulo tam episcopo, quam aliis hominibus, omnes enim laici, etiam reges milites Christi esse debent.* En hominis vertiginem, ut conjugii jure episcopos spoliet, hoc loco textum apostolicum ad solos episcopos restringit; sed quando locum illum urgemus contra episcopos secularia judicia exercentes, ad omnes Christianos eum refert. **Ibid. dicit per πραγματείας τοῦ βίου *nihil aliud intelligi quam curam victus et proinde negotiationes et mercimonia.* At conjugium non est ex ordine solicitudinum victus, nec cogitur sacerdos propter familiam negotiari, contentus stipendio, ut militibus Johannes praecipit, quod benevolentia auditorum eo liberalius suppeditabit, quo minus curis domesticis vacare potest.** 6. Jubet apostolus, episcopum *domui suae bene praeesse*, quomodo ergo vult eum simpliciter ab omnibus hujus vitae negotiis abstinere? virtutes ad ministerium necessarias in eo locum habere concedit, *qui est unius uxoris vir et liberos habet honeste educatos*, quomodo igitur ad negotia secularia militi spirituali prohibita conjugium referri potest? 7. Si conjugium pertinet ad negotia secularia, ergo patriarchae, prophetae et apostoli, qui plerique omnes in conjugio vixerunt, fuerunt seculares. **Temporalis jurisdictio est res secularis, nihilo tamen minus Bellarminus lib. 5. de Rom. pont. c. 9. et 10. disputat, *non repugnare, pontificem simul esse principem spiritualem et temporalem jurisdictionem habere.*** 8. An vero episcopi Pontificii non implicant se negotiis secularibus, quando politicam jurisdictionem excercent, splendorem plus quam Persicum ostentant, canes ad venatum alunt etc.? Audiatur hac de re Aonius Palearius test. 6. in action. adv. pontifices p. 93: XIII. 196.
Quasi vero (inquit) *regnis inhiare, tyrannidem exercere, bellum conflare, hos atque illos detrudere de regnis avitis, in his spurios suos collocare atque cognatos, excitare reges, advocare caesares, conducere externas nationes, permiscere omnia, perturbare bello provincias Christianas ob regnum obtinendum, agere internuntiis legationibus ultro citroque negotia secularia non sint? Sed quia haec sunt sanctissimorum pontificum Romanorum propria, ad ea venio,*

quae sunt eorum asseclarum. Quasi vero ambitione titillari, subviridis pilei et rosei desiderio ardere et primam cathedram in ecclesia appetere, in fastu illo per urbem incedere, palatia exaedificare ad memoriam, piscinas et septa ad gulam, equos alere et canes ad voluptatem et sexcenta parare, ut in omni luxu vivant, negotia secularia non sint? 9. Dicterio illi, quod nuptiae sint *pedicae*, opponimus institutionem conjugii, in qua uxor ipsius Dei ore appellatur *viri adjutorium* Gen. 2, v. 18. Prov. 14, v. 1. (quod non intelligendum est, eam *in re familiari* quidem esse levamentum, sed *in vita spirituali* obstaculum et impedimentum, quia nec Rebecca Isaaco, nec Elizabetha Zachariae pietatis impedimentum fuit et Nazianzenus matrem suam hoc nomine commendat, quod patri episcopo fuerit *non solum adjutrix, sed etiam dux ad pietatem*). Itemque quod Chrysostomus serm. in evang. *Nuptiae factae sunt*, negat, nuptias esse aliquod pietatis et sanctitatis obstaculum. *Dominus* (inquit) *nuptiis interfuit et tu nuptias arguis et dicis, nuptias ad pietatem obstaculum esse? nullum enim ad pietatem est obstaculum.* homil. 56. in Matth.: *Prophetae quidem omnes et uxores et domos habebant, sicut Esaias et Ezechiel et eximus ille Moyses, et nihil hinc virtuti eorum fuit impedimento.* homil. 7. in epist. Hebr.: *Quomodo honorabiles sunt nuptiae et torus immaculatus, si nos tantopere impediunt? quid ergo? possibile est et valde possibile, etiam habentes uxores virtutem aggredi, si voluerimus, quomodo? si habentes tanquam non habentes simus, si non gaudeamus in his, quae possidemus, si mundo utamur tanquam non utentes. Si autem aliqui impediti sunt ex nuptiis, sciant quoniam non nuptiae illis impedimentum fuerunt, sed voluntas, quae male utitur nuptiis. Nam nec vinum facit ebrietatem, sed mala voluntas et excessus moderationis. Utere cum moderatione nuptiis et primus eris in regno et omnibus frueris bonis.* 10. Cum Paulus uxoribus tribuat τὸ *οἰκοδεσποτεῖν* 1. Tim. 5, v. 14. ac Salomon asserat, prudentem mulierem *aedificare domum* Prov. 14, v. 1. utique pia uxor episcopo poterit esse adjutorium, per quam multis curis domesticis et negotiis secularibus exoneretur. **Bellarminus de sacram. matrim. c. 2. et 32. *conjugii essentiam* collocat *in ratione sacramenti et propterea judici laico ejus cognitionem* subtrahit, *quia res sit spiritualis; ipsos etiam actus conjugales seu commistionem corporum ad magnum mysterium et significationem unionis Christi et ecclesiae* refert Innocentius 3. in c. debitum de bigam. quomodo igitur conjugium erit res secularis?**

3. 1. Cor. 7: ut orationi instare possitis.

351. 3. *Idem apostolus* 1. Cor. 7. *jubet conjugatos vacare ex consensu ad tempus ab opere nuptiarum, ut orationi instare possint, ex quo per bonam conscientiam deducit Hieronymus in c. 1. Tit. et lib. 1. in Jovinian. eum praecipere episcopis et aliis hominibus sacratis, ut perpetuo a nuptiarum opere vacent, cum quotidie orationi insistere debeant. Eodem argumento utuntur Origenes homil. 23. in Num. et Epiphanius in haeres. Catharorum.* Respondemus: 1. nequaquam apostolus praecipit conjugatis abstinentiam ab opere nuptiarum hoc sensu ac fine, quasi preces usu conjugii impediantur vel coinquinentur, quomodo enim orationem impediet ac inquinabit, quod est *sanctum, mundum ac honorabile* 1. Cor. 7, v. 14. 1. Tim. 2, v. 15. Tit. 2, v. 4. Hebr. 13, v. 4. quod cum timore Dei, dilectione et fide consistit? 1. Tim. 2, v. 15. quod est sancta Dei ordinatio etc.? Quinimo Petrus jubet viros *συνοικεῖν*, *cohabitare*, 11 *secundum scientiam mulieribus, ne impediantur orationes ipsorum* 1. epist. 3, v. 7. ergo eo modo cohabitari potest uxori, ut oratio non impediatur. Abraham propheta cum pro rege Abimelech intercederet Gen. 20. non abjecit Saram conjugem suam. **(Notentur igitur sequentia 1. Paulus Spiritu Dei illuminatus hanc consequentiam ex suis ipsius verbis nectendam noverat et tamen non obstante qualicunque ratiocinatione unius uxoris viro tribuit dona omnia, quae in fideli et perfecto episcopo requiruntur. 2. Contradicit sibi Bellarminus, dum conjugium praedicandum censet *tanquam rem bonam* et tamen precibus et rei sacrae contrarium statuit. Quod hominem a precibus et per consequens a vita aeterna avertit, non potest in theologia dici *bonum*. 3. Abraham pater credentium, Moyses, qui cum Deo a facie ad faciem locutus est, Aaron et omnes summi sacerdotes, qui quotidie serviebant coram Domino, David, qui mane surgebat ad laudes Domini et vesperi illis indormiebat nec media nocte beneficiorum divinorum obliviscebatur Psalm. 92. et prophetae innumeri conjuges habuerunt, et tamen debitum precum Deo persolverunt ac tam grata laudum holocausta ipsi obtulerunt, ut cum illis omnia monachorum murmura ne minima quidem ex parte comparanda sint. 4. Confundit Bellarminus actus conjugii cum conjugio ipso. *Matrimonium*, inquit, *impedit munus sacrificandi, studium orationum* etc. mox ubi ad probationem deveniendum, *operi nuptiarum et actui conjugii* pollutionem et depressionem spiritus asscribit. Ab actu vero conjugali ad conjugium non valere consequentiam ipse contra Clichtovaeum dixit lib. 1. de clericis c. 18. et Paulus hoc loco aperte innuit. Non enim propter preces et jejunia dissolvit contractum conjugii, sed actum tantum sustulit ad tempus, quo exacto jubet eos iterum convenire etc. *5. Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis*, inquit Augustinus de bon. conjug. c. 16. Sicut ergo precibus nequit intentum habere animum, qui curis conjugii sese dedidit aut cupidini nimis indulget; ita nec qui victui conquirendo totus incumbit aut ultra satietatem appetitui indulget, nec tamen cibus et potus propterea condemnantur in sacerdotibus, nisi si vacandum sit jejunio. Alias si conjugium propterea repudiandum, quia dum ejus opera quis exercet, preces fundere nequit, nec edendum erit, nec bibendum, imo nec jus dicendum, nec pharmaca aegrotis miscenda, quia dum haec agimus, sacris vacare non possumus. Alex. Carerius jurisconsultus Pontificius libr. 3. de spons. et matr. c. 3. fol. 142: *Non ea*

*ratione, quia semper orandum est, ut putat Hieronymus contra Jovinianum lib. 1. c. 19. sacris ordinibus continentiae votum annexum est, siquidem habitu, non actu semper orandum est, quod conjugati quoque efficere valent.)*** 2. Nec loquitur apostolus *de communibus et quotidianis Christianorum precibus.* Si enim sensus esset, eos qui conjugali consuetudine utuntur, non posse vel debere orare, quomodo locum haberent illae regulae Luc. 18, v. 1: *Oportet semper orare et non deficere.* Eph. 6, v. 18: *Orantes omni tempore in spiritu.* 1. Thess. 5, v. 17: *ἀδιαλείπτως, sine intermissione, orate.* Certe si de communibus et quotidianis precibus apostolus loqueretur, omnibus a matrimonio foret abstinendum, ac nemo in conjugio salvari posset, quia cui invocatio, eidem etiam fides et Spiritus inhabitatio adimitur Rom. 10, v. 13. 3. Loquitur igitur *de solennibus orationibus*, quae vel ob insignem aliquam publicam, vel domesticam calamitatem, vel ob ministros ecclesiae deligendos, vel ex alia quadam causa suscipiebantur, in quibus cum propheta Joële c. 2, v. 16. monendum ac suadendum, *ut sponsus de thalamo suo et sponsa de cubili suo egrediatur*, et ex Zach. 12, v. 12. *ut familiae plangant seorsim ac mulieres earum plangant seorsim.* Tales publicae et solennes orationes in aliquot dies producebantur, in illis ut conjuges a congressu conjugali sibi temperent, apostolus suadet, non quod consuetudo conjugalis in se ac per se sit illicita et preces impediat vel inquinet, sed ut ceteris negotiis omnibus posthabitis se totos dedere possint studio pietatis, ardori precum et interiorum affectuum culturae. Veteres enim talibus temporibus non tantum licitas delicias a se abdicabant, sed etiam a necessariis, cibo, potu, somno, negotiis etc. abstinebant. 4. Hanc interpretationem nostram probat ipse contextus, neque enim dicit apostolus, *nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus*, ut orare possitis, sed *ἵνα σχολάζητε, ut vacetis orationi*, intelligitur ergo peculiaris et solennis oratio, quae fit majori intentione animo ab omnibus externis interius revocato. Idem manifestius evadit
XIII. 197. ex eo, quod additur, *ut vacetis orationi et jejunio*, intelliguntur ergo preces illae solenniores, quae cum jejunio erant conjunctae. Chrysostomus homil. 19. in 1 Cor.: *τὴν μετὰ πλείονος σπουδῆς προσευχὴν ἐνταῦθα λέγει, eam quae fit majori studio orationem intelligit* (apostolus). *Si enim orare prohibet eos, qui inter se conveniunt, sine intermissione orare quomodo tempus habuerit? licet ergo et cum uxore habere consuetudinem et attendere orationi, sed per continentiam ea fit exactior, ἀκριβεστέρα γίνεται. Non enim dixit absolute, ut oretis, sed vacetis, utpote quod res procreet privationem otii, sed non immunditiam, ὡς ἀσχολίαν ἐμποιοῦντος τοῦ πράγματος, ἀλλ' οὐκ ἀκαθαρσίαν.* Idem repetit Theophylactus in comm. h. l. Ambrosius ibidem: *Quanquam sine intermissione orandum sit, meditatio enim haec omni die facienda est, tamen ut orationi insistatur, huic rei vacandum praecipit interpositis temporibus ad Dominum promerendum. Ut enim misereatur, mundius exorandus est. Quamvis munda sint conjugia, tamen a licitis etiam abstinendum est, ut facilius ad effectum deducatur oratio.* Refero huc locum pulcherrimum ex Brentio in apol. confess. Wirtenb. p. 688: *Loquitur apostolus non de privata, sed de publica precatione. Nam et Paulus protrahebat Troade sermonem usque ad mediam noctem, et postea Christiani in exspectatione periculorum solebant noctu convenire ac salutem suam Domino publicis precibus commendare; unde et vigiliarum nomen deductum est, et meminerunt Tertullianus ac Plinius antelucanorum coetuum, quibus Christiani soliti sint ante lucem convenire carmenque Christo dicere. Cum igitur Paulus hortatur conjuges ad tempus abstinere, ut vacent precationi, loquitur de hac publica precatione, quae noctu in conventu ecclesiae fiebat. Nam ut liceret hunc conventum visitare suis temporibus et preces suas cum ecclesia publice conjungere, necessarium erat, ut conjuges interea temporis a concubitu abstinerent. Quod autem ad domesticam et privatam precationem attinet, conjugium multo plures et majores affert occasiones invocandi Deum et gratias Deo agendi quam coelibatus. Christus et Paulus docent, semper ac sine intermissione orandum esse, ad hoc praestandum juxta veram ejus sententiam pii conjuges nunquam non suam habent opportunitatem, nunc enim periclitantur de fama, nunc de facultatibus, nunc de liberis, nunc de persecutione, nunc de aliis incommodis. Semper igitur habent, quo attollant corda et capita sua ad invocandam coelestem opem. Interea autem si quid beneficiorum a Deo acceperint, si ex ipsorum conjugio et mutuo tam erga se invicem quam erga liberos affectu admoneantur de affectu Dei Patris erga ipsos ut sponsam seu ut membra ecclesiae suae, quanta haec est occasio laudandi nominis divini et gratias agendi ipsius clementiae.* 5. Est igitur in argumento adversariorum fallacia causae, apostolus enim ab usu conjugali abstinere vel permittit, vel ad summum suadet tempore precum solennium, non quasi preces usu conjugii impediantur vel polluantur, sed *σχολῆς ἕνεκα*, ut conjuges rebus aliis minime impediti hoc rerum agere possint, sed Pontificii putant, preces ministrorum ecclesiae impediri penitus, si in conjugio ipsi vivant, ubi observa apostolum, ne eo quidem in casu uti generali aliquo praecepto, sed suasu duntaxat et consilio. *Nolite* (inquit) *fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*, sed Pontificii tantam sibi arrogant potestatem, ut toti ministrorum ordini perpetuam a conjugio abstinentiam imponant.

352. 4. Ex V. T. Bellarminus ea adducit loca, *in quibus continentia ab uxoribus requisita fuit ab iis, qui Deo propinquaturi vel rem aliquam sanctam tractaturi erant.* Exod. 12. *praecipitur, ut comesturi agnum paschalem renes suos accingerent, quo significabatur juxta Gregorium hom. 22. in evangel. debere eos carnis voluptatem edomare,* 4. Ex V. T.

qui agnum paschalem comedunt. Exod. 19. *cum populus legem a Deo accepturus esset, ait illis Moyses: Estote parati in diem tertium et ne ap-*
XIII. 198. *propinquetis uxoribus vestris, quo testimonio utitur Ambrosius lib. 1. de officiis cap. ult. ad probandam continentiam clericorum.* Exod. 28. *praecipit Deus, ut Aaron et filii ejus, cum ingrederentur tabernaculum, feminalibus lineis a renibus usque ad femora tecti essent, quo juxta Bedam lib. 3. de tabernac. c. 9. significatum est, debere sacerdotes N. T. aut virgines esse, aut contracta cum uxoribus foedera dissolvisse.* 1. Sam. 21, v. 4. *noluit Achimelech sacerdos dare Davidi panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset, eum ab uxore aliquamdiu se continuisse, ex quo Hieronymus in c. 1. ad Tit. deducit, perpetuam requiri in sacerdotibus continentiam etiam ab uxoribus, qui corpus Christi, quod illo pane propositionis significabatur, conficiunt, edunt aliisque tradunt. Denique ex 1. Paral. c. 24. et Lucae 1. colligitur, sacerdotes V. T. per vices suas ministare solitos et toto eo tempore, quo ministrabant in tabernaculo, a domo et uxore abfuisse, ex quo deducunt Siricius, Innocentius et Beda, quodsi illi tempore, quo ministrabant, ab uxoribus abstinebant, omnino decere, ut sacerdotes nostri, qui non per vices, sed semper ministrant, semper ab uxoribus se contineant.* Respondemus primum in genere, deinde in specie. In genere 1. haec omnia sunt Levitica, quae non obligant N. T. ministros, mutato enim *ac translato sacerdotio necesse est*, mutationem ac *translationem legis fieri* Hebr. 7, v. 12. Quodsi ergo vel maxime conjugalis consuetudo Leviticam aliquam immunditiem attulisset, quod tamen ex Mosaicis legibus non potest demonstrari, tamen nihil quidquam id praejudicaret libertati ecclesiae in N. T. Contactus mortui hominis contaminabat juxta legem Leviticam V. T. nihilo tamen minus Ignatius in epistola ad Antiochenos et Epiphanius in doctrina compendiaria *κοπιῶντας*, id est *laborantes* in sepeliendis mortuis, referunt inter ordines sacros. 2. Haec omnia sunt allegorica. Jam vero *theologia symbolica et allegorica non est argumentativa*, ut loquuntur Scholastici, id est non praebet firmas apodixes. Ex manifesto igitur Scripturae dicto applicatio illarum allegoriarum ad sacerdotum coelibatum prius demonstranda esset. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 3. de verbo Dei c. 3. §. Sed quamquam etc.: *Convenit inter nos et adversarios, ex solo literali sensu peti debere argumenta efficacia.* 3. Si quid efficerent haec argumenta, obtinerent toto N. T. et sic ipsius *Christi et apostolorum tempore* coelibatum fuisset ordinibus sacris annexus, et *quidem jure divino*, quod tamen Bellarminus non audet asserere, sed ad jus positivum hanc conjugii prohibitionem revocat. In specie respondemus: 1. Non soli sacerdotes, sed omnes Christiani adulti fiunt participes corporis et sanguinis Christi per agni paschalis carnem et sanguinem praefigurati, omnes igitur debent habere *renes accinctos*, id est domare carnis concupiscentias, sed quid hoc ad conjugii prohibitionem? num in eo non potest locum habere concupiscentiarum carnalium mortificatio? exclusi igitur erunt conjugati ex pronuntiato illo apostolico, Gal. 5, v. 24: *Qui Christi sunt, crucifixerunt carnem cum suis affectibus et concupiscentiis*, sicque ab ipso Christo exclusi erunt. **Agnum paschalem comedebant non tantum coelibes, sed et conjugati. Poterant igitur etiam conjugati renes accingere et, quod hoc typo significabatur, carnis voluptatem edomare. Quid enim? num pii conjuges carnis voluptatem non edomant, sed libidinis exercendae causa cohabitant? an non ipsis quoque dictum, ut possideant vas suum in sanctificatione etc.? Si ex hoc ritu infertur coelibatus, erit omnibus imperatus, quia omnes jussi erant renes accingere.** 2. Non solis Levitis a Moyse praeceptum, ut ante promulgationem legis ab uxorum consuetudine abstinerent, sed toti populo. 3. Per femoralia sacerdotum Leviticorum denotetur sane castitas, sed cum castitas etiam conjugatis sit communis, ut in hoc ipso cap. Bellarminus concedit, ideo pro adstruendo perpetuo sacerdotum coelibatu in femoralibus illis Leviticis Bellarminus etiam curiose quaerens nihil invenire poterit. **(1. Si accessuros ante faciem Domini oportet liberos esse a commixtione uxorum, nemo unquam uxorem tangere debet, quia omnes ad Deum quotidie oportet accedere. 2. Moyses non tollit contractum conjugalem, sed suspendit tantum actum, quod in suis quoque presbyteris observare potuissent Pontificii. 3. Signa et typi externi V. T. non sunt trahendi ad libertatem N. T., alias purificationes quoque leprosorum et puerperarum reducendae essent, et sicut Moyses jubebatur calceos exuere in loco sancto, sic Pontificiis sacerdotibus sanctuarium non esset calcandum nisi discalceatis. 4. Fallacia est causae secundum non causam. Praesupponitur, abstinentiam ab uxoribus propterea praecipi, quod consuetudo conjugalis inquinet, cum fuerit admonitio de agnoscenda cordis impuritate.) ** Causa
hujus constitutionis de femoralibus lineis sacerdo- XIII. 1
dotum non est typica conjugii prohibitio, sed honestatis ac munditiei observatio. Exod. 20, v. 26. 1. Cor. 12, v. 23. **Mirum vero, cur typus iste de lineis femoralibus comprehenderit tantum N. T. sacerdotes et non V. a quibus gerebatur. Nihil immundum volebat in sanctuarium Moyses inferri. Atqui conjugati in eo quotidie versabantur, ergo conjugium non inquinabat nec immundos homines reddebat.** 4. Si ex eo quod panes propositionis non fuerunt dati nisi iis, qui ab uxorum complexibus abstinuissent, recte inferri posset, perpetuam in sacerdotibus requiri continentiam, utique etiam inferri ex eo posset, in omnibus omnino Christianis eandem requiri, cum omnes corpus Christi per panes propositionis praefiguratum percipiant. In primitiva ecclesia Christiani quotidie communicabant, ut ex eccles. histor. constat, et tamen ministri erant conjugati. 5. Nuspiam asserit V. T. historia, vices sacerdotales ideo fuisse institutas, ne consue-

tudo conjugalis sacerdotes ad ministeria indignos redderet. Quinimo constat ex 1. Paral. 23. quod vices illae quadringentis plus minus post Moysen annis a Davide fuerint institutae, interea temporis sacerdotes semper fuere conjugati. Ipse summus pontifex singulis diebus mane ac vesperi jubebatur Domino offerre sacrificium Exod. 29, v. 38. et tamen generabat liberos Num. 28, v. 3. qua de re tractat Augustinus quaest. 82. in Levit. Nec ulla exstat lex, quae sàcerdotibus prohibeat consuetudinem conjugalem ac jubeat eos abesse domo propria tempore vicis suae, neque exstat lex, quod sacerdotes ex domibus suis venientes per aliquod tempus purificandi sint, priusquam templum ingrederentur. **Zacharias in exedris templi manebat, non quod lege juberetur, sed quod in civitate Juda habitaret et peregre advenisset. Si Leviticis sacerdotibus, in quibus tantam puritatem lex exigebat, probrosum non erat in consuetudine conjugali vivere, quanto minus ea contaminabit ministros ecclesiae in N. T. de quibus expresse apostolus dicit, constitui presbyteros, si quis est unius uxoris vir. ** Invertimus igitur Bellarmini argumentum. In V. T. matrimonium ejusque usus concessus fuit sacerdotibus ac moderatio duntaxat certis temporibus mandata. Ergo idem concedendum ministris N. T. ne graviore quodam premantur jugo quam V. T. sacerdotes. **1. Nullibi in tota lege Mosaica consuetudo conjugalis refertur inter res immundas, propter quam a sacris abstinere conveniat. 2. Variae rationes contaminationis a mulieribus traduntur in lege Moysis, utpote in puerperio, in fluxu menstrui, sanguinis etc. 3. Fluxus purulentus, effusio seminis inopinata immundos reddebant viros usque ad vesperam, nec tamen Pontificios a sacerdotio vel ecclesia arcent. 4. Contactus cadaveris contaminabat. et tamen officium curandi funera ab Epiphanio et Hieronymo refertur inter sacros ordines.**

Ia 353. Alteram argumentorum classem deducit Bellarminus ex conciliis, pontificum decretis, imperatorum rescriptis ac patrum testimoniis et exemplis. Respondemus: de illis in specie et sigillatim tractat D. Chemnicius part. 3. examin. in cap. de coelibatu sacerdotum, quem tractatum a se nondum visum Bellarminus asserit, uti etiam Mornaeus lib. 2. de sacrif. missae cap. 10. p. 649. In genere monemus 1. de his omnibus ex Scriptura faciendum esse judicium, ut suo loco evidenter fuit demonstratum. 2. Si vel maxime sacerdotum coelibatus conciliorum decretis et patrum testimoniis stabilitus esset, tamen *ecclesiastica quadam lege* duntaxat niteretur, nequaquam vero *jure divino* vel *apostolorum instituto*,
00. proinde cum constitutionis hujus incommoda sint manifesta, cum Aenea Sylvio, Georgio Cassandro et oratore Bavarico concludendum, quod legem illam hisce hominum moribus ac temporibus abolere conveniat. Quo pertinet illa regula Gratiani: *Quando statutum aliquod non amplius aedificat, sed destruit, non est rigide et inclementer defendendum, sed pro ratione aedificationis ecclesiae mutandum.* 3. Pro adstruendo sacerdotum conjugio conciliorum et patrum dicta, ecclesiae primitivae exempla, quin et propriam adversariorum confessionem produximus paulo superius. 4. Quamvis pontificum decretis et particularium conciliorum statutis coelibatus satis mature ordini ministrorum obtrusus fuerit, tamen diu illis fuit reclamatum, praesertim in Germania, ut supra fuit demonstratum. 5. Provincialium synodorum, Neocaesariensis scilicet, Romanae, Elibertinae, Arelatensis secundae et Ancyranae canones, qui ministrorum ecclesiae conjugiis adversi per Nicaenam oecumenicam synodum fuere repressi, in ea siquidem Paphnutius martyr ostendit, *presbyteris conjugatis usum conjugii non esse lege prohibendum, cum scriptum sit, Honorabile matrimonium in omnibus.* 6. Si in specie conciliorum et patrum testimonia a Bellarmino adducta excuterentur, manifestum fieret, quaedam esse depravata, quaedam supposititia, quaedam ad temporum illorum conditionem aptata, quaedam ex humanis praesumtionibus et seculorum istorum erroribus orta ac Dei verbo repugnantia.

354. Ultimam argumentorum classem deducit Bel- 3. Ex ratione.
larminus ex ratione: *Conjugium vehementer impedit ecclesiastica munera. Ergo aequum fuit, ut sacerdotibus conjugia prohiberentur. Antecedens probatur. Ecclesiasticorum munera sunt sacrificare, orare, docere, exhortari, sacramenta ministrare et curam pauperum gerere. At matrimonium impedit 1. munus sacrificandi, quia summa quaedam puritas et sanctitas in eo requiritur, in actu vero conjugii negari non potest, quin admixta sit quaedam impuritas et pollutio, non quae peccatum sit, sed quae ex peccato tamen nata. 2. Studium orationis et lectionis, in quo sacerdos assidue versari debet. Oratio enim requirit mentem elevatam, purgatam et tranquillam, sed actus conjugii maxime hebetat aciem mentis et deprimit ad inferiora et animam ipsam quodammodo carnalem facit. 3. Efficaciam praedicationis; quomodo enim efficaciter exhortabitur virgines et viduas, qui liberis perpetuo operam dat? 4. Curam pastoralem; nam qui uxorem et liberos habet, de illis semper cogitat et affectus, quo oves suas prosequi deberet, in uxore et filiis totus consumitur. 5. Curam pauperum et hospitalitatem ac benignitatem. Nam qui uxorem et liberos habet, debet eis thesaurizare, et raro inveniuntur conjugati, qui superfluum habeant. Adde quod cum clericus non possit suis relinquere beneficia, et tamen omnis pater cupiat bene prospectum filiis suis, cogerentur esse avarissimi et vendere sacramenta. 6. Sacramentorum administrationem; tunc enim vix distinguerentur clerici a laicis et esset sicut populus, sic sacerdos. Inde cum tempore Gregorii VII. sacerdotes in Germania coepissent uxores ducere, tantus contemtus sacramentorum secutus est, ut passim laici sacramenta administrarent referente Nauclero.* Respondemus primum in genere. 1. Argumenta haec aut efficiunt, sacerdotes conjugatos plane non posse sacrificare, studio orationis ac lectionis incum-

bere, efficaciter praedicare, curam pastoralem erga auditores et erga pauperes liberalitatem exercere ac sacramenta praedicare; aut haec duntaxat probant, sacerdotes conjugatos in illis sacerdotalis officii operibus impedimentum aliquod ex conjugis et liberorum cura sentire, nec tam *ἀπερισπάστως καὶ ἀνεμποδίστως* in eis versari atque coelibes. Si prius, injurius est Bellarminus in patriarchas, prophetas et apostolos, quorum plurimi in conjugio vixerunt ac nihilo tamen minus ecclesiae ministerio functi sunt Si posterius, hoc duntaxat obtinet, quod satius sit,
XIII. 201. in coelibatu vivere sacerdotes quam in conjugio, nequaquam vero quod sacerdotes nec possint, nec debeant in conjugio vivere. Monendum tamen, quod assertio illa, satius esse in coelibatu vivere sacerdotes quam in conjugio, cum temperamento distinctionis 1. Cor. 7. monstratae sit intelligenda, de illis scilicet, qui continentiae dono divinitus sunt instructi, de reliquis vero locum habet regula apostolica, *Melius est nubere quam uri.* Qui enim ustiones sentiunt, tantum abest ut in operibus ministerii expeditiores sint, ut potius in illis rite ac decenter peragendis impediantur plurimum et scandalo sint suis auditoribus. Videatur locus ex Cassandro superius adductus. 2. Deus omnium optime novit, quid conveniat ordini ecclesiastico. Is vero per Paulum apostolum docet, *virum unius uxoris posse esse irreprehensibilem* et omnibus ad ministerium necessariis instructum. Is conjugatos ad ministerium non semel vocavit, is conjugium apud omnes honorabile et omnibus liberum esse voluit, nota enim ipsi naturae peccato corruptae infirmitas, notum ipsi est incommodum illud, quod ex coacto coelibatu oriri posset facillime, videlicet impuritas, scortatio etc. cujus remedium esse voluit conjugium **et testatur experientia, malum ex coacto coelibatu** longe gravius esse, quam quod ex matrimonio metuendum. 3. Si conjugium *vehementer* impedit officia ecclesiastica, quare in V. T. prophetis ac sacerdotibus Deus illud approbavit? mirum est, Deum in illis, quos peculiari quadam ratione officiis ecclesiasticis voluit esse destinatos, non solum tolerasse, sed etiam approbasse id, quod vehementer impedit officia ecclesiastica. Si conjugium est sacramentum, ut Pontificii statuunt, quomodo impedit officia ecclesiastica? num sacramentum aliquod potest ecclesiasticis officiis esse impedimento? Deinde in specie respondemus. 1. Sacerdotes V. T. singulis diebus sacrificarunt, iidem tamen in conjugio vixerunt. Ministrorum ecclesiae N. T. sacrificia non sunt alia quam interna et spiritualia, quae ipsis cum omnibus Christianis (si publicam evangelii praedicationem excipias) sunt communia, omnibus ergo Christianis a conjugio foret abstinendum, 1. Petr. 2, v. 9: *Vos estis sacerdotium sanctum ad offerendas spirituales hostias.* Apoc. 1, v. 6: *Fecit nos reges et sacerdotes coram Deo* etc. Quae de impuritate, pollutione et turpitudine actui conjugali adhaerente Bellarminus hic addit, illis opponimus dictum apostolicum, *ἡ κοίτη ἀμίαντος*, et decretum concilii Nicaeni, *quod συνουσία cum propria uxore sit castitas.* Si ea, quae secessum et secretum quaerunt, impuritatem, pollutionem et turpitudinem coram Deo conjunctam habere censenda essent, de multis naturae operibus idem dicendum foret. Distinguendum inter actum conjugalem et vitium ex peccato illi adhaerens. 2. Studium orationis et lectionis in illis, qui uruntur et a conjugii remedio arcentur, potius impeditur. Quod pios conjuges attinet, illi *cum tribulationes carnis sentiant*, et plures et graviores quam coelibes 1. Cor. 7, v. 28. ideo etiam uberiorem et frequentiorem orationis habent materiam. 3. Si nemo potest exhortari ad virginitatem, qui non ipse sit coelebs, utique nec divites episcopi Pontificii exhortari poterunt ad paupertatem, cum tamen utrumque ex hypothesi Bellarmini in episcopo requiratur. Quanto rectius Chrysostomus qui homil 10. in 1. Tim. 3. expendens, quare apostolus unius uxoris maritum et filios habentem in episcopum eligat, inter cetera sic commentatur: *Oportebat ut ex vicino atque re domestica virtutis suae praeberet indicia. Quis enim crederet, illum alienos quosque subjectos habiturum, qui filios non habuerit subditos? Suae* (inquit) *domui bene praepositum. Hoc et externae sapientiae auctores ajunt, ut qui rem familiarem suam rite administraverit, rei quoque publicae convenienter possit tractare negotia. Est enim ecclesia velut domus quaedam, ac sicuti in domo uxor est et filii ac servi omniumque cura ac regimen incumbit viro, ita ferme et in ecclesia videas, nihil ibi est aliud quam filii et uxores et servi. Quodsi administrationis habet socios ecclesiae rector, habet et domi vir uxorem consortem curarum suarum. At vero* XI
in ecclesia viduarum et virginum alendarum solicitudo est, habet et domi vir et servos et filios. Est autem longe facilius domum quam ecclesiam regere. Qui igitur rem familiarem congrue dispensare nescit, is quo pacto ecclesiae praeesse convenienter posse putandus est? Haec Chrysostomus. Quare cum episcopi officium sit conjuges, patresfamilias, uxores, liberos, servos sui admonere officii, certe id rectissime facere poterit, qui in oeconomia horum ordinum et virtutes didicit, et vitia observavit, nec verbis tantum, sed exemplo etiam suo ordinibus illis praelucere potest, qui in conjugio pie vivit. Adde et hoc, quod conjugium sit speculum ardentissimi illius amoris, quo Christus coelestis sponsus ecclesiam suam complectitur, Ephes. 5, v. 27. hujus in se vivum exemplar et internum testimonium habet is, qui in conjugio pie ac moderate vivit. Sed nec requiritur ab episcopo, ut omnes indistincte hortetur ad virginitatem, etiam eos, qui uruntur, sed sufficit unumquemque hortari, ut dono suo recte utatur et vocationem suam intueatur, ad hoc vero non requiritur, ut in speciali illo statu constitutus sit, in quo vivunt illi, cum quibus res est episcopo, alias nec militem, nec consulem sui admonere posset officii, sed ut pietatis, honestatis ac virtutis exemplo generali omnibus auditoribus praeluceat. 4. Si amor uxoris et liberorum non posset cum cura pa-

storali consistere, utique etiam is a pastorali officio arcendus foret, qui liberos habet ex conjuge demortua susceptos. Atqui talem ad officium episcopi admissum olim fuisse, non potest negatum ire Bellarminus, cum locum apostolicum 1. Tim. 3. ipsemet exponat *de uxoribus, quas ante ordinationem episcopi et diaconi accipiunt.* 5. Cura pastoralis et pauperum cura probe consistere possunt cum conjugio pio, honesto ac decenter tractato. *ἔνεστιν αὐτὸ μεταχειρίσασθαι καλῶς, εἴ τις βούλοιτο*, inquit Chrysostomus homil. 10. in 1. Tim. 3. Distinguendum igitur inter amorem conjugalem honestum ac moderatum et inter ejus excessum vitiosum. Coelibatui *αὐτάρκειαν* et liberalitatem erga pauperes non esse perpetuo conjunctam, multis demonstrari potest exemplis, praesertim monachorum. 6. Discrimen inter clericos et laicos nequaquam tollitur, si libertas conjugii utrisque communis relinquitur, cum vocatio et functio sacra in publica verbi praedicatione, sacramentorum administratione et aliis ecclesiastici ministerii partibus occupata evidens inter utrosque discrimen constituat.

355. Atque haec dicta sint de conjugio ministrorum ecclesiae, quod nititur expressis verbis apostoli 1. Tim. 3, v. 2: *Episcopus sit unius uxoris maritus.* Pontificii vim ac robur argumenti nostri ex loco illo apostolico deducti videntes eo abeunt, ut statuant, *verbis illis non probari in episcopis conjugium, sed tantum excludi a ministerio eos, qui priore conjuge demortua nuptias iterarunt*, quos vocant *digamos.* Sed notandum, quod vere et proprie is demum sit *digamus*, qui *κατὰ ταὐτὸν, simul ac semel*, duas habet uxores, qualis digamia apud populum Judaicum in V. T. et apud gentiles fuit usitata ac qualem apostolus hoc loco in episcopo improbat, nequaquam vero digamus est, qui *successive* duas habet uxores, hoc est qui demortua priore conjuge ad secunda vota transit, 1. cum nuptiae iteratae nuspiam in N. T. prohibitae legantur; 2. cumque aliud sit *δευτερογαμεῖν*, quod in pandectis usurpatur pro eo, quod est secundo uxorem ducere, aliud *ἐπιγαμεῖν καὶ διγαμεῖν*, quod est priori conjugi adhuc viventi aliam superinducere; 3. cum is qui secundam uxorem ducit, non possit maritus uxoris mortuae dici, quippe a cujus lege per mortem est liberatus 1. Cor. 7, v. 39. 4. denique cum vera et proprie dicta digamia sit conjugio opposita. At successiva illa digamia non est conjugio opposita, cum definitio conjugii eidem competit. Contra Pontificii statuunt, *duas esse digamiae species.* Prima, quando quis simul habet duas uxores; secunda, quando quis successive duas uxores ducit et priore conjuge demortua nuptias iterat. Illam omnibus Christianis statuunt prohibitam, hanc specialiter clericis interdictam existimant, ita ut prohibitum sit sacris ordinibus initiare eos, qui quovis modo bigami fuerunt. Porro fictam illam digamiam successivam iterum in tres species subdividunt. Sic enim Bellarminus libr. 1. de clericis cap. 24. resp. ad 7. object. scribit: *Tres sunt species bigamiae, ut interpretes juris canonici docent in titulum de digamis. Prima est digamia vera et propria, quae ex duobus veris matrimoniis oritur. Contingit autem tribus modis, primo ex parte viri tantum, cum vir habuit duas veras uxores; secundo ex parte uxoris tantum, cum uxor habuit duos veros maritos; tertio ex parte utriusque, cum viduus viduam ducit. Secunda est digamia interpretativa, id est quae vere ex natura rei non est digamia, sed juris interpretatione habetur ac reputatur digamia. Contingit autem haec digamia, quotiescunque aliquis ducit secundam uxorem, aut uxor secundum virum de facto, non de jure, sive primum conjugium de jure, sive tantum de facto fuerit. Tertia species est digamia metaphorica, quae consurgit ex duplici conjugio, quorum alterum non verum, sed metaphoricum fuerit. Si enim concilium Ancyranum can. 19. inter digamos haberi jubet eos, qui post votum continentiae ad matrimonium transierunt, siquidem votum continentiae genus est matrimonii animae cum Deo, licet metaphoricum.* Haec Bellarminus addens, *licet illi, qui unam uxorem legitime duxerunt, et alteram non legitime, itemque illi, qui post votum solenne unam uxorem ducunt, vere non sint bigami, tamen ecclesiam* (id est pontificem in jure canonico) *poenam bigamorum etiam ad illos extendere voluisse.* Ad succesivam et interpretativam illam digamiam referunt etiam illud, quando quis ducit fornicariam vel alio modo corruptam, *quando autem fornicarius ducit virginem, id negant esse bigamiam*, in quo conciliando plurimum laborat Bellarminus.

Argumenta nostrae sententiae.

356. Hisce ita expositis sententiam nostram complectimur hac propositione: Vera et proprie sic dicta digamia, qua quis simul habet duas uxores, et clericis et laicis adeoque omnibus Christianis in N. T. est prohibita; sed interpretativa et successiva digamia, qua quis vel viduam ducit, vel demortua priore conjuge nuptias iterat, nec clericis, nec laicis est prohibita, proinde non sunt a ministerio arcendi, qui vel viduam ducunt, vel qui defuncta priore conjuge aliam legitime sibi associant. De priore propositionis parte in loco de conjugio agetur, posteriorem demonstramus sequentibus fundamentis: 1. Iteratae nuptiae post obitum conjugis aut sunt per se piae et legitimae, aut per se turpes et inhonestae. Si prius, perperam prohibentur ecclesiae ministris; si posterius, nulli Christianorum concedendae. Jam vero nuptiae post conjugis prioris obitum *in Domino* iteratae sunt per se piae et legitimae. Rom. 7, v. 2: *Quae sub viro est mulier vivente viro, alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir, liberata est a lege viri.* v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Idem judicium est de viro ex natura relatorum. 1. Cor. 7, v. 39: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quodsi dormierit vir ejus, libera est, cui vult nubat, tantum in Domino.* 1. Tim. 5, v. 14:

1. Ex iteratarum nuptiarum permissione.

Volo juniores viduas nubere. Ergo iteratae nuptiae post obitum prioris conjugis nemini sunt prohibendae. Excipiunt Pontificii 1. Tim. 3, v. 2. *specialiter ab episcopis requiri, ne successive fuerint digami.* Sed de hoc loco paulo post agetur. Hic unicum illud pro secundarum nuptiarum sive successivae digamiae defensione adducimus. Cui competit legitimi conjugii definitio, illud non potest conjugio opponi. Digamiae successivae competit definitio legitimi conjugii, ut constat. Ergo non potest conjugio opponi. Major est manifesta, quia definitio unius oppositi nunquam tribuitur alteri.

XIII. 204. 2. Ex earundem incertis personis necessaria concessione.

357. 2. Idem apostolus in genere praescribit et ἀγάμοις et viduis, *bonum ipsis esse, si sic permanserint*, sed si *se non continent, matrimonium ipsis ineundum esse, cum melius sit nubere quam uri* 1. Cor. 7, v. 8. et 9. ex quo sic colligimus: Quicunque post primas nuptias continere non possunt, hoc est qui donum continentiae non habent ex Deo, ut v. 7. apostolus loquitur, illis non solum permissum, sed etiam praeceptum est, ut matrimonio iterum utantur. Sed eadem repetendi matrimonii causa in personis ecclesiasticis locum habet. Ergo matrimonii repetitione illis non est interdicendum. Nec est quod obvertant, *iteratas nuptias esse intemperantiae notam, ac proinde episcopum ab illis arcendum.* Ea enim in vera duntaxat digamia, qua quis *simul* duas habet uxores, locum habet, nequaquam vero in ea, qua quis *successive* duas accipit. Secundarum nuptiarum post obitum prioris conjugis iteratarum conciliatrix est non effrenis et intemperans libido (quae in vera digamia dominatur, cum una uxor, si libidinis intemperantiam tollas, satisfacere possit legi et usui conjugii), sed causa honesta, licita et necessaria, eadem scilicet quae primarum nuptiarum fuit conciliatrix quaeque non fuit cum defuncta conjuge simul mortua. Qui cum uxore prima ad mortem usque vivit, illi non inuritur intemperantiae nota propterea, quod unius feminae usu contentus fuerit. Qui eadem mente praeditus uxorem primam, primo, secundo, tertio, quarto etc. post nuptias anno morte praematura abreptam amittit, is si aliam causis honestis, licitis et necessariis impulsus ducat, num poterit hoc nomine intemperantiae accusari? Prior non habuit nisi unam, sed habuit usque ad mortem; posterior jacturam in morte primae conjugis factam iteratis nuptiis resarciens nunquam habuit simul duas, sed unius usu itidem semper contentus fuit. Successiva uxorum dualitas non transiit in unum conjugium et conjugii usum, proinde etiam non reddidit eum digamum.

3. Ex apostolica episcopi descriptione.

358. 3. Apostolus jubet eligere episcopum eum, *qui sit sine crimine* 1. Tim. 3, v. 2. Tit. 1, v. 6. Jam vero iteratae nuptiae non sunt crimen aliquod, sed digamia sive polygamia simultanea. Ergo non illas, sed hanc ab episcopo apostolus excludit. Confirmatur argumentum ex serie textus. Primo enim in genere requirit apostolus ab eo, qui eligendus est in episcopum, ut sit ἀνέγκλητος καὶ ἀνεπίληπτος, id est ne sit alicui crimini sive graviori culpae obnoxius, postea in specie exponit, quaenam sint illa crimina, quibus carere debeat episcopus, videl. *ne sit digamus*, digamia scilicet simultanea proprie sic dicta, ne sit πάροινος, ne sit πλήκτης, ne sit αἰσχροκερδής. Bellarminus excipit 1. *vocabulum criminis late et generaliter accipi posse non solum pro peccato, sed etiam pro iis, quae signum praebent incontinentiae vel alterius vitii ac proinde ab hominibus reprehendi solent. Talem vero esse quamlibet bigamiam certissimum est. Nam idcirco in concilio Neocaesariensi can. 7. prohibentur sacerdotes interesse nuptiis bigamorum et etiam apud gentiles pontifices non poterant esse bigami teste Tertulliano lib. 1. ad uxorem, et Servio in lib. 4. Aeneidos. Apostolum igitur hoc velle, quod episcopus nullius rei, quae malam speciem prae se ferat, apud homines possit notari et ideo monogamus esse debeat, quam expositionem tribuit Chrysostomo.* Respondemus: concedimus, episcopum non solum a malo, sed etiam *ab omni specie mali* abstinere debere 1. Thess. 5, v. 22. atque oportere *testimonium bonum habere ab iis, qui foris sunt, ne incidat in opprobrium* 1. Tim. 3, v. 7. sed negamus, digamiam successivam in numero eorum, quae speciem mali habent, requisitam fuisse ab iis, qui juxta normam verbi divini et dictamen rectae rationis judicare voluerunt, in verbo siquidem divino viduis ad secunda vota transire non solum permittitur, sed etiam illis, qui continentiae dono instructi non sunt, injungitur 1. Cor. 7, v. 9. Ipsa quoque ratio ostendit, easdem causas esse posse matrimonii repetiti, quae fuere primum XII initi, eas vero, cum antea fuerint honestae ac licitae, quomodo suas qualitates in matrimonii repetitione mutarent? Judicium Tertulliani secundas nuptias spiritu Montanico damnantis et superstitio coecorum gentilium merito parvi aestimatur. Neocaesariensis concilii can 7. de vera digamia, simultanea scilicet. accipiendus est, quod ostendit ratio addita, *ideo enim presbyter prohibetur interesse nuptiis digamorum, ne videatur eas approbasse nuptias, quarum auctoribus imponenda est per ipsum publica poenitentia* atque ita *semet una pudore suffundat.* Quodsi Neocaesariense concilium viduorum nuptias legitimas improbaret iisque publicam poenitentiam imponeret, repugnaret disertis verbis apostoli Rom. 7, v. 2. 1. Cor. 7, v. 39. ac erroneum aliquod dogma confirmaret. Agnoscit hoc Bellarminus sibi hac in parte, ut solet, contrarius. Sic enim scribit libr. 2. de concil. cap. 8. resp. ad 4: *Concilium Neocaesariense loquitur de eo, qui duas simul uxores habet*, ut recte exponit glossa 31. quaest. 1. can. de his qui frequenter. Quod ibidem Bellarminus addit, *celebritatem iteratarum nuptiarum prohiberi*, facilem habet explicationem, si enim viduae *in Domino* iterum possunt nubere, quod expressis verbis testatur apostolus 1. Cor. 7, v. 39. cur ecclesia vel presbyterium decentem solennitatem repetitis nuptiis vellet denegare, aut illis, qui nuptias repetunt, poenitentiam publicam injungere? 2. Aliter igitur Bellarminus excipit, *videlicet conce-*

dendo nomen criminis hic usurpari pro gravi et letali peccato juxta interpretationem Augustini tract. 41. in Joh. et lib. 1. contra duas epistolas Pelag. cap. 14. negando autem verbis sequentibus, apud Paulum explicari, quod sit esse irreprehensibilem et sine crimine, sed duntaxat declarari, episcopum debere non solum esse sine crimine, sed etiam multis dotibus ornatum, ut monogamia, sobrietate, doctrina etc. Respondemus: proprietas vocum ἀνέγκλητος καὶ ἀνεπίληπτος est satis manifesta, quod scilicet illis denotetur talis, qui gravioribus et notoriis criminibus non est obnoxius, cohaerentia etiam textus satis est perspicua, quod generi subjiciantur species. Probet vero Bellarminus, monogamiam esse peculiarem aliquam virtutem in episcopo requisitam, contra vero iteratas nuptias esse crimen.

4. Ex monogamiae conditione. 359. 4. Si episcopus deberet esse monogamus, aut ratio hujus rei esset moralis, videlicet ob majorem continentiam, vel certe spiritualis sive mystica, videlicet ob significationem conjugii unius Christi cum una ecclesia. At neutrum dici potest. Nam si ratio esset moralis, multo magis requireretur in episcopo, ne esset adulter aut concubinarius, quam ne esset digamus, et tamen videmus adulteros et concubinarios non repelli a sacerdotio, digamos autem repelli. Si vero ratio sit mystica, multa sequuntur absurda. Nam 1. ceterae dotes episcopoporum, quae a Paulo enumerantur, omnes sunt morales, ut sobrietas, hospitalitas, doctrina et ceterae. Cur non etiam ista erit moralis, *unius uxoris vir?* 2. Si ideo episcopus debet esse monogamus, quia ejus conjugium significat matrimonium Christi cum ecclesia, igitur etiam laici debebunt esse monogami, quia eorum quoque conjugium significat Christi conjugium. 3. Si illa est ratio, igitur episcopus debebit ducere virginem et eam semper virginem conservare, ita enim Christus fecit. 4. Debebit episcopus priorem uxorem repudiare et posteriori adhaerere, Christus enim synagoga repudiata adhaesit ecclesiae. 5. Debebit idem episcopus necessario uxorem ducere eaque ne ad punctum quidem temporis carere, Christus enim ecclesia sponsa sua nunquam caret. Bellarminus regerit, *rationem cur episcopi, presbyteri et diaconi debeant esse monogami, partim esse moralem, partim mysticam,* excipit igitur pro asserenda morali ratione, *prohiberi quidem in episcopo etiam concubinatum et adulteria, sed tamen magis prohiberi bigamiam quam ista in deligendo episcopo. Ista enim prohiberi una solum ratione eaque non primaria, digamiam vero duabus rationibus prohiberi, morali*
XIII. 26. *scilicet ac mystica; praeterea etiamsi longe turpior sit concubinatus quam digamia, tamen digamia ex natura sua est signum incontinentiae magis diuturnae firmiusque adhaerentis.* Respondemus: Hic vero apparet effrons impudentia meretricis Babylonicae. An non enim prodigiose absurdum est, concubinarios et adulteros in promotione ad ministerium ecclesiasticum praeferri illis, qui secundum apostolicum ac divinum praeceptum nuptias iterarunt? an non concubinatus perpetuo durans majoris intemperantiae et incontinentiae signum quam interruptae nuptiae? an non concubinatus et adulterium directe pugnant cum lege divina, quod de iteratis nuptiis dici nequit? ostendant enim, digamiam successivam alicubi esse prohibitam, probent, iteratas nuptias esse signum majoris intemperantiae quam concubinatum vel adulteria. Deuterogami aliquando non tam ustionis restinguendae gratia quam ob rei familiaris curam nuptias iterant, sed concubinarii et adulteri solius libidinis causa cum mulieribus consuescunt. Deuterogami honestum ac licitum ustionis remedium quaerunt, concubinarii et adulteri ad nefaria et divinis legibus contraria scelera abeunt. Vocabulum *incontinentiae* est ambiguum, vel enim significat carentiam peculiaris illius doni caste extra conjugium vivendi, quomodo accipitur 1. Cor. 7, v. 5. et 9. vel significat vitium intemperantiae divinis legibus repugnans. Si priore sensu vox ἀκρασίας vel potius ἀνεγκρατείας usurpetur, negamus, eam esse in vitio ponendam, vel a conjugio arcendos esse eos, qui se non continent, quin potius conjugium tanquam ordinarium et divinitus institutum remedium illis est concedendum, ne inveniamur θεομαχεῖν, ut Duarenus recte loquitur. Pro asserenda mystica digamiae prohibitae ratione sic excipit Bellarminus 1. *etiam monogamiam esse dotem moralem, nec quidquam impedire, quominus numeretur dos mystica cum moralibus, si quidem omnes episcopo sint necessaria.* Respondemus: At hoc est principium petere, de eo enim quaeritur, an monogamia sit dos moralis et mystica. Quod pium et honestum matrimonium sit moralis quaedam dos, constat ex divina ejus institutione, sed de monogamia sensu Bellarmini accepta indistincte omnibus ecclesiasticis personis imposita id non liquet. 2. *Non requiri in laicorum conjugio tantam significationis perfectionem, sed sufficere, quod significet conjunctionem Christi cum ecclesia; clericorum vero conjugium debere insuper significare unius Christi cum una ecclesia conjunctionem.* Respondemus: Denuo petitur principium, unde enim probat Bellarminus, in conjugio clericorum majorem significationis perfectionem requiri quam in conjugio laicorum? Et clericorum et laicorum conjugium unam eandemque habet institutionem divinam, eosdem fines sibi habet propositos, eodem modo mysticam Christi cum ecclesiae desponsationem significat. Eph. 5, v. 32. ubi Paulus dicit, sacramenti rationem in ea consistere, *quod duo sint in carnem unam,* quod etiam in viduarum matrimonio locum habet, ac major habenda ratio conscientiarum, ne illis per jugum coelibatus injiciantur laquei, quam qualiscunque hypocriticae continentiae, cui nescio quid mysticae significationis tribuitur. 3. *In solo spirituali conjugio Christi cum ecclesia virginitatem et foecunditatem conjuncta inveniri, nec posse simul utrumque in conjugio humano repraesentari excepto solo Josephi et Mariae conjugio.* Respondemus: quorsum igitur quaeritur talis significatio et reprae-

sentatio in conjugio clericorum, qualis in nullo humano conjugio habet locum? Praeterea si in nullo conjugio praeterquam in solo virginali Mariae et Josephi conjugio simul conjuncta reperiri possunt foecunditas et virginitas, quorum a clericis majorum ordinum requiritur, ut post initos sacros ordines a conjugii usu in posterum abstineant, cum utrumque in idem conjugium non cadat, foecunditas scilicet, quam ante susceptos ordines in usu conjugii habuerunt, et abstinentia a conjugii usu post susceptos ordines, quae virginitatis vicem obtineat? 4. *Christum non repudiasse suam sponsam, Veteris scilicet Testamenti ecclesiam, sed renovasse et pulchram reddidisse et ex ancilla liberam fecisse.* Respondemus: Oseae 1, v. 9. expresse dicitur: *Voca nomen ejus: Lo-ammi, quia vos non po-*
XIII. 207. *pulus meus, et ego non Deus vester; et erit in locum, ubi dictum fuerat eis, non populus meus vos, illic vocabuntur filii Dei viventis.* Rom. 11, v, 20: *Per infidelitatem defracti sunt, tu autem fide stas.* Maximam igitur ecclesiae Israëliticae partem et sic eam, quae olim erat sponsa sua, Christus repudiavit, quod ad argumentum nostrum sufficit, interim reliquiae servatae sunt, quo respicit apostolus Rom. 11, v. 1: *Numquid repulit Deus populum suum? absit, nam et ego Israëlita sum.* Praeterea si Christus sponsam suam eo modo renovavit, ut ex ancilla faceret liberam, ergo etiam episcopus ut repraesentet conjugium Christi cum ecclesia, debet ducere ancillam et eam postea reddere liberam. 4. *Non requiquiritur, ut episcopus semper ac necessario uxorem habeat, sed cum Christus et virgo, et maritus sit, si episcopus uxorem non habeat, repraesentabit Christum virginem; si uxorem habeat, Christi conjugium significabit; monogamia igitur in episcopo requiritur absolute, sed si fuerit conjugatus.* Respondemus: spirituale et mysticum Christi conjugium significari etiam potest per nuptias repetitas, quia episcopus maritus uno eodemque tempore non nisi unam uxorem habet, quod sufficit ad unius Christi cum una ecclesia conjunctionem repraesentandam, nec requiritur ut aliam prius non habuerit. Denique si episcopatus necessario debet repraesentare aut Christum virginem, aut spirituale Christi cum ecclesia conjugium, consequens fuerit, episcopum viduum debere ad secunda vota transire, ut per conjugium suum repraesentet spirituale Christi conjugium, cum virginem Christum non amplius repraesentare possit.

5. Ex loci 1. Cor. 7, v. 2. collatione.

360. 5. Eadem est sententia verborum apostolicorum: *Episcopus sit unius uxoris maritus* 1. Tim. 3, v. 2. quae est dicti 1. Cor. 7, v. 2: *Unusquisque habeat uxorem suam, et unaquaeque habeat maritum suum.* At in dicto illo 1. Cor. 7. non prohibentur nuptiae iteratae, sed adulteria et digamia simultanea. Ergo etiam in verbis 1. Tim. 3. non prohibentur nuptiae iteratae, sed adulteria et digamia simultanea. Ubi nota, apostolum ibidem requirere, ut *episcopus domui suae bene praesit et liberos habeat obsequentes.* Atqui si episcopus uxore demortua non posset aliam ducere, et oeconomiae administrationi, et liberorum educationi digne ac salutariter praeesse vix posset, nam oeconomia et res familiaris carens matrefamilias similis est horto vel *vineae, quae caret septo* Eccles. 36, v. 27. Excipit Bellarminus, *non esse parem rationem, cum 1. Tim. 3. numerus conjugii insuper determinetur.* Respondemus: utrobique unitas conjugis praecipitur, cui digamiam successivam repugnare nondum est evictum. Nam et is unius uxoris vir est, qui uno eodemque tempore non nisi unam habet uxorem, licet eam priore demortua duxerit.

6. Ex 1. Cor. 9, v. 5. ratione

361. 6. Paulus 1. Cor. 7, v. 8. se ipsum inter viduos ponit, interim tamen 1. Cor. 9, v. 5. asserit *se habere potestatem circumducendi uxorem sicut Cephas et reliqui Apostoli.* Ergo nequaquam judicavit, episcopo prohibitas esse iteratas nuptias. Excipit Bellarminus, *apostolum non se numerare inter viduos, sed eos, qui uxore carent, nec potestatem circumducendi sororem uxorem, sed sororem mulierem sibi tribuere.* Respondemus: De posteriore exceptionis membro egimus superius, quod ad prius attinet, fatemur, ex textu non posse evidenter colligi, an inter viduos se referat, interim tamen aliqui veterum censent, etiam Paulum in conjugio vixisse, Ignatius epist. ad Philadelph. Clemens lib. 3. stromat. qua hypothesi stante robur argumento accedit. Praeterea apostolus indefinite pronuntiat, se potestatem habere circumducendi uxorem, neque addit primam tantummodo.

7. Ex textus circumlocutione

362. 7. Potuisset apostolus aperte dicere, episcopum debere esse *monogamum*, si per verba *unius uxoris vir* monogamiam designare voluisset. Cum vero non dixerit, episcopum debere esse monogamum, sed unius uxoris virum, cogere voluit lectores, XIII. 2
ut intelligerent ea verba non de *singularite nuptiarum*, quod sonat nomen monogamiae, sed de *singularite mulieris*, quod significat illud, unius uxoris vir. Non igitur interdicit episcopo apostolus secundas nuptias, sed aliarum mulierum commercium praeter legitimae uxoris commercium. Bellarminus excipit, *si ita cavillari liceat, nunquam finiendas esse quaestiones, vocem monogamus apud Graecos non esse in usu, sed a Latinis primum usurpari coeptam, proinde non esse mirum, si Paulus Graece scribens, ea non fuerit usus, denique hanc ipsam vocem, licet proprie ab unis nuptiis deductam, tamen usitate accipi pro eo, qui habet unam uxorem sive ea prima fuerit, sive secunda, ex quo sequi asserit, ut idem omnino sit monogamus, quod unius uxoris vir.* Respondemus: Bellarminus sibi ipsi contradicit. Si enim idem omnino est monogamus quod unius uxoris vir, et vero monogamus etiam is est, qui habet unam uxorem, sive ea prima sit, sive secunda, utique non poterit ex verbis apostoli 1. Tim. 3, v. 2. *episcopus sit unius uxoris vir*, probari, quod episcopus uxore priore defuncta non possit iterare nuptias, siquidem est et manet unius uxoris vir, si semel et eodem tempore unam habeat, sive ea prima sit, sive secunda. Neque cavillum

est, urgere propriam verborum significationem et negative ex Scriptura argumentari, cum sit perfecta agendorum omittendorumve regula.

363. 8. Quodcunque ex gentilium superstitione originem ducit, merito in ecclesia Christiana judicatur suspectum. Ac deuterogamiae in sacerdotibus prohibitio ex gentilium superstitione originem duxit. Ergo. Assumptum probatur ex ipso Bellarmino, qui allegat Tertullianum libr. 1. ad uxorem docentem, *quod apud gentiles bigami non potuerint esse pontifices*, allegat etiam Servium, qui in comment. libr. 4. Aeneid. testatur, *antiquum fuisse apud ethnicos ritum, quo repellebantur a sacerdotio bis nuptae.* Quo pertinet etiam illud Hieronymi lib. 2. contra Jovinian.: *Unicubas semper inter matronas habuisse decuit, per quas Fortunae muliebri sacra fierent, nullum sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum leges.*

364. Pontificii pro stabilienda sua sententia unicum duntaxat proferunt Scripturae locum ex 1. Tim. 3, v. 2: *Oportet episcopum esse unius uxoris maritum,* quae verba sic accipiunt, quod illis sit prohibitum sacris initiare eos, qui quovis modo bigami fuerint.
. 209. Hanc vero esse genuinam loci apostolici sententiam, Bellarminus 1. de clericis cap. 23. quatuor probare conatur argumentis. 1. ex 1. Tim. 5, v. 9: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor. Eadem phrasi dicitur unius viri uxor et unius uxoris vir. Jam vero certum est, illud unius viri uxor non posse significare, ut vidua non fuerit adultera vel scortatrix, nam scortum non dicitur uxor, si ad adulterum aut scortatorem referatur, sed adultera et meretrix. Deinde continentia ab adulterio et scortatione non solum requiritur in muliere, quo tempore vivit vir ejus, sed etiam postea, dum in viduitate degit, et tamen Paulus non loquitur hoc loco nisi de tempore, quo vir ejus viduae vivebat. Nec potest esse sensus, eligendam esse eam, quae non fuerit multorum virorum uxor simul, id enim frustra apostolus jussisset, cum nunquam et nusquam fuerit ejusmodi casus, ut una mulier esset plurium virorum uxor.* Respondemus: imo vero variis modis fieri potest, ut femina non sit unius mariti uxor, vel si discesserit a viro, vel si repudiata ab eo alteri nupserit priore adhuc vivente, vel si constante matrimonio adulterium perpetret, quia mulier etiam in illegitima conjunctione dicitur habere virum. Joh. 4, v. 18. dicit Chrisus ad Samaritanam: *Quinque viros habuisti et nunc quem habes, non est vir tuus,* nihilo tamen minus antea ad ipsam dixerat v. 16: *Vade, voca virum tuum.* Sic Augustus imperator Liviam a Druso marito petens impetravit gravidam, ea fuit simul duorum virorum uxor; Fabiola apud Hieronymum alteri nupsit vivente adhuc priore marito etc. Quamvis enim talis adultera vel repudiata alteri nubens non sit illius, cum quo consuescit, uxor legitima, tamen uxoris appellationem adhuc retinet. Pari ratione apostolus prohibet in episcopos vel diaconos eligi eos, qui non sunt unius uxoris viri, id est qui vel in fornicatione vivunt, vel plures simul habent uxores, vel dimissa ac repudiata una more Judaico extra casum adulterii ducunt aliam, vel qui ab alio repudiatam sibi eligunt. Quod Bellarminus addit, *apostolum duntaxat de eo loqui tempore, quo vir illius feminae vixerit,* facilem habet explicationem. Requirit omnino apostolus in femina ad ministerium ecclesiae eligenda castitatem conjugalem, interim non excludit castitatem vidualem, cum utriusque violatio pugnet cum sexto praecepto atque efficiat, ne femina illa fuerit unius viri uxor. Res igitur eo redit, quod apostolus tales viduas in ecclesiae ministerium eligi jubeat, quae in virginitate, conjugio et viduitate castitatis leges inviolatas servaverint, qualis fuit Hanna prophetissa, de qua Luc. 2, v. 36. Spiritus sanctus testatur, quod *vixerit cum viro suo annis septem a virginitate sua.* Sed per iteratas nuptias nec castitas violatur, nec macula quaedam viduabus adspergitur, alias non possent *in Domino nubere*, 1. Cor. 7, v. 39. Et quilibet cogitet, quam absurda ex Pontificiorum interpretatione sequatur sententia, quod videlicet ecclesia non debeat eligere illam viduam ac de necessariis illi prospicere, quae matrimonium bis vel etiam ter repetierit, cum ipsemet apostolus jubeat, ut viduae juniores iterum nubant.

365. *2. Ex tempore,* quo Paulus haec scripsit. *Nam eo tempore non erat consuetudo neque apud Judaeos, neque apud gentiles, multo minus apud Christianos, ut unus vir duas simul haberet uxores, proinde quod non fiebat, non erat cur serio prohiberetur. Quod apud gentiles hoc non fuerit usitatum, satis patet ex eo, quod in imperio Romano,* XIII. 210.
quo tunc orbis terrarum regebatur, semper infamis et prohibita fuit polygamia plurium uxorum simul. lib. 1. ff. de his qui notantur infamia. l. neminem C. de incestis nuptiis. l. eum qui ad l. Juliam. de adulteriis. Quod attinet Christianos et Judaeos ex N. T. facile colligi potest, non fuisse apud eos consuetudinem, ut quis duas uxores haberet, semper enim de conjuge in numero singulari loquitur Scriptura N. T. Matth. 5, v. 32. cap. 19, v. 3. et 29. Luc. 14, v. 26. 1. Cor. 7, v. 2. et 27. Eph. 5, v. 33. Legimus etiam Luc. 1, v. 7. Zachariam uxore sterili ad senectutem usque permanente non tamen superduxisse alteram, quod haud dubie fecisset, si id tempore eo licuisset. Scribit quidem Josephus lib. 17. antiquit. c. 2. Herodi regi novem uxores fuisse, at privati homines etiam apud Judaeos jamdudum desierant plures uxores accipere. Respondemus: imo vero et apud gentiles, et apud Judaeos tunc temporis licita erat polygamia simultanea. **Scaliger in notis ad N. T.: *Judaei eo tempore, ut ex Josepho discimus, aut plures uxores ducebant, aut uni concubinas superinducebant, ut hodie Judaei sub Turcico imperio viventes. Paganos vero concubinas uxori superinduxisse, si coner probare, abutar otio meo. Eas etiam postquam Christo nomen dederant, non dimittebant, adeo ut vetustissimi canones Graeci a Tilio editi*

*non admittant Christianum hominem ad diaconatum, qui concubinam domi aleret. Paulus ergo rejicit hominem a munere ecclesiastico, qui aut duas uxores haberet, ut Judaei neophyti, aut qui uxorem et concubinam ex paganismo Christum profitentes. At ii, qui proxime abfuerunt ab aetate Pauli, quomodo interpretati sunt illa verba μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, id est ἅπαξ γεγαμηκότα, quis grammaticus aut jurisconsultus aut philosophus hanc interpretationem sine risu audiverit? Grammaticus nunquam concedet, dici μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, nisi quamdiu habet unam tantum, tametsi mille alias habuerit; jurisconsultus negat, mortuorum liberorum memoriam prodesse patri ad jus trium liberorum adipiscendum, censens patrem trium liberorum esse eum, qui tres superstites habuerit, quamvis viginti antea habuerit; philosophus ait, τῶν πρός τι sublato altero alterum tolli. Patri unicus filius e vivis excessit. Non est amplius pater. Helena a Lycophrone dicitur τριάνωρ, quod Theseo, Menelao et Paridi nupsisset. Quid? τριῶν ἀνδρῶν γυνή diceretur? minime. Theseus enim jam mortem obierat, sed Menelao et Paride superstitibus recte dicitur δυοῖν ἀνδρῶν γυνή, sublato Paride in patriam reversa ἑνὸς γυνὴ ἀνδρός. Quare episcopum aut presbyterum nego μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα dici, nisi quamdiu ei una nupta est. Ea de medio sublata non modo non μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ, sed ne γυναικός quidem ἀνήρ dicetur, sublatum enim est alterum τῶν πρός τι. Qua pace conscientiae suae Tertullianus et alii veteres hunc locum interpretati sunt, non dicam contra apostoli, sed contra animi sui sententiam.*** Alexander ab Alexandro lib. 1. genial. cap. 24. et Coelius libr. 18. antiq. lect. cap. 26. de Persis ac Medis, Plutarchus in Laconicis de Spartanis testatur, polygamiam apud ipsos in usu fuisse. Strabro libr. 11. geogr. paulo ultra medium sic scribit: *Memoriae proditum est, Tapyris* (urbe Parthiae) *morem esse, ut proprias uxores aliis viris nuptui concedant, cum duos tresve filios ex eis susceperint, quemadmodum apud nos Cato indigenti Hortensio Martiam concessit secundum antiquam Romanorum consuetudinem; qualis vero fuerit haec consuetudo*, exponit Plutarchus in vita Catonis Uticensis et in vita Lycurgi, itemque Julius Caesar. libr. 5. de bello Gallico non longe a principio, ubi de Britannis scribit: *Uxores habent deni duodenique inter se communes, et maxime fratres cum fratribus et parentes cum liberis.* Julius Caesar referente Suetonio in ipsius vita cap. 52. legem ferre Helvio Cinnae tribuno plebis jusserat, qua uxores quas et quot quisque vellet ducere liberorum procreandorum causa liceret. Valentinianus imperator referente Socrate libro 4. cap. 32. legem publicavit, *licere cuivis duas simul habere uxores.* Quin imo ex illis ipsis legibus civilibus, quas Bellarminus adducit, colligitur, polygamiam tunc temporis fuisse usitatam, quorsum enim alias prohiberetur, si non amplius fuisset in usu? De Judaeis constat ex Matth. 5, v. 32. et c. 19, v. 3. quod divortia extra casum adulterii apud ipsos usitata fuerint, quodque dimissa illegitime priore conjuge aliam duxerint, priore adhuc vivente. At haec revera est polygamia. Josephus libr. 17. antiquit. Judaic. cap. 1. (juxta Graeci exempli et novae vers. Latin. distinctionem, in antiqua enim est cap. 2.): XIII. 211
Mos nobis est patrius plures simul uxores habere. Quin imo licitum fuit apud illos plures simul domi suae habere conjuges. Justinus Martyr in dialog. cum Tryphone pag. 285: *Magistri vestri μέχρι νῦν, ad hoc usque tempus, et quatuor et quinque uxores unumquemque vestrum habere permittunt, et si quis venustam inspiciens eam expetiverit, cum Jacobi Israëlis et aliorum patriarcharum facta commemorant, tum nihil inique agere similia facientes asseverant.* Vixit autem Justinus secundo post Christum natum seculo Idem sub finem istius dialogi p. 291: *Si permissum esset, quam quis vellet atque ut vellet et quot vellet habere conjuges, quemadmodum faciunt populares vestri, οἱ ἀπὸ τοῦ γένους ὑμῶν ἄνθρωποι (Judaei), per terram omnem, ubicunque peregre sunt aut quocunque proficiscuntur, sub matrimonii nomine mulieres sibi copulantes, longe magis id in Davide permissum fuisset.* Hieronymus in epistola ad Oceanum tom. 2. pag. 321: *Hoc quod dicit unius uxoris virum potest aliter disseri. Ex Judaeis erat apostolus, prima Christi ecclesia de reliquiis Israel congregabatur, sciebat lege concessum, exemplo patriarcharum populo familiare noverat in multis uxoribus liberos spargere. Ipsis quoque sacerdotibus hujus licentiae patebat arbitrium, praecipit ergo, ne eandem licentiam ecclesiae sibi vendicent sacerdotes, ne bina pariter et trina conjugia sortiantur, sed ut singulas uno tempore habeant uxores.* Chrysostomus hom. 10. in 1. Tim. 3. in princip. pag. 1569: *Dicens apostolus unius uxoris virum ἀμετρίαν prohibet, quoniam apud Judaeos licitum erat καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταὐτὸν γυναῖκας.* Idem repetit Theophylactus in illum locum. Theodoretus in 1. Tim. 3: *Olim et Graeci et Judaei cum duabus, tribus et pluribus uxoribus jungebantur.* Leo I. cap. 46. decretorum jubet deponi *sacerdotem, qui simul duas uxores acceperit.* Concilii Toletani canon. extat c. is qui, distinct. 34: *Is qui non habet uxorem et pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris aut uxoris aut concubinae sit conjunctione contentus.* Concilium Neocaesariense et Laodicenum prohibent *presbyteros secundis interesse* nuptiis, quos canones glossa interpretatur de talibus nuptiis, quae contrahuntur vivente adhuc priore conjuge, ut agnoscit ipse Bellarminus lib. 2. de concil. cap. 8. fuit igitur eo tempore polygamia adhuc usitata. Conjecturis, quas Bellarminus affert, parum inest roboris. Quod enim Scriptura de conjuge in numero singulari loquitur, nequaquam probat, polygamiam tunc temporis non fuisse usitatam, quia Spiritus s. loquitur de jure, non de facto. Christus et apostoli ad primaevas conjugii leges nos revocare voluerunt. Quod Zacha-

rias conjugi sterili non superinduxerit alteram, itidem non probat, polygamiam tunc non fuisse usitatam, ab illis, quae facto et moribus licita sunt, saepius abstinent moderati, nec existimandum, apud Judaeos fuisse nullos, qui una uxore fuerint contenti licet sterili. Isaacus totos viginti annos sterile habens conjugium, non tamen Rebeccae aliam superadduxit conjugem, cum ut id faceret, multae essent speciosae rationes, inter quas promissio de benedicto semine et multiplicatione posteritatis, Gen. 25, v. 20.

366. *3. Ex auctoritate patrum*, ubi adducit Tertullianum lib. 1. ad uxor. Epiphanium haeres. 59. Catharorum Ambrosium lib. 10. ep. 82. Hieronymum in comm. cap. 1. ad Tit. Augustinum l. de bono conjug. cap. 18. Chrysostomum hom. 3. ad Tit. quorum sententiis reliquos assentiri dicit, itemque
II. 212. pontifices Romanos. Respondemus: 1. Genus hoc probandi est secundarium. Patres loquuntur pro seculi sui consuetudine, nequaquam vero legem aliquam divinam hic statuunt. 3. Quidam ex patribus nostram sequuntur interpretationem. De Theodoreto id concedit Bellarminus, is 1. Tim. 3. recensens eorum sententiam, qui per *unius uxoris virum* intelligant eum, qui duas aut plures simul uxores non habet, subjungit: *Videntur recte dicere;* item: *His consideratis admitto eorum interpretationem.* Tertullianus fuit Montanista, ejus igitur sententiae hac in parte non est multum tribuendum. Ambrosius in comm. 1. Tim. 3. expresse indicat, *non fuisse simpliciter damnatam* in sacerdotibus digamiam successivam, sed ob honorem sacerdotii etiam a licitis veteres sacerdotes abstinuisse. *Quamvis* (inquit) *secundam numero uxorem habere non sit prohibitum, ut tamen quis dignus ad episcopatum sit, etiam licitum debet spernere propter sublimitatem istius ordinis.* Ac quamvis in literali expositione dicti apostolici sequatur mores sui seculi, tamen in l. de dign. sacerd. cap. 4. illud exponit *de spirituali conjugio episcopi cum ecclesia*, quod scilicet unus episcopus unam ecclesiam, non plures regere debeat. Hieronymus in epist. ad Oceanum nostram sequitur interpretationem, ut paulo ante vidimus. *Praecipit* (inquit) *apostolus 1. Tim. 3. ne eandem licentiam (plures simul habendi uxores) ecclesiae sibi vendicent sacerdotes, ne bina pariter et trina conjugia sortiantur.* In ead. epist. disputat, *eum, qui unam uxorem habuit ante baptismum eaque mortua post baptismum duxit alteram, non esse bigamum*, et adducit exempla plurima talium episcoporum. *Carterius* (inquit) *Hispaniae episcopus homo et aetate vetus et sacerdotio, unam antequam baptizaretur, alteram post lavacrum priore mortua duxit uxorem, et arbitraris, eum contra apostoli fecisse sententiam, qui in catalogo virtutum episcopi unius uxoris virum praecipit ordinandum? Miror autem, te unum protraxisse in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus sit, non dico de presbyteris, non de inferiori gradu, ad episcopos venio, quos si sigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminensis synodi multitudo superetur.* Postmodum oblique pungit Augustinum, qui in concubinatu ante baptismum vixerat, et judicabat, omnino esse bigamum, qui duas uxores habuit, sive ante baptismum, sive post baptismum. *Imputatur* (inquit) *infelicitas conjugis mortuae et libido meretricia coronatur? Ille si prior uxor viveret, aliam non haberet, tu ut passim caninas nuptias jungeres, quid potes excusare? forsitan timuisse te dicas, ne si matrimonium copulasses, non posses aliquando clericus ordinari. Ille in uxore optavit liberos, tu in meretrice sobolem perdidisti.* Idem in comm. Tit. 1: *Multi superstitiosius magis quam verius etiam eos, qui cum gentiles fuerint et unam uxorem habuerint, qua amissa post baptismum Christi alteram duxerint, putant, in sacerdotio non legendos, cum utique si hoc observandum sit, multo magis ab episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint, et multo detestabilius sit fornicatum esse cum pluribus quam digamum reperiri.* Fatemur quidem, Hieronymum libr. 1. contra Jovinian. contentionis aestu abreptum per *unius uxoris maritum* intelligere eum, qui post obitum prioris uxoris alteram non duxit, sed quando sedatior est, nostram sequitur interpretationem, quae etiam ex ipso textu fluit, neque enim dicit apostolus *δεῖ τὸν ἐπίσκοπον γενονέναι*, sed *εἶναι μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα*, ergo non loquitur de tempore praeterito, quod non debuerit successive plures habuisse uxores, sed de tempore praesente, quod non debeat simul habere plures quam unam uxorem legitimam.
Ac de presbyteris dicit *εἴ τίς ἐστι*, *si quis est*, XIII. 213.
unius uxoris vir. Quod si *τὸ εἶναι* de praeterito tempore exponendum esset, eadem ratione inferri posset, eligendum esse eum in episcopum, non qui sit, sed qui fuerit vigilans, modestus, hospitalis etc. Chrysostomus hom. 2. in Tit. 1. col. 1701: *Apostolus hisce verbis unius uxoris virum primo obstruere cupit ora haereticis, qui nuptias damnant, ostendens, eam rem culpa carere, imo ita pretiosam esse, τίμιον, ut cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum episcopatus solium subvehi; deinde castigat* hoc ipso *τοὺς ἀσελγεῖς*, *dum non permittit eos μετὰ δευτέρου γάμου ad ecclesiae regimen assumi. Nam qui πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν non conservavit benevolentiam, quomodo is fiat bonus praeses, imo quibus criminibus non subjicietur indies, τίνα οὐκ ἂν ὑποσταίη κατηγορίαν?* Loquitur Chrysostomus notante D. Chemnicio in locis part. 2. p. 543. de illis, qui illegitime repudiata priori alteram ducunt, nequaquam vero de illis, qui demortua priore alteram ducunt, ut Bellarminus et Lat. Chrysostomi interpres accipiunt. Nam 1. in repetitis nuptiis post prioris conjugis mortem non est *ἀσέλγεια*, quae ubique refertur inter opera carnis et peccata, Rom. 13, v. 13. 2. Cor. 12, v. 21. Gal. 5, v. 19. etc. 2. Per *δεύτερον γάμον* intelligit nuptias vivente adhuc priore illegitime repudiata conjuge contractas, ut constat ex hom. 10. in 1. Tim. 3. ubi Judaeis pecu-

liariter licitum fuisse contendit δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταὐτὸν γυναῖκας, jam vero non solis Judaeis, sed etiam Christianis licitum iterare nuptias demortua conjuge; ibid. etiam Chrysostomus huic suae sententiae opponit aliorum interpretationem de episcopo, qui ἐκ μιᾶς γυναικός sit, ergo Chrysostomi sententia ab illa altera est distincta. 3. Loquitur de illis nuptiis, quae habent πολλὴν κατηγορίαν, id quod de secundis nuptiis in Domino contractis dici nequit. Quantum vero huic interpretationi de bigamia successiva tribuendum sit, ex eo patet. Thomas de Aquino (quem Bellarminus una cum ceteris allegat) disputans de quaestione, *an doctus, pius et idoneus, sed bigamus, et quidem non proprie, sed canonice, hoc est per fictionem juris, unica vidua olim ducta in sacerdotem aut episcopum electus promoveri possit*, postquam super 4. sent. dist. 27. q. 3. art. 1. pro affirmativa validis rationibus dictisque Scripturae disseruerat, tandem contrarium concludit hac sola ratione, quia *papa in decretalibus contrarium dixerit ac praeceperit*, cujus decreti aliquas rationes subjicit, sed futilissimas a canonistis assignatas.

367. 4. *Ex consuetudine ecclesiae*, quae ubique et semper hoc observavit, ut bigamos excluderet ab ordinatione. Respondemus 1. Tertullianus in libr. de monogamia cap. 12. testatur, hoc non fuisse semper observatum, objicit enim Catholicis successivam sacerdotum digamiam. *Cur* (inquit) *non erubescunt quotquot ex digamia praesident apud vos, quando haec ipsis leguntur, oportet episcopum esse unius uxoris virum?* Bellarminus excipit, *id vel ex dispensatione esse factum, vel de iis accipiendum, qui alteram uxorem habuerant ante baptismum, vel vitio et abusu id esse factum;* sed quidquid sit, manet interim illud, nec ubique, nec semper in Catholica ecclesia id fuisse observatum. 2. Hieronymus in epist. ad Oceanum testatur, illorum episcoporum, qui successive duas uxores duxerunt, unam quidem ante baptismum, alteram vero post baptismum, tantum fuisse olim numerum, ut si recensere eos quis velit, Ariminensis synodi multitudo superetur, ad quam imperatoris jussu ex oriente et occidente episcopi quam plurimi convenerunt. Jam vero ex mente Tertulliani, Ambrosii, Innocentii et Augustini Bellarminus illos *vere digamos* esse censet, sic enim scribit lib. 1. de cleric. cap. 23. §. Tertia etc.: *Illi qui alteram uxorem habuerant ante baptismum, a Tertulliano digami censebantur*, et c. 24. §. Contra etc.: *Ambrosius, Innocentius et Augustinus contendunt, omnino habendum bigamum, qui duas uxores habuit, sive ante baptismum, sive post baptismum. Nam baptisma diluit peccata, non solvit con-*
XIII. 214. *jugia et renovat hominem quantum ad vetustatem vitiorum, non quantum ad ea, quae recte se habent. Atque haec sententia tandem praevaluit et ab universa ecclesia recepta est.* 3. Bellarminus ipse concedit §. Proximo citato, *propter hominum paucitatem fortasse dispensasse apostolos cum illis, qui ante baptismum uxorem unam vel plures habuerant, modo non habuissent plures post baptismum.* Atqui tales ex ipsius Bellarmini sententia fuerunt vere digami. Ergo non fuit perpetua ecclesiae consuetudo successive digamos arcere ab ordinatione. 4. Consuetudo ecclesiae non est norma judicandi de interpretatione Scripturae, sed contra potius Scriptura est norma judicandi de ecclesiae consuetudine, absit enim ut cum Bellarmino statuamus libr. 1. de sacramentis cap. 26. §. Ex quo etc., *clariorem esse ecclesiae consuetudinem quam verbum Dei, et proinde ex consuetudine verbum Dei esse interpretandum*, cui assertioni opponimus canones, qui habentur in jure can. dist. 8.

CAPUT VIII.

DE PUGNANTIBUS CUM MINISTERIO.

368. De duobus ministerii ecclesiastici adjunctis, Pugnantia cum ministerio.
salario scilicet et conjugio, diximus hactenus, ad quod caput adjunctorum et alia προσκείμενα referri possent, utpote varia illa charismata, quae Deus in ministros ad ecclesiae salutem confert, mundi odia ac pericula, quibus in officio suo prae reliquis sunt expositi, requisitae virtutes in illis, qui ad ministerium eligendi sunt etc. sed quia de his superius, quantum quidem sufficit, actum fuit, ideo accedimus ad cap. 8. *de pugnantibus cum ministerio.* In pugnantium censum non solum referendi sunt *errores* contra sinceram ac sanam doctrinam de ministerii causa efficiente, materiali, formali ac finali, effectis item ac adjunctis pugnantes, utpote quod Anabaptistae et Neophotiniani negant, vocationem aliquam peculiarem ad hoc munus requiri, quod Svenckfeldiani negant, externum verbi ministerium esse efficax conversionis et salutis organum, quod Donatistae negant, per malorum ministerium verbum praedicatum et sacramenta dispensata esse efficacia, quod Pontificii negant, ecclesiasticas personas in conjugio vivere posse etc. de quibus et similibus erroribus in antithesi cujusque capitis dictum fuit suo loco, sed etiam *vitia illa*, quae tum in personis ecclesiasticis ministerio fungentibus, tum in auditoribus haerent ac ministerii dignitatem non mediocriter labefactant. In personis ecclesiasticis Vitia 1. pastorum.
ipsis tria potissimum deprehenduntur vitiorum genera, quorum quaedam concernunt *officium*, quaedam *doctrinam*, quaedam vero *mores ac vitam.* 1. Ad primum pertinet *abusus officii et potestatis clavium*, qui potissimum in regno papali dominatur. Pontifex enim ministerium docendi convertit in imperium politicum ac clavibus abutitur ad stabiliendam suam tyrannidem et carnificinam conscientiarum, itemque ad faciendum quaestum. Tales Petrus vocat κατακυριεύοντας τῶν κλήρων 1. epist. 5, v. 3. Paulus κυριεύοντας τῆς πίστεως auditorum 2. Cor. 2, v. 24. etc. Huc referenda est παποκαισαρία et

ἀλλοτριοεπισκοπή eorum, qui pedem unum in suggestu, alterum in curia habent, atque ea, quae mere politica sunt, tractare et decidere satagunt, quales Petrus vocat ἀλλοτριοεπισκόπους 1. epist. 4, v. 15. 2. Ad secundum pertinent *corruptelae doctrinae*, ad quas si accedat pertinacia, degenerant in haereses. Qui corruptelas illas et haereses spargunt, ab illis graviter nos praemonent Christus et apostoli vocantes illos *pseudoprophetas* Matth. 7, v. 15. *pseudochristos* Marc. 13, v. 22. *lupos rapaces* Matth. 7, v. 15. *fures et latrones* Joh. 10, v. 8. qui per χρησιολογίας et εὐλογίας *seducunt corda innocentium* Rom. 16, v. 18. *καπηλεύοντας τὸν λόγον τοῦ θεοῦ*
XIII. 215. 2. Cor. 2, v. 17. *δολοῦντας τὸν λόγον τοῦ θεοῦ* 2. Cor. 4, v. 2. *Satanae diaconos* 2. Cor. 11, v. 14. *ἑτεροδιδασκαλοῦντας* 1. Tim. 6, v. 3. *quorum sermo velut gangraena serpit* 2. Tim. 2, v. 17. etc. 3. Ad tertium pertinent *vitia morum ac vitae*, utpote quod aliqui quaestus gratia ad hoc munus adspirant, suum in eo commodum quaerunt et tempore persecutionis ecclesiam deserunt, quos Christus vocat *μισθωτούς*, *mercenarios*, Joh. 10, v. 12. Paulus *ἐργάτας δολίους* 2. Cor. 11, v. 13. qui non auditoris et ipsorum salutem, sed quae sunt eorum quaerunt 2. Cor. 12, v. 14. item quod vitae turpitudine ac gravioribus peccatis quidam sint cooperti, quos apostolus vocat *κύνας* et *ἐργάτας κακούς* Phil. 3, v. 2. propter quos *nomen Dei blasphematur* et doctrina evangelii male audit Rom. 2, v. 24. Distinguendum tamen hoc loco inter ministros *morosos*, qui infirmitatibus humanis ac levioribus naevis sunt obnoxii, et inter *onerosos*, quorum crimina sunt publica, notoria et enormia, quomodo cum utrisque agendum, in cap. de remotione ministrorum expositum fuit.

2. Auditorum. 369. *Auditorum vitia* ministerii ecclesiastici dignitati repugnantia sunt duorum potissimum generum. *1. Contemtus ministerii*, derogatio honoris debiti, salariorum vel nulla, vel parca erogatio, bonorum ecclesiasticorum in usus peregrinos conversio etc. Contra tales contemtores graviter pronuntiat Christus Luc. 10, v. 16: *Qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Itemque Paulus 1. Thess. 4, v. 8: *Qui spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* Ac Christus Matth. 10, v. 10. Luc. 10, v. 7. ac Paulus 1. Cor. 9. multis ostendunt, ministris ecclesiae necessariam sustentationem et stipendia ab auditoribus deberi. 2. *Καισαροπαπία*,
XIII. 216. qua quidam politico magistratui absolutum imperium in ecclesiae ministros vendicant, constitutionem ministerii ad regalia pertinere censent, pro libitu absque ecclesiae consensu ministros constituendi et iterum repudiandi, arbitratu proprio leges praescribendi potestatem ipsi tribuunt, disciplinae ecclesiasticae sese subjicere detrectant, Spiritui s. errores et flagitia taxanti capistrum injicere laborant. Tales erant homines antediluviani, de quibus Deus conqueritur, quod *noluerint Spiritus s.* ministerium in redargutione peccatorum occupatum ulterius perferre, Gen. 6, v. 3. tales etiam erant Sodomitae, qui conciones Lothi legales pro affectatione cujusdam imperii habebant, Gen. 19, v. 9. itemque auditores Jeremiae, qui prophetae in faciem contradicere non erubescebant hisce omnino verbis: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te*, Jer. 44, v. 16. Sed tales contemtores gravissima tandem manet poena, ut praeter exempla hominum antediluvianorum et Sodomitarum docet notabilis textus 2. Par. 36, v. 15: *Mittebat Dominus Deus patrum ipsorum ad Israëlitas per manum nuntiorum suorum mane surgendo et mittendo, eo quod parceret populo suo.* v. 16. *At illi subsannabant nuntios Dei et irridebant sermones ejus illudebantque prophetis, donec adscenderet furor Domini in populum ejus et esset nulla curatio* etc.

370. De reliquis personarum ecclesiasticarum et auditorum vitiis ministerio adversantibus, ut in specie plura afferamus, non videtur operae pretium, illud solum quod de haeresibus ac haereticis diximus, uberiore explicatione videtur indigere. αἵρεσις et αἱρετικός dicuntur ab αἱρεῖσθαι eligere, praeferre, est enim haeresis privata aliqua opinio, quam quis prae dogmate Christiano et fide catholica sibi amplectendam eligit eamque pertinaciter defendit, unde Justinianus nov. 118. haereticos opponit iis, qui sunt τῆς καθολικῆς πίστεως et l. Manichaei C. de haereticis dicitur, quod *haereticus sit omnis non orthodoxus.* c. haeresis etc. caus. 24. quaest 3. ex Hieronymo: *Haeresis Graece ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi quisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* Hebraei haereticum vocant שֶׁקֶר *mendacem*, scurram, sicut 2. Petr. 3, v. 3. dicuntur ἐμπαῖκται, et Psalm. 1, v. 1. לֵצִים *irrisores.* Appellatio Germanica Ketzer deducta est vel a Catharis, quorum hypocrisin studiose imitantur; vel a קוֹץ spina, quia Matth. 7, v. 16. Christus de illis dicit *nunquid colligunt de spinis uvas?* doctrina ipsorum pungit et angit hominum animas; vel a קָצַר *laceravit*, *discerpsit*, quia Scripturas discerpunt ac depravant, 2. Petr. 3, v. 16. Quinam vero proprie et specifice loquendo dicendi sint haeretici, accurata investigatione opus est; unde Augustinus in praefat. lib. de haeres. ad Quodvultd. *difficile esse scribit definire, quis sit haereticus.* 1. Pontifex et canonistae haereticum statuunt esse eum, qui *non in omnibus ac singulis papae decretis obtemperat.* Gloss. in c. Nulli etc. distinct. 19. in verbo prostratus: *Hic videtur quod omnis, qui non obedit statutis Romanae sedis, sit haereticus*, illud postea sic limitat: *Qui dicit, Romanam ecclesiam non esse caput, nec posse condere canones, ille est haereticus.* Lucius papa in c. ad abolendam extra de haereticis etc., sic loquitur: *Universos, qui de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de baptismate seu peccatorum remissione, matrimonio vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere praesumunt, quam sacrosancta Romana ecclesia praedicat et observat,*

Haereticus quis sit? XIII. 217. XIII. 218. XIII. 219.

et generaliter quoscunque eadem Romana ecclesia vel singuli episcopi per dioeceses suas cum consilio clericorum vel clerici ipsi sede vacante cum consilio, si oportuerit, vicinorum episcoporum haereticos judicarunt, vinculo perpetui anathematis innodamus. Sic in regno papali pro haereticis habentur, qui Biblia legunt in sermone vernaculo, qui feria sexta carnibus vescuntur etc. Sed haec regula valde est irregularis, papae enim decreta non sunt fidei principia, cum ex alio principio, Scriptura scilicet sacra, confirmanda sint. Adde quod papa saepe decernat credenda commenta futilia et mendacia. Johan. Aventinus lib. 3. annal. Bojor. refert, episcopum quendam Germanum nomine Virgilium mathematicis artibus institutum a Zacharia papa Romam accersitum et haereseos damnatum esse, propterea quod *antipodas esse* statuerit. Auctor libri conformit. Francisc. fol. 234. col. 3. jussu pontificis Romani editi haeresin esse dicit, non credere nugacissimis illis de Francisco fabulis. 2. Glossa in c. illi, qui peregrinos etc. caus. 24. quaest. 3. variis modis haereticum dici admonet. Uno modo, *quicunque est dubius, in fide infidelis est*, ut juxta de haeret. Dubius; secundo dicitur haereticus *omnis simoniacus*, c. Quisquis etc. caus. 1. quaest. 1. tertio *omnis praecisus ab ecclesia secundum quod excommunicatus dicitur haereticus*, cap. 2. caus. 4. quaest. 1. quarto *omnis qui male interpretatur sacram Scripturam, est haereticus*, c. haeresis etc. caus. 24 quaest. 3. quinto, *qui novam opinionem invenit, est haereticus.* c. Haereticus etc. caus. et quaest. iisdem; sexto, *qui vult auferre privilegium Romanae ecclesiae*, c. Omnes etc. distinct. 22. septimo, *qui transgreditur praecepta sedis apostolicae* c. Nulli etc. dist. 19. Sed hi modi omnes nondum sufficiunt ad haeresin proprie et stricte sic dictam, ut ex sequentibus apparebit. 3. Quidam haereticorum nomine complectun-
XIII. 220. tur omnes religionis Christianae et veritatis coelestis adversarios, sive sint intra ecclesiam, sive extra ecclesiam. Gl. d. l.: *Quandoque large dicitur haereticus omnis, qui non tenet articulos fidei, et secundum hoc Judaei et gentiles sunt haeretici.* Atqui haeretici non sunt extra ecclesiam quaerendi, sed in visibili ecclesia, in quam per initiationis sacramentum sunt recepti. Sic de Corinthiis dicit apostolus 1. Cor. 11, v. 19: *Oportet esse haereses inter vos*, ostendens, in ipso visibilis ecclesiae gremio haereses enasci, quo etiam pertinet parabola Christi Matth. 13, v. 24: *Simile est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo;* v. 25. *cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus et superseminavit zizania in medio tritici et abiit*, ex quo apparet, in eodem visibilis ecclesiae agro triticum et zizania inveniri. De Antichristo, quem diabolicam apostasiam (et omne genus haeresium) *in se recapitulare* Irenaeus scribit libr. 5. advers. haeres. pag. 328. disertis verbis praedicit apostolus, quod sessurus sit *in templo Dei*, hoc est in media ecclesia, et ad Ephesinos episcopos sermone converso pronuntiat Act. 20, v. 13: *Ex vobis ipsis surgent viri loquentes perversa.* Contra vero inter eos, qui *foris sunt*, et eos, qui *intus sunt*, diserte distinguit 1. Cor. 5, v. 12. ex quo loco petita est distinctio Augustini l. 1. contra Cresconium cap. 10. qua alienos a fide Christiana secernit *in extraneos sive paganos, qui foris, et haereticos, qui intus ecclesiam oppugnant*, ac in enchirid. ad Laurent. cap. 4. itidem eos, qui Christianae fidei contradicunt in duas classes distinguit, *aut enim omnino*, inquit, *a Christi nomine alieni sunt, aut haeretici.* Illi rectius dicuntur infideles pagani, ethnici etc. juxta phrasin Christi et apostolorum Matth. 6, v. 7. c. 18. v. 17. 1. Cor. 6, v. 6. c. 7, v. 12. etc. 4. Quidam generali quadam appellatione haereticum dicunt eum, qui aliquoties de emendatione admonitus nihilominus obtemperare renuit. At haec significatio est nimis generalis, quia hac ratione omnes pertinaciter immorigeri essent haeretici ac omnes civitates et domus essent haereticorum plenae. In moribus proprie loquendo non est haeresis, sed in doctrina et confessione, unde haeretici sic describuntur, quod διχοστασίας et *scandala contra salutarem doctrinam pariant*, Rom. 16, v. 17. ac Tertullianus de praescript. cap. 37. inquit: *Unde extranei et inimici apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit aut recepit.* Interim non negamus, vitia morum, utpote ambitionem, invidiam, fastum, avaritiam etc. in haereticis cum errore plerumque esse conjuncta. 5. Quibusdam omnes *schismatici* videntur haeretici, sed si accurate et proprie loqui velimus, haeretici a schismaticis sunt distincti. Quale vero sit illud discrimen inter haereticum et schismaticum exponit Augu- XIII.
stinus lib. de fid. et symb. cap. 10: *Haeretici* (inquit) *de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; schismatici autem dissensionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quae credimus.* Interim negari nequit, magnam esse inter schisma, praesertim inveteratum, et haeresin affinitatem, quamvis enim schisma quandoque oriatur solum, vix tamen invalescit ac vires sumit absque haeresi, neque quisquam fere discedit a fidei sinceritate, quin si asseclas inveniat, etiam ab ecclesia *veritatis columna* secessionem faciat, inde Hieronymus in comment. epist. ad Gal. scribit ac refertur c. Inter etc. c. 24. q. 3: *Inter haeresin et schisma hoc interesse arbitror, quod haeresis perversum dogma habeat, schismatici post episcopalem decessionem ab ecclesia pariter separantur, quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum, ceterum nullum schisma est, nisi sibi aliquam haeresin confingat, ut recte ab ecclesia recessisse videatur.* Et Augustinus libr. 2. contra Crescon. cap. 7. haeresin vocat *inveteratum schisma.* 6. Quidam haereticos simpliciter definiunt eos, qui circa fidem Christianam ac Scripturae interpretationem errant. Imperatores Gratianus, Valentinianus et Honorius sta-

tuerunt, ut haereticorum numero habeatur, qui *vel levi argumento a judicio catholicae religionis ac tramite detecti fuerint deviare* l. 2. C. de haeret. (quam definitionem nimis latam esse ostendunt auctor bruti fulminis f. 131. et Dauth. de testamentis f. 300.) c. Haeresis etc. c. 24. q. 3. ex Hieronymo: *Quicunque aliter Scripturam intelligit quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen haereticus appellari potest.* et c. Haereticus etc. causa et quaest. iisdem ex Augustino lib. de utilit. cred. c. 1: *Haereticus est, qui alicujus temporalis commodi et maxime vanae gloriae principatusque sui gratia falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur* (quam definitionem haeretici, ut hoc obiter moneam, in papistas quadrare late ostendit Vergerius in scholiis super literas papae ad senatores laicos regni Poloniae). Biel 4. sent. dist. 13. q. 2: *Haeresis secundum Occamum* lib. 2. dial. part. 1. c. 6. *est dogma falsum, fidei orthodoxae contrarium; fides, hoc est catholica veritas est veritas, revelata a Deo vel in se, vel in suo antecedente pertinens ad religionem. Pertinet ad religionem quidquid ad pietatem, hoc est cultum Dei, aut ad finem beatitudinis consequendae ordinatur.* At non omnes, qui errant circa fidem vel Scripturae interpretationem, statim sunt haeretici. Omnes quidem haeretici errant circa fidem, sed non omnes, qui errant, statim sunt haeretici, quod Augustinus in praefat. libri de haeresib. ad Quodvultd. sic effert: *Non omnis error haeresis est, quamvis omnis haeresis, quae in vitio ponitur, sine errore aliquo haeresis esse non possit,* ac alibi scribit: *Errare potero, haereticus non ero.* Sic quidam ecclesiae doctores in interpretandis quibusdam Scripturae dictis a proprio et genuino eorum sensu aberrant, quos tamen non possumus protinus in censum haereticorum referre, cum in hac vita ex *parte cognoscamus*, et *ex parte prophetemus* 1. Cor. 13, v. 9. Videatur Augustinus lib. 1. de Genesi ad literam cap. 21. et lib. 11. de civit. Dei cap. 19. ubi ostendit, aliud esse a genuino alicujus dicti sensu aberrare, aliud a fidei regula discedere. Praeterea quidam errore suo non impingunt directe in ipsum fidei fundamentum, sed retento ecclesiae fundamento, quod est Christus in sua persona et officio, *superaedificant foenum ac stipulas* 1. Cor. 3, v. 11. et seqq. qualis erat error Cypriani de rebaptizandis iis, qui ab haereticis baptizati, error Augustini de infantibus eucharistia cibandis etc. Tales vero protinus haereticos deputare haudquaquam convenit, cum haeretici extra Christum aliud fundamentum quaerant, hi vero fundamento vero stipulas erronearum opinionum superaedificent. 7. Quidam etiam eos haereticis annumerant, qui privatos in fide errores fovent, licet eos non diseminent nec alios in suas partes pertrahere laborent. Sed quamvis tales magno cum animarum suarum periculo errent, proprie tamen et accurate loquendo haeretici non sunt, illi enim in sacris literis sic describuntur, quod *veniant* ad alios seducendos, Matth. 7, v. 15. quod *veniant* ad ovile Dominicum ut furentur, mactent ac perdant, Johan. 10, v. 10. quod *διχοστασίας* et *scandala excitent*, Rom. 16, v. 17. quod non ipsi solum a veritate excidant, sed etiam *aliorum fidem subvertant*, 2. Tim. 2, v. 18. quod *errent, et in errorum consortium alios perducant, πλανῶντες καὶ πλανώμενοι*, 2. Tim. 3, v. 13. quod *inducant sectas perditionis*, 2. Petr. 2, v. 1. quod sint *seductores in mundum exeuntes et peregrinam doctrinam afferentes*, 2. Johan. v. 7. et 10. 8. Denique nisi ad errorem pugnantem contra fundamentum accedat pertinacia, nondum haeresis proprie sic dicta judicari ac dici potest. Neque enim in solo intellectu, neque in sola voluntate vitium illud quaerendum est. Sed sicut vera ac salvifica fides notitiam in mente, assensum ac fiduciam in voluntate, ita haeresis in intellectu errorem et in voluntate pertinaciam simul complectitur, inde Tit. 3, v. 10. sic describuntur haeretici: *Haereticum hominem post unam atque alteram admonitionem devita, v. 11. sciens, quia subversus est ejusmodi et delinquit, cum sit αὐτοκατάκριτος, proprio judicio condemnatus.* Tales 1. Tim. 1, v. 19. *repulsa bona conscientia fidei naufragium fecisse* ac 1. Tim. 4, v. 2. *cauteriatam*, sive cauterio notatam *conscientiam habere* dicuntur Augustinus l. 18. de civit. Dei c. 51: *Qui in ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt* (al. sentiunt), *si corrupti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeretici sunt.* Contra vero, ut idem scribit epist. 162: *Qui sententiam suam, quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumtionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint. nequaquam sunt inter haereticos deputandi*, unde libr. 3. de baptism. contra Donat. c. 19. tales *errantes*, non autem haereticos nominare voluit, quae dicta Augustini citantur in c. dixit etc. et c. Qui in ecclesia etc. caus. 24. q. 3.

XIII. 222.

371. Ex his omnibus constare potest, ad id, ut quis sit proprie dictus haereticus, requiri 1. ut sit persona *in ecclesiam visibilem* per baptismi sacramentum recepta; 2. ut erret *in fide*, sive errorem illum noviter introducat, sive ab alio acceptum amplectatur, (quamvis illud haeresiarchae, hoc vero haeretici proprium videri possit c. Qui aliorum etc. (caus. 24. q. 3. ex Urbano); 3. ut error directe in *ipsum fidei fundamentum* impingat; 4. ut errori conjuncta sit *malitia ac pertinacia*, per quam etiam aliquoties admonitus nihilominus obstinate errorem suum defendat; 5. ut *dissensiones* et scandala *in ecclesia excitet* ejusque unitatem scindat. Quomodo vero cum talibus haereticis agendum sit, distincte explicandum pro diversa ratione personarum, quibus res est cum haereticis, quarum quaedam sunt *privatae*, quaedam vero *publicae*. Privatas quod atti- XIII. 223.

Quomodo cum haereticis agendum.

net, illis a Christo et apostolis praecipitur, ut ab haereticis diligenter sibi *caveant*, Matth. 7, v. 15. ubi in Graeco est *προσέχειν*, quod singularem in illis vitandis attentionem requirit, ut ab illis *fugiant*, Johan. 10, v. 5. ut eos *observent et ab eis declinent* Rom. 16, v. 17. ut orent ecclesiam liberari ab illis, utpote *importunis et malis hominibus*, 2. Thess. 3, v. 2. ut *post unam atque alteram admonitionem eos devitent* Tit. 3, v. 10. ubi in Graeco est *παραιτεῖσθαι*, quod significat aliquem aversari, repudiare ac prorsus rejicere, ut ne quidem *in domum eos recipiant, nec ave illis dicant*, 2. Joh. v. 10. etc. Quo pertinent illae obtestationes veterum. Ignatius epist. 2. ad Trallens.: *φεύγετε τὰς ἀθέους αἱρέσεις, τοῦ διαβόλου γάρ εἰσιν ἐφευρέσεις τοῦ ἀρχικάκου ὄφεως τοῦ διὰ τῆς γυναικὸς ἀπατήσαντος Ἀδὰμ τὸν πατέρα τοῦ γένους ἡμῶν.* Idem epist. 6. ad Philadelph.: *Τοὺς μισοῦντας τὸν θεὸν μισεῖν χρὴ καὶ ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς αὐτοῦ ἐκτήκεσθαι. οὐ μὲν καί τύπτειν αὐτοὺς ἢ διώκειν καθὼς τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδόια τὸν κύριον καὶ θεὸν, ἀλλ' ἐχθροὺς μὲν ἡγεῖσθαι καὶ χωρίζεσθαι ἀπ' αὐτῶν.* Irenaeus libr. 3. contra haereses cap. 3. p. 171. de Johanne apostolo refert, quod *in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus dicens, quod timeat, ne balneum concidat, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.* Ibidem de Polycarpo addit, quod *Marcioni sibi aliquando occurenti et dicenti, Cognosce nos, responderit, Cognosco te primogenitum Satanae.* Postea concludit Irenaeus: *Tantum apostoli et horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem.* cap. 4. pag. 172. subjungit de barbaris (Germanis, majoribus nostris) quod *si quis annuntiasset ea, quae ab haereticis adinventa sunt, proprio sermone eorum collocutus, statim concludentes aures longo longius fugerint, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium.*

372. Publicae personae vel sunt *ecclesiasticae*, vel *politicae*. Ecclesiasticis personis convenit exemplo Christi haereticos *φιμοῦν*, quod est capistro, quasi injecto os ipsis occludere, Matth. 22, v. 34. eosque juxta praescriptum apostoli *ἐπιστομίζειν*, os illis obturare, hoc est tales refutationes proferre, ut adversarius, quod specie aliqua veritatis objiciat, non inveniat, Tit. 1, v. 11. Id vero ut obtineant, oportet ecclesiae ministros esse *δυνατοὺς τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν*, Tit. 1, v. 9. quique possint *gladium Spiritus* contra eos vibrare, Eph. 6, v. 17. atque *lupos* hosce ovili Dominico insidiantes in lucem protrahere. Quemadmodum enim (ut habet pulcherrima similitudo Irenaei libr. 1. advers. haeres. c. 35. pag. 91.) *bestiae alicujus in sylva absconditae et inde impetum facientis et multos vastantis, qui segregat et denudat sylvam et ad visionem adduxit ipsam feram, jam non elaboravit ad capiendam, videntes quoniam ea fera est; ipsis enim adest videre et cavere impetus ejus et jaculari undique et vulnerare et interficere vastatricem illam bestiam; sic et nobis cum haereticorum* (qui comparantur *ferae arundinis* sive in arundine latenti Psalm. 68, v. 31.) *abscondita et apud se tacita in manifestum redegerimus, jam non erit necessarium multis destruere eorum sententiam.* Quae refutatio haereticorum muneris ecclesiastici pars est maxime necessaria ac difficillima, in hac praesertim effoeta mundi senectute variarum haeresium feracissima, quas edomare et, ut, pulcherrime loquitur Justinus in *ἐκθ. πισι. p. 302. καταβαλεῖν τὴν ἀπιστίαν καὶ περικλεῖσαι τὰς θεομάχους γλώσσας, sternere infidelitatem ac circumcludere Deo bellum inferentes linguas*, labor est longe gravior quam is, quem in hydrae capitibus perpetua quadam successione repullulantibus Hercules sustinuisse fingitur. Quomodo vero magistratus politicus haereticos coërcere et possit et debeat, in sequenti expositum dabitur tractatu.

CAPUT IX. XIII. 2

DE USU HUJUS LOCI.

373. Usus hujus loci est *generalis* ac *specialis*. *Generalis*, 1 *διδακτικός*, ut ministerii ecclesiastici necessitatem, dignitatem atque utilitatem agnoscamus ac Deo pro illius institutione ac conservatione debitas agamus gratias. Quid enim prodesset nobis nasci, nisi per verbi et sacramentorum ministerium ad vitam aeternam contingeret renasci? Quid prodesset nobis opus redemtionis et alia beneficia per Christum praestita, nisi per verbum et sacramenta, quorum oeconomi sunt ecclesiae ministri, eadem nobis distribuerentur? Quid commodi ad nos rediret ex coenae magnae et nuptialis convivii praeparatione Luc. 14, v. 16. Matth. 22, v. 2. nisi per servos coelestis patrisfamilias ad eam invitaremur? 2. *ἐλεγκτικός*, ut sinceritatem hujus articuli contra errores Svencfeldianorum, Anabaptistarum, Photinianorum et quorumvis adversariorum tueamur. *Specialis*, 1. respectu *ministrorum*, ut considerata muneris sui amplitudine ac difficultate seriis precibus divinum auxilium, praesidium et benedictionem implorent ac verbum Dei pure praedicando, sacramenta juxta Christi institutionem administrando, clavibus recte utendo, disciplinam ac bonum ordinem conservando, pauperum curam suscipiendo, aegrotos visitando ac mores honeste regendo opus faciant evangelistae et ministerium suum impleant, 2. Tim. 4, v. 5. seque ipsos studeant probabiles exhibere Deo, operarios *ἀνεπαισχύντους* 2. Tim. 2, v. 15. inque omnibus laboribus, periculis et adversis sese erigant promissionibus de divina gratia, praesidio et auxilio etc. 2. Respectu *auditorum*, ut debitam ministerio exhibeant reverentiam, obedientiam et sustentationem necessariam ac pro illius conservatione serias ad Deum quotidie preces fundant. 1. Thess. 5, v. 17: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni*

Usus hujus loci.

sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina. Hebr. 13, v. 17: *Obedite praepositis vestris et subditi estote illis, ipsi enim vigilant pro animabus vestris tanquam rationem reddituri pro eis*, v. 18. *orate pro nobis* etc.

CAPUT X.

DEFINITIONEM MINISTERII ECCLESIASTICI PROPONIT.

Definitio ministerii ecclesiastici.

375. Ex his omnibus colligitur, quod ministerium ecclesiasticum sit *officium sacrum et publicum divinitus institutum ac certis hominibus per legitimam vocationem commendatum, ut peculiari potestate instructi verbum Dei doceant, sacramenta administrent ac disciplinam ecclesiasticam conservent ad hominum conversionem et salutem promovendam, Dei vero gloriam propagandam.* Deus, qui sacrum illud et augustum munus instituit, id ipsum apud nos inviolatum conservet ac per illud inter nos sibi perpetuo ecclesiam colligat, a qua in hac et futura vita recte agnoscatur, celebretur et glorificetur in omnes nunquam finiendorum seculorum aeternitates. Amen.

XIII. 225.

LOCUS VICESIMUS QUARTUS

DE MAGISTRATU POLITICO.

PROOEMIUM.

I.

Ratio ordinis. Doctrinam de ecclesia et ministerio ecclesiastico convenienti *ordine* sequitur articulus de magistratu politico, 1. quia ut *ministerium ecclesiasticum* primam, sic *magistratus Christianus* alteram hierarchiam sive statum in ecclesia divinitus ordinatum constituit. 2. Quia *magistratus* non minus quam *ministerium* ob ecclesiae collectionem, conservationem et propagationem a Deo est institutus, siquidem illius opera conservatur tum disciplina externa, tum pax et tranquillitas publica, absque qua ministerium ecclesiasticum convenienter munere suo perfungi et ecclesiae collectio ac propagatio locum habere vix posset, 1. Tim. 2, v. 2. 3. Quia *magistratus* est veluti θριγκὸς ac septum ecclesiae, Psalm. 47, v. 10. nec enim tantum corpora et facultates nostrae hoc validissimo muro cinguntur, sed etiam ecclesiae munimentum praestatur, dum coërcetur rabies eorum, qui omnia sacra eversa cupiunt, ut suis cupiditatibus libere indulgere possint. 4. Quia magistratus pius et Christianus est ecclesiae *nutritius* Esaiae 49, v. 23: *Erunt reges nutritii tui et reginae nutrices tuae.* Ut Bethlehema praesepium Christo nascenti praebuit, sic politiae exhibent hospitium ecclesiae. 5. Quia Dei bonitas non minus elucet in beneficiis, quae per magistratum humano generi praestat, quam in bonis, quae per ministerium ecclesiasticum eidem confert. Propter peccatum protoplastorum non solum spiritualibus et aeternis futurae vitae bonis, sed etiam corporalibus et externis hujus vitae commodis genus humanum excidit, sed Deus ex miranda et nunquam satis praedicanda benignitate propter Filii intercessionem non illa solum, sed etiam haec restituit ac reparavit, ac media illis conservandis ordinavit, inter quae eminent politicus magistratus.

Magistratus et ministerii convenientia. 2. Quid quod in multis magistratui politico cum ministerio ecclesiastico *convenit.* Conveniunt enim: *1. genere proximo*, ministerium ecclesiasticum est potestas, magistratus politicus itidem est potestas; *2. causa efficiente principali*, quae est Deus utriusque ordinis auctor et conservator; *3. subjecto remoto*, utraque potestas ab hominibus administratur; *4. causa finali generica*, utraque enim potestas ad ecclesiae collectionem. conservationem ac propagationem, itemque ad Dei gloriam ordinata est. Mutuas etiam sibi tradunt operas. Ministerium ecclesiasticum in temporalibus indiget cura ac defensione magistratus politici, ac vicissim magistratus in spiritualibus aeternam salutem concernentibus indiget opera ministerii. Sine ecclesiastico ministerio commode quidem, at non pie, sine politica potestate pie quidem, sed non commode vivi potest. Interim et differentia tamen *differunt: 1. causa efficiente instrumentali et mediata*, quia per alios vocat Deus ad ministerium, per alios ad magistratum; *2. forma;* potestas politica est ἀρχικὴ καὶ δεσποτικὴ praetoria, potestas ecclesiastica est διακονικὴ, ministratoria. Illa habet auctoritatem condendi novas leges cum jure naturae nequaquam pugnantes, haec vero ad praescri- XIII. 2[illegible]
ptum legum divinarum est adstricta; illa armata est gladio corporali, haec vero spirituali, verbo scilicet et clave ligante ac solvente. *3. Subjecto proximo*; aliae enim personae funguntur ministerio ecclesiastico, aliae vero magistratu politico, neque enim *convenit, unum habere duplicem professionem*, scribit Ambrosius in comment. 2. Tim. 4. *Objecto*; potestas ecclesiastica occupatur in rebus spiritualibus ad salutem consequendam immediate spectantibus; politica vero in rebus corporalibus et externis ad salutem consequendam indirecte ac mediate duntaxat spectantibus. *5. Effectis.* Per ministerium ecclesiasticum dispensat Deus beneficia spiritualia, remissionem peccatorum, tranquillitatem conscientiae internam, donationem Spiritus sancti et vitam aeternam; per magistratum politicum conservat pacem et tranquillitatem externam, administrat justitiam civilem, defendit facultates, famam et corpora nostra atque externum ecclesiae munimentum praestat. *6. Modo exsecutionis et administrationis.* Minister ecclesiae non per quaestiones violentas et

tormenta, sed per praedicationem legis in delicta inquirit; secus agit magistratus politicus. Minister ecclesiae verbo, excommunicatione et clavis ligantis usu coërcet delinquentes atque arguit etiam interiora delicta et absconditam cordis immunditiem; magistratus gladio punit peccantes et externa duntaxat delicta in poenis infligendis spectat, Deut. 17, v. 4. et seqq.

tilitas t necessitas ujus octrinae.

3. Ceterum non solum *utile*, sed etiam *necessarium* est, doctrinam de magistratu politico inter capita fidei Christianae tractari et explicari, tum propter eos, qui magistratum gerunt et imperant, tum propter eos, qui magistratui parent. Illorum conscientiae erudiendae et informandae sunt, ut sciant, se versari in statu divinitus ordinato ac proinde etiam Deo placente, nec turbentur fanaticorum disputationibus, huic divinae ordinationi quovis modo detrahentibus atque ut discant, quomodo in hoc statu sese gerere et muneris sui partes recte administrare debeant. Exstat in tomo secundo operum Germanicorum scriptum Lutheri de magistratu politico deque obedientia illi praestanda, quod cum Fridericus Saxoniae dux Sapiens dictus legisset, prae laetitia exsultavit ac sublatis in coelum manibus Deo gratias egit, quod *ex sacris literis jam cognitum atque exploratum teneret, se in ejusmodi ordine constitutum esse, qui Deum auctorem habeat et in quo bona conscientia versari Deoque placere possit.* Hi ad debitam magistratui obedientiam praestandam incitandi et quibus obedientia illa terminetur limitibus, erudiendi.

'itulus ujus octrinae.

4. Notandum vero hoc loco, quod *titulus* de magistratu sit quodammodo angustior, cum non solum de magistratu, sed etiam de subditis in hoc articulo sit tractandum. Duplices enim personae ad constitutionem reipublicae concurrunt tanquam essentialia et integrantia ejusdem membra, videlicet *magistratus* et *subditi*: illi praesunt, hi subsunt; illi imperant, hi parent, cum respublica nihil aliud sit, quam *ordo imperantium ac parentium certis invicem legibus devinctorum*, Aristoteles lib. 1. polit. cap. 3. Rectius igitur de politicis vel de ordine politico hic articulus inscriberetur, sed nolumus a recepta in ecclesia loquendi consuetudine recedere, interim tamen evidentioris ordinis causa duas principales hujus articuli constituemus partes, quarum prior aget de magistratu, posterior de subditis.

III. 227.

PARS PRIOR
HUJUS TRACTATUS DE MAGISTRATU.

CAPUT I.
QUOD *ONOMATOΛOΓIAN* HUJUS ARTICULI EXPLICAT.

5. Ut in reliquis fidei Christianae articulis explicandis, ita quoque in hoc ipso primum locum obtinet ὀνοματολογία, secundum πραγματολογία, quia per notitiam nominum deducimur ad cognitionem rerum. Ad ὀνοματολογίαν pertinet 1. ἐτυμολογία, 2. ὁμωνυμία, 3. συνωνυμία. Circa etymologiam notandum, quod nomen magistratus plerique derivent a *magistro*, quia apud Romanos is, qui dictator erat ac supremam potestatem gerebat, magister appellari solebat, ut ex Cicerone, Livio et aliis historiae Romanae scriptoribus constat, atque adhuc hodie in civitatibus praesertim liberis et imperialibus, qui ad clavum reipublicae sedent, vocantur magistri civium, magistri tribuum, Bürgermeiſter, Stadtmeiſter, Ammeiſter. Caelius Rhodiginus libr. 7. antiquar. lection. cap. 17. multis ostendit, magistratum pro dictatore in epistol. Ciceronis ad Gallum esse positum. *Quod magistratum* (inquit) *pro dictatore accipiamus, forte ridiculum sciolis haud ita multa versantibus videatur. Ceterum scribit Seneca, eum, quem modo dictatorem dicimus et in historiis ita nominari lectitamus, apud antiquos magistrum populi vocatum, et id in libris annotatum auguralibus, praeterea esse argumento, quod qui ab illo nominabatur, magister equitum erat et dicebatur. Porro Titus quoque Livius dictatorem refert moderatorem atque magistrum consulibus appositum, sed de finibus Cicero libro 3. de sapiente, Rectius, inquit, appellabitur magister populi, is enim est dictator, quam Sylla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis magister fuit.* Hactenus Rhodiginus. Ipsum vero nomen magistri Sextus Pompejus deducit ab adverbio *magis*, unde *magisteria* (inquit idem) *dicuntur in omnibus rebus, quae magis ceteris praesunt, ut magisterium equitum, vicorum* etc. Cic. in libr. de senect.: *Me magisteria delectant a majoribus instituta.* Suetonius in Augusto *magisteria municipiorum* ἀρχὰς municipales vocat. Magisterare apud Festum est regere et moderari sumtum. Alii vero deducunt ab appellatione illa, qua sapientes Persarum honorabantur. Dicebantur enim apud Persas magi, qui Graecis erant philosophi, Latinis sapientes, Gallis druides, Aegyptiis sacerdotes, ut magister sit quasi μαγίας ἵστωρ. Magia enim olim honesta vox erat et magorum appellatio erat amplissima et honestissima. Cicero lib. de div.: *Sapientium et doctorum genus magorum habebatur in Persis;* Herodotus lib. 1. hist. p. 26: *Magi fuerunt sapientes Persarum.* Plato in Alcibiade dicit*; magos Persicos fuisse divini et humani juris interpretes et universae philosophiae professores;* Suidas scribit, illos fuisse *philosophos et philotheos.* Dicti sunt ab הָגָה, quod est inquirere, scrutari, meditari. Et quia in illorum scholis informabantur qui ad rerum gubernacula evehendi, quin et ipsi quandoque regnorum habenas obtinebant, teste Cicerone libr. 1. de divin. inde factum, ut magistri nomen ab illis deductum ad personas imperium gerentes accommodaretur. Musculus in locis p. 620. deducit a Graeco μέγιστος, quae sonat maximum et amplissimum, sed haec etymologia est nimis dura ac remota.

'Ονοματολογία. 1. ἐτυμολογία. Magistratus.

Μεγιστᾶνες. XIII. 228. 6. Magistratus nomini apud Graecos respondent μεγιστᾶνες, proceres, Marc. 6, v. 21: *Herodes convivium instruxit* τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ. Apocal. 6, v. 16: *Reges terrae* καὶ οἱ μεγιστᾶνες *absconderunt se*. Apocal. 18, v. 23: *Mercatores tui erant* μεγιστᾶνες τῆς γῆς. Ex quibus locis colligitur, μεγιστᾶνας esse inferiores magistratus, cum a regibus tanquam superioribus distinguantur, dicuntur a μέγιστος, maximus, sicut a magnus dicuntur *magnates*, eo quod auctoritate, dignitate et potestate alios antecellant. LXX interpr. utuntur pro אֵרִים illustres, magni, robusti, Jerem. 14, v. 3. Daniel. 3, v. 25. Nahum. 2, v. 6. Zach. 11, v. 2. pro גְּדֹלִים magni, magnates. Jon. 3, v. 7. ex decreto *regis et magnatum* jejunium indicitur. Nahum. 3, v. 10: *Omnes magnates sive optimates ejus sunt alligati compedibus;* pro Chaldaico רַבְרְבִים principes, Dan. 4, v. 33. c. 5, v. 1. quos partem imperii obtinuisse patet ex Dan. 6, v. 7. et pro שָׂרִים principes 2. Paral. 36, v. 18. Prov. 8, v. 16. Esai. 34, v. 12. etc. Alexander Aphrod. in topic. ὁ τιμῆς ὀρεγόμενος παρὰ βασιλέως ἢ παρὰ μεγιστάνων. Suetonius in vita Calig. et Cornelius Tacitus dixerunt Latine itidem *megistanes*. οἱ ἄρχοντες καὶ αἱ ἀρχαὶ dicuntur παρὰ τὸ ἄρχειν, quod est imperare, mandare, edicere.

Politiae. 7. Magistratus politicus dicitur a politiis. Politia ἀπὸ τῆς πόλεως dicta plerumque notat regimen sive administrationem reipublicae, ab Aristotele libr. 3. politic. cap. 4. dicitur πόλεως τάξις. Isocrates: πᾶσα πολιτεία ψυχὴ πόλεώς ἐστι, τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν, ὅσηνπερ ἐν σώματι φρόνησις. Politica est *civilis scientia*, ut subintelligatur δύναμις vel τέχνη, *peritia reipublicae administrandae et ars justam politiam instituere et administrare docens*. Plato: ἡ πολιτική ἐστιν ἐπιστήμη, καθ' ἣν αἱ πόλεις εὖ οἰκειοῦνται. Πόλις civitas (dicta tanquam civium unitas) tum pro urbe muris cincta vicisque et aedificiorum serie distincta, tum pro ipsis civibus usurpatur, quae posterior significatio est ipsi maxime propria, *non enim in parietibus aut in muris, sed in ipsa hominum multitudine posita est civitas*, ut loquitur Pompejus apud Dionem, cum quo congruit illud Thucydidis libr. 7. hist. pag. 260: ἄνδρες γὰρ πόλις καὶ οὐ τείχη οὐδὲ νῆες ἀνδρῶν κεναί. Respectu hujus posterioris significationis definitur ab Augustino libr. 19. de civit. Dei cap. 23. quod sit *coetus multitudinis juris consensu et utilitatis communione sociatus*. Ex pluribus hominibus simul habitantibus familiae, ex pluribus familiis pagi, ex uno vel pluribus pagis urbes originem duxerunt. Cum enim homines per conjugium multiplicati vicinis inter se locis propter commoditatem ac sociabilitatem natura insitam habitarent, ex pluribus familiis simul collectis orti sunt vici (a via sic dicti), sive pagi a Graeco πηγή, Dorice παγά, qui fons est Latinis, unde pagani dicti eodem et communi fonte utentes, sed in agris absque muro cingente habitantes. Post multiplicatis familiis propter metum tum hominum, tum ferarum urbes exstrui et muris circumcingi coeperunt, dictae ex eo, quod *olim in orbem circumducerent aratrum, dum moenia urbis primum designarent*, teste Varrone et ex eo Caelio Rhodigino libr. 14. antiquit. cap. 1.

8. Circa ὁμωνυμίαν observandum, quod nomen magistratus dupliciter sumatur: 2. Ὁμωνυμ. *1. Abstracte* pro ipsa potestate et auctoritate, qua divinitus instructi sunt, quibus regimen est commissum, unde vulgatae illae apud Ciceronem formulae: *gerere magistratum, inire magistratum, fungi magistratu, abire magistratu*. Magistratus. Livius ex Demosthene dicit: *Magistratus ostendit virum*, ἡ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δεικνύει. In hac significatione semel duntaxat in codice Biblico usurpatur 1. Maccabaeor. 8, v. 16: *Romani committunt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari universae terrae, et omnes obediunt uni*, ubi intelligitur dictatura, suprema illa potestas in senatu populoque Romano. *2. Concrete* pro personis, quae gerunt magistratum et potestate imperandi sunt instructae. Cicero lib. 1. offic.: *Est proprium munus magistratus, hoc est eorum, qui cum imperio sunt, intelligere se personam gerere civitatis, debemus* XIII. *ejus dignitatem et decus sustinere, servare leges, jura describere et fidei suae commissa meminisse.* Haec significatio in sacris literis est frequentissima, Esdr. 9, v. 2. Nehem. 2, v. 16. Jerem. 51, v. 23. Luc. 22, v. 11. etc. Pari ratione vox ἐξουσίας accipitur: Ἐξουσίας. *1. Abstracte;* Luc. 4, v. 6: *Dabo tibi* τὴν ἐξουσίαν ταύτην, hoc est τὰς βασιλείας, ut ex v. 5. colligitur. Luc. 19, v. 17: *Habens* ἐξουσίαν *super decem civitates*. Luc. 23, v. 7: ἐκ τῆς ἐξουσίας Herodis. *2. Concrete;* Matth. 8, v. 9: εἰμὶ ὑπὸ ἐξουσίαν. Luc. 7, v. 8: ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενος. Rom. 13, v. 1: *Omnis anima subdita sit* ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, ubi non sine gravi consilio apostolus abstractiva locutione uti voluit, ut ostenderet, subditos non debere ad personas imperantium respicere, sed ad ipsorum officium et ad potestatem, qua divinitus sunt instructi. Quos enim apostolus hoc loco vocat ἐξουσίας, eos Christus appellat ἐξουσιάζοντας Luc. 22, v. 25. Πολιτεία in abstracto Πολιτείας significat *1. statum reipublicae*, ut quando Philosophus dicit libr. 8. polit. cap. 10: πολιτείας ἐστὶν εἴδη τρία, et postea, εἰσὶ δὲ αἱ μὲν πολιτεῖαι, βασιλεία δὲ καὶ ἀριστοκρατία καὶ ἡ δημοκρατία. *2. Regimen et administrationem reipublicae*, ut quando idem asserit, πολιτείαν εἶναι βίον τῆς πόλεως. *3. Jus civitatis in republica*, quod alias vocatur πολίτευμα. Act. 22, v. 28: πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. Huc referri etiam potest illud apostolicum Eph. 2, v. 12: *Abalienati a politia Israëlis*. *4. Institutum ac rationem vitae quamcunque.* Sic apud Basilium ἡ κατὰ θεὸν καὶ ἡ κατ' εὐαγγέλιον πολιτεία dicitur piorum conversatio referente Budaeo p. 766. Et ἀποστολικὴ πολιτεία apud Suidam. *In concreto* significat *coetum hominum*, certo jure et ordine consociatorum.

9. Ad synonymiam pertinent appellationes *Hebraeae, Graecae et Latinae*, quarum quaedam sunt 3. Συνωνυμ. *propriae*, quaedam vero *metaphoricae*, quaedam ipsis

tribuuntur *ratione causae efficientis*, quaedam respectu *formae*, quaedam respectu *finis et officii*, quaedam ratione *adjunctorum* etc. Hebraeis dicuntur 1. אֲדֹנִים *domini*, Gen. 45, v. 8. Esa. 22, v. 18. ab אֶדֶן basis, quod instar basis aut columnae sustentent politiam. 2. אַדִּירִים illustres, magnifici, sublimes, Jud. 5, v. 25. 2. Paral. 23, v. 20. Jerem. 14, v. 3. 3. אֲחַשְׁדַּרְפְּנִים magnates, Esth. 3, v. 12. c. 8, v. 9. Daniel. 3, v. 27. etc. Est vox septem literarum in singulari, composita ex אֲחַשׁ magnus, דַּר manens et פָּנִים facies, principes magni, qui semper manent apud regem ejusque faciem vident. 4. אֵילִים *fortes*, penes quos est facultas aliquid faciendi, Exod. 15, v. 15. Job. 41, v. 16. Ezech. 31, v. 11. 5. אַלּוּפִים *ductores*, *principes*, *duces*, qui non sunt coronati ut reges, Genes. 36, v. 15. ab אֶלֶף millenarius, mille viri, quia populus Judaicus oppidatim distributus erat in chiliades seu millenarios, hinc quod Mich. 5, v. 1. dicitur בְּאַלְפֵי *in millibus Juda*, ἐν χιλιάσιν, id Matth. 2, v. 6. redditur ἐν τοῖς ἡγεμόσιν, *inter duces*. 6. גְּדוֹלִים magni, magnates, 2. Sam. 3, v. 38. וְגָדוֹל et magnas cecidit. Targ. וְשַׁלִּיט et princeps. 2. Regum. 10, v. 6. apud גְּדוֹלֵי הָעִיר magnates urbis, quorum magna est auctoritas et potentia. Jer. 52, v. 13. et omnem domum הַגָּדוֹל, magnatis, combussit igni. Targ. בָּתֵּי רַבְרְבַיָּא domus magnatum, a rad. גָּדַל magnus fuit, quod refertur tum ad quantitatem, tum ad qualitatem. 7. מוֹשְׁלִים *dominatores*, *domini*, a rad. מָשַׁל dominatus est, auctoritatem, potestatem et jus habuit in rem vel personam aliquam. 1. Regum 4, v. 21. 2. Paral. 7, v. 18. 8. מְלָכִים *reges*, quod nomen usurpatur vel γενικῶς pro quovis dominatore, qui vel ditioni, vel urbi alicui cum imperio praeest; vel εἰδικῶς, pro eo, qui summam habet potestatem non solum in subditos, qui mere et absolute tales sunt, sed etiam in proceres regni, qui limitate sunt subditi et partem aliquam imperii obtinent. Genes. 14,
230. v. 2. et 18. ex quo loco intelligitur, reges eo tempore dictos fuisse, qui vel uni duntaxat urbi imperarunt, cum illis, qui nostro tempore dicuntur reges, nulla ex parte respectu potentiae comparandi. 9. נְגִידִים *duces*, *capitanei*, *antistites*, 1. Samuel. 9, v. 16. 2. Paral. 32, v. 22. נָגִיד dicitur is, qui populo in rebus tam politicis, quam ecclesiasticis praestat. a rad. נָגַד nuntiavit, eo quod populus ad illum omnia referat eumque in omnibus respiciat, 10. נְדִיבִים Job. 12, v. 21. Psalm. 47, v. 10. Ps. 106, v. 41. a rad. נָדַב sponte et libere largitus est, fuit beneficus, eo quod principes sese *beneficos et liberales* exhibere debeant, unde et Christus eos vocat *evergetas* Luc. 22, v. 25. 11. נְסִיכִים principes *constituti et ordinati*, a rad. נָסַךְ perfudit aliquo liquore, constituit, inauctoravit, eo quod reges unctione inaugurabantur. Jos. 13, v. 21. Psalm. 83, v. 12. Ezech. 32, v. 29. 12. נְשִׂיאִים *primates*, *praelati*, a rad. נָשָׂא elevavit, sustulit, eo quod sint super alios elevati et evecti. Gen. 25, v. 16. cap. 34, v. 2. 13. סְגָנִים *magnates*, *praepositi*, *praefecti*, Nehem. 4, v. 19. Jer. 51, v. 57. Dan. 3, v. 27. cognationem habet cum rad. שָׂגָה multiplicatus, auctus fuit. 14. סְרָנִים Judic. 16, v. 5. 1. Regum 6, v. 4. ita appellarunt Phoenices suos *principes*, sicut Hebraei eos שָׂרִים et Persae *satrapas* vocabant, Jos. 13, v. 3. Quinque erant principes Philistaeorum, videlicet juxta quinque urbes celebriores, quas rexerunt, utpote Asdod, Gaza, Gad, Ascalon, Ekron. 15. פַּחוֹת *duces*, *principes*, 1. Reg. 10, v. 15. 2. Paral, 9, v. 14. פֶּחָה vox est peregrina Assyriis, Syris, Chaldaeis et Persis communis significans ducem, praefectum, terminatione feminina, sed significatione masculina. Ex Hagg. 1, v. 14. colligitur, eos, qui post Babylonicam captivitatem fuere dominati, non fuisse dictos מְלָכִים reges, sed פַּחוֹת duces, quia erant sub potestate gentium. 16. פְּקִידִים *praefecti*, *praepositi*, usurpatur de inferioribus magistratibus sive officialibus, quibus quaedam praefectura est commissa, Gen. 41, v. 34. Num. 31, v. 14. Esa. 60, v. 17. 17. קְצִינִים *capitanei*, *gubernatores*, Esai. 1, v. 10. c. 22, v. 3. a nomine קָצֶה extremitas, quia in principio et fine negotii gerendi tales praesto esse oportet. 18. רַבְרְבִים *optimates*, *magnates*, Dan. 4, v. 33. cap. 5, v. 1. a rad. רבב multiplicatus, auctus, magnus fuit. 19. רוֹזְנִים *principes*, qui proximus habent gradum post regem, consiliarii, Jud. 5, v. 3. Psalm. 2, v. 2. Prov. 10, v. 16. Quidam Hebraei deducunt a רָזָה *emaciavit*, quod rex aut princeps sine subditis macie atteratur, vel quod consiliarii habeant gracilem intellectum et subtilem in judicandis causis. Quidam a רָז in plural. רָזִים *secretum*, *arcanum*, deducunt, quod illis secreta imperii concedantur; sed quia רָז est Chaldaicum, ideo vix potest commode ab eo deduci. 20. שֹׁטְרִים *praefecti*, Deut. 16, v. 17. cap. 20, v. 9. LXX interpr. reddiderunt γραμματοεισαγωγεῖς, de quorum officio dicemus inferius. 21. שַׁלִּיטִים *domini*, *praefecti*, *principes*, *dynastae*, Genes. 42, v. 6. Daniel 2, v. 10. a rad. שָׁלַט *dominatus est*, *potestatem habuit*, *auctoritae polluit*. Chald. שָׁלְטָנִים, ex quo Saraceni reges suos vocant *sultanos*, sicut Aegyptii *Pharaones* ac *Ptolemaeos*. Pharaonis nomen in Aegypto omnibus regibus commune fuisse, testantur Augustinus libr. 16. de civit. Dei cap. 45: *Nomen Pharaonis* (inquit) *in Aegypto omnium regum fuit*, et Hieronymus, libr. 9. in Ezech.: *Pharao apud Aegyptios nomen est regiae dignitatis*, sicut apud Amalekitas *Agagi*, ut monet Moses Gerundensis. Numer. 24, v. 8. post Alexandrum *Ptolemaei*, apud Romanos *Caesares et Augusti*, apud Philistaeos *Abimelech* etc. originem appellationis exponit Ludov. Vives in comment. August. d. l.: *Pharaones dicti sunt quasi Pharones a Pharo insula regione Alexandriae, olim Carpachos dicta, ubi regnavit Proteus.* 22. שֹׁפְטִים *judices*, Exod. 2, v. 14. Mich. 5, v. 1. Jud. 2, v. 16. a rad. שפט *judicavit*, *imperavit*, jus dixit et executus est bonos defendendo, malos puniendo. 23. שָׂרִים et סָרִים *principes*, *domini*,
2. Sam. 19, v. 6. Esa. 3, v. 4. c. 49, v. 23. XIII. 231.
**24. שָׁלִישִׁים *duces*, LXX τριστάται Exod. 14,

v. 7. Rad. שלש in piel *tertiavit*, *tertio fecit*, hinc שָׁלִשׁ et שָׁלִישׁ magnus *dux*, *princeps*, *triumvir*, sic dictus ut quidam volunt, quod tertius a rege, ut primo sit מֶלֶךְ *rex*, post מִשְׁנֶה *secundus* et post hunc שָׁלִישׁ a rege *tertius*. Alii alias afferunt derivationes, vid. Hieronymum in cap. 23. Ezech.** Fuerunt autem in populo Israëlitico varii principes, de quibus dicemus inferius, quando species magistratuum enumerabimus.

2. Metaphoricarum. 1. Dii. 10. Metaphoricae ac periphrasticae appellationes sunt, quod vocantur 1. אֱלוֹהִים dii, Ex. 22, v. 28. אֱלוֹהִים *non maledices*, quod ἐξηγητικῶς sic exponitur וְנָשִׂיא *et elevato in populo tuo non maledices*. Ibid. v. 8: *Accedet Dominus domus* עַל הָאֱלֹהִים, *ad deos sive judices*. Psalm. 82, v. 1: *Deus stans in congregatione deorum*. v. 6: *Ego dixi, vos dii estis*. Vox אֱלֹהִים usurpatur tum *pro vero Deo* propter personarum pluralitatem Genes. 1, v. 1. cap. 20, v. 13. Deuter. 5, v. 26. etc. tum pro *idolis*, quae vana superstitio in locum Dei evehit, Jos. 23, v. 16. Esai. 36, v. 18. tum pro *angelis*, quorum opera Deus utitur in operibus suis perficiendis, Psalm. 86, v. 8: *Non est similis tui* כָּאֱלֹהִים, Targum בְּאַנְגְּלֵי מְרוֹמָא *inter angelos excelsos*; tum denique pro *hominibus magnis et divinis*, dignitate praestantibus, notitiam Dei habentibus ejusque in terris vicariis, ut sunt principes, prophetae et judices, Exod. 21, v. 6. cap. 22, v. 28. Psalm. 82, v. 1. Quidam huc referunt Psalm. 138, v. 1: *Psallam tibi coram* אֱלֹהִים, ubi etiam de angelis accipi potest. Ambrosius l. 5. de fide cap. 5: *Deus secundum Scripturas aut verus est Deus, ut Pater, Filius et Spiritus s. aut nuncupativus, ut angeli, judices; aut falsus, ut daemones et simulacra.* Dicuntur autem אֱלֹהִים 1. quia *sermo Dei ad eos factus est*, ut exponit Christus Joh. 10, v. 35. hoc est quia divinitus sunt vocati ad officium illud divinum, ut in imperio administrando sint Dei in terris vicarii; 2. quia *non hominis, sed Dei judicium administrant*, Deut. 1, v. 17. 2. Paral. 19, v. 6. 3. quia *Deus ipsis adest* in negotiis imperii et judicii gerendis, Psalm. 82, v. 1, 2. Paral. 19, v, 6. Justinus in qq. et resp. ad orthod. q. 142. p. 78: *Et angelis et hominibus propter commissum sibi munus datum est obtinere Dei et dignationem, et appellationem*, τὴν τάξιν καὶ τὴν προσηγορίαν, *quo munere obito desinunt vocari dii; principes dixit deos pro eo, quod est, dedi vobis honorem, dignitatem et appellationem meam*, τιμὴν καὶ τάξιν καὶ κλῆσιν, *itaque perinde judicate populum, ac si ego ipse judicarem.* Divinitas ergo principum ac judicum non quaerenda est in ipsorum personis, quae sunt una cum reliquis hominibus humanae fragilitati obnoxiae, sed 1. in eo, cujus sunt ministri et a quo ad illam sublimitatem sunt evecti; 2. in ipso imperandi ac judicandi munere, quod ob sapientiam, justitiam et aequitatem vere divinum; 3. in fructu et effectu hujus muneris, cui tranquillitatem publicam, quae est beneficium vere divinum, maxime debemus. Observandum vero quando magistratui nomen dei tribuitur, id non fieri absolute, sed certa cum *limitatione* et respectu, nec proprie, sed *figurate* et nuncupative. Sic de Moyse dicitur Exod. 4, v. 16: *Tu eris ipsi* (Aharoni) לֵאלֹהִים *in Deum*, Targ. לְרַב *in principem*. c. 7, v. 1: *Ecce constitui te deum Pharaonis*, ubi Moyses non simpliciter et absolute, sed κατά τι respectu Aaronis dicitur deus, et quidem *constitutus* sive factus deus propter divinam auctoritatem ac potestatem, qua erat munitus. Irenaeus lib. 3. c. 6 pag. 17: *Cum eos, qui non sunt dei, Scriptura nominat, non in totum ostendit illos deos, sed cum aliquo additamento et significatione, per quam ostenduntur non esse dei.* Ibid. p. 176: *Moyses homo Dei existens, deus* (inquit) *datus est ante Pharaonem, non autem vere dominus appellatur, nec deus vocatur a prophetis, sed fidelis Moyses famulus et servus Dei dicitur a Spiritu, quod et erat.* Gregorius homil. 8. in Ezech.: *Deus in Scriptura sacra aliquando essentialiter, aliquando nuncupative dicitur, licet enim cum Deo* XIII. *communicemus in multis nominibus et operationibus, in essentia tamen nunquam communicamus, hinc Moyses ait: Deus tuus Deus unus est;* inde est quod apostolus distinguit inter verum Deum, qui est unus, et inter λεγομένους θεούς, qui sunt multi 1. Cor. 8, v. 5. et 6. inter eum qui est φύσει θεός, et eos, qui θέσει Gal. 4, v. 8. constitutione et nominis participatione sic vocantur.

2. Filii excelsi. 11. 2. בְּנֵי עֶלְיוֹן *filii excelsi* sive Dei, quia Deus est *excelsus super omnem terram et valde exaltatus super omnes deos*. Psalm. 82, v. 6: *Ego dixi, dii vos et filii excelsi vos omnes.* Psalm. 89, v. 7: *Quis in coelo aequabitur Domino, assimilabitur Domino* בִּבְנֵי אֵלִים *in filiis deorum?* Targum, Symmachus et Aquila huc etiam referunt locum Genes. 6, v. 2: *Filii Dei viderunt filias hominum*, quia Targum reddidit בְּנֵי רַבְרְבַיָּא, Symmachus et Aquila υἱοὶ δυναστευόντων, sed circumstantiae textus, praesertim quod conjugium inter filios Dei et filias hominum inter scelera, propter quae diluvium fuit immissum, connumeratur, manifeste ostendunt, per *filios Dei* hic intelligi posteros sanctorum patriarcharum, qui cum *filiis hominum*, id est Cainitarum progenie, a vera ecclesia aliena conjugium inierunt. Augustinus lib. 15. de civit. Dei c. 23: *Dicuntur filii Dei, vel quia olim tales fuerant, vel quia majores ipsorum, ex quibus oriundi erant, hanc appellationem obtinuerunt*, constat enim ex Suida, Sethum inter homines deum appellatum fuisse. Cainitarum filiae dicuntur filiae אדם, ut significetur, ipsas gessisse imaginem illam, secundum quam Adamus primus generis humani parens liberos genuit, non autem fuisse Spiritu Dei regeneratas. Posset tamen Chaldaica paraphrasis hoc sensu accipi, non quod absolute et per se peccatum fuerit, quod filii dynastarum ignobiles in conjugium adsciverint, ut Rabbini nugantur, sed quod magnatum ac principum liberi sua potentia freti quasvis oppresserint et vagam libidinem exer-

cuerint. Dicuntur autem magistratus filii Dei, non quod natura sint tales, quo sensu solus Christus filius Dei unigenitus, proprius ac naturalis dicitur Joh. 1, v. 14. c. 5, v. 18. Rom. 8, v. 32. nec quod sint filii Dei adoptivi, quo sensu vere pii et credentes tales dicuntur Joh. 1, v. 12. Rom. 8, v. 16. 1. Joh. 3, v. 2. etc. sed propter eminentiam, auctoritatem ac potestatem, quam prae promiscua hominum multitudine obtinent. Quidam addunt, magistratum id nominis sortiri ex eo, quod sit Deo carus et acceptus, ut eum filiorum loco habeat; sed quia in illo psalmo propter abusum potestatis reprehenduntur, ideo non potest absolute et simpliciter dici, quod Deus omnes magistratus, etiam impios paterno amore ut filios suos amplectatur, sed in generali duntaxat amoris paterni significatione, juxta quam omnes homines ob beneficia ad articulum creationis pertinentia dicuntur Dei filii, et Deus dicitur ipsorum pater, Malach. 1, v. 6. sic ergo magistratus dicerentur Dei filii, quia Deus prae reliquis plura beneficia corporalia in illos contulit. Huc pertinet, quod magistratui tribuitur nomen *angelorum*, qui et ipsi dicuntur filii Dei, Job. 1, v. 6. c. 38, v. 7. Quemadmodum enim beati illi spiritus ideo dicuntur angeli, quod Deus ipsorum legatione et officio in perficiendis operibus suis utitur; sic magistratus etiam dicuntur angeli, quia Deus eorum opera in administrandis mundi imperiis, in defendendis bonis et puniendis malis utitur. Adde quod splendore, auctoritate ac majestate coelestes illos angelos repraesentent ac sapientia, bonitate, justitiae amore illos imitari debeant, 2. Sam. 4, v. 17: *Sit nunc verbum Domini mei regis ad requiem, quia sicut angelus Dei es, sic Dominus meus rex, ut audiat bonum et malum.* v. 20: *Dominus meus sapiens secundum sapientiam angeli Dei.* 2. Sam. 19, v. 27: *Dominus meus rex, sicut angelus Dei.*

·es. 12. 3. אָבוֹת, *patres.* Genes. 41, v. 43. cum Joseph nuntiaretur gubernator Aegypti, qui regis locum obtinere debeat, praeco ante ipsum clamavit *abrech.*
132. LXX interpr. in versione illud prorsus omiserunt; Rabini quidam exponunt verbaliter et praeconi tribuunt, ac si esset imperativus in hiphil, *flecte genua* per *ἀντίστοιχον* א pro ה, qualis permutatio occurrit Num. 1, v. 50. Esa. 63, v. 3. Jer. 25, v. 3. Alii existimant, esse futurum in kal, quasi quilibet obvius clamasset *flectam genua*, cum videret, Josephum in tantum honoris fastigium evectum. Utraque expositio deducit hoc verbum a rad. בָּרַךְ, quod inter alia significat *genu flectere.* Onkelos, Jonathan, Ben Uziel et Targum Hierosolymitanum dividunt in אָב quod partem, et רֵךְ quod מַלְכָּא regem sive regnum significare volunt, quod ex parte etiam secutus videtur Lutherus in versione Germanica, Hieronymus in tradit. Hebraicis super Genesin tom. 3. p. 390. componit ex אָב *pater*, et רֵךְ *mollis*, ut abrech sit tener ac mitis pater. Gen. 45, v. 8. dicit ipse Josephus: *Dominus me constituit patrem Pharaonis*, inde in voce Abimelech (quae fuit communis omnibus regibus Philistinis, teste Hieronymo l. 9. in Ezech. quod etiam constare potest ex cap. 21. et 26. Gen.) nomen *patris* ac *regis* pulcherrime conjunguntur, Jud. 5, v. 7. Debora, quae judicabat populum Israëliticum, vocatur אֵם *mater in Israel* ac 1. Sam. 24, v. 12. David ita alloquitur Saulem: *Pater mi rex.* 1. Sam. 12, v. 15: *Erat manus Domini in vobis et in patribus*, id est principibus vel magnatibus vestris, LXX interpr. *καὶ ἐπὶ τὸν βασιλέα ἡμῶν*, R. D. *in rege et magnatibus vestris.* Job. 29, v. 16. dicit Jobus, quem regio munere fuisse functum plurimi non sine probabili conjectura censent: *Pater eram pauperum.* Ideo autem magistratui patris appellatio tribuitur, quia ut Xenophonteum illud docet, *bonus princeps non differt a bono patre, οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀγαθοῦ πατρός*, lib. 8. *παιδ.* Admonet igitur haec appellatio magistratus, ut paternam dilectionem subditis praestent. Ut pater amat, fovet, defendit, nutrit ac curat liberos, sic bonus princeps suos subditos. Ostendit etiam haec appellatio, magistratus honorem in quarto decalogi praecepto a subditis requiri etc.

13. 4. רָאשִׁים capita, Num. 1, v. 16. c. 17, v. 2. 4. Capita.
capita tribuum. Num. 14, v. 4: *Dabimus* ראשׁ *caput*, LXX interpr. *ἀρχηγόν*, *constituamus principem et revertemur in Aegyptum.* Jud. 11, v. 8: *Eris nobis* לְראשׁ, in caput, LXX *εἰς ἄρχοντα*, *in principem*, pro quo v. 6. *et eris nobis* לְקָצִין, Targ. לְרַבָּא *in principem.* Deut. 1, v. 15: *Tuli de tribubus vestris* רָאשִׁים *capita, et constitui eos principes, tribunos*, etc. Targum רֵישִׁין עֲלֵיכוֹן *principes super vos*, LXX interpr. *ἐφ' ὑμῶν ἡγουμένους ὑμῶν*, *super vos duces vestros.* Dicuntur autem magistratus capita 1. propter *sublimitatem*, ut enim caput in corpore humano est summum et honoratissimum membrum, sic magistratus dignitate et sublimitate reliquis antecellit, Deut. 28, v. 44: *Dabit te Dominus* לְראשׁ *in caput, et non in caudam;* quod paulo post sic exponitur *eris tantum superius et non eris inferius;* 2. propter *potestatem.* Ut caput imperat reliquis membris et eorum actiones dirigit, sic magistratus praeest subditis; 3. propter *utilitatem.* Ut ex capite motus et sensus per organa convenientia in membra corporis influit; sic a magistratu varia omnino beneficia ad subditos promanant. Cumque magistratus dixerimus esse capita rerumpublicarum, non possumus, quin huc referamus locum pulcherrimum ex Plutarcho, in quo rempublicam comparat corpori, in libr. de doctr. princ. ad Trajan.: *Caput omnium* (inquit) *est princeps, penes quem imperii summa est. Oculi, quibus videmus, sunt viri boni in republica, quorum ductum sequimur; aures, quae audiunt, quae dicimus, sunt subditi, qui imperata faciunt; lingua, qua loquimur, sunt eruditione praestantes viri, ex quibus leges et disciplinas audimus; capilli de capite penduli sunt injuria affecti, qui opem regis implorant; manus et brachia sunt equites et nobiles, qui hostem reprimunt; pedes, qui omnia sustinent, sunt agricolae, qui victum omnibus ordinibus subministrant; ossa dura, quae fragilem* XIII. 234.
carnem fulciunt, sunt viri sapientes, qui onus rei-

publicae sustinent; corda, quae palam non videmus, sunt familiares intimi, qui in arcano consilium dant senatu; denique collum, quo corpus capiti cohaeret, est amor regis et regni, ex quibus constat civitas.

5. Vertices. 14. 5. Huic cognata appellatio est, qua magistratus vocatur קָדְקֹד, *vertex* capitis. Deut. 33, v. 20: *Rapiet brachium etiam verticem*, LXX interpr. metaphoram explicantes verterunt ἄρχοντα, *principem*. Esa. 3, v. 17: *Et decalcavit Dominus verticem filiarum Sion*, LXX interpr. reddiderunt ταπεινώσει ὁ θεὸς ἀρχούσας θυγατέρας Σιών. Comparatur namque magistratus vertici itidem propter sublimitatem; ut enim caput reliquis membris sublimius, sic vertex ipsius capitis sublimior pars est.

6. Clypei. 15. 6. מָגִנֵּי אֶרֶץ, *clypei sive scuta terrae*, Psalm. 47, v. 10: *Optimates populorum aggregati sunt populo Dei Abraham, quoniam Deus vehementer elevatus est apud scuta terrae*, LXX interpr. reddiderunt οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς. Hose. 4, v. 18: *Dixerunt, afferte ignominiam* מָגִנֶּיהָ, *clypei ejus, principes sive duces ejus*, Hieronymus *protectores ejus*, LXX interpr. ἐκ φρύγματος αὐτῆς, legerunt מִגַּנֶּיהָ substitutis aliis punctis. Clypei et scuta dicuntur alias שְׁלָטִים Jer. 51, v. 11. et in regimine שִׁלְטֵי Cant. 4, v. 4. quae vox descendit ab eadem radice, a qua שַׁלִּיטִים, quod significat principes ac dominos, ut hac ratione ipsa

7. Fundamenta terrae. appellatione officii sui moneantur. 7. Huic appellationi cognata sunt Scripturae dicta Psalm. 82, v. 5. Esa. 40, v. 21. Mich. 6, v. 2. in quibus principes vocantur מוֹסְדֵי אֶרֶץ *fundamenta terrae*. Vocantur autem magistratus scuta et fundamenta terrae propter *defensionem* ac protectionem, quam et

8. Portae. pacis et belli tempore subditis praestant. 8. שְׁעָרִים *portae*. Ruth. 3, v. 11: *Novit tota porta populi mei*, hoc est senatus et judices in porta ad judicium considentes (quamvis non incommode accipiatur συνεκδοχικῶς pro tota civitate). Psalm. 24, v. 7. et 9: *Elevate portae capita* sive superiora limina *vestra et elevate vos portae seculi, et introibit rex gloriae. LXX interpr.* ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν. Psalm. 148, v. 14. beneficia, quae Deus per magistratum politicum nobis confert, sic describuntur: *Qui confortat seras portarum tuarum*. Comparantur autem magistratus portis. 1. quia olim in portis exercebantur judicia Deut. 25, v. 7. Ruth. 4, v. 1. etc. 2. propter robur et fortitudinem, quia portae et muri sunt munimentum civitatis, sic magistratus est munimentum subditorum; 3. quia per portas in urbem itur, sic principes debent aditum Christo patefacere, doctrinam ejus recipiendo et propagando ac disciplinam externam conservando. Quod portae jubentur *levare capita*, Flacius in clav. col. 918. existimat esse collusionem ad cataractas, quae propendent ex turribus supra portas, quae levari et demitti solent.

9. Paxilli. 16. 9. Hi comparantur יָתֵד paxillo sive clavo. Esa. 22, v. 23. de Eliacim dicit Dominus: *Figam illum* (quasi) *clavum in loco stabili et erit in solium gloriae domus patris sui*. Targum: *Constituam eum gubernatorem fidelem ministrantem in loco firmo*. LXX interpr. καὶ στήσω αὐτὸν ἄρχοντα. יָתֵד est clavus, qui infigitur vel terrae, ut ad eum alligentur funes tentorii, vel parieti, ut ex eo aliquid suspendatur. Comparatur autem magistratus clavo parieti infixo 1. propter *stabilitatem;* ut enim clavus parieti infixus fortiter haeret, sic Deus magistratus auctoritatem ac regna stabilit, ideo additur, quod sic clavus fixus sit *in loco stabili;* 2. propter *utilitatem;* quemadmodum enim clavus parieti infixus multiplicem usum praestat, sic magistratus salutaris est subditis; 3. propter *laborum gravitatem;* quemadmodum enim clavus cuivis cogitur esse obvius ac promtus, a quo suspendantur quaevis ponderosiora, sic magistratus plurima negotia sustinet, quilibet subditus ad eum properat, ut suarum diffi- XII
cultatum pondera apud ipsum deponat, inde apud Esaiam additur v. 24: *Et suspendetur super illum omnis gloria domus patris sui*. Zach. 10, v. 4: *Ex ipso angelus* פִּנָּה, *ex ipso paxillus* יָתֵד, *ex ipso arcus belli*. Quidam referunt ad magistratus hoc sensu, *ex ipso erit angulus*, hoc est fortissimi duces, qui impetum hostium sustinere possint, quemadmodum anguli aedium omnem externum impetum primum omnium sustinent et ab aedibus arcent. *Ex illo paxillus*, hoc est fortis ac fidelis magistratus, qui reipublicae onera portare possit, quemadmodum paxillus ferendis oneribus parieti est infixus. *Ex ipso arcus proelii*, hoc est fortes bellatores, qui potestati hostium possint occurrere. Targum retulit ad Christum, unde hoc modo reddidit, *ex illo rex ejus, ex illo Messias ejus*, quia in Christo habemus omnia ad spiritualem victoriam necessaria et ab ipso ecclesia omne fulcimentum suum accipit, ab illo etiam reges et principes suam obtinent dignitatem.

17. 10. Non solum in dicto illo prophetico 10.
Zach. 10, v. 4. sed etiam Jud. 20, v. 2. 1. Sam. 14, v. 39. Esa. 19, v. 13. primates in populo dicuntur פִּנּוֹת *anguli*, ubi Targum vertit רֵישֵׁי *duces*, *magnates*. Ut enim anguli aedium ex majoribus constant lapidibus, sic magistratus reliquis hominibus sunt eminentiores; ut angulares lapides sustentant aedificium, sic gubernatores conservant et fulciunt politiam; ut angulares lapides duplicem quasi faciem continent, sic gubernatores suis consiliis ad quaevis latera respiciunt, in eorum conspectu sunt omnia et vicissim omnium oculi in eos sunt defixi. ** Thren. 4, v. 1. duces ac primates dicuntur אַבְנֵי קֹדֶשׁ *lapides sanctitatis* sive sancti. Ezech. 28, v. 14. magistratus vocantur *Cherubim*. 1. Quemadmodum hi ponebantur in sanctum sanctorum; sic magistratus curet, ut sit verae ecclesiae membrum, nec infima in ea occupet subsellia, sed primas non ratione imperii, sed cultus et pietatis in ea obtineat. 2. Cherubim pulchras habuerunt facies sicut angeli; sic magistratus mitem ac humanum se praebeat erga subditos. 3. Cherubim convertebant facies suas ad arcam, in qua erant tabulae legis; sic magistratus semper respiciat legem Dei. Deuter 17, v. 18. Jos. 1, 7. 4. Cherubim respiciebant propitiatorium, quod erat typus Christi Rom. 3.

sic magistratus vera fide Christum respiciat. 5. Cherubim arcam tegebant suis alis; sic magistratus ecclesiam defendat. Es. 49, v. 23. Hic potest addi comparatio ecclesiae cum arca. *6. Dominus erat super Cherubim*, 1. Sam. 4, v. 4. sic magistratus supra se habet coeli ac terrae dominum, qui delinquentes graviter ulciscitur. Rung. in c. 25. Exodi: Rex *Tyri vocatur Cherub extentus et protegens, quod in morem Cherub alas suas longe extendat et ditionem proferat.* Imperia in sacris dicuntur *cornua*, ut sciant magistratus, robore suo utendum pro salute subditorum, non autem saeviendum rapinis, exactionibus, expilationibus.**

11. Annulli sigillares. 18. 11. Comparantur etiam חוֹתָם *annullo sigillari*, Hag. 2, v. 23. ad Zerubabel ducem Juda inquit Dominus: *Ponam te* כַּחוֹתָם, sicut *signaculum* vel annulum, quo literae obsignantur. Targum: sicut *sculpturam annuli super manu.* Jerem. 22, v. 24: *Si fuerit Conias filius Jojakim regis sigillum in manu dextra tua, quod inde non removetur, tamen removebo eum.* Ezech. 28, v. 12. de principe Tyri dicit Dominus: *Tu signaculum exquisitissime sculptum plenus sapientia et perfectus decore.* Consistit autem collatio magistratus cum annulo sigillari: 1. in *decore*, splendore et pretiositate, quibus sigillaris annulus reliquos praecedit. *Sigillum* scribit Flacius in Clavi col. 1137. *pro re valde grata pretiosave ponitur, sive quia sigillo in rebus maximi momenti confirmandis utimur, sive quia sigillum plerumque in annulo habemus, quem semper in digitio circumferimus;* 2. in peculiari *cura* ac providentia divina. Annulum sigillarem quam diligentissime asservare solemus, sic magistratus pios Deus sibi peculiariter habet commendatos, in periculis variis eos protegit etc. 3. in subditorum ad magistratum *conformatione.* Quemadmodum annuli sigillaris character cerae imprimitur, sic subditi plerumque sequuntur mores magistratus, Eccl. 10, 2. Sedulo igitur curent magistratus, ut characterem pietatis subditis suis imprimant.

XIII. 236. 12. Montes. 19. 12. Dicuntur הָרִים *montes.* Jer. 51, v. 25. de rege Babylonis dicit Dominus: Ecce ego ad te הַר הַמַּשְׁחִית, *mons perditionis.* Mich. 6, v. 2: *Audite montes*, הָרִים, *judicium Domini*, hoc est vos reges et magnates, quo pertinent illa Scripturae dicta, in quibus montes pro regnis et imperiis ponuntur. Psalm. 76, v. 5: *Mons Sion illustrior est et gloriosior quam montes rapinae sive praedae*, hoc, est in potentissimis regnis Assyrio, Babylonio, Aegyptiaco etc. quae alias nationes sub jugum miserunt et opes earum diripuerunt. Psalm. 30, *v.* 8: *Domine juxta beneplacitum tuum constituisti montem meum robore*, hoc est confirmasti me in regno. Comparantur autem reges et regna montibus: 1. propter *sublimitatem*, ut enim montes sunt editiores collibus, sic reges et principes sunt reliquis hominibus sublimiores; 2. propter *robur* et fortitudinem, arces, castella et munitiones regionum in montibus solent collocari, sic magistratus est munimentum subditorum; 3. propter multiplicem *utilitatem*, quam et montes vitae sustentationi, et magistratus humanae societati praestant, modo caveant, ne fiant הָרִים הַמַּשְׁחִית, *montes pestiferi corrumpentes et perdentes omnia*, Jer. 51, v. 25. הָרִים טֶרֶף, *montes praedae* ac rapinae, Psalm. 76, v. 5. qui omnia depraedantur, ac depopulantur, sicut quandoque latrones occupant arces et castella in montibus sita et ex illis homines opprimunt. *Quid sunt aliud imperia remota justitia quam magna latrocinia?* inquit Augustinus lib. 4. de civ. Dei c. 4. Caveant, inquam, ne fiant הָרִים גַּבְנֻנִּים *montes gibbosi*, fastus et insolentiae gibbo tumentes et rectum justitiae tramitem in gibbos iniquitatis et injustitiae commutantes.

20. 13. מוֹשִׁיעִים *salvatares* et opitulatores. Jud. **13. Salvatores.**
3, v. 9: *Filii Israël* (ab hostibus oppressi) *clamarunt ad Dominum, ac suscitavit illis* מוֹשִׁיעַ, *servatorem*, qui scilicet ex manu hostium illos liberaret, qui postea magistratus officium in populo exerceret. 2. Reg. 13, v. 5: *Dedit illis salvatorem.* Neh. 9, v. 27: *Secundum miscrationes tuas multas dedisti eis servatores, et serraverunt eos de manu hostium suorum.* In vulgata versione Gen. 41, v. 45. Joseph a Pharaone dicitur appellatus *salvator mundi*, sed in Hebraeo est צָפְנַת פַּעְנֵחַ *revelator mundi* vel consiliarius secretior. Dicuntur autem salvatores propter corporalem salutem et incolumitatem, quam per magistratum Deus generi humano confert.
14. רְפָאִים medici robusti, Gen. 14, v. 5: Et per- **14. Medici.**
cusserunt רְפָאִים in Astaroth, quasi dicas רוֹפְאִים a rad. רָפָא medicatus est, sanavit, quia tales volunt haberi σωτῆρες et medici reipublicae. Targum גִּבָּרַיָּא *fortes et robustos*, quidam tamen exponunt pro gigantibus, prout accipitur Deut. 2, v. 11. quidam pro Rephaeis populis ex posteris Canaan oriundis Gen. 15, v. 20. Huc referri potest locus Esa. 3, v. 6: *Apprehendet vir fratrem domus suae dicens: Sis nobis* קָצִין, *gubernator;* v. 7. *sed ille respondebit: Ego non sum medicus*, חֹבֵשׁ, *alligans*, non possum esse curator afflictae reipublicae. Targum כָּשַׁר לְמֶהֱוֵי רֵישׁ non sum idoneus, ut sim caput; LXX interpr. ἰατρός, quo modo etiam vertit Lutherus.
15. מְשִׁיחֵי יְהוָֹה *uncti Domini*, 1. Sam. 24, **15. Uncti Domini.**
v. 7. dicit David de Saule rege, *absit a me, ut ponam manum meam contra unctum Domini.* 2. Sam 19, v. 21: *Simei maledixit uncto Domini.* Cyrus Es. 45, v. 1. vocatur Christus seu *unctus Dei*, quia reges unctione inaugurabantur ad regnum ex ipsius Dei mandato 1. Sam. 9. v. 16. c. 15, v. 1. ubi probe notandum, quod licet Cyrus non acceperit externam unctionem oleo sacro peractam, quomodo reges Israëlitici solebant inaugurari, nihilominus tamen dicatur *unctus Domini*, nimirum quia imperium divinitus ipsi erat datum, cujus vocationis major habenda est ratio quam exterioris unctionis. 16. רֹעִים **16. Pastores.**
pastores. Num. 27, v. 17. cum Moyses in officio regiminis idoneum successorem sibi designari petit, sic orat: *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis virum super congregationem, qui egrediatur ante cos et ingrediatur ante eos, qui educat eos et introducat eos* (hoc est, qui pacis ac belli tempore **XIII. 237.**

illos regat, in terra patria et extra eam illos deducat) *et non sit coetus Dominicus sicut pecudes, quibus non est pastor.* **Amos. 1, v. 2: *Lugebunt habitacula pastorum*, id est palatia primatum evertentur. Mich. 5, v. 4: *Statuemus eum super septem pastores et octo principes hominum.*** Esa. 44, v. 28. Deus ad regem Cyrum dicit: *Tu pastor meus es et voluntatem meam perficies.* Jer. 49, v. 19: *Quis pastor stabit contra me*, id est quis rex suos subditos coram me tueri poterit? Zach. 10, v. 3: *Contra* הָרֹעִים *pastores exarsit ira mea.* Targ. מַלְכַּיָּא *contra reges*, unde pascere usurpatur pro regere et gubernare, 2. Sam. 5, v. 2. 1. Paral. 11, v. 2. Psalm. 78, v. 71. etc. *similia enim sunt opera pastoris ac regis*, *παραπλήσια ἔργα ἐστὶ νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ*, ut ait Xenophon. Pastor procurat gregi salubria pascua, defendit eum a feris; sic bonus princeps subditis de sustentatione ac defensione prospicit. Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere, ut habet dictum Tiberii imperatoris; sic bonus princeps exactiones moderatur. Sicut pastor ovibus praestat, sic illi, qui magistratu funguntur, debent subditis meliores et praestantiores esse.

17. Claves habentes. **17. Reges dicuntur *habere claves regnorum*, quia ad illos pertinet per legum aequitatem constituere, aperiendo nimirum et claudendo, id est praecipiendo quaedam, quaedam vetando, privilegia bene de republica meritis concedendo, nefarios poenis ac suppliciis a sceleribus cohibendo, probos autem praemiis ac honoribus indies amplificando. Denique habent claves regni, quia ex regis cujusque vel aequa vel iniqua administratione pendet omnino regni salus vel eversio. Esa. 22, v. 22: *Dabo clavem domus David super humerum ejus.* Apoc. 3, v. 7: *Qui habet clavem David*, qui aperit et nemo claudit.

18. Aurigae regnorum. 18. Reges etiam sunt veluti *aurigae regnorum*, unde Zach. 6. quatuor mundi imperia quatuor quadrigis exprimuntur, quia reges sunt veluti aurigae, qui suorum regnorum habenas vel ad salutem, vel ad perniciem moderantur.

19. Fluvii terrae. 19. Hieronymus in comm. super Habacuc in verba c. 3. *fluvios scindes terrae*, existimat eo loco reges ad literam fluvios terrae nominari, ut sit sensus, *reges terrae adversus populum tuum dimicantes divides ac disperges. Ratio vero ea est, quia fluvii terras, quas abluunt aut oportunis irrigationibus foecundant, aut intempestivis inundationibus evertunt, unde in sacris literis regionum felicitas aut infelicitas ad regum bonitatem aut malitiam referuntur.* Eccl. 10, v. 16: *Vae tibi terra, cujus rex puer est et cujus principes mane comedunt.* Sap. 6, v. 26: *Rex sapiens stabilimentum populi.***

20. Nutritii. 20. אֹמְנִים *nutritii, curatores.* Esa. 49, v. 23: *Erunt reges* אֹמְנַיִךְ *nutritii tui et reginae eorum* מֵינִיקֹתַיִךְ *nutrices sive lactatrices tuae.* Est suavissima descriptio magistratus ab officio desumpta, debet prospicere subditis de rerum necessariarum copia, debet docentibus in ecclesiis et scholis constituere stipendia etc. Huc etiam pertinet visio Nebucadnezari oblata Danielis c. 4, v. 8. et seqq. ubi beneficia, quae per magistratum subditis praestantur, depinguntur sub specie arboris excelsae, suppeditantis escam universis, umbram bestiis, nidos et habitationem volucribus, quia magistratus sustentationem, defensionem et quietam habitationem subditis procurat.

21. Qui exercent tyrannidem vel violenta et illegitima regnorum occupatione vel crudeli et injusta eorum administratione, dicuntur in sacris literis צַיָּדִים *venatores.* Gen. 10, v. 9: *Nimrod* fuit גִּבּוֹר־צַיִד *potens venatione, fortis venator coram Domino.* Aben Ezra accipit in bonam partem, quod feras venatus fuerit, quas Domino immolaret, sicut et LXX interpr. exponunt *κυνηγόν*, sed contextus ostendit, non de venatione ferarum, sed hominum ibi esse sermonem, praecedit enim v. 8. *ipse coepit esse potens in terra*, ac sequitur v. 10. *principium regni ejus Babel;* sic et 1. Paral. 1, v. 10: *Nimrod coepit esse* גִּבּוֹר *potens in terra.* Sensus igitur est, quod violente homines oppresserit ac sub jugum suum redegerit, sicut venatores solent feras capere et constringere, atque hoc modo appellatio venatorum etiam usurpatur ab oppressoribus Jer. 16, v. 16. Thren. 3, v. 5. Ezech. 32, v. 20. Potest etiam appellationis ratio inde peti, quod Nimrodus venationibus liberius indulserit et tandem e sylvis ac lustris ferarum ad pugnas cum hominibus progressus de summa rerum cum illis concertaverit, XIII. 238 sicut experientia testatur, eos qui venationibus perpetuo occupantur, sanguinarios ac crudeles ut plurimum effici, ut Domitianus stylo interficiens muscas crudelitatem ex illo quotidiano exercitio didicit. Quod *coram Domino* venator dicitur, id ad detestationem tyrannidis spectat, quod palam excusso omni Dei timore violentia et fraudibus alios oppresserit, sicut Gen. 6, v. 11. terra dicitur *corrupta coram Domino*, vel quod in ecclesiam exercuerit suam crudelitatem, sicut Cain dicitur abiisse *a facie Domini*, id est ab ecclesia Gen. 4, v. 16. Idem probant Targumicae paraphrases. Sic enim Jonathan: *Hic fuit heros rebellis coram Jehova, proterea dictum est, a diebus creati mundi non extitit velut Nimrod potens in venatione et rebellis coram Domino.* Hierosolymitanum: *Hic fuit potens in venatione in peccato coram Jehova, quia fuit venatus filios hominum linguis suis et dixit eis: Discedite ab institutis ritibus Dei et adhaerete institutis Nimrodi, propterea dictum fuit, sicut Nimrod heros potens in venatione et peccato coram Jehova.*

Venatores.

2. Graecarum. 22. 2. In Graeca V. T. versione illi, qui cum imperio sunt, vocantur *βασιλεῖς, reges*, quasi *βάσεις τοῦ λαοῦ, fulcra* seu fundamenta populi; *ἄρχοντες καὶ ἀρχηγοί, principes; μεγιστᾶνες magnates; δυνάσται, δυναστεύοντες potentes; ἡγούμενοι καὶ ἡγεμόνες duces; ἔντιμοι honorati; ἔνδοξοι gloriosi; εὐεργέται benefici* (sicut apud Euripidem etiam rex placidus et bonus dicitur *εὐεργέτης βροτοῖσι καὶ μέγας φίλος*); *εὐγενεῖς*, quod e praestantibus orti majoribus, *ἐπιστάται praefecti; σατράπαι*, quae vox origine est Persica, Persae enim principes suos appellarunt satrapas; *τοπάρχαι praefecti* provinciales etc. **(Praesidem seu rectorem provinciae Graeci modo *ἡγούμενον* vel *ἡγεμόνα* vocant, modo *ἐπιστάτην* vel *ἐπιστα-*

τοῦντα, aliquando et *δικαιοδότην*. In evangeliis et Actis *ἡγεμών* est modo Romanus imperator, modo procurator caesaris in Judaea.)** Paulus Rom. 13, v. 1. et seqq. pulcherrimam descriptionem magistratus proponit respectu causae efficientis vocat *διαταγὴν θεοῦ*, *Dei ordinationem*, v. 2. *θεοῦ διάκονον καὶ λειτουργόν*, *Dei ministrum*, v. 4. et 6. respectu causae formalis appellat *ἐξουσίας ὑπερεχούσας*, *potestates sublimiores*, v. 1. *ἄρχοντας*, *principes*, v. 3. respectu causae finalis vocat *ἔκδικον εἰς ὀργήν*, *vindicem ad iram* illi, qui malum agit; 1. Cor. 15, v. 24. appellat *ἀρχὴν ἐξουσίαν καὶ δύναμιν*. 1. Tim. 2, v. 2. *ὄντας ἐν ὑπεροχῇ*. Tit. 3, v. 1. vocat *ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας*. Petrus 2. ep. 2, v. 10. *κυριότητα καὶ δόξας*. Apud scriptores ethnicos vocantur *ποιμένες λαῶν*, *pastores*, Homer. Iliad. *β*. *ἤπιοι πατέρες*, *blandi patres*; *νόμος ἔμψυχος*, *lex animata*; *φύλακες*, *custodes*; *σωτῆρες*, *servatores*; *ἐπίκουροι*. *auxiliatores*; *κοσμήτορες*, ordinatores seu ornatores, quia multitudini ordinem praestant, quo nihil pulchrius; *κυβερνῆται*, *gubernatores* vocabulo a navibus translato, ut enim navis in mari sine industria gubernatoris periclitatur, sic respublica absque fido nauclero evertitur; *ἔφοροι*, *observatores*, quia diligenter inspicere debent mores et actiones subditorum etc. Tyrannus vox Graeca est et olim significabat regem, ut constat ex illo Maronis: *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.* Hodie vero tantum in malam partem accipitur pro crudelibus et sanguinariis. Nomine tyrannorum utuntur etiam LXX interpr. diversimode, nam in bonam partem pro *ducibus*, magnatibus, satrapis Persicis Dan. 3, v. 2. Esth. 9, v. 3. atque in genere pro quovis magistratu accipitur Prov. 8, v. 16. *τύραννοι δι' ἐμοῦ κρατοῦσι γῆς*, sed pro crudelibus potestate sua abutentibus et ecclesiam persequentibus usurpari videtur Hab. 1, v. 10. *τύραννοι παίγνια αὐτοῦ*. Act. 19, v. 9. est nomen proprimum: *Docebat Paulus Corinthi in schola cujusdam Tyranni.* Schindlerus nomen tyranni deducit ex Chaldaeo טוּרַן dux, princeps. Vide omnino Sanfordum lib. 1. de desc. Christi ad inferos p. 50. Aristotelem lib. 5. ethic. c. 6: *ἐστὶν ὁ ἄρχων φύλαξ τοῦ δικαίου, ἢ δὲ τοῦ δικαίου*
III. 239. *καὶ τοῦ ἴσου*. Plutarchus: *Bonus princeps est vivum Dei simulacrum.* Plato: *Principes id sunt reipublicae, quod canes gregi.*

Latinorum. 23. 3. Apud Romanos *patres conscripti*, *senatores*, quod senili prudentia reliquis antecellere debeant, sicut Poëta canit: A senibus nomen mite senatus habet. Imperator Romanus *Ῥωμαίων αὐτοκράτωρ* vocatur *Caesar* et Augustus Matth. 22, v. 17. Caesar dictus fuit Julius primus imperator, quod ex utero esset caesus vel a caesarie, ut quidam volunt. Secundus fuit *Augustus*, quibus nominibus hodie imperatores Romani utuntur. Quidam tamen existimant, dictos esse augustos ab officio, quod imperii pomoeria extendere et fines ejus augere debeant, sicut etiam in vernacula lingua dicuntur allzeit Mehrer des Reichs. Augusti nomini apud Graecos respondet vox *Σεβαστός*, Act. 25, v. 21. a *σέβομαι* ἢ *σεβάζομαι*, *veneror*, quod sit veneratione dignus. Possunt autem hae appellationes de multis necessariis et utilibus rebus admonere tum magistratum, tum subditos. Illum quidem: 1. ut intelligat, quae sui sint officii, nec nudis titulis superbiat rebus omnibus, quae hisce appellationibus notantur, destitutus; 2. ut caveat sibi ab injuria subditis inferenda cogitans, magistratus propter subditos constitutos esse, ut illorum saluti serviant, non autem subditos propter magistratum, ut illius libidini sint expositi; 3. ut consoletur se honorificis illis appellationibus in mole periculorum, negotiorum et adversitatum ac animo aequiore gubernationis molestias toleret. Hos vero ut ad obedientiam magistratui praestandam sint eo promtiores, quo sublimiorem in locum illum a Deo evectum esse audirent. ** Lutherus 5. Germ. f. 154: Ein frommer Regent ſoll mit Ehren die drei göttlichen Aemter und Namen haben, daß er hilft, nährt und rettet, und darum ein Heiland, Vater, Retter heißen. Dann durch die erſte Tugend, ſo er das Wort Gottes fördert, hilft er vielen zur Seligkeit, daß ſie von Sünde und Tod erlöſet, das Heil erlangen. Durch die andere Tugend, ſo er das Recht handhabet, ernähret er alle ſeine Unterthanen, wie ein Vater ſeine Kinder, wo das Recht nicht ſtünde, da behielt man nichts für Andere. Durch die dritte Tugend ſo er dem Frevel ſteuert, die Armen ſchützet und erhält den Frieden, iſt er ein rechter redlicher Retter oder Ritter, und führet billig gelbe Sporen ꝛc.

CAPUT II.

Τὸ ὅτι PERTRACTAT, AN SCILICET DETUR MAGISTRATUS POLITICUS.

24. Dari regimen politicum confirmant: 1. variae illae *appellationes*, periphrases et encomia magistratus hactenus enumerata. Quorsum enim in sacris et profanis literis tot non solum nomina, sed et encomia magistratui assignarentur, si non exstaret talis quaedam potestas ac vitae status? 2. Divina hujus ordinis *institutio*, quam in sequenti capite comprobatam dabimus. 3. *Conservatio* ejusdem inter tam efferatos diaboli furores, motus bellorum, molitiones hominum seditiosorum, jugum illud excutere unice contendentium, quae est opus divinae providentiae et mirandae potentiae. Nisi enim Deus ex immensa bonitate mirabiliter hunc ordinem conservaret et contra diaboli rabiem, qui est spiritus *ἀταξίας καὶ ἀκαταστασίας*, potenter custodiret, impossibile esset, adhuc aliquam constare honestam politiam. *Δίχα θεοῦ συστῆναι τοιαύτην ἡγεμονίαν ἀδύνατον*, inquit Josephus. 4. *Series* quatuor praecipuarum ac potentissimarum monarchiarum, quae hospitium praebuerunt ecclesiae, ex quibus quarta, quae est Romana, usque ad ultimum Christi adventum conservabitur Dan. c. 2. et 7. 5. Omnia illa Scripturae dicta, in quibus et magistratus, et subditi *officii* sui ad- An detur magistratus.

monentur ac vitia eorum corriguntur.! 6. Denique ipsa *experientia* confirmat, varias extare politici regiminis species et formas in diversis regnis, provinciis, regionibus ac civitatibus.

XIII. 240. An regimen politicum etiam in statu innocentiae locum habuerit.

25. Pertinent ad hunc locum duae quaestiones. Prior, *an regimen politicum etiam in statu innocentiae locum habuerit?* posterior, *an in statu corruptionis post lapsum illud sit necessarium?* Ad priorem quaestionem Augustinus negative respondere videtur lib. 19. de civit. Dei c. 15: *Deus* (inquit) *rationalem factum ad imaginnem suam noluit nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori, inde primi justi pastores pecorum magis quam reges hominum constituti sunt, ut etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum et quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori, proinde nusquam legimus servum, antequam hoc vocabulo Noae justus peccatum filii vendicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura.* Confirmari potest haec Augustini sententia ex eo, 1. quod homo erat conditus ad imaginem Dei, cum qua non potest consistere subjectio, siquidem pars divinae imaginis erat dominium; 2. quod Deus bruta homini subjicit, non autem homines hominibus subesse jubet; 3. quod post lapsum demum, adeoque post diluvium instituitur magistratus Genes. 9, v. 6. 4. quod in statu innocentiae nulla fuerit necessitas legum civilium, cum lex naturalis et innata cuilibet ad recte agendum sufficiens fuisset; nulla necessitas judiciorum, cum nullae injuriae aut discordiae locum habuissent; nulla necessitas suppliciorum, cum malefacta omnia ibi penitus exsulassent. Jam vero sublatis legibus civilibus, judiciis et suppliciis tollitur magistratus officium; 5 quod magistratus imperium cum onere subditorum est conjunctum, jam vero a statu innocentiae exsulasset quidquid est grave, acerbum et adversum; 6. quod in vita aeterna, in qua fiet ἀποκατάστασις πάντων Actor. 3, v. 20. non erit amplius locus magistratui, 1. Cor. 15, v. 24: *Cum tradiderit Christus regnum Patri, evacuabit omnem principatum, potestatem et virtutem.*

26. Atque haec argumenta firmiter probant, talem quandam despoticam dominationem et servilem subjectionem, cum repugnantia voluntatis et molestia conjunctam, qualis post lapsum in imperiis politicis apparet, in statu innocentiae locum haudquaquam habuisse, ex eo tamen inferri nequit, omnem omnino ordinem, omnem gubernationem et subjectionem ἁπλῶς et late acceptam ab innocentiae statu semotam fuisse. Nam 1. multiplicato genere humano diversae ac plures ortae fuissent familiae, quae non potuerunt carere capite, alias defuisset ordo ad pulchritudinem et constitutionem universi omnino requisitus. Ut enim singulas familias oportuisset habere quoddam caput, ita quoque plures familiae non potuissent esse ἀκέφαλοι καὶ ἄτακτοι. Τὸ ἄναρχον, inquit Nazianzenus lib. 3. de theol. ἐστὶν ἄτακτον. *Sine ordine*, inquit Scaliger exerc. 2. de subtil. *natura constare non potest, nihil enim absque ordine meditata est vel effecit. Quae multa sunt, per ordinem unum fiunt quodammodo.* 2. Inter ipsos angelos est quidam ordo divinitus constitutus. Sunt ibi *sedes*, sunt *dominationes*, sunt *principatus*, sunt *potestates* etc. Damascenus lib. 2. orthod. fid. c. 3. *διαφέρονιές εἰσιν ἄγγελοι ἀλλήλων τῷ φωτισμῷ καὶ τῇ στάσει, εἴτε πρὸς τὸν φωτισμὸν τὴν στάσιν ἔχοντες ἢ πρὸς τὴν στάσιν τὸν φωτισμὸν ἔχοντες*, ubi postea ex Dionysio de div. nom. distinctos angelorum ordines recenset. 3. Quemadmodum subjectio maritalis, qua in statu etiam innocentiae uxor voluntati et dominio mariti fuisset subjecta, non pugnat cum imagine Dei, ad quam feminae non minus quam viri conditae, ita quoque civilis subjectio, certo ac determinato modo sese habens, non pugnasset cum statu primaevae libertatis. 4. Homo ita conditus est a Deo, ut φύσει, natura, sit animal sociabile, unde interno naturae instinctu atque impetu fertur ad societatem; jam vero ubi societas est, ibi regimen aliquod esse oportet, unde in ipso quoque innocentiae statu aliquod regimen et ordinem politicum XII fuisse verisimile est. Distinguendum igitur inter subjectionem servilem et filialem, inter regimen δεσποτικόν et πατρικόν, inter imperium coactum et spontaneam submissionem, inter regimen conjunctum cum libidine dominandi et conjunctum cum animo consulendi, illud, non autem hoc a statu innocentiae abfuisset. Thomas lib. 1. q. 9. art. 3. Gabr. Biel 4. sent. dist. 15. q. 5: *Fuisset in statu innocentiae praelatio in officio consulendi et diligendi, non dominium servituti oppositum.* Arminius disput. theol. 25. thes. 8. p. 246: *Quamquam politicae potestatis usus ante peccatum non fuit, eo quod duo tantum essent homines, qui unica familia continebantur, tamen arbitramur, et in primaeva hominum integritate locum habituram fuisse, id quod ex natura hominis, qui animal sociale est, ex finibus ipsius potestatis, ex causis, quae Deum ad illam instituendam moverunt, ex ipsa lege naturali et morali, denique ex potestatis ipsius in cordibus hominum impressione evinci posse putamus, siquidem aliqua hominum multitudo ante peccatum propagata fuisset.*

An lal mi tu cit ne rio

27. Ad posteriorem quaestionem respondemus, in statu corruptionis post lapsum non ipsam modo hominum societatem et naturalem rerum ordinem, sed summam quoque necessitatem postulare magistratus politici officium, adeo ut illius inter homines non minus quam aquae, panis, solis et aëris usus sit necessarius, quod hisce confirmatum damus argumentis. 1. Deus ipse constitutione magistratus manifestum fecit, summam illius esse in genere humano necessitatem. Nisi enim conservatio humanae societatis officium magistratus postulasset, Deus qua est φιλανθρωπίᾳ illum ordinem multis cum molestiis conjunctum non instituisset nec jugum ejus subditis imposuisset. 2. Experientia testatur, quantae confusiones oriantur, quanta scelerum inundet copia, si in republica magistratus contemnitur, leges et honesta decreta neglectui habentur, judicia vel non exercentur vel injustitia contaminantur. Prov. 11,

v. 14. juxta vers. vulg.: *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Testatur historia sacra, miserrimum fuisse Israëlitici populi statum eo tempore, quo magistratu et judice caruit, hinc illa quaerela Spiritus sancti Judic. 17, v. 6: *In diebus illis non erat rex in Israël, et faciebat quilibet, quod rectum in oculis suis*, quae repetitur Jud. 21, v. 25. Contra vero pio magistratu fasces imperii obtinente et publicam pacem asserente quilibet *sub vite et ficu* sua tranquillus habitat, 1. Regum 4, v. 25. Socrates in prooem. lib. 5. histor.: *Cum respublica turbulentis motibus jactatur, ecclesiae etiam status ejusdem quasi morbi contagione infectus vehementer conturbatur. Nam si quis diligenter observare voluerit* (inquit), *eisdem temporum articulis et rempublicam fluctibus calamitatum et ecclesiam rerum adversarum procellis agitatam pro certo comperiet.* Stobaeus serm. 42. memorat, legem Persicam fuisse, *defuncto rege εἶναι ἀνομίαν πένθ' ἡμερῶν, ut cuilibet quinque diebus a morte regis proximis facere liceret quod vellet*, ut quia viderent pacem publicam turbari, subditi regno denuo constituto leges et magistratum revereri ac maximi beneficii loco habere discerent. Magistratus est illud *vinculum, per quod respublica cohaeret; est spiritus ille vitalis, quem haec tot millia trahunt; nihil ipsa per se futura, nisi onus et praeda, si mens illa imperii subtrahatur*, Seneca libr. 1. de clement. c. 4. 3. Absque magistratus praesidio non posset coërceri rabies delinquentium, qui suis cupiditatibus illecti et diaboli furore impulsi res alienas diripere, castitatem matronarum expugnare, vitae proximi insidias struere pro ludo ac joco habent. Illis igitur opposuit Deus freni et repaguli loco magistratum. Theodoretus orat. 7. de provid.: *οἷόν τι φάρμακον ἀλεξίκακον τοῖς τῆς ἀνομίας ἕλκεσι τὴν τῶν ἀρχόντων οἰκονομίαν ἐπιτέθεικεν ὁ θεός, Deus velut pharmacum quoddam mali expulsivum iniquitatis ulceribus imposuit magistratus administrationem.* Lutherus in c. 2. Genes. p. 30: *Politia est necessa-*
242. *rium remedium corruptae naturae.* 4. Absque magistratu si esset, distinctio dominiorum, tranquillitas publica et externa disciplina sarta tecta conservari ac subsistere non posset, ac proinde nec ecclesia posset ex genere humano per verbum colligi, si in eo essent omnia inordinata, confusa et cataclysmo flagitiorum obruta atque immersa. Ambrosius in c. 13. Rom. in princ.: *Quoniam coelestis justitiae legem sequendam mandavit apostolus, ne ab hac praesenti dissimulare videretur hanc commendat, quippe cum nisi haec fuerit observata, illa custodiri non possit, haec enim quasi paedagogus est, quae parvulos imbuit, ut possint potioris justitiae viam sequi, nemini enim potest imputari misericordia, nisi habuerit justitiam.* 5. Ut ecclesiasticum ministerium sublato magistratu destitueretur nutritio ac defensore, sic patria potestas et oeconomiae administratio absque magistratu non possit subsistere, quia filii et servi ἀπειθεῖς a parentibus coërceri non possent, sed suo indulgerent genio et ingenio, atque omnia in familia aliorum praedae ac direptioni essent exposita. Cicero lib. 3. de leg.: *Sine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest.* 6. Nondum versamur in coelesti patria, sed peregrinamur adhuc in via, atque in hac peregrinatione magistratus subsidiis indigemus vel maxime

Antithesis Anabaptistarum.

28. Anabaptistae rei evidentia convicti agnoscunt magistratus necessitatem extra ecclesiam, sed apud Christianos et in ecclesia officium illius esse necessarium negant. Anabaptisae Transsylvani in antithesibus Christi veri et falsi editis anno 1568. Albae Juliae, antithesi 7. dicunt, *Christum falsum habere in sua ecclesia reges, principes, magistratus, gladios; Christum verum nihil tale in ecclesia pati posse.*

1. A piorum justitia.

1. Magistratus constitutus est (inquiunt), *ut sit minister justitiae, vindex ad iram illis, qui male agunt* XIII. 243.
Rom. 13, v. 4. *at Christiani ultro justitiae student* Psalm. 110, v. 3. *reguntur enim Spiritu Dei, a quo aguntur, ut bene agant* Rom. 8, v. 14. *Quemadmodum igitur justis non est lex posita* 1. Tim. 1, v. 9. *ita quoque non illis opus magistratu, legis custode et transgressionis vindice.* Respondemus: 1. πρῶτον ψεῦδος hujus erroris est, quod Anabaptistae sibi fingunt ecclesiam solis bonis constantem et ab omni malorum consortio plane liberam; jam vero Christus contrarium docet Matth. 13. ubi variis parabolis ostendit, in agro Dominico conjuncta esse triticum et zizania, in sagena praedicationis verbi concludi pisces bonos ac putres etc. Falsum igitur est, quod omnes, qui se aggregant visibilis ecclesiae coetui, sint praediti Spiritu Christi, a quo ita regantur, ut ultro justitiam sectentur. 2. Praeterea qui renati sunt et Spiritu Christi praediti, illi adhuc aliquid de vetustate carnis circumferunt, nec tanta perfectione in hac vita sunt donati, ut ab omni peccandi periculo sint liberi; ergo illorum etiam respectu magistratus officium suum habet usum, ut concupiscentias carnis recalcitrantis et adversus Spiritum concupiscentis memoria et intuitu poenarum delictis constitutarum mortificent. 3. Certe Romani, ad quos apostolus scribit, professione erant Christiani, ac multi ex illis Spiritu Christi praediti, nihilo tamen minus etiam illorum respectu magistratum vocat *Dei ministrum* Rom. 13, v. 4. ac notanter addit: *Vis non timere potestatem, bonum fac et habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum; si autem male egeris, time.* Ergo etiam Christianis magistratus est minister Dei in bonum, et fieri potest, ut Christianus etiam male agat, alias frustra apostolus diceret: *Si male egeris, time.* 4. Denique si vel maxime boni non indigerent magistratus gubernatione et ad bonum directione, propterea quod sponte ad illud ferantur, tamen propter malos, quibus in hac vita immixti vivunt, magistratus defensione indigerent, ut sub illius tutela ac patrocinio *quietam et tranquillam vitam agerent in omni pietate et honestate* 1. Tim. 2, v. 2.

2. A Dei clementia.

29. Sed regerunt Anabaptistae: *2. Christiani vivunt sub cura et defensione Dei scientes, ne pilum*

quidem e capite nec passerculum e tecto absque illius voluntate decidere Matth. 10, v. 29. 30. Luc. 12, v. 7. *Ergo non indigent defensione magistratus.* Respondemus: 1. defensio Dei et defensio magistratus non sunt opposita, sed subordinata, quia magistratus est *minister Dei bonis in bonum*, hoc est ut bonos defendat ab improbis et illis praemia, his vero poenas decernat; quando igitur hoc officium divinitus sibi demandatum magistratus exsequitur, eo ipso curae ac protectioni divinae bonis promissae inservit; proinde potest Christianus magistratus defensionem implorare eaque uti, ac nihilominus fiduciam cordis in Dei patrocinium ac defensionem unice collocare. 2. Sicut defensio Dei et angelorum non pugnant invicem, ita quoque defensio Dei et magistratus non sunt pugnantia. Deus promisit nobis defensionem, sed eam non vult immediate nobis praestare, verum mediate, videl. per אֱלֹהִים coelestes sive angelos, et אֱלֹהִים terrestres sive magistratus. 3. Tempore eo, quo apostolus Romanis scribebat, magistratus erat a fide Christiana alienus, nihilo tamen minus apostolus eum vocat *Dei ministrum bonis in bonum* Rom 13, v. 4. ipse quoque provocavit ad caesarem Romanum, qui tum temporis erat ethnicus, Actor. 25, v. 10. Quodsi ethnicus magistratus usui esse potuit Christianis, ut ad defensionem ejus confugerent, quomodo Christiani ac pii magistratus auxilio et patrocinio non liceret uti? 4. Quodsi contingat, ut proh dolor saepius accidit, magistratum contra normam divinitus praescriptam agere et eos, quibus defensionem debet, opprimere, tunc pii promissionibus illis de divino patrocinio etiam immediate in casu necessitatis praestando sese solari possunt ac debent, ut enim divina potentia in agendo non est alligata ad causas medias, sic et defensio Dei non est adstricta ad defensionem magistratus, quo minus requirente ita nominis sui
XIII. 244. gloria, etiam absque magistratus opera nobis subvenire et patrocinari possit.

3. A piorum tribulatione.

30. 3. *Magistratus hoc fine constitutus est, ut sub eo quietam et tranquillam vitam agamus* 1. Tim. 2, v. 2. *sed piorum sors et conditio in hoc mundo est, ut non vivant quiete et tranquille, sed variis tribulationibus exerceantur, per quas regnum Dei ingrediuntur* Act. 14, v. 22. *Ergo non magnopere indigent magistratus opera et praesidio.* Respondemus: 1. adversitates et tribulationes piorum non sunt unius generis, quaedam immediate a Deo immittuntur, quae non possunt magistratus opera praecaveri, neque enim ad illas tollendas institutus est magistratus; quaedam vero a malis hominibus inferuntur, ab illis Deus pios immunes praestare vel liberare vult per magistratum, qui constitutus est *vindex ad iram illi, qui male agit* Rom. 13, v. 4. potest igitur Christianus operam et auxilium magistratus in posteriore tribulationum genere implorare et cum gratiarum actione hoc beneficium usurpare, perinde ut in morbis utitur medicina. 2. Quodsi vero magistratus in officio sit negligens nec coërceat malos, qui in nos sunt injurii, non debemus ex privata vindicta quidquam agere, sed *in patientia animas nostras possidere* Luc. 21, v. 19. memores praedictionis, *quod per multas tribulationes oporteat nos ingredi regnum coelorum.* 3. Quo magis vere pii malorum injuriis sunt expositi, eo magis indigent patrocinio et praesidio magistratus, perinde ut oves in medio luporum constitutae pastoris praesidium requirunt. 4. Apostolus disertis verbis pios hortatur, *ut orent pro regibus et omnibus in sublimitate constitutis*, et fine quidem eo, *ut quietam ac tranquillam vitam agant in omni pietate et honestate* 1. Tim. 2, v. 2. ac notanter addit, *hoc esse bonum et acceptum coram Deo servatore nostro*, v. 3. Ergo non pugnat cum Dei voluntate magistratus operam expetere ad vitam quietam et tranquillam in pietate exigendam.

31. 4. *Verus Dei cultus est interior ac spiritualis, quia veri Dei cultores et adoratores invocant eum in Spiritu et veritate* Joh. 4, v. 23. *Ergo non indiget constitutionibus magistratus.* Respondemus: 1. Concedimus, non esse absolute et simpliciter ad verum Dei cultum in ecclesia conservandum necessarium, ut magistratus sit Christianus et salutaribus suis constitutionibus eundem promoveat, quia Deus per verbum et Spiritum ecclesiam suam regere et potenti brachio suo contra hostes eam defendere potest, si vel maxime magistratus suo desit officio. 2. Interim manet verissimum ac certissimum, quod instituerit Deus magistratum hoc fine, ut conservetur externa disciplina et pax publica, absque qua ecclesia non ita commode propagatur et conservatur, ut magistratus sit custos utriusque tabulae, ut sit nutritius ecclesiae, ut lupos arceat a Dominico ovili, ut una cum ministerio ecclesiastico ritus ad εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην spectantes ordinet et externa interioris divini cultus adminicula introducat. 3. Quodsi igitur ecclesia pii et Christiani magistratus officium et praesidium obtinere potest, nequaquam illud repudiet, sed grata mente utatur, sin minus, firmiter statuat, Deum etiam in gravissimis persecutionibus et perturbatissimis temporibus posse aliquos veros sui cultores conservare, qui magistratus et omnium hominum praesidio destituti extraordinaria Dei benignitate incolumes serventur.

4. A vini tus diti

CAPUT III.

DE CAUSA EFFICIENTE MAGISTRATUS POLITICI.

32. Demonstratum fuit hactenus, esse in terris magistratum, cujus officium generi humano in peccati ἀταξίαν prolapso summe fuerit necessarium; restat explicandum, a quo illud magistratus officium, status ac potestas originem habeat, an solo rationis humanae dictamine vel sapientum consilio ac deliberatione constitutus sit magistratus, ut vagam ac tumultuantem hominum multitudinem utcunque intra

Cau offic mag tus. XIII

limites obedientiae et officii continerent; an vero divina auctoritate et mandato introductus sit; quod est principale ac primarium hujus doctrinae caput, cujus diligens explicatio requiritur, tum propter *magistratus*, ut conscientiae eorum certum habeant consolationis fundamentum in omnibus periculis, difficultatibus et adversitatibus; tum propter *subditos*, ut agnoscant, parendum esse magistratui non solum propter *iram*, sed etiam propter *conscientiam* Rom. 13, v. 5. tum propter *fanaticos*, qui huic divinae ordinationi variis modis detrahunt. Ut autem in ministerii ecclesiastici constitutione ad causam efficientem *principalem* et *instrumentalem* respiciendum esse diximus, cum Deus non omnes immediate, sed quosdam mediate ad ministerium vocet; ita quoque ad utrumque genus causae in magistratus politici constitutione respiciendum, cum Deus itidem quosdam *immediate*, quosdam vero *mediate* ad magistratus officium vocet. ex quo duae hujus capitis sectiones nascuntur, quarum prior *de causa principali*, posterior de *causa ministeriali et instrumentali* tractabitur.

XIII. 246.

SECTIO PRIOR.

DE CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI MAGISTRATUS.

Principalis causa est ipse Deus, quod probatur:

33. Quamvis sanioribus ethnicis ex naturae lumine quodammodo notum fuerit, magistratum esse institutum divinum, unde illud poëtae Ascraei: *ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες*, tamen plena ac certa hujus rei cognitio est beneficium solius ecclesiae proprium, in ea enim sonat Dei verbum, quod longe certius, firmius ac solidius docet, magistratum esse a Deo institutum et esse sanctam Dei ordinationem. Atque haec verbi divini testimonia diligenter sunt expendenda. Quando enim ratio nostra lumine gratiae restituta considerat tum ambitionem eorum, qui ad dominatum et imperia adspirant; tum fastum, injurias, tyrannidem et vim injustam multorum, qui imperio funguntur; tum judiciorum civilium perversitatem et corruptelas, simulque cogitat, omnes homines aequales nasci: tunc valde labefactur illa persuasio ex rectae rationis lumine et dictamine orta, quod magistratus sit divinum institutum, cogitamus enim, magistratum ex cupiditate dominandi omnibus innata et ex injusta aliorum oppressione ortum esse, nec Dei ordinatione, nec lege naturae constare. Contra has cogitationes muniendus est animus auctoritate verbi divini, quod testatur, vitia personarum ab ipso officio esse prudenter discernenda ac potestatem magistratus esse a Deo, quamvis abusus potestatis ab ipso non sit, nec ipsi placeat. Constituemus autem certas argumentorum classes; primam dabimus *expressis Scripturae dictis*; secundam *rationibus legitima et immota consequentia ex Scriptura deductis*; tertiam *probatis exemplis*, quibus *παρεισάγματος* loco *piorum veterum dicta* subjicientur.

1. Scripturae dictis. 1. Rom. 13, v. 1. et seqq. Omnis anima etc.

34. Prima igitur classis continet *expressa Scripturae dicta*, in quibus verbis claris et perspicuis asseritur, magistratum esse divinam ordinationem, et potestatem magistratus a Deo esse ipsi datam, ubi merito primo loco collocamus dictum apostolicum Rom. 13, v. 1. et seqq.: *πᾶσα ψυχὴ* (inquit) *ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω. οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ θεοῦ, αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ἀπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν, ὥστε ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν.* Irenaeus libr. 5. c. 20. p. 346. de quibusdam commemorat, quod hunc locum apostolicum *de angelis* exposuerint, qui itidem dicuntur *ἐξουσίαι* Ephes. 1. v. 21. cap. 3, v. 10. Coloss. 1, v. 16. XIII. 247.
1. Petr. 3, v. 22. sed illis recte opponit Irenaeus, quod apostolus de talibus *ἐξουσίαις* loquatur, quibus *tributum et vectigalia debeamus. Haec* (inquit) *non de angelicis potestatibus nec de invisibilibus principibus dixit, quomodo quidam audent exponere, sed de his, quae sunt secundum homines potestates ait, propter haec enim et tributa praestat* etc. Ethnici inter ceteras calumnias, quibus evangelii doctrinam praegravabant, Christianos accusabant, quod seditiones adversus magistratum excitarent, quaerebant accusationi suae colorem ex eo, quod Christiani docerent, quandam *libertatem* a Christo sibi partam; quod recusarent *decretis* magistratus ad ethnicam idololatriam cogentibus obedire etc. Apostolus igitur huic accusationi obviare, subditos officii sui monere et Anabaptistarum furores antevertere cupiens ex professo de obedientia magistratui jure divino a subditis debita hoc loco disserit et argumento fortissimo ex divina magistratus ordinatione petito ad obedientiam illi praestandam singulos subditos, etiam illos, qui Christo nomen dederant, hortatur. Consideranda autem verborum emphasis: *Non est potestas nisi a Deo.* Accurate distinguit inter *abusum potestatis* et *ipsam potestatem.* Imperatores Romani, qui tunc rerum potiebantur, et eorum praesides in provinciis abutebantur potestate ad *ὕβριν*, cogere volebant Christianos ad idolomaniam ethnicam etc. hunc abusum potestatis nequaquam a Deo esse apostolus dicit, sed potestatem ipsam. Distinguit etiam inter personam, quae officio et potestate magistratus fungitur, et inter ipsum officium ac potestatem magistratus. Persona saepius vi, fraude, malis artibus vel etiam crudelitate ac tyrannide magistratum occupat et administrat, ac proinde a Deo ad magistratum ordinata dici nequit, sed pertinet ad eam dictum propheticum Oseae 8, v. 4: *Ipsi regnaverunt, et non ex me, principes extiterunt, et non cognovi eos;* interim ipsum officium ac potestas magistratus Dei ordinatio esse non desinit. Tyranni ipsi, qui pravis cupiditatibus et ambitionis oestro impulsi atque perciti regna invadunt eaque non ex praescripta justitiae regula, sed propria libidine administrant, hactenus et hoc respectu non sunt a Deo missi nec ordinati tum propter *violentam occupationem*, tum propter *tyrannicam administrationem*, nec actiones ipsorum Deo

probantur; interim ipsa magistratus potestas et officium Dei est ab injustis illis possessoribus vi et fraude occupatum. Sic ministri ecclesiae, qui legitima vocatione destituti proprio ausu sese ministerio ingerunt, non sunt a Deo missi nec ordinati, Jerem. 23, v. 21: *Currebant, et non mittebam eos;* interim ministerium ipsum non desinit esse ordinatio divina. Huc referri etiam potest, quod abstracta voce *potestatis* Romani, ad quos apostolus scribit, utebantur pro concreto, ut ex Plinio lib. 29. hist. nat cap. 4. Suetonio in Claud. cap. 23. monet Barel. lib. 3. de monarch. cap. 10. Deinde apostolus non dicit indefinite, *potestas ὑπερέχουσα est a Deo*, sed universaliter et exclusive, *non est potestas nisi a Deo.* Fuerunt procul dubio, qui statuerent, ethnicorum imperium non esse legitimum et ex Deo, sicut fuerat imperium regum Israël, ideoque non convenire, ut Christiani ethnicis magistratibus obediant, talia enim semina fermenti Pharisaici Matth. 22, v. 17. procul dubio adhaeserunt quibusdam ex Judaismo ad Christum conversis, sed apostolus ad eorum repressionem notanter dicit: *Non est potestas nisi a Deo*, hoc est non solum regum Israëliticorum potestas fuit a Deo, sed omnis omnino potestas a Deo est. Tertio apostolus non utitur tantum universali, *omnis potestas est a Deo*, sed exclusiva, *non est potestas nisi a Deo*, quo dicit nulla potestas magistratus inter homines nominari vel cogitari potest, quae non sit a Deo, quae exclusiva omnem omnino limitationem ac determinationem excludit, quasi scilicet superior tantum potestas sit a Deo, non inferior, quasi bonorum tantum potestas sit a Deo, non malorum etc. Quarto non simpliciter a Deo dicit esse potestatem, *sed a Deo ordinatam*; sic enim subjungit: *Quae vero sunt*
XIII. 248. *potestates, a Deo ordinatae sunt.* Distinguit igitur inter permissionem et ordinationem Dei. Cogitari potuisset, potestatem magistratus esse duntaxat a Dei permissione, quasi permittat tantum, superiores imperium exercere in subditos; sed apostolus huic cogitationi occurrit dicens, potestatem magistratus esse a Dei ordinatione. Peccata Deus permittit, eadem vero proprie loquendo non ordinat, quia non sunt ab ipso, ut ostendimus in tract. de provid. §. 105. sed magistratus potestas dicitur a Deo ordinata. Quae et ordinantur, et a Deo sunt, ea ex ipsa ordinatione divina habent, ut sint justa, salutaria et utilia; secus est de illis, quae permittuntur, ergo etiam magistratus potestas propter fines utiles ac salutares est divinitus instituta. Elucent autem in hac divina ordinatione quatuor potissimum Dei attributa: *bonitas in magistratus constitutione;* mirandae siquidem bonitatis est, quod Deus in usum generis humani politiarum et imperiorum constitutionem introduxit; *potentia in ejusdem conservatione*, ecquis enim non intelligit, et auctoritatem, et firmitatem magistratus non esse ex hominibus, sed ex Deo? certe tot populorum millia in sancta erga unum quandoque monarcham obedientia, etiam cum vitae dispendio conjuncta, retineri non possent, nisi Deus ipsorum corda potenter flecteret et magistratum auctoritatis ac firmitatis robore circumdaret; *sapientia in legum promulgatione et magistratus administratione*, absque singulari quadam prudentia imperia administrari et tot negotia impedita et intricata in illis expediri neutiquam possent, jam vero quidquid est in homine sapientiae sive spiritualis, sive civilis, id omne a Spiritu sapientiae ad ipsum descendit; *justitia in judiciorum constitutione ac poenarum executione*, quidquid enim in legibus est justum ac salutare, id ex fonte justitiae externae et immotae, quae in Deo est, promanat, et quando juxta rigorem justitiae facinorosis irrogantur supplicia, in eo relucet justitia divina, quae bonis constituit praemia, improbis vero supplicia. Eo collimant, qui institutione et conservatione hujus ordinis tria attributa divina consideranda monent, *potestatem Dei αὐτεξούσιον, voluntatem optimam et potentiam maximam. Potestas* nititur creatione et ex ea orto dominii jure, quod Deus ut in omnia creata, ita et in hominem obtinet. *Voluntas* instituendi est ex quadruplici ejus amore, nimirum ordinis inter omnia creata; inde ipsorum hominum tum eorum, qui praeficiuntur aliis, tum praesertim subditorum; tertio obedientiae erga legem suam; denique illius submissionis, quam natura pares praestant iis, qui puro Dei arbitratu sunt superiores. *Potentia* vero eaque maxima etiam necessaria fuit, tam propter affectum excellentiae, qui in hominibus est, quam propter infinitae multitudinis potentiam, et usurpata est a Deo per internam necessitatis istius ordinis in cordibus hominum impressionem et per externam ejusdem defensionem. Jac. Arminius disput. 25. theol. th. 4. p. 244. Denique *συμπεράσματος* loco apostolus infert: *Qui resistit potestati, ordinationi divinae resistit*, et postea: *Necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quodsi enim potestas magistratus a Deo est, utique qui huic divinae ordinationi resistit, conscientiam suam vulnerat et poenas sibi accersit, velut coecias nubes.

35. Huic classico apostoli loco adjungimus alia Scripturae dicta, in quibus magistratus a Deo con- 2. Prov. 8, v. 15: Per me reges regnant etc.
stitutus asseritur. 2. Prov. 8, v. 15. inquit Sapientia, בִּי מְלָכִים יִמְלֹכוּ וְרֹזְנִים יְחוֹקְקוּ צֶדֶק, *per me reges regnant, et principes decernunt justitiam*; בִּי שָׂרִים יָשֹׂרוּ וּנְדִיבִים כָּל־שֹׁפְטֵי אָרֶץ׃, *per me principes habent principatum et everyetae sunt omnes judices terrae.* Loquitur hic aeterna, increata et hypostatica Dei Sapientia, quae est ipse Λόγος seu Filius Dei, ut colligitur ex v. 22. cui versiculo conjungenda sunt N. T. dicta Matth. 11, v. 19. Joh. 1, v. 1. 1. Cor. 1, v. 24. etc. Ergo ipse Dei Filius *μεσίτης καὶ ἱκέτης* imperiorum constitutionem et conservationem sibi tribuit, quia propter Christum mediatorem non solum aeterna et spiri- XIII. 249.
tualia, sed etiam corporalia et temporalia beneficia generi humano sunt reddita, inter quae eminet constitutio magistratus. Neve quis cogitet, superiores quidem magistratus, non autem inferiores a Deo

esse, ideo et *regum* et *principum* fit mentio ac utrorumque regimen divina sapientia sibi tribuit, tum ratione constitutionis, tum ratione conservationis, quia utroque modo accipi potest illud: *Per me reges regnant et principes obtinent principatum*; quinimo non constitutionem tantum et conservationem magistratus, sed etiam salutarem ac prudentem gubernationem esse divinum beneficium notanter asserit Sapientia, quando addit, *per me principes sive consiliarii justitiam decernunt et benefici sunt omnes judices terrae*. Dan. 2, v. 20. propheta coram rege Nebucadnezare consistens inquit: *Sit nomen Dei in secula benedictum, quia sapientia et fortitudo est ipsius;* v. 21. *ipse mutat tempora et aetates, ipse removet reges et stare facit reges, dans sapientiam sapientibus et scientiam intelligenti disciplinam.* Docet propheta, utrumque esse opus divinum, quod reges removet et stare facit sive stabilit, ac quod regibus addit prudentes consiliarios, in priore Dei potentiam sive fortitudinem, in posteriore sapientiam elucere. Quia vero multi reges verbis quidem profitentur, *se Dei gratia* imperium obtinere, interim occulto cordis fastu et re ipsa illud negant, ideo Deus Nebucadnezarem superbe se efferentem horribiliter punit, ut agnoscat, *quod dominetur Altissimus in regno hominum et tradat illud, cui voluerit* Dan. 4, v. 29.

[margin: an. . 20: re- et et s fa- eges.]

36. Ex apocryphis V. T. libris huc referri possunt sequentia dicta: Sap. 6, v. 2: *Audite reges et intelligite, discite judices finium terrae;* v. 4. *quoniam a Domino data est vobis ἡ κράτησις, potestas, et ab Altissimo ἡ δυναστεία, dominatus, qui exquiret vestra opera et cogitationes scrutabitur.* Cui aliquando rationem suae administrationis reges et judices cogentur reddere, ab illo potestas et dominatus ipsis est datus. Sed Deo omnipotenti et altissimo rationem suae administrationis reges et judices cogentur reddere. Ergo. Eccles. 10, v. 4: *In manu Domini potestas terrae, ἡ ἐξουσία τῆς γῆς, et utilem suscitabit ad tempus super eam.* v. 17: *Sedes imperantium destruxit Dominus et sedere fecit mites pro eis intus.* cap. 17, v. 13: *Omnis homo a juventute ad malu, et non valuerunt corda sua pro lapideis facere carnea.* v. 14. *In omni divisione gentium terrae totius unicuique genti constituit ducem, ἡγούμενον, praeposuit ei rectorem,* Lutherus: Jn allen Landen hat er Herrſchaften geordnet. Exponit Sapiens finem, propter quem singulis gentibus praefecerit Deus magistratum, nimirum inter cetera etiam fine eo, ut malitiae hominum obviam iri et disciplina externa conservari posset.

[margin: ap. . 4: omi- data robis stas.] [margin: cles. v. 4: manu nini stas ie. 17. s: itl- du-]

37. Ex N. T. huc referri posse videtur dictum Christi ad Pilatum Joh. 19, v. 11: *Non haberes potestatem adversus me ullum, nisi tibi datum esset e supernis,* hoc est nec adversus me, nec ullum omnino hominem aliquam haberes potestatem, nisi ea divinitus tibi esset concessa. Quae explicatio fidei quidem analogiae conformis est et utilem praebet doctrinam, sed ostendimus in harmonia pass. c. 11. p. 531. textui esse conformius, si verba Christi non in genere de magistratus potestate, sed in specie de potestate Pilati contra Christum aliquid statuendi accipiamus, unde etiam Chrysostomus hom. 84. in Joh. τὸ δεδόμενον συγχωρητικῶς ac permissive exponit. Commodius huc refertur dictum Christi Joh. 10, v. 35: *Si illos* (lex divina Psalm. 82, v. 6.) *dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura* etc. Ad eos qui vocantur dii in Psalm. 82. hoc est ad magistratus, dicit esse factum sermonem Dei, hoc est habere eos divinam vocationem, esse divinitus in hoc officio constitutos, versari in statu Deo placente. His enim verbis vocatio divina ad munus propheticum describi solet: *Factum est verbum Domini ad Esaiam, ad Jeremiam* etc. Rom. 12, v. 8. apostolus praefecturas (tum in specie illas, quibus ecclesiae aedificationi ministri Christi inserviunt, tum in genere omnes) inter dona Dei refert. Quidam etiam addunt locum propheticum Zach. 14, v. 20: *Id quod est super frenum equi, sanctum erit Domino.* Sed rectius generaliter accipitur, quod absque ullo personarum et vasorum Levitico discrimine incolae civitatis in N. T. futuri sint sancti. Posset etiam haud incommode huc referri, quod reges *sacro oleo* Dei jussu fuerunt uncti, quod fuit evidens signum divinae vocationis et confirmationis 1. Sam. 10, v. 1. c. 16, v. 13. 1. Reg. 19, v. 15.

[margin: oh. . 11: ha- s sta-] [margin: 7. Joh. 10, v. 35: Ad quos sermo Dei factus. XIII. 250.]

38. Transitum proinde facimus ad alteram argumentorum classem, quam tribuimus *rationibus* legitima consequentia ex Scriptura deductis, quarum complures afferri possunt. 1. Qui Dei judicium exercent, illis etiam potestas judicandi a Deo est data. Sed magistratus Dei judicium exercere dicitur. Ergo magistratui potestas judicandi et per consequens etiam imperandi a Deo est data. Majoris connexio est manifesta. Quomodo enim Dei loco ac vice judicium exercere possent, nisi potestatem judicandi a Deo accepissent? Quemadmodum ecclesiae ministri, *quia ministerium Spiritus* tractant, a Deo potestatem ministerii accepisse recte dicuntur; ita quoque magistratus, quia Dei judicium exercent, a Deo judicandi et consequenter etiam imperandi potestatem accepisse recte creduntur. Minor probatur. Deuter. 1, v. 17. Moyses ad judices dicit: *Non respicietis personas in judicio,* quia הַמִּשְׁפָּט לֵאלֹהִים הוּא, *judicium est Dei et Deo,* utroque enim modo reddi potest, commendatum vobis est a Deo, et Dei nomine illud administratis. 2. Paral. 19, v. 6. dicit Josaphatus ad judices a se oppidatim constitutos: *Videte quid faciatis, quia non homini judicatis, sed Deo, et ipse vobiscum in judicio.* Quae autem sit vis hujus phraseos, colligi potest ex cap. 20, v. 15: *Non vobis bellum, sed Domino,* hoc est Deus ipse pro vobis pugnabit; ita quoque hoc loco, Deus ipse per vos judicat, et ab ipso judicium vobis est commissum.

[margin: 2. Rationum momentis. 1. A judicii divini administratione.]

39. 2. Qui in ipsa officii sui exsecutione Dei minister dicitur, illius officium est a Deo. Magistratus in ipsa officii sui exsecutione Dei minister dicitur. Ergo officium et per consequens etiam potestas

[margin: 2. Ab officii divini exsecutione.]

magistratus est a Deo. Major patet ex mutuo respectu causae instrumentalis et principalis; qui enim alterius nomine aliquid agit, potestatem et mandatum agendi ab ipso habere recte creditur. Doctores ecclesiae quia dicuntur Dei ministri et legati, ideo ipsorum officium merito judicatur divinum. Idem statuendum de magistratu. Minor probatur Rom. 13, v. 4: *Dei minister est* (magistratus) *tibi in bonum, si autem malum egeris, time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est vindex in iram ei, qui male egit.* v. 5. *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* v. 6. *Ideo enim etiam tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes et incumbentes*, *προσκαρτεροῦντες*. Tribus distinctis vicibus apostolus repetit, quod magistratus sit Dei minister, in Graeco est non solum nomen *διακόνου*, sed etiam *λειτουργοῦ*, quod significat eum, qui publicum aliquod officium administrat, ac notanter dicit, in eo ipso magistratum Deo servire, quando partes officii sui exsequitur, et vindex est in iram ei, qui male agit. Sap. 6, v. 5. *ὑπηρέται ὄντες τῆς αὐτοῦ βασιλείας*. Deo tribuit *βασιλείαν*, ipse est enim *rex regum et dominus dominantium* 1. Tim. 6, v. 15. ipse est dominus proprietarius et hereditarius Psalm. 82, v. 8.
XIII. 251. Magistratibus duntaxat *ὑπηρεσίαν* assignat, quia Deo in administratione regni serviunt et ad nutum ipsius regno abire coguntur. Lutherus: Ihr ſeid ſeines Reichs Amtleute. Huc pertinent etiam illa dicta, in quibus magistratus dicuntur dii, quae superius §. 10. recensuimus; ideo enim sic dicuntur, quia divinum administrant officium et Dei vicem in terris gerunt, sunt dii quidam terrestres. Nec incommode huc refertur, quod reges et principes dicuntur *οἱ δοκοῦντες ἄρχειν* Marc. 10, v. 42. quod non tam imperent, quam videantur imperare, cum solus Deus imperium perfecte obtineat, cujus vicarii duntaxat et ministri sunt reges mundani. Huic argumento affine est illud: Qui propter officii eminentiam, dignitatem, utilitatem et necessitatem dicuntur dii, illorum officium est divinum et a Deo institutum, quomodo enim Deus sui nominis communicatione illos dignaretur, quorum status et officium non esset ab ipso institutum? At magistratus propter officii sui eminentiam, dignitatem etc. dicuntur *dii*, Exod. 22, v. 8. et 28. Psalm. 82, v. 6. Ergo etc.

3. A donorum ad officium necessariorum collatione.

40. 3. Quicunque omnia ad officii executionem necessaria a Deo accipiunt, illorum officium et potestas est a Deo. Sed magistratus omnia ad executionem officii sui necessaria a Deo accipit. Ergo magistratus officium et potestas est a Deo. Major est manifestae veritatis, nisi enim officium ipsum esset a Deo, Deus non daret ea, quae ad officii exsecutionem sunt necessaria. Minor per inductionem probari potest. 1. Ad magistratum obeundum requiritur *sapientia*, ea vero a Deo datur magistratui. Num. 11, v. 16. cum Moyses de difficultate regiminis conquereretur, Deus mandat, ut eligat *septuaginta viros* ex senioribus Israël eosque constituat principes et praefectos, quibus promittit donationem Spiritus, qui erat *Spiritus consilii, sapientiae et intellectus*, per quem idonei ad capessendum magistratus officium fuere redditi. Jud. 3, v. 10: *Spiritus Domini erat in Athniele et judicabat Israël.* 1. Sam. 10, v. 6. cum Saul in regem Israëlis electus esset, *Spiritus Domini requiescit super eum, et convertitur in virum alterum.* 1. Sam. 16, v. 13. cum David a Samuele in regem esset unctus, *directus est Spiritus Domini a die illa in David ac deinceps*, hoc est consecutus est excellentia Spiritus sancti dona. Prov. 20, v. 12: *Aurem audientem et oculum videntem Dominus fecit utrumque,* hoc est ut subditi obediant magistratui et ut magistratus salutaria decernat, utrumque est Dei beneficium. 2. Ad magistratum rite gerendum requiritur *auctoritas*, illa vero itidem est donum Dei. 1. Sam. 10, v. 26: *Ibant cum Saule exercitus, quorum cor Deus tetigerat*, hoc est quorum corda ad reverentiam et obedientiam Sauli praestandam inclinaverat iisque praeclaram de Saule existimationem instillaverat. Job. 12, v. 18: *Vinculum regum solvit et ligavit cingulum in renibus eorum.* Illud cingulum regum est auctoritas, qua divinitus sunt circumdati, per quam etiam subditi ad obedientiam illis devinciuntur, sed propter peccata magistratus Deus illud cingulum et vinculum quandoque dissolvit, hoc est ut Jobus ipse exponit v. 21. *effundit despectionem super principes et fortitudinem fortium debilitat.* 3. Ad magistratum etiam requiritur *νομοθεσία*, salutarium legum constitutio, ea vero itidem absque divino nomine locum habere nequit. *Per me*, inquit divina Sapientia Prov. 8, v. 15. consiliarii decernunt justum. 4. Ad magistratus officium requiritur, ut facinorosi puniantur et pro ratione delicti etiam capitali supplicio afficiantur. Jam vero Deus gladium tradidit magistratui, Genes. 9, v. 5: *De manu hominis, de manu viri fratris ejus*, dicit Dominus, *requiram animam hominis.* Neve quis existimet, Deum semper immediate id facturum, ideo v. 6. instituitur magistratus officium, per quem ordinarie fieri debeat supplicii exsecutio. *Qui effuderit sanguinem humanum, per hominem sanguis ejus effundetur, quia ad imaginem suam Deus fecit hominem.* Latina versio vulgata illud *per hominem*, in quo est magna emphasis, plane omittit, ac frustra XI
Bellarminus nobis persuadere conatur lib. 2. de v. Dei cap. 12. particulam illam *per hominem* nullius esse momenti, cum emphatice magistratus officium hic constituatur. Graeca obscurius reddit: *ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται.* Pagninus, Arias Montanus et alii illud בָּאָדָם referunt ad subjectum sive prius membrum sententiae, *quicunque effuderit sanguinem hominis in homine* sive *per hominem*, sed rectius refertur ad praedicatum, supra ponitur enim proxime praecedenti verbo הָאָדָם accentus zakeph katon, qui incisum majus constituit, et in versu proxime praecedente impositus verbo אֶדְרֹשׁ distinctionem facit, ב igitur

est nota instrumentalis causae, per quam homicidae sanguis iterum sit effundendus, videl. per hominem sive magistratum, unde Onkelus paraphraseos loco adjecit: *Qui effuderit sanguinem hominis cum testibus, sive per testes juxta sententiam judicum sanguis ejus fundetur.* Jonathan sic reddit: *Qui effuderit sanguinem hominis per testes, condemnabunt eum judices ad necem; et qui effuderit absque testibus, Dominus mundi olim vindictam ab eo sumet in die judicii magni.* Christus hanc sententiam in N. T. allegans eam sic reddit: *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt* Matth. 26, v. 52. ubi gladii nomen generaliter accipitur pro quibusvis suppliciis a magistratu, cui gladius a Deo datus est, irrogatis, quo sensu etiam apostolus inquit Rom. 13, v. 6: *Non sine causa* (magistratus) *gladium portat*, Dei enim *minister est vindex in iram ei, qui malum agit.* 5. Ad magistratus officium etiam requiritur, ut subditi census et tributa dent, atqui Christus quaesitus, an liceat censum dare caesari, respondet verbis προσταχτιχοῖς: *reddite quae caesaris sunt caesari* Matth. 22, v. 21. Deus ipse per apostolum tributa magistratui dare mandat Rom. 13, v. 7. 6. Magistratus insuper est bello subditos defendere et hostium injurias propulsare; jam vero peritiam belligerandi et victoriose pugnandi solus Deus largitur, Psalm. 18, v. 35: *Dominus docet manus meas ad bellum et conteretur arcus aeneus brachiis meis.* v. 48. *Deus dat mihi vindictas.* Psalm. 44, v. 4: de victoriis Israëlitarum dicitur: *Non in gladio possederunt terram et brachium eorum non servavit eos, sed tua dextera et tuum brachium* etc. Psalm. 144, v. 1: *Dominus rupes mea docens manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum.* v. 10. *dans salutem regibus.* Et quid multis? Salomon in genere dicit Prov. 21, v. 1: *Sicut rivi aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.*

ı ma- ıatus ıtu- ıe. 41. 4. Qui expressum dat mandatum magistratum constituendi, ejus ordinatio est magistratus. At Deus expressum dat mandatum constituendi magistratus. Ergo. Deut. 16, v. 18. Moyses Dei nomine et auctoritate praecipit Israëlitis: *Judices et praefectos dabis tibi in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi in tribubus tuis, et judicabunt populum judicio justitiae.* Exod. 18, v. 21. Jethro consilium dat genero suo Moysi, ut ex omni populo eligat *viros fortes, timentes Deum, veridicos, odio habentes avaritiam, eosque ponat tribunos, centuriones, quinquagenarios, decanos.* At hoc consilium non fuisse humanum, sed divinum, ex eo apparet, quod Deus ipse illud ratum ac gratum habet et septuaginta ex senioribus in magistratum electos Spiritu suo implet. Samuel et alii prophetae expressum a Deo mandatum acceperunt, certas personas ungendi in reges super Israël, ut exempla, quae postea adducentur, manifestum facient.

ıb .riae ıl- tul 42. 5. Quo contemto ac spreto Deus ipse contemnitur et injuria afficitur, ille est a Deo constitutus et divinum gerit officium. Sed contemto ac spreto magistratu Deus ipse contemnitur et injuria afficitur. Ergo. 1. Sam. 8, v. 7. cum Israëlitae Samuelem divinitus sibi praepositum rejicerent et formam regiminis a Deo ipso constitutam repudiarent, dicit Dominus: *Non te, sed me rejecerunt;* ostenditur igitur, politiarum administrationem non tam magistratui quam ipsi Deo tribuendam esse et injurias magistratui illatas in ipsum Deum ordinis hujus auctorem redundare. Apostolus Rom. 13, v. 2. generalem proponit regulam, *quisquis resistit, Dei ordinationi resistit.* Quemadmodum 1. Thess. 4, v. 8. de suo ac doctorum ecclesiae ministerio dicit, *qui spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis*, nimirum quia ecclesiae doctores sunt Dei ministri ac legati; ita quoque de magistratu recte dicitur: qui magistratui resistit, Deo ipsi resistit, nimirum quia magistratus est *Dei minister*, ut apostolus αἰτιολογιχῶς addit v. 4.

illatae vindicatione.

XIII. 253.

43. 6. In quocunque statu viventibus Deus certa praescribit ac determinat munia, ille utique est a Deo. Nisi enim talis status a Deo ordinatus esset, nec praescriberentur viventibus in illo certa munia et officia, nec personae in eo viventes Deo placere possent. Atqui Deus in politica societate viventibus certa praescribit ac determinat munia. Ergo politica societas est a Deo instituta ac consequenter etiam magistratus, absque quo politica societas consistere nequit. Assumtum probatur 1. ex omnibus dictis, quae magistratum sui officii admonent. *Intelligite reges et erudimini judices terrae*, inquit propheta regius Psalm. 2, v. 10. Non dicit, deponite imperandi ac judicandi majestatem, sed intelligite et servite Domino. Si magistratui non esset locus in Christi regno, Spiritus s. reges a regnandi et judicandi functione avocasset. 2. Ex inductione partium. Ad politicam societatem constituendam duo hominum genera necessario concurrunt, eorum scilicet qui parent et qui imperant. Justinus in qq. et c. resp. ad orthodox. q. 138. p. 376: *Sicut homo ex anima et corpore constituitur, ita regnum ex rege et eis, qui reguntur, coagmentatur.* Augustinus libr. 18. de civit. Dei cap. 2: *Factum est, ut non sine providentia Dei quidam essent regnis praediti, quidam regnantibus subditi.* Jam vero utrisque Deus sua praescribit munia et officia, magistratui quidem, ut sit *nutritius ecclesiae, custos utriusque tabulae, pater patriae et salutaris praeses et gubernator reipublicae in ordinando, judicando et vindicando*, leges scilicet salutares ferendo, judicia justa exercendo, praemia bonis et poenas improbis distribuendo; subditis vero, ut magistratui exhibeant amorem et reverentiam, subjectionem et obedientiam, census et tributa, preces ac vota. De quibus magistratus ac subditorum officiis inferius suo loco plura dicentur.

6. A partium officii determinatione.

44. 7. Quemcunque vitae statum Deus sua benignitate ac potentia conservat, ille quoque est a Deo ordinatus, *conservatio* enim nihil aliud est quam *essendi quaedam continuatio.* Esse et con-

7. A divina magistratus conservatione.

servari eidem acceptum fertur auctori eidemque principio, Scaliger exerc. 31. et 250. Atqui magistratum politicum Deus sua benignitate ac potentia conservat, ut monuimus superius et apparet ex his Scripturae dictis Psalm. 21, v. 1: *Domine in fortitudine tua rex laetabitur*, hoc est quia fortificasti ac stabilivisti meum regnum, ideo ex lacto corde tibi gratias ago. Psalm. 30, v. 8: *Domine in voluntate tua* בִּרְצוֹנְךָ, in beneplacito tuo, *stare fecisti in monte meo fortitudinem*, hoc est stabilivisti ac roborasti meum regnum, ut monti firmiter stabilito ac fundato comparari possit. Dan. 2, v. 20: *Domini est sapientia et fortitudo*, v. 21. *ipse removet reges, ipse stare facit ac stabilit reges*, מְהָקִים מַלְכִין, ubi removere et stabilire sive conservare sibi invicem opponuntur et utrumque respectu diversorum objectorum Deo tribuitur. Hagg 2, v. 23. dicit Dominus: *Ego subvertam solium regnorum et disperdam fortitudinem regnorum gentium*, sed ad Zerubabel dicit v. 24. *ponam te sicut signaculum*, hoc est stabiliam tuum principatum. Diabolus Dei et humani generis hostis ἄσπονδος odio divinae ordinationis et salutis, quae per eam generi humano
XIII. 254. confertur, quotidie excitat confusiones et turbas, ac natura humana propter corruptionem originalem est infirma, ad ἀταξίαν et ἀκαταστασίαν propendens, legum contra ac disciplinae vincula aversans; divinae ergo bonitati et potentiae acceptum ferendum, quod in tanta naturae humanae infirmitate inque tantis diaboli furoribus honestae politiae conservantur. Huc pertinet, quod Deus judicium suum exercet adversus turbatores ac seditiosos, qui eversum cupiunt hunc ordinem divinitus institutum. Prov. 24, v. 21: *Time dominum et regem et cum seditiosis ne misceas te*, v. 22. *quoniam repente consurget exitium eorum*. Matth. 26, v. 52: *Qui gladium acceperit* etc.

8. A naturae coordinatione. 45. 8. Quicunque status juri naturae congruit, ille etiam est juris divini et per consequens a Deo ordinatus. Magistratus officium ac status congruit juri naturae. Ergo. Assumptum probatur: Cum tota rerum universitate sive natura universali ita comparatum est, ut habeat rectorem et gubernatorem Deum Optimum Maximum, absque cujus directione si esset, ne quidem ad momentum persistere posset. Particularis etiam natura ostendit, in omni coetu ac societate necessarium esse, ut aliquis sit rector ac ductor, qui reliquis praesit eosque regat. Sic inter apes et grues unus tanquam rex et ductor reliquis eminet, qui ducatum illis praestat. In omnibus mundi partibus imperandi et parendi diversitatem deprehendere licet, ut ostendit Casus lib 1. politic. c. 5. ac Cicero inquit lib. 2. de nat. Deorum: *Omnem naturam, quae non est simplex, sed cum alio connexa, necesse est habere aliquem in se principatum*. Juri ergo naturae congruum est, ut inter homines etiam sit talis ordo. Praeterea saniores ethnici ex naturae lumine agnoverunt, hominem esse ζῶον πολιτικὸν τῇ φύσει. Aristoteles lib. 1. polit. cap. 2. Jam vero ubi societas est, ibi quoque oportet esse aliquem ordinem ac regimen, proinde si homo per naturam ad societatem conditus est, utique etiam regimen naturae juri congruit. Insuper natura humana instructa est notitiis practicis et discrimine honestorum ac turpium, quae sunt divinae imaginis, ad quam homo conditus est, ἐρείπια, rudera ac vestigia, ut quemadmodum in anima superiores vires imperant inferioribus, ita qui in genere humano aliis sapientia et auctoritate praestant, aliis praesint eosque regant, quo sensu ac respectu Philosophus dixit, servitutem esse a natura.

46. Tertiam argumentorum nostrorum classem constituimus ex probatis exemplis, quae itidem testantur, magistratus divinitus constitui. Sic videmus Siraciden cap. 44, v. 3. inter viros sanctos et gloriosos referre eos, *qui dominati sunt in potestatibus suis et imperarunt in populo*. Age vero rem paulo altius arcessamus. Specimen ac praeludium aliquod politici magistratus propositum fuit tum in dominio, quod Deus primo homini concessit in cuncta terrae animantia, tum in potestate patria, quam ante diluvium pii patriarchae in suis familiis exercuerunt. Molina lib. contra abusus papar. p. 128. demonstrare conatur, *patriarchas et judices* ante regum electionem potestate regia usos fuisse, alias enim nec bella gerere, nec in facinorosos gladio animadvertere potuissent, quorum tamen prius ab Abrahamo, posterius a Moyse factum fuisse constat. Statim namque post diluvium usus *gladii* contra homicidas et facinorosos homini traditur, Gen. 9, v. 6 unde procul dubio ex illo tempore patres familiarum cum potestate patria etiam politicam gubernationem exercuerunt. Gen. 14, v. 14. et seqq. Abraham expeditionem suscipit contra reges, a quibus Lothus ipsius ex fratre nepos injuria affectus erat, gessit ergo divina auctoritate et mandato non oeconomicum solum, sed etiam politicum officium, cujus ratione arripit arma non πολιορκητικὰ ad vim inferendam, sed ἀμυντήρια ad injuriam propulsandam, et quia dicitur armasse חֲנִיכָיו, *initiatos domus suae*, ex eo intelligitur, quod vernas suos in re militari informavit, testatur etiam eventus et benedictio Melchisedeci, bellum illud divinis auspiciis XIII. 255
fuisse gestum. Josephum divina providentia constitutum fuisse totius Aegypti dominum ac praefectum Genes. 41, v. 43. cap. 42, v. 6. testatur ipsemet, quando Genes 45, v. 8. ad fratres suos dicit: *Non vos me misistis huc, sed Deus et posuit me in patrem Pharao et in dominum domui ejus et dominatorem in omni terra Aegypti*. v 9. referre jubet ad patrem, quod Deus ipsum posuerit *in dominum omni Aegypto*. Moyses divina voluntate constituitur gubernator populi Israëlitici, quem ex Aegypto auspiciis felicissimis educit ac leges et statuta illi praescribit. Post mortem Moysis Josua constituitur dux populi, *quemadmodum fui cum Moyse;* dicit ad eum Dominus Jos. 1, v. 5: *Ita ero tecum;* idem etiam mandato Dei proelia gerit contra hostes Israëlitici populi, quocunque abit victoriam habens comitem. Mortuo Josua Israëlitae quaerunt Dominum:

3. Probatis exemplis.

Quis adscendit nobis ad Cananaeum in principio ad pugnandum cum eo? Jud. 1, v. 1. quibus Dominus respondet v. 2: *Juda adscendet;* hic ergo Josuae successor et princeps Israëlitici populi divinitus constituitur. Postea excitavit Dominus *judices*, qui eos salvarunt ex manibus inimicorum Jud. 2, v. 16. cap. 3, v. 9. cap. 4, v. 4. et judicarunt eos temporibus suis. Progressu temporis mutata est reipublicae forma, ac Israëlitis ita volentibus Deus dat regem Saulem, de quo Samuel dicit 1. Sam. 10, v. 24: *Num vidistis, quem elegerit Dominus?* et Deus ipse apud Oseam cap. 13, v. 11: *Dedi tibi regem in furore meo.* Sauli successit David, quem expresso Dei mandato Samuel ungit in regem, 1. Sam. 16, v. 12. quam benignitatem ipse in psalmis praedicat Psalm. 21, v. 4: *Praevenies eum* (regem) *benedictionibus bonitatis, appones capiti ejus coronam auream.* 2. Sam. 6, v. 21: *Dominus praecepit mihi, ut essem dux super populum Domini in Israël.* 1. Paral. 28, v. 4: *Elegit me Dominus Deus Israël de universa domo patris mei, ut essem rex super Israël.* Huc referenda exempla Salomonis, Josiae, Josaphati et aliorum, de quibus expresse commemorat Scriptura, quod Dei voluntate, consilio et arbitrio in solium regale sint collocati. De Salomone dicitur 1. Paral. 29, v. 5: *quod Deus ipsum elegerit, ut sedeat in throno regio*, et generaliter dicitur Psalm. 113, v. 7: *Deus de stercore erigit pauperem*, v. 8. *ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Cyrus rex Persarum in publico edicto scribit 2. Paral. 36, v. 23: *Omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus coeli.* Conjunge Dan. 5, v. 18. etc. Ex quibus omnibus sic concludimus: In quemcunque statum Deus ipse homines evehit, ille utique est a Deo constitutus; sed in statum magistratus Deus ipse homines quosdam evehit. Ergo magistratus officium ac status est a Deo ipso constitutus.

47. Ex piis veteribus multa huc adduci possent. Irenaeus lib. 5. adv. haer cap. 20. p. 346: *Quoniam absistens a Deo homo in tantum efferavit, ut etiam consanguineum sibi hostem putaret et in omni inquietudine et homicidio et avaritia sine timore versaretur, imposuit illi Deus humanum timorem, non enim cognoscebant timorem Domini, ut potestati hominum subjecti et legi earum adstricti aliquid assequantur justitiae et moderentur ad invicem manifesto positum gladium timentes.* Et postea p. 347: *Ad utilitatem ergo gentium terrenum positum est regnum a Deo, sed non a diabolo, qui nunquam omnino quietus est, imo qui nec ipsas quidem leges vult in tranquillo agere, ut timentes regnum humanum non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentilium injustitiam* etc. *Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu et reges constituuntur, apti iis, qui in illo tempore ab ipsis regnantur.* Tertullianus in apol. cap. 30. p. 59: *Inde est imperator, unde est et homo, antequam imperator, inde potestas illi, unde et spiritus.* Et paulo ante: *Sciunt* (imperatores), *quis illis dederit imperium, sciunt qua homines, quis et animam; sentiunt, Deum esse solum, cujus solius in potestate sunt.* cap. 33. p. 61: *Maxime necesse est, ut suspiciamus imperatorem ut eum, quem Dominus noster eligit, ut merito dixerim, noster est magis caesar ut a* XIII. 256.
nostro Deo constitutus. Eusebius lib. 9. praeparat. evang. cap. 1. fol. 238. allegat dictum Essaeorum, *οὐ δίχα θεοῦ περιγίγνεσθαί τινι τὸ ἄρχειν.* Chrysostomus homil. 23. in epist. Rom. cap. 13. f. 258 sic annotat: *τὸ ἀρχὰς εἶναι καὶ τοὺς μὲν ἄρχειν, τοὺς δὲ ἄρχεσθαι καὶ μηδὲ ἁπλῶς μηδὲ ἀνέδην ἅπαντα φέρεσθαι, ὥσπερ κυμάτων τῇ δὲ κἀκεῖσε τῶν δήμων περιαγομένων, τῆς τοῦ θεοῦ σοφίας ἔργον εἶναί φημι, quod magistratus sunt, quod hi quidem imperant, isti vero parent, quod non simpliciter ac temere cuncta feruntur, nec populi fluctuum instar huc atque illuc circumaguntur, divinae sapientiae opus esse dico.* Ambrosius in comm. cap. 13. Rom. tom. 5. p 232: *Ut jus et timorem legis naturalis* (apostolus) *confirmet, Deum auctorem ejus testatur et ministrantes eam Dei ordinationem habere.* Et postea: *Principes hos reges dicit, qui propter corrigendam vitam et prohibenda adversa creantur, Dei habentes imaginem, ut sub uno sint ceteri.* Epiphanius lib. 1. tom. 3. haeres. 40. contra Archont. p. 131: *ἐξουσία κοσμικὴ ἐκ θεοῦ τέτακται καὶ μαχαίρας ἔλαβε τὴν ἐξουσίαν, οὐκ ἀλλαχόθεν δὲ πόθεν, ἀλλ' ἐκ θεοῦ εἰς ἐκδίκησιν, ἵνα εἰς εὔτακτον σύνταξιν τῆς τοῦ παντὸς κόσμου διοικήσεως τὰ πάντα ἐκ θεοῦ καλῶς καταταχθῇ καὶ οἰκονομηθῇ, potestas mundana est ex Deo ordinata, quae gladii potestatem accipit non aliunde, sed ex Deo ad ultionem, ut ad bonum ordinem gubernationis universi mundi omnia ex Deo bene disponantur ac administrentur.* Hieronymus in enarr. cap. 13. Rom. tom. 8. p. 185: *Constituitur potestas a Deo, ut juste judicet et ut peccatores habeant, quod timeant.* Augustinus lib. 18. de civit. Dei c. 2: *Factum est, ut non sine providentia Dei, in cujus potestate est, ut quisque bello aut subjugetur, aut subjuget, quidam essent regnis praediti, quidam regnantibus subditi.* Theodoretus orat. 7. de provid.: *Deus velut pharmacum quoddam mali expulsivum iniquitatis ulceribus imposuit magistratus administrationem.*

48. Discedunt ab hac ὀρθοδοξίᾳ 1. Anabaptistae, Antithesis et argumenta XIII. 257. 1. Anabaptistarum.
qui negant, magistratus officium esse Dei ordinationem. Quod si expressis Scripturae testimoniis convicti id ipsum coguntur concedere, respondent, *magistratum ea ratione esse ordinationem et ministrum Dei, sicut Nabuchodonosor fuit minister Dei in puniendis Israëlitis, in evertenda* Tyro Jerem. 25, v. 9. cap. 27, v. 6. *et sicut Attila flagellum Dei sese nominabat, vel sicut carnifex dicitur minister judicis* Matth. 5, v. 25. cap. 18. v. 34. *ac diabolus est minister Dei, quando exsequitur ejus iram* 1. Reg. 22, v. 22. etc. *Quemadmodum enim angeli alii sunt mali, alii vero boni, ita quoque alios Dei ministros dicunt esse bonos, alios vero malos.* Argumenta, quibus demonstrare conantur, magistratum

non esse bonam ac sanctam Dei ordinationem, potiora haec sunt. Prima classis petita est ex

1. Ex Scripturis. 1. Gen. 10, v. 10: Nimrod coepit esse potens.

Scripturae dictis: *1. Primus in terris monarcha fuit Nimrodus, de quo expresse dicitur, quod coeperit esse potens in terra et quod principium regni ejus fuerit Babel* Genes. 10, v. 10. 1. Paral. 1, v. 10. *Atqui is fuit rebellis et seditiosus, Deo minime placens, quod arguit ipsum nomen deductum a* מָרַד *rebellare, deficere, unde dicitur fortis venator coram Domino, quia ut venatores solent feras capere, sic ipse homines oppressit.* Ex quo tale formant argumentum: Quidquid a violenta et injusta hominum oppressione originem trahit ac malo nititur principio, illud non potest esse a Deo constitutum. Sed imperium monarchicum a violenta et injusta hominum oppressione originem trahit ac malo nititur principio, ut ex Nimrodi historia constat. Ergo etc. Respondemus: 1. quidam de ferarum duntaxat venatione Moysen loqui existimant, sed contrarium ostendimus superius §. 21. 2. Quidam Nimrodi imperium laudari existimant, cum addatur, quod fuerit fortis venator *coram Domino* sive in conspectu Domini, hoc est quod Dei jussu ac mandato instituerit certam politiae formam, praescripserit honestas leges et in officio continuerit homines ad tuendam rempublicam et ecclesiam, adeoque ad Dei gloriam; sed contrarium suadent ipsum Nimrodi nomen ejusdemque periphrasis, quod fuerit *fortis* venator, quae appellatio solet tribui oppressoribus et persecutoribus. Jerem. 16, v. 16. Thren. 3, v. 5. Ezech. 32, v. 20. expositiones Targumicae superius adductae. Item quod turres ac munitiones aedificat, ac cum *principium regni ejus* dicatur fuisse Babel, procul dubio turris Babylonicae exstruendae fuit auctor; accedit quod fuerit ex impia et maledicta Chami familia, unde omnes Hebraei, uno Aben-Esra excepto, Nimrodum habent pro tyranno. Phrasin *coram Domino* exposuimus superius. 3. Quidam negant, Nimrodum fuisse primum monarcham. Tolosanus lib. 19. de republ. cap. 1. sect. 2. *Adamum* putat primum fuisse a Deo constitutum magistratum, tum quia ad imaginem Dei conditus fuit, cujus pars vel certe consequens est dominium, tum quia jubetur *praeesse* piscibus maris, volatilibus coeli, adeoque universis animantibus, quae moventur super terram Genes. 1, v. 28. Sed distinguendum inter dominum in creaturas irrationales et imperium in hominem, illud hujus praeludium et specimen fuisse concedimus, alterum tamen ab altero est et manet distinctum; distinguendum etiam inter potestatem patriam sive oeconomicam, quam Adamus in sua familia exercuit, et politicam, quae in republica locum habet. 4. Quidam Cainum dicunt fuisse primum monarcham, cum *civitatem exstruxisse* dicatur Gen. 4, v. 17. sed distinguendum inter dominatum politicum in genere ac regnum aliquod monarchicum in specie. Ab exstructione enim civitatis alicujus monarchicum regnum inferri nequit, cum ad illud plures omnino civitates requirantur, quae tunc temporis nondum exstitere. Quodsi omnino concedendum fuerit, Cainum regia et monarchica potestate in civitate a se exstructa fuisse armatum, prout censet Augustinus libr. 15. de civ. Dei cap. 20: *Eadem civitas* (inquiens), *quam Cain in nomine Enoch filii sui condidit, longe lateque regnare potuit et reges habere non simul plures, sed suis aetatibus singulos, quos genuissent sibi successuros quicunque regnassent, horum regum primus esse potuit ipse Cain, secundus filius ejus Enoch* etc. Distinguendum tamen fuerit inter latiorem et strictiorem monarchiae significationem. Priore modo accipitur pro qualibet reipublicae administratione, cui unus aliquis cum imperio praeest; posteriore modo pro uno ex quatuor illis summis in Scriptura numeratis imperiis. Nimrodus fuit primus monarcha sensu posteriore, quia Babylonica monarchia in ipso originem habuit. Neque tamen ex eo inferri potest, *omnia imperia primum vi coaluisse*, quod vult Bodinus lib. 1. de republ. c. 6. multo minus, ea a Deo non esse constituta, ac proinde tollenda et abolenda, quod volunt Anabaptistae. Nam primo ante Nimrodum potestas politica *gladii* nomine significata a Deo fuit instituta Gen. 9, v. 6. distinguendum igitur inter potestatem et abusum potestatis. Tyrannis non est ipsa potestas politica, sed abusus potestatis; in Nimrodo tyrannis initium habuit, non autem ipsa potestas, ea enim ex divina institutione orta. Deinde a particulari non potest colligi universale. Etsi enim Babylonicum imperium a violenta oppressione coeperit, ex eo tamen nequit inferri, quod omnia imperia vi coeperint, siquidem et ante et post Nimrodum potestas politica ab aliis etiam fuit administrata, qui vel immediata divina vocatione, vel populi electione eam primitus obtinuerunt. Herodotus lib. 1. hist.: *Reges primum a populis electi sunt et quidem ii, qui opinione et laude tum prudentiae, tum justitiae praestarent ceteris.* Cicero lib. 2. offic.: *Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud majores nostros justitiae fruendae causa videntur olim bene morati reges constituti. Cum premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute praestantem, qui cum prohiberet ab injuria tenuiores, aequitate constituenda summos cum infimis pari jure retinebat.* Justinus lib. 1. hist.: *Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat, quos ad hujus majestatis fastigium non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat.* Polybius libr. 6. hist.: *Illi in reges primum electi consensu populi, qui in alios fuerant benefici, velut qui eos ab incursu ferarum vel ab injuria aliorum hominum defendere vi corporis aut prudentia animi solebant ac poterant.* 6. Praeterea si vel maxime demus, Nimrodum fuisse omnium primum, qui dominatum politicum exercuerit, non tamen sequitur, magistratum non esse a Deo, propterea quod Nimrodus violenta hominum oppressione eum primitus occupaverit, distinguendum enim inter rem ipsam et modum, quo quis rem consequitur. Res ipsa saepius est a Deo,

XIII. 258. XIII. 259

licet modus, quo quis eam consequitur, non sit a Deo nec Deo probetur. Sic divitiae sunt et manent donum Dei, licet modus, quo avari eas sibi comparant, non sit a Deo; distinctiones dominiorum sunt a Deo, licet modus. quo multi sua dominia extendunt, Deo non probetur. Ministerium ecclesiasticum est sancta Dei ordinatio, licet modus saepe sit vitiosus, quo aliqui sese illi ingerunt. 7. Denique multo minus sequitur, imperia omnia esse abolenda et tollenda. Non enim omnia, quae ex malo principio orta, sunt tollenda, si ipsa sint per se bona ac utilia. Ex malis moribus bonae leges sunt ortae, nec tamen bonae leges propterea sunt abolendae. Regii status in populo Israëlitico principium fuit malum, populi scilicet fastidium et κακοζηλία, nec tamen vel reges, vel statum regium postea abolere licuit. Multa matrimonia ex principio pessimo oriuntur, nec tamen eadem consummata licet rescindere.

…m. 7: e -…ed 49. 2. 1. Sam. 8, v. 7. *cum populus Israëliticus regem sibi dari peteret, iram Domini in se provocasse atque ipsius Dei imperium sprevisse dicitur. Non te rejecerunt, sed me, dicit Dominus ad Samuelem, ne regnem super eos, quo pertinet etiam dictum propheticum* Hoseae 13, v. 11: *Dedi illis regem in furore meo. Ergo magistratus politicus non est a Deo nec Deo placet.* Respondemus 1. est elenchus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non improbavit Dominus absolute et simpliciter, quod populus Israëliticus magistratum haberet vel peteret, cum aliquot jam seculis magistratus officio judices a Deo excitati et constituti in illo populo fuerint functi, sed quod formam regiminis a Deo institutam proprio arbitrio mutaret et ad imitationem gentilium regem aliquem monarcham sibi constitui importune postularet, seu ut loquitur Sulpicius in hist. sacr. lib. 1. *quod non sine exemplo amentiae praeoptaret libertatem servitio regio mutare.* 2. Subest etiam elenchus causae et accidentis. Non improbatur Deo per se postulatio regis, multo minus status et officium regum, cum Gen. 17, v. 6. benedictionis loco Abrahae promittat, fore *ut reges ex ipso nascerentur*, cumque multi pii reges in populo Israëlitico Deo placuerint; sed ex accidenti, quia procedebat ex principio pessimo et conjuncta erat cum pessimis accidentibus, qualia sunt κακοζηλία gentilium, *Constitue nobis regem* (inquiunt) v. 5. *ut judicet nos, sicut et universae habent nationes;* et postea v. 20. *erimus nos sicut omnes gentes et judicabit nos rex noster;* fastidium et contemtus divinae ordinationis, mutant enim privato arbitrio et libidine formam regiminis a Deo institutam, qua jam inde a Moyse usque ad Samuelem usi fuerant, dum judices ex alia atque alia tribu extraordinaria plerumque Dei vocatione gubernationi praeficiebantur; temeraria audacia in nova regiminis forma praescribenda; abjectio fidei et spei, qua ex Deo pendere et a sola ipsius voluntate judices expetere debebant. *Judicabit nos rex noster* (inquiunt) *et egredietur ante nos et pugnabit bella nostra*, ex quibus verbis
60. apparet, quod noluerint in speranda victoria per judices fide a Deo pendere, sed regia potentia freti inposterum bella gerere. Haec scilicet erant, quae Deo minime probabantur, nequaquam vero ipsa per se magistratus petitio. 3. Invertimus argumentum. Quia Israëlitae repudiando Samuelis et filiorum ejus imperium non Samuelem, sed ipsum Deum rejecisse dicuntur, utique ergo magistratus politicus est sancta Dei ordinatio, *cui qui resistit, Deo ipsi resistit*, et politiarum gubernatio non tam magistratui, quam ipsi Deo, cujus vicarias partes magistratus obit, est asscribenda. 4. Deus ipse non solum permittit, sed etiam diserte mandat Samueli, ut Saulem ungat in regem Israëlitici populi 1. Sam. 8, v. 22. cap. 9, v. 17. cap. 10, v 1. et 24. atque illi dicuntur cum Saule abiisse, quorum *corda Deus tetigerat*, qui vero despexerunt eum, dicuntur *filii Belial* 1. Sam. 10, v. 26. et 27. utique ergo Saulis imperium Deum auctorem habuit. 5. Quid quod Deus diserte dicit 1. Sam. 9, v. 16. se ideo Saulem eligere in regem, *quia respexerit populum suum*, ex quo intelligitur, quod impiis quidem in isto populo, qui pravis affectibus ducti regem postulabant, in furore suo regem dederit, interim piis, qui parati erant ad obedientiam et negotium illud Deo unice commendabant, ex gratia dedit regem, qui eos contra Philistaeos defenderet et bella Domini gereret, ut Wellerus in comm. monet.

50. 3. Hoseae 8, v. 4. dicit Dominus: *Ipsi regnaverunt et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi eos. Ergo magistratus non est a Deo.* Respondemus 1. repetenda est distinctio superius tradita inter rem ipsam et modum rem consequendi. 3. Hos. 8, v. 4: Ipsi regnaverunt et non ex me.
Res ipsa saepius est a Deo ac Deo probatur, licet modus eam adipiscendi non sit ex Deo nec ipsi probetur. Sic hypocritae accipiunt verum baptismum, licet hypocrisis, per quam illum obtinent, Deo non placeat; indigni veram accipiunt eucharistiam, quamvis indigna manducatio et bibitio Deo non solum non placeat, sed et maxime improbetur. 2. Quemadmodum non licet inferre: Quidam ministri ecclesiae modis illicitis ministerium invadunt et occupant non vocati nec missi a Deo Jer. 23, v. 21. ergo ipsum ministerium ecclesiasticum non est a Deo; ita quoque non licet colligere: Multi ex ambitione per vim vel fraudes occupant principatuum administrationem non missi vel ordinati a Deo, ergo ipse principatus ac magistratus non est Dei ordinatio. 3. Verba in textu Hebraeo sic habent, הֵם הִמְלִיכוּ *ipsi regnare fecerunt et non ex me,* הֵשִׂירוּ *principem constituerunt et non cognovi vel approbavi*, ita enim verba notitiae apud Hebraeos accipiuntur. Taxat propheta populi diffidentiam, quod ex praepostero periculorum metu reges gentilium in tutores et patronos eligat, Deo non consulto, an ipsi hoc placeat, modo enim Assyriorum, modo Aegyptiorum opem et auxilium implorabant, praetermissa vera et seria poenitentia, per quam Dei gratiam et praesidium obtinere potuissent; qua vero specie ex eo inferri potest, quod magistratus non sit Dei ordinatio?

4. Joh. 12, v. 31: Diabolus est princeps hujus mundi.

51. 4. *Diabolus vocatur princeps hujus mundi* Joh. 12, v. 31. cap. 16, v. 11. *ac testatur regna mundi suae potestati subjecta seque ea dare, quibus voluerit* Matth. 4, v. 8. Luc. 4, v. 6. *Ergo magistratus et potestates non sunt a Deo.* Respondemus 1. Diabolus dicitur mundi princeps, non quod principatus hujus mundi suo dispenset arbitrio, contrarium enim superius ostendimus, sed quod impiorum, qui mundi voce denotantur, voluntates potenter regat et impellat ad malum. Ephes. 2, v. 2: *ἐνεργεῖ*, *efficaciter operatur, in filiis incredulitatis,* quo sensu etiam *ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου* vocatur 2. Cor. 4, v. 4. ubi non absolute, sed mundi, hoc est impiorum et *infidelium*, *deus* dicitur, nimirum quia infideles ipsi obtemperant, serviunt et obsequuntur, interprete Augustino lib. 21. contra Faustum cap. 9. et Cyrillo apud Oecumenium in comm. illius loci glossa in cap. 11. Apoc. sic distinguit: *Est*
XIII. 261. *mundus, cujus Deus est creator, est mundus, cujus Deus est redemtor, est mundus, cujus Satan est seductor.* 2. Quando diabolus impudenter gloriatur, sibi regnorum terrenorum distributionem competere, tunc *ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ* et splendide mentitur Joh. 8, v. 44. unde etiam Christus ipsum increpat et abire jubet Matth. 4, v. 10. Irenaeus lib. 5. c. 20. p. 347: *Manifestum est, quoniam mentitur diabolus dicens: Mihi tradita sunt, et cui volo, do ea. Cujus enim jussu homines nascuntur, hujus jussu et reges constituuntur.* 3. Sic ergo procedimus: Solus Deus est hujus mundi et omnium in mundo regnorum dominus *ὄντως* ac vere ratione *creationis, conservationis, gubernationis, distributionis et hereditariae possessionis*, diabolus autem vocatur *princeps mundi et deus seculi* tum respectu sui, tum respectu hominum. Respectu sui dupliciter, primo *ratione falsae gloriationis*, secundo *ratione injustae usurpationis.* Gloriatur enim, se esse regnorum omnium dominum, et subjicit sibi maximam hominum partem, qui cupiditatibus ipsius promte inserviunt, hoc vero *non est regnum naturae, sed malitiae,* inquit Cyprianus in serm. de jejun. et tentat. Neque enim sic vocatur diabolus, quod ipse sit hujus mundi dominus, *sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne, quod transit, ut ei subjaceant, qui negligunt aeternum Deum et diligunt instabilia et mutabilia,* Augustinus lib. de agone Christ. *Non tribuitur illi hoc nomen,* inquit Gregorius Nazianzenus orat. 3. de rect. doct. sent. *quod totum in mundum et universos homines imperium obtineat, sed quod peccati sit auctor et princeps eorum, qui sub peccato quasi rege sponte degunt.* Respectu hominum tum ratione *perversae opinionis,* tum ratione *vitiosae et inordinatae subjectionis.* Quem enim mundus pro Deo colit eique servit, is respectu illo relativo est mundi dominus et princeps, quo sensu etiam *venter* pseudodoctorum Phil. 3, v. 19. et *aurum* avarorum deus dicitur Jobi 31, v. 24.

5. 1. Petr. 2, v. 13: Magistratus

52. 5. *Petrus magistratum vocat ἀνθρωπίνην κτίσιν, humanam creaturam sive ordinationem* 1. epist. 2, v. 13. *Ergo magistratus non est a Deo constitutus.* Respondemus: vocatur humana ordinatio non respectu primae originis et principalis causae efficientis, sed 1. respectu *causae instrumentalis*, quia per homines saepius constituitur magistratus. Oecumenius in comm. humanam *κτίσιν* exponit per *θέσιν*, quod *constitutus et positus sit magistratus ab hominibus*, Deo tamen sic jubente et sanciente. Verba sic habent: *Κιίσιν ἀνθρωπίνην τὰς ἀρχὰς λέγει τὰς χειροτονητὰς ὑπὸ τῶν βασιλέων, ἢ καὶ αὐτοὺς τοὺς βασιλεῖς, καθότι καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐιάχθησαν ἤιοι ἐτέθησαν, οἶδε γὰρ ἡ γραφὴ καὶ τὴν θέσιν κτίσιν καλεῖν.* Repetit scilicet Petrus praeceptum apostolicum, quod obediendum sit magistratui, utpote *divinae ordinationi* Rom. 13, v. 2. ac monet, non ad *causam instrumentalem*, ad homines scilicet per quos magistratus constituitur, sed ad *causam principalem*, Deum scilicet a quo est omnis magistratus in hac obedientia unice esse respiciendum, unde notanter addit *διὰ τὸν κύριον*, *propter Dominum*, q. d. non ad homines, per quos magistratus constituitur, sed ad Deum, a quo est magistratus, oculos convertite ac propter Dominum auctorem principalem ipsis obedientiam esse praestandam cogitate. Subjicit etiam distinctas magistratus species, *sive regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis*, hoc est si vel maxime duces et quivis inferiores magistratus a rege et superiori magistratu constituantur, tamen propterea non debetis illis obedientiam denegare, sed in illis regem tanquam superiorem, in rege autem Deum ipsum intueri ac revereri. Quidam illud *δι' αὐτοῦ* referunt non ad propinquius, quod *a rege* mittantur duces, sed ad remotius, quod *a Deo* mittantur, qui sensus concinnus quidem est et fidei analogiae maxime congruus, sed contra pertinacem adversarium vix obtineri poterit. Similis ergo loquendi ratio est in dicto Petrino, quae est in dicto Paulino 1. Tim. 2, v. 15: XIII
Salvabitur mulier διὰ τῆς τεκνογονίας, hoc est *non obstante liberorum procreatione, modo manserit in fide*; sic *subjecti estote omni humanae ordinationi*, hoc est magistratui, non obstante, quod sit humana ordinatio. 2. Respectu *subjecti recipientis sive materiae in qua*, quia hominum opera in magistratus administratione Deo uti placuit. Quemadmodum enim ministerium ecclesiasticum non angelis, sed hominibus commendatum est, ita quoque regimen politicum non per angelos, sed per homines Deus administrari voluit, inde paraphrasis Syriaca reddidit: *Estote subjecti* לְכֻלְּהוֹן בְּנַי־אֲנָשָׁא *omnibus filiis hominum.* Denuo igitur tacitae objectioni occurrit apostolus. Quamvis homines sint et humanis naevis atque infirmitatibus obnoxii, qui magistratus locum obtinent, illis tamen subditi estote *propter Dominum*, hoc est quia non humanum, sed divinum officium sustinent ac Dei vicem in terris obtinent. *3. Respectu finis cui*, quia magistratus in hominum salutem et commodum est ordinatus. *Subjecti estote magistratui*, quia est *κτίσις ἀνθρωπίνη*, hoc est in vestram ipsorum et salutem et commo-

est man κτί

dum a Deo est ordinatus. **Lutherus tom. f. 181: Obrigkeit wird weltliche Ordnung genennet, weil ſolcher Stand zu menſchlicher, weltlicher, politiſcher Ordinanz von Gott geordnet, nicht aber in geiſtlichen, himmliſchen Sachen, wie der Lehrer Stand. Non ratione originis vel termini a quo, sed ratione subjecti et termini ad quem.** Sic ergo magistratus dicitur *humana ordinatio* sive *creatura* (ita namque κτίσεως vox hic accipitur, sicut etiam apud Latinos magistratus creari dicitur) non respectu *fundamenti* nec respectu *termini a quo*, sed respectu termini *ad quem*. Quidam vertendum censent *omni humano statuto*. Sed species subjectae ostendunt, ipsum magistratum hoc verbo denotari, ac ratio appellationis est pulcherrima, κτίζειν usurpatur non solum de primaeva creatione, in qua Deus omnia pulcherrimo ordine disposuit, sed etiam de aedificii exstructione, in qua omnia apte et ad usus inhabitantium commode ordinantur. Sensus igitur est, quod Deus noluerit genus humanum bestiarum more esse confusum, sed velut in mundi fabrica et in aedificio apte disposito singulos status in genere humano suo loco ordinatos ac dispositos esse voluerit.

53. Alteram argumentorum classem petunt ex rationibus. *1. Quod pugnat cum primaeva hominis conditione ac statu, in quo est creatus et divinitus constitutus, illud non est a Deo. Magistratus pugnat cum primaeva hominis conditione, quia Deus creavit hominem liberum, subjectionis omnis expertem.* Respondemus: 1. Ostendimus superius, cum libertate illa, in qua primus homo fuit conditus, non pugnare omnem omnino subjectionem, quia uxor marito, liberi parentibus fuissent subditi, sed ea, quae cum molestia et voluntatis repugnantia est conjuncta. 2. Quia homo per lapsum excussit Dei imperium, ideo in poenam lapsus hominis in hominem constitutum est dominium, quod tamen ad hominis utilitatem ac commodum cedet, si reverenter sese illi subjiciat, honestis legibus obtemperet et ad finem rectum magistratus officio et praesidio utatur, ne sit ei *terrori*, sed *honori*, quod fiet, si in id incumbat, ut sub magistratu *quietam et pacatam vitam ducat in omni pietate et honestate* 1. Tim. 2, v. 2. 3. Distinguendum igitur inter naturam institutam ac destitutam. Si vel maxime magistratus officium, quale est hodie, pugnaret cum natura instituta, non tamen pugnat cum natura destituta, quin potius ἀταξίαν naturae destitutae voluit Deus per magistratus institutionem corrigere et in ordinem redigere. Unde sic concludimus: Quodcunque ad generis humani salutem et εὐταξίαν est non solum utile, sed etiam necessarium, illud nec cum natura hominis, qualis est post lapsum, pugnare asserendum, nec Deum auctorem habere est negandum. Sed officium magistratus ad generis humani salutem et εὐταξίαν est non solum utile, sed et necessarium. Ergo. *Imperare et parere sunt ex genere necessariorum et utilium*, ait Philosophus lib. 1. politic. c. 5. Alii aliis inter homines prudentia et dotibus animi ad imperandum necessariis praecellunt, quos natura vel potius Deus ipse ad imperium formavit. *Sunt quibus quod rectum et justum est ipsis in mentem venit, sunt qui ipsi quidem per se id non intelligunt, tamen recta monentibus obtemperant*, ut ex Hesiodo Cicero pro Cluent. asserit, illi igitur hisce veluti duces ac praesides a natura sunt dati.

54. 2. *Quod pugnat cum libertate, quam Christus in N. T. nobis promeruit, illud in N. T. non habet Deum auctorem. Sed officium magistratus pugnat cum libertate, quam Christus N. T. nobis promeruit.* Ergo. *Non convenit* (inquiunt) *inter homines spirituales, quos veritas, videlicet ipse Christus, in libertatem vendicavit* Johan. 8, v. 32. *magistratus usus.* Respondemus: 1. Huic argumento jamdudum respondit apostolus Petrus 1. epist. 2, v. 13: *Subditi estote omni humanae ordinationi propter Deum*, v. 15: *quia haec est voluntas Dei*, v. 16: *tanquam liberi, sed non ut velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut servi Dei;* docet igitur, eos, qui praetextu libertatis per Christum partae magistratui debitam obedientiam derogant, libertatem habere pro velamine malitiae ac proinde eadem turpissime abuti. 2. Libertas, quam Christus nobis peperit, non est carnalis licentia, sed spiritualis libertas et a peccati damnatione liberatio sive manumissio. 3. Quemadmodum igitur libertas illa non tollit obedientiam mandatis divinis debitam, quia ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας *servi facti sumus justitiae* Rom. 6, v. 18. *ut Deo serviamus* v. 22. ita quoque non tollit obedientiam magistratui utpote divinae ordinationi debitam. Lex divina non pugnat cum libertate, quia Adam liber creatus, et tamen lex illi fuit imposita. Ergo nec lex humana magistratus. 4. Hinc apostolus Paulus, qui de libertate a Christo parta tam praeclare disserit, nihilominus *potestatibus sublimioribus omnem animam subjectam esse* jubet Rom. 13, v. 1. servos officii sui monet Col. 3, v. 23. ac spiritualem libertatem cum servitio ipsorum hominibus praestando consistere posse docet 1. Cor. 7, v. 22. Pulchre Augustinus lib. 19. de civit. Dei c. 17: *Civitas coelestis dum apud terrenam civitatem velut captivam vitam suae peregrinationis agit, jam promissione redemtionis et dono spirituali tanquam pignore accepto legibus terrenae civitatis, quibus haec administrantur, quae sustentandae mortali vitae accommodata sunt, obtemperare non dubitat* etc. 5. Tantum abest, ut leges honestae magistratus opponantur libertati Christianae, ut potius eandem promoveant. Cum enim vera libertas in eo consistat, ut possimus eligere bonum et rejicere malum, manifestum est, legem non pugnare cum libertate, non enim impedit, quominus possimus eligere bonum et rejicere malum, sed contra potius juvat, nam praebet materiam exercendae libertatis. **Bellarminus lib. de laicis c. 3. respondet, *1. ideo in N. T. de magistratu politico non multum tractari, quia Christo et apostolis propositum fuerit tractare de regno spirituali, non de politico. 2. Posse ex dictis N. T. per indirectum et bonam*

2. A nostra per Christum parta libertate.

li et impiorum
Distinguendum
liticum et eju
cae formam, n
vel democrati
ac naturalis,
nam immedi
is naturae
ominum sa
offic. pri
at argum
pendere
x sola in
eneretur
, sed n
e dicer
mmedi
sistitu
n con
t.

n m
o
ill
re
iv
a

re
qu
m
spo
on q
rio,
od im
tes po
. 2, v.
redulita
ιου voca
mundi,
tur, nimir
t et obsequ
ontra Faust
n comm. ill
distinguit:
t mundus, cu
us Satan est
ıdenter gloriatu
tionem competer
e mentitur Joh.
increpat et abi
ib. 5. c. 20. p. 34
tur diabolus dicen
do ea. Cujus eni
s jussu et reges co
imus: Solus Deus e
undo regnorum dom
ationis, conservationis
et hereditariae posses
atur princeps mundi et
sui, tum respectu homi-
iter, primo ratione falsae
ione injustae usurpationis.
gnorum omnium dominum,
hominum partem, qui cu-
inserviunt, hoc vero non
l malitiae, inquit Cyprianus
entat. Neque enim sic voca-
se sit hujus mundi dominus.
tum earum, quibus concupisci-
it, ut ei subjaceant, qui negli-
et diligunt instabilia et muta-
. de agone Christ. Non tribuitur
it Gregorius Nazianzenus orat. 3.
quod totum in mundum et univer-
rium obtineat, sed quod peccati
ceps eorum, qui sub peccato quasi
nt. Respectu hominum tum ratione
nis, tum ratione vitiosae et inordi-
is. Quem enim mundus pro Deo
t, is respectu illo relativo est mundi
nceps, quo sensu etiam venter pseu-
hil. 3, v. 19. et aurum avarorum
obi 31, v. 24.
trus magistratum vocat ἀνθρωπίνην
nam creaturam sive ordinationem
. 13. Ergo magistratus non est a Deo

bus. Sed antecedentia
:a sunt superius. Ergo
Si in quarto praecepto
stratus comprehenditur,
st Deo placens et juxta
ι honore debito afficien-
ten. 41, v. 48. 1. Sam.

ent: 1. *dicta Scriptu-*
onorem et reverentiam,
census ac tributa, pre-
re dicuntur, quae suo
Quodsi enim haec est
;istratui obediant, uti-
.t magistratus subditis
us relatorum respectus.
. 1. et seqq. de officio
dem subjungit v. 7:
cui tributum, tribu-
8. *cui timorem, timo-*
Ostendit igitur, prae-
ıagistratui a subditis
ıi pugnat, et quidem
magistratus statuere,
Deo minime placeat.
2. hanc proponit regu-
lominos, non contem-
l magis serviant, quia
ominium copulantur ac
homine ea consistere
.ibentur servi praetextu
ι conversi sunt ipsorum
;are. 2. *Exempla* piorum
T. Quodsi enim quidam
.tituti Deo gratam ac pla-
tique officium magistratus
›n improbatur, alias enim
tutus potuisset Deo placere.
ıam V. T. commemorantur
.tuum. In V. quidem T.
rex Salem, Moyses populi
›ysis in regimine successor,
, David, Josaphat, Hiskias,
us ac Daniel satrapiis prae-
.t viri sancti et Dei amici,
›fficium quidquam derogavit
.itati, nec ut in Dei gratia
istratus officio sese abdica-
·ecensentur personae, quae
.ctae, nec minus Christianam
: professae. *Josephus ab*
quem tamen una cum Ni-
ım Christus elegit Luc. 23,
ticus habuit sub se milites,
r eos, qui cum Abrahamo,
·egno coelorum recumbent
ıs Capernaiticus ad fidem
tamen politicum officium,
ıre jubetur Joh. 4, v. 53.
ces thesaurarius a Philippo

sacris Christianis initiatus, nec tamen ab officio suo politico propterea ab eodem remotus legitur Act. 8, v. 38. *Cornelius centurio* magistratum gessit, nec tamen conversus a Petro eum deposuit Act. 10, v. 2. *Sergius proconsul* ad fidem Christi a Paulo convertitur, nec tamen magistratu propterea abit Act. 13, v. 12. *custos carceris* Philippicus ab apostolis baptizatus, non tamen officio se abdicare jussus est Act. 16, v. 33. *Publius Melitensis* insulae princeps Paulum benigne suscipit, non tamen dignitate politica sese exuit Actor. 28, v. 7. *Erastus* oeconomus civitatis Corinthi fuit, quod officium ob Christianam professionem non deposuit Rom. 16, v. 23. Ex quo sic concludimus: Quos Christus et apostoli ad fidem conversos in officio politico manere permiserunt, illi non vixerunt in tali aliquo vitae statu, qui Deo minime probetur. Sed Christus et apostoli ad fidem conversos in officio politico manere permiserunt. Ergo non vixerunt in tali aliquo vitae statu, qui Deo minime probetur. Major est manifestae veritatis. Quos enim Christus et apostoli ad fidem converterunt, illis exposuerunt *omne Dei consilium* ac beneplacitum Joh. 1, v. 18. Actor. 20, v. 27. jusserunt illos *facere fructus poenitentia dignos* Matth. 3, v. 8. *ac probare, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta* Rom. 12, v. 2. At si permisissent eos manere in tali vitae statu, qui per se esset impius ac Deo minime placens, utique non exposuissent illis omne Dei consilium ac beneplacitum etc. Quidam huc referunt exemplum Jairi ἄρχοντος dicti Matth. 9, v. 18. Nicodemi Joh. 3, v. 1. 3. *Generalis illa regula* ex certis et immotis Scripturae fundamentis exstructa, quod evangelium non abroget politias et ordinem civilem. Ut enim vita aeterna non tollit vitam praesentem, ita quoque promissio vitae aeternae, justitia fidei et spiritualis libertas vitam aeternam respiciens inque evangelio proposita non abolet statum vitae praesentis, justitiam civilem et obedientiam magistratui debitam, quae omnia ad hujus vitae εὐταξίαν καὶ εὐημερίαν pertinent. Quemadmodum evangelii doctrina non tollit medicinam, architectonicam et alias artes ad hujus vitae commoda spectantes, sic nec tollit officium magistratus, quod est quasi remedium aliquod contra turbatores quietis et pacis publicae in hac vita et societate humana. 4. *Divina mandata*, in quibus tale quid a magistratu requiritur, quod nemo praestare potest melius quam homo pius et Christianus, vera Dei cognitione, fide ac sancto Dei timore imbutus. Sic jubentur reges et principes *Filium osculari* Psalm. 2, v. 12. hoc est vera fide Messiam ut regem et sponsum amplecti; *aperire portas, ut rex gloriae introëat* Psalm. 24, v. 7. hoc est promovere modis omnibus Christianae religionis propagationem; *nutritios* sese exhibere ecclesiae Esa. 49, v. 23. hoc est prospicere ecclesiae ministris de necessaria sustentatione, fovere pios coetus, tutelam et defensionem illis praestare etc. Ex quibus sic concludimus: Si a magistratu talia requirit Deus officia, quae non nisi a pio et Christiano praestari

possunt, utique etiam homo pius et Christianus magistratus officio fungi potest, nisi enim duo illa in uno convenire possent subjecto, frustra a magistratu ejusmodi officia requirerentur. Sed prius constat ex locis allegatis. Ergo nec posterius negari debet. **Excipiunt Anabaptistae, *Judaeis permissos fuisse magistratus propter imperfectionem, nobis concessos propter perfectionem.* Respondemus: 1. contrarium patet tum ex vaticiniis prophetarum, qui praedixerunt, *omnes reges terrae servituros Christo et ecclesiae* Psalm. 2, v. 10. 11. 12. Psalm. 72, v. 11. Esa. 49, v. 23. c. 60, v. 3. tum ex eventu et complemento in Christianis imperatoribus. 2. Quod de perfectione N. T. majore quam fuerit V. additur, secundum quid non simpliciter concedimus. Nam et ratione Christi, qui exspectabatur in V. T. et in N. T. venit, discrimen concedimus, quale est inter corpus et umbram Col. 2, v. 17. Heb. 10, v. 1. et ratione populi atque legum ceremonialium, quibus onerabatur, quale est inter majorennem et minorennem Gal. 4, v. 3. 3. perfectionem, quam in consiliis evangelicis Pontificii et Photiniani statuunt, negamus. Possunt etiam addi rationes: 1. *A fine.* Si natura humana civilem societatem requirit, utique etiam requirit regimen et rectorem, ac proinde illud licitum est Christiano. At prius. Ergo et posterius. Propositionis connexio dupliciter probari potest. Primo quia impossibile est, multitudinem diu consistere, nisi sit qui eam contineat et cui sit curae bonum commune, ut constat exemplo animae omnia continentis in corpore humano, ac probatur ex Prov. 11, 14: Ubi non est gubernator, populus corruet. Secundo, quia in omni multitudine ordinata opus est rectoribus. Societas civilis est multitudo ordinata. Ergo in ea rectoribus est opus. 2. *Ab origine.* Omnia quae in statu innocentiae futura fuissent, licita sunt Christianis. At politicus principatus in statu innocentiae futurus fuisset. Ergo etiam licitus Christianis. Assumtionis probationem vide apud Bellarminum lib. de laicis c. 2. Pererium tom. 1. in Genesin p. 125. Zanchium de operib. sex dierum p. 648. Danaeum lib. 1. polit. Christ. cap. 4.**

XIII. 267. Antithesis 1. Anabaptistarum. 59. Ab hac ὀρθοδοξίᾳ iterum in diversum abeunt *Anabaptistae*, qui negant, magistratum esse statum vitae Deo placentem, in quo Christianus tempore scilicet N. T. illaesa conscientia vivere possit. Verbis quidem non nunquam fatentur, magistratum esse divinam ordinationem huumano generi ad malos compescendos ac bonos defendendos utilem ac necessariam, interim tamen addunt, esse statum Deo displicentem, ac Christianum illaesa conscientia non posse fungi officio magistratus, nec aliis imperare, nec bella gerere, nec gladium adversus facinorosos stringere, quod vere est ponere definitum et negare interim ipsam definitionem. Vide historiam Anabaptistarum Monasteriensium tom. 2. Witeberg. Germ. Luth. f. 412. epistolam Thomae Muentzeri ad fratrem Ernestum Heldrungensem etc.

60. Hanc seditiosam opinionem confirmant 1. *quibusdam Scripturae dictis* male detortis, 2. *rationalibus* et consequentiis male consutis. 1. Ex V. T. haec proferunt: 1. Gen. 6, v. 3. dixit Dominus: *Non judicabit Spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* Ex quo loco colligunt, *quia homines noluerunt ductum Spiritus sancti sequi ante diluvium, ideo Deum post diluvium dedisse magistratus, qui vi eos cogerent et sanguinem eorum funderent, qui sanguinem effudissent. Esse igitur magistratum non signum gratiae, sed irae divinae, datum in vindictam malorum*, quod ulterius confirmant ex Hoseae 13, v. 11: *Dedi illis regem in furore meo*, et postea inferunt: *Quod in V. T. dedit Deus populo in ira sua, id in N. T. quod est tempus gratiae, finem habere debuit. Sed reges et magistratus in V. T. dedit in ira sua, ergo.* Respondemus: 1. de dicto Hoseae 13. superius diximus. 2. In loco Genes. 6, v. 3. proponitur tristissima Dei querela de effrenata hominum malitia et supina verbi atque omnium redargutionum contemtu, nequaquam vero docetur, magistratum esse irae divinae signum. Hebraea proprie sic redduntur: *Non contendet Spiritus meus cum homine*, hoc est per ministerium Noahi et aliorum praeconum ad poenitentiam eos invitavi plus satis, delicta ipsorum redargui, sed frustra, ideo sequetur diluvii poena. 3. Non magistratus institutio, sed diluvii immissio improbis illis hominibus poenae loco denuntiatur. 4. Falsum est, magistratum esse duntaxat datum in vindictam, cum detur etiam bonis *in bonum*, Roman. 13, v. 4. 5. Unde probare possunt, ante diluvium nullas fuisse magistratus politici partes?

61. 2. Genes. 49, v. 10: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat Siloh, et ipsi erit aggregatio populorum.* Ex quo loco colligunt, post adventum *Messiae sceptrum externum, hoc est regimen politicum et usum gladii, debere cessare.* Respondemus: 1. est elenchus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Patriarcha enim Jacobus nequaquam docet, omnem omnino potestatem politicam post adventum Messiae auferendam, sed de tribu Juda sceptrum auferendum esse praedicit. 2. Notatur certum ac definitum tempus, quo adventus Messiae sit expectandus, videlicet quando potestas regia a tribu Juda in alienigenam fuerit translata, id quod eventu fuit comprobatum, cum enim Christus nasceretur, Judaea a Romanis in provinciae formam fuit redacta et ipsorum dominio subjecta, nequaquam vero universalis quaedam magistratus abolitio praedicitur. 3. Cum Christus nasceretur, imperator Augustus rerum potiebatur, cui parentes Christi censum exhibuerunt et sic in ipsis et per ipsos politico magistratui obedientiam Christus praestitit adeoque praestandam esse docuit. 4. Christo exhibito non fuisse magistratus politici officium sublatum, res ipsa evidenter ostendit. Constantinus, Theodosius et alii imperatores sceptra sua Christo et ipsius regno submiserunt, nequaquam vero eadem penitus abjecerunt.

62. 3. Jud. 9, v. 9. et seqq. Joatham in sua parabola docet, *nec ab oliva, nec ficu, nec vite, hoc est ab hominibus frugi et pacificis, sed a rhamno, hoc est impiis et noxiis, regnum suscipi. Ergo officium magistratus non decet hominem pium et Christianum.* Respondemus: Joatham non improbat sua istac parabola officium magistratus in genere, alias etiam patrem suum Gideonem inter rhamnos numerasset, de quo tamen ipse dicit, quod magna in Sichemitas contulerit beneficia, pugnando pro ipsis et animam sive vitam suam periculis objiciendo v. 17. sed exprobrat Sichemitis temerarium et inconsideratum propositum, quod Abimelechum filium ancillae, qui septuaginta filios Gideonis fratres suos interfecerat, regem elegissent, a cujus imperio tam infaustis et sanguinolentis auspiciis cruentato non possint sibi quidquam boni polliceri, ut ipsa parabolae applicatio manifeste ostendit. In partibus tamen applicationis est inter interpretes quaedam diversitas. Hebraei per *olivam, ficum et vitem* intelligunt tres personas notabiles in beneficiis populo Israëlitico exhibitis, videl. Gideonem, Deboram et Othonielem, qui oblatum sibi dominium super filios Israël recusaverunt, eo quod Dominus illud dominium sibi retinuerat; Christiani vero interpretes per *olivam, ficum et vitem* generaliter intelligunt filios Gideonis ab Abimelecho interfectos, qui erant *pingues in divitiis, dulces in mansuetudine, multiplicati in prole*, unde conferuntur *olivae*, ex qua colligitur oleum, *ficui*, quae habet dulcem fructum, et *viti*, quae copiosum praebet fructum. Lyra in comm.

63. 2. Ex N. T. plura proferunt, existimant enim, si vel maxime probari posset, Deum approbasse officium magistratus et usum gladii in V. T. tamen diversam esse N. T. rationem sive in Christi regno. 1. Matth. 5, v. 2. et seqq.: *Beati pronuntiantur mites, pacifici, misericordes et qui patiuntur propter justitiam. At haec non possunt competere in magistratum politicum.* Respondemus: 1. imo vero exempla testantur contrarium, quod scilicet multi reges et principes clementiae laude ac pacis studio commendentur, quidam etiam patiantur propter confessionem veritatis. 2. Si hae beatitudines nulla ratione convenire possunt illis, qui in imperio constituti sunt, consequens est, omnes magistratus esse immites, immisericordes et pacis turbatores. 3. Si vel maxime quaedam specialia praecepta privatis personis data magistratui in publico officio constituto non convenirent, nondum tamen sequeretur, Christianum non posse gerere magistratum. Distinguendi enim sunt status et vitae ordines a Deo ipso instituti, quos Christi doctrina non abolet nec confundit, sed distinctis statibus et vitae ordinibus distincta munia praescribit. 4. Ut in republica civili potest quis simul esse vir bonus et civis bonus, quia virtutes boni viri ac civis boni non sunt sibi mutuo oppositae; sic in republica Christiana potest quis simul esse et bonus Christianus, et bonus magistratus, quia virtutes boni Christiani ac boni magistratus non pugnant secum invicem, sed sunt subordinatae.

2. Matth. 7, v. 1: Nolite judicare.

64. 2. Matth. 7, v. 1. Luc. 6, v. 37: *Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini. Ergo Christianus non potest gerere magistratum, quippe qui absque judicando et condemnando geri nequit.* Respondemus: 1. Christus nequaquam abolet publicum magistratus judicium, quippe quod est *judicium Dei*, Deut. 1, v. 17. 2 Paral. 19, v. 6. et cui severe mandatum est, *ut recte judicet* Psalm. 58, v. 2. *ut bonos tueatur et impios condemnet* Deut. 1, v. 16. sed prohibet privatum, temerarium et intempestivum de aliorum dictis et factis judicium. 2. Neque enim magistratui, sed promiscuae plebi Christus tum concionatus est, ad illam igitur haec prohibitio spectat. 3. Quodsi omne judicium Christus his verbis simpliciter voluisset sublatum, tum non possent fideles judicare de doctrina 1. Cor. 10, v. 15. c. 11, v. 13. 1. Joh. 4, v. 1. nec proximum propter ipsius vitia arguere Matth. 18, v. 15. ministri ecclesiae non possent arguere, increpare Tit. 1, v. 9. patresfamilias non possent liberos suos corripere Prov. 22, v. 15. Sirac. 33, v. 20. quae omnia sunt absurda et ἀσύστατα. 4. Apud Lucam haec pericope annectitur concioni de dilectione proximi et de misericordia, cum non postrema pars sit dilectionis et misericordiae absque morositate, sine suspicionibus ac citra obtrectandi libidinem de proximo candide et benigne judicare, ex quo intelligitur, quod haec prohibitio respiciat vitam privatam. Chrysostomus monet, hujus sententiae de non judicando et condemnando veram interpretationem petendam et colligendam esse ex sequentibus. *Quid vides festucam in oculo fratris? hypocrita ejice primum trabem ex tuo oculo.* Augustinus serm. 202. de temp.: *Audivimus evangelistam dicentem: Nolite judicare, ut non judicemini. Quid est hoc, cum ipse Dominus in alio evangelii loco dixerit: Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate; et alibi dicatur, judicium verum judicate. Non enim sibi divina lectio contraria esse potest, sed intellectum sobrium quaerit. In conversatione humana sunt aliqua, quae rationabiliter reprehenduntur, sunt vero quaedam, quae non sine peccato judicantur. Aperta enim mala et judicari et argui debent, illa vero quae ignoramus et utrum bono an malo animo scire non possumus, judicare penitus non debemus.* In harm. Chemniciana cap. 51. p. 486. octo species hujus temerarii judicii enumerantur, quas ibi vide.

3. Matth. 10, v. 16: Mitto vos sicut oves in medio luporum.

65. 3. Matth. 10, v. 16: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* v. 18. *Ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. Ergo Christus noluit suos magistratum gerere, sed a magistratu vim illatam sustinere.* Respondemus: 1. distinguendum inter magistratus fideles et infideles, Christianos et ethnicos, bonos et malos. Christus hic non loquitur de magistratibus fidelibus, Christianis et piis, qui sunt ecclesiae

non persecutores, sed defensores, non in eam grassantes lupi, sed benefici nutritii. 2. Si propter hoc dictum Christi omnis omnino magistratus ex ecclesia eliminari debet, praesupponitur, omnes esse lupos et ecclesiae persecutores. Fucata igitur et fallacia sunt omnia, quae ab Anabaptistis honorifice de magistratu proferri videntur. 3. Christus ibidem praedicit apostolis, quod sint *flagellandi in synagogis*, v. 17. illorum scilicet instinctu et impulsu, qui ecclesiasticum officium administrant, nec tamen propterea ipsum ecclesiasticum ministerium reprobandum. Idem statuendum de magistratu.

4. Matth. 16, v. 24: Si quis vult post me venire etc. XIII. 270. 66. 4. Matth. 16, v. 24: *Si quis vult post me venire, abneget se ipsum, tollat crucem suam et sequatur me; ubi non gladium, sed crucem Christus suis tradit.* Respondemus: 1. usus gladii et pondus crucis non sunt sibi invicem opposita, David gladio pugnabat, idem tamen crucis pondus portabat. 2. Magistratus Christianus duplicem sustinet personam, primo privatam, quo respectu aequalem cum reliquis piis sortem et privatas calamitates experiri cogitur; secundo publicam rationem officii publici, quod Dei nomine gerit et administrat. Qui respectus sunt distincti, non tamen contrarii. 3. Quinimo magistratus Christianus et pius non solum domesticis, privatis et communibus adversitatibus est obnoxius, sed in ipsa imperii gubernatione peculiaria et privatis graviora mala sustinet. Ut enim habet Lutheri dicterium: *Sudor oeconomicus est magnus, sudor politicus est major, sudor ecclesiasticus est maximus.* Idem tom. 3. Jen. Lat. p. 365: *Omnis qui regit, est tanquam signum, in quod omnia jacula Satan et mundus dirigunt.*

5. Matth 20, v. 23 Sedere ad dextram non est meum dare. 67. 5. Math. 20, v. 23. *filiis Zebedaei politicas dignitates in Christi regno petentibus simpliciter illud denegatur. Ergo in Christi regno non relinquitur locus magistratui.* Respondemus: 1. Filii Zebedaei vocati erant ad ministerium ecclesiasticum, proinde non debebant appetere regimen politicum, inde est, quod Christus revocat eos ad propriam vocationem et prohibet alieni muneris invasionem. 2. Ex eo vero inferri nequit, Christum absolute et simpliciter improbare politicum regimen, perinde ut ex eo quod ab ecclesiastici muneris administratione arcentur, qui ad illud non sunt a Deo vocati, non licet inferre, quod ministerium ecclesiasticum simpliciter improbetur. 3. Quinimo Christus diserte addit, *sedere ad dextram et sinistram competere illis, quibus est a Patre coelesti datum et paratum.* Jam vero quod Pater coelestis ordinat ac donat, id Christus nequaquam abrogat Joh. 5, v. 19. c. 6, v. 38. 4. Distinguit Christus officium suum mediatorium, propter quod in mundum venit, ab illis operibus, quae ipsi ut vero Deo cum Patre et Spiritu sancto sunt communia Joh. 5, v. 19. Conferre dignitates politicas, regna stabilire et transferre est opus ad extra, quod proinde toti Trinitati est commune, interim tamen non pertinet hoc ad officium mediatoris, propter quod Christus a Patre in mundum missus est, quo sensu et respectu Christus hoc loco negat illud ad se pertinere.

68. 6. Matth. 20, v. 25. Luc. 22, v. 25: *Principes gentium dominantur et magnates potestatem exercent, non ita erit inter vos. Ergo Christus non vult fideles esse principes, reges ac magistratus politicos.* Respondemus: diximus in tractat. de euchar. §. 32. ea quae apostolis a Christo leguntur dicta, esse in triplici differentia, quaedam sunt mandata personalia, quae ad solos apostolos pertinent Matth. 10, v. 5. quaedam sub persona apostolorum omnibus ecclesiae ministris, ipsorum in docendi officio successoribus, sunt dicta Luc. 24, v. 47. quaedam sub persona apostolorum omnibus fidelibus sunt dicta Matth. 5, v. 16. Marc. 13, v. 37. Anabaptistae referunt hoc Christi dictum ad classem tertiam, sed contextus et fidei analogia probant, ad secundam classem pertinere. Distinguit enim Christus ministerium ecclesiasticum a politico regimine, illud, non autem hoc apostolis commissum esse docens, ex eo vero inferri nequit, quod nullus omnino Christianus regimen politicum capessere et administrare possit, *quia non Christianae professionis, sed apostolici muneris* respectu apostolis regimen politicum denegatur. Neque est, quod urgeatur vocula *ἐθνῶν*, quasi per eam ad gentiles, extra ecclesiam Christus relegatum voluerit politicum magistratum, quia in genere significat quamvis gentem ac populum, sive Christianus ille sit, sive ethnicus. Quidam tamen existimant, Christum maxime spectare reges gentium, qui limitum imperii amplificationem et splendidos titulos unice quaerunt, cum tales Baruch. 3, v. 16. peculiari appellatione dicantur *οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν*, cumque hoc loco dicantur *κατακυριεύειν* et *κατεξουσιάζειν*, quod Casaubonus in notis existimat, non significare simpliciter habere potestatem, *sed potestate tyrannice adversus subditos uti*, unde Theophylactus exponit *ἐξουσιαστικῶς καὶ τυραννικῶς προσφέρεσθαι*, qua de re suo loco accuratius agitur, cum ad argumenti Anabaptistici solutionem perinde sit, sive de magistratu politico in genere, sive de gentilium tyrannide Christus loquatur.

69. 7. Matth. 26, v. 52. Christus ad Petrum dicit: *Reconde gladium in locum suum. Omnes enim, qui gladium acceperint, gladio peribunt. Ergo Christianis usu gladii est interdictum.* Respondemus: 1. Petro apostolo utpote ad ministerium ecclesiasticum vocato usus gladii adimitur, sed ex eo inferri nequit, quod omni Christiano usus gladii sit prohibitus, traditus enim ipsi fuerat *gladius verbi*, quem unice tractare debebat Eph. 6, v. 17. 2. Distinguendum est inter τὸ accipere gladium et τὸ gestare gladium a Deo datum. Accipere gladium est privata auctoritate sibi eum vendicare, quod magistratus neutiquam facit; sed a Deo sibi datum gladium non frustra gerit Roman. 13, v. 4. 3. Tantum abest, ut Christus magistratui his verbis ereptum voluerit gladium, ut eidem potius jus gladii confirmaverit. Revocat enim Petrum et apostolos ad statutum divinum Gen. 9, v. 6: *Qui effuderit san-*

guinem humanum, *illius sanguis effundetur per hominem.* Quodsi ergo gladio perire debent homicidae, si per hominem debet effundi sanguis illius, qui sanguinem humanum prius effudit, utique magistratui tanquam Dei in terris vicario traditur gladius, ut injustas caedes ejus usu vendicet. Vide harmon. de passione capit. 4. p. 168.

8. Luc. 9, v. 55: Nescitis cujus Spiritus filii sitis.

70. 8. Luc. 9, v. 55. *cum apostoli Samaritanos igne coelitus delapso consumi optarent, Christus illos increpat dicens: Nescitis, cujus Spiritus filii sitis;* v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Ergo improbat vindictam et poenas de facinorosis sumtas.* Respondemus: distinguendum inter vindictam privatam et publicam. Prohibet Christus privatae vindictae cupiditatem, nequaquam vero publicam ἐκδίκησιν, quam magistratus irrogat, is enim est *minister Dei ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ πράσσοντι κακόν* Roman. 13, v. 4. Reprimit in apostolis carnalem affectum, non eripit magistratui gladium. Idem respondendum ad dicta omnia, in quibus vindicta prohibetur.

9. Luc. 12, v. 14: Quis me constituit judicem.

71. 9. Luc. 12, v. 14. *recusat Christus partes judicis in controversia de hereditatis divisione inter fratres orta;* Joh. 6, v. 15. *quaesitus ad regnum fugit in montem;* Joh. 18, v. 39. *negat, regnum suum esse de hoc mundo. Ergo non vult, hominem Christianum dominatum et officia politica suscipere.* Respondemus: 1. Christus nequaquam simpliciter et absolute damnat judicis ac regis officium, sed quia non erat hoc fine in mundum missus, ut partes judicis ac regis terreni susciperet, sed ut docendi munere fungeretur et cumprimis ut redemtionis opus perficeret, ideo noluit quidquam contra hanc suam vocationem suscipere. 2. Regnum Christi non est *de hoc mundo*, interim tamen *in mundo* est, perinde ut vere pii non sunt de mundo, sed tamen in mundo Joh. 15, v. 19. Quare imperium mundanum est quidem a spirituali Christi regno distinctum, interim tamen sese mutuo haudquaquam evertunt. 3. Quaedam Christi facta omnibus in genere Christianis imitanda proponuntur, utpote ipsius mansuetudo, humilitas, patientia etc. Matth. 11, v. 29. 1. Petr. 2, v. 21. quaedam vero ad ecclesiae ministros peculiariter pertinent, utpote ea, quae ad officium docendi spectant. Recusare politicum dominatum non ad prioris, sed posterioris generis facta pertinet. 4. Distinguendum inter *regnum gratiae et regnum potentiae.* Quando Christus negat, regnum suum esse de hoc mundo, loquitur de regno gratiae, quod quomodo a regnis terrenis differat, expositum fuit in harm. de pass. c. 9. p. 406. interim quod regnum
XIII. 272. potentiae attinet, ad ipsum quoque pertinet, quod stabiliat et transferat regna hujus mundi Dan. 2, v. 21. 5. Denique Anabaptistae frustra provocant ad Christi exemplum, cum ipsi non detrectaverint regnum in urbe Monasteriensi anno 1535. quam tragoediam vide apud Sleidanum lib. 10.

10. 1. Pet. 2, v. 13: Subditi estote etc.

72. 10. Petrus 1. epist. 2, v. 13. inquit: *Subditi estote omni humanae creaturae. Ergo Christianos vult subesse, non praeesse.* 1. epist. 5, v. 3. *seniores monet, ut pascant commissum sibi gregem non dominantes. Ergo a Christianis dominium exsulare jubet.* Respondemus: 1. in priore loco describit apostolus officium subditorum, ex quo non potest colligi, quod magistratus non possit ab homine Christiano administrari, sed contrarium potius ex eo colligitur propter mutuam relatorum rationem. Si enim non pugnant cum professione Christiana officia subditorum, utique etiam non pugnant cum ea officia magistratuum. Si Deo placet obedientia subditorum, utique etiam potestas magistratus Deo placet. 2. In posteriore loco tractat apostolus de officio ministrorum ecclesiae, quos imperium aliquod despoticum in ecclesiam sive commissum sibi gregem arrogare prohibet, quid vero hoc ad magistratum politicum, cui potestas dominandi divinitus est concessa?

11. Apoc. 4, v. 10: Seniores mittunt coronas ante thronum.

73. 11. Apoc. 4, v. 10. *viginti quatuor seniores mittunt coronas suas ante thronum dicentes* v. 11: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere honorem* etc. *Ergo magistratus ad Christum conversi coronis sese abdicare debent.* Respondemus: 1. ex visionibus, perinde ut ex parabolis non possunt duci argumenta apodictica, nisi Scriptura ipsa tradat explicationem. 2. Esa. 49, v. 7. praedicitur, quod reges et principes ad ecclesiam sint aggregandi, nequaquam vero additur, quod coronas, sceptra et imperia sint abjecturi, sed quod *nutritii ecclesiae* in officio suo regio sint futuri v. 23. 3. Per viginti quatuor seniores intelligitur tota triumphans ecclesia, quia in V. T. duodecim filii Jacobi patriarchae fuerunt quasi stirps et radix totius ecclesiae Israëliticae; in N. T. duodecim apostoli per evangelii praedicationem ecclesiae Christianae primitias congregarunt. Quando igitur seniores illi, hoc est tota triumphans ecclesia, coronas suas ante thronum abjicit, significatur, electos ex vera humilitate agnoscere, se coronam gloriae aeternae non ex operum meritis, sed ex divina gratia obtinere. 4. Christianus magistratus coronas suas ante thronum abjicit, quando agnoscit, se Dei munere dignitatem obtinere, illique tanquam omnium bonorum auctori unice acceptam eam esse referendam, et quando ad ecclesiae defensionem et cultus divini promotionem omnia confert, adeoque pro Christi gloria paratus est omnia deserere. Confer Blasium de Viegas in Apocal. c. 4. p. 227.

1. Ex rationibus.

74. Rationes Anabaptistarum hae sunt praecipuae: *1. In N. T. solus Christus est rex ecclesiae suae. Ergo non amplius ut in V. T. regibus terrenis in ea locus datur.* Respondemus: 1. Christus etiam in V. T. fuit rex ecclesiae, ut ergo propterea in V. T. potestas civilis magistratus non fuit sublata, ita nec in N. 2. Christus ecclesiam suam non regit immediate, sed mediante verbi ministerio et magistratus officio, quippe qui constitutus est, ut in externo ecclesiae regimine mutuas ministerio ecclesiastico tradat operas. 3. Magistratus est membrum aliquod ecclesiae sive regni Christi, Christus enim pios magistratus verbo et Spiritu suo regit, illi vicissim in

suo officio Christi honorem et ecclesiae salutem promovent. Regnum Christi spirituale et regnum magistratus politicum non pugnant invicem hostiliter nec se mutuo tollunt, quin potius magistratus coërcet improbos, ut ab illorum violentia tuti sint boni et *quietam degant vitam in omni pietate et honestate* 1. Timoth. 2, v. 2. *2. Christus ecclesiae suae non gladium, sed usum clavium tradidit* Matth. 16, v. 19. Johan. 20, v. 23. Respondemus: 1. clavium potestas
XIII. 273. ministerio ecclesiastico data est, quod Christi et ecclesiae nomine eam administrat, usus gladii politico magistratui propterea non est ademtus. 2. Ut Christus apostolis potestatem clavium dedit, sic magistratui suam potestatem et jus inviolatum reliquit, *quando caesari quae sunt caesaris dare jubet* Matth. 22, v. 21. 3. Distinguitur Christi regnum, ad quod potestas clavium pertinet, ab imperiis mundanis, quae gladio corporali in administratione utuntur, interim tamen eadem haudquaquam abolet. Reliquae argumentatiunculae ex his, quae dicta sunt, facilem habent explicationem.

2. Photinianorum. XIII. 274.

75. 2. Anabaptistis admodum affines sunt recentiores Photiniani (si non eandem cum illis haeresin amplectuntur), qui verbis quidem profitentur, se honorifice de magistratu sentire. **Piscecius in resp. ad 10. rat. Camp. 126: *Divinitas quaedam est regum dignitas, primo secundum Deum honore afficienda, non ad tam vilissima famulantium officia* (ad frena, stapedes, sellas, pelves, paropsides pontifici exhibendas), *alliganda.*** Re ipsa interim potestatem et auctoritatem ejus labefactant. Catechismus Racoviens. Latin. p. 136. fatetur, *magistratum esse a Deo*, et *concedit, posse hominem Christianum gerere magistratum;* sed addit hanc cautionem et limitationem, *modo in illo capessendo et administrando ita se gerat, ne quid contra leges et mandata Christi delinquat;* cujus limitationis quis sit sensus et effectus, patebit ex sequentibus, p. 165. commendat *officium subditorum erga magistratum et magistratus erga subditos*; p. 170. et 171. *licere* inquit *per magistratum jure agere et injurias persequi, ita tamen, ut absit ultio.* Id vero quomodo accipiendum sit, patet ex Socino in lib. quod Evangelici Photinianis se adjungere debeant c. 3. p. 23. ubi inter ea, *quae cum Christi praeceptis pugnantia in religione Evangelicorum concedi conqueritur*, etiam hoc refert, *quod apud ipsos permittitur, ut quis injurias suas per magistratum ulciscatur, id est eum puniri curet, qui injuriam sibi intulit, licet ex ea punitione nihil prorsus commodi ad se privatim rediturum esse probe intelligat, nisi quatenus suam injuriam hac ratione vendicatam sit visurus, seque non inultum esse sensurus*, quod pugnare dicit cum verbis Christi Matth. 5. *in quibus per magistratum injurias nobis illatas ulcisci prohibeamur, quod tamen Moyses concesserat vel potius jusserat.* Ostorodus in institut. c. 28. p. 182. docet, *magistratum esse a Deo eique in omnibus parendum, quae non pugnant cum expresso Dei verbo, ita quidem, ut si maxime aliquid praeceperit Deo contrarium, tamen nefas sit excitare seditionem.* p. 183. concedit, *Christianum posse gerere magistratum et esse regem*, sed addit, *modo nihil faciat contra mandata Christi.* Quid vero cum mandatis Christi pugnare statuat, patet ex subsequentibus, p. 185. monet, *praecepta Christi non permittere ulli hominum adimere vitam, ideo nec magistratum effusione sanguinis in maleficos et facinorosos animadvertere debere* (quod ipsum etiam Anabaptistae docent, ut ex colloquio Franckenth. apparet). p. 178. *bellum simpliciter improbat et bona conscientia a magistratu geri posse negat.* p. 168. negat, Christianos in judicio experiri posse; *quod de imploratione magistratus diximus*, inquit, *non intelligimus nisi de illis, qui foris sunt, hoc est qui non sunt frates nostri sive consortes fidei, nefas enim est, Christianum agere contra fratrem coram fratre*, quod p. 169. ex 1. Cor. 6. probare nititur. Schmaltzius contra D. Frantz. disp. poster. 6. in Aug. confess. p. 387. concedit, *licere magistratum gerere;* licere etiam homini Christiano *judicia exercere*, hoc est apud judicem accusare, sese excusare, dicere et exsequi sententias in omnibus causis; addit vero eandem cautionem, *ne quid committatur adversus leges Christi et maxime adversus regalem legem caritatis, ne quidquam fiat, quod vindictam sapiat, ne denique sint graviores poenae sub novo foedere, quod est tempus gratiae, quam olim erant sub veteri, quod erat tempus timoris*, id quod p. 389. sic declarat, *non licere Christiano magistratui sanguinem humanum fundere, cum hac ratione simul etiam vita aeterna tales privari plus sit quam verisimile, quo nihil magis caritati, quam proximo debemus sub N. T. contrarium esse queat.* p. 393. negat, licere *bella gerere*, idque indignum Christiana pietate etiam contendit. In refut. diput. 7. D. Frantzius de bonis operib. p. 237. disputat, *in N. T. omnem omnino vindictam non solum privatam, sed etiam publicam,* XIII.
quae per magistratum exercetur, esse prohibitam. Ex quibus omnibus sic concludimus: Qui negant proprium magistratus officium, illi potestatem et auctoritatem magistratus labefactant; sed Photiniani negant proprium magistratus officium. Ergo. Assumtum probatur, negant enim magistratui licere 1. sontes et maleficos gladio punire juxta leges; 2. bello vindictam exercere adversus publicos hostes, qui legibus et judiciis sese coërceri non patiuntur; 3. officium judicandi exercere in fratres sive fidei consortes; 4. injuriam alteri ab altero illatam in subditis vendicare. Si magistratui auferantur gladius et arma, erit inane quoddam terriculamentum. Quibus vero argumentis hanc suam opinionem probent, dicetur inferius in cap. de officio magistratus.

76. 3. Photinianorum vestigiis insistit Weigelius, 3. We
enthusiasta et Svencfeldista, qui itidem in magistratus potestatem et officium est injurius, dum improbat *capitalia supplicia* sontibus irrogata, uti et *bella* pro religione vel regione gesta. Sic enim scribit in postill. explic. evang. Dominicae XXII. post Trin. p. 329. Willſt du meinen, daß die Gliedmaßen der

heil. Kirche Chriſti um den Glauben und zeitliche Güter fechten? O das ſei ferne, nur die membra falsae ecclesiae die rächen ſich ſelber, die tödten, kriegen, morden um Land und Leute ꝛc. das ſind nicht die Gliedmaßen der Kirchen, die den Glauben mit Krieg, Mord, Schwert vertheidigen, wäre es recht, Chriſtus und ſeine Apoſtel wären nicht wie ein geduldiges Lamm in den Tod ans Kreuz geſchlagen, ſie hätten auch Gewalt gebraucht, und die Herrſchaften um Hülfe angeſchrieen. p. 330: Die Gliedmaßen der falſchen Kirchen halten den Processum juris, nicht den Chriſtus giebt, fragen Justinianum darum, ob man den Dieb hängen ſoll, den Sünder tödten? Er als ein Heide ſpricht das Urtheil, ja man ſoll das thun, und Gott nicht folgen, der da nicht des Sünders Tod wolle, ſondern man muß das Böſe ſtrafen, meinen, die Sünde wäre durch Leibesſtrafe hinweggenommen, es iſt aber weit gefehlt. p. 332: Strafen magſt du das Böſe, du ſeiſt geiſtlich oder weltlich, nach dem Process juris Matth. 18. aber dem Sünder ſollſt du das Leben nicht nehmen, iſt Gott der allmächtige Herr und König barmherzig, was wollen ſich dann ſeine Befehlshaber, die Obrigkeit, zeihen anders zu ſein denn ihr Herr. in explic. evang. die viridium p. 48: Mit der Rede vom Fußwaſchen führet uns Chriſtus zur wahren rechten Jurisprudentia, daß wir Juriſten ſein nach dem neuen Teſtament und legen nieder das ganze Recht Justiniani als heidniſch ꝛc. den Sünder tödten iſt heidniſch, nicht chriſtlich gehandelt, und iſt wider das Licht der Natur, der Heide Justinianus will das Böſe ſtrafen mit dem Strange, Schwert und Feuer, Chriſtus will den Sünder bekehret haben ꝛc. Ubi repetimus argumentum: Negato magistratus officio potestas et auctoritas magistratus labefactatur. Sed negato eo, quod possit magistratus subditos suos bello adversus hostes defendere et suppliciorum capitalium executione pacem externam tueri ac civilem justitiam asserere, negatur proprium magistratus officium. Ergo.

I. 276. Methistarum. 4. Novi Chiliastae ac Methistae exspectant seculum aliquod novissimum, quod vocant Spiritus sancti, in quo magistratum omnem sperant abolitum iri et sublatis impiis Christum in his terris visibiliter inter pios regnaturum per mille annorum decursum.

77. Posterius porisma est: *Magistratus potestas et officium utpote divina ab omnibus debent haberi sancta et augusta. 1. Pseudoapostoli* pugnant cum hac assertione orthodoxa, quos Petrus et Judas sic describunt, quod fuerint *κυριότητος καταφρονοῦντες*, quod *βλασφημοῦντες δόξας οὐ τρέμουσι* 2. Petr. 2, v. 10. *κυριότητα ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσιν* Judae v. 8. quibus Judas hoc opponit, *quod ne angelus quidem Michael voluerit sibi hoc sumere, ut malediceret diabolo*, ergo multo minus magistratui esse maledicendum. Ex 1. Petr. 2, v. 16. colligitur, tempore apostolorum quosdam sub praetextu libertatis Christianae obedientiam magistratui denegasse, quibus Petrus hoc opponit, quod libertas non debeat esse *ἐπικάλυμμα τῆς κακίας, velamen malitiae. 2. Manichaei*, qui civiles magistratus et politias damnabant, ut quae a deo malo conditae et constitutae sint, unde etiam bellum gerere illicitum esse

[Margin: …isma te… I. …gistra- po- …ias offi- …m …nibus …ent …e …cta et …usta.]

dicebant et Moysen reprehendebant, quod bella gessisset. Augustinus lib. 22. cont. Faustum c. 74. Centuriae Magdeb. eccles. 3. c. de haeres. col. 115. XIII. 277.
3. *Donatistae*, qui magistratuum auctoritatem tollebant et odio illius ordinis varias persecutiones a magistratibus contra Dei ecclesiam factas recensebant. Vide Augustinum epist. 50. ad Bonifac. 4. Quamvis vero hae opiniones in suis auctoribus ab ecclesia Catholica fuerint damnatae, tamen aliquid ex illis adhaesit etiam quibusdam in ecclesia episcopis, quo minus honorifice de magistratus officio et auctoritate sentirent. Nam in concilio Eliberitano in Eliberide Hispaniae urbe anno Christi 305. sub Marcello I. celebrato can. 56. tale decretum factum fuit: *Magistratum eo anno, quo agit duumviratum, prohibere placet, ut ab ecclesia sese cohibeat.* In concilio Romano anno 324. sub Sylvestro I. celebrato can. 16. sic decernitur: *Nemo clericus vel diaconus aut presbyter propter causam suam quamlibet intret in curiam, quoniam omnis curia a cruore dicitur et immolatio simulacrorum est. Quoniam si quis clericus in curiam introierit, anathema suscipiat, nunquam rediens ad matrem ecclesiam.* In qua synodo patres 284 convenisse notat Severinus Binius tom. 1. concil. p. 304. In concilio Constantinopolitano VIII. sub Adriano act. 8. can. 14. prohibentur episcopi *accedere mensas principum secularium* (id si eo spectet, ne episcopi frequentando mensas principum assuescant luxui, qui plerumque illis solet esse familiaris, neve quotidianis conviviis ab operibus sui officii sese abstrahi patiantur, utique illud probamus; sed si absolute et simpliciter prohibetur episcopus mensas principum accedere, illud utpote in statum principum injurium approbari non debet). *5. Anabaptistae* cum negent, Christianum posse officio magistratus bona conscientia fungi, in divinam hanc ordinationem maxime sunt injurii.

78. 6. Sed et Pontificii licet civili magistratui utpote Dei ordinationi honorem atque obedientiam jure divino deberi verbis fateantur, re ipsa tamen ipsi quoque ejus auctoritatem et potestatem oblique labefactant, dum 1. pontifici tribuunt supremam in imperatorem, reges et principes potestatem, et quidem talem, qua ex solio ipsos dejicere possit, si placitis ejus obsequi nolint, qua de re paulo post plenius dicetur. 2. Episcopos et omnes clericos potestati magistratus politici eximunt, unde Jesuitae ne illis quidem principibus *juramentum fidelitatis* praestare volunt, in quorum ditione vivunt quorumve defensione fruuntur, qua de re inferius in cap. de subditis plura dicentur. 3. Docent, magistratum esse ejusmodi statum, in quo difficulter aliquis salvari possit, unde persuadent magistratui, ut officio suo, ad quod divinitus vocatus est, abdicato monasterium religionis ergo ingrediatur, id quod multis exemplis demonstrari potest, inde Lutherus in apologia cont. Georgium ducem Saxoniae, quae exstat tom. 6. oper. German. statim in princip. vere gloriatur, auctoritatem et dignitatem magistratus in papatu a pontifice et ipsius episcopis conculcatam a se iterum

[Margin: Quomodo Pontificii honorem magistratus labefactent.]

esse assertam. Wann ich D. Martinus ſonſt nichts gutes gelehret noch gethan hätte, denn daß ich das weltliche Regiment oder die Obrigkeit ſo erleuchtet und gezieret habe, ſo ſollten ſie doch dieſes einigen Stücks halben mir danken und günſtig ſein, weil ſie alleſammt, auch meine ärgſten Feinde, wohl wiſſen, daß ſolcher Verſtand von weltlicher Obrigkeit unter dem Pabſtthum nicht allein unter der Bank gelegen, ſondern auch unter allen ſtinkenden lauſigen Pfaffen- und Mönch- und Bettlerfüßen hat müſſen ſich drücken und treten laſſen, denn ſolchen Ruhm und Ehre habe ich von Gottes Gnaden davon, es ſei dem Teufel und allen ſeinen Schuppen lieb oder leid, daß ſeit der Apoſtel Zeiten kein Doctor noch Scribent, kein Theologus noch Juriſt ſo herrlich und klärlich die Gewiſſen der weltlichen Stände beſtätiget und unterrichtet und getröſtet hat, als ich gethan habe durch ſonderbare Gnade Gottes, das weiß ich fürwahr. Denn auch Sanct Auguſtinus noch Ambroſius, die doch die beſten ſind in dieſem Stück, mir nicht
XIII. 278. gleich hierinnen ſind, des rühme ich mich Gott Lob und Dank, dem Teufel und allen meinen Tyrannen und Feinden zu Leid und Verdruß, und weiß daß ſolcher Ruhm wahrhaftig und beide vor Gott und der Welt muß bekannt ſein und bleiben, ſollten ſie auch toll und thöricht darüber werden. Quo pertinet, quod superius §. 3. de Friderico Sapiente electore Saxoniae commemoravimus, qui cum legisset scriptum Lutheri de magistratu, quod exstat in secundo tomo operum, prae laetitia exsultans sublatis in coelum manibus Deo gratias egit, quod ex sacris literis jam cognitum et exploratum teneat, se esse constitutum in ejusmodi statu ac ordine, qui Deum auctorem habeat et in quo bona conscientia versari Deoque placere possit. Nec probari potest, quod in papatu ecclesiasticae personae, sacerdotes, monachi, moniales etc. sibi solis nomen *spiritualium*, der Geiſtlichen, arrogent, reliquos vero Christianos omnes et ipsos magistratus appellent *mundanos*, die Weltlichen, cum tamen omnes illi, qui Spiritu Christi reguntur et aguntur, sint spirituales, si et rem ipsam, et phrasin Scripturae spectare velimus Roman. 8, v. 14. 1. Cor. 2, v. 15. Gal. 6, v. 1. etc. quando illi, qui magistratum gesserunt, relicto suo officio intrant monasterium, tum dicunt, eos mundum deserere et divino cultui sese mancipare, quasi vero illi, qui magistratu funguntur, non Deo, sed mundo serviant. 4. Magistratum a cura constituendae religionis in universum rejiciunt, ut inferius videbimus. 5. In judiciis canones praeferunt imperatoriis legibus, supplicia in clericos facinorosos a magistratu exerceri posse negant etc. qua de re suo loco plura.

Quaestiones de efficiente principali magistratus. 1. An etiam ethnicus magistratus sit a Deo.

79. Antequam vero a causa efficiente principali descendamus ad causam instrumentalem, explicandae prius sunt aliquot quaestiones. Quaeritur 1. *An etiam ethnicus et haereticis opinionibus imbutus magistratus sit a Deo?* Negant Anabaptistae, sed contrarium demonstrant *1. dicta Scripturae generalia*, quae testantur, omnem omnino magistratum, sive ethnicus sit, sive Christianus et verae religioni addictus, esse a Deo. Rom. 13, v. 1: *Non est potestas nisi a Deo, quae vero cunque sunt potestates, a Deo ordinatae sunt.* 1. Petr. 2, v. 13: *Subditi estote omni humanae creaturae propter Dominum.* Huc pertinent dicta omnia superius enumerata, quae absque ulla limitatione docent, *Deum removere et stabilire reges, a Domino datam esse regibus et principibus potestatem. 2. Dicta specialia*, quae ostendunt etiam ethnicos magistratus esse a Deo ad imperium evectos. Jud. 2, v. 14: *Tradidit Deus Israëlitas in manus gentium, quae diripuerunt eos, et vendidit eos in manibus hostium suorum, qui habitabant per gyrum.* Tempore eo, quo Christus et apostoli in N. T. docebant, nulli erant imperatores et reges nisi infideles, nihilo tamen minus ipsis utpote divinitus ad imperium evectis obedientiam et honorem praestare jubent Matth. 22, v. 21. Roman. 13, v. 4. 1. Petr. 2, v. 13. etc. 3. *Exempla specialia*, quae id ipsum comprobant. Jud. 3, v. 8: *Iratus Dominus contra Israël vendidit eos in manus Chusan-rasathaim regis Mesopotamiae servieruntque ei octo annis.* v. 12: *Deus confortavit adversus Israëlitas regem Eglon, regem Moab.* cap. 4, v. 2: *Tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Canaan.* cap. 6, v. 1: *Tradidit illos Dominus in manus Midianitarum.* c. 10, v. 7: *Iratus Dominus contra Israëlitas tradidit eos in manus Philistiim et filiorum Ammon* etc. at illi omnes fuere ethnici et idololatrae. Esa. 45, v. 1. de Cyro Persarum rege dicit Dominus: *Ego apprehendi dextram ejus, ut subjiciam ante faciem ejus gentes.* Jer. 50, v. 44. de eodem dicitur: *Quis erit juvenis, quem praeponam ei?* Nabuchodonosor erat rex gentilis et idololatra pessimus, interim tamen de eo dicit Dominus Jerem. 27, v. 6: *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei*, et Daniel. 2, v. 37. inquit Daniel ad eum: *Tu rex regum es, et Deus coeli regnum et facultates et potentiam et gloriam dedit tibi*, ac Deus eum vocat *suum servum* Jer. 25,
v. 9. Hasael homo ethnicus mandato ipsius Dei a XIII. 1
propheta Elia ungi jubetur in regem Syriae 1. Reg. 19, v. 15. 2. Reg. 8, v. 13. A quibusdam huc refertur exemplum Pilati praesidis Romani gentilium superstitionibus addicti, de quo Christus dicit: *Non haberes potestatem in me, nisi tibi datum esset desuper* Joh. 19, v. 11. sed de genuino hujus dicti sensu egimus in harmonia. 4. Quemadmodum alia *bona corporalia* sunt ethnicis et fidelibus communia nec desinunt esse Dei dona et munera, si quando ethnicis conceduntur; ita quoque de potestate magistratus judicandum, quod non desinat esse Dei donum et munus, si obtingat ethnicis et infidelibus. Inde in Scripturis sacris conjunguntur ea, quae ad articulum creationis et providentiae pertinent; jam vero distributio imperiorum pertinet ad divinae providentiae opera, quae sunt ecclesiae et gentilibus extra ecclesiam communia. Jer. 27, v. 5. inquit Dominus: *Ego feci terram et homines et jumenta, quae sunt super faciem terrae in fortitudine mea magna et in brachio meo extenso et dedi eam*

ei, qui placuit in oculis meis. v. 6. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor.* Actor. 17, v. 24: *Deus qui fecit mundum et omnia, quae in eo sunt*, v. 26. *fecit ex uno sanguine omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum* (ad illos habitationis terminos pertinet distinctio dominiorum et concessio regnorum). 5. Huc pertinent *dicta veterum;* Tertullianus in apol. cap. 33. pag. 61: *Noster est magis caesar ut a Deo nostro constitutus.* Augustinus libr. 5. de civ. Dei cap. 21: *Qui dedit imperium Constantino Christiano, ipse etiam Apostatae Juliano.* Constantius Arianismo infectus erat, eidem tamen Hosius in epist. Athanas. ad solit. vit. agent. scribit: *Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt ecclesiastica concredidit. Qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae.* Hilarius in libr. contra Auxent. vocat eum *sanctum imperatorem*, non ratione religionis seu fidei, sed divinae ad imperium evectionis. Usus hujus quaestionis monstrabitur inferius in part. 2. de officio subdit.

An iam ipius agi-ratus t a o. 80. Quaeritur 2. *An etiam impius magistratus sit a Deo?* Affirmamus contra Anabaptistas, *1. ex dictis generalibus*, quae omnem omnino potestatem a Deo esse affirmant. *2. Ex dictis specialibus*, Job. 34, v. 30: *Regnare facit Deus hominem hypocritam propter offendicula populi.* ** Hebraeus textus habet מִמְּלֹךְ אָדָם חָנֵף מִמֹּקְשֵׁי עָם, Pagninus: *eo quod regnat homo impius, eo quod sunt laquei populi*, Arias Montan. *a regnando hominem hypocritam ab offendiculis populi.*** Esa. 3, v. 4: *Dabo pueros principes eorum et effeminati dominabuntur eis.* Ezech. 7, v. 11: *Facit ut violentus consurgat et sit virga impietatis. 3. Ex specialibus exemplis. Saul* primus Israëlitarum rex degenerabat ab integritate et Spiritus Domini ab eo recedebat, nihilo tamen minus a Davide vocatur *unctus Domini* 1. Sam. 24, v. 7. *Jerobeamus* sua idololatria peccare faciebat Israël, Deus tamen per prophetam Ahiam ipsi nuntiari curat 1. Reg. 11, v. 37: *Eris rex super Israël* et cap. 14, v. 7: *Exaltavi te de medio populi et dedi te ducem super populum meum Israël*, v. 8. *et scidi regnum domus David et dedi illud tibi. 4. Ex rationis paritate.* **De Cyro Esa. 45, v. 1. dicit Dominus: *Apprehendi dextram ejus, ut subjiciam illi gentes et dorsa regum discingam et aperiam coram eo januas.* Jer. 27, v. 6. de Nabuchodonosore: *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servi mei.*** Quemadmodum servi jubentur esse *subditi in omni timore* suis heris, τοῖς δεσπόταις, non solum bonis et mansuetis, sed etiam σκολιοῖς, difficilibus 1. Petr. 2, v. 18. ita quoque subditi non solum piis et clementibus magistratibus, sed etiam impiis obediant, in rebus scilicet externis et corporalibus, quae absque violatione legis et gloriae divinae
II. 280. praestari possunt, *propter Dominum.* Quemadmodum ecclesiasticum ministerium non desinit esse Dei ordinatio, si ministri fiant impii; sic magistratus non desinit esse sancta Dei ordinatio, si magistratus fiat impius. Quemadmodum parentes non desinunt esse parentes, si vel maxime sint duri et austeri, *quamvis legum contemtor, quamvis impius, tamen pater est*, inquit Justinianus §. Si vero. Novell. 12. sic magistratus non desinunt esse magistratus, si vel maxime sint impii et mali. 5. Huc pertinent dicta veterum: Irenaeus lib. 5. advers. haeres. c. 20. pag. 347: *Quidam regum ad correctionem et utilitatem subditorum dantur a Deo et conservationem justitiae, quidam ad timorem et poenam et increpationem, quidam autem ad illusionem et contumeliam et superbiam, quemadmodum et digni sunt Dei justo judicio in omnibus superveniente.* Origenes homil. 4. in libr. Judic. circa med.: *Non semper princeps populi per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri et operamur malignum in conspectu Domini, dantur nobis principes secundum cor nostrum. Et hoc tibi de Scripturis probabo. Audi namque quod Dominus dixit* Hoseae 8.: *Fecerunt sibi reges et non per me, et principem et non per consilium meum. Et hoc dictum videtur de Saul illo, quem utique ipse Dominus elegerat et regem fieri jusserat, sed quoniam non secundum voluntatem Dei, sed secundum peccatoris populi meritum electus erat, negat eum cum sua voluntate vel consilio constitutum.* ** Armacanus libr. 10. quaestionum Armenicarum cap. 4. docet, *titulum praecipuum dominiorum esse gratiam Dei sive justitiam et caritatem, alios autem titulos omnes in hoc fundari, et qui justitia et gratia Dei carent, nullum habere verum dominium.* Augustinus lib. 5. de civ. Dei cap. 21: *Qui Mario imperium dedit, ipse etiam Cajo Caesari, qui Augusto, ipse et Neroni; qui Vespasiano vel patri vel filio suavissimis imperatoribus, ipse etiam Domitiano crudelissimo.* Cedrenus memorat, *quendam ex religiosis imperante Phoca Deum ad disceptationem provocare ausum conquestum esse, cur tam impium Christianis imposuisset imperatorem, audivisse vero eum vocem, cum quidem neminem videret, sibi dicentem, deteriorem alium inveniri potuisse nullum, at hoc meruisse Constantinopolitanorum vitia.*** Haymo episcopus Halberst. in cap. 13. Rom.: *Sive bona sit illa potestas, sive mala, quicunque ei resistit subtrahendo servitium ab ea, denegando tributum et honorem non praebendo, quem ei debet praebere, Dei ordinationi resistit et dispositioni, cujus ordinatione illi principiantur.* Quod ergo Evaristus ep. 2. ad episc. Aegypti de episcopis dicit: *Pro meritis subditorum disponitur a Deo vita rectorum*, idem etiam de principibus dici potest.

81. Quaeritur 3. *An etiam tyrannus sit a Deo?* 3. An tyrannus sit a Deo.
Duo sunt tyrannorum genera, quidam *occupatione*, quidam *administratione.* Bartolus in tract. de tyrann. illos vocat tyrannos *in titulo*, hos vero *in exercitio.* Illi sunt, qui tyrannica et injusta aliorum oppressione imperium sibi acquirunt; hi qui imperium legitime acquisitum tyrannice administrant.

Tyranni in titulo duplex est origo, vel enim *extrinsecus* advenit, vel in ipsa republica e civibus nascitur et imperium sibi contra jus et aequum vendicat. Quod attinet tyrannos in exercitio sive administratione tantum tales, in illis potestas a potestatis abusu sive tyrannide est distinguenda, potestas ipsa est a Deo, ad quam etiam legitimis modis ac mediis sunt evecti; sed abusus potestatis sive tyrannis ipsa non est a Deo, nec Deo probatur. Quod attinet tyrannos occupatione, illorum potestas non est legitima, nec Deus eam constituit, nec probat, interim tamen etiam hi tyranni sunt a Deo, scilicet permittente et justo judicio peccata subditorum puniente, sicut etiam immittit Deus morbos, pestem et omnis generis adversa, quibus peccata hominum punit. Quemadmodum igitur morbi a Deo immittuntur, nec tamen Deo adversum est, medicamentis uti contra morbos; sic tyranni a Deo in poenam
XIII. 281. subditorum mittuntur, nec tamen Deus damnat illos, qui legitimo modo talibus tyrannis resistunt, ut infra latius demonstrabitur. Hoc loco probandum, etiam tales tyrannos non sine Dei providentia imperium occupare, id quod constat ex Scripturae tum dictis, tum exemplis. Ose. 13, v. 11: *Dedi illis regem in furore meo.* Ergo etiam illi reges a Deo dantur, quos ex justa ira violentis mediis regna occupare permittit. Reges Moabitarum, Cananaeorum, Ammonitarum etc. modis injustis et illegitimis subjiciebant sibi Israëlitas, interim tamen Deus *in ipsorum manus* Israëlitas tradidisse dicitur Jud. 3, v. 8. cap. 4. v. 2. cap. 10, v. 7. Baasa rex Israël illicito conjurationis medio regnum sibi acquisiverat 1. Reg. 15, v. 27. nihilo tamen minus per Jehu prophetam Dominus ad eum dicit 1. Reg. 16, v. 2: *Exaltavi te de pulvere et posui te ducem super populum meum Israël.* De utroque tyrannorum genere habetur c. Neque enim etc. 14. quaest. 5. ex August.: *Nec tyrannicae factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet. Nec vituperetur ordo regiae potestatis, si rex crudelitate tyrannica saeviat, aliud est namque injusta potestate juste velle uti, et aliud est justa potestate injuste velle uti.*

4. An potestas magistratus dependeat a pontifice Romano.

82. Quaeritur 4. *An magistratus ea ratione sint a Deo constituti, ut potestas ipsorum a pontifice Romano tanquam Dei in terris vicario ipsis sit concessa et proinde ab ejus nutu et arbitrio dependeant?* Ita quidem volunt Romanenses, quorum haec sunt emblemata. Augustinus de Ancona in summa de ecclesiast. potest. quaest. 1: *Papa habet omnem regalem et imperialem potestatem in toto mundo.* quaest. 46: *Papa regibus tanquam suis vasallis suaeque potestati subjectis imperat, ut etiam possit eos instituere et destituere.* Franc. Bozius de temporali eccles. monarch. lib. 1. cap. 1: *Temporalis potestas omni ex parte spirituali potestati est subjecta.* Ex quo concludit, *ut beneficia ecclesiastica, ita omnia regna esse papae manualia;* item *beneficio pontificis et imperatorem, et septem electores imperii esse constitutos.* Panormitanus, Franciscus Aretinus et alii canonistae docent, *quod papa jus utriusque gladii a Christo acceperit atque adeo ipsum quoque imperium ab ecclesia dependere.* Restaurus Castaldus in tract. de imperat. quaest. 36. disputat, *quod imperator teneatur papae praestare juramentum fidelitatis et obedientiae,* et exstat formula juramenti, quod Otto I. Johanni papae praestitit c. Tibi Domino etc. dist. 63. *Sedis apostolicae est transferre imperium,* inquit pontifex c. Venerabilem de elect. et elect. potest. *Imperium ab ecclesia, hoc est pontifici, dependere,* disputant Lancellotus in templ. omn. judic. lib. 1. c. 1. §. 2. quaest. 2. Hieronymus Gigas de crim. laes. majest. lib. 1. rubr. qual. et a quibus crim. laesae majest. committit. Nec longe ab hoc tramite absistit Bellarminus, quando lib. 5. de Rom. pontific. cap. 7. sic disputat: *Potestas civilis subjecta est potestati spirituali, quando utraque pars est ejusdem reipublicae Christianae. Ergo potest princeps spiritualis imperare principibus temporalibus et disponere de rebus temporalibus in ordine ad bonum spirituale, omnis enim superior imperare potest suo inferiori.* Et postea: *Potest spiritualis respublica imperare temporali reipublicae sibi subjecta et cogere ad mutandam administrationem et deponere principes atque alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.* Vi et vigore hujus potestatis, quam pontifex Romanus in imperatorem, reges et principes sibi arrogat ac canonistae et Jesuitae illi tribuunt, saepius eos e solio deposuit, subditos a juramento absolvit et in ipsorum locum alios pro lubitu substituit. *Alexander III.* Fridericum Barbarossam pede collo ipsius imposito calcavit addens hunc sarcasmum: *Super aspidem et basiliscum ambulabis. Alexander V.* Vladislaum regem Ungariae regno exuit, Platina in Alexand. XIII. 282.
nec id mirum, cum regnum illud feudis ecclesiae accensendum sit docente Augustin. Steucho libr. de donat. Constant. *Gregorius VII.* Henricum IV. Canusii in Italia ante arcem inter duas portas media hieme cum conjuge et filiolo a prima luce ad summam vesperam laceris vestibus, nudis pedibus, jejuno stomacho exspectantem, genua flectentem, supplices manus tendentem, pro ludibrio et deridiculamento habuit, ipse interim in meretriciis complexibus haerens. Quamvis vero Bellarminus cap. praeced. illud ita emolliat, ut summam illam potestatem non nisi *indirecte* pontifici competere asserat, nondum tamen probare potuit, talem *vel directam, vel indirectam potestatem* in imperatorem, reges ac principes pontifici competere, ac discedit hac in parte a canonistis et aliis Pontificiis, qui directe eam potestatem pontifici competere statuunt, unde Sixtus V. Romanus pontifex aegerrime tulit hanc Bellarmini limitationem et in bulla contra Henricum III. Franciae regem expresse asseruit, *se supremam in omnes reges et principes universae terrae cunctosque populos, gentes et nationes non humana, sed divina institutione sibi traditam potestatem obtinere;* ac si Barclaio credimus lib. de pote-

state papae cap. 13. pag. 101. *parum abfuit, quin omnia Bellarmini opera censura Pontificia propter hanc ipsius assertionem fuerint abolita.* Alexand. Carrerius jurisconsultus Patavinus anno 1599. duos de potestate pontificis libros edidit, in quibus Bellarminum acriter insectatur ac *papam non secus ac Christum ipsum, cujus sit vicarius, jure divino et directe totius orbis dominum esse omnemque potestatem ecclesiasticam et politicam habere* contendit. Nos vanae illi persuasioni opponimus dicta Scripturae superius enumerata, quae testantur, imperatorem, reges et principes a Deo potestatem accepisse, quod autem ex pontificis manibus eam acceperint vel in temporalibus ipsum superiorem recognoscere teneantur, id vero nuspiam asserunt. Tertullianus in apolog. contr. gent. cap. 30. pag. 59: *Sentiunt* (imperatores), *Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes et super omnes deos* etc. Idem ad Scapulam cap. 2. p. 88: *Colimus imperatorem ut hominem a Deo secundum et quidquid est, a Deo consecutum et solo Deo minorem.* (Bellarminus contra Barcl. cap. 8. non potuit aliam glossam afferre, quam quod *Tertullianus loquatur de imperatoribus ethnicis, qui quia Christo nondum sceptra subjecerant, secundi merito a Deo in administratione rerum temporalium habebantur de facto;* quasi vero de facto et non de jure imperium obtineant caesares ethnici, quasi vero Christianismi professio deteriorem reddat regum conditionem et evangelium tollat politias) Ludovicus Bavarus imperator in constit. de potest. electi imperat. scribit: *Juris utriusque testimonia manifeste declarant, imperialem dignitatem et potestatem immediate a Filio Dei ab antiquo processisse* (ubi in alia respicit ad Novell. 6. Justin. in princ.: *Maxima sunt in hominibus dona Dei a superna collata clementia, sacerdotium et imperium, quae ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.* Atqui si hae potestates ab uno dependent principio, altera non dependebit ab altera). Et paulo post: *Declaramus itaque, quod imperialis dignitas et potestas est immediate a solo Deo.* Anno Christi 1157. ab imperatore Friderico *mendacii*, imo *laesae*
III. 283. *majestatis* rei declarati sunt generali constitutione Coloniae promulgata, qui imperium a papa vel ei suppositum esse asseverant, cujus legis verba recitat Albertus de Rosate in l. bene a Zenone 3. nu. 16. de quadr. praescript. Inde Guntherus in Ligur. Fridericum sic loquentem introducit:

— — — *Nullum caput ista super se*
Adspicit excepto coelorum rege potestas.

Anno Christi 1338. communi Septemvirum imperii decreto tempore Benedicti XII. pontificis publicato pronuntiatum est, *sacri Romani imperii imperatores per se immediate Deum et ensem auctorem agnoscere,* cujus decreti tenorem retulit Aventinus lib. 8. annal. quo spectat, quod *a coelesti majestate imperium caesari traditum* dicitur l. 1. C. de veteri jure enucl. et quod in nov. 28. imperator dicit, *Deum imperii coronam sibi imposuisse.* Card. Cusanus in libr. 3. concord. Cathol. cap. 5. affirmat, *quod imperatoris celsitudo sit independens quoad sui naturam, primo et supremo distincta a spirituali habens dependentiam immediatam a Deo,* ac Carolus Molinaeus contra abusus paparum p. 198. late probat, *imperium non pendere a papa.* **Tolosanus libr. 25. de republ. cap. 5: *Principes aliqui sunt sui juris, rex Galliae et rex Hispaniae, qui in temporalibus nullum superiorem agnoscunt nec possunt privari suo imperio.* Quidam Hispanus in lib. de morte Philippi: *Rex Hispaniae Philippus jamjam moriturus coronam manibus apprehendens oculis in coelum defixis, tibi, inquit, Domine Deus coronam meam reddo, a quo eam accepi.* Ludovicus Vives ad Henr. VIII. Angl. regem in epist. dedicat. libris Aug. de civ. Dei praefixa: *Te rex permagni omnes existimarunt, cujus potestas majestasque est in terris secundum Deum maxima.*** Argumenta, quae Bellarminus pro adstruenda illa indirecta pontificis in magistratus Christianos potestate affert, sunt valde indirecta et tortuosa, quorum solutionem in tractatu proxime praecedente proposuimus, in quibus miramur praetermissum illud, quod Innocentius III. c. Solitae extra de majorit. et obed. etc. probare conatur, *imperium ad obedientiam pontifici praestandam obstrictum esse, ex eo, quod Dominus dixerit sacerdoti Jeremiae: Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas ac dissipes, aedifices et plantes.* Item: *Quia Deus fecerit luminaria magna in firmamento coeli, hoc est duas in ecclesia instituerit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas, sed quanta est inter solem et lunam, tantam esse inter pontifices et reges differentiam,* ac quod canonistae illud Christi Matth. 28. *data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* ad pontificem applicant, in cujus potestatis sibi collatae signum singulis annis in nocte nativitatis benedicat ensem eundemque alicui ex regni proceribus mittat. Sed valeant hae nugae, quae tamen pontifici valde fuere fructuosae.

SECTIO POSTERIOR.

DE CAUSA INSTRUMENTALI MAGISTRATUS.

83. Quemadmodum in loco de ministerio ecclesiastico diximus, duplicem esse *vocationem* ad ministerium, *immediatam* scilicet et *mediatam*, cum Deus quosdam per se et immediate, quosdam vero per ecclesiam et immediate, quosdam vero per ecclesiam et mediate ad sacrosanctum illud officium vocet; ita quoque divina ad magistratum vocatio itidem duplex est, *immediata ac mediata, extraordinaria et ordinaria.* Deus enim quandoque immediate et extraordinarie magistratum constituit, quando scilicet ipse quosdam heroes excitat et de- **Causa instrumentalis magistratus.**

nominat, peculiaribus donis eos instruit et augustam quandam auctoritatem ipsis apud subditos conciliat; quandoque vero mediate et ordinarie, per eos scilicet, quibus jus eligendi et constituendi magistratum competit, ad augustum illud officium quosdam vocat. Prioris vocationis exemplum proponitur in *Moyse*, Exod. 3, v. 10: *Mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israël Aegypto.* Actor. 7, v. 35: ὁ θεὸς ἄρχοντα καὶ λυτρωτὴν ἀπέστειλεν τῶν Μωϋσῆν; in *Josua*, Num. 27, v. 18.

Vocatio ad magistratum 1. Immediata.

XIII. 284. Deut. 3, v. 28: *Tolle Josuam filium Nun virum, in quo est Spiritus, et pone manum tuam super eum,* etc. quam vocationem Deus ipse ad Josuam immediate locutus postea confirmat Jos. 1, v. 2. in *Juda*, Jud. 1, v. 2. in *judicibus*, quos Dominus *suscitavit, ut liberarent Israëlitas ex manibus inimicorum*, qui postmodum gubernabant populum Jud. 2, v. 16. *in Othoniele* Calebi fratre Jud. 3, v. 9: *Suscitavit Dominus Israëlitis salvatorem, qui liberaret eos*, Othonielem scilicet, et *factus est super eum Spiritus Domini et judicavit Israël; in Gideone* Jud. 6, v. 14. in *Samsone*, Jud. 13, v. 25. in *Saule*, 2. Samuel. 9, v. 17. in *Davide* 1. Sam. 16, v. 12. et aliis, ubi notandum, 1. cum immediata vocatione nequaquam pugnare ejusdem per interpretes divinae voluntatis, prophetas scilicet, declarationem ac manifestationem, quos enim Deus ἀμέσως et immediate, sine hominum opera et ministerio ad magistratum vocat, illis vel ipse apparet et immediate cum illis loquitur, quomodo vocavit Moysen, Salomonem etc. quosdam vero per internuntios, quibus apparuit et locutus est, vocat, quomodo Josuam per Moysen, Saulem per Samuelem etc. vocavit. 2. Illorum qui immediate a Deo vocantur, κλῆσιν divinitus confirmari miraculis vel miraculosis donis, virtutibus heroicis, felici rerum successu, insigni aliqua victoria etc. sicut exempla Moysis, Josuae, Saulis, Davidis etc. testatum faciunt. Memorabile est, quod de Davide dicitur 2. Sam. 5, v. 2: *Cognovit David* (ex unanimi scilicet populi eligentis suffragio et ex prospero rerum successu), quod *confirmasset eum Dominus regem super Israël.*

2. Mediata, cujusmodi.

84. Posterioris vocatinis exempla in historia sacra et profana inque ipsa experientia sunt ubivis obvia. Varii autem sunt modi, quibus homines ad magistratum evehuntur, de quibus in genere notandum, quod quidam sint *liciti ac legitimi*, quidam vero *illiciti ac illegitimi.* Modi liciti ac legitimi revocari possunt ad tria principalia capita; obtinetur enim magistratus vel per *electionem*, vel per *successionem*, vel per justam *occupationem*. Electio est, quando illi, quibus potestas illa lege vel consuetudine competit, vel etiam ad hunc actum commissa est, magistratum eligunt. Ratione *causae efficientis* sive personarum eligentium distinguitur electio in eam, quae fit *a superioribus*, ut quando ab imperatore constituuntur praesides provinciarum, duces belli, praefecti etc. et eam, quae fit ab *inferioribus.* Exempla prioris electionis haec sunt: Gen. 41, v. 41. *Pharao* Aegypti rex Josephum constituit praefectum totius provinciae; Exod. 18, v. 25. *Moyses* secutus consilium Jethronis electis viris strenuis de cuncto Israël eos constituit principes populi, tribunos et centuriones et quinquagenarios et decuriones; 2. Paral. 19, v. 5. *Josaphat* constituit judices terrae in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca. Posterior electio iterum duplex est, vel enim fit *ab omni populo*, sicut olim exercitus eligebat imperatorem; vel fit a *proceribus et optimatibus*, sicut hodie septemviri imperatorem eligunt totius imperii Romani nomine, electores ex eo dicti. Prioris electionis exemplum est 2. Sam. 5, v. 1. 1. Paral. 11, v. 1: *Congregatus est omnis Israël ad David in Hebron dicens: Os tuum sumus et caro tua,* v. 2. *heri quoque et nudius tertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras, qui educebas et introducebas Israël, tibi enim dixit Dominus: Tu pasces populum meum et tu eris princeps super eum;* v. 3. *et unxerunt eum ibi in regem.* Tribus enim distinctis vicibus David in regem est unctus, primo a Samuele propheta, secundo ab optimatibus tribus Juda, tertio ab universis tribubus Israëliticis. 1. Reg. 12, v. 20: *Cum audisset omnis Israël, quod reversus esset Jeroboam, miserunt et vocaverunt eum congregatio coetu et constituerunt eum regem super omnem Israël.* 1. Reg. 16, v. 16: *Omnis Israël fecit sibi regem Amri, qui erat princeps militiae super Israël.* Posterioris electionis exempla sunt Jud. 11, v. 5: *Cum pugnarent filii Ammon contra Israël, perrexerunt optimates* זִקְנֵי seniores XIII. 285.
Gilead, ut tollerent in auxilium sui Jephtam dixeruntque ad eum: v. 6. *Veni et esto princeps noster et pugna contra filios Ammon.* 1. Macc. 9, v. 28: *Congregati sunt omnes amici Judae et dixerunt Jonathae*: v. 29. *Ex quo frater tuus Judas defunctus est, vir similis ei non est, qui exeat contra inimicos*, v. 30. *nunc itaque te hodie eligimus esse pro nobis in principem et ducem ad bellandum bellum nostrum.*

1. legitima.

1. Per electionem, quae distinguitur. 1. Ratione causae efficientis.

2. Ratione modi.

85. Ratione *modi* electio distinguitur in eam, quae fit per *suffragia ac vota*, et eam, quae fit per *sortem.* Vota vel sunt *plane libera* in quamcunque personam, vel sunt ad certum quendam ordinem ac certas quasdam personas legibus *restricta.* Sic Deut. 17, v. 15. Deus ipse electionem regis certa quadam lege sancita ad populum Israëliticum determinat. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* Sic in Aurea bulla Carolus IV. imperator sancivit, ne ad imperii Romani fastigium alius evehatur, quam is qui se ex Germano sanguine satum docere possit, quam constitutionem urget elector Moguntinus apud Sleidadanum lib. 1. in historia anni 1519. In aliis etiam provinciis et regnis legibus fundamentalibus cautum reperitur, ne quis ex peregrina gente sceptri fiat particeps, quia fere semper ita fieri videmus, ut provincia omnis regem domesticum quam advenam impensius colat. Apud Polonos contraria plane consuetudo obtinet, ne scilicet indigena, sed peregrinus ad regnum evehatur, ut tollatur inter indigenas

aemulatio et quae ex ea oritur animorum distractio. Sorti an committenda sit electio, dispicietur postea. Hoc loco monemus, electionem magistratus fieri debere, *1. religiose ac sancte*, invocato scilicet Dei auxilio, cujus solius donum est utilis magistratus, dicamus cum Moyse Numer. 27, v. 16: *Praeficiat Dominus Deus Spiritum omnis carnis virum huic coetui, qui coram eo ingrediatur et egrediatur, ne hic populus sit velut oves absque pastore; 2. libere et incorrupte*, ne prensationibus atque ambitu, multo minus largitionibus libertas votorum impediatur; *3. prudenter et circumspecte*, ut eligatur is, qui imperio maxime idoneus et utilis deprehenditur, sicut in Aurea bulla electores jurant, se talem imperatorem electuros.

86. *Successio* fit vel 1. ratione *generationis et*
1. *nativitatis*, quo modo liberi in imperio succedunt parentibus; 2. vel *ratione agnationis*, quo modo deficientibus liberis legitimis proximi agnati succedunt; 3. vel ratione *desponsationis* in connubiis, quo modo ex jure conjugii quibusdam imperium obvenit; 4. vel ratione *emtionis*, per quam pecuniae interventu aliquis ditionem sibi acquirit (ad quam pertinet *oppignoratio*, quae est species alienationis lib. 72. de R. I.); 5. vel ratione *permutationis*, qua quis contractu aliquo permutationis mediante imperium consequitur; 6. vel ratione *donationis*, quae est inter vivos, vel denique 7. ratione *testamentariae dispositionis*, per quam jure testamentario alicui imperium obtingit. Exempla primae speciei in sacris occurrunt longe plurima, reliquarum vero non item. Salomoni succedit filius Roboam 1. Reg. 11, v. 43. Roboamo succedit filius Abiam in regno Juda 1. Reg. 14, v. 31. Abiae succedit Asa 1. Reg. 15, v. 8. Asae succedit Josaphat v. 24. etc. Congruit vero juri naturali liberorum in regnis successio, cum enim ratio naturalis quasi tacita quaedam lex liberis hereditatem parentum addicat l. cum ratio 7. ff. de bon. damn. utique etiam imperia jure naturali ad ipsos descendunt, nisi scilicet obstent leges imperii fundamentales et certa quaedam pacta, quibus liberorum in imperio successio prohibetur. Exempla secundae speciei ex historiis sunt obvia. Sic in Aurea bulla Caroli IV. statuitur, ut *electori defuncto non exstantibus liberis masculis legitimis succedat frater natu major.* Ad hanc successionis speciem pertinent *pacta gentilia* in illustribus familiis, per quae constituitur, ut alterius stirpe exstincta ad alterum principatus certa successionis lege perveniat, de quorum aequitate et utilitate disserunt
86. jurisconsulti Knichen de jure Sax. verb. electorum cap. 2. num. 78. Reusnerus vol. 1. consil. 7. num. 54. tale pactum inter duces Saxoniae et landgravios Hassiae initum fuit ann. 1268. confirmatum ab imperatore Rudolpho I. quibus postea accessit domus Brandeburgica. Pertinent etiam ad hanc successionis speciem tutores, qui illustrium personarum liberis vel testamento, vel legis dispositione dari consueverunt, qui tutorio nomine terras ipsorum, donec ad justam aetatem ipsi pervenerint, administrant. Sic in Aurea bulla statuitur, quod proximus agnatus debeat esse futuri electoris tutor, donec ad annum aetatis 18. perveniat. *Jojada sacerdos Joas regem constituit, cum esset septem annorum* 2. Reg. 11, v. 21. procul dubio igitur tutoris partes sustinuit, donec rex adultior factus imperii habenas capesseret. Exempla tertiae speciei in sacris haud occurrunt, nisi quis eo referre velit, quod Adonias petit, Abisag Sunamitidem Davidis viduam sibi uxorem dari, ut hac ratione occulte aditum sibi ad regnum paret, quod probe intelligens rex Salomon ad Bethsabeam pro ipso intercedentem dicit 1. Reg. 2, v. 22: *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniae? postula ei et regnum.* Nititur hic succedendi modus ex jure connubii lege matrimonii divinitus sancita, quod conjuges non sint duo, sed *una caro* Gen. 2, v. 24. Matth. 19, v. 5. Justinus lib. 1. de Dario scribit: *Principio regni Cyri regis filiam, regalibus nuptiis regnum firmaturus, in matrimonium recepit, ut non tam in extraneum translatum quam in familiam Cyri reversum videretur.* De domo Austriaca constat, quod per connubia multas sibi acquisiverit provincias, Maximilianus I. ducta in uxorem Maria Caroli Burgundiae ducis bellicosi filia Belgium sortitus est; Philippus Maximiliani I. filius ducta Johanna regis Ferdinandi filia universam acquisivit Hispaniam; Albertus archidux Isabellae connubio multas Belgii provincias sibi pignoravit. Exempla quartae speciei in profanis historiis obvia sunt, sed in sacris vix aliquod occurret. Exemplum quintae speciei esse potest, quod *Salomon regi Hiram dederit viginti oppida in terra Galilaeae* 1. Reg. 9, v, 11. ut scilicet rex Hiramus ex illis oppidis proventus annuos acciperet, donec sumtus compensarentur, quia rex *dederat ipsi ligna cedrina et abiegna et aurum juxta omne quod voluerat, ita ut summa auri ad centum viginti talenta exsurgeret* v. 14. Exemplum sextae speciei commemorat Theodoricus a Niem lib. 2. histor. cap. 25. quod princeps Umbertus anno 1349. regi Galliae donaverit *Delphinatum* ea lege, ut regis filius natu maximus Delphinus diceretur. Eodem jure donationis pontifex Romanus Italiam sibi vendicat. Exemplum septimae speciei esse potest, quod David rex praeteritis filiis reliquis natu majoribus filium suum *Salomonem* testamentaria quadam dispositione regem instituit 1. Reg. 1, v. 13. Justinus lib. 36. refert, *Attalum regem Pergami ditissimum testamento heredem scripsisse populum Romanum.* Eutropius lib. 6. histor. *Nicomedes Bithyniae rex moriens populum Romanum fecit heredem.* Quidam successionem sic distinguit, quod sit vel *hereditatis*, vel *ordinis;* illa manet penes certam familiam, quo modo filius succedit patri, frater fratri, haec penes certos collegas, quo modo in academiis rector succedit rectori.

87. *Occupatio justa* fit per *bellum justum* ac legitimum. Est enim juris naturalis, ut *quodcunque ex hostibus captum dominio victoris subjiciatur* l. naturalem 5. §. fin l. adeo quidem 8. in princ. et l. transfugam 51. ff. de acquir. rer. dom. Hoc jure

3. Per occupationem.

Israëlitae occupabant terram Canaan divinitus sibi promissam, ut constat ex libro Josuae, ac Deus ipse praescribit populo suo, quo jure cum hostibus belligerari debeat, Deuter. 20, v. 10. Hoc jure Romani amplissima regna et potentissimas provincias obtinuerunt.

2. Illegitima. 88. *Modi illiciti ac illegitimi*, quibus imperium acquiritur, itidem revocari possunt ad tria princi-
XIII. 287. palia capita, *occupationem scilicet violentam*, *invasionem fraudulentam et acquisitionem per largitionem*. Prior species utitur pelle leonina, posteriores duae vulpina. Occupatio violenta fit per tyrannicam aliorum oppressionem ac bellum illegitimum. Ea ratione occupavit imperium Nimrodus *fortis venator* ex eo dictus Genes. 10, v. 8. Abimelech caede septuaginta fratrum suorum imperium suum est auspicatus Jud. 9, v. 5. cujus exemplum hodie sequuntur imperatores Turcici. Invasio fraudulenta fit per occultas technas et solicitationes animorum. Exemplum illustre proponitur in Absolone 2. Sam. 15, v. 2: *Mane consurgens Absolon stabat juxta introitum portae in via et omnem virum, qui habebat litem, ut veniret ad regis judicium, vocabat Absolon ad se et dicebat*: v. 3. *ecce res tuae bonae sunt et planae, sed non est, qui te audiat. Qua ratione furatus est corda virorum in Israël.* v. 6. *Mittens etiam exploratores in universas tribus Israël subornavit quosdam, qui audito buccinae clangore exclamarent: Regnavit Absolon in Hebron.* Per largitiones multa occupantur imperia, Justinus libr. 1. de Semiramide commemorat, quod *regnum fraude acquisitum largitionibus confirmaverit.* Post mortem Pertinacis Romani imperatoris emebant imperium Sulpitius et Julianus factis contra se mutuis licitationibus atque auctione paulatim ab iis facta eo perventum, ut singulis militibus vicena sestertia sese daturos promitterent. Dio Cassius lib. 73. pag. 843. Sed de talibus imperiorum licitatoribus ac emtoribus recte dicit Alexander Severus apud Aelium Lampridium in ipsius vita: *Necesse est, ut qui honorem juris et gladii emit, vendat, et ego non patiar mercatores potestatum, quos si patior, damnare non possum.*

Quaestiones de modis acquirendi magistratum. 1. Penes quem sit jus eligendi. 89. De modis acquirendi magistratum quaeritur 1. *Penes quem sit jus eligendi magistratum?* Respondemus: Distinguendum inter imperium constituendum et constitutum. In imperio constituendo jus ac potestas constituendi sibi magistratum jure naturali et gentium est penes populum, ut colligitur ex l. 5. hoc jure, ibi, *discretae gentes, regna condita*, etc. Instit. de justit. et jure. Cum enim populus imperii commoda sentiat ejusque onera perferre cogatur, ideo aequum est, ut penes ipsum sit potestas eligendi, cui parere velit. Nec hoc a jure divino discrepat, sed ab eo potius confirmatur, sic namque populum Israëliticum alloquitur Dominus Deuter. 17, v. 15: *Eum constitues regem, quem Dominus tuus elegerit.* 1. Sam. 8, v. 19. ad Samuelem dicit populus: *Rex erit super nos.* Herodot. lib. 1: *Reges primum a populis electi sunt.* Ex quo principio recte deducitur hoc theorema. Quamvis principes et subditi sint ex numero τῶν πρός τι, quae se mutuo ponunt ac tollunt in formali consideratione, tamen materialiter naturae et temporis ratione priores sunt subditi quam principes, neque enim principes constituerunt sibi subditos (loquimur autem de principibus populi suffragio electis, non de tyrannis, violentis regnorum occupatoribus), sed subditi constituerunt sibi principes, ergo principes sunt propter subditos et commodis subditorum servire debent, non autem subditi propter principes, quasi libidini ipsorum sint expositi. Stephanus Brutus q. 3. de vindic. *Princeps summus est jurejurando velut officiarius reipublicae obstrictus ac tota republica seu regno minor*, inquit Plinius in paneg. ad Trajan. Notandum tamen circa hujus quaestionis decisionem, quod consensus populi in electione magistratus sit duplex, *tacitus et expressus*. Quandoque enim proceres, optimates et seniores nomine totius populi eligunt, quibus vel lege imperii fundamentali, vel consuetudine, vel quadam delegatione hasce partes eligendi populus committit, proinde quidquid illi agunt, id totus populus egisse recte dicitur. Sic 1. Sam. 8, v. 4. *seniores* ex tribubus Israëliticis venientes ad Samuelem exposcunt regem, quae postulatio regis v. 7. *toti populo* tribuitur. In imperio jam constituto jus ac potestas constituendi inferiores magistratus est penes summum
magistratum, et quidem vel ipsum *solum*, vel etiam *populi consensum*, prout leges et mores cujusque provinciae requirunt. XIII. 286

2. An electio, an successio praeferenda? 90. Quaeritur. 2. *An electio, an successio sit praeferenda?* Pro electione haec fere afferri solent argumenta. 1. Jus naturae requirit, ut dignior ac praestantior imperet, eum vero non successio, sed electio monstrat. *Nasci et generari a principibus fortuitum, nec ultra aestimatur*, inquit Tacitus l. 1. histor. In successione contra quemcunque et cujuscunque ingenii contigerit, admittere cogimur. Quid Cambysen boni patris degenerem filium imperio praefecit? successio. Quid Commodo imperatori minime omnium commodo, optimi illius M. Antonini philosophi filio, fasces detulit? successio. 2. *Virtus semper certior ductrix est quam natura*, quae nulla stirpis vel generis habita ratione dona ad imperium requisita distribuit, *electio autem fit secundum virtutem*. Casus libr. 3. sphaer. civ. c. 11. q. 2. 3. Electio ex praestantissimorum sive optimatum numero multos ad virtutis studium accendit et impellit, ut tacita quadam spe certatim peragendo illa, quae futuro principe digna sunt, ad principatum contendant, Meland. in idea polit. pag. 69. 4. Antiquior acquirendi imperii modus est electio quam successio, neque enim potuit esse successio nisi in locum ejus, qui electus. Jam vero antiquiora magis ad primae originis sinceritatem accedunt, τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον, inquit Philosophus 1. metaph. 3. 5. In electione minus periclitatur reipublicae libertas, plus benevolentiae in subditos electus obtinet, facilius moneri ac moveri potest, *imperaturus ergo*

omnibus eligi debet ex omnibus, Plinius in Panegyr. ad Trajan. 6. *Qui bene imperare cupit, paruerit aliquando necesse est*, Cicero lib. 3. de legib. at qui in purpura natus, in deliciis educatus aetatem fuit, nec alterius imperium expertus, unde is sciet, quomodo erga principes affecti sint subditi et quid sibi ab iis fieri velint? 7. In aulis principum parentes in varias imperii curas distracti ad rectam liberorum educationem sese convertere nequeunt, ex quo fit, ut liberi saepius negligantur et ad rempublicam capessendam minus idonei fiant. Pro successione haec afferunt, quibus ejus praerogativam stabiliunt. 1. *Minore discrimine princeps sumitur quam quaeritur*, Tacitus lib. ?. histor. majores enim in electione turbae, conspirationes crebriores, cum *natura mortalium sit imperii avida*, Salustius in Jugurtha. 2. Solent homines libentius regi nato quam facto parere, ejus enim virilis aetas vix est in admiratione, cujus pueritia et juventus fuit familiariter plebejis nota, contra succedentium, utpote ad imperium natorum, major est auctoritas, jam vero in obedientia totum dominationis bonum consistit. 3. Ex interregnis magni solent oboriri metus vel certe pericula, quae successor certus facile discutiet. Pravae aliorum spes cohibentur, si successor non in incerto. 4. Ex humili et obscuro loco ad imperium per electionem provecti adepto principatu animos attollunt ac insolentiores redduntur, unde negligentius imperium administrant, Middendorpius in comm. ad q. 71. Ptolem. Philad. f. 128. vel etiam omnem operam navant, ut liberis principatum relinquant et civium libertatem opprimant. 5. Si rex aut princeps noverit, filium sibi in imperio heredem futurum, tunc ipsa natura impellente omnem movet lapidem, ut filium a primis incunabulis omni cura ac diligentia ad imperium formet, et omnia in regno tanquam propria curet. 6. Successionis usus apud multos populos obtinet, ut natura ipsa tacito quodam instinctu ad successionem praeferendam invitare videatur. Plura utrinque argumenta proferunt Bodinus lib. 6. de repub. cap. 5. Gregorius Tolosanus libr. 7. de repub. cap. 4. Lipsius lib. 2. polit. cap. 4. Warem. ab Ehrenberg in orat. de hac quaestione habita. Pro conciliatione sententiarum quidam distinguunt hoc modo, quod *electio sit tutior*, *successio* propter ingenitum subditorum erga regiam prolem amorem *stabilior*. Alii distinguunt inter *imperium constituendum et constitutum*. Nobis sic placet progredi:
II. 280. si *in hypothesi* quaeratur, an in hoc vel illo regno praeferenda sit electio, an successio, simplicissime respondetur, quod leges fundamentales cujusque regni sint unice respiciendae et earum norma imperii constitutione observanda, nec praetextu speciosarum quarundam rationum modus constituendi magistratum legibus definitus temere mutandus. Si *in thesi* et in ideali absque abstractiva consideratione quaeratur, uter modus praeferendus sit, primo omnium praesupponendum, quod uterque sit licitus ac legitimus, uterque exemplis sacrae historiae in populo Israëlitico comprobatus; uter vero praeferri debeat, in genere haud facile definiri potest. 1. Electio *libertati* reipublicae convenientior, successio ejusdem *securitati*. 2. Distinguendum est inter magistratum *summum et inferiores*, in illo praeferenda videtur successio, in his vero electio. 3. Distinguendum inter electionem plane *liberam et restrictam*, itemque inter successionem *nudam et cum electione quadam complicatam*, quae posterior priori videtur praeferenda, quemadmodum monarchiam aristocratia temperatam simplici monarchiae plerique praeferunt. Sic de Azaria dicitur, quod *universus populus Judae ipsum elegerit et regem eum in locum parentis Amasiae constituerit*, 2. Reg. 14, v. 21. ubi successio et electio quasi complicantur. Idem animadvertitur in Rehoboamo Salomonis filio et successore 1. Reg. 12, v. 1. 2. Paral. 10, v. 1. quem itidem universus populus regem sibi constituit, quamvis jure hereditatis ipsi regnum deberetur. 2. Paral. 26, v. 1: *Omnis populus Juda Oziam annorum sedecim constituit regem pro Amasia patre ipsius.* Sic ergo etiam in regno hereditario potest esse successio, quando subditis vel proceribus optio datur ex pluribus ejusdem regis filiis eligere eum, qui reliquis prudentia et virtute antecellit quique imperio vel maxime dignus est; quandoque rex ipse consensu procerum ac totius populi aliquem ex filiis suis regno praeficit, quale quid in Salomonis successione animadvertitur 1. Reg. 1, v. 33. 1. Par. 28, v. 1. talis regis praedecessoris et populi consensus in eligendo successore ac quaedam quasi successionis et electionis complicatio mirifice confirmat ac stabilit novi regis imperium.

91. Quaeritur 3. *An electio, quae fit per sortem, probanda sit?* Qui negant, hisce fere utuntur argumentis: 1. Electio magistratus est res omnium maxima in republica, in qua error minimus mala affert longe plurima, sortis igitur arbitrio tantum negotium nequaquam committendum. Aristoteles lib. 1. ethic. cap. 9. Euripides referente Plutarcho κλῆρον vocabat τῆς τύχης παῖδα. Tentare fortunam, ubi consilio locus, temerarium. 2. Quod non potest dignum imperio ab indigno discernere, illud nec debet decernere. At sors inter Neronem et Tiberium discernere nequit. 3. Experientia comprobatum, sorte quandoque electum esse eum, qui minime omnium ad reipublicae gubernacula capessenda idoneus. 4. Electio magistratus per sortem multis fraudibus et imposturis est obnoxia. Exemplum refert Athenaeus lib. 9. de sacerdotibus Isidis. Qui sortis arbitrium urgent, proferunt haec fundamenta: 1. Sortes peculiari Dei providentia gubernantur Prov. 16, v. 33. Augustinus in Psalm. 30: *Sors est in dubitatione humana divinae indicium voluntatis*; qui ergo per sortem eligitur, divino judicio censetur electus, 2. Per sortem tolluntur semina discordiarum inter cives metuenda in magistratus electione. 3. *Saul* primus Israëlitarum rex sorte electus fuit 1. Sam. 10, v. 21. 4. Justinus lib. 13. hist. de successoribus Alexandri Magni refert, quod sorte diviserint regna et provincias; Suetonius in Vespas. cap. 2. memorat,

3. An electio per sortem probanda?

quod Vespasianus quaestor Cretam et Cyrenas provinciam sorte tulerit. Distinguendum est *1. inter collationem magistratus ordinariam et extraordinariam.* Ordinarie non committenda est magistratus electio sorti, quod probant argumenta priore loco adducta, nec potest contrarium elici ex argumentis posteriore loco allatis, quia exemplum Saulis est speciale, in quo divinus instinctus et prophetica
XIII. 290. auctoritas concurrit, dictum Salomonis in articulo proxime praecedente de ministerio ecclesiastico fuit expositum. Extraordinarie vero per sortem magistratus constitui potest, quando scililet duo aut plures de summa rerum decertant, nec sine reipublicae damno gravissimo unus per libera suffragia eligi potest, vel quando duo aut plures virtute, genere, potentia et aliis ad imperium requisitis pares magistratum ambiunt, ut electio dignissimum vix queat invenire, hac enim ratione contemtus suspicio praecluditur. *2. Inter formas rerum publicarum.* In democratia, quae civium aequalitatem spectat, sortibus locus dari potest, in aristocratia vero ac monarchia, quae optimi cujusque electionem spectant, non item. *3. Inter sortes ab omni fraude remotas et eas, quae cum fraudibus et imposturis sint conjunctae,* qualis fuit hinnitus equi, quo Darius electus est apud Herodotum in Thalia. Priores in certis casibus probandae, posteriores detestandae.

4. An primogenitus in successione praeferendus?

92. Quaeritur 4. *An probanda sit lex vel consuetudo, qua in successione paterni et aviti imperii primogenitus excludit reliquos fratres?* Injustum hoc videri poterat, cum natura fratres omnes fecerit aequales, cumque discordiae inter fratres hac ratione occasio praebeatur. Sed contra 1. Deus ipse praerogativas primogenitorum data lege confirmavit. Deuter 21, v. 17. primogenito jubentur ex hereditate *cuncta duplicia* dari, cum sit principium fortitudinis. 2. Ante promulgationem legis Mosaicae primogenitis et regnum et sacerdotium deferebatur. Gen. 49, v. 3. de Rubeno primogenito dicit Jacobus patriarcha, quod sit *prior in donis, major in imperio,* unde etiam jus primogeniturae maximi aestimabatur, Gen. 25, v. 32. c. 27, v. 29: *Esto dominus fratrum tuorum et filii matris tuae incurventur ante te.* 3. Post constitutam Israëliticam politiam et legem promulgatam primogenitus ordinarie succedebat in imperio. Josaphat regnum tradit filio suo Joramo, *eo quod esset primogenitus*, 2. Paralipom. 21, v. 3. inde de Semri tanquam novum et insolitum commemoratur, quod *cum non esset primogenitus,* tamen pater ejus ipsum constituerit principem, 1. Paral. c. 26, v. 10. 4. Eundem morem etiam apud alios populos obtinuisse colligitur ex cap. 11. Exod. v. 5: *Occidam omne primogenitum a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus,* et ex 2. Reg. 3, v. 27. ubi rex Moab filium suum *primogenitum, qui regnaturus erat pro eo,* obtulisse memoratur. Idem olim observatum fuit apud Spartanos, Cretenses, Macedones atque adhuc hodie observatur apud Hispanos, Gallos, Anglos etc. Inter leges fundamentales regni Gallici haec habetur: *Ut rege mortuo regni hereditas filio ipsius natu maximo deferatur, neque regi vel natu minorem majori anteferre, vel alium successorem sibi instituere liceat.* 5. Interest reipublicae conservari honorem familiarum, nec per divisiones frangi et attenuari vires imperii. At si successio manet penes unum, et familiae dignitas, et imperii robur conservatur. 6. Primogenitus ut aetate, ita quoque auctoritate et prudentia reliquis antecellere judicatur; jam vero aequum est, imperii administrationem commendari digniori. *Jus naturae exigit,* scribit Patritius lib. 9. de regn. et reg. instit tit. 22. *ut maximus natu ex filiis mortuo regi succedat.* De reliquis quaestionibus ad successionem pertinentibus consulantur politici et jurisconsulti. Sic quaerunt, *uter ex duobus regis filiis, quorum alter ante, alter post adeptum a patre regnum natus est, primogenitus et imperii heres sit censendus?* ubi pro eo, quem naturae felicitas et privilegium aetatis primum fecit, pugnant Hotomannus ill. qq. 2. Forsterus tract. de success. libr. 4. cap. ult. n. 36. Cujacius lib. 1. de feud. cap. 11. pro secundo genito vero pugnant Schradius part. 7. cap. 5. num. 37. de feudis, Alciatus ad l. bonae fidei n. 8. ff. depositi. ** Inter Xerxem et Artamenem filios Darii lis ejusmodi orta fuit, ac pro Xerxe ab Artapherne judicatum, qui in regno natus erat, Justinus lib. 2. c. 10. quo etiam inclinat Bartolus in l. cum satis 23. C. de agric. censit. et colon. n. 11. ubi ponit, non esse filium regis, qui natus est ante dignitatem regalem.** Alii XIII. 291.
distinguunt, ut si dignitas regia competat patri ex avito genere, tunc is, qui ante regnum acquisitum natus est, jure primogeniturae gaudeat; sin vero ex causa adventitia dignitatem regiam ipsumque regnum pater adeptus fuerit, tunc filius non ante, sed post natus ut primogenitus admittatur. Alii distinguunt inter statutum, quod simpliciter nominat primogenitum, et quod diserte primogenitum regis nominat, eique regni successionem defert. Vide Hotomannum illustr quaest. quaestion. 2. et Doct. Hunnium jurisconsultum in resolut. juris civilis libro tertio tractat. 1. q. 25. Quaerunt, *an filius primogeniti praeferendus sit patruo suo in successione ex jure primogeniturae?* ubi causam patrui propugnat Cujacius lib. 2. de feud. cap. 11. nepotis vero Tiraq. de jure primog. q. 40. Forsterus de success. l. 2. c. 18. n. 15. Hunnius d. l. q. 26. etc. ** Tractat de hac quaestione Baldus in l. cum in antiquiorib. 19. C. de jur. delib. nu. 11. ac summa ejusdem difficultate ostensa n. 12. concludit, *Apollinis solutione eam indigere.* Eandem quaestionem explicant Hotomannus qq. illust. quaest. 3. Nicolaus de Ubald. de success. descend. n. 69. ** Quaerunt, *an cum primogenitus propter senium vel ex causa alia quacunque minus idoneus sit regno, contra ipsius voluntatem secundogenito deferendum sit imperium?* ubi itidem quidam primogeniti, quidam vero secundogeniti partes tuentur. Gregorius Tolosanus lib. 26. de republ. cap. 6. monet, nec Saulem *ob furorem,*

1. Sam. 16. nec Oziam *propter elephantiasin* 2. Paral. 26. nec Salomonem *ob pueritiam* ab imperio dejectum esse, proinde nec primogenito minus forte idoneo imperium auferendum, sed tutores illi ex proximis agnatis constituendos. Quaerunt, *an legitimatus gaudeat jure primogeniturae*, ubi distinguunt inter primogenitum natura et primogenitum juris dispositione. Item inter legitimatum ex rescripto principis et legitimatum per subsequens matrimonium. Sed de his viderint jurisconsulti.

93. Quaeritur 5. *An magistratus per donationem, venditionem, oppignorationem, permutationem ac testamenti factionem imperium transferre possit?* Respondemus: quando nullae sunt leges fundamentales, quae id prohibeant, et quando absolutam et illimitatam prorsus potestatem magistratus obtinet, tunc suo ut cum re sua hic agere et transfigere potest arbitrio; sed si adsunt *certa pacta*, ac si *restricta* est magistratus *potestas*, tunc non nisi cum procerum ac subditorum consensu tale quid suscipere potest. Princeps enim non diminuere debet imperium, sed augere §. 2. prooem. Institut. jur. nec potest regalia in praejudicium successorum alienare. Hotomannus in quaest. illustr. q. 1. p. 23. Jura regni *ratione proprietatis et dominii* pertinent ad rempublicam seu membra regni, at *ratione usus et administrationis* spectant ad magistratum, Althusius in polit. c, 15. Princeps est veluti tutor et administrator reipublicae, cujus dicitur dominus non quoad proprietatem, sed quoad gubernationem et protectionem. Zoanet. tr. de imp. Rom. n. 179. Inter leges et conditiones, in quas Carolus V. electus imperator juravit, etiam isthaec habetur: *Facultates imperii nec distrahat, nec oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat.* Item *imperii bona, quae forte vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum matrimonium referat;* Sleidanus libr. 1. comm. an. 1519. Inter leges fundamentales regni Gallici, quas recenset Hotomannus lib. 1. de antiquo jure regn. Gall. cap. 23. etiam hae sunt: *Ut regi non sit jus nec filiam adoptare, nec de suo regno vel inter vivos, vel per testamentum disponere, sed in regni successione majorum instituta et antiqua consuetudo servetur. Ne regi jus sit ullam dominii sui partem sine publici consilii auctoritate alienare, quippe quod ei ad tuendam tantam regiam dignitatem utendum fruendum datum est, ut parem in eo potestatem habeat, atque marito in uxoris dote conceditur.* Cranzius l. 2. Daniae cap. 3. postquam commemorasset, quod Unguinum Gothorum regem Haldanus post se regni moderatorem in
292. Dania designarit, Norvegiae Hasmundum filium impuberem relinquens, subjicit: *Novum et antehac incompertum munus testamento datum. Equidem aedes, agros, praedia, vineas et his similia testamento dari audivimus, regnum autem praestare chartae beneficio prodigii loco habitum est.*

94. Atque haec dicta sint de modis acquirendi principatus et regna. Postquam vero vel per electionem, vel per successionem legitime alicui delatum est imperium, tria *consequi* solent: 1. Magistratus juramento se obstringit ad leges imperii fundamentales (quod ipsum in electione quandoque solet praecedere); 2. solennibus ritibus inauguratur et 3. subditi homagium ipsi praestant. Quod ad primum attinet, novum non est, magistratum ac subditos certis legibus et conditionibus invicem pacisci, eademque pacta juramento confirmari, quae cum sint honesta, legibus divinis ac naturali juri consentanea et reipublicae salutem ac libertatem spectantia, nihil quidquam dignitati et auctoritati magistratus detrahunt. 2. Sam. 5, v. 3. 1. Paral. 11, v. 3: *Venerunt omnes seniores Israël ad regem Davidem in Hebron et percussit cum eis rex foedus in Hebron coram Domino.* 2. Reg. 11, v. 17: *Pepigit Jojada sacerdos foedus inter Deum et regem et inter populum, ut esset populus Domini, et inter regem et populum.* 2. Paral. 23, v, 3: *Iniit omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege.* 2. Paral. 34, v. 31: *Rex Josias percutit foedus coram Domino, ut ambularet post eum et custodiret praecepta.* Idem constat ex aliorum populorum et regnorum historiis, Xenophon lib. 8. Cyropaed. describit pactum inter regem Cyrum ac Persas. Imperator hodie promittit et jurat, se leges imperii fundamentales custoditurum, novas inconsultis electoribus non laturum, publicas res publico consilio curaturum, nihil alienaturum vel oppignoraturum ex iis, quae ad imperium pertinent, ecclesiam se defensurum et justitiam administraturum etc. Speculum Saxon. l. 3. art, 54. Sleidanus l. 1. comment. Plures aliarum rerumpublicarum leges fundamentales, in quas reges electi jurant, commemorant Bodinus lib. 1. de republ. c. 8. Stephan. Jun. Brutus de vindiciis contra tyrann. q. 3.

magistratum.

1. Ad leges imperii servandas obligatio.

95. 2. Inauguratio juramentum a magistratu praestitum consequitur, in qua fit solennis confirmatio et quasi renovatio electionis praecedentis. 1. Sam. 11, v. 14: *Dixit Samuel ad populum: Venite, et eamus in Gilgal et innovemus ibi regnum.* v. 15. *et perrexit omnis populus in Gilgal et fecerunt ibi regem Saul coram Domino.* In hac inauguratione variae apud Israëlitas adhiberi consueverant ceremoniae. *1. Unctio* facta per sacerdotem vel prophetam. 1. Sam. 10, v. 1: *Tulit Samuel vasculum olei et effudit super caput Saulis dicens: Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem.* Idem commemoratur de Davide 1. Sam. 16, v. 13. de *Salomone*, quem ungunt Sadoc sacerdos et Nathan propheta 1. Reg. 1, v. 34. de *Jehu*, quem ungit unus ex filiis prophetarum 2. Reg. 9, v. 6. Procul dubio autem ad unctionem adhibitum fuit oleum unctionis sanctum, quod describitur Exod. 30, v. 23. proinde quod *totus populus* quosdam reges dicitur unxisse, id accipiendum συνεκδοχικῶς, quod videlicet per sacerdotes, quibus id competebat, eos unxerit. 2. Sam. 2, v. 4: *Venerunt viri Juda et unxerunt David, ut regnaret super tribum Juda.* 2. Sam. 5, v. 3: *Venerunt omnes seniores Israëlis ad regem David et unxerunt eum in regem super*

2. Solennis inauguratio.

Ritus inaugurationis.

1. In populo Israëlitico.

Israël. 2. Reg. 11, v. 12: *Produxit Jojada filium regis, et fecerunt eum regem et unxerunt eum,* id quod 2. Par. 23, v. 11. sic exponitur: *unxit illum Jojada pontifex et filii ejus.* Denotavit autem haec unctio, quod Spiritus sancti, qui est Spiritus prudentiae et sapientiae, dona magistratui sint necessaria, et quod Deus piis precibus invocatus eadem velit regibus legitime electis conferre, sicut de Saule ac Davide dicitur, quod post factam unctionem *immutati sint in viros alios et Spiritus Domini in*
XIII. 293. *illis sit directus* 1. Sam. 10, v. 6. c. 16, v. 13. In N. T. adhuc hodie illa unctio in imperatoris et regum inauguratione tanquam libera quaedam ceremonia retinetur. *2. Libri legis traditio.* 2. Reg. 11, v. 12: *Jojadas sacerdos producit Joas et posuit super eum diadema et testimonium,* Hebr. הָעֵדוּת Pagn. accipit de *ornamento,* sed rectius accipitur *de libro legis* divinae, quae vulgatissima phrasi dicitur testimonium, Ecclesiast. c. 24. v. 32. liber legis vocatur *testamentum Altissimi,* sicut etiam Lutherus in versione exponit, ideo vulgata versio 2. Par. 23, v. 11. παραφραστικῶς reddidit hoc modo: *Dederunt in manu ejus tenendam legem.* Voluerunt enim regem commonefacere statuti divini, Deut. 17, v. 18: *Postquam sederit rex in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis hujus in volumine accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticae tribus et habebit secum legetque illud omnibus diebus vitae suae* etc. Constitutus enim est magistratus, ut sit legis divinae custos ac vindex. *3. Manuum impositio.* Num. 27, v. 22: *Moyses statuit Josuam coram Eleazaro sacerdote et omni frequentia populi,* v. 23. *et impositis capiti ejus manibus cuncta replicavit, quae praecipit ei Dominus.* Denotavit autem hic ritus, quod persona ad officium illud augustum divinitus sit electa et separata. *4. Coronae ac diadematis collatio.* 2. Sam. 12, v. 30. 1. Paral. 20, v. 2: *Tulit diadema regis Ammonitici de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas preciosissimas, et impositum est super caput David.* In Hebraeo est עֲטֶרֶת corona dicta ex eo, quod undique circumdet caput. 2. Reg. 11, v. 12. 2. Chron. 23, v. 11: *Jojadas pontifex posuit super Joas regem diadema.* In Hebr. est הַנֵּזֶר *cidaris, corona,* a rad. נזר separavit, est enim insigne regis vel summi sacerdotis, quo ipsius dignitas, per quam ab aliis separatur, fuit significata. Targum vertit כְּלִילָא *vestes regias.* Diadema illud capiti impositum significabat etiam pios magistratus esse sub divina protectione. Psalm. 21, v. 4: *Imponis capiti regis coronam auream.* *5. In thronum regalem collocatio.* 1. Reg. 1, v. 35: *Praecipit David, ut Salomonem ducant in Jerusalem et collocent eum in solium regale,* in signum regni ipsi traditi. 2. Reg. 11, v. 19: *Et sedit Joas super thronum regum,* quod 2. Paral. 23, v. 20. sit exponitur: *Et collocaverunt eum in solio regali.* *6. Vestium suppositio.* 2. Reg. 9, v. 13. cum principes exercitus intelligerent, Jehu divinitus esse declaratum regem, *festinaverunt, et unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis.* Erat haec militaris et extemporanea pompa, effecerunt quale in illa festinatione fieri poterat tribunal et in signum subjectionis instraverunt illud vestibus suis loco ornamentorum. *7. In equum et currum regium impositio.* 1. Reg. 1, v. 33. praecipit David servis suis, ut in solenni regis Salomonis inauguratione ipsum *imponant super mulam suam.* Huc referri potest, quod Josephus Aepypti praefectus a Pharaone constitutus *adscendere jubetur super currum a regio secundum,* non numeri, sed ordinis et dignitatis respectu sic dictum. Genes. 41, v. 43. *8. Ornamentorum regiorum traditio.* De Salomone dicit Christus Matth. 6, v. 29. quod *Salomon in omni sua gloria non fuerit sic coopertus, sicut unum ex liliis agri,* ex quo intelligitur, splendido ac regali vestitu ipsum esse usum. Gen. 41, v: 42: *Tulit rex Pharao annulum de manu sua et dedit eum in manu Josephi vestivitque eum stola byssina et collo torquem aureum circumposuit;* ubi tria ornamenta regia Josepho afferuntur, annulus, stola byssina et torques aureus. *9. Solennis proclamatio.* Gen. 41, v. 43. clamarunt coram Josepho *pater patriae.* Huc pertinet, quod tuba cecinerint in coronatione regis, ut omnibus ea innotescere posset. 1. Reg. 1, v. 39. *10. Publica laetitia et acclamatio.* 1. Sam. 10, v. 24: *Et dixit Samuel ad omnem populum: Videtis, quem Dominus eligit, et clamavit omnis populus et ait: Vivat rex.* c. 11, v. 15. cum in Gilgal Saul in regem coronaretur, *laetatus est ibi Saul et cuncti viri Israël valde.* 1. Reg. 1, v. 39: *Dixit omnis populus: Vivat rex Salomon* v. 40. *et adscendit universa multitudo post eum et populus canentium tibiis et laetantium gau-* XI *dio magno et findebatur terra a clamore eorum.* 1. Paral. 30, v. 22. cum Salomon secundo ungeretur Israëlitae *comederunt et biberunt coram Domino in die illo cum grandi laetitia.* 2. Reg. 11, v. 12: *Fecerunt Joas regem et plaudentes manu dixerunt: Vivat rex.*

96. Hi fuere praecipui ritus in regum Israëliticorum inauguratione adhiberi soliti, quibus similes etiam apud alios populus occurrunt, quos recenset Alexander ab Alexandr. lib. 1. genial. dier. c. 28. Petrus Gregor. lib. 6. de republ. cap. 20. et lib. 8. cap. 2. Bodinus lib. 1. de repub. c. 8. p. 130. *1. Diadematis* regibus collati apud antiquissimos scriptores fit mentio, erat autem fascia candida, quae capiti regis circumligabatur, a διαδέω, quod est *circumligo.* Justinus lib. 15. hist. p. 122. Esth. 2, v. 17. Ahasverus Estheri reginae imponit *diadema et facit eam regnare loco Vasthi.* 1. Macc. 1, v. 9: *Post mortem Alexandri obtinuerunt servi ejus regnum unusquisque in loco suo,* v. 10. *et omnes imposuerunt sibi diademata.* 1. Macc. 6, v. 15. Antiochus proregem et filii tutorem constituens Philippum *dedit ei diadema et stolam suam et annulum.* 1. Macc. 11, v. 13. Ptolemaeus *imposuit duo diademata capiti suo,* nimirum propter duo regna Aegypti et Asiae. Egesippus lib. 2. de bell. Judaic.

cap. 1: *Quid enim sella aurea albatumque diadema nisi regni forent insignia?* Silius libr. 19. de Juba Numidiae rege:

. . . . . Regnique insigne vetusti
Gestat Juba decus, cinguntur tempora vitta
Albenti.

Inter Romanos principes primus *Aurelianus* diadema usurpavit, referente Aurelio Victor. in ipsius vita. Valerius Maximus libr. 7. memorabil. capite 11. refert, quendam subtilis judicii regem traditum sibi diadema, priusquam capiti imponeret, considerasse ac dixisse: *O nobilem magis quam felicem pannum!* cum quo convenit illud Poetae:

Si scires quanti plenum diadema pericli,
Malles Sisyphii ponderis esse reus.

Apud Persas diadema regale vocabatur *cidaris.* Curtius libr. 3. histor.: *Cidarim Persae regium capitis vocabant insigne, hoc caerulea fascia albo distincta circuibat.* Item tiara. Brissonius libro 1. de regn. Persico pag. 30: *Tiara regum Persicorum fuit propria.* Marcellinus libro 29. refert, Saporem regem Persarum aureum capitis arietini figmentum interstructum lapillis pro diademate gestasse. 2. *Purpurea vestis* regum olim erat insigne, quae apud quosdam vocatur *trabea.* l. unic. C. de vestib. holos. et aur. Valentinianus constituit, *ne quis vestes auratas gerat praeter principem, ne quis purpuram gestet.* Lactantius libr. 4. institut. cap. 7. colore hujus vestis rubicundo sanguinis imperium et *necis inferendae potestatem* notari monet. Ad purpureas vestes etiam refertur *paludamentum* cocco purpuraque et auro distinctum, quo consules ac praetores in provinciam exituri induebantur. Florus libr. 1. histor. cap. 5: *Tarquinius Priscus oriundus Corintho Tusciae populos frequentibus armis subegit, inde fasces, trabeae, curules, annuli, phalerae, paludamenta, praetexta, inde quod aurato curru quatuor equis triumphatur.* 3. *Sceptra* a regibus jam olim gestari vel illis praeferri solita. Cicero pro Sest.: *Sedens cum purpura et sceptro et insignibus illis regiis*; Aegyptiorum et Aethiopum reges sceptrum gestabant, in cujus summo figura ciconiae sculpta erat, in imo vero hippopotamus, quo symbolo admonebantur, ut essent pietati dediti et ab omni violentia alieni. Sceptrorum loco antiquissimis regibus fuerunt *hastae.* Justinus lib, 43. hist. p. 247: *Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci sceptra dixere.* Consulibus Romanis praeferebantur *fasces*, qui erant fasciculus virgarum, vel ut aliae volunt duae perticae cum securi; per *virgas* significare voluerunt, corrigendum esse a magistratu, quod mutari possit, per *securim* vero abscindendum esse, quod mutari nequeat, ut exponit Plutarchus in problemat. Alii
295. existimant, significatum esse, quod ira magistratus non debeat esse in praecipiti, solutio enim fascium, quae paulatim fit, requirit aliquam moram et cunctationem. Veteres magistratui recens electo *faces ardentes* praetulerunt, Paradinus in symb. heroic. *Lux publica principis ignes* p. 201. ut ceteris splendore virtutis et aequitatis se praelucere debere noverit. 4. Solitae quoque fuere in coronatione regum tales adhiberi ceremoniae, quae de rerum humanarum fragilitate et vitae humanae brevitate ipsos admonerent eorumque animos ad moderationem flecterent. Refert Isidorus, Constantinopoli fuisse morem, ut quo die imperator coronam caesaream susciperet, eum sedentem in sublimi throno accederet caementarius proponens illi aliquot lapidum genera, *ut ex his unum eligeret, ex quo sibi tumulum fabricari vellet.* In Romanorum pontificum inauguratione, interea dum de more sacellum Gregorii declaratus praetergreditur, praeit ipsum ceremoniarum magister gestans arundines seu cannas duas, quarum alteri sursum apposita est *candela ardens*, quam alteri cannae, cui superpositae sunt *stuppae*, adhibet incenditque dicens: *Pater sancte sic transit gloria mundi*, quod ipsum etiam tertio iterat, Camerarius libr. 1. operar. succisiv. cap. 12. Quo pertinet, quod Platina commemorat, pontifices ipso coronationis die *sellae stercorariae* imponi, ut de humanarum rerum conditione admoneantur. Zonaras libr. 2. annal. refert, quod si quando alicui ex ducibus vel imperatoribus Romanis ob res feliciter gestas et hostes devictos triumphus a senatu decretus esset isque in curru triumphali maxima pompa urbem ingrederetur, eodem curru carnifex minister publicus vectus fuerit, qui pone coronam auream gemmis distinctam sustinens eum admonebat, ut respiceret, hoc est ut reliquum vitae tempus provideret nec eo honore elatus superbiret, appensam quoque fuisse currui nolam et flagellum, quibus notabatur, ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut flagris caederetur et capite damnaretur. Baptista Campofulgosus lib. 7. cap. 2. memorat, Saladinum Aegypti sultanum in solenni processione obsoletam tunicam sibi praeferri et per praeconem clamari jussisse: *Tantum Saladinus Asiae domitor ex hoc mundo secum reportat.*

3. Homagii praestatio.

97. 3. Promissio obedientiae et fidelitatis, quam subditi mediante jurejurando magistratui praestant, appellatur homagium, cujus usus etiam in Israëlitica politia occurrit. Jos. 1, v. 16. principes totius populi nomine respondent Josuae: *Omnia, quae praecepisti nobis, faciemus et quocunque miseris nos, ibimus.* v. 17. *sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita et obediemus tibi.* v. 18. *Qui rebellarit ori tuo et non obedierit cunctis sermonibus, quos praeceperis ei, moriatur.* 1. Paral. 29, v. 24: *Universi principes et heroes et cuncti filii regis David dederunt manum et subjecti fuerunt regi Salomoni*, inde est quod subditi vocantur regis *servi.* 1. Sam. 8, v. 17. 1. Reg. 12, v. 4. 2. Reg. 10, v. 5. etc. ac magistratus vocatur ipsorum *dominus.* 2. Sam. 2, v. 7. Nehem. 9, v. 37. In hisce subditorum juramentis, si non semper expresse, tamen tacite excepta intelligitur obedientia Deo debita, *oportet enim Deo magis obedire quam hominibus* Act. 5, v. 29. atque ita danda sunt *caesari, quae sunt caesaris*, ut dentur etiam *Deo, quae sunt Dei* Matth. 22, v. 21. qua de re infra pluribus dicetur.

CAPUT IV.

DE CAUSA MATERIALI MAGISTRATUS.

Causa materialis sive subjectum recipiens magistratus XIII. 296. sunt

98. *Causae materialis* sive *subjecti recipientis* vicem obtinent *personae*, quae magistratu funguntur, ubi primo omnium notandum, quod Deus ut ecclesiastico ministerio, ita quoque regimini politico non angelos, sed *homines* praefectos esse voluit, sic enim habet effatum divinum, in quo prima magistratus institutio proponitur, Gen. 9, v. 6: *Qui sanguinem humanum effuderit, ejus sanguis effundetur per hominem*, et Petrus huc respiciens 1. epist. 2, v. 13. magistratum vocat *humanam ordinationem*. Causae, propter quas Deus ab hominibus hoc officium administrari voluerit, *κατ᾽ ἀναλογίαν* colligi possunt ex illis, quae in praecedente tract. de ministerio diximus cap. 4. sect. 1. Voluit enim Deus etiam hac in parte suam ostendere, 1. tum *φιλανθρωπίαν*, dum ex hominibus quosdam eligit, quibus nomen suum communicat, ut vocentur dii; 2. tum potentiam, dum adversus diaboli et seditiosorum hominum furores hanc *ἀνθρωπίνην κτίσιν* tuetur; 3. voluit insuper magistratuum animos ad moderationem flectere, ut se ac subditos ex eodem luto factos esse cogitarent; ac 4. *εὐπειθείαν* in subditorum animis per hanc naturae cognationem excitare atque alere, cum enim magistratus homines esse sciamus, humanas infirmitates illis condonemus, sicut Fridericus II. imperator dicere solitus fuit, quod *gratiorem praelaturam faciat identitas speciei;* 5. denique nostram probare et exercere voluit obedientiam deorum terrestrium loco habere jubens eos, qui naturae societate nobis sunt conjuncti.

Certi homines, ubi quaeritur. 1. Cur Deus ab hominibus officium magistratus geri voluerit.

2. Quales sint ad magistratum eligendi? 1. Deum timentes.

99. *Exemplar et norma*, ad quam in electione magistratuum respiciendum, ut sciamus, quales eligi debeant, proponitur a Jethrone Moysis socero Exod. 18, v. 21: *Provide de omni plebe viros strenuos et timentes Deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis millenarios, centuriones, quinquagenarios et decuriones, qui judicent populum omni tempore;* et a Moyse Deut. 1, v. 13: *Date ex vobis viros sapientes et intelligentes et quorum conversatio sit nota et probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes*, ex quibus locis Rabini colligunt מִדּוֹת *proprietates judicum.* Primo requiritur, ut personae ad magistratum gerendum eligendae sint יִרְאֵי אֱלֹהִים *timentes Deum*, idem requiritur Deut. 17, v. 19. Psalm. 2, v. 11. 2. Paral. 19, v. 7. idque merito primo omnium in magistratu spectandum, 1. quia *timor Domini initium sapientiae* Psalm. 111, v. 10. Prov. 1, v. 7. Ecclesiast. 1, v. 16. jam vero absque sapientia moderatrice ac directrice imperia gubernari nequeunt. 2. Quia reges, principes et omnes magistratus sunt *Dei* in terris *vicarii* ac ministri, Sapient. 6, v. 5. Quemadmodum igitur a ministro requiritur, ut ad voluntatem ac nutum domini sui unice respiciat, Psalm. 123, v. 2. ita quoque magistratus ex sincero Dei timore omnia gerat sibique rationem officii aliquando dandam semper cogitet. 3. Sublato Dei timore abusus potestatis consequi solet, turpissimus, ac sine Dei timore potestas est velut gladius in manu furiosi, ex quo tandem evenit illud Sap. 6, v. 9: *Potentes potenter tormenta patientur.* 4. Timor Domini est causae omnis felicitatis ac benedictionis Eccles. 1, v. 13. stabilis potentiae Psalm. 112, v. 2. et singularis eminentiae Eccl. 25, v. 14. ut ergo in imperio vigeat tranquillitas et felicitas, requiritur in magistratu timor Domini. Est autem timere Deum agnoscere ex verbo ipsius potentiam et justitiam, quod sit *παντεπόπτης* et judex omnium, referenter se illi subjicere et mandatis ejus sese obsequentem praebere, ut infra plenius dicetur.

100. 2. Ut sint viri אַנְשֵׁי חַיִל *viri virtutis sive fortes* ac strenui. LXX interpretes reddiderunt *δυνατοί*, qui sint animo praesente et imperterrito, *οὐ* 2. F
μικρόψυχοι, ἀλλὰ μεγαλόψυχοι, sicut de Severo imperatore commemoratur, quod *res peragendas sedulo curarit, ea vero, quae de ipso vulgo dicebantur, contemserit.* Hoc animi robur in magistratu requiritur, 1. quia administratio imperii multis obnoxia est calumniis, quas alto animo oportet despicere, sicut Alexander Magnus dicebat: *Regium est benefacere et male audire.* Generosus leo non curat latratus canum minorum. 1. Sam. 10, v. 27: *Cum filii Belial dicerent de Saule, quid salvabit nos iste? cumque despicerent, ipse erat veluti surdus et excelso animo* contumelias illas contemnebat. 2. Quia ma- XII
gistratus obnoxii sunt variis odiis, cum justitia veluti lux quaedam oculos tenebrionum offendat. 3. Quia obnoxii sunt variis insidiis ac machinationibus, requiritur igitur, ut animum ad eas obfirment ac Deo, qui circa ipsos est *murus igneus* Zachar. 2, v. 5. rem omnem commendent. 4. Praepostero metu facile in avia abripi possunt magistratus, ut a justitiae ac veritatis tramite deflectant. *Pessimus consiliarius est metus.*

101. 3. Ut sint אַנְשֵׁי אֱמֶת *viri veritatis sive* 3. V
veridici, qui et loquantur, et ament veritatem, qui juxta veritatis normam judicent, nec ab ea vel ad dextram vel ad sinistram declinent. Hoc veritatis studium propterea in magistratu requiritur, 1. quia in judiciis convenit veritatem sectari ac tueri, ubi potissimum illa occultatur et impugnatur. *2. Judicium*, quod magistratus exercet, *est Dei*, 2. Par. 19, v. 6. jam vero Deus est אֵל אֱמֶת *Deus veritatis* Psalm. 31, v. 6. mendacium est ex diabolo Joh. 8, v. 44. 3. Ubi non est veritatis studium, ibi aures aperiuntur delatoribus ac calumniatoribus, qui cives bonos cupiunt oppressos.

102. 4. Ut sint שֹׂנְאֵי בָצַע *odio habentes avaritiam*, non solum alieni ab avaritiae sordibus, sed etiam *ἀποστυγοῦντες*, capitali imo infernali odio prosequentes Rom. 12, v. 9. 1. Quia magistratus debet esse animi strenui ac fortis, *jam vero nihil est tam angusti animi tamque parvi quam amare divitias.* Cicero lib. 1. offic. 2. Quia *φιλάργυροι* facile fiunt *δωροφάγοι*, patiuntur muneribus se corrumpi, ut a norma justitiae in judicando deflectant. Exod. 23, v. 8. Deut. 16, v. 19: ***Munera excoecant videntes***

4. A riti odi ben

et pervertunt verba justorum. 3. Qui privatis commodis nimium sunt intenti, ad curandum ac promovendum bonum publicum sunt remissi.

5. Sapientes.

103. 5. Ut sint אֲנָשִׁים חֲכָמִים וּנְבֹנִים *viri sapientes et intelligentes*, instructi prudentia, 1. quia magistratus est veluti *oculus reipublicae*, jam vero prudentia est oculus mentis, *ἄρχοντος ἴδιος ἀρετὴ μονὴ ἡ φρόνησις*, inquit Philosophus. 2. Qui sibi suisque rebus non possunt recte consulere, quomodo alienis recte poterunt prospicere? 3. Respublica destituta prudente gubernatore eandem experitur sortem, quam navis destituta perito nauclero, quae vel scopulis alliditur vel vorticum gurgitibus absorbetur. 4. Boves non reguntur a bobus nec caprae a capris, sic illos, qui hominibus praeesse debent, prudentia communem hominum naturam oportet transcendere, quo simili utitur Plato lib. 4. de legibus.

6. Noti ac probati.

104. 6. Ut sint יְדֻעִים a rad. יָדַע *scivit, cognovit.* Potest exponi active, *viri scientes periti*, et rerum experientia instructi, qui multa viderunt et cognoverunt, quo modo exposuerunt LXX interpretes *δότε ἄνδρας συνετούς* v. 13. *καὶ ἐπιστήμονας* v. 15. quo sensu etiam Prov. 24, v. 5. אִישׁ־דַּעַת *vir intelligentiae* dicitur *ὁ ἀνὴρ φρόνησιν ἔχων*, quia prudentia ex rerum usu nascitur et est experientiae filia. Sed quia jam ante sapientiam et intelligentiam Moyses requisivit, ideo commodius exponitur passive *viri noti et probati*, sicut vulgata versio Latina reddidit ac periphrastice addidit, *quorum conversatio est probata.* Neque enim convenit imperii fasces illis committere, quorum virtus et *ἱκανότης* nondum est satis explorata, perinde ut apostolus *νεόφυτον* ecclesiastico ministerio praefici prohibet 1. Tim. 3, v. 6. id quod cum praesentissimo reipublicae periculo foret conjunctum.

Divisiones eorum quae in magistratu requiruntur.

105. Atque haec sunt, quae in magistratu eligendo spectari voluit Jethro et gener ipsius Moyses. Ut autem distinctius progrediamur, dicimus in genere, spectandam esse in personis magistratui praeficiendis *ἱκανότητα*, quae multa omnino comple-
XIII. 298. ctitur, interim tamen pro diversitate magistratuum gradus ac varietatem recipit, neque enim talia ac tanta requiruntur in magistratibus inferioribus qualia ac quanta in summo magistratu requiruntur. In specie quaedam *primario ac principaliter*, quaedam vero *secundario ac minus principaliter* sunt spectanda. Principaliter spectanda sunt *bona animi interna* sive virtutes magistratu dignae. Eae vero sunt vel *primae*, vel *secundae* decalogi tabulae. Ad primam decalogi tabulam pertinet *timor Domini*, *pietas*, *amor verae religionis* etc. Ad secundam *justitia*, *clementia*, *affabilitas*, *amor veritatis*, *odium avaritiae*, *magnanimitas*, *prudentia* etc. de quibus inferius in officio magistratus explicando dicetur pluribus. Minus principaliter spectanda sunt *bona corporis ac fortunae externa*, utpote *genus*, *patria*, *sexus*, *aetas*, *forma*, *robur*, *potentia ac divitiae.*

Quaestiones de requisitis magistratus.

1. An verae religionis professio requiratur?

106. Quaeritur hoc loco 1. circa *religionem*, *an is, qui a vera religione alienus, in magistratum eligi debeat?* ubi primo dicimus, si jure successionis juxta leges fundamentales et pacta conventa ad eum pertinent imperii fasces, qui a vera religione alienus est, tum propter religionis diversitatem non est privandus suo jure, quia religio et ecclesia non abolet politias ac jura politica. Thomas 2. 2. q. 10. art. 10: *Si quaeratur de praelatione infidelium instituenda, nullo modo id permitti debet, cederet enim in periculum fidei. Si vero de dominio jam praeexistente quaeritur, notandum, quod dominium introductum ex jure humano, jus autem divinum non tollit humanum.* 2. Si vel procerum vel majoris partis suffragiis electus est, qui a vera religione abhorret, non est illi praetextu religionis obedientia debita in rebus justis et honestis deneganda, ita tamen ut imperium superioris, ipsius scilicet Dei, semper intelligatur exceptum. 3. Si vero de libera electione per suffragia quaeritur, dicimus, omnino praeferendum eum, qui verae religioni addictus est, modo reliquis donis ad imperium necessariis sit instructus. 1. Nullum est arctius vinculum magistratus ac subditorum quam animorum in vera religione consensio. 1. Reg. 11, v. 17. de Jojada pontifice memoratur, quod *pepigerit foedus inter Deum et regem et inter populum, ut esset populus Domini, et inter regem et populum*, hoc est et regem et populum reciproca obligatione ad verae religionis et divini cultus conservationem adstrinxit, ut hac ratione novi regis imperium stabiliret. 2. Deus ipse in politia Israëlitica prohibuit peregrinum diversae religioni addictum eligere. Deut. 17, v. 15: *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus*, ubi et cognatione et religionis professione frater intelligitur. 3. Si eligatur in magistratum qui verae religioni est adversus, magnum imminet sinceritati religionis et cultus divini periculum, qui enim obtinent imperium in corpora et facultates subditorum, etiam conscientiis ipsorum dominari saepiuscule satagunt, nec cogitant, soli Deo illud esse unice relictum. 4. Idololatria est una ex causis eversionis rerumpublicarum, ut ex Salomonis et Jeroboami exemplo constat.

2. An generis honestas.

107. Quaeritur 2. circa *genus*, *an illi, quorum generi adhaeret macula ac infamia ad magistratum eligendi?* Quibus affirmativa placet, his utuntur argumentis: *1. Jephtah* fuit filius mulieris meretricis, idem tamen a proceribus Gilead eligitur in principem ac fortiter et feliciter rem gerit. Jud. 11, v. 1. et seqq. 2. Addunt exempla ex historiis profanis, Herculis, Thesei, Teucri, Menelai, Themistoclis etc. M. Brutus omnibus virtutum numeris absolutissimus ex adulterio natus fuit; Arnulphus, qui primus ante Ottonem ex Gallia in Germaniam imperii titulum transtulit, ex Caroli M. pronepotibus spurius fuit. Alciat. tract. de duello cap. 17. p. 27. Heliogabalus caesar, Lampridio teste, Varius dictus, propterea quod ex meretrice natus esset. *3. Crimen paternum non potest filio maculam infligere*, crimen de poenis. Naturae potius cuidam inclementiae id XIII. 299.
asscribendum, quae tales eos produxit. Palaeotus de spur. cap. 55. *homines undecunque prodierint,*

Dei aeque filii sunt c. undecunque dist. 56. *nec natales quenquam vel minima ulla in re valent polluere.* c. Nunquam etc. dist. ead. ex Chrysostomo *Christus voluit non solum de alienigenis commixtionibus, sed etiam adulterinis nasci, quo nobis magnam fiduciam praestaret, ut qualicunque modo nascamur, dum tamen vestigia ejus imitemur, ab ipsius corpore non separemur, cujus per fidem membra effecti sumus,* c. Dominus etc. dist. 56. *Nasci de adulterio,* inquit Hieronymus, *non est ejus culpa, qui nascitur, sed qui generat.* 4. Magna quandoque virtutis documenta in spuriis deprehenduntur. Euripides in Andromach.: *Saepenumero certe arida profundam terram vincit satio. Spurius multis legitimis melior.* Talia exempla commemorat Tiraq. in tractat. de nobilitat. c. 15. nu. 30. Palaeotus de spuriis cap. ult. Cardanus de utilitat. ex adv. capiend. tit. de adult. uxor. 5. Unde olim ad maximas dignitates etiam ad decurionum ordinem evehi potuerunt, l. generaliter §. 1. l. infamia l. Spurii ff. de Decurion. ubi ratio decisionis additur: *Non impedienda est dignitas ejus, qui nihil admisit.* Qui in negantem abeunt, proferunt *1. constitutionem divinam* Deut. 23, v. 2: *Non ingredietur de scorto natus in ecclesiam Domini usque ad decimam generationem.* מַמְזֵר est idem quod זָר *extraneus, spurius, foris genitus, ex scorto natus;* is prohibetur ingredi in ecclesiam, quod quidam interpretantur, non debet habere *jus ducendi Israëlitidem.* Salomon notante Fagio in hoc loco et Duareno l. 4. de sacris eccles. minist. c. 5. sed rectius accipitur de *officiis publicis*, ad quae spuriis in ecclesia et republica non debeat patere aditus, etiam decima generatione. Voluit Deus hac constitutione admonere, quam graviter detestetur vagas libidines et illicitos congressus. Rabini in explicatione hujus legis triplices enumerant spurios; *primi* sunt, de quibus non ambigitur; *secundi*, qui sunt incerti; *tertii*, quos scribae tales habebant. Primi illegitime nati feruntur ex incestu; alteri nati putantur ab uxore, quae alteri nupserit marito primo adhuc superstite; tertii a scribis ob causas saepenumero leves tales habebantur. Innocentius III. distinguit inter nothum, spurium et mamzerem lib. 1. decretal. tit. 9. cap. 10. quam distinctionem copiose explicat Palaeotus l. de nothis et spuriis cap. 18. Sed Graeci promiscue omnes illegitime natos dixerunt *νόθους*, quos scholiastes in 2. Iliad. Hom. sic describit, quod sint *οἱ μὴ ἐκ νομίμης γυναικὸς γεννηθέντες, ἀλλ' ἐκ παλλακίδος.* Coelius Rhodiginus lib. 15. lect. antiq. cap. 24. refert, eosdem vocare scotios, id est clandestino concubitu natos, apud Homerum *parthenios*, qui ea producti, quae cum nuberet, credita sit virgo. Quidam octo enumerant species, quae sunt: *spurii* incerto patre aut matre orti, nihil nisi semen ab iis habentes, *ἀπὸ τοῦ σπείρειν*, vel quasi *σποράδην* concepti vel quasi sine patre; *vulgo concepti*, qui patrem quidem norunt, sed eum, quem habere non licet, aut quorum mater publice quaestum non facit, sed clam domi, ac proinde raro verum, sed tantum putativum habent patrem; *varii*, quasi e vario semine nati; *mamzeres*, qui ex scorto et femina publica nati; *incestuosi*, qui e consanguineis aut affinibus contra leges suscepti; *adulterini*, qui vel e stupro vel adulterio proveniunt; *νόθοι*, qui in concubinatu gignuntur; *hybridae*, qui ex imparibus orti parentibus. *Bastardi* omnes illegitime nati, quasi dicas böſe Art, degeneris ingenii. De his omnibus divina constitutio dicit, quod non debeant publicis officiis fungi, etiam decima generatione, hoc est in sempiternum, cujus constitutionis causas longe gravissimas enumeravimus tract. de bapt. §. 206. *1. Exempla bene constitutarum rerumpublicarum*, in quibus spurii nunquam ad honores et officia fuere admissi. Aurea bulla Caroli IV. ad electoratus successionem illum duntaxat admittit, der ein rechtes Ehekind. In legibus fundamentalibus regni Galliae etiam haec habetur: *Ne quis nothus, ne legitimatus quidem, ad regni successionem admittatur,* Hotomannus in tract. de success. in regn. Franc. lib. 3. p. 34. Solonis lex XIII. 300. erat, *ut spurius publicum esset civitatis mancipium,* auctor horol. princ. 218. Unde apud Athenienses spurii nec ad publica officia admissi, imo nec genti asscripti fuere, Plutarchus in Pericle. Apud Suecos, Gothos et Norvegos olim vix licuit spuriis inhonestorum virorum versari consortio, Joh. Magnus lib. 18. c. 6. Apud Helvetios non admittitur ad gubernationem spurius, Siml. de republ. Helvet. p. 148. Aristoteles libr. 4. politic. cap. 6: *Omnibus licet ad rempublicam accedere, quos modo generis conditio non repellit,* ubi per generis exceptionem interpretes intelligunt spurios. *3. Jura canonica* a sacrorum administratione eos arcent, quamvis ad ipsum pontificatum spurios quosdam evectos fuisse exempla Dionysii I. Leonis V. Johannis X. Clementis VII. Innocentii VIII. et aliorum testentur. c. Si gens Anglorum etc. dist. 56: *Divulgatum est, incestuosos et adulterinos nec bello seculari esse fortes, nec in fide stabiles, nec hominibus honorabiles.* cap. Venerabilem. extra qui filii sint legitimi: *Mamzeres et spurios canon vetat ad sacros ordines promoveri, secularibus quoque legibus non solum repellentibus eos a successione paterna, sed negantibus etiam ipsis alimenta.* Calixtus c. Conjunctiones 35. p. 2: *Nos sequentes patres nostros infamia eos notamus et infames esse censemus, quia infamiae maculis sunt conspersi, et quoniam eos vel designare funestum est.* *4. Qui viret in ramis venit a radicibus humor, Et patrum in natos abeunt cum semine mores,* ait Baptista Mant. Ex ortu turpi depravati nascuntur animi. In liberis et posteris exempla paterni criminis metuuntur. Sap. 3, v. 16. *Τέκνα μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται καὶ ἐκ παρανόμου κοίτης σπέρμα ἀφανισθήσεται.* v. 17. *ἐάν τε γὰρ μακρόβιοι γένωνται, εἰς οὐδὲν λογισθήσονται καὶ ἄτιμον ἐπ ἐσχάτων τὸ γῆρας αὐτῶν.* cap. 4, v. 3. *ἐκ νόθων μοσχευμάτων οὐ δώσει ῥίζαν εἰς βάθος, οὐδὲ ἀσφαλῆ βάσιν ἑδράσει.* Quod tamen cum quadam limitatione intelligendum, ut ostendimus in tract. de bapt.

§. 208. Euripides in Phoenissis graviter pronuntiat: *οἱ μὴ νόμιμοι παῖδες μητρὸς λόχευμα πατρὸς μίασμα* ac Plutarchus in lib. *περὶ παιδ. ἀγωγ.*: *τοῖς μητρόθεν ἢ πατρόθεν οὐκ εὖ γεγονόσιν ἀνεξάλειπτα παρακολουθεῖ τὰ τῆς δυσγενείας ὀνείδη παρὰ πάντα τὸν βίον καὶ πρόχειρα τοῖς ἐλέγχειν καὶ λοιδορεῖσθαι βουλομένοις*, ubi etiam adducit dictum Poetae: *ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους.* 5. Magistratus debet auctoritatem apud subditos obtinere, ea enim nervus est obedientiae. At qui non sunt legitime nati, in extremo versantur contemtu, unde *abominabiles et exosi* omni jure dicuntur, Cassander p. 11. consil. 15. 6. Illegitimo toro et incerto patri nati plerumque turbulenti sunt aliisque deteriores propter mala principia et institutionem minus diligentem. Chrysostomus homil. 29. in cap. 12. Hebr. docet, Deum se verum et genuinum patrem exhibere, quando nos castigat, nam *patres spurios et nothos negligunt.* 7. Exemplo plurimum id reipublicae nocet ac latam aperit libidinibus fenestram, si portae honorum ac dignitatum spuriis pateant. *Quid aliud est spurios ad senatum civitatis admittere quam libidinis quasi faces accendere?* Casus lib. 4. sph. civit. cap. 6. q. 2. 8. Spurii cum *patrem non habere intelligantur*, l. 23. de statu hom. ar. l. 5. de in jus voc. §. 12. Inst. de nupt. nullam etiam in bonis patris successionem habere possunt, quod si in bonis privatorum hoc sancte custoditur, multo magis in publicis observari debet, unde spurius non fuit admissus ad decurionatum, si habuit competitorem legitime quaesitum, l. 3. §. spurios 2. ff. de decurion. Distinguendum tamen inter *regulam generalem et extraordinarium necessitatis casum.* Regulariter spurii non sunt admittendi ad magistratus officium, interim extraordinarie propter heroicam virtutem et certas quasdam reipublicae circumstantias admitti possunt. Distinguendum etiam inter illum *spurium*, *qui paternis vestigiis insistens* re et vita inhonestus est, et inter eum, qui *maculam generis vitae honestate et rebus praeclare gestis* 01. *eluit.* De priore recte dicitur, quod omnes dignitatum portae ipsae praeclusae esse debeant, c. Nunquam c. Domini dist. 56.

108. Quaeritur 3. *An qui obscuro loco nati in* is *magistratum eligendi?* Negativam his stabiliunt argumentis: *1. Fortes creantur fortibus et bonis. Est in juvencis, est in equis patrum virtus nec imbellem feroces progenerant aquilae columbam*, ut est apud Horatium. *Non etenim e squilla rosa nascitur aut hyacinthus*, *εἰκὸς βελτίους εἶναι τοὺς ἐκ βελτιόνων*, ait Philosophus lib. 8. polit. c. 7. 2. Humili loco orti si ad imperium evehantur, cristas erigunt ac impotenter se gerunt pristinae conditionis immemores. 3. Distinctio familiarum magnum reipublicae ornamentum ac munimentum, ea vero labascit, si plebejis ad magistratus officium aditus conceditur. Sed enim quamvis facile concedamus, generis dignitatem non esse in electione posthabendam, ac proinde quando duo vel plures adsunt sufficientibus requisitis instructi, praeferendum esse eum, cujus virtuti generis dignitas est conjuncta; tamen virtus primum ac praecipuum est in magistratu requisitum, quod cumprimis in electione respiciendum, proinde generis conditio neminem debet a magistratu excludere, si donis ac virtutibus sufficientibus sit instructus. *1. Saul* primus Israëlitarum rex divinitus constitutus de se ipso inquit 1. Sam. 9, v. 21: *Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israël, et cognatio mea parva inter omnes familias de tribu Benjamin? David* a pastura gregis divino mandato in regium collocatus est solium, 1. Sam. 16, v. 11. Si Pharao et ipsius optimates generis nobilititatem spectassent, nunquam *Josephum* Aegypti proregem constituissent, Gen. 41, v. 40. 2. Nec desunt exempla eorum, qui infimo loco nati ad principatum sunt evecti et res magnas in eo gesserunt. *Agathocles* Siciliae rex patre figulo natus fuit, Justinus lib. 22. hist. in cujus ortus sui memoriam fictilibus semper coenavit; *Augustus* imperator avum habuit argentarium; *Helvius Pertinax* patre natus est libertino; *Valerius Aurelianus*, *Anastasius Maximus* etc. imperatores humili fuere loco nati. Et ante illos *reges Romanorum* a vomere et stiva plerumque lecti. *Tulli Hostilii* incunabula agreste tugurium cepit ejusque adolescentia in pecore pascendo fuit occupata, Tzetzes hist. chil. 6.. cap. 27. *Servius Tullius* matre serva natus fuit, Florus lib. 1. c. 6. 3. Virtutes parentum non sunt in liberis hereditariae, ideo optimus quisque merito censendus nobilissimus, Vellejus lib. 2. *Potest ex casa vir magnus exire*, inquit Seneca lib. 9. epist. 79.

109. Quaeritur 4. circa *patriam*. *An peregrini ad reipublicae clavum collocandi?* Qui affirmant, haec proferunt. 1. Si exteri admittantur, tollitur inter cives aemulationis studium, ex qua intestinae discordiae et consequenter reipublicae clades oboriri solent. 2. Augetur potentia reipublicae, si vires externi principis illi conjungantur. 3. Ut generi non est alligata virtus, ita nec patriae, unde Claudius imperator in senatu disseruit, *etiam extraneos, modo sint fidi, prudentes et reipublicae utiles, posse, imo debere ad reipublicae gubernacula admitti.* 4. Exempla testantur etiam peregrinis fasces fuisse delatos. *Tarquinius Priscus* apud Livium in oratione in comitiis habita, *se non petere rem novam*, inquit, *cum non primus*, *quod quisquam indignari mirarive posset, sed tertius Romae peregrinus regnum affectet.* Ante ipsum *Numa* e Sabinis ad regnum evocatus Liv. lib. 1. p. 21. *Trajanus* a Nerva successor constitutus et Augustus dictus fuit natione Hispanus. Censuit enim Nerva, virtutem cujusque, non patriam aestimari et ponderari oportere, Dion. l. 68. pag. 778. *Severus*, *Maximinus*, *Philippus Arabs* imperatores fuere exteri. Tacitus lib. 11. annal. Romae multos advenas *senatores* factos me-

4. An patriae consortium?

morat. *Poloni* ex regionibus exteris suos advocare solent reges. 3. Alciatus de praesumpt. reg. 1. praes. 73. originarios exteris praeferendos dicit *in*
XIII. 302. *rebus ipsius civitatis* administrandis et quae ad ejus curam spectant, sed *in jurisdictione* exteros praeferendos esse statuit, ne scilicet originarii quippiam ex gratia et favore amicorum et utilitate rerum, quas ibi possident, agant. Emericus a Rosbach in proc. jud. tit. 7. num. 16. aliam rationem addit, quod *is*, *qui jurisdictionem et magistratum gerit, ab hominibus suspici, aestimari ac magni prae aliis haberi debeat*, sed in patria, ubi concivibus familiares, affines et amici sumus, raro hoc fieri solet. Sedenim quamvis extraordinarie incidere possit tempus ejusmodi, ut sit e salute reipublicae peregrinum eligi, quando scilicet inter indigenas non inveniuntur satis digni et habiles, quando metuenda civium seditio, quando reipublicae status externi alicujus praesidium requirit etc. tamen ordinarie ac regulariter indigenae praeferendi sunt in electione magistratus peregrinis. 1. Deus ipse in politia Israëlitica hanc tulit legem Deut. 17, v. 15: *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* 2. Indigenae morum animorumque provinciae gnari melius curant res patriae notas, provocant subditos amore et benevolentia ad culturam virtutis ac morum. *Caput reipublicae est perspectos habere civium mores*, inquit Tullius l. 2. offic. Etsi princeps aliquis externus bene rem gerat et commode gubernet, tamen quia *moribus et ingenio differt*, *nec eam erga populum repraesentare potest benevolentiam, ac si esset indigena, inde facile oriuntur dissensionum occasiones*, inquit Cominaeus in comment. libr. 8. pag. 271. 3. Princeps alienigena juxta id, quod honestum videtur et erat apud suos, civium novorum mores conformare volet sicque rempublicam non emendabit, sed perdet, Petrus Gregor. lib. 7. de republ. cap. 4. n. 13. 4. Ingratus est populus, qui spretis legitimis principum de se meritorum familiis regnum ad alienigenas et ignotos transfert, Polybius lib. 4. unde Cominaeus dicit, *miserrimam esse populi illius conditionem, qui peregrinum principem eligere compellitur, propterea quod indigenis ad regnandum aptis carere convincatur. 5. Externis moribus assuetus institutusque princeps potius quam patriis non tantum populo suspectus est, verum etiam ingratus*, Tacitus lib. 2. annal. *Ut fortior sis*, inquiunt Scythae ad Alexandrum Magnum apud Curtium libro 7. *quam quisquam alius, tamen alienigenam dominum nemo pati vult.* 6. Extranei plerumque sunt πλεονεκτικοί nec curant rempublicam utpote alienam, sed suum tantum ex ea quaestum faciunt. 7. Peregrinus princeps non potest esse tutus a periculis, nisi validissimo praesidio se ipsum imprimis, deinde arces muniat, illa vero praesidia multum secum trahunt incommodi, Bodinus lib. 6. de repub. cap. 5. n. 744. 8. Praesto sunt exempla plurimarum rerumpublicarum, quae peregrinos ab imperio excludunt. Legibus *imperii Romani* fundamentalibus cautum est, ne dignitas imperii transferatur ad eum, qui non est natione Germanus, Sleidanus libr. 1. comm. an. 1519. ac inter leges et conditiones, in quas Carolus V. juravit, etiam haec est: *Negotiis publicis praeficiat non exteros, verum Germanos ex nobilitate delectos.* Lycurgus apud *Lacedaemonas* prohibuit, ne peregrini in urbem admitterentur, tantum abest, ut imperium ipsis tribui vellet, Plutarchus in Lycurg. In republica *Venetorum* peregrinis non patet ad imperium aditus, Patritius lib. 3. de instit. reipubl. tit. 2. Apud *Helvetios* nullum munus illi solet committi, qui extra provinciam natus est. Inter leges, in quas principes *Belgae* Belgico populo jurare solent, haec habetur: *Nullum peregrinum aut exterum publicis muneribus praeficiunto*, Althusius cap. 15. polit. p. 180.

110. Quaeritur 5. circa *sexum*. *An feminae ad* ä. I viri
imperii majestatem admittendae? Qui affirmant, sex
hisce nituntur fundamentis. 1. In populo Israëlitico *Debora* prophetissa imperio praefuit et populum judicavit, Jud. 4, v. 4. cujus imperium victoria a Cananaeis reportata fuit nobilitatum. 2. Feminas cum populorum commodo imperium gessisse, bella confecisse et consilia apte terminasse, multis exemplis confirmant Tiraq. in leg. connub. 11. n. 11.
Cassander part. 2. catal. glor. mund. c. 8. Rich. Di- XII
nothus lib. 7. de reb. memorab. Petrus Greg. lib. 7. de republ. c. 11. n. 29. Junius part. qq. polit. q. 13. Schoenbornius libr. 2. polit. c. 12. de *Scythis* Justinus lib. 2. hist. scribit, quod *non magis virorum imperio quam feminarum virtutibus claruerint.* Arrianus lib. 1. de reb. gest. Alex.: *Receptum solitumque in Asia jam inde a Semiramide, et feminas imperium inire.* Nec nostra aetas exemplis fuit destituta. 3. Sexus virtutem non excludit. *Virtutum omnium capax est femina, quarum capax est mas ipse*, Plato lib. 5. de republ. Inveniuntur feminae, quae virili prudentia sexum suum transcendunt, Tacitus lib. 6. annal. Prudentia, robur animi et virtutes reliquae non exsulant ab hoc sexu. *Generationi inservit sexus*, *hic autem non agitur de ea facultate, sed de alia, quae aliunde quam ex ea parte pendet*, inquit Tolosanus d. l. num. 25. Qui feminae imperium committendum esse negant, haec proferunt: *1. Deus ipse* viro in re oeconomica imperium dedit, mulierem vero subesse voluit, Gen. 3, v. 16. 1. Cor. 14, v. 34. 1. Tim. 2, v. 12. praeposterum autem foret in republica illi tribuere imperium, cui in oeconomia illud denegatum. Quidam huc afferunt dictum Esai. 3, v. 12. ubi inter mala Israëlitici populi refertur, quod *mulieres illi sint dominatae*, sed ibi non tam de feminis quam de effeminatis gubernatoribus agitur, de illis scilicet, qui gerunt animum muliebrem ac timidum. *2. Quidquid masculum natura magis factum ad imperandum quam quod femineum est*, ait Philosophus lib. 1. polit. cap. 8. *Mulier debet habere potestatem super caput suum*, inquit apostolus 1. Cor. 11, v. 10. hoc est velamen in signum potestatis maritalis, cui est subdita, idque *naturam ipsam* nos docere subjungit

v. 4. ergo non divino solum, sed et naturali jure feminis subjectio competit, *γυναικὶ δ' ἀρχὴν οὐ δίδωσιν φύσις*, inquit Menander. Hunc naturae ductum et instinctum ostendunt ipsa bruta, quae ita vivunt, *ut mares feminis imperent*, Plinius lib. 4. nat. hist. cap. 3. *3. Honestas* ab imperio feminas excludit. Est enim contra pudorem sexui huic congruentem virilibus conventibus interesse, virilia officia tractare, arma virilia gerere. *Nec docere potest femina, nec testis esse, nec judicare*, quanto ergo minus imperare, Augustinus in qq. V. T. q. 45. Pheretima ad Evelthonem Salaminis regem profecta precabatur, ut se filiumque Cyrenem cum exercitu reduceret. Ille omnia potius quam exercitum huic dabat. Cumque ad omnia, quae dabantur, diceret, *bonum id quidem esse, sed melius facturum eum, si quod obsecraretur, daret exercitum*, misit tandem illi dono fusum aureum ac colum penso circumdatam dicens, *talibus rebus donari feminas, non exercitu*, Herod. lib. 4. f. 132. 4. Feminae destituuntur *requisitis* ad imperandum necessariis. Deest illis *prudentia.* Chrysostomus hom. 23. in Matth.: *Mollis et incautus est hic sexus.* Mollis, quia facile deflectit a malo ad bonum vel de bono ad malum; incautus, quia non omnia, quae videt aut audit, cum sapientia et ratione considerat. Cicero pro Cluent.: *Abundat mulier audacia, consilio et ratione destituitur*, unde ex omnibus feminis una Pallas Jovis cerebro nata matre caruit, ut intelligeretur, sapientiam a feminis manare non posse. Deest illis *constantia. Varium et mutabile semper femina*, inquit Maro. In sola inconstantia et levitate constantissima est, nec *ulla diu femina pondus habet*, canit Propertius. Deest *animi et corporis robur.* Ille conditor nostri Deus *pectus nobis instruxit dolis, sed vim negavit*, inquit illa apud Senecam in Octav. Quodsi quae feminae fortiores, eo vehementiores habent impetus, a quibus quae metuenda sint pericula, late explicat Petrus Gregor. lib. 47. synt. c. 11. n. 11. Deest *taciturnitas.* אֵין סוֹד בְּנָשִׁים, *nihil arcanum in mulieribus*, dicunt Rabini. *Loquaculae omnes sumus, nec mutam repertam esse dicunt ullam ullo in seculo*, dicit illa apud Plautum in Aulul. act. 2. Deest in conficiendis negotiis *celeritas.*
II. 304. *Quaeris alia, quae mora est, aeque mora. Minor ea videtur, quam quae per mulierem est*, Plautus in milit. Deest *animi moderatio; ἴση λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης, aequalis leaenae et mulieris crudelitas*, ait Menander.

— — Quoties facit ira nocentem
Hunc sexum et rabie jecur incedente feruntur
Praecipites, ut saxa jugis abrepta, quibus mons
Subtrahitur clivoque latus pendente recedit.

5. Aut *connubio* jungetur femina, aut per se imperabit. Si nupserit, gynaecocratia tamen erit, quoniam ea lege nubit, ut penes illam sint jura majestatis; sin nuptias recusarit, majus est periculum, quia magno et forti animo subditi muliebre imperium et contumeliosum nec diu sibi tolerandum putabunt. Bodinus lib. 6. de republ. c. 5. num. 739. *6. Legibus* plurimorum regnorum ab imperio excluduntur. Inter leges fundamentales regni Gallici, quas recenset Hotomannus lib. 1. de antiquit. jure regn. c. 23. est ea, *ne virgo neve mulier ad regni hereditatem admittatur, sed agnatus defuncto regi proximus, quamvis gradu femina posterior, ei tamen praeferatur.* Quam legem vocant *Salicam.* Comінaeus de reb. gestis. Ludov. et Carol. libr. 8. p. 271. unde anno 1594. in consultationibus de eligendo rege novo Navarraeum praeferebant infanti Hispaniarum Philippi regis Hispaniae filiae, Mercurius Gallobelg. lib. 8. pag. 159. 7. Praesto sunt multa reipublicae pessime a feminis administratae *exempla*, quales fuere *Athalia*, quae omne semen regium interfecit 2. Reg. 11, v. 1. 2. Paral. 22, v. 10. *Tomyris, Cleopatra* etc. *Ea familia, quae a muliere gubernatur, non fuit unquam, quae non interierit*, ait Antiphanes apud Stobaeum serm. 72. Quodsi hoc in domestica societate obtinet, multo magis in civili obtinebit. Pro decisione quaestionis notandum 1. Si femina legitimis mediis ad imperii fastigium est evecta, non debet illi propter has vel alias rationes imperium divinitus datum eripi. 2. Distinguendum est inter electionem et successionem. Si leges regni fundamentales vel consuetudo publice recepta et continuata fasces imperii feminae per successionem deferant, omnino debet gubernationi rerum praefici, cum jure etiam civili femina pari jure ad successionem vocetur, sublato veteri inter masculos et feminas quoad successionem discrimine. §. 15. Instit. de hered. quae ab intest. 3. Distinguendum inter electionem liberam et ad certam familiam restrictam. Si electio sit restricta legibus vel consuetudine, non potest praeteriri femina. 4. Distinguendum est inter exempla quaedam heroicarum feminarum extraordinaria et inter ordinariam electionis regulam. Respectu posteriore excluduntur, sed respectu priore admittuntur.

111. Quaeritur 6. circa *aetatem. An juveni committenda reipublicae gubernacula?* Qui affirmant, **6. An aetas juvenilis?**
hisce nituntur fundamentis: *1. Joas septem annorum* erat, cum regnare coepisset 2. Reg. 11, v. 21 qui laudabiliter imperium administravit; *Josias* octo annorum erat, cum regnare coepisset, qui *fecit quod placitum erat coram Domino* 2. Reg. 22, v. 1. 2. Paral. 34, v. 1. *Salomon* ad imperium evectus orat 1. Reg. 3, v. 7: *Tu Domine Deus meus regnare fecisti servum tuum pro David patre meo, ego autem sum puer parvulus ignorans egressum et introitum meum; Manasses duodecim annorum* erat cum regnare coepisset 2. Reg. 21, v. 1. *Jehojachin decem et octo annorum* 2. Reg. 24, v. 8. etc. 2. Similia *exempla* occurrunt apud profanos scriptores. Herodianus l. 6. in fin. de *Alexandro Severo* scribit: *Milites Alexandrum imperatorem consalutatum in aulam Palatinam deduxerunt, adolescentulum admodum et adhuc aviae praeceptis obtemperantem. Theodosium* adhuc in cunis vagientem pater appellavit Augustum. *Henricus IV.* impe-

rator electus fuit, cum esset octo annorum; *Carolus V.* anno aetatis 18. magno procerum consensu imperator est electus, Sleidanus libro 1. Imperium consulare apud Romanos quamvis nemini nisi exacto tertio et quadragesimo aetatis anno capere liceret, pluribus tamen infra eam aetatem, si quid
XIII. 305. dignum operae pretium reipublicae praestitissent, consulatum gerere permissum. Tullius Philip. 5. ubi bene multos recenset, qui admodum adolescentes consules fuerunt. Quis nescit *Scipionem* imberbem, quis *Octavium* adolescentem, quis *Pompejum* illum ante annos magnum, quis *Corvinum* aliosque, qui ob celerem prudentiae maturitatem non exspectato aetatis justo legibusque praescripto termino consulatus fastigium cum laude ingressi sunt? Cyriacus lib. 17. observ. 34. Alexander ab Alexandr. lib. 3. genial. dier. c. 3. Nec praeturae ac quaesturae aetas praescripta semper tam exacte observata est. 3. Neque id injuria. *Ab excellenti enim eximiaque virtute progressus aetatis non oportet exspectari,* Tullius l. d. et *ab optima indole non exigitur annorum numerus*, Plinius in epist. *In eo non exspectanda aetas, qui et virtutibus fulgeat et moribus polleat,* ait Valerianus apud Vopiscum in Probo. Ut senes quidam semper pueri, ita sunt quidam juvenes, *in quibus aliquid senile,* Cicero in Cat. maj. Multi antiquorum tempora praeveniunt meritis et quod aetati deest, virtutibus compensant.

Parcite natales timidi numerare Deorum,
Principibus virtus contigit ante diem.
Ingenium coeleste suis velocius annis
Surgit et ignavae fert male damna morae,

quod de Tiberio canit Naso. 4. *Principem juvenem plures spectant, colunt et admirantur quam senem jam caducum*, Cominaeus c. 137. quo pertinet illud Pompeji: *Plures adorant solem orientem, quam occidentem.* 5. Si senes solum eligantur, crebra accidit rerumpublicarum mutatio, quae eisdem perniciosa. Qui negant, haec fere urgent: 1. Desunt juvenibus *requisita* ad imperium recte gerendum necessaria. Deest *prudentia*, quam aetas demum affert, *seris venit usus ab annis*, Ovidius lib. 6. Metam. Deest *animi moderatio.* Aristotelès ethic. Nicom. c. 3: *Juvenes sunt imperiti actionum vitae et perturbationes sequuntur.* Seneca in Troade: *Juvenile vitium est regere non posse impetus.* Deest *constantia.* Seneca in Octav.: *Invenilis ardor impetu primo furit, languescit idem facile nec durat diu.* Deest *auctoritas. Tenero tractari pectore nescit publica majestas*, canit Poëta. Contra vero *in senum vultu observanda maturitas apparet*, Plutarchus in libr. an seni gerenda respublica.

Plus valet umbra senis, quam gladius juvenis,

dicebat Baldus. 2. Juvenibus ante annum aetatis 25. honores publicos non conferri, optima ratione nititur l. ad remp. 8. ff. de mun. et hon. l. 2. §. fin. ff. de jure immunit. 3. Pejora juvenes facile consilia audiunt, ex quibus praesentissimum reipublicae imminet periculum. *Roboam* Salomonis filius derelinquens consilium senum et *audiens juniores, qui nutriti fuerant cum eo, occasionem dat defectioni decem tribuum,* 1. Reg. 12, v. 8. et 19. In decisione quaestionis 1. distinguendum inter *electionem* et successionem. Si juveni ratione successionis debetur imperium, non debet illi praetextu aetatis auferri, sed si adhuc minorennis sit, tutores illi constituendi. 2. Distinguendum inter *aetatem puerilem* ac *juvenilem*, neque enim ut pueri, ita quoque juvenes a regno electivo simpliciter arcendi, modo prudentia et auctoritate senili polleant. 3. Distinguendum inter *ordinariam electionis regulam* et *extraordinaria heroicarum virtutum in quibusdam juvenibus exempla.* 4. In *aristocratico reipublicae statu* convenit juniores adjungere senioribus, ut ex utriusque aetatis temperatura optima gubernatio efflorescat.

112. Quaeritur 7. *An seni committenda respublica?* 7. An aetas senilis?
Qui negant, vitia senum urgent, quod sint 1. *ad rem* plus quam par est, *attenti*, jam vero avaritia a magistratu exsulare debet; 2. quod sint *morosi* ac difficiles, nec quidquam rectum putent, nisi ipsi quod fecerint; 3. quod *prudentia* ipsorum, qua rempublicam regere possunt, evanuerit; 4. quod *viribus corporis*, quibus in pace et bello opus est ad negotia conficienda, destituantur. Sed haec in quibusdam XIII. 306
duntaxat senibus, praesertim capularibus obtinent, ac propterea nequaquam evincunt, in magistratum non posse nec debere eligi senes, qui adhuc sunt vegetiores, non enim tam corporis, quam animi viribus, prudentia, auctoritate et experientia imperium geritur.

113. Quaeritur 8. circa *formam et robur corporis.* An *etiam formae ac roboris quaedam ratio in magistratu constituendo sit habenda?* Qui affirmant, 8. An forma et robur corporis
haec proferunt: 1. *Deus ipse* talem constituit Israëlitis regem, *qui altior fuit universo populo ab humero et sursum*, sic enim describitur *Saul* 1. Sam. 10, v. 23. de *Davide* dicitur, quod fuerit *rubicundus, pulcher adspectu et decora facie,* 1. Sam. 16, v. 12. Rabini commemorant, ad synedrium magnum eos duntaxat fuisse admissos, qui *mundi erant ab omnibus corporis vitiis*, Fagius in c. 16. Deut. 2. Apes *naturae* instinctu regem sibi deligunt insignis formae dissimilemque ceteris tum magnitudine, tum nitore, Columella lib. 9. c. 10. 3. *Gentibus* quamplurimis illud usitatum. De *Indis*, qui Catheam incolunt, id refert Strabo libr. 16. de *Macrobiis in Meroë* Alexander ab Alexandr. lib. 4. genial. dier. c. 23. *Aethiopes* quem ex popularibus validissimum judicant, hunc regem deligendum censent, Herod. l. 3. f. 81. *Plurimisque barbaris hominibus in corporum majestate veneratio est, qui magnorum facinorum non alios capaces putant, quam quos natura eximia donavit specie*, Curtius l. 6. hist. Archidamum regem pecunia mulctabant *Lacedaemonii*, quod pusillam uxorem duxisset ac proinde non βασιλέας, sed βασιλίδας ipsis relinquere cogitasset, Plutarch. περὶ παιδ. ἀγωγ. 4. Augustam regis personam augusta decet

facies. Jud. 8, v. 18: *Unus ex illis quasi filius regis*, id est forma et facie augusta conspicuus. *Etiam corporis proceritas et oris dignitas commendant principem*, inquit Plinius in paneg. Trajani. *Reverendum quid et admiratione dignum continere videtur pulchritudo*, Dius Pythagoricus apud Stobaeum serm. 63. Egregia principis forma est *ἀδορυφόρητος βασιλεία*, *regnum absque satellitio*, inquit Carneades philosophus. Oris contra ac corporis deformitas virtutis laudisque gloriam aliqua ex parte minuere videtur et hominem obnoxium reddere detractoribus, Patritius l. 2. de regno tit. 3. 5. Corporis pulchritudini animi qualitates utplurimum respondent. Platonicis visum, *pulchritudinem esse instar circuli, cujus centrum bonitas, et ut circulus nequit esse sine centro, sic pulchritudinem non posse esse sine bonitate*. Item *pulchritudinem esse illud trophaeum, quod victrix anima statuit, quando virtute divina dominatur materiei suoque lumine tenebras vincit*, Castilion. l. 4. de aulic. p. 383. et 385. Contra vero *incompositio corporis inaequalitatem indicat mentis*, ac *cujus facies deformis vix potest habere bonos mores*, Rhases l. 2. ad Almans. c. 33. In Wenceslao Caroli IV. filio nihil fuit homini simile praeter speciem, quanquam et ea fuerit distorta et deformis, Thersiti quam principi similior, ingenio fuit hebeti ac sordido, Philip. l. 5. chron. p. 614. *Is ergo ad regendam rempublicam deligendus*, inquit Pacatus in panegyr. orat. ad Theodos. *cui felix patria*, *cui domus clara*, *cui forma divina*, *cui aetas integra*, *cui denique militarium ac civilium rerum usus contingit*. Sed haec tunc demum locum habent, 1. quando quaestio est de *libera electione*. In successore enim non quaerenda est corporis forma, sed qualiscunque ea sit acceptanda. Praestat regem quam regnum oculo carere et regem quam regnum claudicare. 2. Quando pulchritudini et robori *virtus* est conjuncta, ea enim primario ac principaliter est respicienda, quae si adsit, facilis formae est jactura. Non uti inter pecudes, sic inter homines potestas et imperium valentioribus debentur, *virtute, non corporis viribus commendantur reges*, ait Plinius in paneg. Trajan. 3. *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ*. Quandoque enim in eburneo corpore plumbeus est animus, *nec corporis deformitate animus foedatur, sed pulchritudine animi*
XIII. 307. *mi corpus ornatur*, Seneca epist. 67. *Depravati animi labes illustris formae specie aliquandiu contegi potest*, ex Jovio Rich. Dinothus in sent. histor. *Non, ut quibusdam placet, qualia sunt corpora, talis consuevit esse animus, sed ex animi institutis mores corporis effingi solent*, ait Sozomenus libr. 5. histor. eccles. c. 6.

9. An potentiae et divitiae recipiendae?

114. Quaeritur 9. circa *potentiam et divitias*. *An potentiae et divitiarum in magistratu eligendo ratio sit habenda?* Qui affirmant, urgent 1. quod potentia in eo, qui eligitur, potentius ac stabilius reddat novum illud regnum, cui praeficitur; 2. quod quo minus potentiae in magistratu, eo etiam minus auctoritatis; 3. quod paupertas multis occasionem dederit delinquendi, Ecclesiast. 27, v. 1. cum quo consentit illud Lactantii de ira Dei c. 20: *Multa sunt*, *quae ad peccandum invitant*, *aetas*, *violentia*, *egestas*, *occasio;* 4. inde etiam l. 6. §. debitores. ff. de muner. et honor. illi qui aere alieno nimio gravati ab omni muneris administratione arcentur, illi enim si reipublicae gubernacula capessunt, expilationibus student et imposturis, ut nexu illo sese liberent. Sed haec omnia ita accipienda sunt, ut virtutis prima semper habenda sit ratio, *omnia enim ei adsunt bona*, *penes quem est virtus*, ait Comicus.

10. An liceat petere magistratum?

115. Quaeritur 10. *An liceat petere magistratum? et an petenti sit commendandus? Tarquinius* quintus rex Romanorum et petiisse ambitiose regnum, et orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam, quem ingenti consensu populus regnare jussit, Livius lib. 1. decad. 1. Sed tales prensationes vel nullae, vel modestae esse debent. *Saul* cum in regem Israëlitarum se constituendum sciret, *abscondit se apud vasa* 1. Sam. 10, v. 22. tantum abest, ut regno se ipsum obtulerit. Qui enim difficultatem hujus provinciae recte aestimat, non ingerit se ipsum ex levitate vel inani gloriae cupiditate, qui non considerat prudentia ad imperandum necessaria destituitur. Aelianus lib. 9. variar. histor. refert, *Themistoclem* dicere solitum: *εἴ μοί τις ὁδοὺς δύο δείξειε, τὴν μὲν εἰς ᾅδου φέρουσαν, τὴν δὲ ἐπὶ τὸ βῆμα, ἥδιον ἂν τὴν ἑτέραν ἦλθον τὴν εὐθὺ τοῦ ᾅδου*. 2. Qui rem levem existimant reipublicae administrationem, difficultatibus negotiorum postea fracti animo deficiunt et pedem cum pudore referunt, quem temere reipublicae inferre voluerunt.

11. An recusanti deferendus magistratus?

116. Quaeritur 11. *An magistratum liceat recusare, et an invito deferendus sit magistratus? Epaminondae* laudatissimo Thebanorum duci recusanti omnia imperia ingesta sunt, quae tamen ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur, Justinus libr. 6. p. 52. *T. Quinctius* ruri procul ab ambitione ac foro agens invitus coactusque dux electus est, qui tamen optime praefuit, Liv. lib. 7. decad 1. p. 311. *Helvius Pertinax* imperator coactus imperavit, repugnansque imperium suscipiens cognomentum illud sortitus est, Aurelius Victor in ipsius vita. *Galba* imperator equestria et senatoria officia non nisi recusantibus dedit, Suetonius in Galba. Nemo tamen legitime ad imperium vocatus, si requisitorum necessariorum sibi conscius sit, nec justas recusationis causas habeat, puta aetatem ingravescentem, vel corporis imbecillitatem, vel vitae statum ac professionem etc. pertinaciter reluctetur, quia ut natura rerum particularis universalis naturae obsequio cedit, sic bonum publicum carius esse cuique debet quam privatum, nec quisquam nostrum sibi soli natus est, sed ortus *nostri partem sibi patria vendicat, partem parentes, partem amici*, Plato ep. 9. ad Archit. Cicero lib. 1. off. quinimo omnium societatum nulla est gratior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est cuique nostrum, ac facile fieri potest, ut dignis et idoneis ad rempublicam pertinaciter recusantibus aditus pateat indignis, unde *Athenienses* capite, Romani

libertate, *Lacedaemonii* exilio eos mulctarunt, qui oblatum imperium recusarunt, Junius p. 1. quaest.
XIII. 308. polit. 8. *Josephus* oblatum a Pharaone et proceribus principatum minime recusavit, Gen. 41, v. 40. Dei *consilium* et *manum* unice respiciens. Sed enim comprobatum est multorum exemplo, quosdam vel maxime imperium desiderare et expetere, cum illud exterius videntur recusare, unde Seneca in Oedip.:

Certissima est regnare cupienti via,
Laudare modica, otium ac somnum loqui,
Ab inquieto saepe laudatur quies.

CAPUT V.

DE CAUSA FORMALI MAGISTRATUS.

Causa formalis magistratus.

117. Ad *causam formalem magistratus* referri potest: 1. *ipsa potestas politica*, qua divinitus instructus est magistratus, per hanc enim magistratus est id, quod est, et ab aliis non solum privatis personis, sed etiam reliquis ecclesiae ordinibus, ecclesiastico scilicet et oeconomico, distinguitur. Si esset absque illa potestate et auctoritate, qua Deus magistratum armavit, magistratus esset inane nomen ac nudum aliquod sceleton. 2. *Variae species magistratus*, per quas illi ipsi, qui officio magistratus funguntur, invicem distinguuntur. Cum enim pleraeque divisiones magistratus petantur a potestatis, qua instructi sunt, et in qua essentialis forma hujus ordinis consistit, diversitate et ab adjunctis variis, quae accidentalem formam constituunt, ideo haud incommode ad classem causae formalis variae magistratus species referri possunt. 3. *Variae rerumpublicarum formae.* Cum enim in politiis rebusque publicis vel *ad unum*, vel ad *plures*, eosque vel *optimates* vel *singulos ex plebe* potestas pertineat, inde nascuntur tres celebratissimae politiarum formae, *monarchia*, *aristocratia et democratia*, quae cum ex diversimoda potestatis politicae communicatione originem trahant, ideo ipsae quoque ad hunc locum *οὐκ ἀμεθόδως* referuntur.

SECTIO I.

DE POTESTATE POLITICA, QUA DIVINITUS INSTRUCTUS EST MAGISTRATUS.

Dari politicam potestatem.

118. Magistratum *potestate aliqua* instructum esse patet 1. ex *Scripturae* dictis, quae magistratui potestatem disertis verbis tribuunt. Classicus ac primarius locus habetur Roman. 13, v. 1: *omnis anima subdita sit ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, potestatibus sublimioribus ac eminentioribus, non enim est potestas nisi* a *Deo*. *ἐξουσία* ab *ἔξεστι*, licet, significat proprie licentiam, potestatem et auctoritatem, unde apud Plutarchum et Herodianum *ἐξουσία* et *δύναμις* conjunguntur; *ὑπερέχειν* est eminere, supereminere, praestare, antecellere, dicuntur igitur magistratus *ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι*, propterea quod *ἔχουσιν ἐξουσίαν ὑπὲρ ἄλλων*, quod in alios obtineant potestatem, quod honore, auctoritate et potestate divinitus concessa alios antecellant. Dan. 2, v. 37. dicit propheta ad Nabuchodonosorem: *Deus coeli regnum et facultates et potentiam et gloriam tibi dedit.* Dan. 7, v. 12: *Potestas bestiarum* et monarchiarum per bestias praefiguratarum. Sap. 6, v. 4: *Audite reges et intelligite, quia data est vobis potestas a Domino et virtus ab altissimo.* 2. Ex *honorificis encomiis*, quae magistratui tribuuntur. Vocantur *ἐξουσιάζοντες* Luc. 22, v. 25. *ἄρχοντες* Matth. 20, v. 25. Rom 13, v. 3. etc. et abstracti nomine pro concreto posito *ἐξουσίαι* Matth. 8, v. 9. Luc. 7, v. 8. Rom. 13, v. 1. *ἀρχαί* Luc. 12, v. 11. c. 20, v. 20. Tit. 3, v. 1. *δυνάμεις* 1. Cor. 15, v. 24. Vocantur אֱלֹהִים *pa-* XIII. 309.
tres, pastores, reges, principes etc. ut superius ostendimus, quae encomia non tribuerentur ipsis a Spiritu S., si non obtinerent aliquam potestatem divinitus ipsis datam et concessam. 3. *Exemplis* judicum, regum et ducum in populo Israëlitico, qui potestate divinitus sibi concessa in officio magistratus usi sunt nec minus propterea Deo placuerunt. 4. *Rationibus.* Absque potestate politica non potest magistratus partes officii sui peragere. Ergo Deus talem potestatem magistratui concessit. Consequentia est in propatulo, qui enim vult finem, etiam media ad finem necessario et essentialiter requisita. Antecedens patet ex enumeratione eorum, quae pertinent ad officium magistratus, quae sunt subditos in officio continere, leges honestas ad reipublicae salutem spectantes promulgare, delinquentes coërcere, bonos tueri etc. at haec omnia requirunt aliquam potestatem. Si in ordine oeconomico datur potestas patria, utique etiam in ordine politico dabitur potestas politica. Si in ordine ecclesiastico datur potestas ecclesiastica, utique etiam in ordine politico dabitur potestas politica.

Qualis sit politica potestas.

119. Potestas illa magistratus non est *absoluta, illimitata et indeterminata*, sed ad *leges et normam superioris alicujus potestatis restricta.* 1. Cum enim potestatem suam a Deo magistratus acceperit, ideo Deum superiorem recognoscere et illius voluntati ac legibus in usu potestatis hujus sese conformare tenetur. *Regum timendorum in proprios greges, reges in ipsos imperium est Dei.* Quemadmodum vasallus domino feudi certis legibus est obstrictus, sic reges et principes, cum sint Dei vasalli, ipsi quoque eidem certis legibus obstricti tenentur. Sap. 6, v. 2: *Audite reges et intelligite, discite judices finium terrae*, v. 4. *quoniam a Domino vobis data est potestas*, id est cogitate, a superiore vobis concessam esse imperii potestatem, cujus ministri estis ac perinde ad nutum et imperium illius officium gerere vos convenit. 2. Praeterea quicunque ad

rationem reddendam alteri obstrictus est, illius potestas non est absoluta et indeterminata. Sed magistratus ad rationem reddendam Deo sunt obstricti. Psalm. 82, v. 1: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.* v. 2. *Usque quo judicatis iniquitatem et facies impiorum sumitis?* Sap. 6, v. 4: *Data est vobis potestas a Domino, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur*, v. 5. *quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis nec custodistis legem justitiae neque secundum voluntatem Dei ambulastis.* v. 6. *Horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum in his, qui praesunt, fiet.* Luc. 12, v. 48: *Cui multum est datum, ab eo multum quaeretur, et cui multum commendaverunt, ab eo plus petent.* 3. Denique quibus certae leges ac mandata praescribuntur, juxta quae in officio suo agere tenentur, illorum potestas non est absoluta et illimitata. Sed magistratui certae leges ac mandata divinitus sunt praescripta juxta quae in suo se gerere debet officio, ut in sequenti capite dicetur. Ergo magistratus potestas non est absoluta et illimitàta. Nequaquam igitur probari potest illud Antonii responsum Cleopatrae datum, a qua cum instigaretur, ut Herodem Ascalonitam multa crudeliter et imperios agentem ad rationes consiliorum reddendas adigeret, respondit, *regi factorum rationem exhibendam non esse, quippe cui una cum regia dignitate quidvis agendi potestas concessa sit*, apud Joseph. lib. 15. antiq. Jud. c. 4. uti nec illud consiliariorum Persicorum, qui Cambysi regi percunctanti, *num quae lex esset, quae cum sorore matrimonium contrahere permitteret*, responderunt, *se quidem nullam legem, qua fratri sororem in tori sociam assumere liceret, scire, sed esse aliam quandam legem, qua liceret regi Persarum, quod liberet.* Ex hoc principio, quod potestas magistratus potestas non sit absoluta, pendet decisio illius quaestionis, *an simpliciter et in omnibus imperio magistratus subditi teneantur parere*, de qua inferius suo loco pluribus agemus, hic repe-
310. timus dictum Christi Matth. 22, v. 21: *Reddite quae sunt caesaris, caesari, et quae sunt Dei, Deo*, in quae verba sic commentatur Tertullianus lib. de idololatr. c. 15: *Reddenda sunt caesari, quae sunt caesaris; bene quod apposuit et quae sunt Dei, Deo*, hoc est *imaginem caesaris caesari, quae in nummo est, et imaginem Dei Deo, quae in homine est, ut caesari quidem pecuniam reddas, Deo temet ipsum.* Itemque dictum apostolorum Act. 5, v. 29: *Oportet Deo plus obedire, quam hominibus.*

120. Quando ergo politici *absolutam* potestatem *summo magistratui* tribuunt, id non est accipiendum *simpliciter* nec *respectu superioris*, ipsius scilicet Dei, a quo omnis omnino magistratus, etiam summi potestas pendet, sed duntaxat respectu inferiorum magistratuum. Sic Bodinus lib. 1. de rep. c. 8. triplicem statuit potestatem politicam, *absolutam, determinatam* et *subordinatam.* Absolutam, quam vocat majestatem, tribuit soli imperatori, determinatam principibus, subordinatam omnibus magistratibus. *Solus imperator*, inquit, *majestatis et regiae dignitatis appellatione, principes imperii titulo Celsitudinis et Serenitatis utuntur ac se imperii et imperatoris vicarios appellant.* Alii potestatem politicam faciunt duplicem, *absolutam* et *determinatam;* illam vocant majestatem, quae est summa et legibus soluta in cives ac subditos potestas; hanc assignant magistratui, qui summae potestatis est vicarius, per quem illa suum imperium exsequitur. Pari ratione, quod *principem legibus solutum esse* disputant, id accipiendum non de legibus divinis, quae omnes homines, etiam summos magistratus obligant, sed de legibus politicis, quae a principe feruntur in usum reipublicae. Item quod princeps ad obedientiam legibus praestandam cogi nequeat, interim tamen, si bonus sit, sponte sese illis subjiciat, qua de re infra plenius. Nisi hae limitationes et explicationes addantur, locum habebit querela Warem. ab Ehrenb. de subsid. regn. et oner. subdit. 15. nu. 16: *Adulatores de plenitudine potestatis talia tradiderunt, quae adeo sunt deformia et impia, ut abhorreant ab omni ratione, humanitate et pietate, ut quandoque dubitare cogar, an ab homine sint prolata, an a diabolo.*

121. Quid ad politicam potestatem proprie spectet, et in quibus *quasi partibus* illa consistat, ex officio magistratus rectissime colligitur. Quod enim ad officium magistratus divinitus ipsi commendatum pertinet, ad illud exsequendum potestatem divinitus accepisse recte dicitur. Quia igitur generaliter loquendo magistratus officium est subditos bene regere, ideo potestas magistratus generali appellatione dici potest ἀρχική, *imperatoria.* Vicissim quia in specie officium magistratus potissimum in tribus occupatur: 1. *in ordinando*, ut ferat leges honestas ac salutares ad subditorum et reipublicae commodum pertinentes; 2. *in judicando*, ut juxta legum normam in judiciis sententiam ferat ac justitiam subditis administret; 3. *in vendicando*, ut obedientes honestis legibus praemiis ornet, inobedientes vero ac delinquentes poenis coërceat; inde triplex statui potest magistratus potestas, νομοθετική, δικαστική et κολαστική, *legislatoria, judicatoria et punitoria.* Ac quia punitoria potestas est summus gradus potestatis magistratui concessae, siquidem legislatoria promulgat honestas leges, judicatoria secundum earum normam decernit, punitoria earum transgressores coërcet, ideo apostolus *gladii* nomine potestatem magistratus breviter complectitur Rom. 13, v. 4: *Non gerit gladium frustra*, ex quo loco apostolico magistratus potestas sic describi potest, quod sit *potestas a Deo ordinata, gladio armata in laudem bonorum et terrorem malorum, vindex in iram illis, qui malum agunt*, hoc est qui leges perrumpunt et civilem societatem delictis suis turbant. Quomodo haec politica potestas ab ecclesiastica differat, expositum est in tractatu de ministerio c. 5. et in principio hujus tractatus §. 2.

Quae pertineant ad politicam potestatem.

122. Ex potestate magistratui divinitus concessa oritur *majestas*, quae a magnitudine quasi *major status* dicta existimatur. Tolosanus lib. 8. de rep. XIII. 311.

Consequens potestatis majestas.

c. 3. §. 2. *quid sit proprie imperii majestas, non facile describi aut exprimi posse* scribit, ipse arbitratur, *esse latens quiddam, quod praeter naturam propriam quippiam admirabile reddat.* Lipsius lib. 2. polit. c. 16. eodem fere modo describit majestatem, quod *reverendam quandam amplitudinem ponat ob meritum virtutis rerum affinium.* Alii sic definiunt majestatem, quod *sit vis quaedam, per quam princeps sibi conciliat in hominum animis singularem quandam admirationem ac venerationem et cum utraque conjunctum metum.* Eam vero oriri dicimus vel ex *causa occulta*, vel *manifesta*. Quoad causam occultam Deus secretam quandam majestatem addit personis regum ac principum, ut agnosci possit, has personas ex genere humano selectas esse et ad majorem gradum ac statum evectas, ita quidem ut effrenati homines in conspectum principum ducti occulto quodam sensu cohorrescant. Quoad causas apertas, eae sunt potissimum triplices, mores egregii et virtutes principis heroicae, forma regiminis prudens et temperata, denique successus felix et admirandus. Atque haec quidem sensu eo dicuntur, ut majestas pro consequente vel adjuncto, potestatis politicae videlicet auctoritate et reverentia, in animis subditorum per eam excitata accipiatur, sed quando politici et jurisconsulti *jura majestatis* explicant, tunc majestatis nomen pro ipsa potestatis essentia potius accipiunt quam pro ejus consequente, quo sensu nihil aliud est quam ipsum jus et potestas libere exsequendi et procurandi ea, quae ad salutem reipublicae pertinent.

Requisita majestatis. 123. Ad majestatem *quatuor* requiri censet Bodinus l. 1. de rep. c. 8. 1. ut is, penes quem est majestas, post Deum immortalem superiorem non cognoscat habeatque summum imperium et jurisdictionem sine provocatione, quia provocatio semper cum ordine magistratuum adscendit, donec ad summam terminetur potestatem, in qua ipsam quoque figi et desinere necesse est; 2. ut potestas illa non sit ad tempus concessa, sed perpetuo et ad finem usque vitae perduret; 3. ut potestas illa sit propria vel hereditatis jure, vel electionis suffragio concessa, non aliena seu precario attributa; 4. ut potestas illa sit legibus soluta. Sed notandum, nomen majestatis dupliciter accipi, *generaliter et late* pro jure ac potestate disponendi ordinandi, ac procurandi media ad salutem reipublicae pertinentia, quo respectu cuivis perfectae reipublicae ac cuicunque superiorem non cognoscenti majestas competit, deinde *specialiter et stricte* pro summi magistratus potestate, quo respectu Bodinus eam dicto loco describit. Quidam majestatem faciunt duplicem, *reipublicae et personae.* Reipublicae et imperii majestatem statuunt eam, quae cum republica nascitur et cum eadem interit, quam reipublicae fundamentum vocant. Dicitur etiam *realis*, quia rei ipsi perpetuo inhaeret, et est imperio coaeva nec per decessum principis aut regis exspirat, sed quamdiu corpus regni durat, permanet ac sub ipsis interregnis et alterationibus gubernationum persistit. *Personae sive personalis* majestas est, quae in personam collata transferri ex una persona in aliam potest ac tota ex reipublicae potestate dependet et cum persona concidit. Sed cavendum, ne hac distinctione abutantur seditiosi regicidae, qui existimant, reges et principes impune violari posse absque majestatis, quae regno proprio inhaeret, violatione, qua de re inferius suo loco.

124. *Jura majestatis* alii plura, alii pauciora recensent. Aristoteles lib. 4. polit. c. 14. tres facit partes gubernationis, quarum prima est βουλευόμενον περὶ τῶν κοινῶν, sub quo comprehendit potestatem belli et pacis, ineundae vel dissolvendae societatis, legum ferendarum vel abrogandarum, mortis vel exilii, publicationis bonorum et reposcendarum rationum. Altera pars est βουλευόμενον περὶ τὰς ἀρχάς, id est quos oporteat creare magistratus et quomodo et quarum rerum potestatem iis tribuere. Tertia est τὸ δικάζον, quod in jurisdictione versatur. Alii duo enumerant majestatis jura, quorum prius est magistratum creare illiusque munus definire; posterius jus dicere, hoc est leges ferre. In codicê Justinianeo tria constituuntur majestatis capita, *jus sacrorum, jus boni publici et jus belli indicendi.* Bodinus l. 1. de rep. c. 10. revocat ea ad haec capita: 1. legem universis ac singulis dare posse, summae enim potestatis est imperare, imperatur autem magna ex parte legibus, eas igitur in manu summi principis consistere oportet, alioquin nullam vim obtinebunt, nisi illius auctoritate muniantur, qui plenitudinem imperii possidet, atque huc pertinet potestas solvendi a legibus, legitimatio, naturalium restitutio. 2. Habere summum imperium et jurisdictionem sine provocatione. 3. Instituere magistratus; quia enim magistratus imperio et jurisdictione precaria utuntur, ideo non possunt eam aliunde accepisse quam a majestate, cujus sunt propria. 4. Exigere tributum et vectigalia. 5. Habere jus tractandorum armorum, quod consistit non tantum in cura armamentarii publici, sed in potestate disponendi et statuendi de indicendo gerendoque bello. Hisce accensent alii: 1. vias publicas, flumina navigabilia, portus, ripatica, thesauros in publicis locis inventos, res pro derelictis habitas. Quae enim nullius propria sunt aut dominum perdiderunt, ad universalem dominum pertinent. 2. Venationem praescriptione in principes derivatam. 3. Confiscationem bonorum damnatorum. 4. Jus signandae monetae. Arnisius in polit. c. 12. Quidam jura majestatis faciunt duplicia, *majora et minora. Majora* ipsis sunt: 1. legem universis ac singulis dare; 2. magistratus et dignitates constituere; 3. bellum indicere et pace finire; 4. omnium judiciorum ordinationes et provocationes habere; 5. vitae et famae restituere. *Minora* vocant poenarum et mulctarum compendia, vectigalia, tributa et similia. Vide Arnisium libr. 2. de jur. majest. c. 1. num. 8.

125. Sed de his latius tractant jurisconsulti et politici, transeamus igitur ad ea, quae propius ad nostrum forum spectant. Quaestio est, an 1. Sam. 8, v. 11. et seqq. describantur *jura majestatis*, an

vero *mores* tyrannorum? hoc est an *de jure*, an vero *consuetudine* regum ibi tractetur? Multis videtur, non de jure, sed de vulgata regum consuetudine Samuelem loqui, quid scilicet reges agant, non autem quid agere debeant. Bardolus de regim. civ. n. 4. Bodinus lib. 1. de rep. c. 10. Philippus in epit. phil. moral. p. 197. Brentius hom. 27. in 1. lib. Sam. Osiander in notis ad h. l. Pezelius part. ult. object. p. 999. Zepperus in explic. legum Mosaic. lib. 4. c. 8. Tossanus in notis Biblicis h. l. Ross. de reip. Christ. potest. supra reges c. 2. p. 103. D. Húnnius juriscons. in resol. disp. Treutlerus dis. 1.
III. 313. vol. 1. p. 73. etc. 1. quia in Hebr. est מִשְׁפָּט, quod non solum significat jus et legem, sed etiam morem et consuetudinem. Jud. 18, v. 7: *Habitans secure* כְּמִשְׁפַּט *juxta judicium.* Targ. כְּהִלְכַת, *juxta consuetudinem Zidoniorum*, quomodo etiam vertit Lutherus nach der Weiſe der Zidonier. Gen. 40, v. 13: *Porriges calicem* כַּמִּשְׁפָּט, *juxta pristinum morem*, Lutherus nach der vorigen Weiſe. Exod. 21, v. 1. 1. Sam. 27, v. 11. 2. Reg. 11, v. 14. 2. Reg. 17, v. 26. Psalm. 119, v. 132. Ezech. 16, v. 38. jus adulterarum. 2. Quia Deut. 17, v. 16. alia lex regia a Deo ipso proponitur huic מִשְׁפָּט plane contraria. *Cum fuerit rex constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Aegyptum equitatus numero sublevatus*, sed hoc loco v. 11: *Filios vestros tollet et ponet in curribus suis facietque sibi equites et praecursores quadrigarum suarum.* Deut. 17, v. 17: *Non habebit argenti et auri immensa pondera,* sed hoc loco v. 14: *Agros vestros et vineas et oliveta optima tollet*, v. 15. *segetes vestras et vinearum reditus addecimabit*, v. 16. *servos etiam vestros et ancillas et juvenes optimos et asinos auferet*, v. 17. *greges vestros addecimabit.* Deut. 17, v. 20: *Non elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos*, sed hoc loco v. 17: *Vos eritis ei servi.* Ezech. 45, v. 9. et c. 46, v. 18: *Non accipiet princeps de hereditate populi.* At regi id hoc loco conceditur. 3. Decimae jure divino Levitis erant debitae, sed hic eaedem vendicantur regi. 4. Achabus hoc nomine punitur, quod Nabotho vineam suam eripere voluerit, 1. Reg. 21. atqui hoc refertur inter מִשְׁפָּט regis, v. 14: *Vineas vestras tollet.* 5. Futuri regis, quem Israëlitae inconsulto et repudiato Deo sibi deposcebant, potentia ut poena temeritatis populo denuntiatur. *Eritis ipsius servi* (inquit Samuel) *et clamabitis in die illa a facie regis vestri, et non audiet vos Dominus in die illa.* At legitima potentia et justi reditus magistratuum non sunt poenae subditorum. 6. Scopus Samuelis erat populum ab incepto dehortari v. 19. Atqui per id quod bonum et justum est, aliquem dehortari velle est absurdum. Alii contra statuunt, jus regiae majestatis hic describi, sicut etiam Lutherus vertit, das iſt das Recht eines Königs, et in postill. domest. sup. evang. Dom. 23. post Trinit. conc. 1. dicit, *ea quae caesaris esse dicuntur*, Matth. 22, v. 21. *esse jus illud regis*, *quod describitur* 1. Sam. 8. jam vero ea, quae Christus caesaris esse dicit, jure illi competere in confesso est. Strigelius in hunc locum p. 27: *Hic dicunt aliqui, describi tyrannum, non regem, nec dici haec ita tanquam approbante Domino servitutem, sed textus nominat jus regis et loquitur de oneribus stipendiorum causa impositis.* Warem. ab Ehrenb. in verisim. theol. jurid. et polit. per totum librum et alii complures. 1. quia מִשְׁפָּט proprie significat jus, legem, statutum, a rad. שׁפט XIII. 314.
judicavit. 2. Quia rescripta sunt interpretanda secundum petita. Jam vero Israëlitae non tyrannum, sed regem sibi dari petierant. 3. Cur peculiariter hunc morem regis esse Samuel diceret, cum is quoque consueverit esse mos aliorum magistratuum, ut potestate sua abutantur? An non Abimelechum rhamno arborum pessimae comparat Jotham, Jud. 9, v. 14? an non de filiis Eli et Samuelis judicum commemoratur, quod *avaritiae dediti acceperint munera et perverterint judicium* 1. Sam. 2, v. 16. c. 8, v. 3? At si regibus non competit major potestas quam judicibus, frustra dicitur jus regum, quod fuerat etiam judicum. 4. Quaecunque hoc loco enumerantur, ita comparata sunt, ut rex ea utpote ad jus majestatis pertinentia a subditis exigente reipublicae salute ac necessitate postulare possit. *Filios vestros* (inquit Samuel) *tollet et ponet in curribus suis et faciet equites et praecursores quadrigarum suarum et constituet sibi tribunos et centuriones et aratores agrorum suorum et messores segetum et fabros armorum et curruum suorum.* In hisce verbis proponitur constitutio praesidiorum et satellitiorum, quae omnino ad majestatem et incolumitatem regis requiruntur, quippe absque praesidio militari majestas et incolumitas regi vel regno constare nequit. *Filias vestras* (inquit Samuel) *faciet sibi unguentarias, focarias et panificas.* At si ex subditis rex tales elegerit, nec in Deum, nec honestatem peccat, sed regiae suae mensae et magnificentiae consulit. *Agros vestros* (inquit Samuel) *et vineas et oliveta optima tollet et dabit servis suis.* At si justa et necessaria causa, reipublicae scilicet utilitas vel necessitas, illud exegerit, potest omnino rex agros et vineas auferre ac militibus dare. *Segetes vestras* (inquit Samuel) *et vinearum reditus addecimabit, ut det servis suis*, *greges quoque vestros addecimabit.* Atqui exigere decimas, proventus ex agris et vineis sumere, in se ac per se non est regi illicitum, cum praeceptum de decimis non sit simpliciter ceremoniale, sed morale inditum judicio rationalis naturae, quae dictitat, his qui communi utilitati invigilant, deberi stipendia; ac jure divino magistratui deberi vectigalia, tributa, constat ex Matth. 17, v. 25. c. 22, v. 19. Rom 13, v. 7. *Servos vestros* (inquit Samuel) *et ancillas et juvenes optimos et asinos auferet et ponet in opere suo.* At hoc est jus operarum, die Frohndienſte, quo etiam inferiores personae saepius utuntur, *et eritis ipsi servi*, inquit Samuel, atqui etiam optimorum regum servi dicuntur subditi. 5. David, Salomon et alii reges Israëlitici tyrannidis nunquam accusati ea sibi vendicarunt, quae hoc loco enumerantur, adjunxerunt enim sibi satellites, con-

stituerunt tribunos, centuriones, regia mensa usi sunt, tempore pacis arma, currus militares, equos et equites disposuerunt ac tractarunt. 2. Sam. 8. 1. Reg. 4. et 10. 1. Paral. 1. 6. Samuel non regem, sed populum alloquitur, quin et hanc *legem regni scripsit in libro et reposuit coram Domino*, puta in latus arcae foederalis, ut aeternae memoriae traderetur et esset apud posteros testimonium eorum, quae praedixerat. Josephus lib. 6. antiq. Judaic. c. 5. Gregorius lib. 4. expos. in lib. 1. Reg. cap. ult. At quare injusta servitia a populo exigeret et de iniquis oneribus legem scriberet in tabulas publicas referendam? Distinguendum igitur *inter temerariam regis cupiditatem* et *reipublicae utilitatem ac necessitatem*. Si rex privata libidine et habendi cupiditate impulsus talia sibi vendicet, injuste ac tyrannice agit, sed si reipublicae salute et utilitate id exigente talia postulet, regia sua potestate merito utitur. Distinguendum etiam *inter rem et rei modum*. Si rex in hisce exigendis modum justum ac
XIII. 315. legitimum servet et absque violentia operas, decimas et tributa pro regni sui statu ac necessitate exigat, non potest dici tyrannus; si vero modum necessarium et legitimum fuerit egressus et ex subditorum incommodo suum duntaxat quaerat commodum, potestate sua abutitur. Quo pertinet illud Lyrae in comm. h. l.: *Sciendum, quod aliqua sunt de jure regis in necessitate positi propter bonum commune regni, et sic omnia, quae hic exprimuntur, sunt de jure regis, quia in tali casu omnia sunt regis vel principis et exponenda vel expendenda pro bono communi, sicut et in corpore naturali videmus, quod manus vel etiam alia pars corporis naturali instinctu exponitur pro conservatione vitae ipsius corporis. Si autem alio modo accipiatur jus regis extra necessitatem, sic plura exprimuntur, quae non pertinent ad jus ipsius regis, utpote omnia illa quae reddunt populum subditum servilem, et quae non respiciunt bonum commune, sed magis hominis in regno positi voluntatem, et talia praedixit eis ad retrahendum, ne peterent regem, quia eis non expediebat, et quia regimen propter magnitudinem potestatis facile degenerat in tyrannidem.* Gregorius l. 4. in expos. 1. Reg. c. 2. potestatem illam regibus concessam vocat *jus regium tyrannorum*. *Electus rex David* (inquit) *cum ad aedificandum altare Domino Ornam Jebusaei aram peteret, regio illo tyrannorum jure uti noluit. Regium* vocat, quia regibus omnibus convenit, *tyrannorum* appellat, quia in illud facile degenerat, nisi eo debito loco et tempore ac debita moderatione reges utantur. Arnisaeus lib. 2. de juribus majestat. c. 1. num. 4.

SECTIO II.

DE VARIIS SPECIEBUS MAGISTRATUS.

126. Esse plures magistratus *species* colligitur Species magistratus.
ex loco apostolico Rom. 13, v. 1. ubi in plurali vocat ἐξουσίας ὑπερεχούσας, ut ostendat, non unam, sed plures esse magistratus species, quibus omnibus et singulis obedientia a subditis debeatur. Ceterum divisiones specierum magistratus desumuntur vel *ab essentiali*, videlicet ab ipsa potestatis diversitate, vel a quibusdam accidentalibus. Ratione potestatis est quidam magistratus *summus*, quidam *inferior*. *Summus* est qui merum seu plenum habet imperium, nec in terris aliquem recognoscit superiorem, sed a solo Deo dependet; *inferior* est, qui habet potestatem et jurisdictionem a superiore sibi delegatam, ideoque ab eo dependentem. Fundamentum hujus divi- 1. Ab essentiali.
sionis consistit in jurisdictionis et potestatis gradibus ac diversitate, ad quam respicit etiam Petrus 1. epist. 2, v. 13: *Subditi estote omni humanae creaturae sive regi tanquam praecellenti*, v. 14. *sive ducibus tanquam ab eo missis* etc. Centurio Capernaiticus Matth. 8, v. 9. ad classem inferiorum magistratuum semet ipsum referens inquit: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit; et alteri, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit.* Eandem divisionem probat historia sacra et profana utriusque speciei exempla subministrans longe plurima. Genes. 12, 1. In V.
v. 15. fit mentio *Pharaonis regis* et *principum ejus*, qui videntur fuisse principes regni, inferiore quadam potestate et dignitate, quam fuit regia, instructi. Gen. 21, v. 22: *Abimelech rex Gerarae* et *Phichol princeps exercitus ejus* cum Abrahamo foedus ineunt, ubi nomen Abimelechi est nomen commune regum Palaestinae, ut Pharao et postea Ptolemaeus commune fuit nomen regum Aegypti et Caesar Romanorum imperatorum, Hieronymus l. 9. in Ezech. Abimelech enim significat *patrem regem*, quod dicit pater patriae; ac Gen. 26, v. 26. fit mentio alterius cujusdam Abimelechi, qui centum annis fuit posterior eo, qui cum Abrahamo foedus contraxit. Gregorius Tolos. lib. 6. de rep. c. 14. existimat, omnes alieni- XIII. 31
genarum gentium reges in scripturis vocari Abimelech. Idem dicendum de *Phichol*, quod itidem videtur fuisse nomen ducum militiae publicae, qui hodie vocantur generales exercitus, est enim Phichol *omnis facies vel omne os*, quasi omnium militum facies, animi, ora et oculi in hunc militiae ducem essent conversi, quodque sicut facies totum corpus, ita ipse totum exercitum praeire ac ducere deberet. Abimelecho Gen. 26, v. 26. adjungitur Ochozat, qui *ipsius amicus* dicitur. LXX interpr. vocant *paranymphum*, illi enim intimi alicujus sunt amici, qui in nuptiis ejus sunt pronubi Johan. 3, v. 29. hic paranymphus regisque amicus intimus apud Persas erat *secundus a rege*, vocabaturque *Surenas*, cujus erat coronare

regem. Is praeerat cohorti regiae, quae ex selectissimis, fidelissimis regique amicissimis, nobilibus scilicet et dynastis, qui cum rege nutriti et educati fuerant, constabat, unde erat *quasi dux et primus inter aulae nobiles et regis amicos.* Cornelius a Lapid. in comm. c. 26. Gen. Gen. 41, v. 40. Psalm. 105, v. 21. Josephus constituitur a Pharaone Aegypti rege praefectus domus et totius regni. *Tu eris* (inquit) *super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantum regni solio te praecedam,* v. 41. *Ecce constitui te super universam terram Aegypti,* v. 45. unde vocavit eum *secretissimum consiliarium* Exod. 18, v. 21. Jethro Moysi genero suo suadet, ut *constituat millenarioris, centuriones, quinquagenarios et decuriones, qui populum judicent* v. 22. quidquid majus fuerit, ad Moysen referant et ipsi tantummodo minora judicent. In Hebr. est שָׂרִים *principes.* Fuerunt autem in populo Israëlitico tria potissimum genera principum, videlicet *principes tribuum, principes familiarum et principes urbium. Principes tribuum* שָׂרֵי הַשְּׁבָטִים singulas tribus duxerunt. Ut ergo duodecim tribus, ita duodecim earum fuere principes, qui singulis tribubus jus reddiderunt. *Principes familiarum* שָׂרֵי מִשְׁפָּחוֹת praeerant familiis, singulae enim tribus divisae erant in certas familias, harum principes familias convocabant et in bello earum duces erant. *Principes urbium* שָׂרֵי עָרִים urbibus praeerant. Familiae enim erant distributae in urbes, quarum principes erant complures, videl. שָׂרֵי אֲלָפִים *chiliarchae,* principes millenariorum, שָׂרֵי מֵאוֹת *hecatontarchae,* principes centenariorum, שָׂרֵי חֲמִשִּׁים *principes quinorum* vel quinquagenarii, שָׂרֵי עֲשָׂרוֹת *principes denorum* vel decuriones. Conjunge 2. Paral. 1, v. 2. Num. 11, v. 16. eligit Moyses Dei mandato *septuaginta seniores,* qui una cum ipso onus gubernationis sustineant. Ad imitationem horum 70 seniorum institutum fuit hoc *sanhedrim* seu synedrion, quod erat summum consistorium in populo Judaico constans viris septuaginta sapientia, virtute, doctrina, auctoritate et Spiritus sancti donis praestantibus, qui ex sacerdotibus, Levitis et reliquis tribubus eligebantur, penes quos erat summa potestas dijudicandi controversias, exercendi judicia publica, quin et reges eligendi ac deponendi, unde a Thalmudistis vocatur *domus judicii magna, collegium sceptri et publicae potestatis.* Praeerat illis unus Hannasi dictus sive Nasi, id est praelatus, et Muphla, id est excellens, qui vocatur *judex* Deut. 17, v. 12. cui summus sacerdos fuit adjunctus, ut sic collegium illud in universum 72 senioribus constiterit. Paulus Fagius in Deut. 16. commemorat, tria fuisse apud Israëlitas judicia, *minimum, parvum et magnum. Minimum* constabat tribus judicibus et vocabatur *judicium trium* seu *domus judicii triumviralis,* in illo pronuntiabatur de causis, quae erant manifesti juris; tale judicium erat in qualibet civitate, quae 120 incolas non habebat. *Parvum* habebat judices 23, quae dicebatur *domus judicii parva et synedrion minus,* in illo judicabatur de causis, quae aliquid habebant controversiae, ac tale synedrion parvum erat in qualibet civitate Israël, quae habebat 120 incolas. *Magnum* constabat septuaginta judicibus, qui judicabant de summis causis, ac tale judicium erat unum duntaxat, et quidem Hierosolymis. Deut. 16, v. 18. jubentur constitui שֹׁפְטִים וְשֹׁטְרִים judices et praefecti in omnibus portis vel civitatibus, de quorum distinctione haec tradunt Rabini: *Schopthim* (inquiunt) XIII. 317.
sunt judices, qui determinant causam sive judicium; schotrim sunt, qui dominantur populo et exsequuntur mandata eorum cum virga et flagello. Videntur igitur schotrim potius fuisse officiales et apparitores quam magistratus, quin magistratibus proprie competit tum jurisdictio et causae cognitio, tum potestas mandandi executioni sententiam; sed officiales sunt ministri magistratuum, quibus sola rerum judicatarum executio demandatur, quales Romae erant olim viatores. Refert enim Schindl. in Lex. in voce שׁטר, quod tales שֹׁטְרִים sive *apparitores* sententias judicum executioni dederint habentes baculum et lorum et circumeuntes in urbe ac plateis ejus ad corrigendum pravum, ad faciendum justas mensuras et pondera, idque omne juxta mandata judicum sicut apud Turcas *custodes civitatis,* aut officiales gestant baculos, quibus litigantes aut alteri injuriam facientes puniunt. Jos. 23, v. 2: *Vocavit Josue omnem Israëlem, majores natu et principes et judices et praefectos,* ex quo loco colligitur, fuisse quatuor gradus officiorum civilium in qualibet civitate: 1. זְקֵנִים *senes vel senatus;* 2. רָאשֵׁי אָבוֹת *capita patrum,* singularum tribuum primates, primi et eminentiores in urbe; 3. שׁוֹפְטִים *judices,* qui jus noverant ac dicebant; 4. שֹׁטְרִים *apparitores,* qui res judicatas exsequebantur ac baculo et loro cogebant populum ad observantiam praeceptorum. Jud. 2, v. 16. mentio fit judicum, qui *extraordinarie* a Deo excitabantur ut populum, quando premebatur ab hostibus, liberarent et in pristinam libertatem vendicarent; tales judices tempore belli auctoritate valebant, sed post dimissos milites quandoque privatim vivebant, quandoque vero magistratum gerebant, sed non fuit hic principatus hereditarius, unde nec semper in eadem familia, nec tribu mansit. 2. Reg. 4, v. 13. mentio fit שַׂר הַצָּבָא principis militaris. *An est loquendum de te ad regem vel ad principem militiae?* Talis princeps militiae post regem summam in castris habuit potestatem atque erat *generalis dux* seu imperator belli, cui parebant chiliarchae, hecatontarchae etc.

127. In N. T. mentio fit *caesaris* Matth. 22, v. 21. 2. In N. T.
Luc. 2, v. 1. *regis* 1. Petr. 2, v. 13. Matth. 2, v. 1. *ducum* v. 14. *reguli* Joh. 4, v. 47. quem Chrysostomus putat dictum *βασιλικόν* ex eo, quod fuerit generis regii, hom. 34. in Joh. sed rectius ab officio sic appellatus censetur, quod fuerit regio quodam munere perfunctus. Syrus appellat eum עֶבֶד מַלְכָּא, *ministrum regium.* Hieronymus in cap. 45. Esa. vocat *palatinum.* Luc. 8, v. 3. Chusa vocatur *ἐπίτροπος, procurator, Herodis.* Est enim ἐπίτροπος,

cui cura alicujus rei committitur vel commissa est, *curator*, *procurator*, *vicarius*. Ὁ κατὰ τὴν Λιβύην ἐπίτροπος apud Herodianum lib. 7. est Libyae administrandae praefectus seu Africae procurator, ut Politianus vertit. Luc. 2, v. 2. cap. 3, v. 1. Cyrenius et Pilatus *Romani praesides* in Judaeam ab imperatoribus missi vocantur ἡγεμονεύοντες. Post relegatum enim Archelaum ipsius ditio, Idumaea scilicet, Judaea proprie sic dicta et Samaria in formam provinciae redactae, non per proprium aut ordinarium principem, sed per praesidem, qui a Romanis eo mittebatur et pro occasione mutabatur, illo tempore gubernabatur. Ibidem etiam mentio fit *tetrarcharum*. Strabo l. 13. scribit, regionem Galatarum in quatuor praefecturas fuisse divisam, quae fuerint dictae *tetrarchiae* et earum praefecti *tetrarchae*, inde factum, ut generali quadam appellatione praefecti provinciarum dicerentur tetrarchae ratione appellationis ex quadripartita illa divisione deducta, quamvis etiam proprie tetrarchae nomen hic accipi posset, quia Herodes Magnus in testamento totum suum regnum ita divisit, ut dimidia ejus pars, Idumaea scilicet, Judaea et Samaria, Archelao, reliquae medietatis una pars, Galilaea et Petraea, Herodi Antipae, altera vero pars, Trachonitis scilicet et Ituraea, Philippo cederet. Quia igitur Archelai ditio duabus reliquis portionibus Herodi et Philippo assignatis aequipollebat, inde evangelista tetrarcharum appellatione innuere voluit, ex quatuor portionibus seu
XIII. 318. tetrarchiis singulas cessisse Herodi et Philippo, Archelao vero duas, qui ideo ἐθνάρχης dictus fuit, Chemnicius in harm. c. 16. p. 293. ubi erudite hos gradus potestatis et imperii in Judaea recenset: *1. imperator Romanus*, *2. rex*, 3. ἐθνάρχης, quo nomine Augustus et Archelaum, quem nolebat regem vocare et tamen tetrarcha majorem esse volebat, appellavit; 4. ἡγεμών, praeses, qui vicario imperatoris nomine provinciam administrabat; *5. tetrarcha*; *6. toparcha*, quia tota Judaea divisa fuit in 11 toparchias, Josephus lib. 3. de bell. Jud. c. 2. lib. 6.

3. In aliis scriptoribus. 128. Affinis est huic divisioni magistratus ex gradibus et diversitate potestatis petitae ea, qua quidam dicuntur νομοθέται, *legumlatores*, quidam vero νομοφύλακες, *legum custodes* et exsecutores; item quod quidam statuuntur *senatores*, qui de publicis regni negotiis deliberant, quidam *judices*, qui privatorum lites dijudicant ac dirimunt, iique vel *civilium negotiorum vel capitalium criminum* judices sunt constituti. In regno Persico septem *satrapae* sive principes, apud Spartanos *ephori*, apud Athenienses *demarchi*, apud Romanos *tribuni plebis* erant constituti, qui summo magistratui erant additi, ut exuberantem ejus potentiam intra limites continerent, ad quorum imitationem septemviri in imperio Romano caesari sunt additi, absque quorum consilio et suffragio in gravioribus negotiis totius imperii salutem concernentibus imperator nihil agit.

2. Ab accidentalibus. 129. Ex illis, quae magistratui sunt *accidentalia*, variae ejusdem divisiones petuntur. 1. Ratione *qualitatis* quidam sunt *fideles*, Christianae religioni addicti, quidam vero *infideles*, quales erant imperatores Romani primis duobus post Christum natum seculis; quidam sunt *orthodoxi* et verae religioni addicti, quidam vero *haereticis* opinionibus imbuti ac fascinati, et inter hos quidam sunt *verae religionis persecutores*, quidam vero eidem in suis regnis et ditionibus *sedem* aliquam concedunt, qui et ipsi maximis laudum praeconiis digni sunt censendi; quidam sunt *boni*, qui potestate sua ad subditorum utilitatem utuntur, quidam *mali*, qui eadem ad perniciem et oppressionem subditorum abutuntur, per *crudelitatem* scilicet vel per *avaritiam* etc. 2. Ratione *adjuncti temporis* quidam sunt *togati*, qui praesunt tempore pacis; quidam *militares*, qui tempore belli praesunt; quorundam magistratus est *perpetuus*, quorundam vero *ambulatorius*.

130. Quaeritur hoc loco, *Praestetne, ambulatoriam vel perpetuam esse magistratus dignitatem?* **An magistratus debeat esse perpetuus vel ambulatorius.** Qui prius suadent, hisce utuntur argumentis: *1. Natura* omnes fecit pares, per vices igitur parendum, per vices imperandum. Insolens enim et infrequens foret, inter eos, qui sunt aequales, nonnullos reliquis tantum antecellere, quantum deos et heroas hominibus praestare credimus, Aristoteles libr. 2. polit. 2. lib. 7. polit. 14. 2. Vicissitudo magistratus gerendi ac deponendi reprimit ingenia *fastuosa*, nec inebriari nimia licentia sinit, quam vehementer auget fixa et perpetua apud unum magistratus dignitas. 3. Eadem vicissitudo alit civium *concordiam*. Si quando uni honor et dignitas nimis diu continuantur, is proceribus redditur invisus ac insidiis vel criminationibus impetitur, sicut Camillus a Capitolino apud Livium lib. 6. decad. 1. Seditionis in republica causa est praemiorum inaequalitas, jam vero est e salute reipublicae omnes seditionum ac discordiarum civilium fibras evellere, Bodinus lib. 4. de rep. cap. 4. n. 431. 4. Id ipsum requirit *justitia*. Quis enim supplicia perpetuis magistratibus delinquentibus irrogabit? at in annuis et ambulatoriis rationem reddet privatus, qui consul noluit. *5. Res familiaris* deterius administratur ab illis, qui perpetuum gerunt magistratum, ut Epaminondae, Lysandri, Aristidis et Fabricii exemplis probat Junius part. 1. q. polit. q. ult. Qui posterius suadent, haec
proferunt: 1. Vicissitudo illa magistratus *splendorem* non mediocriter obfuscat. XIII.
2. Eadem civibus plurimum *molesta* est, cum novos culices et hirudines subinde ipsis immittat. Tiberius dicebat, *non facile nec celeriter praefecturas esse mutandas, esse enim praefectos pecuniae lucrique ut plurimum cupidos et muscarum similes, quae quo diutius corporibus insideant minus graves et molestae fiunt, quippe quae jam sunt repletae.* Nicephorus l. 1. c. 17. 3. In ambulatoriis et annuis magistratibus prius aliquis officio abire cogitur, quam ejus, quod didicit, *specimen* exhibere potest. 4. Ut crebra *victus mutatio* in corporibus hominum a medicis, sic magistratuum mutatio in rebuspublicis improbatur. 5. Nullus est magistratus novus, quin aliquid *novi* apportet et cui non displiceat aliquid ex moribus

antecessoris. 6. Apud *Persas* delecti judices perpetuo id munus obtinent, nisi delicti alicujus convicti fuerint, Herodotus l. 3. p. 83. Distinguendum 1. inter *magistratum summum et inferiores;* 2. inter statum reipublicae *monarchicum et polyarchicum*; 3. inter *cives inaequales*, quorum quidam ad regimen minus idonei, et *aequales* pari prudentia et regnandi scientia instructos. Respectu magistratus summi in monarchico reipublicae statu et inter cives inaequales praestat magistratum esse perpetuum; respectu inferiorum magistratuum et in statu reipublicae aristocratico ac democratico, ac quando cives sunt aequales, ambulatorium praestat esse magistratum.

SECTIO III.

DE VARIIS RERUMPUBLICARUM FORMIS AC GENERIBUS.

ae i- ca 131. Aristoteles l. 3. pol. c. 7. secutus Herodotum in Thal. Isocratem orat. 3. ad Nicocl. Platonem 8. de republ. et alios veteres tres enumerat rerumpublicarum legitimarum species. *Cum gubernatio civitatis* (inquit) *et regimen idem significent, regimen autem sit potestas civitatis, necesse est, potestatem hujusmodi aut penes unum esse, aut penes paucos, aut penes multos. Quando igitur unus vel pauci vel multi communem utilitatem in gubernatione sequuntur, has esse rectas rerumpublicarum* species, *τὰς ὀρθὰς πολιτείας εἶναι, necesse est, quando autem ad propriam utilitatem vel unius vel paucorum vel multitudinis gubernatur, transgressiones sunt et labes, παρεκβάσεις. Vocare autem consuevimus, cum unus ad utilitatem communem respiciens gubernat, regiam potestatem, βασιλείαν; cum vero pauci gubernant, plures tamen uno, optimatium gubertionem, ἀριστοκρατίαν, vel ex eo, quia optimi praesunt, vel ex eo, quia ad optimum publicum administrant; cum autem multitudo gubernat ad communem utilitatem, vocatur communi nomine rerumpublicarum omnium respublica, πολιτεία. Prolabuntur vero ac transgrediuntur hujusmodi species ex regia gubernatione in tyrannidem, ex optimatibus in paucorum potentiam, ex republica autem in popularem statum, ἡ τυραννὶς παρέκβασίς ἐστι βασιλείας, ὀλιγαρχία δὲ ἀριστοκρατίας, δημοκρατία δὲ πολιτείας. Tyrannidem enim esse dicimus dominatum unius ad proprium commodum intendentis; paucorum autem potentiam, cum ad opulentiorum commodum gubernatur; popularem autem statum, cum ad commodum egenorum.* Haec Philosophus, quibus plerique omnes politici suffragantur. Corn. Tacitus l. 4. annal.: *Cunctas nationes et urbes aut populus, aut primores, aut singuli regunt.* Augustinus l. 2. de civ. Dei cap. 21. ex Cicerone lib. 3. de rep.: *Respublica res est populi, cum bene ac juste geritur ab uno rege, sive a paucis optimatibus, sive ab universo populo. Monarchicus* Israëliticae reipublicae status fuisse videtur sub regibus; *aristocraticus* sub senioribus et tribuum principibus, cum nondum rex esset constitutus; *democraticus*, quando ex suffragio totius populi de summa rerum statuebatur. Jud. 20. et 21. Qui dichotomiis delectantur, politias dividere possunt in *rectas* et *vitiosas*. *Rectae* sunt, quae publicum, *vitiosae*, quae privatum bonum respiciunt. In rectis regimen et jurisdictio est aut *penes unum*, aut *penes plures*, eosque vel *optimates* vel *omnes*, unde status reipublicae vel est *monarchicus*, vel *polyarchicus*, isque vel *aristocraticus*, vel *democraticus*. Quibus opponuntur totidem species vitiosarum rerumpublicarum sive *παρεκβάσεων*. Quemadmodum enim ferro, rubigo, ligno vermiculi ac teredones adnascentes perniciem afferunt, et quanquam externa cuncta nocumenta effugiant, ab istis tamen, quae adnata sunt, absumuntur, hoc pacto et reipublicae cuilibet pro natura ipsius quaedam adnascitur et adhaeret peculiaris malitia, in quam facile degenerat, utpote regno tyrannis, aristocratiae oligarchia, democratiae ochlocratia, Polybius lib. 6. ubi notandum, *democratiae* vocem esse *ἐκ τῶν ἐν μέσῳ κειμένων*. Ab Aristotele enim sumitur in malam partem pro *παρεκβάσει πολιτείας*, ab aliis vero scriptoribus politicis in bonam pro tertia reipublicae rectae specie, quod ipsum etiam de *tyrannidis* appellatione dicendum. XIII. 320.

132. An praeter hasce tres rerumpublicarum formas, quas vocant *simplices*, detur adhuc quaedam *mixta*, acriter controvertitur inter politicos, quibusdam affirmantibus, ut Moro, Contareno, Machiavello, Fricio, qui ex Herodoto, Aristotele, Polybio et Cicerone suae sententiae robur quaerere nituntur. Petrus Gregor. in synt. art. mirab. libr. 21. c. 4. mixtae reipublicae exemplum proponit in Venetorum republica, quam ex democratia et aristocratia mixtam censet; quibusdam vero negantibus, quorum partes propugnat Bodinus lib. 2. de repub. c. 1. n. 176. Quamvis vero hae species inter se misceantur intendendo ac remittendo, semper tamen *praeminet ac praeponderat una*, a qua illius denominatio petitur. Petrus Gregor. lib. 5. de republ. cap. 1. num. 3. Lipsius lib. 2. polit. cap. 2. Arnisaeus in polit. cap. 8. p. 162. talem mixtionis modum dari posse disputat, quo *jura majestatis* separantur et diversa diversis statibus attribuuntur, utpote si *populus* habeat curam aerarii publici, *senatus* iis rebus praeficiatur, quae maxime indigent prudentia, ut sunt judicia publica, *princeps* vero habeat summam et perfectissimam potestatem. 1. An detur reipubl. forma mixta.

133. Nec minore conatu quaeritur inter politicos, *quaenam forma reipublicae reliquis sit praeferenda.* Monarchiae primas tribuunt plerique omnes. *Ex omnibus reipublica formis, etiam bonis, optima est monarchiae*, inquit Darius apud Herodotum lib. 3. *Ut monarchia, bonis legibus instituta, est omnium reipublicae formarum praestantissima, sic bonus rex est velut deus quidam inter mortales*, inquit Plato in dial. polit. *Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς* canit Homerus Iliad. 2. Quae reipubl. forma sit reliquis praeferenda.

β. quem versiculum saepe commendat Aristoteles. Est enim monarchia *1. naturae ipsi convenientissima*, quippe quae non solum universa unum habet conditorem et gubernatorem Deum et solem unum, a quo sublunaria omnia illuminantur. *Divinitas aeterna sua ineffabili providentia regnat sola in universo mundo, unus conditor mundi, qui regit omnia salubriter*, ait Philo in decal. p. 487. *Omnium in terra bonorum auctor est sol, si vero gemini forent soles, periculum esset, ne omnia conflagrarent*, ut quidam Lydorum ad Croesum dixit, qui fratrem ad imperii consortium assumserat, apud Stobaeum serm. 45. *nec mundus duobus solibus regi potest, nec duo summa regna habere*, inquit Alexander Magnus apud Curtium l. 5. et Justinum l. 11. sed particularis etiam natura unius directione gaudet. Ut in homine est *anima una*, quae omnia dirigit, sic unum reipublicae corpus unius animo re-
XIII. 321. gendum, Asinius apud Tacitum l. 1. annal. quod repetit Pontanus l. 4. de obed. cap. 2. Ut in domestica societate est *unus paterfamilias*, sic in civili sit unus monarcha. Inter *apes ac grues* unus est, qui ceteros omnes regit eisque praeit, Aristoteles lib. 1. de hist. anim. c. 1. Plinius l. 11. nat. hist. c. 17. Breviter, *in omni rerum conditarum genere unum quiddam eminere cernimus, quod ceteris ejusdem generis dignius*, Savonarola epitom. ethic. concl. 19. *2. Antiquissima.* Augustinus l. 4. de civ. Dei c. 6: *Monarchicus status est omnium antiquissimus. Primum in terris fuit imperii nomen*, inquit Sallustius in Catilin. Adamus velut unus aliquis monarcha omnibus non solum irrationalibus animantibus, sed etiam hominibus fuit praepositus. *3. Eadem constantissima ac tutissima.*

Nulla fides regni sociis omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Lucanus l. 1. Rarius unus, saepius secum multi dissident. Exemplis hoc demonstrat Junius p. 1. quaest. polit. q. 4: *Unius principatus bellis dissidiisque solet esse liber*, inquit Justinus in exhort ad gentes. *Virtus unita semper est fortior. Unum et bonum convertuntur*, inquit Philosophus, illud ergo optimum, quod maxime unum. *4. Eadem subditis accommodatissima.* Facilius enim unius, quam multorum imperio obtemperari potest. *Quanto facilius est*, inquit Isocrates in Nicocle, *animum unius viri instituto accommodare, quam multis variisque opinionibus placere conari. 5. Eadem aequissima. Monarchiae plurimum tribuunt optimo, deinde secundo quod post primum est, deinde tertio et quarto ac reliquis eadem ratione pro meritis cujusque*, Isocrates in Nicocl. *Facilius unus quispiam vir bonus reperitur, et si illum inventu difficilem quis putet, necesse est fateatur, ut plures inveniri difficilius*, Dio l. 44. hist. *6. Eadem felicissima.*

εὔδαιμον πτολίεθρον ἑνὸς κήρυκος ἀκοῦον,

qui versiculus Soloni ab oraculo redditus apud Plutarchum in conv. sap. Plures gubernatores navis licet artem noverint, tamen sibi invicem sunt impedimento. 7. Eadem *communi fere omnium gentium consensu* reliquis rerumpublicarum formis *anteposita*, ut late ostendit Petrus Greg. Tolos. l. 5. de repub. c. 3. ad eam in omni periculoso reipublicae statu sapientes quique tanquam ad sacram ancoram confugerunt. In difficillimis quibusque temporibus dictator Romae creabatur, qui summum imperii jus habebat et potestatem plane regiam. Plura argumenta pro monarchiae dignitate cumulata exstant apud Plutarchum l. de unius et mult. domin. Stobaeum serm. quod opt. sit monarch. Xenophontem in Cyropaed. Beroaldum de opt. reip. statu, Petrum Gregor. l. 5. de repub. c. 3. Bodinum l. 6. de repub. c. 4. Lipsium lib. 2. polit. 2. Thom. Morum lib. 1. de repub. c. 2. Simanc. l. 3. de rep. c. 2. Patritum l. 1. de regno tit. 3. Junium l. 1. polit. quaest. q. 4. Hippolytum a Collibus in princ. c. 1. p. 13. 14. Althusium c. 32. polit.

134. Pontificii ex hoc principio politico de monarchiae praestantia colligunt, *etiam in ecclesia debere esse unum aliquem monarcham et visibile aliquod caput*, pontificem scilicet Romanum, qui summam in reliquos episcopos et totam ecclesiam obtineat potestatem, ut apparet ex Bellarmino lib. 1. de pontif. Rom. c. 1. et seqq. Costero in enchir. controv. c. 3. p. 119. Gretsero in defens. Bellar. tom. 2. Sandero in l. de monarch. eccl. etc. Atqui 1. non ex principiis politicis, sed ex Scripturis sacris de optimo *ecclesiae* regimine disserendum. Ex Scripturis igitur primo omnium demonstrandum fuerit, Christum ordinasse, ut ecclesia N. T. a quodam visibili capite et monarcha gubernaretur, nec *de hac summa rei Christianae* (ut Bellarminus in praefat. lib. de pontif. primatum pontificis vocat) ex conjecturis politicis statuendum, alias committitur *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*. 2. Si vel maxime concedamus, regimen ecclesiae debere esse monarchicum, nondum tamen evictum erit, pontifici Romano illud competere, sed *Christus* uti solus est ecclesiae suae sponsus, *ἀρχι-* XIII.
ποιμήν, caput et fundamentum, ita quoque solus est ecclesiae monarcha. 3. Nondum apud omnes politicos est in confesso, monarchiam simpliciter praestare reliquis formis. Quidam existimant de formis rerumpublicarum earumque praestantia non esse in *comparativo*, sed *positivo* loquendum, cum uterque regiminis modus tam aristocraticus, quam monarchicus sit bonus et eligibilis, uterque Dei ordinatio et paria afferat commoda. Banosius de polit. civ. Dei c. 14. sat. 2. Quidam aristocratiam praeferunt, quam ita dictam putant, quod non solum sit *ἀρίστων*, sed etiam *ἀρίστη ἀρχή;* quidam monarchiam aristocratia temperatam praeferunt, quin imo qui in liberis rebuspublicis hodie vivunt, tantum abest, ut monarchicum unius dominatum praeferant, ut vitam potius quam libertatem amittere malint. Et qui monarchiam praeferunt, certas addunt limitationes. Thomas p. 2. q. 105. art. 1: ***Regnum*** **(monarchia)** ***est optimum regimen populi, si non corrumpatur,***

sed propter magnam potestatem, quae regi conceditur, de facili regimen degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus ejus, cui tales potestas conceditur, perfecta autem virtus in paucis invenitur, et praecipue Judaei crudeles erant et ad avaritiam proni, per quae vitia maxime in tyrannidem decidunt, ideo Dominus a principio eis regem non instituit cum plena potestate. Bellarminus ipse l. 1. de pont. Rom. c. 3. *simplici monarchiae praefert mixtam et ex aristocratia temperatam, si circumstantiae et ratio hujus vitae consideretur;* unde etiam quidam distinguunt inter praestantiam regiminum consideratam *in thesi* citra circumstantiarum respectum, et *in hypothesi*, hujus vel illius reipublicae respectu, quo accommodari potest distinctio Philosophi inter ἁπλῶς ἀγαθόν et τινὶ ἀγαθόν. Quamvis absolute et simpliciter loquendo monarchia sit praestantior, tamen respectu hujus vel illius politiae alia regiminis forma potest esse accommodatior ac proinde magis eligenda. Item inter monarchiam *in abstracto* ratione essentiae et *in concreto* ratione existentiae. Si monarchia in se et ratione quidditatis suae aestimetur et omnia boni monarchae requisita praesupponantur, negari forte nequit, eam esse omnium formarum praestantissimam, sed si consideretur ratione existentiae, qualis esse solet in tanta humanae naturae imbecillitate, non injuria dubitatur, an ea semper sit eligibilior ac praestantior. Vide Meisnerum in disp. de regim. eccles. q. 2. th. 71.

135. Theologi quando ex c. 2. et 7. Danielis quatuor monarchias statuunt, *Babylonicam* scilicet *Persicam, Graecam et Romanam*, in sensu quodam specialiore monarchiae nomen accipiunt pro regnis
123. totius mundi amplissimis, potentissimis ac florentissimis, sibi invicem succedentibus et serie non interrupta ad Christi usque adventum durantibus. De Assyriorum monarcha Nabuchodonosore dicitur Dan. 4, v. 19. *potestatem ipsius pervenisse in terminos universae terrae.* De Medorum et Persarum monarchia Dan. 8, v. 4. dicitur, *omnes bestias non*
124. *potuisse ei resistere nec liberari de manu ejus.* De Graecorum monarchia dicitur Dan. 2, v, 39. quod *universae terrae sit imperatura;* de quarta, Romana scilicet, monarchia Dan. 2, v. 40. quod *omnia sit contritura ac comminutura;* ideo enim Daniel in specie horum quatuor regnorum sub typo statuae et bestiarum distinctam mentionem facere voluit, tum quia inter reliqua mundi regna singulis temporibus praecipua eorum fuit auctoritas, tum quia ecclesiae status illis magis quam aliis fuit obnoxius. Bodinus in method. histor. c. 7. per illas quatuor bestias propheticas intelligit *Medos, Persas, Graecos et Parthos*, quatenus Babylonem subegerunt. Fr. Junius, Polanus, Piscator et quidam alii per *quartam Danielis bestiam* non Romanam monarchiam, sed Alexandri Magni successores, Seleucidarum scilicet ac Lagidarum regnum, ac per corniculum parvum inter decem reliqua exortum Antiochum Epiphanem intelligendos esse statuunt, qua ratione Danielis prophetiam intra arctissimos paucorum annorum carceres, videlicet intra tempus, quod a captivitate Babylonica usque ad synagogae excidium intercessit, includunt sicque hodiernam ecclesiam a fructu hujus prophetiae excludunt, quibus sequentia merito opponuntur argumenta.

136. *1. Ex prophetica tum quartae bestiae, tum* 4. An per quartam Danielis bestiam intelligatur monarchia Romana?
etiam corniculi inter decem cornua enati descriptione. 1. Quarta bestia apud Danielem sic describitur, 1. quod sit *prorsus alia ac diversa* a praecedentibus, quod apparet tum ex *generali bestiarum discretione* Dan. 7, v. 3: *Quatuor bestiae grandes adscendebant de mari diversae inter se;* tum ex *speciali quartae bestiae explicatione* v. 7. 12. 19. 23. ubi notanter dicitur *dissimilis reliquis bestiis.* At successores Alexandri non sunt diversi a praecedente tertia bestia, quia v. 6. *per quatuor alas et quatuor capita* tertiae bestiae denotantur, ut colligitur ex Dan. 8, v. 22. Ergo successores Alexandri et ipsorum regnum non sunt quarta bestia. 2. Quod sit *duratura* usque ad judicium extremum, ut colligitur *ex descriptione judicii*, immediate hujus bestiae descriptioni subjuncta Dan. 7, v. 9. 10. 13. cumprimis ex v. 21. et 22. ubi dicitur, quod *cornu illud praevaluerit adversus sanctos, donec venit Antiquus dierum et judicium sedit.* Atqui regnum successorum Alexandri jampridem sublatum est, nec duravit integros trecentos annos. Qui de particulari Dei judicio adversus Seleucidas exercendo et regno Maccabaeis post illud vaticinium propheticum conferendo exponunt, refelluntur descriptione tum XIII. 325.
judicii a filio hominis exercendi, id enim ita comparatum est, ut non nisi extremo judicio competat; tum *regni* post illud judicium *sanctis dandi*, quod usque *in seculum et seculum seculorum* iidem dicuntur possessuri v. 18. *At si hoc de Maccabaeis intelligitur, doceat, qui ista contendit, quomodo regnum eorum sit perpetuum?* inquit Hieronymus in comm. Dan.

137. 2. Ut autem quartae bestiae descriptio non convenit Alexandri successoribus, ita nec cornu parvi descriptio Antiocho Epiphani competit, sed regno Turcico, id quod manifestum fiet, si descriptionis partes singulas examinemus. *1. Appellatio.* Cornu quartae bestiae appellatur זְעֵירָה *parvum* Dan. 7. v. 8. at Antiochus vocatur מִצְּעִרָה *ex minore* inter quatuor, ut haec appellatio ad stirpem, non ad personam pertineat. *2. Origo.* De ortu hujus parvi cornu usurpatur verbum סִלְקַת v. 8. et 20. quod de ortu bestiarum e mari etiam usurpatur v. 3. ex quo colligitur, cornu illud *non esse quartam bestiam*, sed immediate *ex mari* oriturum, hoc est eum, qui per cornu parvum denotatur, non per successionem, sed per novam adscensionem ad imperium perventurum. Atqui Antiochus per successionem imperium obtinuit. *3. Tempus originis.* Ortus corniculi refertur *ad tempus quartae bestiae.* v. 8. At Antiochus Epiphanes non prodiit ex quarta bestia, sed ex tertia Dan. 8, v. 9. et 23. *4. Incrementum.* De corniculo dicitur, quod *in principio* fuerit parvum, sed postea prae reliquis *evaserit magnum* Dan. 7, v. 19:

Adspectus ejus magnus prae sociis suis. At Antiochus Epiphanes erat magnus nascens, quia Antiochi Magni filius fuit, nec major reliquis evasit, imo ne par quidem parenti; qualis antequam a Romanis magna regni parte exueretur, exstitit. *5. Res gestae.* De corniculo illo dicitur, quod *tria cornua ex decem cornibus bestiae sit evulsurum* v. 8. hoc est *tres reges humiliaturum* v. 24. At nec decem cornua in Alexandri successoribus, nec tria cornua in Alexandri successoribus, nec tria cornua sive regna ex illis ab Epiphane decussa monstrari possunt. Junius nominat 1. Ptolemaeum Philopatora, 2. Seleucum Philopatora, 3. Demetrium filium. Atqui Demetrius post Epiphanem regnavit, ergo cornu hoc non fuit ab Epiphane dejectum. Praeterea cornua dejecta oportuit ante regnare et in numero decem cornuum bestiae locum prius habere. Jam vero Demetrius ante Antiochum Epiphanem non regnavit, teste Josepho libr. 12. antiquit. cap. 15. nec ipse Junius Demetrium inter decem cornua ponit. Polanus loco Demetrii ponit Antiochum Magnum, at is non a filio, sed a seditiosa plebe fuit interemtus, teste Justino libr. 32. Brugtonus nominat 1. Seleucum Philopatora, 2. filium ejus Demetrium, 3. Philometorem Aegypti regem. At nec Demetrius, nec Philometor ab Epiphane evulsus, cum uterque post ipsum regnarit, Philometor etiam cum eo et ante eum, ut ex chronologico calculo Helveticus in synopsi de quatuor summ. imper. p. 4. probat. De corniculo illo praedicitur v. 25. quod *sermones contra excelsum loquetur et sanctos altissimi conteret et cogitabit mutare tempora et legem.* At haec non tam Antiocho quam Turcae competunt, qui tempora in algieras et legem in alcoranum mutavit. *6. Adjuncta.* Tribuuntur corniculo *oculi quasi oculi hominis*, qui vigilantiam in imperii finibus augendis et affectationem singularis humanitatis notant, et *os loquens grandia*, quo notantur blasphemiae pseudopropheticae, qualia non tam in Epiphane, propter crudelitatem Epimane dicto, quam in Turca regnum primitus affectante et in alcorano blasphema eructante deprehenduntur. *7. Interitus.* Corniculum illud interit circa extremum judicium v. 11. ac deletur immediate ab ipso judicio, ita ut cum eo totaliter deleatur *corpus bestiae* atque omne imperium terrenum v. 12. post interitum illius *nullum est tempus*, sed succedit illi *regnum sanctorum aeternum* v. 27. At ista non possunt ad Antiochi ac regni ipsius interitum applicari, quod jampridem interiit et Romanorum monarchia eidem successit.

XIII. 326. 138. *2. Ex prophetica temporis notatione.* Praesupponimus numerum monarchiarum quaternarium, tum per *quatuor partes statuae*, 1. caput scilicet aureum, 2. pectus et brachia argentea, 3. ventrem et femora aerea, 4. tibias ferreas et pedes ex parte ferreos, ex parte fictiles Dan. 2. tum per *quatuor diversas bestias* Dan. 7. diverso licet respectu denotari. Atqui Dan. 2, v. 28. dicit propheta ad regem: *Deus notificavit regi, quod futurum est in novissimo dierum.* Ergo regna illa sibi invicem eo modo succedunt, ut duret quartum usque ad novissimum diem, quo usque etiam se extendit utraque visio tum prophetae, tum regi oblata, id quod evidenter etiam colligitur ex connexione v. 34. et 44. cum praeced. v. Dan. 2, v. 9. et 22. cum praeced. Dan. 7. *3. Ex prophetiae Danielis cum apocalypsi Johannis collatione.* Ea enim evidenter ostendit, non regnum successorum Alexandri, sed Romanam monarchiam per quartam bestiam notari. Apud Danielem quarta bestia sic describitur, quod *adscenderit e mari* Dan. 7, v. 3. quod *fuerit terribilis, formidabilis ac fortis*, *comedens*, *comminuens et conculcans* v. 7. *habens cornua decem* v. eod. *dentes ferreos et ungues aeneos* v. 19. 23. simili modo describitur bestia *decicornis* Apoc. 13, v. 2. quod *fuerit similis pardo*, quod *fuerint pedes ejus sicut pedes ursi et os ejus sicut os leonis* v. 2. hoc est quod instar leonis comminuerit, instar ursi devoraverit, instar pardi conculcarit, sicut etiam apud Danielem v. 12. *reliquum bestiarum*, leonis scilicet violentia, ursi truculentia et pardi saevitia huic quartae bestiae attribuitur. Quod autem decicornis illa bestia apud Johannem denotet Romanam monarchiam, colligitur ex eo, quod Apoc. 17, v. 9. *septem capita*, quae illi tribuuntur, explicantur per *septem montes.* Atqui de Roma constat, quod septem montes ambitu suo includat, unde Maro de ea canit:

Septem quae una sibi muro circumdedit arces.

et Propertius:

Septem urbs alta jugis, toti quae praesidet orbi.

Praeterea *mulier insidens bestiae* sic explicatur Apocal. 17, v. 18. quod *sit civitas magna habens regnum super reges terrae.* At tempore Johannis nulla urbs alia quam Roma monarchiae quartae metropolis imperium in reges terrae habuit. Denique *color coccineus* v. 3. huic bestiae attributus, quid aliud notat quam sanguinolentas persecutiones, quas tum ab imperatoribus Romanis adhuc ethnicis, tum a Romanis pontificibus ecclesia Dei sustinuit? *4. Ex communi saniorum interpretum testificatione.* Primus, qui a recepta discessit sententia, fuit *Porphyrius*, Christiani nominis hostis, quem Hieronymus et Theodoretus refellunt, reliqui interpretes et quidem plerique omnes tum *veteres*, tum *recentiores* visionem Danielis de quatuor monarchiis et quartam ejus partem de Romana monarchia exponunt, unde Calvinus ipse in Dan. p. 21. sic scribit: *Hoc ὅραμα statuae extra controversiam quicunque praediti sunt sano judicio et candide etiam cupiunt mentem prophetae exponere, intelligunt de quatuor monarchiis.* p. 22.: *Interpretes, qui et mediocri judicio pollent et candore, ad unum omnes hunc locum exponunt de monarchia Babylonica*, *Persica, Graeca et Romana. Et Daniel ipse suis verbis satis ostendet.* Graserus in histor. Antichr. magni exerc. prima p. 45. et seqq. ex professo Fr. Junii sententiam refellit.

139. Porro ex Danielis de quatuor monarchiis vaticinio recte colligitur, *Romanam monarchiam, sub qua vivimus, usque ad finem mundi duraturam*, cum finis hujus monarchiae et Christi ad judicium adventus immediate conjungantur, c. 2, v. 44. c. 7, v. 9. Contrarium statuit 1. *Lactantius*, qui l. 7. instit. c. 15. futurum scribit, *ut Romano nomine funditus deleto reversoque in Asiam imperio occidens serviat, oriens autem dominetur*, ubi adducit etiam testimonium Sibyllarum et Hydaspis Medorum regis antiquissimi, qui sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradiderit, *sub-*
327. *latum iri ex orbe imperium nomenque Romanum.* Respondemus: 1. certissimis Spiritus sancti oraculis non sunt praeferenda incerta Sibyllarum vaticinia. 2. Idem Lactantius lib. 7. cap. 25. diem extremi judicii intra ducentos a suo tempore annos exspectandum definit: *omnis*, inquit, *exspectatio non amplius quam ducentorum videtur annorum.* Cum ergo claruerit Lactantius circa annum Christi 330. tempus judicii oportuisset incidere in annum a nato Christo 530. sed eventus docuit contrarium. Proinde ut in uno falli potuit Lactantius, ita quoque in altero; et ut ob unum non completum Lactantii vaticinium reliquis fides decedit, sic e contrario multa Danielis oracula ipso eventu comprobata, eorum quae adhuc implenda restant, fidem confirmant. 3. Quid de talibus vaticiniis statuendum sit, similia exempla ostendunt. Phil. l. 5. chron. sub tit. Maxim. imper. refert, cum Maximilianus I. anno 1480. die 6. Febr. imperator eligeretur, Judaeum quendam Francofurti fuisse, qui diceret, *ultimum tunc imperatorem Germanicum* eligi, accersitumque ad electores coram his eadem dixisse. Fuerunt qui Rudolphum II. ultimum ex Austriaca familia imperatorem fore praedixerunt, sed eventus illorum praedictiones redarguit. 2. *Judaei hodierni*, qui magnas spes fovent, se non semper exsules fore, sed quando imperium Romanum fuerit sublatum, ad Judaeam sese redituros, idque colligunt ex Thren. 4, v. 21: *Gaude et laetare filia Edom, quae habitas in terra Hus; ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis*, ubi per Edom existimant, intelligi monarchiam Romanam, cum primus ejusdem fundator Julius Caesar de Edom fuerit. Respondemus 1. hac ratione ipsorum Judaeorum regnum intelligi posset per Edom, cum Herodes fuerit Idumaeus. 2. Unde probant, Julium Caesarem fuisse Edomitam? Edom sive Esavus fuit ex posteritate Semi, sed orbis Europaeus, in quo Roma sita est, a posteris Japheti fuit habitatus. 3. Si vel maxime primus Romanorum imperator fuisset Edomita, non tamen propterea totum Romanum imperium posset dici Idumaeum vel filia Edom. 4. In prophetico vaticinio retinendus est sensus literalis. Filia Edom significat *regnum Idumaeae* ab Edom, qui fuit Esavus, sic denominatum, Hus est nomen civitatis in hoc regno celebrioris. Consolatur enim propheta populum Israëliticum argumento a poenis hostium et praecipue Idumaeorum, qui erant perpetui et implacabiles Judaeorum hostes, desumto et ironice jubet eos gaudere et laetari super miseriis Judaeorum, brevi enim hujus laetitiae finem fore dicit, cum ad ipsos quoque calix irae divinae perventurus sit. Similes praedictiones exstant Jer. 49, v. 10. Ezech. 25, v. 12. c. 35, v. 3. ac quinto post Hierosolymae expugnationem anno Idumaeis et aliis vicinis gentibus ea, quae hic praedicuntur, contigisse commemorat Josephus l. 10. antiq. Judaic. c. 11.

CAPUT VI.

DE FINE ET EFFECTU MAGISTRATUS.

140. *Finis magistratus* est vel *principalis* et summus, vel *minus principalis* et intermedius. Finis magistratus.
Finis *principalis*, ut aliarum divinarum ordinationum, ita quoque magistratus est *Dei gloria.* Proverb. 16, v. 4: *Universa propter se ipsum operatus est Dominus.* Intermedius et *minus principalis* finis in genere ab apostolo exprimitur Rom. 13, v. 4. quod sit *bonum publicum*, cui inest etiam bonum singulorum subditorum privatum. *Dei minister est*, inquit, *tibi in bonum.* In specie illud bonum statuitur tripartitum 1. Tim. 2, v. 2. *ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et honestate.* Primum igitur bonum est ἡσυχία, *publica quies et tranquillitas.* Si absque magistratus cura ac defensione esset, omnia cyclopicis confusionibus essent turbata; quod vita et fortunae nostrae ab aliorum oppressionibus et rapinis sunt securae, id post Deum magistratui unice debemus. *Omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, om-* XIII. 328.
nium vacationem illius occupatio. De regno Salomonis scribitur 1. Reg. 4, v. 25: *Habitabat Juda et Israël absque timore ullo unusquisque sub vite sua et sub ficu sua cunctis diebus Salomonis.* Jerem. 29, v. 7. dicit propheta ad Israëlitas: *Quaerite pacem civitatis* (Babylonis) *et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Bar. 1, v. 11: *Orate pro vita Nabuchodonosor et Balthasar, ut vivamus sub umbra eorum.* Huc referenda est visio Danielis prophetae, in qua beneficia magistratus describuntur sub typo *arboris procerae et magnae*, sub qua *umbram inveniunt animalia campi*, *in ramis ejus nidulantur volucres et ex ea vescitur omnis caro*, Dan. 4, v. 8. 9. Ceterum hanc quietem et tranquillitatem publicam procurat magistratus *legum promulgatione*, *justitiae administratione*, *bonorum defensione*, *malorum correctione*, *judicum institutione* etc. 2. *εὐσέβεια*, *cultus divini exercitium publicum ac liberum.* Si absque magistratus cura ac defensione esset, non possent institui conventus ecclesiastici, in quibus doctrina coelestis proponitur. Quod scholae et templa in pace

florent, id magistratui debemus, qui propterea vocatur *nutritius ecclesiae* Esa. 49, v. 23. 3. σεμνότης, *publica honestas*, qua subditi in officio continentur, ne perfractis legum et honestatis repagulis tradant se libidinibus, morum turpitudini et omnis generis improbitati. Magistratus tuetur externam disciplinam ac positis honestis legibus prohibet ea, quae beluinam feritatem ac turpitudinem introducunt.

Officium magistratus. 141. Ad hunc *finem* tanquam aliquem scopum magistratus officium tanquam *medium* perducit et spectat. Officii illius partes diversimode a diversis recensentur. Quidam revocant illud ad custodiam *utriusque decalogi tabulae;* quidam ad *res divinas et humanas;* quidam occupari illud statuunt vel *circa res*, vel *circa personas;* quidam ad *judicium* et *justitiam* partes officii illius revocant; quidam illud versari dicunt in *ordinando*, *judicando et vendicando;* quidam vel *pacis*, vel *belli* tempore illud spectandum esse censent. Dicimus, requiri ad pium Christianum et laudabilem magistratum *1. legitimam officii occupationem*, ne scilicet violenta aliorum oppressione vel malis artibus vel aliis mediis illegitimis et illicitis solium occupet, sed aliquo modorum ac mediorum legitimorum superius recensitorum ad illud evehatur. *2. Legitimam ejusdem administrationem*, quae in eo consistit, ut magistratus recte se gerat *erga Deum*, *erga homines*. Hominum nomine complectimur tum *ipsum magistratum*, tum *alios homines*. Requiritur igitur, ut magistratus recte se gerat *erga se ipsum et erga alios*, eosque vel *amicos*, vel *inimicos* et hostes. Amici sunt vel *domestici* et familiares, vel *extranei*. Domesticorum et familiarium nomine intelligimus *parentes*, *uxorem*, *liberos*, *consiliarios* etc. Extranei sunt vel *aequales*, quo nomine ὡς ἐν πλάτει intelligimus *vicinos* et *magistratus* alios; vel *inferiores*, quo nomine accipimus *subditos*, potestati ac jurisdictioni magistratus subjectos. Quemadmodum enim apostolus regulam vitae Christianae omnibus ac singulis praescripturus Tit. 2, v. 12. requirit, ut quilibet σωφρόνως, δικαίως καὶ εὐσεβῶς vivat, εὐσεβῶς scilicet respectu *Dei*, σωφρόνως respectu *sui ipsius*, δικαίως respectu *proximi;* ita quoque officium magistratus non incommode ad haec capita revocari potest, ut recte se gerat erga *Deum*, erga *se ipsum* et erga *homines alios*. *Multiplex et multiformis debet esse princeps*, inquit Philo in l. de Josepho, *alius in bello*, *alius in pace*, *alius erga hostes*, *alius erga subditos*.

XIV. 1.

SECTIO I.

QUOMODO MAGISTRATUS ERGA DEUM SESE GERERE DEBEAT.

Quomodo magistratus erga 142. Ea quae a magistratu debentur Deo, unico εὐσεβείας ac *pietatis* nomine complecti possumus. Ante omnia igitur requiritur, ut magistratus sit pius ac religiosus, timens Deum non hypocritice et ad externam duntaxat speciem, sed sincere et ex corde. Deum gerere debeat. Machiavellus quidem in lib. de princ. c. 18. praeter cetera venenata dogmata etiam hoc instillat principum animis, *non requiri in principe veram pietatem*, *sed sufficere illius quandam umbram et simulationem externam.* At contrarium probant: *1. Dei praecipientis majestas.* Deus ab omnibus omnino hominibus requirit pietatem et sanctum sui timorem, ergo etiam a principibus, quippe qui hic nulla exceptionis lege gaudent, quo minus Dei, utpote superioris, legi reverenter se subjiciant, quinimo in specie a magistratu, tam superiore, quam inferioribus Deus exigit, ut sint pii, timentes Deum et mandata ejus custodientes. Deut. 17, v. 18. Jos. 1, v. 8. Exod. 18, v. 21. 2. Par. 19, v. 7. Psalm. 2, v. 10. etc. *2. Magistratus dignitas.* Sunt *dii*, ergo Deum exprimere debent pietate. *Optime deorum exemplum principi constituam*, *ad quod formetur*, *ut se talem esse civibus*, *quales deos sibi velit*, inquit Seneca l. 1. de clement. c. 2. in quo dicto ethnici praeter deorum pluralitatem nihil est ethnicum. *Decorum est*, *ut probitate emineat*, *qui dignitate. Decet id quod optimum est*, *ab optimo coli et quod imperat ab imperante*, inquit Diogenes apud Stobaeum. *Non videtur dignus regis nomine*, *qui secundum mandata Dei se et sibi subditos contemnit regere*, Angelomus l. 4. Reg. c. 14. et ex eo Petr. Gregor. l. 21. syntax. art. mirab. c. 6. *Quo quis in republica majorem dignitatis gradum adeptus est*, *eo Deum colat submissius*, inquit Agapetus praec. 1. 3. *Summa pietatis utilitas*, quam et magistratui, et subditis affert. Pietas est ἀρχὴ τῶν ἀρετῶν, Philo l. de decal. p. 478. imo virtutum omnium anima, absque qua reliquae virtutes sunt inanime quoddam cadaver. XIV. *Solent pietatem comitari virtutes reliquae*, *a qua non magis divelli possunt quam umbra a corpore*, *quod in sole versatur*, ait idem Philo lib. de carit. Virtutibus ergo veris ac Deo gratis studere quisquis cupit, a pietate et timore Domini initium faciat necesse est. Optimum etiam ac tutissimum principis munimentum est pietas. *Nemo facile insidiis petet illum*, *quem ob pietatem Deo curae esse persuasum habuerit*, inquit Cyrus apud Xenophontem lib. 8. Cyropaed. **Nicephorus lib. 18, c. 8.: *Demophilus Plutarchum Chaeroneum dixisse refert*, *propter solam urbem Romam virtutem et fortunam inter se foedus pepigisse*, *ego autem dixerim*, *veram etiam in Deum pietatem et felicitatem in solo Mauritio conjunctione ita convenisse*, *quod pietas scilicet felicitatem in suam potestatem redegerit eandemque errare et labi prorsus non permiserit.*** *Super omnia praeclara*, *quae regnum habet*, *pietatis cultusque divini corona regem exornat*, inquit Agapetus in exposit. paraenet. tom. 1. orthodox. p. 185. et addit evidentem rationem: *Divitiae evanescunt*, *vulgi favor ut aura evanescit*, *sola vitae Deo placentis gloria immortalibus seculis coëxtenditur et trans oblivionis tenebras collocat possidentes.* Nec minores in rempu-

blicam a pietate principis redundant utilitates. Est enim principis vita *speculum*, in quo se contemplantur subditi, est *exemplar*, ad quod vitam conformant, *norma* est, secundum quam mores dirigunt, ut non *tam imperio ipsis sit opus quam exemplo*, Plinius in panegyr. Trajani. Eccles. 10, v. 2: *Qualis est rector civitatis, tales etiam habitantes in ea.* Plurimum igitur magistratus pietas valet ad inserendam subditorum animis pietatem, ex pietate vero civium in republica omnis prosperitas et felicitas oritur, cum pietas *et hujus, et futurae vitae* promissionem habeat 1. Tim. 4, v. 8. *Felix respublica*, inquit Cominaeus part. 2. c. 49. *in qua qui imperat princeps, Deum timet. 4. Impietatis pernicies.* Cum pietas et Dei timor sit quoddam quasi frenum ac repagulum, quo in officio continetur magistratus, praesertim summus, fieri inde nequit, quin remota ex magistratuum animis pietate, abusus potestatis turpissimus consequatur. Ac velut venenum fonti infusum omnes inficit rivulos, sic a principe ad omnes subditos impietas sese diffundit, ex quo tandem eversionem reipublicae consequi necesse est. Persarum regnum quamvis ditissimum impietas perdidit, subditos eorum omnes corrupit ac Persas omnibus mortalibus exosos reddidit, Xenophon lib. 8. Cyrop.

...tatis magi...atu ...tri...a. 143. *Εὐσεβείας* hujus in magistratu requisitae nutricula est *verbi divini studium ac sedulo meditatio.* Cum enim nemo Deum recte colere possit, nisi ipsum recte agnoscat, cumque salutaris illa Dei cognitio post lapsum non innascatur hominum mentibus, sed ex Verbo unice sit petenda, ideo ad pietatem et cultum Dei primo omnium requiritur, ut ex verbi divini auditu, lectione ac meditatione magistratus Deum recte agnoscere, timere ac colere discat. Quo spectat expressum mandatum divinum Deut. 17, v. 18: *Postquam rex sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis hujus in volumine accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticae tribus et habebit secum legetque illud omnibus diebus vitae suae, ut discat timere Dominum Deum suum et custodire verba et ceremonias ejus, quae in lege praecepta sunt.* Ad Josuam dicit Dominus Jos. 1, v. 8: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quae scripta sunt in eo, quia tunc prosperam facies viam tuam et prudenter ages*, ex quo loco David propheta regius beatum illum pronuntiat, qui *in lege Domini meditatur die ac nocte* Psalm. 1, v. 2. Jojadas summus sacerdos regi Joas in solenni inauguratione tradit *testimonium* sive librum legis 2. Reg. 11, v. 12. 1. Paral. 23, v. 11. ut admoneatur, diligenter sibi ...IV. 3. illum esse evolvendum. Josias reperto libro legis in templo Domini curat eum *publice praelegi* et auditis verbis voluminis illius *humiliat se coram Domino.* 2. Reg. 22, v. 11. et 19. Alphonsus Arragoniae et Siciliae rex hoc nomine commendatur, quod sacra Biblia cum glossis a capite ad calcem *decies quater* perlegerit. Nec illam duntaxat utilitatem Scripturae lectio principi praestat, quod veram et salutarem Dei agnitionem ex ea discere potest, sed etiam de imperio recte gerendo salutaria praecepta et exempla ex eadem peti possunt, unde propheta regius Psalm. 119, v. 24. dicit: *Testimonia tua sunt gaudium meum et consiliarii mei sunt justificationes tuae.* Cum omnia abunde suppetant principibus, saepe tamen indigent illis, a quibus veritatem et sana consilia audiant, ac consiliarii quandoque metu se impediri patiuntur, quominus libere suam proferant sententiam, sed Scripturae sacrae libri nullo personarum respectu habito tam magistratus, quam privatorum peccata arguunt et salutaria consilia principibus suppeditant.

144. *Requisita et partes* illius, quam magistratus Deo debet, pietatis sunt: *1. Precum assiduitas.* Cum enim ars imperandi sit omnium maxima et difficillima, ad quam divina quaedam prudentia requiritur, cum magistratus multorum odiis et insidiis sit expositus, cum in proclivi sit a justitiae tramite aberrare et in fastigio dignitatis positum super alios efferri ac potestate sua abuti, ideo magistratui preces necessariae sunt vel maxime, quibus et prudentiam et alia ad *εὐαρχίαν* necessaria dona a Deo impetret atque adversus diaboli suggestiones et hostium molitiones sese muniat, qua in parte rex David suo omnibus principibus praelucet exemplo, cujus assidua fuit occupatio *Dei laudatio et ardens precatio.* Salomonis preces describuntur 1. Reg. 3, v. 6. et seqq.: *Tu Domine Deus meus regnare fecisti servum tuum* etc. *dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit et discernere inter bonum et malum.* Sap. 9. per tot.: *Deus patrum meorum et Domine misericordiae, qui fecisti omnia verbo tuo et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturae, quae a te facta est,* etc. *da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam et noli me reprobare a servis tuis* etc. De Carolo V. Zenocarus in ipsius vita refert, quod in precibus ad Deum fundendis fuerit assiduus, unde ipsius aulici de eo dixerunt, quod *saepius cum Deo quam cum hominibus loqueretur. 2. Subjectionis erga Deum humilitas.* Agnoscat magistratus, etiamsi in terris summus sit, esse in coelis regem superiorem, qui est *rex regum* et *dominus dominantium* 1. Tim. 6, v. 15. Apoc. 17, v. 14. agnoscat, ab illo se suam obtinere potestatem ac de usu vel abusu potestatis rationem aliquando reddendam esse. Psalm, 2, v. 10: *Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram,* v. 11. *servite Domino cum timore et exsultate ei cum tremore.* Sap. 6, v. 2: *Audite reges et intelligite et discite judices finium terrae,* v. 4. *quia data vobis potestas a Domino et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur.* Augustinus l. 5. de civ. D. c. 24. *felices reges fore* ait, *si honoribus et obsequiis non extollantur, si se esse homines meminerint, si ad Dei majestatem et laudem agant, si eum colant.* Sui ipsius praeceptor princeps singulis momentis haec secum loqui debet. *Hodie diis immortalibus, si a*

Ejusdem requisita.

me rationem repetant, *annumerare genus humanum paratus sum*, ait Seneca libr. 1. de clem. cap. 1. *Audit princeps*, *omnis potestas a Deo est*, *protinus surgunt cristae. Cur magis tumidum te reddit Scriptura quam solicitum? Cogitas*, *quod Deus tradidit tibi gerendum imperium*, *et non cogitas*, *quod gesti imperii idem exigit rationem*, Erasmus in milit. Christ. p. 162. Princeps ut hominibus se imperare norit, ita se Deo inferiorem et se ipsum quoque hominem esse cogitet, itaque *voces et laudes*, *quae soli numini debentur*, *tanquam putidissimas assentationes oderit*, Plinius in paneg. Trajan.

Dis te minorem quod geris, *imperas;*
Hinc omne principium, *huc refer exitum*,

canit Horatius lib. 3. od. 6. Josephus prorex Aegy-
XIV. 4. pti constitutus erat, idem tamen reverentur se Deo subjicit, quando fratribus suis deprecantibus amantissime respondet: *Nolite timere*, *quia sub Deo sum ego*, Gen. 50, v. 19. David coronam suam regiam Deo subjicit dicens Psalm. 115, v. 16: *O Domine*, *ego servus tuus*, *ego servus tuus et filius ancillae tuae*. Philippus Macedonum rex per puerum sibi singulis diebus acclamari curabat: Φίλιππε μέμνησο ἄνθρωπος εἶναι. Contra Herodes dum patitur sibi divinos honores tribui sibique acclamari: *Vox Dei et non hominis*, ab angelo percussus misere exspirat, Act. 12, v. 23. Perseus, ut est in poëtarum fabulis, habuit Gorgonem vel clypeum, quo alios in saxa convertit, prohibitum autem fuit sibi ipsi, *ne adspiceret suum clypeum*, sed illud negligens et Gorgonem introspiciens conversus est in saxum, id est princeps non debet admirari suam potentiam, ne incidat in fastum et ex fastu in exitium. *3. Vitae integritas*. Cum vita principis velut speculum quoddam omnibus subditis sit propositum, ideo vitam suam omnem ad legis divinae normam ac Dei voluntatem conformare summopere studeat. *Nullum est praestabilius et pulchrius Dei munus erga mortales quam castus et sanctus et Deo simillimus princeps*, ait Plinius in paneg. Trajan. Noverit princeps, se ut Deo, ita quoque divinis legibus esse subjectum, summopere igitur studeat juxta divinorum mandatorum regulam vitam conformare omnem et in omnibus Deo sese obsequentem praestare. Alphonsus semper in ore habebat, *tanto privatis hominibus reges meliores esse debere*, *quanto honoribus et dignitate antecellerent*, Panormitanus lib. 6. de rebus gestis Alphons. Contraria pietati sunt *superstitio* in excessu et *impietas* in defectu peccans, a quibus tanquam scopulis sibi cavere debet princeps, ne exitio immergatur.

SECTIO II.

QUOMODO MAGISTRATUS SESE DEBEAT GERERE ERGA SEIPSUM.

145. Ea quae magistratus debet sibi ipsi, *continentiae* nomine complectimur omnia, ut scilicet quo plus licet magistratui, eo minus ipsi libeat. Augustinus libr. 5. de civit. Dei cap. 24. *felices reges fore* ait, *si sint luxuria tanto castigatiores*, *quanto possunt esse liberiores*, *ac si imperent suis cupiditatibus*. Pertinent autem ad continentiam *1. Sobrietas ac temperantia*, quae in cibo ac potu debitum observat modum. Ea vero magistratui curae debet esse vel maxime. 1. Ad gerendum magistratum requiritur prudentia, ea vero in temulentia et luxuria non potest habere locum. *Fundamentum sapientiae temperantiam esse*, dicebat Xenophanes. *In sicco habitare sapientiam*, dicebat Socrates, *non in humido*. Σωφροσύνη Graecis dicta est quasi σῴζουσα τὴν φρόνησιν; contra vero ἀσωτία sobrietati opposita prudentiam suffocat omnem. Prov. 20, v. 1: *Luxuriosa res est vinum*, *tumultuosa ebrietas*, *quicunque his delectatur*, *sapiens non erit*. 2. Temulentia est vitium servile, ideoque magistratus dignitate et auctoritate plane indignum. *Qui luxui et saginae mancipati sunt*, *ut ignava animalia*, *si cibum suggeras*, *jacent torpentque et praeterita*, *instantia*, *futura pari oblivione dimittunt*, Tacitus l. 2. hist. 3. Ebrietas a cura reipublicae animos magistratus abstrahit et ad corporis cuticulam unice curandam revocat. Eccl. 10, v. 16: *Vae tibi terra*, *cujus rex puer est*, *et cujus principes mane comedunt;* v. 17. *beata terra*, *cujus rex nobilis est*, *et cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum et non ad luxuriem*. Epaminondas cum festo quodam die reliqui cives compotationi operam darent, solus circumiens muros lustrabat, *sobrium esse et vigilare se* dicens, *ut aliis ebriis esse et dormire liceret*, Plutarchus ad Princ. ind. 4. Sobrietas est XIV. 5.
frenum potestatis, quo per vinolentiam sublato injustitia et abusus pessimi solent consequi. Alexander vino aestuans Clitum familiarem suum interfici curavit, sed postea tanta ductus est poenitudine, ut sibi ipsi manus inferre voluerit. Socrates ad Demonicum scribit, *menti vino obrutae idem accidere*, *quod curribus auriga excusso*, cum quo consentit illud Senecae epist. 83: *Non est animus in sua potestate ebrietate devinctus*. 5. Temperantia est castitatis nutricula et munimentum, contra vero *venter mero aestuans cito despumat in libidinem*, c. Venter etc. dist. 35. et *proximus a Libero patre ad inconcessam Venerem est intemperantiae gradus*, Valerius Maximus lib. 2. memorab. *Monstrum haberetur libido sine gula*, *cum haec duo tam unita atque concreta sint*, *ut si disjungi omnino potuissent*, *ipsi prius ventri pudenda non adhaererent*. Tertullianus adv. Psychicos *Venter et genitalia sibi-*

Quomodo magistratus se debeat gerere erga se ipsum.

Continentiae requisita.

1. Sobrietas ac temperantia.

met ipsis vicina sunt, ut ex vicinitate membrorum consideratio intelligatur vitiorum, hinc Nabuzardan princeps cocorum muros Jerusalem destruxisse legitur, quia venter, cui multitudo cocorum deservit, aedificia virtutum ad solum redigit, in princ. dist. 44. ex Hieron. Comites Bacchi a poëtis finguntur Satyri, quia ebrietatem comitatur libido, Satyri enim perhibentur adeo salaces, ut pruritus libidinis dicatur Satyrismus, Sabin. in metam. Jam vero nullum tetrius vitium in magistratu quam libido. 6. Ebrietas omnes animi sinus aperit et operta recludit. Jam vero arcana reipublicae eliminari cum maximo ejusdem incommodo est conjunctum. Seneca epist. 84. Ut musto dolia rumpuntur, et omne quod in imo jacet, vis caloris ejicit; ita ebrii omne, quod in secreto pectoris conclusum habent, vini calore ejiciunt. 7. Ex ebrietate oriuntur rixae, caedes et mala longe plurima. Aegyptiorum animis persuasum fuit, vitem ex fuso in terram gigantum sanguine pullulasse, unde et *amentiam et furorem vino inesse*, Pierius lib. 53. Hierogl. Cyrus Astyagi sciscitanti, cur vinum, quod ei in patera offerri jussisset, bibere recusasset, respondit, *quia venenum esse credidi, cum nuper in convivio vidissem, neminem ex amicis, qui id bibisset, non ita debilitatum corpore, ut ambulare non posset, itaque animo aegrum, ut nihil saperet aut intelligeret, sed in furorem potius verteretur.*

O foeda ebrietas (canit Palingenius) *animi letum, o vitiorum*
Nutrix ac scelerum, quid non mortalia cogis
Pectora? quid per te non audent? jurgia, lites,
Praelia dira moves et gaudes sanguine fuso.

Tigres, lynces et pantherae finguntur a poëtis Bacchum comitari, vel quod sint vini appetentes, vel potius quod sint ferae supra modum immanes, *ebrietatis enim comes est feritas et immanitas*, Sabin. in metam. Ideo Solon constituit, *principem, si ebrius deprehensus esset, morte mulctandum*, referente Laertio l. 1. f. 10.

146. 2. *Castitas*, quae quo rarius in deliciis et abundantia reperitur, eo magis commendata esse debet magistratui. 1. Castitas est virtutum reliquarum peculiare ornamentum, absque qua virtutes reliquae sunt instar trunci a capite revulsi.

Ut cum de statua facies formosa revulsa est,
Non decus in reliquo corpore truncus habet;
Sic reliqui mores spreti sine honore jacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitiae.

Phil. Melanchthon l. 3. epigr. ex Bacchylide. *Castimoniam corporis et sanctimoniam animi duas esse virtutis et felicitatis claves*, scribit Berosus Chald. l. 3. 2. Libido omnes et corporis, et animi vires enervat, nec prudentia in mente locum habere potest, quam libido occupavit, unde Sodomitae libidinis oestro perciti dicuntur percussi *coecitatibus* Gen. 19, v. 11. ubi pluralis numerus, interprete Aben Ezra, notat non *oculorum* solum, sed etiam *mentis* tenebras ac coecitatem. 3. Nihil turpius in principe quam vagae libidines, per quas generosus animus brutarum voluptatum mancipium redditur et ingenuis imperare debens turpissimis servit scortis, sicut de Sardanapalo dicitur, quod pellicum gregi XIV. 6.
se immiscuerit. 4. Vagae libidines principem reddunt contemtum et exosum subditis. *Quemadmodum apes oderunt homines a coitu olidos; sic subditi principem libidinosum exsecrantur*, Pierius lib. 26. Hierogl. 5. Eaedem secum trahunt reipublicae perniciem atque interitum, tum quia subditi magistratus exemplum cupide sequuntur sibique licere putant, quod illi licet; tum quia in aliis plectere non audet magistratus, quod ipse committit; ex quo nihil aliud quam scelerum colluvies et consequenter reipublicae pernicies exspectanda. Raptus Helenae Trojae regnum perdidit. Refert Plutarchus, Leuctris in pago Boeotiae Scedasum quendam duas habuisse filias forma et virtute praestantes, qui cum duos Lacedaemonios hospitio excepisset, illi forma filiarum capti post paucos dies redeunt et patre absente per vim stupratas filias interficiunt inque proximum puteum abjiciunt. Redit pater et canicula monstrante cadavera invenit. Spartam igitur proficiscitur, ut supplicium de sceleratis hospitibus sumi petat, sed derisus ab ephoris, utpote crimini huic vel obnoxiis, vel patrocinantibus, civitate egreditur et dira illi imprecatur. Brevi post Lacedaemonii exercitum in illum locum ducunt, ubi virgines sepultae erant, ibi tanta Lacedaemoniorum multitudo interfecta est, ut imperium Sparta amiserit. Caveat igitur princeps non ipsum solum libidinis peccatum, sed omnes etiam peccati illius occasiones et illecebras. Caveat adspectus libidinosos exemplo Jobi, quem regem Jobabum fuisse quidam putant, c. 31, v. 1: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine.* Cyrus a conspectu Pantheae, Alexander ab intuitu Darii conjugis et filiarum abstinuerunt timentes illud adspicere, quod non licet concupiscere. Caveat otium, lectionem librorum amatoriorum, sermones amatorios, et quaecunque libidini fomitem et incitamenta praestant. Contra vero lectione Scripturarum sacrarum delectetur, si enim *Scripturas quis amat, carnis vitia nunquam amabit;* ineat conjugium, quod post lapsum non solum valet *ad officium*, sed etiam *ad remedium* contra libidinis morbum, ut ex Augustino loquitur Bonaventura in breviloq. tract. 6. c. 13.

147. 3. *In corporis cultu moderatio.* Continentia enim non solum in cibo, potu et ἀφροδισίοις modum statuit, sed etiam in corporis cultu et vestitu. Sane non improbandum, si princeps pretiosioribus ac augustioribus vestibus amiciatur, nam de Salomone commemorat Christus Matth. 6, v. 29. *quod coopertus fuerit ἐν δόξῃ, gloriose et* magnifice, et ad majestatem apud subditos conciliandam vestitus etiam aliquid potest, interim tamen etiam hac in parte debita adhibenda est moderatio, et in ipso vestitus splendore exteriore vigere debet humilitas

3. Moderatio in corporis cultu.

et animi moderatio interior. *Tu Domine scis necessitatem meam*, orat Esther cap. 14, v. 16. *quod abominer signum superbiae et gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae, et detester illud quasi pannum menstruatae et non portem in diebus silentii mei.* Herodes in veste regia insolentiorem sese gerens ac divinos honores admittens misere perit, Act. 12, v. 23. ac Spiritus s. judicium de pompa regali Agrippae ac Bernices, XIV. 7 hoc est, quod fuerit πολλὴ φαντασία Act. 25, v. 23. *Turpe est sapienti, cum animam habeat, laudes ex corpore captare*, ait Julianus imperator apud Ammianum Marcell. lib. 25. Proinde quod Tertullianus de cultu femin. ad mulieres dicit, illud ad principes etiam accommodari potest: *Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiae, taliter ornatae etiam Deum habebitis amatorem.* Aristoteles Alexandrum discipulum suum docuit, *multo pulchrius magisque regium esse animum habere cultum et compositum quam elegantiorem corporis vestem*, cui consilio Alexandrum obtemperasse, refert Aelianus l. 8. var. hist. cum quo convenit illud Alphonsi, qui cum vestitu non multum discreparet a popularibus suis, admonitus, ut regio ornatu incederet, respondit, *se malle moribus et auctoritate suos excellere quam diademate et purpura*, Panormitanus l. 1. de reb. gest. Alph.

4. Robur animi et magnanimitas. 148. 4. Robur animi et magnanimitas. Continentia enim etiam affectibus frenum injicit, ne vel in prosperis princeps animo nimis efferatur, vel in adversis penitus dejiciatur. Magnam fortunam magnumque dignitatis fastigium decet animus magnus. Absque illo animi robore princeps, utpote perpetuis negotiorum ac periculorum ventis obnoxius, nunquam erit pacatus et tranquillus; sed in pectore magnanimo animus bene compositus est *mediis tranquillus in undis. Hic ordo*, inquit Cicero act. 5. in Verrem de magistratu, *quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiae circumflari posse videatur*, requiritur igitur animi robur contumelias, detractiones, invidiam et adversa quaevis parvi aestimans. Lutherus in c. 47. Gen. f. 627: *Magistratus sint fortes et animosi, nec frangantur periculis et procellis, quibus concutiuntur imperia, ut vere hoc sint, quod dicuntur, strenui, generosi, magnifici, illustres*, daß ſie recht feſt und ehrenfeſt ſein. *Regium est bene facere et male audire*, dicebat Alexander. *Si magnanimus fueris* inquit Seneca, *nunquam judicabis, tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, et cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, non vendicare potuisse.* Generosus equus non curat minorum canum latratus ac morsus, animus magnus injurias atque offensiones leviores ex alto despicit. Plutarchus in lib. de ira cohibenda de Philippo Macedonum rege commemorat, amicos auctores ipsi exstitisse, *ut Arcadionem, a quo maledicta et convicia audierat, puniret*, Philippum vero illis obsequi noluisse, sed cum homini occurrisset, benigne potius cum ipso esse locutum, quin et dona ac xenia misisse. Postea quaesivit ex amicis, *quomodo Arcadion de se loqueretur*, cum vero omnes testarentur, eum jam mirum Philippi laudatorem factum, subjecit rex: *Ego igitur melior medicus sum quam vos.* Ad hoc animi robur non mediocre adjumentum ac velut momentum confert pietas et vitae honeste ac laudabiliter actae conscientia, qui enim pietati studet, Deo sese curae esse novit; qui vero Dei protectione nititur, cum Davide rege dicit Psalm. 27, v. 1: *Dominus illuminatio et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepitabo?* Psalm. 56, v. 5: *In Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi caro?*

— — — — — *Hic murus aheneus esto*
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Optima principum custodia *ipsorum* virtus ac *innocentia* et *subditorum benevolentia*, Cyrus apud Xenophontem lib. 7. Cyropaed. unde Alphonsus cum ab aliquibus argueretur, quod solus incederet, ipsique suaderetur, ut more aliorum principum etiam ipse armatorum manu stipatus graderetur, respondit, *se minime solum, sed innocentia associatum incedere*, Panormita l. 2. de reb. gest. Alph.

SECTIO III. XIV. 8

QUOMODO MAGISTRATUS RECTE SE GERERE DEBEAT ERGA FAMILIARES ET DOMESTICOS.

149. Domesticorum ac *familiarium* nomine intelligimus illos, cum quibus princeps quotidie versatur, quos quidam distinguunt in personas *necessarias* et *officiarias*. Necessariae sunt *parentes, conjunx, liberi, fratres, sorores, cognati;* officiariae sunt *consiliari et ministri aulici. Parentes* si adhuc in vivis sunt, princeps honoret, memor quarti praecepti, a quo nullius privilegii tenore vel favore exclusus est, cum *Dei et naturae* legibus princeps sit subjectus, ut Bartolus recte scripsit. Josephus prorex Aegypti constitutus cum patrem suum Jacobum ad se in Aegyptum invitaret, non est usus verbis mandati. In vulgata quidem versione habetur Gen. 55, v. 9. *haec mandat filius tuus*, sed textus Hebraeus simpliciter habet *haec dicit filius tuus.* Idem cum patrem suum adventare intelligeret, in signum honoris et reverentiae *juncto curru suo adscendit illi obviam* Gen. 46, v. 29. Salomon rex sapiens matrem Bethsabeam ad se venientem videns *surrexit in occursum ejus adoravitque eam, et positus est thronus matri regis, quae sedit ad dextram ejus*, 1. Reg. 2, v. 19. Cogitet princeps illud Hieroclis, τοὺς δευτέρους καὶ ἐπιγείους τινὰς θεοὺς γονέας εἶναι, vel ut Philo loquitur lib. de special. legib. p. 490. *effigies et simulacra divini numinis.* Nequaquam igitur a majestate sua alienum existimet, honorem debitum

Quom[odo] erga d[o]mestic[os] se ger[ere] debea[t] magistratu[s]. Erga [pa]rentes

illis exhibere. *Quamvis nunquam parentibus τὰ ἴσα referre possimus*, inquit Franc. Philelphus in lib. 4. de educat. liberor. cap. 3. *(quidquid enim est, quod dat patri filius, utique minus est, quia hanc ipsam facultatem dandi pater dedit*, Seneca lib. 3. de benefic. c. 30.) *tamen quantum possumus, efficiamus, officiose eos tractemus, assidue comitemur, hortantibus faveamus, mandantibus pareamus, voluntates ac deliberationes eorum tanquam divina verba et jussa probemus et suscipiamus.* Quidquid parentibus exhibet princeps, idem aliquando a filiis suis exspectabit. Quaeritur apud Gellium lib. 2. noct. Atticar. c. 2. *an filius in magistratu constitutus patri privato se anteferre vel ab aliis anteferri debeat*, in cujus quaestionis tractione plerique distinctionem adhibent. In publicis actionibus, muneribus et locis jura patrum cum filiorum in magistratu constitutorum potestatibus collata paululum interquiescunt l. 9. ff. de his qui sunt sui vel alieni. *Publica instituta paterna pietate potiora sunt*, ait Valerius Max. lib. 2. c. 1. unde in illis, quae foris ac palam fiunt, majorem esse auctoritatem filii magistratus quam patris privati ex Baldo probat Tiraq. de nobilit. c. 28. sed cum extra rempublicam agitur, publici honores cessant, naturales et genuini vicissim oriuntur, nam in actibus privatis ut in familia solum ordo naturae inspiciendus, sed lege naturae parentes sunt honorandi c. Est ordo 33. q. 5.

150. In *conjuge* diligenda solicitus sit princeps, ne adsciscat sibi talem, quae haereticis opinionibus sit pertinaciter dedita, testatur enim historia ecclesiastica ex gynaeceo virus haereticum in totam provinciam saepius fuisse sparsum. De *Salomone* rege omnium sapientissimo memoratur, *quod mulieres alienigenae* idololatricis cultibus addictae *averterint cor ipsius idque inclinarint, ut sequeretur deos alienos* 1. Reg. 11, v. 3. Frustra igitur sperat princeps, se blanditiis et illecebris muliebribus non posse a veritate averti, neque enim Salomone est sapientior. *Achab* impulsu Jesabelis uxoris, quae fuit filia Ethbaal regis Sidoniorum, *servivit Baal et adoravit eum* 1. Reg. 16, v. 31. *Herodes* suasu conjugis Herodiadis Johannem Baptistam aulicum suum concionatorem interficit Matth. 14, v. 10. *Eudoxia* Augusta Honorii uxor effecit, ut Chrysostomus in
9. exsilium pelleretur, in quo in Armenia inter barbaros mortuus est, Tripart. hist. lib. 20, c. 13. Conjugem ergo piam, verae religioni addictam, bene moratam et heroicis virtutibus praestantem princeps eligat, selectam unice amet, honeste tractet, nec permittat eam nimis esse sumtuosam, neque ad consilia reipublicae secretioria vel partem regiminis eam admittat. Justinianus quidem in constitutione gravissima conjugem suam Theodoram *participem consilii* assumsit nov. 8. ac Tacitus lib. de morib. German. refert, *Germanos mulierum consilia non fuisse aspernatos;* testatur quoque exemplum conjugis Pilati Matth. 27, v. 19. salutare quandoque consilium a femineo sexu proficisci posse; sed haec sunt exempla singularia, ex quibus probari nequit, ordinarie et semper in difficilioribus reipublicae negotiis feminarum consilia esse expetenda vel audienda.

151. *Sobolis*, praesertim masculae, recte instituen- **Erga liberos.**
dae et informandae curam maximam princeps gerat. στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες (Eurip.), et qualis est junioris principis in imperio quondam successuri institutio, talis etiam aliquando erit imperii administratio. Rex David filium suum Salomonem, qui imperio destinatus erat, *misit in manu Nathan prophetae* 1. Sam. 12, v. 25. hoc est curavit eum in vera religione a Nathane concionatore aulico diligenter institui et ad omnem pietatem ac virtutem formari. Qui magna praestare cupit, statim a teneris annis virtuti rectaeque educationi assuescat. Comminaeus c. 18. in fine. *Qui in spem imperii educantur, solicita omnino cura a primis statim annis sic sunt instituendi, ut non solum sibi ipsis, sed et aliis, quibus praesunt, sapientia et exemplo olim praesint.* Patricius lib. 2. de regis instit. tit. 8. *Nihil enim difficilius quam imperare*, ut Diocletianus apud Vopiscum agnoscit. Praeficiat igitur princeps filiis idoneos morum ac studiorum gubernatores, curet in illis potissimum artibus eos exerceri atque instrui, quae tradunt rationem recte administrandi regnum, Erasmus libr. 1. apophthegm. in Agasicle. Reges Persici in schola magorum instituebantur, ita ut nulli ad imperii gubernacula pateret aditus, qui non fuisset prius in ipsorum schola institutus. Cicero libr. 1. de div. ab illorum uno formabatur ad prudentiam, ab altero ad temperantiam, a tertio ad justitiam, a quarto ad fortitudinem. At quantum hodie in principum juniorum educatione peccatur! quid ergo mirum, tam infelices postmodum sequi gubernationes?

152. *Fratres, sorores et agnatos* princeps amet **Erga agnatos.**
et concordiam cum illis alat, fratribus de honesta et genere suo digna sustentatione prospiciat, sorores honorifice elocari curet. *Consiliarios et ministros* **Erga consiliarios et ministros aulicos.**
aulicos princeps tales eligat, quales describuntur Psalm. 101, v. 6: *Oculi mei ad fideles terrae, ut sedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* v. 7. *Non habitabit in medio domus meae, qui facit dolum; qui loquitur mendacia, non permanebit in conspectu oculorum meorum.* Eligat eos, qui sunt verae religioni addicti, qui enim haereticis opinionibus sunt imbuti, pertentant principum animos iisque virus suum occulte instillare conantur. Eligat tales, qui prudentia, eruditione, rerum usu, virtutibus et auctoritate excellunt, quia consiliariorum qualitates magnum principi honorem et reipublicae emolumentum praestare possunt, si sint ad normam praescriptam compositae, neque quidquam majus decus principi conciliat quam aula bene composita. *Consiliarius optimus est res etiam regibus ipsis praestantissima ac utilissima*, inquit Isocrates ad Nicoclem. *Ubi non est consilium, populus corruet; salus autem, ubi multi sunt consiliarii*, dicit rex sapiens Prov. 11, v. 14. *In manu Dei successus hominis et super faciem scribae imponet*

honorem suum. Lutherus reddidit: Es ſtehet in Gottes Händen, daß einem Regenten gerathe, derſelbe giebt ihm einen löblichen Kantzler, Ecclesiast. 10, v. 5.

153. Quamvis vero princeps ipsemet consilio et
XIV. 10. sapientia polleat, sedulo tamen caveat, ne opinio propriae sapientiae ipsum adeo excoecet, ut alienam aspernetur. *Princeps facile evertitur, qui nullo nisi sui ipsius consilio utitur*, inquit Comminaeus c. 94. Marcus Antoninus imperator Philosophus dictus saepius hoc usurpavit: *Aequius est, ut ego tot taliumque virorum consilium sequar, quam tot talesque amici meam unius voluntatem*, Capitolinus in ejus vita et ex eo Melchior ab Ossa de prudent. regnat. c. 7. Id enim majorum nostrorum institutis ac diuturna experientia praeceptum est atque cognitum, *plures consilio communicato melius ac certius quam singulos judicare*, Bodinus lib. 4. de republ. c. 4. Meminerit princeps, *quod consilium sit res sacra, ἱερὸν ἡ βουλή, quodque res sit consiliis secura fidelibus uti*, ut canit Baptista Mantuanus. Monendum interim, ex parte altera etiam illud principi cavendum esse praecipitium, ne totus a consiliariorum nutu ac jussu pendeat inque illorum humeros gubernationem omnem rejiciat, ne contingat illud, de quo Vopiscus in Aureliano conqueritur: *Ego* (inquit) *a patre meo audivi, Diocletianum principem adhuc privatum dixisse: Nihil est difficilius quam bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque atque unum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt; dicunt quid, probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non novit; cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur; facit judices, quos fieri non oportet; amovet a republica, quos debet obtinere. Quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat: Bonus, cautus, optimus venditur imperator.* Suspecta quandoque principi suorum aeque ac externorum fides, *ut se ipso meliorem, quem consulere possit, habeat neminem*, Bodinus lib. 3. de republ. c. 1.

SECTIO IV.

QUOMODO MAGISTRATUS ERGA AEQUALES, VICINOS SCILICET POPULOS ET MAGISTRATUS ALIOS SESE GERERE DEBEAT.

Quomodo erga aequales se debeat gerere.

153. Cum vicinis populis et magistratibus aliis princeps 1. concordiam alere studeat; 2. foedera cum illis ineat; 3. fidem datam religiose servet; et 4. legatos ipsorum honorifice excipiat et secure dimittat, quae omnia ad φιλησυχίαν et concordiae studium proximo debitum pertinent. 1. *Concordiae* studium principi vel maxime debet esse commendatum. Quod in genere apostolus omnibus praecipit Rom. 12, v. 18: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem colitote*, id peculiariter sibi quoque dictum esse magistratus noverit Concordia cum vicinis populis et magistratibus aliis regni tutela est ac firmamentum, unde Augustinus lib. 2. de civ. Dei c. 21. *arctissimum atque optimum in republica vinculum incolumitatis esse* dicit *concordiam*; quod de concordia tum subditorum inter se, tum magistratus ac subditorum, tum regni cum vicinis populis est accipiendum. 2. *Foederum* in republica maxima omnino est utilitas. Quas enim vires regnum in sese non habet, eas per foedera cum vicinis acquirit. *Unita virtus fortior* et ad hostiles impetus tolerandos ac propulsandos instructior. Contra vero de civitate Lais dicitur Jud. 18, v. 28. quod facili negotio potuerit occupari, *quia non habuit* דבר *verbum* seu negotium, *cum ullo homine*, hoc est quia non fuit in foedere cum aliis civitatibus. Adhibenda tamen in pangendis foederibus prudentia, ut monet Paradinus in symb. *Vis nescia vinci* p. 198. ut scilicet eligantur potissimum illorum foedera, qui sunt in proximo et qui potentia valent, qui enim imbellium et infirmorum societatem ambiunt, quaerunt cum quibus opprimantur. 3. Foedera et pacta semel inita firmiter et sancte sunt custodienda ac fides data religiose est servanda.
Rupti foederis poena ut plurimum sequitur ipsos XIV
perfidos et foedifragos, Thucydid lib. 2. de Thebanis Plataeas occupantibus. Principis verba et promissa ad firmitatem propemodum divinam debent accedere, postquam alicui fidem dedit, imo principis simplex verbum plus auctoritatis et securitatis habere debet quam aliorum hominum juramenta, Alphonsus referente Panormitano lib. 1. degestis. Dinothus lib. 6. hist. Gall. f. 479. est enim princeps Deus aliquis terrestris ac divini Numinis simulacrum, imitetur igitur exemplum veri et summi Dei, *cujus singula verba sunt juramenta*, inquit Philo. *Fraudulentiam turpiorem ac foediorem esse censeat princeps quam violentiam*, Thucydid lib. 4. hist. in orat. Brasidae ad Acanthios, est enim animi abjecti et servilis indicium fidem fallere. *Si nullibi in toto orbe, tamen in principis verbis fides locum invenire debet. Si toto mundo fides exsulet, tamen apud imperatorem eam oportet consistere*, dicebat Carolus V. cum ad frangendam Luthero datam fidem a Pontificiis flabellis instigaretur, referente Zenocaro in ipsius vita. 4. Legatos vicinorum populorum, qui honorifice excipit, illorum animos sibi conciliat ac devincit. Jure gentium legati sunt sacrosancti et inviolabiles, adeo ut pro illis violatis bellum juste geri censeatur, Polybius lib. 2. histor. Rex David injuriam legatis suis ab Ammonitarum rege Hanone illatam gravissimo bello ulciscitur 2. Sam. 10, v. 7.

154. Quaeritur hoc loco: *1. An licitum sit pio magistratui foedera inire cum diversae religionis hominibus?* Petrus Martyr class. 4. locor. comm. c. 16. n. 23. Albericus Gentilis lib. 3. de jure belli c. 19. et alii **(Rungius in Exod. p. 880. Foedera cum diversae religionis hominibus non esse ineunda docemur Exod. 23, v. 32. et talia foedera saepe reprehenduntur a prophetis. Esa. 8, v. 12. c. 31,

Qu 1. A div rel nis mi foe int lice

v. 3. Hoseae 8, v. 13. ac Josaphat accusatur ob foedus cum Achabo 2. Paral. 19, v. 2. quia nulla societas Christo cum Belial 2. Cor. 6. Idem tamen in Gen. p. 426: *Licet foedus facere cum diversae religionis hominibus, ita tamen, ut ejus capita non religionem, sed communem tranquillitatem et defensionem spectent.*) ** negant. 1. Urgent *interdictum*
um. *expressum* tum *generale*, tum *speciale*. Deus expresse *et generaliter* interdixit foedus cum infidelibus inire. Exod. 23, v. 32: *Non inibis cum illis* (Cananaeis) *foedus*. Exod. 34, v. 15. additur prohibitionis ratio, *ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum diis suis et sacrificaverint simulacris suis, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis*. Deut. 7, v. 2. prohibitio repetitur. *In specie* a propheta Hanani re-
12. prehenditur Assae regis Juda confoederatio cum Benhadad Syriae rege 2. Paral. 16, v. 7: *Quia habuisti fiduciam in rege Syriae et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriae regis exercitus de manu tua*. v. 8. *Nonne Aethiopes et Libyes multo plures erant quadrigis et equitibus et multitudine nimia, quos cum in Domino credidisses, tradidit in manu tua?* v. 9. *Oculi enim Domini contemplantur universam terram et praebent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti et propter hoc etiam ex praesenti tempore adversum te bella consurgent.* Ostendit propheta in hac redargutoria concione, foedera illa plerumque conjuncta esse cum quadam diffidentia divini auxilii, ideoque Dei nomine poenas regi denuntiat. 2. Paral. 19, v. 2. Jehu propheta Hanani filius reprehendit Josaphatum regem Juda, quod cum Achabo idololatrico rege Israël foedus inierat et in bellum cum ipso descenderat, cujus exitum fuisse infelicem ex praecedente capite manifestum. 2. Paral. 20, v. 37. ejusdem Josaphati foedus cum Ochozia impio rege Israël ab Eliezero propheta improbatur. *Quia* (inquit) *habuisti foedus cum Ochozia, disrumpet Dominus opera tua*. Esa. c. 8, v. 12. arguit populum, quod cum idololatricis regibus foedus inire voluerit: *Non dicatis, confoederatio, omnia enim, quae loquitur populus iste, confoederatio est, et timorem ejus ne timeatis, Dominum exercituum sanctificate*. c. 30, v. 2: *Vae vobis, qui ambulatis, ut descendatis in Aegyptum, ut confortetis vos in fortitudine Pharaonis et habentes fiduciam in umbra Aegypti*. c. 31, v. 1: *Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes et habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt. 2. Interdictum ex consequentiis elicitum.* Deus in principio statim humani generis *inimicitias posuit inter semen mulieris et semen serpentis infernalis* Genes. 3, v. 15. jam vero diversae religionis homines ac cumprimis infideles pertinent ad semen infernalis serpentis. Ergo cum illis nulla debet piis intercedere foederalis amicitia. Ecclesiam malignantium *perfecto odio* prosequi debemus, Palm. 26, v. 5: *Odi ecclesiam malignantium et cum impiis non sedebo*. Psalm 139, v. 21: *Nonne qui oderunt te Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam*; v. 22. *perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi*. Jam vero quos debemus odisse, cum illis non oportet foedus inire. 2. Cor. 6, v. 14: *Nolite jugum ducere cum infidelibus, quae enim participatio justitiae cum iniquitate, aut quae societas luci cum tenebris?* v. 15. *quae conventio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli?* v. 16. *qui consensus templo Dei cum idolis?* Jam vero inter confoederatos est quaedam voluntatis consensio, societas officiorum et amicitiae communicatio. In baptismo fidem Christo dedimus, quod simus futuri palaestritae strenui adversus omnes Christi perduelles; cum illis igitur qui foedus ineunt, a foedere cum Christo in baptismo inito recedunt. Huc referunt omnio dicta, quae de haereticis agunt, quod eos debeamus *fugere, devitare, ne ave quidem illis dicere* etc. Matth. 7, v. 15. Tit. 3, v. 10. 2. Joh. v. 10. sed illos, cum quibus foedera inimus, nequaquam devitamus. *3. Exemplorum probatorum cumulum.* Illicitum censebant Aegyptii *comedere cum Hebraeis*, ob religionis scilicet diversitatem Gen. 43, v. 32. Judaeis nullum erat *cum Samaritanis* apostatis commercium Joh. 4, v. 9. Luc. 9, v. 53. Judaei illicitum censebant *in aedes gentilium ingredi* et cibum cum illis capere Joh. 18, v. 28. Act. 11, v. 3. *4. Praesentissimum talium confoederationum periculum. Qui picem tangit, ab ea inquinatur* Eccles. 13, v. 1. Qui cum inimicis verae religionis sese conjugit, facile aliquod vitium ab illis contrahit. Ex foederibus nascuntur familiares conversationes, ex familiaribus conversationibus peculiaris quaedam animorum conjunctio, ex animorum conjunctione accidit, ut zelus in detestanda religione adversa refrigescat, cui enim peculiariter favemus, illius religionem mollius tractamus. Quae ergo est humanae naturae infirmitas, facili negotio contingere potest, ut piis ac verae religioni addictis ex conversatione cum apostatis et infidelibus praesertim ex arctiore amicitia per foedera cum illis inita aliquid labis affricetur. *5. In-* XIV. 13.
felicem istarum confoederationum exitum, quem ostendunt exempla superius citata. Assae pessime cecidit foedus cum Benhadad Syriae rege, quia propter illud perpetuis implicatus fuit bellis 2. Par. 16, v. 9. Josaphatus in extremum vitae periculum incidit, quando Achabo in bello contra Ramoth Galaad sese conjungit 1. Reg. 22, v. 32. 2. Paral. 18, v. 31. idem naufragium facit et classem amittit, quando foedere cum Ochozia inito naves suas ipsius classi conjungit 2. Pa. 20, v. 37. Maccabaeorum cum Romanis et Lacedaemoniis foedera quem habuerint exitum, docet historia. Franciscus Galliarum rex moriens gravissime de eo conquestus est, *quod voluerit esse foederatus Christiani nominis hosti, quod foedus cum Turca pepigerat et Christianorum capita tanquam armenta ad Mahumetanam servitutem abigi vivus vidensque passus erat*, Sleidanus libr. 15. comment. p. 332.

155. Qui contrarium statuunt, haec fere argu- 2. Affirmantium.
menta proferunt. 1. Legitima defensio est *juris naturalis*, l. 3. ff. de just. et jure, proinde non pu-

gnat cum jure divino. Jam vero inire foedus cum aliis, cujuscunque tandem sint religionis, pertinet ad legitimam sui defensionem. Ut enim religionis diversitas vel alia quaecunque conditio et qualitas non impedit, quominus naturali jure defensio competat illi, qui injuste opprimitur, modo observet moderamen inculpatae tutelae; sic non interest, cui religioni sit addictus, per quem et cujus opera nos defendimus, quominus defensio illa sit juris naturalis. 2. *Evangelium non abolet politias*, quam regulam urget Lutherus in quaestione de sui defensione tom. 7. Jen. Germ. fol. 389. Ergo nec politiarum firmamenta et munimenta, videlicet foedera, quae sunt conversationes mere politicae ac civiles. Ecclesia hospitium habet in politiis. Ergo non turbat nec turbare debet earum quietem, robur et firmamentum, quod in foederibus consistit. Si omnis etiam politica conversatio et pacificatio cum infidelibus ac falsae religioni addictis esset prohibita, *mundo nos exire oporteret* 2. Cor. 5, v. 10. 3. Praesto sunt *exempla* talium foederum. Quidam adducunt foedus *Abrahae cum Mamre, Escol et Anere* Genes. 14, v. 13. sed verisimile est, illos, licet origine essent Cananaei, tamen patriarchae religionem fuisse amplexos. Nisi enim religio et fides in certam victoriae spem eos erexisset, auspiciis Abrahae tam exigua manu tantae potentiae hostes vix fuissent aggressi, a quibus gigantes et Sodomaeos ad internecionem usque caesos noverant. Adducunt etiam foedus *Abrahae cum Abimelecho* Palaestinorum rege Genes. 21, v. 32. *et Isaaci cum Abimelecho rege Geraris* Genes. 26, v. 31. sed illi quoque videntur verae religioni fuisse addicti, cum de Deo, quem colebant Abrahamus et Isaacus, tam honorifice loquantur ac felicitatem utriusque patriarchae divinae benedictioni tribuant. Producimus igitur foedus, quod iniit *Jacobus cum Labano* idololatra Gen. 31, v. 44. *Josua cum Gabaonitis* Jos. 9, v. 15. *Salomon cum Hiramo* 1. Reg. 5, v. 12. *Judas Maccabaeus cum Romanis* 1. Maccab. 8, v. 20. *Jonathan et Onias cum Romanis et Spartanis* 1. Maccab. 12, v. 1. 6. 20. *Simon cum iisdem* 1. Maccab. 14, v. 18. et 25. quae foedera nuspiam leguntur damnata. 4. Pacificationis Passaviensis, per quam inter Evangelicos et Protestantes foedus mutuum est initum, saluberrimus fuit effectus, quies scilicet et tranquillitas Germaniae, regnis ac provinciis reliquis perpetuis fere bellorum turbinibus implicatis, qua de re inferius plura afferentur.

Sententia auctoris. 156. Posteriori igitur huic sententiae, sed *certis distinctionibus* et conditionibus limitatae accedimus. 1. Distinguendum inter foedera de *non offendendo* ac quae *defensionis causa* instituta sunt, et inter ea, quae *in oppugnando aliquo tertio* mutuas operas exigunt. Illa etiam cum infidelibus et diversae religioni addictis inire licet, haec vero non facile
XIV. 14. permittenda, si is qui oppugnandus, verae religioni est addictus. 2. Distinguendum inter foedus initum cum infidelibus *contra infideles alios* et inter foedus initum cum infidelibus *contra fideles*. Prius dicimus licitum, posterius illicitum. Potest fidelis contra infidelem alium jungere arma cum infideli c. Imperatores etc. caus 11. q. 3. ergo etiam potest auxilium infidelis contra alium infidelem implorare; sed si bellum contra fidelem sit suscipiendum, auxilio infidelis uti et foedus cum eo inire neutiquam debet. 3. Distinguendum inter foedera, *quae politicas duntaxat conditiones adjunctas* habent et ex quibus nullum metuendum est verae religioni periculum aut praejudicium, et inter ea, *quae in fraudem verae religionis* panguntur. *Licet foedus facere* (scribit Rungius in comm. c. 14. Genes. p. 426.) *cum hominibus diversae religionis, ita tamen, ut ejus capita non religionem, sed communem tranquillitatem et defensionem spectent.* **Diligenter consideranda est causa impulsiva et finalis foederum. Si enim alicui immineat periculum propter religionem, utique non licet illi συμμαχίαν quaerere ab hostibus religionis. Talia enim foedera per se absurda et impia sunt Deique destituuntur benedictione. Sin autem ad defensionem communis patriae adversus hostem extraneum opus sit virium conjunctione sine religionis respectu, nihil est in tali foedere vitii. *Qualis est conjunctio Christianorum pugnantium adversus Turcas*, Rungius in c. 34. Exod. p. 1191. Ex Petro Martyre in 1. Reg. c. 15. Zepperus in tract. de leg. forens. Mosaicis lib. 4. c. 6. sic distinguit foedera, quod quaedam habeant communes expeditiones et auxilia mutua cum idololatris et impiis, quae sunt illicita et impia, siquidem ibi semper aliquid mali affricatur populo Dei, et qui fidem Deo non servant, quomodo servabunt nobis? quaedam vero sint de finibus, commerciis ut vicini pacifice inter se agant, ubi pax servanda est cum omnibus quantum in nobis est Rom. 12, v. 18. Quibus consentit Paraeus in comm. Gen. 14. *Illicita*, inquit, *sunt foedera, quae sunt de societate religionis; licita, quae de rebus civilibus cum infidelibus sunt contracta.* Sed quod ibidem putat, *necessitatem posse accidere piis tantam, ut etiam illa priora possint contrahi cum infidelibus, in eo non videtur sibi satis constare, quia quod per se malum est et illicitum*, nullo pacto aut respectu licitum aut bonum fieri potest.** Sic probari nequit illud foedus, in quo requiritur, ne errores doctrinae, quibus altera pars confoederatorum est immersa, a ministerio ecclesiastico taxentur. 4. Distinguendum inter foedera, *quae sine urgente necessitate et absque evidenti reipublicae utilitate* cum infidelibus vel falsae religioni addictis instituuntur, atque ea, *quae necessitatem et reipublicae salutem conjunctam habent.* Priora haudquaquam probanda, sed praeferenda illis foedera cum piis et verae religioni addictis instituta. 5. Distinguendum inter *foedera ipsa* et *adhaerentem confoederatorum animis perversam opinionem.* Foedera ipsa urgente reipublicae salute cum infidelibus ac diversae religionis hominibus instituta non possunt absolute et simpliciter improbari, cavendum interim, ne adhaereat fiducia in humanum auxilium ac diffidentia erga Deum, neve defensio eccle-

siae, quae est solius Dei opus, foederibus illis transscribatur. Jerem. 17, v. 5: *Maledictus omnis, qui carnem ponit brachium suum.* ** Alii ita procedunt, foedera aestimanda 1. ex suo principio, 2. objecto, 3. fine, 4. ac circumstantiis. Polanus lib. 10. syntagm. c. 11: *Distinguuntur foedera ex causis efficientibus, finibus et effectis; quae foedera ex diffidentia vel avaritia vel ad placendum infidelibus vel ad perturbandam pacem publicum contrahuntur. Item quaecunque occasiones praebere possunt aut corrumpendi puri cultus Dei, aut corruptelas serpentes augendi, ea profecto illicita sunt, divinitus prohibita et infelicia. At si qua foedera ineuntur vel ad mutuam defensionem hostis communis (ubi nos vocatio conjunxit), vel de non laedendo et in summa quae veram religionem ac pietatem erga Deum non laedunt, sunt licita. Ubi tamen etiam atque etiam cavendum est, ne cum hostibus ac persecutoribus ecclesiae Dei sese foedere conjungant pii, quia neque illis bona conscientia possunt praebere auxilium, neque ab his exspectare, imo cum improbis et infidelibus promiscua conversatio non est licita, nisi ideo instituta, ut lucrifaciamus illos, aut cum vocatio nostra id requirit, ut quando Christus cum peccatoribus edit Luc. 15, v. 1. quando conjux cum infideli habitat 1. Cor. 7, v. 13.* Foedera distinguuntur: *1. Respectu causae efficientis* seu personarum, quae foedus contrahunt. Hae enim vel non sunt in ecclesia, ut gentes ac profani homines veri Dei plane ignari, iique aut simpliciter infideles κατ' ἐξοχὴν sic dicti, aut etiam in veram religionem blasphemi; vel sunt in ecclesia, iique vel orthodoxi, vel heterodoxi, ut sectarii, haeretici ac quodammodo schismatici, qui tamen non sunt de ecclesia sive non sunt vera ac viva ejus proprie sic dicta membra. *2. Respectu objectorum* seu rerum, de quibus initur contractus. Illarum respectu foedera sunt in triplici differentia. Vel enim concernunt religionem solam et dicuntur ecclesiastica; vel pacem publicam externam respiciunt, quo referimus omnia pacta, quae ad necessitatem usumque incolarum et peregrinantium in mercibus importandis exportandisque spectant, quaeque sunt de vitandis injuriis et suis unicuique terra marique servandis finibus, de securitate itinerum, possessionum, navigationum etc. haec vocari solent foedera pacificationis, pactiones de non offendendo; vel tandem partim religionem partim res politicas simul respiciunt earumque assertionem et libertatem concernunt, unde appellantur mixta. *3. Respectu finis.* Foedera iniri solent potissimum ob duplicem finem, ut videlicet vel nos conjunctis confoederatorum nostrorum viribus bellum nostris inferamus hostibus, quod dicitur bellum offensivum; vel quando ab hostibus contra nos bellum movetur, ut advocatis συμμάχοις illam vim injustam a nobis depellamus, quod bellum defensivum nominari consuevit.**

15. 157. Ex his facile apparet, quid ad contraria argumenta respondendum sit. 1. Cananaeae gentes divino judicio erant excidio et internecioni destinatae, Deus igitur Israëlitas foederibus illis conjungi noluit; sed ut patriarchae ante legem illam latam cum Cananaeis foedera quandoque inierunt, sic post sublatum μεσότοιχον inter Judaeos ac gentes lege illa non amplius obstringimur Ephes. 2, v. 14. modo observentur debitae conditiones. Idem ostendit causa prohibitionis legi addita, prohibentur enim Israëlitae *ex idolothytis edere* Exod. 34, v. 15. sed apostolus 1. Cor. 10, v. 27. libertati Christianae id relinquit: *Si quis vocat infidelium, quidquid apponitur vobis, edite nihil interrogantes propter conscientiam.* Asae confoederatio cum Benhadad ideo reprehenditur, quia regem Syriae ad foedus, quod cum rege Israëlis habebat, violandum missis muneribus impulit eumque ad bellum regi Israëlis movendum concitavit; Josaphati foedus cum Achabo et Ochozia nulla exigebat necessitas; bellum, quod adversus Assyrios suscipiebat, non erat defensivum, sed offensivum; prophetae praeposteram in istaec foedera fiduciam arguunt. 2. Conversatio politica et civilis a spirituali communione distinguenda. Exire ab infidelibus et diversae religioni addictis debemus animo et affectu, non autem simpliciter loco et quoad politicam conversationem, alias *e mundo nos exire oporteret* 1. Cor. 5, v. 10. Augustinus serm. 18. de verb. Dom.: *Separatio fieri debet corde, non corpore, recedendum a talibus non corporaliter, sed spiritualiter.* 3. Aegyptiis illicitum erat cum Hebraeis cibum capere non praecepto quodam divino, *sed more duntaxat patrio*, uti Philo censet; Onkelos hanc affert rationem, *quia pecus, quod Aegyptii colunt* (bovem puta), *Hebraei comedunt* Alii tribuunt hoc fastui Aegyptiorum, quod indignum putaverint cum Hebraeis convivari. Daniel in Chaldaea, Christus cum Pharisaeis falsae religioni addictis cibum sumsit. Judaeis non erat lege quadam politica conversatio cum Samaritanis et gentibus interdicta, sed quia illos propter apostasiam, has propter infidelitatem abhorrebant, ideo ab illorum conversatione abstinebant, Christus tamen cum Samaritana muliere absque ullo contaminationis periculo collocutus et Petrus in domum gentilis est ingressus, Joh 4. Act. 10. 4. Talia foedera cum incommodis et periculis conjuncta esse non negamus, XIV. 16
ideo etiam absque urgente reipublicae necessitate iniri neutiquam debent, interim tamen ex eo evinci nequit, esse absolute et simpliciter prohibita. Neque ex eventu illud colligi potest, cum foedera etiam cum piis inita non semper laetos habeant exitus cumque diffidentiam foederibus illis ut plurimum conjunctam poena illa respiciat. Vide plura de hac quaest. apud Tarn. in append. comm. in Obadiam.

2. An principi fidem fallere sit integrum.

158. Quaeritur 2. *An Principi fidem fallere et a pactis foederum recedere sit integrum?* Machiavellus lib. 2. comm. c. 13. et de princ. c. 19. illud licere censet. *Prudens et acutus princeps* (inquit) *fidem hosti datam et ab ipso metu vel vi extortam temporique accommodatam nec debet, nec potest servare, si tale pactum vel foedus obfuturum ei sit atque occasiones et necessitates, quae istud*

extorserunt, praeterierint. Si fides violanda, regnandi causa violanda est, in reliquis pietatem colas, dicebat ille apud Senecam; Darius apud Herodotum lib. 3. existimat, *magnae publicaeque utilitatis gratia licere principi mendacium dicere.* Sed ab omni fraudulentia et perfidia princeps abhorrere debet. 1. Pacta servari est *juris divini ac naturalis.* 2. Vin-
XIV. 17. culum humanae societatis *ac nervus imperiorum* est fides, nec ulla major inter mortales necessitas quam fidei servandae, qua sublata nec imperia permanere, nec quidquam aliud subsistere potest. 3. Violatores foederum ac datae fidei graviter a Deo sunt *puniti*, id quod exemplis inferius comprobatum dabitur in quaestione de fide haereticis servanda. Monendum tamen, quod jure a foedere recedat is, cui foedus ex altera parte non est servatum, sed prius violatum, vel ut violaretur, aperte tentatum.

XIV. 18. 3. An legati semper inviolabiles. 159. Quaeritur 3. *An legati semper haberi debeant inviolabiles?* Principi merito sacri inviolabiles sint legati, 1. quia repraesentant illos, a quibus mittuntur; 2. quia absque legatorum immunitate non potest constare societas inter vicinos populos
XIV. 19. nec de pace vel foederibus consilium iniri; 3. quia apud omnes populos veluti communi quodam naturae consensu illud ratum, quod legati non sint violandi, Cicero act. 3. in Verrem: *Legationum jus divino humanoque vallatum est praesidio, cujus tam sanctum et venerabile nomen esse debet, ut non modo intra sociorum jura, sed hostium tela incolume versetur.* Et in lib. de arusp. resp.: *Sic sentio, jus. legatorum cum hominum praesidio munitum, tum etiam divino jure esse vallatum.* 4. Quia divinitus punitur legatorum violatio. Ammonitae ob violatos Davidis legatos bello petiti succumbunt 2. Sam. 10, v. 14. Helena Russorum regina cum legatos ad se missos concremasset, ipsa post contrario mortis genere interiit, ipsa enim sese in profundos aquarum gurgites misere immersit, Bodinus lib. 5. de republ. cap. ult. Interim tamen si qui legatos sese mentiuntur ac sub specie et praetextu legationis exploratores deprehenduntur, illi hac immunitate nequaquam gaudent. Addunt quidam, si legati suo officio ac persona se indignos reddant, tunc ad meritas poenas ipsos posse pertrahi. Sic Alexander Macedo proavus Alexandri Magni legatos Persicos intemperanter in convivio se gerentes et virginum pudicitiam attentantes trucidari curavit, Philippus lib. 2. chron. p. 94. Legati superbe petierant, nobiles mulieres in convivium adduci et inter convivas collocari, jamque ebrii et basia dabant honestis mulieribus, et sinus attrectabant. Ea cum aegre ferrent Amyntas pater et filius Alexander, filius hortatur patrem, ut ex convivio cubitum discedat. Eo digresso hilaritatem simulat Alexander et petit concedi mulieribus, ut aliquantisper surgant, mox pollicetur redituras, jubet deinde totidem adolescentes nobiles induere earum vestes et gladios sub vestibus abditos sumere ac, cum Persae eos attrectarent, ipsos confodere. Haec ita facta sunt (inquit Philippus) et lasciviae ac petulantiae poenas legati juste dederunt. Liv. l. 3. decad. 3. *Macedonum et Carthaginensium legatos* utpote foedus contra Romanos facturos et hac ratione hostilia molientes a Romanis captos esse memorat. Thucydides lib. 2. refert, ab Atheniensibus captos et interfectos esse *legatos Lacedaemoniorum* ituros ad Persas, ut auxilia contra Athenienses peterent. Sed aequius est et majorem principi conciliabit gratiam, si legatos impunitos dimittat et postea de ipsis apud legantes conqueratur. Sic Livius lib. 2. decad. 1. p. 29. de Tarquiniorum legatis dicit, *quanquam visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit, ut cum querimonia de ipsorum injuria ad suos remitterentur.* Alexander legationis nomen tam sanctum habuit, ut Carthaginiensibus legatis, qui ad Tyrios in ipsum armandos venerant, pepercerit, Curtius lib. 4.

SECTIO V. XIV.

QUOMODO MAGISTRATUS ERGA SUBDITOS SESE GERERE DEBEAT.

160. Magistratus erga subditos officium 1. *ratione objecti* versatur vel *in rebus ecclesiasticis*, vel *politicis; 2. ratione effecti* spectatur in *justitiae* et *judicii* administratione; *3. ratione adjuncti* temporis vel *in pace*, vel *bello* consideratur, quo respectu Aurelius Victor Trajano imperatori quatuor insignes virtutes tribut, *sanctitatem domi*, *fortitudinem in armis*, *justitiam et prudentiam utrobique.* Sed haec brevitas explicatius proponenda ac diducenda. Primum quod magistratus subditis suis debet, est *amor et benevolentia*, quae est fundamentum ac basis reliquorum omnium, quae a magistratu subditis praestantur. Cogitet princeps *patris* titulum sibi a Spiritu sancto assignari 1. Sam. 24, v. 12. paternum igitur erga subditos animum induat. Alphonsus symboli loco habuit pelicanum rostro ex pectore sanguinem elicientem et pullos vivificantem cum inscriptione: *Pro lege et pro grege*, quo ipso suum erga subditos amorem exprimere voluit. Benevolentia populi erga principem est tutissimum illius munimentum, sicut Eberhardus I. dux Würtembergicus, cum alius princeps de vini copia, alius de vi argenti maxima gloriaretur, beatum se hoc nomine praedicabat, *quod tutus in gremio cujusvis subditorum suorum dormire possit. Inexpugnabile munimentum amor civium.* Sed hanc subditorum benevolentiam magistratus non potest alia ratione quam amore et benevolentia erga ipsos prius praestita obtinere. *Ut ameris, amabilis esto. Diligi princeps, nisi ipse diligat, non potest*, inquit Plinius in paneg. Trajan. Cogitet princeps, subditos velut praeclarum *aliquod depositum* a Deo sibi traditum et concreditum esse, amore igitur illos complectatur

Quo magi strat erga ditos gere debe

Prae illis 1. a rem bene lenti

tanquam thesaurum divinitus sibi datum. Pius magistratus subditos suos amat ac fovet, impius ac tyrannus eosdem odit; pius magistratus est pater patriae, tyrannus est pestis patriae; pius magistratus civibus est carus, tyrannus omnibus exosus. *Illo in publicum procedente tanquam ad clarum et beneficum sidus certatim advolant, hoc vero conspecto tanquam malum aliquod, cum noxium animal e cubili prosilierit, omnes diffugiunt.* Seneca lib. 1. de clem. c. 3.

161. 2. Ex hoc amore et benevolentia erga subditos profluit *comitas et affabilitas.* Quibus enim favemus, erga illos comes atque affabiles nos praestare solemus. Josephus Aegypti prorex Gen. 43, v. 26. amice et blande alloquitur fratres, a quibus nondum agnoscebatur. 2. Sam. 14, v. 17. Thecuitis ad regem Davidem dicit: *Sicut angelus Domini, sic est dominus meus rex, ut audiat bonum et malum*, hoc est ut facies angeli est amica et grata, sic adspectu et alloquio est amicus. Talis *affabilitas virtus maxima in principe,* inquit Plinius in paneg. Trajan. Inter epitheta et laudes boni principis a Julio Polluce imperatori Commodo praescriptis etiam haec habentur, quod sit εὐπροσήγορος, εὐέντευκτος, μειλίχιος, προσηνής, *facilis accessu, facile salutans, facile admittens interpellantes et supplicantes, blandus et lenis;* contra vero inter tyranni vituperia refertur, quod sit δυσπρόσιτος, δυσπροσήγορος, δυσέντευκτος, *difficilis aditu, ferox in accessu, parum salutans, paucos audiens.* Hac affabilitate et comitate vehementer sibi conciliat princeps subditorum animos, quod Absoloni probe notum erat; is enim cum benevolentiam apud subditos patris sui quaereret et regno viam pararet, *mane consurgens stabat juxta introitum portae in via et omnes, qui negotium habebant coram judicio, blande compellabat, cumque accederet ad eum homo, ut adoraret illum, extendebat manum suam et apprehendens osculabatur eum,* quo stratagemate *furatus* dicitur *corda filio-*
21. *rum Israël* 2. Sam. 15, v. 2. 5. et 6. Interim comitas eo modo debet esse principi commendata, ut majestatis eum non capiat oblivio. **Nicephorus libr. 18. eccles. histor. c. 8. de imperatore Mauritio: *A multis adiri se et conveniri non facile passus est neque in hominibus audiendis dissolutus aut remissus fuit. Alterum enim contemtum affert, alterum autem assentationi aditum praebet. Itaque non frequenter et tantum de rebus gravibus acturos ad se homines admisit et aures sermonibus inutilibus et fatuis clausit* etc.** Rarae quidem, sed magnae laudis est, cum hae virtutes specie dispares prudentia junguntur. Ut comitas cum majestate in principe combinata subditorum animos ad benevolentiam et reverentiam flectit, sic nimia familiaritas contemtum inducit.

162. 3. Ex amore erga subditos originem quoque ducit *clementia*, quae bono principi maxime debet esse commendata. Romae repertum marmor in foro Trajani his characteribus insignitum: *Potentissima dos in principe liberalitas atque clementia.* Marlor. topogr. lib. 5. c. 22. Princeps est Dei in terris imago ejusdemque veluti vicarius. Jam vero *Dei proprium est misereri et parcere,* Bernhardus serm. 5. in nat. Dom. col. 60. qui gladium vindictae miserationis oleo semper exacuit. *Nulla re proprius homines ad Deum accedunt quam salute hominibus danda*, Cicero pro Ligar. cum quo consentit illud Jovii: *Una clementia mortales superis aequat, ejusque muneris memoria nunquam apud conservatos obsolescit.* Dinothus in fine histor. Gall. p. 536: *Rex apum solus aculeum non habet vel certe eo non utitur; exemplar hoc magnis regibus ingens.* Plinius 11. nat. histor. c. 17. Seneca lib. 1. de clem. c. 19. Bodinus lib. 4. de rep. c. 6. Clementia est, quae firmum ac stabile reddit principis regnum, *qui enim benignitate ac clementia imperium temperavere, his candida et laeta omnia fuere, etiam hostes aequiores quam aliis cives*, Salustius ad Caesar. quod longe rectius ex Salomone petitur, qui Prov. 20, v. 28. inquit: *Misericordia et veritas custodiunt regem ac roboratur clementia thronus ejus*, vel ut Hebraea habent, *in misericordia fulcit thronum suum. Non opus est instruere in altum editas arces, nec in adscensum arduos colles emunire nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris turribusque sepire. Salvum regem in aperto clementia praestabit*, Seneca lib. 1. de clem. c. 19. Contra vero *instabile est regnum, quod non clementia firmat.* Cumprimis *imperium inchoantibus utilis est clementiae fama*, monente Tacito. *David* regno post Absolonis seditionem restitutus ac novum quasi regnum inchoans ignoscit Simei, a quo insigni injuria affectus fuerat 2. Sam. 19, v. 22. *Roboamus* Salomonis filius asperitate sua occasionem exhibet, ut ab ipso decem tribus una die deficerent 1. Reg. 12, v. 16. Quanto rectius *Alphonsus*, qui nihil tam proprium principis esse statuebat quam clementiam, regis quam misericordiam, majestatis quam lenitatem, cumque quidam conquererentur, ipsum nimis lenem et mansuetum esse, respondebat, *exspectandum ipsis esse, ut ursi ac leones quandoque regnarent, hominis esse clementiam, beluarum feritatem.* Panormita lib. 2. de reb. gest. Alph. *Hostes armis domantur velut ferae, subditi vero clementia ac beneficentia velut oves propriae demulciuntur ac devinciuntur.* **Prov. 16, v. 15: *In hilaritate vultus regis vita et clementia ejus quasi imber serotinus.* c. 19, v. 12: *Sicut fremitus leonis, ita et regis ira; et sicut ros super herbam, ita et benevolentia ejus. Duo brachia regis, duo fulcra majestatis, quae ingentes imperiorum moles tanquam magni quidam Atlantes humeris suis suffulciunt, clementia nimirum et justitia.* Auct. de jur. bel. Belg. Carolus V. imperator dicere consueverat, *principes decere moderationem et clementiam*, referente Justo Jona in epist. ad Lutherum, apud Chytraeum in hist. August. conf.** Agapetus diaconus praec. 20. cogitet princeps se homines regere ac tractare, non autem feras et bruta, humaniter ergo cum subditis agat. Cavendum tamen, ne clementia degeneret in nimiam facilitatem,

quae delinquendi incentivum praebet. c Est injusta etc. 23. q. 4. Celebratur dictum Frontonis: *Malum est* XIV. 22. *imperare eum, sub quo nemini quidquam licet, sed longe pejus vivere sub eo, sub quo omnia licent.* Temperandus est justitiae rigor aequitate et clementia, non autem exstinguendus. Clementia est impiorum luna, justitia solis vicem sustinet. *Secedere poterit ab acri justitiae sole haec luna, sed secedere, non discedere, diversa potius quam adversa.* Lipsius lib. 2. polit. cap. 13. Quandoque adhibenda est *salutaris quaedam severitas, quae inanem speciem clementiae vincit,* Cicero epist. lib. 2. ad Brut. Breviter, misericordia sine justitia est fatuitas, justitia sine misericordia crudelitas.

4. Liberalitatem et beneficentiam.

163. 4. Ex amore erga subditos etiam profluit *beneficentia et liberalitas,* quae vel maxime ornat regem, unde etiam vocantur נְדִיבִים *εὐεργέται,* quod propria ipsorum virtus debeat esse liberalitas Job. 12, v. 21. Luc. 22, v. 25. Princeps est *imago Dei,* jam vero benefaciendi studium Dei quam maxime nos similes reddit: *Qui beneficium dat, Deum imitatur,* inquit Seneca lib. 3. de benef.

> *Ergo aliis meritum bene de mortalibus esse,*
> *Hoc est esse Deum, veteri si credimus aevo,*

canit Baptista Mantuanus. **Aristoteles ad Alexandrum scribens hortatur eum ad beneficentiam et jubet eum potentiam suam conferre ad publicam utilitatem et salutem omnium gentium, non ad superbiam, *διὸ πειρῶ τὴν ἀρχὴν μὴ εἰς ὕβριν, ἀλλ' εἰς εὐεργεσίαν κατατίθεσθαι.*** Principem decet animus magnus et generosus, jam vero *generosi et magnifici animi est juvare ac prodesse,* Seneca lib. 3. de benef. cap. 15. contra vero avaritia ac tenacitate nihil quidquam sordidius, nihil servilius aut abjectius. Talis etiam beneficentia ac liberalitas conciliat principi subditorum animos. Titus Vespasianus propter morum facilitatem et *εὐεργεσίαν deliciae generis humani* fuit dictus, tam comis enim ac liberalis fuit, ut nulli quidquam negaret; id cum amici reprehenderent, respondisse dicitur, *neminem a vultu principis tristem discedere oportere.* Platina in vita Cleti. Idem *diem se perdidisse existimavit, quo nihil cuiquam praestitisset,* Aurelius Victor et ex eo Guevara l. 3. horol. c. 31. Diocletianus propriam principum dotem appellavit liberalitatem, Pomp. Laetus in Dioclet. Cavendum tamen, ne liberalitas degeneret in profusionem: *Non ita claudenda est respublica, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita aperienda, ut pateat omnibus,* inquit Cicero l. 2. de offic. Aerarium nimiis largitionibus exhaustum expilationibus subditorum postea impleri consuevit. Quare cum duo sint *maxime probabilis liberalitatis fontes, verum scilicet judicium et honesta benevolentia,* teste Valerio Maximo lib. 4. memorabil. c. 7. ideo recto judicio et deliberato consilio largiri debet princeps, ne scilicet coeco profusionis impetu regni opes dispergat, sed bene de republica merentibus praemia juxta regulam justitiae distribuat.

5. Sollicitam reipublicae curam.

164. Ad hunc amorem et benevolum in animo principis erga subditos affectum accedere debet *sollicita cura,* qua salutem reipublicae et subditorum commoda princeps unice quaerat. Cogitet princeps, non sibi datum esse regnum, ut eo pro lubitu utatur vel abutatur, sed se potius regno datum, ut saluti et commodis ejus prospiciat; *παραπλήσια ἔργα νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ,* dicit Cyrus apud Xenophontem lib. 8. Cyropaed. Ut ergo pastor omnes cogitatus suos dirigit ad salutem commissi sibi gregis, quem et regit, et tuetur; sic bonus princeps omnes suas cogitationes, consilia omnia ad procurandam subditorum salutem unice dirigat, quos exemplo pastoris et regere et tueri convenit. *Bonus et salutaris princeps universis servire debet civibus, plerumque etiam singulis,* dicebat Tiberius imperator, ideo namque ad illud dignitatis, auctoritatis et potestatis fastigium est evectus, ut commodis subditorum provideat et injustam violentiam ab illis prohibeat. Consistit igitur magistratus officium, quod subditis debet, tum *in commodorum ac salutis publicae provisione,* hoc est *in legitima guberna-* XIV. *tione per honestas leges earumque executiones,* tum *in reipublicae ac subditorum defensione.* Magistratui curae sit, ut respublica floreat *interius* et tuta sit *exterius;* ut subditi inter se vivant *pie, juste, pacifice* et ab aliorum injuriis atque oppressionibus *secure,* quod ipsum ut magistratus obtineat, et in *ecclesiasticis,* et *politicis* rite constituendis solicitum eum esse convenit. Ad tria igitur membra juxta apostoli dictum 1. Tim. 2, v. 2. magistratus officium erga subditos revocabimus: Primum est curare, ut subditi vivant *εὐσεβῶς;* secundum, ut vivant *σεμνῶς καὶ δικαίως,* tertium, ut vivant *ἡσυχῶς.* Prima officii pars *pietatem* subditorum concernens in eo occupata est, ut vera religio ac sincerus Dei cultus utpote fundamentum pietatis apud subditos vigeat atque floreat, de qua etiam primo loco agemus. Sit ergo

MEMBRUM I.

QUOMODO PIETATEM EJUSQUE FUNDAMENTUM VERAM SCILICET RELIGIONEM MAGISTRATUS APUD SUBDITOS PROMOVERE DEBEAT.

An a[d] magi[stra]tum [per]tinea[t] religi[onis] cura.

165. Non heri nec nudius tertius, sed jam olim dubitatum ac disceptatum fuit, *an ad magistratum politicum religionis et sacrorum cura pertineat,* quibusdam peccantibus *ἐν ἐλλείψει,* dum ab omni rerum ecclesiasticarum cura magistratum, etiam pium et Christianum arcent; quibusdam *ἐν ὑπερβολῇ* aberrantibus, qui *καισαροπαπίαν* quandam introducunt, potestatem ecclesiasticam omnem magistratui vendicant et inter regalia ipsorum referunt, adeoque ecclesiastico ministerio penitus oppresso omnia ad nutum et voluntatem magistratus conformant. **Ma-

gistratus non debet sibi in ecclesia potestatem quandam αὐτοκρατορικὴν nec ea, quae sunt ministerii propria, arrogare. Athanasius in ep. ad solit. vitam agent. f. 650. allegat epist. Hosii, in qua haec exstant: *Ne te imperator misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere praecipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis quae sunt ecclesiae concredidit, et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae; ita et tu cave, ne quae sunt ecclesiae ad te trahens magno crimini obnoxius fias. Date, scriptum est, quae sunt caesaris caesari et quae Dei Deo. Neque ergo fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum et sacrorum imperator habes potestatem.* Et postea f. 654. inquit Athanasius ipse: *Si istud est judicium episcoporum, quid commune cum eo habet imperator? sin contra ista minis caesaris conflantur, quid opus est hominibus titulo episcopis, quando judicium ecclesiae auctoritatem suam ab imperatore accepit?* Apud Suidam Leontius Tripolis Libyae episcopus ad Constant. inter episcopos praesidentem et ecclesiis praescribere volentem ait: *Miror, imperator, qui fiat,* ἱερὰ διέπειν ταχθεὶς ἑτέροις ἐπιχειρεῖς, *ut aliis curandis destinatus alia tractes, qui cum rei militari et reipublicae praesis, episcopis ea praescribas, quae ad solos episcopos pertinent.* Imperator itaque verecundatus ejusmodi edictis imposterum *abstinuisse fertur.* Ambrosius ep. 33: *Noli te gravare imperator, ut putes, te in ea, quae divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, quae Dei Deo, quae caesaris caesari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotia ecclesiae. Publicorum tibi moenium jus commissum est, non sacrorum.* Idem ad Theodosium imp. apud. Theodoretum l. 5, c. 17: *Purpura imperatores non sacerdotes efficit.* Damascenus orat. 2. de imag.: οὐ βασιλέων ἐστὶ νομοθετῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ. Augustinus ep. 48. 50. 165. docet, *principes legum divinarum non interpretes et magistros, sed custodes; ecclesiae non dominos sed nutricios et defensores esse debere.* Valentinianus l. 7. Tripart. c. 8: *Nostis aperte, eruditi utique divinis eloquiis, qualem oporteat esse pontificem et quod non deceat eum verbo solum, sed etiam vita gubernare subjectos et totius semet ipsum imitatorem virtutis ostendere testemque doctrinae conversationem bonam habere. Talem itaque in pontificali constituite sede, cui et nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittamus et ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessario veluti curantis medicamenta suscipiamus.* Quidam ex Calvinianis seu potius Remonstrantibus, ut in Belgio vocantur plus aequo tribuunt magistratui circa ecclesiae regimen. Joh. Utenbogard. de off. Christ. magist. in eccl. p. 84: *Oportet itaque Christianum magistratum necessario agnoscere pro magistratu sub Christo etiam in ecclesia et rebus ad ecclesiam spectantibus ad eam regendam ac gubernandam secundum verbum ejus.* p. 68: *Officium magistratus in regimine ecclesiae speciatim se etiam extendit ad condendum leges et constitutiones ecclesiasticas.* p. 69: *Potestatem leges ecclesiasticas condendi, figendi et refigendi ad magistratum pertinere docent exempla piorum regum, Davidis, Salomonis, Ezechiae, Josiae et aliorum.* Casp. Barlaeus dissert. p. 14: *Tantum abest, ut principibus summa in ecclesiae negotiis juris docendi potestas denegari merito debeat, ut plerique veterum tum in Dei populo ante Moysis et Aaronis tempora, tum etiam apud gentiles duo haec munia conjuncta habuerint, sacerdotium inquam et regnum. In Melchisedeco res plana est et quae regni cujusdam speciem habebant, in patriarcharum familiis. Inter ethnicos Diotogenes Pythagoricus tria in legitimo rege requirit, ut belli dux sit, ut judex, ut sacerdos. Augustus pontificatum maximum imperio adjunxit eumque secuti principes idem fecere.* Arminius art. perpend. p. 38: *Penes magistratum est leges de politia ecclesiastica condere.* Episcopius disput. de jure magistr. th. 11: *Magistratus non simpliciter opus habet consilio illorum, quibus sacrorum administratio demandata est in conficiendis decretis suis aut in iis roborandis et stabiliendis auctoritate, cum sufficienter a Scriptura consiliis instructus et plenaria potestate, qua omnia solus, quando vult, exsequi potest, desuper a Deo donatus sit.* Rectius Damascenus orat. 2. de imag.: οὐ βασιλέων ἐστὶ νομοθετῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ, et Ambrosius lib. 5. orat.: *Bonus imperator intra ecclesiam, non supra ecclesiam.* Casaubonus in praefat. exercit. ad annal. Baronii. *1. Recte quidem illud dicitur, non esse principum aut civilium magistratuum leges novas de cultu Dei conscientiis ferre aut propria sacerdotum obire munia, sed utinam considerare principes vellent, aliud esse sacerdotem agere, ex ambone Scripturas interpretari, sacramenta administrare, in nomine Christi ligare et solvere; aliud auctoritate sua prospicere, ut quae sunt sacerdotis, agat sacerdos, atque id rite, ut est a Deo jussus. Has partes in ecclesia Dei jam inde a principio pii principes sibi semper vendicarunt.*** Ut ergo medium iter inter Scyllam ac Charybdin teneamus, primo omnium demonstrandum fuerit, Christianum XIV. [illegible] et pium magistratum non posse nec debere *ab omni religionis et sacrorum cura* simpliciter excludi; secundo *certi limites* constituendi sunt, ne ecclesiastici ac politici ordinis munia confundantur, sed utrique debitae partes relinquantur. Prius demonstramus sequentibus fundamentis: *1. Ex mandatis divinis.* Magistratui divinitus commissa est *custodia legis divinae*, jam vero ad legem divinam pertinet non solum posterior decalogi tabula de officiis proximo praestandis, verum etiam prior de cultu divino ejusque publico exercitio. Deuter. 17, v. 18: *Postquam sederit rex in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis hujus in volumine accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticae tribus et habebit secum legetque illud omnibus diebus vitae*

Affirmatio probatur. 1. Ex mandatis divinis.

1. Deut. 17, v. 18. Postquam sederit rex in solio etc.

suae, ut discat timere Dominum Deum suum et custodire verba et cerimonias, quae in lege praecepta sunt. Jos. 1, v. 7. dicit Dominus ad Josuam: *Confortare et esto robustus valde, ut custodias et facias omnem legem, quam praecepit tibi Moyses servus meus;* inde regi Joas in solenni inauguratione liber testimonii a Jojada pontifice datur, ut intelligat, *custodiam illius* sibi esse commendatam 2. Reg. 11, v. 12. 2. Paral. 23, v. 11. ubi vulgata sic παραφράζει: *Dederunt in manu ejus tenendam legem.* Ex quibus omnibus sic concludimus: Cui custodia legis divinae est commissa, ad illum quoque spectat religionis et sacrorum cura. Sed magistratui commissa est legis divinae custodia. Ergo ad magistratum etiam spectat religionis et sacrorum cura. Ne quis excipiat, *custodiam illam ad personam regis privatam pertinere, quod videlicet ipse non minus quam reliqui ad observantiam et custodiam divinorum praeceptorum obligetur, sicut alias populus jubetur custodire legem divinam, hoc est in mandatis divinis ambulare,* Exod. 12, v. 17. Lev. 11, v. 2. c. 18, v. 5. Deut. 4, v. 2. etc. notandum, quod haec praecepta peculiariter dentur regibus quatenus talibus, hoc est in regni officio consideratis, ut intelligant, ipsos non solum pro se ad observantiam divinae legis obstrictos esse, sed etiam potestatem officii sui ad custodiam legis divinae adhiberi, quorsum enim alias peculiariter regibus haec custodia committeretur? ac testantur piorum regum exempla,
XIV. 25. ipsos hoc sensu verba praecepti accepisse, quod in administratione officii sui legem divinam debeant custodire. Neve quis excipiat, *posterioris tantum decalogi tabulae curam magistratui esse commissam, nequaquam vero prioris, quippe quae divinum cultum spectet ac cujus custodia Levitico sacerdotio commendata fuerit,* notandum 1. quod indefinite ac indeterminate Dominus loquatur, *ut discat custodire verba legis* Deut. 17, v. 18. 2. quod universaliter loquatur, ut custodias et facias *omnem legem* Jos. 1, v. 7. jam vero *qui dicit omne, nihil excludit*; 3. quod in specie *legum ceremonialium* mentionem faciat, quae sunt prioris decalogi tabulae appendices. Ergo custodia etiam prioris tabulae magistratui denegari nequit.

2. Psalm. 2, v. 12: Osculamini Filium. 166. Conjungimus huic praecepto de custodia legis divinae illius generis praecepta reliqua, Psalm 2, v. 10: *Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram,* v. 11. *servite Domino in timore et exsultate ei in tremore,* v. 12. *osculamini filium, ne quando irascatur.* Particula וְעַתָּה, *et nunc*, hanc cohortationem ad *reges* factam cum superioribus co modo connectit, quod considerata regni Christi divina stabilitione et confirmatione non debeant conatu prorsus irrito et frustaneo illud amplius oppugnare, sed evangelium hujus regni amplecti, doctrinae Christi in suis regnis et provinciis locum dare ejus propagationem promovere et hac ratione, *Filium osculari.* Petrus Galatinus lib. 3. de arcan. cath. verit. cap. 6. ex Midias Tehillim talem affert expositionem: *Quid sonat illud osculamini filium? Simile est cuidam regi, qui contra filios seu incolas civitatis indignatus est. Iverunt ergo cives et supplices facti filio regis petiverunt, ut sua intercessione patrem sibi reconciliaret. Abiit filius et placavit subditis patrem suum. Accesserunt postea cives regem sibi reconciliatum, ut gratias agerent, quibus rex dixit, Mihine gratias agetis? quin abite potius et filio gratias agite, cujus intercessione vitam et omnia vestra debetis, nisi enim ille medius intervenisset, actum de vobis esset.* Sanctes Pagninus in lexico allegat verba R. Aben Ezrae: *Servite Domino respectu Domini, osculamini Filium respectu Messiae,* et addit, *in India morem fuisse, ut subditi regem deoscularentur,* sicut et Samuel 1. Sam. 10, v. 1. *Saulem* regem noviter electum deosculatur. Gen. 41, v. 40: *Super os tuum osculabitur omnis populus,* LXX interpr. ὑπακούσεται, Hieronymus *ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Quando igitur reges jubentur *osculari Filium*, intelligitur non tam *osculum amoris* et dilectionis *quam honoris, reverentiae et subjectionis,* quod huic regi sua sceptra submittere ipsique servire et potestatem divinitus acceptam ad regni hujus propagationem et defensionem convertere debeant. Drusius in comm. ad difficiliora loca Gen. cap. 118. pag. 139. Inter genera osculorum, quae recensent Hebraei, est *osculum* גְּדוּלָּה *dignitatis seu magnitudinis.* Thanchama 23. 4. *ut cum regem recens creatum osculo recipimus et admittimus eique homagium praestamus, de quo intelligendum illud* Psalm. 2, v. 12. *osculamini Filium.* Proinde sic concludimus: Si reges et judices quatenus tales Domino servire ac Filium osculari jubentur, utique etiam illis cura religionis incumbit. Quomodo enim Christo sua potestate et officii administratione servirent, si in religionis negotio quod agerent, non haberent? Tunc vero Christo serviunt ipsumque osculantur, si non ipsi solum doctrinam Christi recipiunt ac fide amplectuntur, sed etiam potestate divinitus sibi data hoc efficiunt, ut puritas doctrinae in ecclesia conservetur, idololatriae et falsi cultus aboleantur, lupi ab ovili Dominico arceantur, ministri ecclesiae commode alantur etc.

3. Psal 24, v. Elevat XIV. 3 portae capita vestra. 167. Psalm. 24, v. 7. inquit regius psaltes: *Elevate portae capita vestra et elevate vos portae seculi et introibit rex gloriae.* LXX interpr. reddiderunt ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν. Variae quidem proferuntur loci istius expositiones. Quidam existimant, Davidem per προσωποποιΐαν alloqui portas templi Hierosolymitani, sicut etiam Chaldaicus paraphrastes exposuit: *Levate portae domus sanctuarii capita vestra.* Atqui tempore Davidis nondum fuit exstructum templum. Justinus Martyr exponit de *portis coeli,* quod angeli Christum adscendentem his verbis excipiant; Hieronymus et Augustinus allegorice per portas seculi intelligunt *voluptates,* quas tollendas esse dicunt, ne aditus ad regnum coelorum per eas praecludatur; quidam de *portis inferorum* accipiunt, quae Christo ad infernum descendenti patere jussa sunt; quidam referunt *ad desiderium*

aedificandae domus Dei, quod per prosopopoeiam alloquatur portas domus Dei futurae nondum existentes. Sed simplicissime verba Davidica sic accipiuntur, quod sint sedula ac gravis cohortatio ad omnes cujuscunque generis et conditionis homines, cumprimis vero ad magistratus directa, ut Christi doctrinam recipiant, portas illi aperiant et ecclesiae hospitium concedant, unde LXX interpr. nominatim ad *ἄρχοντας* referunt, qui ob quas causas portis conferantur, superius §. 12. fuit expositum. Sic ergo ex hoc dicto concludimus: Qui jubentur Christi evangelio locum relinquere et propagationi ejus inservire, illis cura religionis demandatur, quomodo enim possent absque religionis cura in evangelii praedicatione et propagatione promovenda Christo inservire? Sed magistratus jubentur Filium osculari et Deo servire, hoc est Christi evangelio locum relinquere et propagationi ejus inservire. Ergo.

168. Addimus etiam locum apostolicum 1. Tim. 2, v. 1: *Adhortor igitur*, *obsecrationes*, *orationes*, *postulationes* etc. *fieri pro omnibus hominibus*, v. 2. *pro regibus et omnibus*, *qui in sublimitate constituti sunt*, *ut quietam et tranquillam vitam agamus ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι*, *in omni pietate et honestate*. Ex eo sic concludimus: Qui finis est precum pro magistratu a Christianis fundendarum, is etiam finis debet esse magistratui in suo officio propositus. Proinde si pii subditi solicitis precibus Deum invocare debent, ut magistratum regat Spiritu suo sancto, quo sub ejus tutela et patrocinio *tranquillam et quietam vitam in omni pietate et honestate agere possint*, utiquè etiam magistratus ipse suo hac in parte non debet deesse officio. Sed jubet apostolus preces hoc fine pro magistratu a subditis fieri, ut in pietate et honestate tranquille et quiete sub eo vivere possint. Ergo etiam magistratui incumbit, ut hunc finem in officii sui administratione sibi praefixum habeat. Ulterius. Si magistratus in officii sui exsecutione eo spectare debet, *ut subditi in omni pietate et honestate tranquillam agant vitam*, utique etiam cura religionis ad illum spectat. Sed verum prius; ergo et posterius. Ratio consecutionis est in aperto, quia *pietas* ad priorem, *honestas* ad posteriorem decalogi tabulam pertinent; *pietas* Deum, *honestas* homines respicit; *pietas* ad vitam spiritualem, *honestas* ad civilem pertinet. Jam vero magistratui incumbit, diligenter uti curet, quo non solum *in honestate*, sed etiam *pietate* subditi vivant, id quod absque vera veri Dei cognitione et ejusdem juxta praescriptum verbi legitimo cultu fieri nequit. Vera ac Deo grata pietas non consistit cum idololatricis cultibus, blasphemiis et haeresibus, eas igitur coërcere, contra vero doctrinam Christi promovere debet pius magistratus, ut ad scopum ab apostolo propositum pertingat. Atque huc respexit pientissimus ac laudatissimus Saxoniae elector Augustus vere augustus, quando in constitutione ecclesiastica f. 288. generales articulos sic orditur: Nachdem wir als ein Chriſtlicher Fürſt, dem nicht allein löbliche Polizei, ſondern auch der Kirchen Sachen vermöge tragenden und uns von Gott befohlenen Amts angelegen, eine chriſtliche Viſitation angeſtellet ꝛc.

169. 2. *Ex divinis praedictionibus et promissis.* Psalm. 22, v. 30. praedicitur, quod דִּשְׁנֵי־אֶרֶץ, *pingues terrae*, *Christum adoraturi* seque *coram ipso incurvaturi sunt*, per quos pingues intelliguntur illi, qui potentia et auctoritate, honore et opulentia aliis antecellunt, quibus opponuntur *pauperes et qui in pulverem descendunt*. Psalm. 47, v. 10: נְדִבִים *optimates populorum aggregati sunt populo Abraham*, *Deo adjungent se praesidia terrae*, *vehementer elevatus est*, scilicet Deus, LXX interpr. ad scuta seu protectores terrae elevationem retulerunt, *ὅτι τοῦ θεοῦ οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς σφόδρα ἐπήρθησαν*, ita quoque Latina, *quoniam dii fortes terrae vehementer elevati sunt*, ut et Chald. *quoniam coram Deo scuta terrae vehementer exaltata sunt*. Sed verbum נַעֲלָה ponitur in singulari, et in praeced. verbo אֶרֶץ est accentus Rebija incisum majus constituens, rectius igitur statuitur quaedam ellipsis, *Dei ipsius sunt scuta terrae*, deo adhaerebunt scuta terrae, vel quod commodius est, verbum נֶאֶסְפוּ ex praecedente membro repetendum, *Deo ipsi aggregebuntur scuta terrae*, *vehementer elevatus est Deus apud ea*. Tigur. reddiderunt, *quoniam diis protectoribus terrae longe superior est*, acceperunt מָגִנֵּי לֵאלֹהִים per appositionem, sed in proxime praecedente sententia אֱלֹהִים de vero Deo accipitur, et scopus ostendit, verum ac genuinum sensum hunc esse, quod non pauci nec plebeji solum, sed etiam proceres et optimates, scuta et capita terrae, magnates ac potentes sint Christum agnituri, verbum ejus recepturi et vero Deo Abrahae per ejusdem fidei consortium sese juncturi. Psalm. 68, v. 23: *Dixit Dominus* מִבָּשָׁן, *ex Basan*, *redire faciam.* Quidam proprie accipiunt vocem *Basan* pro regione Ogi regis in parte Moabitarum atque his verbis celebrari existimant insignem illam victoriam, quam divino beneficio Israëlitae ex Ogo rege Basanis reportarunt; quidam tropice accipiunt pro conversione quorundam ex Judaeis. Sed regio Basan pascuorum commoditate ac terrae fructuum magnitudine, copia et laude celebris fuit, unde factum, ut animalia ibi pascentia fuerint pinguiora, robustiora et grandiora, ideo per Basan synecdochice intelliguntur homines potentes et divites Psalm. 22, v. 13. Amos 4, v. 1. continet igitur hic locus vaticinium de conversione magnatum ac potentum ad Christi regnum. Psalm. 72, v. 10: *Reges maris et insularum munus reddent*, v. 11. *et incurvabunt se ei omnes reges*. Ex quibus sic concludimus: De quibus peculiaria exstant vaticinia, quod nomen suum Christo sint daturi, verbum ipsius fide amplexuri et regno ejus sese aggregaturi, ex illorum conversione magnus et peculiaris aliquis ad ecclesiam redundat fructus. Sed de regibus et magnatibus peculiaria exstant vaticinia, quod nomen suum Christo sint daturi, verbum ipsius fide amplexuri et regno ejus sese aggregaturi. Ergo etc. Ulterius si ex regum et magnatum conversione magnus et peculiaris aliquis

2. Ex divinis promissis.

1. Psalm. 22, v. 30: Pingues terrae adorabunt.

2. Psalm. 47, v. 10: Optimates populorum aggregati sunt.

3. Psalm. 68, v. 23: Ex Basan, redire faciam.

4. Psalm. 72, v. 11 Reges se illi incurvabunt.

ad ecclesiam redundare debet fructus, utique ad illos etiam spectat potestatem suam ad propagationem evangelii ac regni Christi convertere. Sed verum prius, ergo et posterius. Connexio probatur, quia fructus, qui ex conversione regum et magnatum ad ecclesiam redit, non solum in eo consistit, quod *exemplo* suo alios ad evangelium Christi amplectendum provocant, sed etiam quod subditos suos Christo adducunt, ecclesiae *hospitium* in suis ditionibus pa-
XIV. 28. rant et propagationem evangelii sua potestate promovent. Cumprimis vero huc pertinet illustre vati-
5. Esa. 49, v. 23. Erunt reges nutritii tui. cinium Esa. 49, v. 23: *Erunt reges nutritii tui et reginae eorum nutrices tuae.* Antecedentia ostendunt, proponi vaticinium de conversione gentium ad regnum Christi, cui generali vaticinio subjungitur speciale de conversione regum ac magnatum addito peculiari fructu, qui ex illorum conversione sit redundaturus ad ecclesiam, quod videl. reges futuri sint ipsius nutritii. אֹמֵן significat *nutritorem*, *altorem*, item *curatorem*, *tutorem ac dispensatorem*, a rad. אָמַן *fidelis fuit*, quia tutor ac nutritor alterius filium in suam fidem et clientelam recipit Num. 11, v. 12. 2. Reg. 10, v. 1. Esth. 2, v. 7. Targ. reddidit תּוּרְבְּנַיָּא, LXX interpr. *τιϑηνοί*. De reginis dicitur, quod futurae sint מֵינִקוֹת *nutrices ac lactatrices ecclesiae*, LXX interpr. *τροφοί*. Comparatur ecclesia orphanis et pupillis, quorum curam, tutelam et patrocinium pius magistratus debet suscipere, ministris ecclesiae de sustentatione et salariis prospicere, ut impleatur vaticinium huic ipsi parallelum Esa. 60, v. 10: *Reges ministrabunt tibi*, v. 16. *suges lac gentium et mammilla regum lactaberis.* Noverit igitur magistratus, ecclesiae omni humano praesidio ut plurimum destitutae curam ac clientelam sibi velut tutoribus ipsius Dei voce hoc loco esse commendatam.

3. Ex encomiis magistratui datis. 170. *3. Ex appellationibus et encomiis* magistratui attributis. Magistratus dicuntur *Elohim*, *dii* Exod. 21, v. 6. Psalm. 82, v. 6. Ergo ut Dei vicarios sese gerant et gloriam Dei unice promoveant, id vero commodius fieri nequit, quam si diligentem religionis et ecclesiae curam gerant. Dicuntur *pastores* Esa. 44, v. 28. Jer. 49, v. 19. Ergo curent, ut subditi ad pascua salutaris ac salutiferae doctrinae deducantur. Qui magistratui, et quidem Christiano unicum illum atque ultimum finem propositum esse debere existimant, ut externam duntaxat felicitatem atque tranquillitatem in hac vita eis procuret, illorum vocem non aliter audire debemus, quam si magistratum bubulcum atque opilionem appellarent. Quemadmodum enim armentorum atque gregum praefectus suo satis perfunctus est officio, si de commodis pascuis illis prospiciat, etiamsi catervatim postea ad lanienam abducantur; sic ejusmodi homines magistratum officii sui partes peregisse omnes existimant, si de corporum cura ac tutela subditis recte caveat, etiamsi animae ipsorum misere langueant et in languore isto aeternum pereant. Vocantur *patres* 1. Sam. 12, v. 15. Quemadmodum igitur parentibus incumbit liberis non solum de victu et amictu prospicere, sed eosdem etiam *ἐν παιδείᾳ καὶ νουϑεσίᾳ κυρίου* educare Eph. 6, v. 4. ita quoque magistratui incumbit non solum de externa tranquillitate et pace, sed etiam de subditorum in vera religione institutione esse solicitum. Si ad officium Christiani parentis pertinet cura religionis in familia et domo sua instituendae, utique etiam ad magistratum, qui est pater patriae, pertinet in suo regno religionem promovere. Vocantur *scuta terrae* Psalm. 47, v. 10. ergo pertinet ad officium magistratus ecclesiae defensionem suscipere et a persecutorum violentia eandem sua auctoritate ac potestate tueri.

171. *4. Ex probatis regum ac magistratuum* 4. E: prob
exemplis. Moyses, de quo Deut. 33, v. 5. dicitur, exem
quod *officium regis* in populo Israëlitico administraverit, divina auctoritate religionem in populo Israëlitico constituit, legem divinitus acceptam promulgavit, Aaronem sacerdotem et ipsius filios initiavit, leges tum toti populo, tum sacerdotum ordini praescripsit. Exod. 20. Levit. 8. et 10. Num. 3. etc. De *Josepho* Aegypti prorege dicitur Psalm. 105, v. 22. quod *principes Pharaonis erudierit sicut se ipsum et senes ejus sapientiam docuerit*, ex quo recte colligit Augustinus in comm. quod Aegyptios in vera religione institui curaverit. *Unde fieri pos-* XIV.
sit (inquit), *ut vir tantus unius veri Dei cultor in Aegypto alendis tantummodo corporibus et rebus tantum corporalibus gubernandis esset intentus et quo eos meliores redderet, curam non haberet animorum? Josua* successor Moysis deductionem arcae Levitis praecepit, renovavit foedus inter Deum et populum ac plurima, quae ad religionis et cultus divini constitutionem pertinent, suscepit Jos. 5. 8. 24. *Saul abstulit magos et hariolos de terra* 1. Sam. 28, v. 9. juxta praeceptum divinum Lev. 20, v. 27. Deut. 18, v. 11. *David* arcam Domini ex aedibus Obededom reduxit 2. Sam. 6, v. 12. 1. Par. 13, v. 2. vasa aurea, argentea et aerea hostibus erepta vel in signum subjectionis ab ipsis donata Domino sanctificavit 2. Sam. 8, v. 11. exemplum proponens omnibus gubernatoribus, ut de suis facultatibus ad conservationem ministerii et propagationem cultus divini aliquid conferant, *constituit coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent et recordarentur operum ejus et glorificarent et laudarent Dominum Deum Israëlis* 1. Paral. 16, v. 4. praeparavit necessaria ad templi structuram 1. Paral. 22, v. 2. officia Levitarum per certas vices distribuit 1. Par. 23, v. 4. et seqq. *Salomon* ab officio removit Abiatharem summum sacerdotem ac Sadocum in illius locum substituit 1. Reg. 2, v. 27. exstruxit templum Hierosolymitanum 1. Reg. 6, v. 1. et seqq. arcam Domini magna solennitate in illud deduxit ac precibus et sacrificiis illud sanctificavit 1. Reg. 8. 1. Paral. 6. *Asa* rex Juda *fecit, quod bonum et placitum erat in conspectu Domini, subvertit altaria peregrini cultus et excelsa et confregit statuas lucosque succidit, abstulit effeminatos de terra purgavitque universas sordes idolorum, quae fecerant patres*

ejus 1. Reg. 15, v. 12. 2. Paral. 14, v. 3. *intulit ea, quae sanctificaverat pater ipsius et sancta pertinentia in domum Domini, argentum, aurum et vasa* 1. Reg. 15, v. 15. *ac praecepit Juda, ut quaereret Dominum Deum patrum suorum et faceret legem et universa mandata* 2. Paral. 14, v. 4. *renovavit altare Domini et subditos foedus cum Deo inire idque juramento confirmare jussit* 2. Paral. 15, v. 8. et seqq. *Josephatus* Asae filius *excelsa et lucos de filiis Juda abstulit* 2. Paral. 17, v. 6. *ac misit principes et sacerdotes, qui circumirent in toto regno ac populum in lege Dei instituerent* v. 7. hoc est abolevit cultus idololatricos, instituit reformationem et visitatores ablegavit, quin et ipse *egressus ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum* 2. Paral. 19, v. 4. *constituit insuper sacerdotes et Levitas et principes familiarum ex Israël ad judicium Domini et controversias ejus illisque certa praecepta proposuit* v. 8. et seqq. *Joas* instauravit ruinas templi 2. Reg. 12, v. 4. 2. Paral. 24, v. 4. *Ezechias dissipavit excelsa, contrivit statuas, succidit lucos, confregit serpentem aeneum, cui Israëlitae adolebant incensum* 2. Reg. 18, v. 4. *aperuit valvas domus Dei et instauravit eas* 2. Paral. 29, v. 3. *instituit reformationem cultus et repurgationem templi, iniit foedus cum Domino et constituit Levitas in domo Domini cum cymbalis et psalteriis* v. 5. 10. et 25. celebrationem paschatos in usum revocavit et populum ad verum Dei cultum reduxit cap. 30. sacerdotum officia distribuit et decimas illis assignavit c. 31. *Josias* librum legis ab Helcia sacerdote repertum publicavit et universo populo praelegi curavit, praecepit etiam sacerdotibus, ut vasa idololatrica templo ejicerent, delevit camarim, quos posuerant reges Juda ad adolendum in excelsis atque instrumenta idololatriae e medio removit 2. Reg. 23. 2. Paral. 34. fecit Domino phase, sacerdotes in officiis suis constituit eosque hortatus est, ut ministrarent in domo Dei 2. Paral. 35. *Nabuchodonosor* rex Babylonis publico edicto verum Deum Israëlis coli praecipit et blasphemias contra Deum sub poena mortis prohibet Daniel. 3, v. 29. Ex quibus omnibus sic concludimus: Quod congruit probatis exemplis et factis piorum regum V. T. illud in magistratu Christiano nequaquam est impro-
v. 30. bandum. Sed curam religionis et divini cultus suscipere convenit exemplis et factis piorum regum V. T. Ergo. Circa assumtionem observetur, quod nuspiam commemorata regum Israëliticorum facta a Spiritu sancto improbentur, quin contra potius hoc nomine commendantur, *quod fecerint ea, quae grata et placentia in oculis Dei*, ac reprehenduntur illi, *qui non abstulerunt lucos et excelsa*, quo ipso innuitur, negligentes illos in suo officio fuisse, qui idololatricos cultus non abstulerint. Hisce piis V. T. regibus Christiani imperatores etiam annumerandi sunt: *Constantinus Magnus* laudibus ob id depraedicatur maximis, quod edicto publico templa idolis ethnicorum consecrata occluserit, Christianis de libertate religionis caverit, stipendia piis doctoribus constituerit et propter haeresin Arianam Nicaenum concilium convocaverit. Idem in epistola ecclesiis scripta post synodum Nicaenam apud Eusebium lib. 3. de ipsius vita p. 891: *Putavi mihi ante omnia id enitendum esse, ut in ecclesia fides una felicissimi populi sincera caritas et religio erga auctorem omnium Deum nusquam discrepans observetur.* Marcianus imperator in prima sessione concilii Chalcedonensis sic alloquitur sanctam synodum: *Cum primum per electionem in regnum de secreto Dei provecti sumus, inter tantas publicas utilitates nullum magis nos constrinxit negotium, quam rectam et veram fidem Christianorum, quae sancta et veneranda consistit, indubitatam omnibus declarare.* Socrates in prooem. lib. 5. hist. scribit, se propterea in historia ecclesiastica mentionem imperatorum fecisse, *quod ex illo tempore, quo Christiani esse coeperunt, ecclesiae negotia ex illorum nutu pendere visa sint et maxima concilia de eorum sententia convocata. Theodosium* hoc nomine commendat Ambrosius, quod morti vicinus *potiorem ecclesiae quam imperii curam egerit. Justiniani* vox memoratu digna exstat Novell. 3: *Non minor nobis cura est horum, quae sanctissimis ecclesiis prosunt, quam ipsius animae. Carolus Magnus* confecto bello difficili ac diuturno, quo Saxones ad Christi agnitionem cultumque traduxit, episcopatus complures apud ipsos instituit. **Hispanorum historiae regem commemorant Reccaredum Wisigothum, qui miseratione divina factus orthodoxus de Ariano veram fidem in regno suo circa annum Christi 589. curavit recipiendam. Ipse igitur synodum cogere, ipse interesse, ipse tridui jejunium episcopis indicere, ipse confessionem scribere et firmandam synodo exhibere. Edgarum Angliae regem, qui circa ann. Christi 959. habenas regni suscepit, celebrant historiae Anglicanae non solum ut principem pium, sed etiam de conservanda pietate solicitum. Is rex in oratione quadam ad ecclesiarum et monasteriorum patres haec verba inter cetera habuit: *Sed et meae solicitudinis est, ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris virginum et necessaria procurare et paci eorum et quieti consulere, de quorum omnium moribus spectat ad nos examen*, ut referunt Albertus Ricwalensis in epist. ad illustrem Normannorum ducem, postmodum regem et Guilelmus Rishanger in chronico (Jesuita Parsonius magna temeritate *nos* mutavit in *vos*, sed omnes antiquae membranae habent *nos*, ut Robertum Cotionem sibi ostendisse refert Casaubonus in praefat. exerc. ad ann. Baronii). Exstat etiam synodus provincialis regis ejusdem jussu coacta, quam Dunstanus episcopus describens Edgarum in prooemio dilaudat ut regali officio ea in re functum veluti pastorum pastorem.**

172. 5. Ex rationibus. 1. Quibus commendata est reipublicae salus, illis etiam commendata intelliguntur ea, absque quibus respublica salva consistere nequit, quia finis praesupponit media ad eum ducen- **5. Ex rationibus.**

tia. Sed magistratui commendata est reipublicae salus. Ergo etiam ipsi commendata sunt ea, absque quibus respublica salva consistere nequit. Inter ea vero eminet religionis et sacrorum cura, unde Philosophus lib. 7. pol. cap. 8. inter ea, *ὧν ἄνευ πόλις οὐκ ἂν εἴη* curae religionis, quam ipse vocat *περὶ τῶν θείων ἐπιμέλειαν*, principem locum assignat. Plato etiam lib. 2. de rep. *praecipuam curam in republica de religione suscipiendam esse dicit.* Ac nititur haec philosophi sententia optimis rationibus. Religio est *societatis humanae fundamentum* Cicero lib. 2. de nat. Deor. est *magistratus propugnaculum*
XIV. 31. Plato lib. 4. de rep. *est vinculum legum et honestae disciplinae* id. lib. 8. de legib. nec ulla re magis tam qui parent, quam qui imperant in suo contineri possunt officio quam religione et Dei metu. Carolus de Marill. episcopus Viennensis in conventu Fonteneblicano dixit, *regna duabus praecipue niti columnis, verae religionis exercitio et subditorum benevolentia, quae ex verae religionis cognitione oriatur et clementi gubernatione comparetur*, Osiander in hist. ann. 1560. Contra vero sublata religione tollitur erga Deum pietas, sublata pietate fides ac justitia ex societate humana tolluntur, Cicero lib. 1. de nat. Deor. Excusso ex animis hominum Dei metu, immanitate ac scelere omnia complentur. 2. Cui cura et tutela reipublicae est commissa, is avertere debet ea, quae rempublicam possunt ac solent evertere. At magistratui cura et tutela reipublicae est commissa. Ergo avertere debet ea, quae rempublicam solent evertere, inter quae cum falsa religio et cultus idololatricus locum facile principem obtineant, de eorum abolitione magistratum pium ac Christianum vel maxime convenit esse solicitum. *Veri Dei ignoratio est praesentissima pestis rerumpublicarum*, inquit Plato lib. 10. de legib. 3. Maximum reipublicae momentum ac fulcrum consistit in honestis legibus. Atqui religio est bonarum legum fons et origo, Plato lib. 6. de legib. est *συνεκτικὸν πάσης κοινωνίας καὶ νωμοθεσίας ἔρεισμα, vinculum omnis societatis et fulcrum legum recte sanciendarum.* Ergo de religione solicitum oportet esse magistratum, si salvam velit esse rempublicam. 4. Qui magistratui religionis curam incumbere negant, pessime ecclesiae saluti consulunt. Quid enim si pastor degeneret in lupum, an Christianus magistratus non habebit potestatem eum coërcendi? quid si episcopi fiant negligentes nec praesint ecclesiae juxta praescriptum verbi, num magistratus non habebit potestatem eos corrigendi? hac ratione periclitabitur ecclesiae salus. Huc referimus etiam 5. communem gentium consensum ex lumine naturae ortum. Nam et gentilium nomothetae inter leges politicas etiam aliquas de religione tulerunt, nimirum quia persuasum ipsis fuit, ad magistratum potestate ferendarum legum instructum curam religionis pertinere vel maxime.

6. Ex patrum dictis. 173. 6. Ex veterum ecclesiae doctorum actis et pronuntiatis. Constat ex libr. Augustini contra Petilianum et Parmenianum et ex epist. 162. Donatistas accusasse Caecilianum Carthaginensium episcopum apud Constantinum imperatorem, qui causam primum remisit ad Melchiadem episcopum Romanum, apud quem victi rursus ad imperatorem provocarunt, nec ille provocationem eorum a se rejecit, sed negotium Arelatensi episcopo commisit, a quo denuo sunt condemnati, nec ibi quieverunt, sed ad imperatorem iterum provocarunt, qui eos audivit, causam cognovit, illos damnavit et sententia sua Caecilianum absolvit. Quodsi ergo causa religionis non pertinet ad magistratum, cur orthodoxi eam imperatori commiserunt? cur imperator ejus cognitionem suscepit? Augustinus epist. 48. ad Vincentium non longe a princ.: *Non invenitur exemplum in evangelicis et apostolicis literis, aliquid petitum a regibus terrae pro ecclesia et contra inimicos ecclesiae, quis negat non inveniri? sed nondum implebatur illa prophetia. Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, servite Domino in timore. Adhuc enim implebatur, quod in eodem psalmo legitur: Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania? adstiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus. Veruntamen si facta praeterita in propheticis libris figurae fuerunt in rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, utrumque tempus figuratum est, et quod sub apostolis habuit, et quod nunc habet ecclesia. Temporibus itaque apostolorum et martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando rex memoratus pios et justos cogebat adorare simulacra et recusantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulo post in eodem rege figuratum est, cum* XIV. 3
conversus ad honorandum Deum verum decrevit in regno suo, ut quicunque blasphemaret in regno suo deum Sadrach, Mesach et Abednego, poenis debitis subjaceret. Prius ergo tempus illius regis significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impiis; posterius vero tempus illius regis significavit tempora posteriorum regum jam fidelium, quos patiuntur impii pro Christianis. Et postea circa medium epist.: *Serviant reges terrae Christo etiam leges ferendo pro Christo. Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, justis et fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio; quando autem veritatem praedicat errantibus et discordantibus, cordatis utilis admonitio est et insensatis utilis afflictio. Non est tamen potestas nisi a Deo* etc. *Sive enim potestas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illa, qui fuerit emendatus; sive inimica veritati in aliquem saeviat, laudem habet ex illa, qui victor fuerit coronatus.* Epist. 50. ad Bonif. comitem circa med.: *Quod dicunt, qui contra suas impietates leges justas constitui nolunt, non petiisse a regibus terrae apostolos talia, non considerant, aliud fuisse tunc tempus et omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes* etc.? *nondum autem agebatur, quod paulo post in eodem psalmo*

dicitur: Et nunc reges intelligite, servite Domino etc. *Quomodo ergo reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quae contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam et rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter, quia vero etiam rex est, servit leges justa praecipientes et contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo, sicut servivit Ezechias lucos et templa idolorum et illa excelsa, quae contra Dei praecepta fuerant constructa, destruendo, sicut servivit Josias talia et ipse faciendo, sicut servivit rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo, sicut servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando et inimicos ejus leonibus ingerendo, sicut servivit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili revocando. In hoc ergo serviunt Domino reges, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere nisi reges* etc. *Posteaquam coepit impleri, quod scriptum est: Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient illi; quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, a quo tueatur vel oppugnetur ecclesia Domini vestri, non ad vos pertineat in regno vestro; quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus, quibus dici non potest: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus esse? Cum enim datum sit homini liberum arbitrium, cur adulteria legibus puniantur et sacrilegia permittantur? an fidem non servare levius est animam Deo quam feminam viro? aut si ea, quae non contemtu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vendicanda, numquid ideo negligenda sunt?* lib. 3. contra Crescon. grammaticum cap. 51: *In hoc reges, sicut eis divinitus praecipitur, Deo serviunt, in quantum reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam quae ad divinam religionem.* tractat. 2. in Johan: *Mirantur* (Donatistae), *quia commoventur potestates Christianae adversus detestandos dissipatores ecclesiae; si non ergo moverentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat caritas vestra, quid dicam, quia pertinet hoc ad reges seculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt.* lib. 2. contra epist. Gaudentii cap. 26. *Ad docendum populum Israël* (scripserat Gaudentius Donatista) *omnipotens Deus prophetis praeconium dedit, non regibus imperavit; salvator animarum Dominus Christus ad insinuandam fidem piscatores, non milites misit.* Respondet Augusti-
V. 33. nus, *ad curam regis pertinuisse, ut Ninivitae Deum placarent, cujus iram propheta annuntiaverat*, et addit: *Quamdiu vos non tenetis ecclesiam, quam praenuntiaverunt piscatores, apostoli plantaverunt, tamdiu reges, qui eam tenent, rectissime ad suam curam judicant pertinere, ne vos adversus eam rebelletis impune. Nam Deus et reges habuit inter prophetas, David quippe sanctus rex fuit, audite itaque prophetantem regem et nullum religiosum regem formidabitis irascentem.* ** Anno 813. tempore Caroli Magni et Leonis III. habita fuit synodus Cabilonensis in Gallia, cujus canones ab episcopis et abbatibus imperatori Carolo ad correctionem vel confirmationem oblati fuerunt. Sic enim habet illius concilii praefatio: *Auxiliante Domino nostro Jesu Christo et imperante serenissimo atque inclyto Augusto Carolo convenimus episcopi et abbates totius Galliae Lugdunensis in urbem Cabilonensem et de quibusdam rebus, in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quaedam capitula, quae subter inserta sunt, eidem Domino imperatori praesentanda et ad ejus sacratissimum judicium referenda adnotavimus, quatenus ejus prudenti examine ea, quae rationabiliter decrevimus, confirmentur, sicubi minus egimus, illius sapientia suppleatur.* ** Leo epist. 9. ad Theodos.: *Pro integritate fidei Christianissimum principem convenit esse solicitum.* Epist. 12: *Quantum rebus humanis consulere divina providentia dignetur, solicitudo clementiae vestrae Spiritu Dei incitata demonstrat, quae in Catholica ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diversum, quoniam fides, quae non nisi una est, in nullo potest esse sui dissimilis.* Epist. 75. ad Leon. August.: *Debes imperator incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad ecclesiae praesidium esse collatam.* c. Boni. dist. 96. ex Marcello: *Boni principis est ac religiosi ecclesias contritas atque conscissas restaurare novasque aedificare et Dei sacerdotes honorare ac tueri.* c. Principes etc. 23. q. 5. ex Isidoro lib. 3. sent. cap. 53: *Principes seculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adeptae culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra ecclesiam potestates necessariae non essent, nisi ut, quod non praevalent sacerdotes efficere per doctrinae sermonem, potestas hoc imperet per disciplinae terrorem. Saepe per regnum terrenum coeleste regnum proficit, ut qui intra ecclesiam positi contra fidem et disciplinam agunt, rigore principum conterantur ipsamque disciplinam, quam utilitas ecclesiae exercere non praevalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat et ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiatur. Cognoscant principales seculi, se Deo debere esse reddituros rationem propter ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina ecclesiae per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam ecclesiam tradidit.* c. Administratores etc. caus. et quaest. iisdem: *Administratores secularium dignitatum ad ecclesiarum tuitionem constituti esse debent.* Huc referri potest, quod elector Trevirensis in electione Caroli V. anno 1519. dixit, *statum reipublicae desiderare talem imperatorem, qui praeter alia constituat et emendet reipublicae statum*, quod et Moguntinus elector admonuit. Sleidanus lib. 1. comm. f. 24. Anno 1520.

Lutherus ad Carolum imperatorem scripsit, *confugere se Athanasii exemplo ad ipsum velut ad aram praesidiumque legum, orare ut doctrinae Christianae tutelam suscipiat seque contra vim et injuriam omnem defendat, quousque de causa constiterit, hoc ad officium ipsius pertinere.* Sleidanus lib. 2. comm. f. 42. Anno 1521. in literis ad Fridericum Saxoniae electorem *vehementer sibi gratum esse* scribit, *quod caesar hujus causae, quae publica sit, cognitionem ad se recipiat.* Sleidanus lib. 3. f. 55. In recess. imperii in comit. August. anno 1530. §. Nachdem aber imperator appellatur *supremus ecclesiae patronus*, der oberſte Voigt der Chriſtenheit. Anno 1533. Protestantes legato Pontificio Hugoni Rangono, quem caesaris legatus comitabatur, inter cetera in hanc sententiam responderunt, *cum*
XIV. 34. *postulato ac desiderio tum caesaris tum ordinum imperii pontifex nondum satisfaciat, orare se plurimum, ut Caesar considerata causae magnitudine, quae universam rempublicam et omnes nationes complectitur, det operam, ut legitime res agatur, nam hoc ipsius esse officium eique licere legibus, quando videl. pontifex veritatem impugnat.* Sleidanus lib. 8. comment. f. 233. Vide etiam Brentium in praef. apol. conf. Wirtemb. contra Petrum a Soto.

174. Ad has generales rationes respectu Protestantium principum accedit quaedam specialis, videl. constitutio pacificationis Passaviensis, qua cautum est, ne *jurisdictio ecclesiastica* ab episcopis Pontificiis adversus Augustanae confessionis socios exerceretur. Vigore hujus constitutionis *jura episcopalia* in provinciis statuum evangelicorum non amplius episcopis eorumque officialibus, sed principibus jus territorii habentibus competunt. Quaecunque igitur ad jus episcopale pertinent, ea vigore hujus decreti principes Evangelici in suis territoriis exercent, ea tamen ratione ac moderamine, ut quaedam ad jus illud spectantia immediate per se ipsos, quaedam per judicium ecclesiasticum sive consistorium, quaedam per superintendentes suos exerceant, qua de re in loco de ministerio latius fuit dictum.

Antithesis Pontificiorum.

175. **Anabaptistae fingunt, primae tabulae custodiam magistratui non esse demandatam, dicentes, *ad magistratus civilis judicia non pertinere fidem atque infidelitatem, quae sint res spirituales, non civiles; falsas doctrinas et impios cultus non esse potestate civili abrogandos vel amovendos, nec auctores eorum et disseminatores puniendos. Magistratus officium non pertinere ad ecclesiam Christi.* In colloquio Embdensi, *negotia de doctrina ecclesiae Dei judicio esse relinquenda juxta consilium Gamalielis Act. 5. coactionem ad pietatem, ad fidem, ad sacras conciones, ad orationem, ad usum coenae efficere hypocritas, et idcirco neminem a magistratu esse cogendum, fidem gratuitum esse Dei donum, idcirco non esse opus animadversione ulla magistratus*, et quae similia Monasterienses ceterique Anabaptistici gregis duces sive scriptis, sive aperta quondam prodiderunt voce, de quibus vid. Bullingerum et Wigandum.** Pontificii quoque a cura religionis et sacrorum magistratum penitus excludunt, vel si dicis causa admittunt, exsecutorem eorum, quae a clero statuta sunt, duntaxat faciunt. **Principes, qui res ecclesiasticas attingunt, Baronius ubique maledictis incessit, ausus etiam reges veteres Francorum eam ob causam comparare latronibus in sylvis anno Domini 855. principum fideles consiliarios, qui jura suorum regum adversus curiam Romanam defendunt, locis innumeris teterrimae damnat haereseos, neque aliud occurrit frequentius in posterioribus tomis quam haereseos politicorum dirissima detestatio.** Cum Carolus V. imperator de dissidiis religionis solicitus colloquia et conventus institueret, concilium promitteret ac pacem ecclesiae reddere laboraret, graviter hoc nomine a Paulo III. pontifice Romano fuit reprehensus, qui literas ad ipsum dedit 24. August. anno 1544. in quibus inter cetera sic scribit: *Cum de concilio generali tanquam de remedio omnium opportunissimo afflictis ecclesiae rebus et ipsius Germaniae mentionem facis, vel de nationali, vel de futuro ad proximum autumnum imperiali conventu, in quo de religione ceterisque rebus, quae ad illam pertinent, tractare promittis, ita agis, ita statuis, ut supprimas ejus nomen ubique, cui divina et humana jura approbante tot seculorum consensu supremam cum cogendi concilia, tum statuendi de his et ordinandi, quae ad ecclesiae unitatem utilitatemque spectant, auctoritatem dederunt.* Postea comparat institutum imperatoris *facto Usae arcae ruinam minanti manum admoventis, seditioni Core, Dathan et Abiran adversus Moysen et Aaronem, temeritati Usiae incensum in altari adolentis* et addit: *An non putas, hoc incensum esse coram Deo leges de religione sancire? Est quidem incensum, idque omnium Deo gratissimum, sed non est tuum munus illud, imperator, est sacerdotum Domini, est* XIV. 1
nostrum inprimis, quibus Deus potestatem ligandi et solvendi dedit. Nec te excusat (inquit), *quod sanctum sit factum vel quod non perpetuum, sed ad tempus, hoc est usque ad futurum concilium duraturas leges laturum te esse dicas, ut enim id per se pium sit, tamen in eo, cui Deus hoc ministerium non dedit, maxime est impium. Sumis enim tibi jam personam, quae propria est Dei, cui solum de sacerdotibus judicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam sumere licet.* Et postea: *Si pluribus dissuasimus, ne in disceptationes super his, quae ad religionem pertinent, componendas jus tibi vel auctoritatem sumeres, non ob id scripsimus, quod disceptationes componi non maxime optaremus, sed ut exemplis tum ex divina Scriptura, tum ex ecclesiasticis historiis citatis te admoneremus, ne quod ad tuum ministerium non pertinet, ipse tibi arrogares et pro tua et imperatoria dignitate juberes* etc. *Quod prae te fers studium et desiderium, ut componantur controversiae in religione et ut aliqua disciplina morum in universa ecclesia renovetur, te in hoc quidem magnopere laudamus et abs te petimus, ut in hoc operam tuam praebeas, ceu*

cui Deus curam hujus ministerii commisit. Ut enim in te tanquam caput in rebus hujusmodi tractandis minime ferendum censemus, ita tanquam brachii accommodatissimi tuam inprimis opem desideramus. Concludit tandem: *Obtemperabis Dei monitis, si ita animum inducas, nullum ut in iis, quae ad religionem pertinent, tibi jus et auctoritatem vendices, si divinam institutionem et ecclesiae consuetudinem sequens ab ipsis conventibus imperialibus, a quibus adsunt, qui auctoritatem de ejusmodi rebus cognoscendi habent, omnes de sacerdotibus ac de religione disputationes prorsus excludas et ad eorum proprium tribunal rejicias, si de bonis ecclesiasticis nihil statuas.* Videatur integra epistola apud Wolffium tom. 2. lect. memoral. p. 539. Cens. Colon. ann. 1560. edit. art. 12. sic. disserit: *Illud est certum, alienum esse a principe rempublicam administrante definire dubia circa fidem; sed hoc relegandum ad solos sacerdotes, deinde hoc tantum esse officium magistratus quoad religionis negotium, ut in eos, quos pontifices poena percellendos putant, animadvertat, imo etiamsi magistratus animadvertat, quosdam errores et abusus in rebus ecclesiasticis irrepsisse, non tamen licet illi reformationem instituere, sed sacerdotes benigne admoneantur, quodsi admonitionibus nihil proficitur, summus est aliquis in ecclesia praesul, ei deferendum est id negotii.* Petrus a Soto in assert. Cath.: *Si princeps conatur definire dubia de religione, tum merito audit: Vade post me Satan, scandalum mihi es.* Bellarminus l. 3. de laicis c. 17. Brentium in prolegomenis et Philippum in locis erroris accusat, quod nimium tribuant magistratui, *quando reges esse volunt non solum custodes et defensores religionis, sed etiam judices et magistros, statuunt enim* (inquit), *ad eos ut ad praecipua ecclesiae membra pertinere judicare controversias fidei, praesidere conciliis generalibus, constituere ministros et pastores et similia. Ipse* contra statuit, *ad magistratum pertinere non judicium de religione, sed duntaxat religionis defensionem. Tenentur*, inquit c. 18. *Christiani principes non permittere suis subditis libertatem credendi, sed dare operam, ut ea fides servetur, quam episcopi catholici et praecipue summus pontifex docet esse tenendam.* Respondemus: 1. Quod Bellarminus *defensionem* religionis Christiano magistratui assignat, recte facit, sed quod *a judicio* religionis eum penitus excludit, in eo a tramite veritatis discedit. Quod enim omnibus ecclesiae membris non solum liberum est relictum, sed etiam mandatum, ab eo magistratus non est excludendus. Atqui judicium de religione et fidei articulis omnibus ecclesiae membris, non solum liberum est relictum, sed etiam mandatum. Ergo ab eo magistratus non est excludendus. Major est manifestae veritatis, quia magistratus est praecipuum ecclesiae membrum et caput reipublicae, in qua est ecclesia. *Respublica* (inquit Optatus Milevit. lib. 3. contra Parmen.) *non est in ecclesia, sed ecclesia in republica.* Minor constat tum *ex divinis praeceptis*, iisque vel *generalibus*, in quibus judicium illud singulis ecclesiae XIV. 36.
membris tribuitur, vel explicite 1. Cor. 10, v. 15. cap. 11, v. 13. *vos ipsi judicate;* vel implicite, dum jubentur *cavere pseudoprophetas* Matth. 7, v. 15. *probare spiritus* 1. Joh. 4, v. 1. *omnia probare et quod bonum est tenere* 1. Thess. 5, v. 21. id quod absque judicio aliquo de religione et controversiis fidei nequit fieri; *vel specialibus*, in quibus judicium illud peculiariter magistratui tribuitur, Deut. 17, v. 18: *Rex in volumine legis omnibus diebus vitae suae legat, ut discat timere Dominum.* Atqui finis hujus lectionis est, ut veritatem doctrinae coelestis discat, contrarios vero errores fugiat, v. 12. Synedrio sacerdotis adjungitur *judex* politicus eidemque una cum sacerdotibus judicium et definitiva sententia committitur. Tum *ex probatis exemplis*, commendantur enim Beroënses Act. 17, v. 11. quod de doctrina apostolorum judicaverint ex Scripturis; tum *ex ipsa rei natura.* Christiano magistratui reddenda erit aliquando ratio non solum de se, sed etiam de subditis fidei suae commissis, ipsi igitur curae esse debet, ut vera religio apud subditos propagetur et floreat; at veritatem religionis non potest nisi ex Scripturis cognoscere et inter verum ac falsos cultus discernere. Quemlibet in negotio religionis oportet esse certum ac πληροφορηθέντα. At illa πληροφορία non potest niti aliorum effatis, sed cuilibet incumbit, ut ipse ex verbo Dei de controversiis cognoscat ac judicet. ** Quando judicium de religione magistratui politico, ut omnibus aliis Christianis asseritur, privatum illud intelligitur, et quidem non absolutum, sed secundum normam Scripturae limitatum, quale etiam doctoribus in ecclesia datum esse dicimus.** Bellarminus ex magistratu facit *mancipium* episcoporum et Romani pontificis, adimit enim ipsi judicium de doctrina episcoporum et pontificis ac requirit, ut ea, quae pontifex statuit, absque omni discussione et judicio recipiat; qua ratione ex pontifice facit *angelum* ab omni erroris periculo immunem, ex Christiano magistratu facit *oves brutas*, quae absque judicio sequuntur pastores etiam ad noxia et venenata pascua ducentes. 2. Neque tamen omne omnino judicium magistratui, et quidem soli tribuimus, sed suas etiam partes ministerio ecclesiastico relinquimus. Sane magistratus debet judicare de controversiis fidei, interim tamen non suo nitatur arbitrio, sed in consilium adhibeat ministerium ecclesiasticum, convocet concilia, in illis viros pios et eruditos ex sacris literis de controversiis religionis ac fidei articulis disserentes audiat, veritatem ex Scripturis monstratam amplectatur ac propaget, pertinaciter errantes coërceat, id quod Nicolaus I. in epist. ad Mich. imperat. c. Ubinam etc. dist. 96. magistratui diserte concedit. *Ubinam legistis*, inquit, *imperatores, antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum, quae universalis est, quae omnium communis, quae non solum ad clericos, verum etiam ad laicos et omnes omnino pertinet Christianos.* Sic debet pius magistratus ministros

et pastores constituere, interim non debet judicium ecclesiastici ministerii de personis eligendis praetermittere nec invitae ecclesiae pastores obtrudere. Neque enim tale monarchicum ecclesiae regimen tribuimus magistratui, quale pontifici suo tribuunt Romanenses, sed statuimus, ecclesiae regimen esse aristocraticum, et singulis ecclesiae statibus suas tribuimus partes, ut ex sequentibus erit manifestius.

Argumenta Pontificiorum. 1. Ab Usae et Usiae punitione. 176. Argumenta eorum, qui ab omni religionis cura magistratum excludunt, potiora haec sunt. *1. Principes et magistratus seculares vendicantes sibi cognitionem de religionis doctrina fiunt similes Usae, qui attingendo et sustentando arcam ruituram oppressus est, quia indignatione iratus Dominus percussit eum, ut juxta arcam moreretur* 2. Sam. 6, v. 6. 1. Paral. 13, v. 10. *et Usiae, qui adolendo thymiama iram Domini contra se succendit et lepra percussus est* 2. Reg. 15, v. 5. 2. Par. 26, v. 18. Respondemus: distinguendum inter *temerariam alienae vocationis usurpationem et legitimam partium officii sibi demandati administrationem.* XIV. 37. Usas et Usias temere alienam vocationem invaserunt, sed quando principes doctrinam coelestem cognoscunt, fovent ac propagari curant, officii sibi divinitus demandati partes administrant. Usas percussus dicitur a Domino עַל הַשַּׁל, propter *errorem*, propter *delictum*, Targ. דְּאִשְׁתְּלִי, LXX interpr. σφάλμα, qui error sic exponitur 1. Paral. 13, v. 10. *quod miserit manum suam super arcam.* Animadvertitur autem duplex error, tum quod plaustro imposita erat, quam Levitae suis humeris portare debebant, tum quod manu arcam apprehenderit, quam non erat fas tangere Num. 4, v. 15. unde 1. Paral. 15, v. 12. David cautior factus Levitas convocat, ut arcam Domini portent. *Vos*, inquit, *qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris et afferte arcam, ne ut a principio, quia non eratis praesentes, percussit nos Dominus, ita et nunc fiat.* Adolere incensum itidem solis sacerdotibus mandatum erat, qui ex tribu Levi eligebantur. Num. 16, v. 40: *Ne quis accedat alienigena et qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino.* Ergo Usias ab eo merito debuisset abstinere, sed cum ex fastu 2. Paral. 26, v. 16. contra sacerdotis interdictum v. 18. coeco furore percitus v. 19. in eo pertinaciter pergeret, justo Dei judicio fuit punitus.

2. A Christi ordinatione. 177. *2. Christus ecclesiam regendam Petro et episcopis commisit, non Tiberio et ejus praefectis et per annos 300 sine ullis regibus Christianis exceptis paucissimis, qui vel brevissimo tempore imperarunt, ut Philippus caesar, vel solum in aliqua provincia, ut Lucius rex Britannorum, ecclesia a solis episcopis et presbyteris optime gubernata est,* Bellarminus lib. de laicis c. 17. Respondemus: 1. Augustinus recte monet, *distinguenda esse ecclesiae tempora*, aliam enim rationem esse illius temporis, quo completur illud Psalmi 2, v. 1: *Quare fremuerunt gentes, adstiterunt reges terrae et insurrexerunt contra Dominum;* aliam vero illius, quo completur illud ejusdem psalmi v. 10: *Et nunc reges intelligite, servire Domino in timore, osculamini Filium*, epist. 48. et 50. 2. Tiberius fuit gentilis, a religione Christi alienus, alia vero ratio est magistratus pii et Christiani, qui est ecclesiae membrum et nutritius. 3. Tiberio quidem non est dictum, *pasce oves meas*, interim tamen ipsi et omnibus magistratibus dictum: *Servite Domino.* Non competit magistratibus verbo praedicationis populum pascere, interim cum et ipsi dicantur *pastores*, de salutaribus pascuis et fidelibus doctoribus populo debent prospicere. 4. Ecclesiae regimen Petro et ipsius in officio successoribus ordinarie quidem a Christo commissum est, interim tamen si ecclesiae ministri vel in doctrina vacillare, vel in officio pastorali negligenter agere coeperint, pio magistratui incumbit admonitiones et correctiones adhibere, quin etiam, si in erroribus pertinaciter haereant, cum consensu ecclesiae loco eos movere et digniores illis substituere.

178. *3. Si magistratui judicium de doctrina et religionis cura tribuitur, ecclesiastici et politici muneris confusio introducitur.* **3. Al eccle stici polit mun conf sion** Respondemus: nequaquam confundimus ecclesiastici et politici muneris partes, sed eas distinctas manere jubemus. Ecclesiastici muneris est verbum praedicare, sacramenta administrare, poenitentes absolvere, impoenitentes ligare etc. eorum exsecutio ordinarie ecclesiae ministris relinquitur; interim tamen magistratus politicus cum sit membrum ecclesiae, et quidem praecipuum, ideo ab illa potestatis ecclesiasticae parte, quae toti ecclesiae communis est, arceri neutiquam potest, cumque magistratui peculiariter incumbat potestate divinitus sibi concessa ad propagationem religionis uti, ideo ab illa potestatis ecclesiasticae parte, quae externam ecclesiae politiam spectat, non est exclusus. Magistratus non exercet artem medicam, interim tamen si quis ea arte abutatur vel ad ejus praescriptum non curet, merito a magistratu coërce- XIV
tur; sic magistratus ipse non fungitur officio ecclesiae ministri, interim tamen ministros ecclesiae officii sui admonere potest et in doctrina vel vita enormiter aberrantes coërcere. Distinguendum igitur inter *potestatem ecclesiasticam internam et externam,* quae distinctio colligitur ex verbis Constantini apud Eusebium lib. 4. de vita Constant. c. 24: *Vos episcopi in ecclesia, ego extra ecclesiam seu templum episcopus a Deo constitutus sum*; illa ministris ecclesiae insolidum relinquitur, haec vero magistratui Christiano communis est. Distinguendum *inter eorum, quae ad divinum cultum pertinent, administrationem et externam eorundem dispositionem,* illa ministrorum ecclesiae est, haec vero magistratus. Sicut in bene constituta familia paterfamilias omnia disponit et ordinat, sed eorum exsecutio et administratio ad oeconomum et familiam pertinet; sic magistratus pius et Christianus cum consensu ecclesiae, quae est *decus domus* sive materfamilias Psalm. 68, v. 13. ea, quae ad cultus divini exercitium et verae religionis propagationem faciunt,

disponit, sed administratio eorundem et oeconomia divinorum mysteriorum ecclesiae ministris relinquitur. Ex Scriptura sacra talis colligitur analogia, quod in republica Christiana minister ecclesiae comparetur *ori*, quia *labia sacerdotis custodiant scientiam et legem requirant ex ipsius ore* Mal. 2, v. 7. sed magistratus politicus comparatur *manui*, quia regi Joas dederunt *in manu ejus tenendam legem* 2. Paral. 23, v. 11. Minister praedicat verbum, utitur gladio Spiritus et ore pugnat adversus hostes et impios; magistratus custodit verbi praecones et confessores, vibrat gladium contra hostes Christianae reipublicae et manu armata eosdem oppugnat. Ut ergo oris et manuum ministeria distincta manent, licet ad eundem finem, corporis scilicet incolumitatem conspirent; sic ministerii ecclesiastici et magistratus politici officia distincta manent, licet ad eundem finem, reipublicae scilicet Christianae, quae itidem mysticum aliquod corpus constituit, salutem, tutelam et incolumitatem utraque sint directa.

179. 4. *Si episcopis non licet administrare jura politica, utique vice versa magistratui politico non licebit administrare jura episcopalia. Sed verum prius ex hypothesi nostrorum. Ergo et posterius.* Respondemus: quae ad jura episcopalia referuntur, non sunt ejusdem generis omnia, quaedam enim juxta praescriptum verbi episcopis, hoc est juxta Scripturae nomenclaturam ministris ecclesiae, competunt, ut praedicare verbum, administrare sacramenta, poenitentes absolvere etc. ea magistratus politicus neutiquam sibi vendicare debet, nec in ecclesiis nostris sibi vendicat; quaedam vero juxta ejusdem verbi praescriptum magistratui Christiano competunt, ut visitationem ecclesiarum instituere, synodos convocare, haereticorum rabiem coërcere, pacem et tranquillitatem ecclesiae procurare etc. ea vero ad jura episcopalia referuntur, non quod juxta praescriptum verbi ad episcoporum proprie sic dictorum munus pertineant, sed quod episcopi Pontificii tempore papatus excluso magistratu Christiano sibi solis ea vendicarint, quae per Passaviensem pacificationem ipsis velut injustis possessoribus erepta et Christiano ac pio magistratui restituta sunt.

180. Postquam igitur demonstratum est, ad pium magistratum religionis et sacrorum curam pertinere, explicandum porro erit, quatenus ea ad illum spectet et qua ratione magistratus sese gerere debeat, ne fines alienos invadat, neve potestatem justo majorem in ecclesiasticis negotiis sibi arroget, et quae toti ecclesiae competunt, sibi soli arrogando vel ministerii ecclesiastici partes ad se transferendo. Proclivis hic idemque gravissimus est lapsus, sedula proinde adhibenda cautio. Finis pio et Christiano magistratui in gubernatione propositus esse debet *cultus divini ac verae religionis propagatio.* Quemadmodum enim non ad hanc solum nec potissimum, sed etiam ac cumprimis ad futuram vitam Deus hominem condidit; ita quoque magistratus officium non ad hanc solum nec potissimum, sed etiam ac cumprimis futuram vitam respicit 1. Tim. 2, v. 2. ideo Deus inter cetera corporalia hujus vitae beneficia magistratus patrocinium ac gubernationem nobis concessit, *ut sub eo quietam et tranquillam vitam agere possimus in omni pietate ac honestate*, et mediante tali vita ad aeternae gloriae possessionem introduci. Quemadmodum igitur Christianus vitae suae privatae rationes sic instituit, ut aeternae vitae scopum sibi habeat praefixum atque omnia sua cogitata eo dirigit, ut illius aliquando particeps fiat; sic magistratus officii sui rationes sic instituat, ut aeternae vitae scopum sibi propositum habeat atque itidem omnia sua cogitata eo dirigat, ut una cum subditis fidei suae commissis et cum quibus unum quoddam corpus constituit, aeternae salutis particeps fieri queat. Hunc finem non poterit alia ratione consequi, quam si unice id curet, ut inter subditos *verae religionis integritas et cultus divini sinceritas* vigeat, siquidem absque religionis et cultus divini sinceritate non habet locum vera pietas, *male vivitur, ubi de Deo non bene creditur;* absque pietate, cujus anima est vera in Christum fides, aeternae salutis possessio sperari vel obtineri nequit.

181. Ad hanc religionis et cultus divini sinceritatem in republica obtinendam duo requiruntur, *verae scilicet religionis et recti cultus diligens conservatio, ac religionis collapsae et cultus depravati instauratio.* Proinde si quando singulari Dei beneficio alicui reipublicae religionis veritas et cultus divini sinceritas obtigit, magistratus non minus quam reliqua ecclesiae membra omni cura in id incumbere debet, ut summum hoc beneficium, quo non potest majus aliquod reipublicae contingere, sartum tectum conservetur, neve peregrinis et erroneis opinionibus doctrinae coelestis sinceritas contaminetur. Quodsi vero hominum vel negligentia, vel malitia religionis ac cultus divini sinceritas est collapsa, magistratui incumbit eandem restaurare, ecclesiae ministros officii sui admonere, veternum illis excutere et juxta normam divinae legis in cultu divino omnia instituere. Magistratus sunt reipublicae medici. Quemadmodum igitur medico convenit sanitatem praesentem conservare, amissam reparare; sic magistratus sui noverit esse officii reipublicae vigorem ac sanitatem, quae in verae religionis vigore consistit vel maxime, conservare eandemque amissam reparare ac vulnera reipublicae sanare.

182. Quod si magistratus verae religionis conservationi et collapsae restitutioni intentus esse debet, ante omnia requiritur *verae religionis ex sacris literis cognitio.* Quomodo enim discernere poterit inter veram et falsam religionem, inter legitimos et idololatricos cultus, nisi ex tabulis divinae veritatis, ex sacris scilicet literis, veritatem ipsemet cognoscat? Requiritur igitur a pio et Christiano magistratu, ut *verum de Deo sensum et rectum Dei cultum*, quae duo ad religionis veritatem et pietatis integritatem pertinere constat, ex sacris literis ipse perdiscat, id quod et manifestum *Dei mandatum* postulat Deut. 17,

1. Respectu sui. Veram religionem cognoscat.

v. 18. *et piorum regum exemplum* confirmat Psalm. 119. 2. Reg. 23. 2. Paral. 24. *et ipsa necessitas* flagitat. Nisi enim coeco judicio velit amplecti ea, quae proponuntur et suam subditorumque salutem aliorum arbitrio temere committere, utique requiritur, ut fundamenta doctrinae coelestis ipse ex verbo Dei cognoscat, in lectione ejus quotidie se exerceat et piis ex eo institutis colloquiis fidem suam stabiliat. Discedunt ab hac sententia nostra Pontificii, dum 1. a scripturae lectione laicos, quibus etiam reges ac principes annumerant, arcendos esse statuunt; 2. fidem implicitam illis commendant; 3. alienis, praelatorum scilicet, oculis magistratum in causa religionis videre jubent. Henr. Blyssemius in tract. de eccles. p. 37: *De religionis et fidei controversiis ac negotiis cognoscere, judicare ac discernere non ad seculares dominos vel laicos homines, sed ad episcopos ac ecclesiasticos praelatos spectat, ac homines laici vel seculares non propriis, sed alienis, episco-*
XIV. 40. *porum ac praelatorum suorum oculis videre debent,* quam esse communem Catholicorum doctrinam agnoscit Vetterus in postcolloq. Ratisb. p. 87. Matthias Maierhöferus in speculo praedicantium p. 381. sic disserit.: *Manet igitur firmum fixum, quod non quilibet ad legendas Scripturas sit obstrictus. At,* inquit praedicans, *magistratum politicum ideo oportet legere Scripturas, ut pro se et suis subditis rationem reddere possit.* Respondemus: *Quando magistratus politicus Scripturas legit, idem accidit illi, quod eunucho Aethiopico, ut eas non intelligat, ideoque magistratus politicus rationem fidei suae ex Scripturis reddere nequit. Quodsi vel maxime non legat Scripturas, interim tamen observet ea, quae sancta catholica ecclesia credere praecipit, tum potest dicere, hoc docet ecclesia catholica, quae est fundamentum et columna veritatis, quae magistra mihi divinitus constituta, vera igitur esse oportet, quae credenda praecipit, haec ratio fidei satis est sufficiens.*

2. Respectu subditorum. 1. Religionis sinceritatem et cultus integritatem conservari curet, idque his mediis. I. Idoneos ecclesiae ministros constituat.

183. Ceterum ut pius magistratus veram religionem, quam ex Scripturis sacris didicit, apud subditos fidei suae commissos propagare eandemque sartam tectam et a corruptelis immunem conservare possit, requiritur 1. *Ministrorum idoneorum constitutio.* Cum enim fides sit *ex auditu,* auditus autem *per verbum Dei* Rom. 10, v. 17. ideo ut vera fides ac religio in animis subditorum vigeat, requiritur sincera verbi praedicatio et legitima sacramentorum administratio. Eam vero cum magistratus ipse per se et immediate suscipere nec debeat propter ecclesiastici ac politici muneris distinctionem divinitus sancitam Luc. 22, v. 25. et confusionem severe punitam 1. Sam. 13, v. 13. 2. Reg. 15, v. 5. 2. Par. 27, v. 18. nec commode possit propter muneris utriusque diversa objecta, media et effecta; ideo docendi publice in ecclesia provinciam piis et idoneis hominibus commendare debet, per quos religionis veritas et cultus divini sinceritas ex Scripturis publice in ecclesia expositis asseratur, inculcetur, contrarii errores refellantur et populo via salutis fideliter monstretur. Pontificii denuo a nobis et veritate hic abeunt, quando *a jure vocationis* magistratum Christianum penitus arceut, ad quem duplici ratione illud pertinere in tractatu proxime praecedente ostendimus, tum *ratione personae,* quia est membrum ecclesiae et quidem praecipuum, tum *ratione officii,* quia ecclesiae nutritius et utriusque decalogi tabulae custos divinitus est constitutus. Cavebit tamen pius magistratus, ne ministerii ecclesiastici constitutionem ac ministrorum vocationem *sibi soli* vendicet excluso presbyterio et reliqua ecclesia, neve *inter regalia* sibi soli debita eam referat ac invitis XIV. 4
auditoribus pastores obtrudat, sed noverit, jus vocandi ministros *ad ecclesiam et omnes tres status ecclesiae* pertinere, a quibus quomodo debito ordine et absque confusione exerceri possit ac debeat, suo expositum dedimus loco.

Huc pertinet scholarum erectio et conservatio. XIV.

184. Ad hanc *ministrorum constitutionem* referimus 1. *Scholarum erectionem et conservationem.* Qui ad ministerium ecclesiasticum olim promovendi, illi in scholis prius sunt informandi ac instituendi, neque enim salutaris Dei cognitio post lapsum hominibus innascitur, nec ἱκανότης in ministerio requisita immediate absque praevia informatione alicui conceditur. Quodsi ergo magistratus idoneos ecclesiae ministros habere velit, diligentem scholarum curam agat. Scholae sunt seminaria ac plantaria ecclesiae. Quemadmodum hortus optime licet cultus et feracissimis arboribus uberrime consitus aetatem ac perennitatem obtinere nequit, nisi in seminariis, quae ita vocant, ac plantariis tenellae educentur ac formentur arbores, quae in locum vetustate marcidarum ac emortuarum olim succedant; sic ecclesiasticum ministerium diu conservari nequit incolume, nisi in scholis formentur et educentur, qui ministris ad aeternae vitae consortium per mortem translatis in officio succedant. Quemadmodum in corpore humano est suavissima venarum et arteriarum συζυγία sive combinatio; ita in corpore Christi mystico ecclesiae ac scholae pulcherrima quadam harmonia sibi invicem sunt conjunctae. De scholis igitur recte instituendis magistratus solicitus sit vel maxime, tum propter causam modo expositam, tum quia juventutis recta institutio secundum Philosophum est fundamentum reipublicae. Docentibus prospiciat de honestis salariis, discentibus quietem procuret, utriusque immunitatem ab oneribus publicis, defensionem ac patrocinium praestet. Leo imperator cum Eulogium ad aperiendam in urbe scholam stipendio liberaliore invitasset et propterea a satellitibus reprehenderetur, respondit, *εἴθε γένοιτο ἐπὶ τοῦ ἐμοῦ χρόνου, ὥστε τὰ τῶν στρατιωτικῶν εἰς διδασκάλους παρέχεσθαι, utinam meis temporibus ea quae militibus dantur, doctoribus numerari deberent!*

2. Ministrorum honesta sustentatio.

185. 2. *Ministrorum honestam sustentationem.* Cum enim illi qui *in verbo et doctrina laborant,* 1. Tim. 5, v. 17. *et evangelium annuntiant,* 1. Cor. 9, v. 14. non possint artes manuarias exercere iisdemque victum sibi parare, utique requiritur, ut de ho-

nesta sustentatione ipsis prospiciatur. Ea vero cura cumprimis ad magistratum pertinet, quippe qui ecclesiae *nutritius* esse debet Esa. 49, v. 23. Pertinet ad jus regis *segetes et reditus vinearum addecimare eademque servis suis dare* 1. Sam. 8, v. 15. quanto magis ad jus regis pertinebit, ministris ecclesiae ex subditorum bonis certos reditus constituere? Idem probant exempla: *Moyses* Israëlitici populi dux Leviticae tribui ad sacerdotium destinatae divino mandato addixit decimas fructuum primitias, pensionem sicli annuam, pecuniam ex redemtione primogenitorum votorum, partes ex sacrificiis etc. Exod. 34, v. 26. Lev. 27, v. 3. et seqq. Num. 18, v. 8. et seq. *Josephus* Aegypti prorex cum in dira totius regionis fame omnem terram Pharaoni emeret, tamen terram sacerdotum non emit, quin potius statutum ac demensum illis ex publicis granariis fuit datum Gen. 47, v. 22. ita namque Hebraeum חק vulgata versio ibidem *παραφράζει*. *Ezechias* rex non ipse solum dabat partem, ut de propria ejus substantia offerretur holocaustum mane et vesperi, *sed etiam praecepit populo habitantium in Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus et Levitis, ut possint vacare legi Domini*, 2. Paral. 31, v. 3. et 4. quin et mandavit, *parari horrea in domo Domini*, quibus inferri possent primitiae, decimae et quaecunque Domino erant sanctificata v. 12. Caveat ergo pius magistratus, ne ecclesiae ministri cum fame et indigentia colluctentur et hac ratione a partibus officii sedulo exsequendis ad curam victus sese convertant. Caveat, ne stipendia a piis majoribus instituta diminuat vel diminui ac interverti patiatur. Deus enim vindex horum omnium *et famem ministrorum* sequi solet *fames verbi* in ingrata illa regione, sicut Lutherus praedixit, Man werde noch an vielen Orten das Evangelium aushungern.

43. i- ter ros 186. *3. Ordinis inter ministros institutionem.* Cum enim ob pacem et concordiam in ministerio ecclesiastico conservandam et ecclesiae aedificationem commodius promovendam certus ordo inter ministros ecclesiae instituendus sit, ut in praecedente tractatu c. 5. sect. 2. demonstratum fuit; ideo etiam magistratum hac de re solicitum esse convenit. Sic *Moyses* summo sacerdoti inferiores quosdam sacerdotes ac Levitas addidit, quibus singulis certas officii partes assignavit Exod. 28. Levitas in tres classes distribuit, Gersonitarum scilicet, Caathitarum ac Meraritarum, quibus singulis praescripsit, quas sacrae supellectilis partes debeant portare Num. 3. et 4. *David* in 24 familias sacerdotum chorum distribuit, ut singulis sabbatis nova sacerdotum familia sacrorum ministerio adhiberetur 2. Reg. 11, v. 7. 1. Paral. 24, v. 4. Levitas alios constituit sacerdotum ministros, alios cantores, alios janitores, alios scribas etc. Cumque haec ordinatio ac distributio per idololatriam Baaliticam sub impio rege Achaz esset collapsa, excitavit Deus *Ezechiam*, qui constituit מַחְלְקוֹת *distributiones sacerdotum et Levitarum in divisionibus suis, unumquemque secundum ministerium suum, sacerdotes et Levitas ad holocaustum et pacifica, ad ministrandum et ad confitendum et laudandum in portis castrorum Domini* 2. Paral. 31, v. 2. **2. Paral. 29, v. 25. Constitutio ordinis inter Levitas cantores tribuitur conjunctim regi Davidi et Gad videnti et Nathan prophetae.**

187. *4. Ministrorum flagitiosorum remotionem.* 4. Ministrorum flagitiosorum remotio.
Voco autem ministros flagitiosos non qui naevis quibusdam et humanis infirmitatibus sunt obnoxii, illi enim tolerandi sunt et de emendatione admonendi, sed qui vel enormibus delictis publicum praebent scandalum vel haereticis opinionibus imbuti pertinaciter easdem propugnant. Utrique sunt carcinoma ministerii ac proinde pio magistratui incumbit, ut ab officio removeantur et idonei ministri illis surrogentur. Sic *Salomon* Abiatharem summum sacerdotem ab officio removit Zadoco in illius locum substituto 1. Reg. 2, v. 27. *Asa*, *Josaphatus*, *Ezechias et Josias* Baaliticos sacerdotes removerunt suffectis in illorum locum aliis. Caveat vero magistratus, ne ob *causas minus sufficientes* vel illegitimas minister loco moveatur; caveat, *ne sibi soli* potestatem arroget pro arbitrio ministros ex officio deturbandi, sed noverit, ut vocatio ministrorum ad totam ecclesiam pertinet, ita ad eandem quoque pertinere ministrorum remotionem, proinde ut invitae ecclesiae non debet minister obtrudi, ita quoque invitis et reluctantibus auditoribus non debet idoneus minister eripi.

188. *2. Legum ecclesiasticarum promulgatio.* 2. Leges ecclesiasticas promulgat.
De cultu Dei interno nec magistratus, nec ministerium ecclesiasticum novas leges ferre potest, quippe quas Deus in verbo suo jam ante perfecte ac sufficienter praescripsit, eas igitur magistratus debet custodire ac idoneos ministros, qui easdem populum doceant, constituere; sed *de exercitio cultus divini externo* magistratus pius ac Christianus potest et debet leges ferre, ut omnia in ecclesia fiant *εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν* 1. Cor. 14, v. 40. Cum enim non posterioris solum, sed et prioris decalogi tabulae custodia magistratui sit commissa, utique etiam potest leges ecclesiasticas, quae sunt legum divinarum ad priorem tabulam pertinentium appendices et custodes, promulgare et ceremonias ad ecclesiae aedificationem spectantes modo legitimo introducere. *Moyses* populi Israëlitici dux mandato divino non solum forenses et judiciales, sed etiam ceremoniales sive ecclesiasticas leges tulit complures. *David* XIV. 44.
promulgat legem de reducenda Dei arca 1. Par. 13, v. 5. de distributione officiorum inter Levitas 1. Paral. 23, v. 6. *Josaphatus* sacerdotibus certa praescribit mandata 2. Paral. 19, v. 8. indicit jejunium publicum tempore calamitatis publicae 2. Par. 20, v. 3. quod et a *Ninivitarum rege* factum Jon. 3, v. 7. In N. T. pii imperatores proposuerunt leges utiles et praeclaras ad Christianam religionem et ecclesiae aedificationem spectantes, quae exstant in codice sub tit. de summ. Trin. et fide cathol. de ss. eccl. de episc et clericis, de episcopali audientia, de haereticis et Manichaeis etc. Item in con-

stitutionibus Leonis, in novellis Justiniani etc. gloss. decreti dist. 84. dicit, *quod amplius 800 a nativitate Christi annis imperatores leges de rebus ecclesiasticis tulerint quodque eis ecclesia obediverit.* Earum quaedam concernunt *personas*, quaedam vero *res* ecclesiasticas. Sic Novell. 3. cap. 1. statuit Justinianus, *ut determinatus sit numerus clericorum Constantinopolitanarum ecclesiarum.* cap. 2. *ne liceat clericis de minore ecclesia in majorem per patrocinium transire.* Nov. 6. decrevit, *quomodo oporteat episcopos et reliquos clericos ad ordinationem adduci*, et de expensis ecclesiarum. Nov. 137. cap. 6. jubet, *episcopos et presbyteros non in secreto, sed ea voce, quae a fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem et precationem, quae fit in s. baptismo, facere* etc. De hisce imperatorum Christianorum legibus sic disserit Molinaeus in orat. habita Tubingae anno 1554. *Sancta*, inquit, *catholica ecclesia obedivit imperialibus legibus de rebus civilibus latis non solum quoad res politicas et externas, sed etiam quoad fidem et religionem, eo quod a verbo Dei non discreparent, sed juxta verbum Dei et ad doctrinam evangelicam pure et sincere conservandam et vendicandam lata essent, ut temporibus Constantini Magni, Theodosii senioris et junioris, Marciani, Leonis primi per ducentos annos ante Justinianum Magnum testantur omnes illorum temporum historiae, etiam ecclesiasticae et scripta antiquorum ecclesiae doctorum, ut ea res prorsus indubitata, inconcussa et luce clarior plus octingentis annis fuerit. Nec solum ante Justinianum Magnum totoque ejus imperio, quod usque ad annum salutis 568. pervenit, sed etiam diu post, tempore Gregorii Magni urbis Romae episcopi, qui usque ad 606. salutis annum vixit. Is enim leges ecclesiasticas imperatorum publicabat et ad Italiae ac Siciliae episcopos observandas transmittebat*, lib. 1. epist. 43. lib. 7. epist. 11. c. Legem. dist. 53. *sed et Carolus Magnus, Ludovicus Pius filius et Lotharius nepos Caroli ecclesiasticas leges tulerunt, quas idem* Molinaeus anno 1550. Parisiis in publicum edidit, in quarum locum cum Romani pontifices suos canones et decretales substituerent, ecclesiae status longe deterior fuit factus. Dissentiunt hic denuo a nobis Pontificii, qui magistratui omnem potestatem ac jurisdictionem ecclesiasticam penitus derogant, Salmeronius tom. 13. disp. 12. Hosius contra prol. Brent. Bellarminus de laicis c. 17. eandemque solis episcopis, cumprimis vero episcoporum episcopo, Romano scilicet pontifici, vendicant, cui potestatem tribuunt *promulgandi leges universam ecclesiam obligantes.* Bellarminus lib. 2. de pont. Rom. cap. 19.

189. Caveat tamen pius magistratus, 1. ne ecclesiasticas leges proprio ferat arbitrio *inconsulto ministerio ecclesiastico.* Quodsi enim in rebus civilibus, in quibus servata scilicet aequitate et salva ante omnia divinarum legum auctoritate liberam potestatem princeps obtinet, maturum eorum, ad quos spectat, adhibere debet consilium l. humanum C. de legibus; quanto magis in ecclesiasticis rebus convenit eorum consilium et assensum exquirere, qui sunt divinorum mysteriorum oeconomi 1. Cor. 4, v. 1. et quibus ecclesiae cura incumbit vel maxime. Sic David reducturus arcam convocat sacerdotes et principes populi 1. Par. 13, v. 2. 2. Ne ceremonias adiaphoras in ecclesia receptas et usum quendam habentes temere cum infirmiorum scandalo mutet, sed maturo et deliberato consilio hac in re procedat, ne ecclesia, quam *Deus suo sibi sanguine emit* Act. 20, v. 28. turbetur, quod utinam a magistratibus diligentius observaretur. 3. Ne ecclesiae ministris praescribat leges cum officii divinitus ipsis demandati partibus pugnantes, utpote quod non debeant vitia auditorum liberius taxare, haereticorum errores nominatim perstringere, conciones legales acuere, publice peccantes coram omnibus arguere etc. hoc enim vere est capistrum ac frenum Spiritui sancto velle injicere ac Deo ipsi per ministros ecclesiae nobiscum agenti adversa fronte resistere.

190. *3. Bonorum ecclesiasticorum legitima dispensatio.* Ut cultus divinus in populo vigeat, non solum requiritur ministrorum idoneorum vocatio, per quos scilicet populus de illius vera norma ac forma instruatur, ac legum ecclesiasticarum promulgatio, per quas externum ejusdem exercitium ad τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην dirigatur, sed etiam bonorum ecclesiasticorum dispensatio, quibus de honesta sustentatione ministris prospiciatur eademque ad usus convenientes ac Deo gratos applicentur. Intelliguntur autem hoc loco bonorum ecclesiasticorum nomine non bona ecclesiae interna ac propria, quae per evangelii praedicationem poenitentibus et credentibus distribuuntur, qualia sunt remissio peccatorum, justitia Deo placens, donatio Spiritus sancti etc. sed bona ecclesiae externa, quae ad ministrorum ecclesiae ac pauperum sustentationem requiruntur. Eorum dispensationi praeficimus magistratum Christianum, is enim cum sit temporalium dominus et ecclesiae nutritius divinitus constitutus, ideo et potest et debet legitimam bonorum ecclesiasticorum dispensationem instituere. Sic rex *Asa* ea, quae pater ipsius sanctificaverat, templo intulit 1. Reg. 15, v. 15. *Ezechias* sacerdotibus salaria constituit et in templo gazophylacium ponere praecipit 2. Par. 31. *Josias* Helkiae summo sacerdoti mandat, ut pecunia, quam janitores templi collegerant, in unam summam redigatur et ad reparationem structurae templi opificibus distribuatur 2. Reg. 22, v. 4. 2. Paral. 34, v. 8. Illorum exemplum pius magistratus imitari debet et certos probatae fidei ac industriae viros constituere, per quos bona ecclesiastica dispensentur. Sane in ecclesia apostolica magistratus auctoritas ad ecclesiastica bona dispensanda non fuit requisita Actor. 6, v. 3. quippe qui a fide Christiana erat alienus, sed cum progressu temporis pii imperatores Christianam religionem amplecterentur, ut in aliis, ita quoque in ecclesiasticorum bonorum dispensatione maxima fuit ipsorum potestas et auctoritas. Justinianus nov. 3. cap. 3. statuit,

ecclesiarum reditus in pios actus et personas vere egentes per patriarchas et oeconomos erogandos. Ante Paschalem II. tam episcopi quam reliqui clerici exceptis diaconis praediorum cura et pecuniae tractatione contaminari se quodammodo rati, ab ea prorsus abstinebant ac sacris duntaxat intenti erant, redituum autem exactio et administratio cuidam ex laicis demandabatur, isque ab imperatore aliisve principibus postulabatur, a quo ecclesiae ministri τὰ βιωτικὰ acciperent, sicut et can. 26. concilii Chalcedonensis constitutum, *ut episcopi, in idoneos dispensatores istarum rerum administratione rejecta, ipsimet ab ea abstinerent.*

191. Bona illa ecclesiastica ac annui reditus sacris usibus destinati circa annum Christi 470. in quatuor partes dividi coeperant; primus quadrans episcopo, alter clero, tertius aedium sacrarum exstructioni ac reparationi, quartus pauperum eleemosynis cedebat; de qua distributione quadripartita aliquot conciliorum canones exstant. Quadrans episcopo destinatus non ipsius solum sustentationi adhibebatur, sed etiam redimendis ob religionis professionem captivis, hospitio excipiendis Christi exsulibus et exercendae erga indigos beneficentiae cedebat. Gelasius in epistola ad clerum et plebem Brundusii et citatur c. Concesso etc. caus. 12. q. 2. *Concesso vobis, quem petiistis, antistite Juliano etc. reditus et oblationes fidelium in quatuor partes dividat, quarum unam sibi retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quartam pauperibus et peregrinis habeat fideliter erogandam.* Vide ibid. in hanc sententiam cap. plura. Pulchre Ambrosius lib. 2. de officiis c. 28: *Aurum ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget et subveniat in necessitatibus. Quid opus custodire, quod nihil adjuvat etc.? Opus est, ut quis fide sincera et perspicaci providentia munus hoc* (dispensandi bona ecclesiastica) *impleat. Sane si in sua aliquis derivet emolumenta, crimen est; sin vero pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? nemo potest queri, quia captivi redemti sunt; nemo potest accusare, quia templum Dei aedificatum est; nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt; nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est.* Ad exemplum hujus antiquissimae consuetudinis providere debet magistratus, ut bona ecclesiastica ad quatuor potissimum usus convertantur: *1. ad sustentationem eorum, qui ecclesiae et scholis operas suas actu jam praestant; 2. ad subsidium eorum, qui ecclesiae et scholis operam suam consecrarunt, pauperum scilicet studiosorum; 3. ad exsulum, aegrotorum et egenorum alimentationem ac captivorum redemtionem; 4. ad aedium sacrarum reparationem.*

192. Caveat pius magistratus, ne ecclesiastica bona ad se rapiendo et sacris dicata in privatos usus convertendo grandi sacrilegio sese obstringat. Vultur ex altari carnes et carbones surreptos nido inferens et nidum et pullos exussit; sic harpyiae ac vultures illi, qui bona ecclesiastica per vim rapiunt, eadem non commodo, sed exitio sibi fore experientur. Praedones illi bonorum ecclesiasticorum recte conferuntur militibus, qui Christo vestimenta detraxerunt, quae pia aliorum beneficentia ipsi dederat; sic bona ecclesiae a piis majoribus collata, illi in privatos usus convertunt et Christum in membris suis nudum relinquunt. Quodsi magistratus aliquis Juliani potius quam Constantini successor bona ecclesiastica sibi vendicet, ecclesiae minister graviter ipsum commoneat, neque tamen praefracte et contumaciter, multo minus violenter et seditiose resistat, sed ecclesiae tranquillitatem et verae religionis conservationem jactura fluxarum istarum rerum non solum licite, sed et laudabiliter redimi existimet. Etenim si Ezechias recte fecit, *quod omne argentum in templo Domini repertum et laminas auri, quas ipse affixerat, regi Assyriorum,* a quo bellum metuendum erat, *misit et pacem politicam hac ratione emit* 2. Reg. 18, v. 15. quanto minus improbari potest, si minister ecclesiae magistratui bona ecclesiastica per vim ad se rapienti omnesque admonitiones superbe contemnenti eadem concedat, ut ecclesiae suae pacem et tranquillitatem procuret. Prudenter igitur dispiciendum, quando conveniat imitari exemplum *Laurentii martyris* Decio tyranno sacrum thesaurum denegantis, quando vero *Augustini* tabulas donatorum ecclesiae agrorum donatori eas reposcenti restituentis. Posidonius in vita August. cap. 24.

193. *4. Ecclesiae respectio.* Cum enim magistratui curae esse debeat, ut vera religio ac sincerus Dei cultus in populo vigeat, utique etiam diligenter providere debet, ut ministri ecclesiae suum recte faciant officium, ut auditores debitam ministerio praestent obedientiam, ut externa disciplina conservetur, absque qua religionis verae propagatio et terminorum ecclesiae dilatatio vix possunt habere locum. Ad hanc ecclesiae inspectionem pertinent *visitationes*, quas singulis annis magistratus per viros idoneos, praesertim ecclesiasticas personas, instituere debet, ut in doctrinam ac vitam tum pastorum, tum auditorum diligens inquisitio fieri possit. De *Samuele* populi Israëlitici sacerdote et judice refertur 1. Sam. 7, v. 16. *quod singulis annis circumierit Bethel et Galgala et Masphat*, hoc est quod instituerit visitationes annuas. De *Josaphato* commemoratur, quod tertio anno regni sui *miserit principes suos et cum eis Levitas ac sacerdotes, ut docerent populum in Juda habentes librum legis Domini, qui circumiverint cunctas urbes Juda ac populum erudiverint* 2. Paral. 17, v. 7. et seqq. *quin et altera vice egressus est ad populum de Bersaba usque ad montem Ephraim et revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum* 2. Paral. 19, v. 4.

4. Ecclesiae de tranquillitate prospiciat.

Huc pertinent 1. ecclesiarum visitationes. XIV. 47.

194. Visitationibus conjungendi sunt *synodici conventus*, in quibus deliberatio instituitur de corrigendis iis, quae in visitationibus deprehensa fuere vitiosa. Illorum convocatio pertinet ad magistratum.

2. Synodorum convocationes.

1. Ad illum pertinet convocare synodum, qui habet potestatem ac jurisdictionem in congregandos et cujus auctoritati omnes parere coguntur. Sed talem potestatem et jurisdictionem obtinet magistratus. 2. Ad illum pertinet convocare synodum, qui potest congregandis salvum conductum dare et a periculis itineris eos immunes praestare. Id vero solus magistratus potest. 3. Pii reges in ecclesia Israëlitica synodos convocare fuere soliti, quod testantur exempla *Davidis* 1. Paral. 13, v. 1. 1. Paral. 23, v. 1. *Salomonis* 1. Reg. 8, v. 1. *Jehu* 2. Reg. 10, v. 19. *Ezechiae* 2. Paral. 29, v. 4. *Josiae* 2. Reg. 23, v. 1. 4. In N. T. potestas conciliorum indicendorum fuit penes Romanos imperatores ad Christum conversos. Ut in synodalibus illis conventibus εὐταξία observetur atque omnia ad ecclesiae aedificationem dirigantur, providere debet pius magistratus; neque tamen pro arbitrio definiendi ac decidendi potestatem sibi vendicet, sed sacrarum literarum normam respiciat, ministerium ecclesiasticum in consilium adhibeat et ad ecclesiae incrementum omnia dirigat. Damascenus orat. 2. de imaginibus dicit, οὐ βασιλέων ἐστὶ νομοθετῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ, *regum partes non sunt, ut ecclesiae leges praescribat,* puta arbitrio proprio, αὐτοκρατορικῶς et sine ministerii ecclesiastici consensu ac suffragio. Cum imperator Constantius in synodo justo imperiosius sese gereret et quid fieri vellet, convocatis pro auctoritate dictitaret, Leontius Mysiae ad Istrum episcopus hisce eum excepit verbis, θαυμάζω σε, ὅτι ἕτερα διέπειν ταχθεὶς ἑτέροις ἐπιχειρεῖς, *miror, quod cum alia heri tractaveris, politica scilicet, alia nunc agas, quod ad alia curanda vocatus, alia invadas et aggrediaris,* uti refert ex Suida et aliis Neander in theol. fol. 661.

2. Collapsum divini cultus exercitium restituat.

195. Atque haec sunt media, quibus vera religio populo ac reipublicae alicui concessa sarta tecta *conservari* et a corruptelis immunis ad posteros propagari cura et opera magistratus intercedente poterit. Quodsi vero status ecclesiae sit turbatus, religio collapsa, cultus divinus per idololatriam et superstitiones contaminatus, tum magistratui incumbit, adhibito in consilium ministerio ecclesiastico, *pias reformationes* juxta normam divini verbi *instituere,* vel si ecclesiasticum ministerium partes officii sui negligat et errores pertinaciter defendat, potest omnino magistratus ipse hanc curam solus suscipere, id quod *dicta Scripturae,* quae de magistratus officio loquuntur, *in genere* et piorum regum in ecclesia Israëlitica *exempla in specie* demonstrant. Ad hanc verae religionis restaurationem et ecclesiae reformationem pertinent: *1. In errantes, praesertim haereticos seductores, inquisitio.* Illi enim quamvis interdum publice et aperte haeresin suam spargant, quandoque tamen occulte virus suum animis hominum instillant, inquisitione igitur opus est, per quam vulpeculae illae e suis protrahantur latibulis. *Jehu* sacerdotes Baaliticos insidiosa quadam occultatione et simulatione congregatos protraxit 2. Reg. 10, v. 19. quod factum, utpote singulare et heroicum, non simpliciter et in omnibus, sed secundum quid, nec respectu medii, sed ratione finis, inquisitionis scilicet, imitandum proponimus. De *Constantio* imperatore Constantini patre refert Eusebius libr. 1. de vita Constant. c. 11. quod singulari quadam prudentia idololatras ethnicos Christianis aulicis intermixtos in lucem produxerit. *Illis, qui in regia ipsi inserviebant, libera data optione hanc tulit conditionem, ut vel daemonibus immolando integram haberent potestatem, tum apud ipsum commorandi, tum consuetis honoribus perfruendi; vel si minus hoc exsequerentur, aditu ad ipsum prohiberentur et a consuetudine ac familiaritate ipsius repellerentur rejicerenturque. Postquam igitur in duas partes diremti fuerunt, aliique in hanc, alii in illam segregati, ilico singuli, quo animo et instituto essent, perspicue ostenderunt. Ibi tum Constantius commento, quod celatum erat, statim patefacto, quorundam timiditatem et nimium amorem, quo ipsi se suamque vitam complectebantur, vehementer arguit, alios ob sinceram et integram erga Deum mentem plurimum approbavit, illos deinde tanquam Dei proditores imperatoris servitio indignos censuit. Quomodo enim,* inquit, *fidem erga imperatorem servare poterunt inviolatam, qui adversus Deum perfidi esse convincuntur?*

1. Huc pertinet 1. in haereticos inquisitio.

2. Ei... dem... citi...

196. 2. *Eorundem coërcitio,* ubi tamen distinguendum *inter seductos et seductores.* Cum illis mitius agendum, hi severius coërcendi; non permittat ipsis magistratus, ut haeresin publice spargant, sed curet ex verbo Dei ipsos instrui, quodsi omnem informationem repudient et ad saniorem mentem redire pertinaciter recusent, expellendi sunt, ne veneno suo alios inficiant et morbida facta pecus totum ovile corrumpat. An vero propter nudam haeresin non conjunctam cum blasphemia, seditione vel aliis delictis capitali supplicio afficiendi sint, infra suo loco videbimus.

3. I... latr... rum... tua... abo...

197. 3. *Idololatricorum cultuum abolitio.* Cum enim magistratus custos divinae legis sit constitutus, ideo non debet permittere, ut cultus idololatrici cum prima decalogi tabula pugnantes publice exerceantur, sed imitetur exemplum piorum regum, qui Baaliticam idololatriam abolitam voluere, puta *Asae* 1, Reg. 15, v. 12. *Josaphati* 2. Paral. 17, v. 6. *Ezechiae* 2. Reg. 18, v. 4. *Josiae* 2. Reg. 23, v. 4. etc. ut et Christianorum imperatorum, qui ethnicam idolomaniam exterminarunt et haereticos ecclesiae tranquillitatem turbantes severis legibus coërcuerunt, id quod aeternam ipsis gloriam attulit. *Salomoni* contra vitio vertitur, quod blanditiis uxorum idololatricarum illectus impia et idololatrica sacra publice exerceri permiserit 1. Reg. 11, v. 8. ac *Jeroboamo,* quod metuens, ne populus Hierosolymam cultus divini ergo quotannis proficiscens a se deficeret, vitulos aureos in Dan et Bethel collocarit et sacra idololatrica instituerit 2. Reg. 12, v. 27.

Qu... disp... tio... reli...

198. Quaeritur hoc loco 1. *An disputationes de religione in republica ferendae?* Negat Bodinus lib. 4. de repub. p. 753: *De religionibus disputare*

in ubli- feren- *maxime perniciosum est reipublicae.* 1. Tim. 6, v. 20: *Depositum custodi devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae.* Respondemus: loquitur apostolus de disputationibus, quibus mysteria Christiana vel paganis, vel Judaeis profanantur. 2. Marcianus l. Nemo 4. C. de summ. Trin. et fid. cath.: *Nemo clericus vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis de fide Christiana publice turbis coadunatis et audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus et perfidiae occasionem requirens. Nam et injuriam facit judicio reverendissimae synodi, si quis semel judicata ac recte disposita revolvere et publice disputare contenderit* etc. Eadem constitutio exstat in actis concilii Chalcedonensis act. 3. Respondemus: 1. Imperator dicit *contendere*, quod est contentiose disputare, ex disputatione tumultus et perfidiae occasionem requirere, ut in l. 4. diserte additur, ad quae
V. 49. verba addit glossa, *quod id semper praesumatur, nisi fiat causa addiscendi in scholis vel causa convincendi haereticos.* 2. Ratio specialis est in iis, quae expresse in conciliis sunt damnata. Haec si quis serio defendere velit, ille merito non est audiendus, sed ex ecclesia ejiciendus propter rationem in textu additam. 3. l. Damnato 6. §. 1. C. de haeret. *Nemo in religionis disputatione aliquam supradicti nominis* (Arianorum, Nestorianorum etc.) *faciat mentionem.* Opponimus: Glossa ex l. Quoniam 23. C. de episc. et cleric. ibid. colligit, quod de fide catholica publice disputare ad reprobandam pravam haereticorum opinionem liceat. Stephanus Pannonius in disput. de circul. oper. et judiciorum Dei th. 22: *A scriptis polemicis sicut Pontificii, ita Evangelici omnes auctoritate imperatoris, regum et principum et rerumpublicarum interveniente tum contra se, tum inter se abstineant; sed per didascalica scripta alii alios, ubi opus est, doceant, moneant, non autem dominentur alii in alios.* Keckermannus libr. 1. syst. polit. p. 524: *In dissensionibus de religione non patiatur princeps certamina publica nimis invalescere, praesertim pro suggestis et ad populum.*
.n i hae- orum ni- di. Quaeritur 2. *An libri haereticorum prohibendi?* Negat Duarenus lib. 4. de sacris eccl. minist. c. 2. l. Damnato 6. §. 1. C. de haeretic.: *Nec vero impios libros nefandi et sacrilegi Nestorii adversus venerabilem orthodoxorum sectam decretaque sanctissimi coetus antistitum Ephesi habiti scriptos habere, aut legere, aut describere quisquam audeat, quos diligenti studio requiri ac publice comburi decernimus.* Bellarminus lib. de laicis c. 20: *Libri patrum etiamsi haereses mixtas habeant, tamen permittuntur ab ecclesia Romana, quia prosunt propter antiquitatem; Protestantium autem libri licet multa bona mixta habeant, tamen penitus sunt abolendi ac prohibendi, quia veritas non est legenda in libris haereticorum, nam laicis ut ibi est, nocet, non prodest.* Atqui num magis nocebit veritas in recentioribus quam falsitas in antiquis? longe aliter Hieronymus de lectione librorum Origenis disputat epist. 65. ad Pamm. et Ocean. Distinguendum: Quidam haeretici libri sunt *1. magici, 2. famosi, 3. notorie blasphemi, 4. variis erroribus conspersi,* Magici comburantur Act. 19, v. 19. famosi prohibeantur. Imperatorum constitutiones in eorum auctores capitali supplicio animadvertunt l. Unic. C. de libr. famos. Ordin. imper. Carol. V. c. 110. Notorie blasphemi itidem abolendi; variis erroribus conspersorum librorum non cuivis, inprimis illis, qui fidei fundamenta nondum cognoverunt, est concedenda, sed propterea non simpliciter sunt abolendi, verum eruditis eorum lectio commendanda 1. propter apostolicum praeceptum: *Omnia probate* 1. Thess. 5, v. 21. *Probate spiritus* 1. Joh. 4, v. 1. 2. Propter lectionis illius commodum. In haereticorum libris talia traduntur, ex quibus ipsae haereses refelluntur. Utile etiam est propter historicam relationem scire, quid quovis seculo actum. 3. Propter antiquitatis suffragium, Augustinus lib. 2. de doct. Christ. c. 30: *Haeretici si quid bene dixerunt, legendi sunt.* Thomas 4. sent. dist. 13: *Ecclesia utitur haereticis ad probationem doctrinae suae.* 4. Propter comparatum. Quis patrum fuit ab omnibus erroribus immunis? In libris ethnicorum et Judaeorum continentur multa a fide Christiana aliena, nec tamen eos abolemus. Nota porro: 1. Libri haereticorum dicuntur vel omnes sine discrimine, quicunque ab ipsis sunt scripti, sive de religione, sive de aliis, ut grammatici, poëtici, logici, historici aut alterius generis, vel certi, in quibus haeresin sparserunt. 2. Haeresis alia pugnat cum fundamento doctrinae et fidei idque vel directe, vel per indirectum et proinde alia blasphemia est, alia non item. 3. Interdictum aliud simplex et absolutum pertinens ad omnes subditos omniaque tempora et loca, aliud limitatum et conditionatum concernens certas personas, nempe rudes et imperitos; item certa tempora, in quibus sine offendiculo aut periculo contrarium fieri non possit; denique loca publica aut privata.
4 Modus prohibitionis fit vel verbo et mandato, vel XIV. 50.
facto sive combustione. Prohibitio, quae fit interdicto, apud rudiores jure fit de libris haeresi quadam praesertim contra fundamentum fidei infectis, apud doctiores non item, nisi in casu scandali; quae vero fit combustione, si per vim eripiat peritis libros eorumque expendendorum et judicandorum facultatem approbari non potest. libri ejusd. c. 21: *Non expetimus* (nos Christiani), *ut Deum nostrum, qui est omnium creator, velit nolit colat aliquis invitus, nec si non coluerit, irascimur.* Bellarminus duo argumenta profert: *1. Prohibitio et combustio librorum haereticorum antiqua perpetua consuetudine apud ethnicos et Christianos observata est. Ergo et hodie merito observatur.* Prius membrum probat duplici facto, altero *Romanorum*, de quo Valerius Maximus lib. 1. c. 1. altero *Atheniensium*, de quo Cicero lib 1. de nat. deorum. Posterius confirmat partim *inductione ex interdictis ecclesiae a tempore apostolorum ad nostra*, partim *a signo, quod ostendit haereticorum libros esse combustos, quia hodie non exstant tot volumina Marcionis, Valentini, Arii etc.* Respondemus: Propositionis

omissae consequentia negatur, quia procedit a facto ad jus. Assumtionis sive antecedentis membrum prius est alienum. Ethnici enim sunt extra ecclesiam et eorum libri proprie haeretici dici nequeunt. Posterioris una probatio laborat vitio ἑτεροζητήσεως magicos, haereticos et blasphemos confundendo, altera a genere ad speciem procedit affirmative, quod non licere ex pari constat, patrum enim quorundam scripta, quia non exstant hodie, non potest inde firmiter colligi, ea esse combusta. *2. Colloquia haereticorum sunt periculosissima et ideo diligenter vitanda. Ergo multo magis libri sunt periculosi et vitandi.* Antecedens probat ex Rom. 16, v. 17. 2. Tim. 3, v. 5. Tit. 3, v. 10. 2. Joh. v. 10. et ex Irenaeo lib. 3. c. 3. Cypriano lib. 1. epist. 3. Athanasio de S. Antonio in ipsius vita, Antonio ipso ibid. Augustino epist. 62. Leone serm. 18. de pass. Dom. Consequentiam probat quatuor rationibus: 1. oratio in libris scripta est artificiosior; 2. est semper ad manus; 3. libri magis sparguntur, quae omnia secus habent in colloquiis; 4. ab experientia, quam probat exemplo Wiclefi, qui voce paucissimos, libris totam Bohemiam pervertit. Respondemus: 1. distinguendum inter colloquium familiare cum rudibus et inexercitatis ac inter congressus disputatorios cum solide doctis et exercitatis. Confer Tit. 3, v. 10. Tertullianum de praescript. c. 2. imo ipsorum adversariorum testimonium in praefatione enchiridii Costeri et praxin ecclesiae. 2. Testimonia Scripturae aut sunt aliena, ut primum et ultimum, quae agunt de conversatione familiari rudium cum haereticis, sicut tertium de omnium impiorum consortio vitando; aut habent suam restrictionem ut secundum. 3. Patrum dicta ἑτεροζητήσεως vitio itidem laborant. Priora quatuor de familiari conversatione, posteriora duo de rudium periculo agunt. 4. Rationes, quibus consequentia probatur, in simplicioribus et imperitis locum habent, non in doctis et exercitatis. Sixtus Senensis lib. 4. bibl. sanct. annot. 266. p. 543: *Nec a Romano pontifice, nec ab ulla unquam synodo fuit omnino prorsusque prohibitum, ne haereticorum scripta legerentur, sed ne sine majorum concessione legerentur, maxime vero ab ineruditis, qui facile eorum lectione falli possent, et ab eruditis etiam, quos nulla hujusmodi lectionis urgeret necessitas. Nam et Carthaginensis 4. synodus can. 17. concedit episcopis eruditione et fide conspicuis lectionem haereticorum voluminum, quo facilius possint illorum insidias agnoscere et validius confutare.* Quaeritur 3. *An magistratus subditos ad fidem cogere debeat?* Affirmantem quaestionis partem Pontificios amplecti testatur ipsa *praxis* inquisitionis Hispanicae, sed opponimus illis: *1. mandati divini defectum.* Nuspiam enim, in Novo praesertim Testamento mandatum, ut ad Christi religionem amplectendam homines vi cogantur. In parabola Luc. 14, v. 23. servus jubetur, ut compellat hospites ad coenam coelestis Patrisfamilias invitatos, sed ille ἀναγκασμὸς pro ratione subjectae materiae intelligendus, quod ministri ecclesiae, qui *per servos* praecipue hoc loco intelliguntur, praedicatione legis et comminatione poenarum ad poenitentiam homines excitare debeant, ac quod magistratus ad verbum audiendum et externa conversionis media subditos debeat cogere, non autem immediate ad religionem, vel amplectendam vel abjiciendam. Theophylactus comm. c. 14. Luc. fol. 172. illum ἀναγκασμὸν explicat de virtute verbi. *Ut sciamus* (inquit), *magnae virtutis Dei esse, credidisse gentes in tanta versantes ignorantia, ideo dixit, Compelle. Nisi enim magna fuisset ejus, qui praedicabatur, virtus et magna verbi veritas, quomodo persuasi essent homines etc. vel aliter, virtus signorum manifestam afferebat necessitatem, ut transferantur ad fidem Christi* Apoc. 3, v. 9. in vulgata versione itidem habetur vox *adigendi*, sed in Graeco est ποιήσω. *2. Exemplum contrarium.* Perversus enim et in versus ille docendi ordo, ut a vi et coactione initium fiat, plane ignotus est apostolicae et primitivae ecclesiae. Christus jussit apostolos docere ac baptizare, non mandavit, ut eos, qui audire nollent, interficerent aut ad credendum civilis potestatis auctoritate compellerent. *Egregius ille praedicator* (Paulus 2. Tim. 4, v. 2.) dicit, *Argue, obsecra in omni patientia et doctrina. Nova vero atque inaudita praedicatio, quae verberibus fidem exigit.* c. Quid autem etc. dist. 45. ex Gregor. lib. 2. epist. 52. 3. *ἀδυναμία obtinendi illum effectum. Animis hominum non ita imperatur ut linguis, mentium rex Deus est.* Fides in anima, quae spiritus est et cogi non potest, consistit, sola divinitas interiora cordis cognoscit, scrutatur, judicat. Ad assensum, qui fidei pars est, nemo cogi potest, sed est actus a voluntate elicitus. *Quis imponat mihi necessitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim non credendi? Nihil tam voluntarium quam religio, in qua si animus aversus est, jam sublata, jam nulla est,* inquit Lactantius lib. 5. div. inst. c. 19. *Liberum quiddam est credere, imo quiddam divinum in spiritu, externa igitur vi cogi nec potest, nec debet,* scribit Lutherus tom. 2. Jen. f. 180. *Non potest esse sincerum, quod coactum, nec Christo quidquam gratum, nisi voluntarium,* refert Philo in libro quod omnis probus liber p. 557. Calanum antiquissimum philosophum ad Alexandrum Magnum scripsisse in hanc sententiam: *Amici tibi suadent, ut cogas Indorum philosophos, ne per somnum quidem conspicari res nostras et nostra negotia. Corpora de loco in locum transferes, animis invitis nullam vim inferes, nihilo magis quam si lateres et ligna cogas vocem emittere. Nullus rex, nullus princeps potest efficere, ut quidquam agamus praeter animi sententiam,* οὐκ ἔστι βασιλεὺς οὔτε ἄρχων, ὃς ἠνάγκασεν ἡμᾶς ποιεῖν, ἃ μὴ προαιρούμεθα. *Non gladio, sed persuasione ac vi doctrinae in cordibus hominum religio et plantatur et honesto vitae exemplo confirmatur,* scribit rex Navarraeus in literis ad nobiles Aquitaniae apud Dinothum lib. 6. hist. Gallic. f. 488. *4. Dominatum in conscientias et animas soli Deo relictum. Non dominamur fidei vestrae,* inquit apostolus 2. Cor. 1, v. 24. nimirum quia tale dominium in conscientias ad solum Deum pertinet. Stephanus Batoraeus Poloniae rex dicere consuevit,

Qu. 3. An magistratus subditos ad fidem cogere debeat.

XIV. 51.

XIV. 5

Deum tria sibi reservasse, ex nihilo aliquid facere, futura scire et dominari conscientiis, et Maximiliani II. imperatoris nunquam satis laudati hoc fuit dicterium, *nullam esse tyrannidem intolerabiliorem, quam conscientiis dominari velle*, nimirum quia dominium illud Deus sibi soli reservavit; in literis ad Laz. Schuendium sic loquitur: Es iſt in der Wahrheit nicht anders als ihr vernünftiglich ſchreibet, daß Religionsſachen nicht wollen mit dem Schwerdt gehandelt und gerichtet werden, kein Ehrbarer, Gottesfürchtiger und Friedliebender wird es auch anders ſagen. Idem: *Eorum actiones, qui suppliciorum crudelitate, sectionibus et ustionibus hanc rem confici posse defendunt, mihi minime placent, nec unquam adducar, ut eas laudem, nisi forte, quod tamen serio deprecabor, ne fiat, Deus permittat, ut in furorem et insaniam prolabar.* In epist. de sedit. Belg. Henricus III. Galliae rex, qui per totam vitam religionem evangecam armis oppugnaverat, in extremo mortis articulo confiteri coactus est, *conscientiae dominium non ad reges ullosve pertinere magistratus.* Samuel a Remching. dissert. 2. de pace relig. in polit. imperial. Goldasti part. 30. p. 1367. ex hist. des dern. troubl. lib. 5. f. 193. Seneca lib. 3. de benefic. c. 20: *Corpora obnoxia sunt et asscripta dominis, mens vero sui juris, quae adeo libera ac vaga, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quominus impetu suo utatur et in infinitum comes coelestibus exeat. 5. Irritum conatus hujus successum.* Violentis mediis animi subditorum ab illa religione, ad quam coguntur, magis abalienantur et irritantur, seditionibus ac caedibus occasio datur et reipublicae tranquillitas turbatur. Coactione illa violenta nihil quidquam profici multis exemplis probat P. Gregor. lib. 12. de repub. c. 5. num. 12. *6. Diversum sanae et canae antiquitatis judicium.* Tertullianus ad Scapul. c. 2. p. 88. ** Humani juris et potestatis est unicuique quid putaverit colere, nec alii prodest, aut obest alterius religio. ** Sed nec religionis est, *cogere ad religionem, quae sponte suscipi debet, non vi.* Clemens Alexandrinus lib. 1. paedagog. c. 1. p. 109: *Exhortatoria est universa religio piusque Dei cultus, ut qui et vitae hic recte degendae et futurae desiderium menti cognatae ingeneret.* Hilarius ad Constant. imper.: *Non decet, non oportet cogi atque compelli invitos et repugnantes.* ** Athanasius in ep. ad solitar. vitam agentes p. 465: *Piae religionis proprium est non cogere, sed suadere.* Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Jul. p. 116. a. edit. Colon. in 8: *Cum manifeste persuadere haud posset, tyrannice autem cogere erubesceret, sub leonina pelle vulpinam abscondidit, nam (quo pacto exactius dicerem) mansuete cogebat.* ** Concilium Toletanum IV. can. 56. et citatur c. Judaeis etc. dist. 45: *Nemini ad credendum vim inferendam esse statuit, cui enim vult, miseretur Deus, et quem vult, indurat.* Lactantius l. 5. institut. div. c. 19. p. 303: *Non est opus vi et injuria, quia religio cogi non potest; verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas* etc. *Longe diversa sunt carnificina et pietas. Non potest aut pietas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Defendenda est religio non occidendo, sed moriendo; non saevitia, sed patientia; non scelere sed fide. Illa enim malorum sunt, haec bonorum. Et necesse est bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur.* c. 20. p. 306: *Libet ex his* (violentis coactoribus) *quaerere, cui potissimum se praestare putent cogendo invitos ad sacrificium. Ipsisne, quos cogunt? at non est beneficium, quod ingeritur recusanti, sed consulendum est etiam nolentibus, quando quid sit bonum nesciunt. Cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, si salvos volunt? aut unde pietas tam impia, ut eos miseris modis aut perdant, aut inutiles faciant, quibus consultum esse velint? An vero diis praestant? at non est sacrificium, quod exprimitur invito, nisi enim sponte atque ex animo fiat, exsecratio est* etc. Ambrosius in 2. Cor. 1: *Fides non necessitatis, sed utilitatis res est.* ** Videatur omnino XIV. 53.
Hilarius ad Constant. Aug. Et contra Auxent. Arianum. ** Apud Cassiodorum lib. 2. var. epist. 27. Theodoricus Romanorum rex permittens Judaeis templum reficere, *Damus*, inquit, *licentiam, siquidem permissum est, sed errantium votum laudabiliter improbamus. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.* Bernhardus serm. 66. in Cant. col. 692: *Suadenda fides, non imponenda. 7. Moderatiorum Pontificiorum suffragium* nostrae sententiae datum. Cum Galliae rex anno 1555. severum de exstirpandis Hugonotis edictum promulgasset, senatus parlamenti Parisiensis ab instituto eum dehortaturus inter alia gravissime scribit, *aequum videri, ut potius veteris ecclesiae vestigiis insistatur, quae non ferro et flammis in religione constituenda ac propaganda, sed puriore doctrina et honestis vitae antistitum exemplis rem confecit*, referente Aug. Thuano l. 16. hist. Andr. Philopater presbyter Romanus in resp. ad edictum Anglicum p. 58: *Si persuaderi sibi a Caecilio consiliario praecipuo permiserit Elisabetha regina, hanc tantam subditorum carnificinam carere omni periculo, imprudentia est insignis. Saltem sequi debebat Gamalielis consilium* Act. 5, v. 39. *benevolentia et tolerantia res tentanda est, quod Germaniae principes ut plurimum faciunt. Nam persecutionibus et pressuris tantaque hominum strage et laniena usus satis edocuit nihil profici posse*, quod hominis Catholici scriptum patres Augustanos approbasse, refert Samuel a Remching. de pace relig. dissertat. 1. editum est August. Vindelicor. anno 1592. ** Recte dictum a felicissimo illo non patriae suae Bataviae tantum, sed nostri seculi ingenio: *Cultus Dei nullus est, nisi ab animo volente procedat. Voluntas autem docendo et suadendo elicitur, non minis, non vi. Coactus qui credit, non credit, sed credere se simulat, ut malum vitet. Hoc ergo quod praestatis Deo, quod imputari posse Numini speratis, quodcunque vi extorquebitis, invisum est Deo et ingratum, et non acceptum habet. Divi-*

*num ergo cultum violentia et bellum non promovent. Nam quod invisum est Deo, cultus Dei non est.*** Distinguendum tamen 1. inter coactionem ad *religionem veram et ad falsam.* Ad falsam religionem tantum abest, ut magistratus subditos cogere debeat, ut eandem potius detestari et exstirpare debeat, ac proinde si ad eam cogit, duplici nomine peccat. Ad veram religionem itidem non debet cogere, interim tamen ad eam si cogat, minus peccat, quin et seductos ex subditis compellere potest ad conversionis media, verbi scilicet auditum. *2. Inter violentam conscientiarum coactionem* et *publici exercitii prohibitionem.* Quamvis enim magistratus non debeat conscientias ad religionem cogere, tamen non debet vagam quidvis publice docendi, profitendi et exercendi licentiam concedere, sed media insistat via, nec nisi urgente extrema necessitate publici exercitii libertatem diversae religionis professoribus permittat.

4. An magistratus debeat plures religiones in republica tolerare.

199. Quaeritur 4. *An magistratus plures* (uti vocant) *religiones in republica tolerare debeat.* **Pisecius in praeloquio ad Pontificios responsioni ad 10. rationes Campiani praefixo A. 6: *Pressi fuere dominatu Romanorum Judaei, sed non Judaeorum religio. Sexcentae nationes paene in urbem Romam fluxerunt, quibus singulis sacra sua coetusque patrii erant. Libere suos deos singuli colebant, nec ad unam religionem cogebantur. Nec inter omnes barbaros tanta barbaries. Constat Mahumetanorum religio duabus ac septuaginta sectis, quae ab uno fonte rivi more deducta in populum per vim publicam tolluntur minime. etc. Non aliud prisca ferebat Hebraeorum consuetudo affirmantium, oportere, ut sua quisque voluntate, non vi Deum colat.* Sed Andr. Ernstenb. libr. 2. auton. c. 26. daß die Obrigkeit ohne ſondern Abfall und Meineidigkeit keine andere Religion als die wahre, ſie heiße gleich wie ſie wolle, zulaſſen oder dulden möge, und da auch ſolches geſchehe, daſſelbe unſerm Herrn Gott zum Höchſten zuwider ſei. Dav. Paraeus in comm. epist. Rom. p. 1369. pariter probat, magistratum non posse nec debere plures quam unam eamque veram religionem in regno tolerare.** Lipsius etiam lib. 4. polit. c. 2. et in lib. de una religione, Joh. Paulus Windeck libr. de haeret, exstirpandis p. 327. Anton. Possevinus in epistol.
XIV. 54. ad regem Poloniae, Conrad. Brunus libr. 3. de haeret. c. 15. Bellarminus lib. de laicis c. 18. et alii complures Pontificiae praesertim religioni addicti simpliciter negant argumentis ductis 1. *a divino mandato.* Deus ipse in politia Israëlitica unam tantum vigere voluit religionem, quin et unicum duntaxat templum in populo suo exstare voluit, ne populus diversis religionibus ac cultibus implicaretur, *pseudoprophetas jussit interficere* Deut. 13, v. 1. *agros et vineas diversis seminum speciebus conseri ac vestem ex lana linoque contexi* prohibuit Lev. 19, v. 19. Deut. 22, v. 9. mystice innuens, non esse diversarum religionum semina in Dei agro, qui est ecclesia, invicem commiscenda, nec ex diversis religionibus Samaritanismi quandam vestem conficiendum. *2. A verae religionis zelo.* Magistratus qui vere et ex animo verae religioni addictus est, non frigide nec oscitanter eam defendet, sed vero et fervido zelo contra illius hostes armabitur, tantum abest, ut diversae religioni in suo regno aditum et hospitium sit concessurus. *Nonne eos, qui oderunt te Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi,* inquit David Psalm. 139, v. 21. et 22. *Fieri nec solet, nec potest, ut quis Deum sincere et ex toto corde diligat, qui diversas religiones simul fovere desiderat. Certissimum enim inde est, neutram credere, qui contrarias admittit,* Tolosanus libro 8. de repub. c. 2. numer. 15. *3. A regum Israëliticorum exemplo,* qui destruebant lucos et templa idolorum et populum ad cultum veri Dei reducebant, ut Ezechiae, Josaphati, Josiae et aliorum historia testatur, quibus etiam Christiani imperatores annumerandi. *Constantinus* idolorum templa clausit et solam Christianam religionem vigere jussit; *Theodosius I.* omnes fidem catholicam amplecti voluit. etc. *4. A multiplici incommodo.* Ex illa diversarum religionum tolerantia oriri solent incommoda longe maxima, siquidem noxia est tum ecclesiae, tum reipublicae, tum illis ipsis, quibus conceditur. *Ecclesiasticae unitatis* vinculum est unius fidei confessio, Eph. 4, v. 5. ergo in fide dissensio est ecclesiasticae unitatis dissolutio. Credendi libertas vehementer impedit, quominus ecclesiae termini latius propagentur ac plures ad veritatis agnitionem perducantur. Sed et *reipublicae* pacem diversitas religionis non mediocriter labefactat. Quemadmodum enim arctissimum pacis et concordiae vinculum inter cives est una omnium consentiens religio, sic e converso sententiarum de fidei articulis diversitas, tranquillum et pacatum reipublicae statum facili negotio labefactat. Refert quidem Levenclavius in pandect. Turc. et ex eo Camerarius part. 1. succisiv. c. 58. p. 262. quod Solimanus sultanus, cum a Muphthi (qui est Turcarum pontifex maximus) et Bassis admoneretur, ut Christianos et alios diversos ritus sequentes ad musulmanizandum cogeret, forte ex fenestra in hortum variis floribus simul enatis decoratum ex arce despiciens uno in loco diversi coloris flosculis monstratis dixerit: *Quemadmodum ista varietas herbarum ac florum non solum nihil obest, sed mirifice oculos et sensus recreat, sic in imperio meo diversa fides et religio potius usui est quam oneri, modo pacate vivant;* unde etiam Hierosolymis videre licet Romanos, Graecos, Assyrios, Surianos, Nestorianos, Jacobitas, Gregorianos, Marcionitas, Abyssinos et alios religionis professione dissentientes, sed politicae unitatis vinculo conjunctos. Danuilla etiam apud Dinothum libro 6. histor. Gallic. fol. 474. censet, *nulla cum ratione id asseverari, quod duae atque diversae religiones in uno atque eodem regno retineri non possint, quia in Occitania contrarium ostendatur, dissentientium in religione summus videatur consensus.* Interim tamen aliorum magistratuum ac legislatorum aliud fuit judicium, qui existimarunt,

non posse subditorum animos firmo pacis et concordiae glutine coalescere, nisi in ipsa actionum summa, in religione scilicet, prius conveniant; ac diversitatem religionum secum trahere simultates perpetuas, contentiones assiduas ac seditionum semina feracissima. Legibus XII tabularum cautum erat: *Separatim nemo habessit deos neque novos*
55. *sive advenas, nisi publice adscitos privatim colunto. Constructa a patribus delubra habento*, Cicero 2. de legib. Unde Romani aedilibus bello Vejentino id negotii dederunt, ut animadverterent, *ne qui nisi Romani dii, ne quo nisi patrio more colerentur*, Livius lib. 4. Maecenas apud Dionem lib. 52. Octaviano consuluit, *ut non solum more majorum numen diligenter coleret, sed et alios ad eum cultum compelleret, non solum religionis, sed maxime reipublicae causa, novae enim religionis praetextu multos res novas moliri et illicita collegia coire commutationesque et seditiones inde nasci.* Denique quod libertas quidvis credendi sit perniciosa *ipsis subditis*, quibus conceditur, facile apparet, *quia libertas illa quidvis credendi nihil aliud est quam libertas errandi, et quidem errandi in re animae salutem concernente, in qua proinde error est longe periculosissimus et nocentissimus.* Ut ergo salubriter non permittitur grex ovium per montes vagari et quaevis pascua eligere; ut salubriter non permittitur navis a quolibet vento circumferri, ne ille noxia pascua eligat et luporum praeda fiat, haec vero scopulis allisa pereat; sic salubriter non permittitur subditis quidvis credendi libertas, ne a vera religione ac fide aberrantes aeterno exitio involvantur. Hisce incommodis merito annumeratur, quod per diversarum religionum in una republica tolerantiam ad extremum numinis contemtum fenestra aperiatur longe amplissima, unde pari passu ambulare videntur omnis religio et nulla religio. Rudis enim plebecula acres illas de summis religionis capitibus dissensiones et diversum sacrorum cultum animadvertens sola hominum opinione veritatem constare censet ac proinde ad Epicuri castra pleno cursu contendit.

200. Atque haec sunt argumenta, quibus religionis diversitas in republica improbatur, quibus pondus non leve inesse libenter fatemur, interim tamen distinguendum esse dicimus: *1. inter id quod optandum in republica Christiana et quod sperandum in hac vita.* Optandum quidem et seriis precibus a Deo flagitandum, quin et pio magistratui in id summo studio incumbendum, ut una eademque vera religio ubique vigeat, cum nullum sit firmius concordiae et unitatis vinculum, quam si in una eademque vera religione animi subditorum invicem consentiant, sed universalis ille consensus in hac vita sperari vix potest. *Oportet esse haereses inter vos*, dicit apostolus 1. Cor. 11, v. 19. nascuntur in ecclesiae agro zizania in medio tritici Matth. 13, v. 25. *2. Inter personarum privatim de religione diversum sentientium tolerantiam et inter publici exercitii concessionem.* Personae privatae diversum sentientes, si quiete vivant, sacris publicis utantur, nec occultis machinationibus politiae aut ecclesiae pacem turbare animadvertantur, spe conversionis et pacis publicae causa tolerandae sunt. Neque enim quaevis in fide dissensio, qua diversum creditur, sed dissensionis publica testificatio ac professio, qua diversum publice docetur ac colitur, reipublicae perniciosa ac periculosa censenda. *Tacere liceat*, inquit Seneca in Oedip. *nulla libertas minus a rege petitur.* Quodsi vero iidem errores suos publice spargere, alios ad se allicere, simpliciores fallere et pacem publicam turbare incipiunt, coërcendi sunt ac, nisi ab instituto desistere velint, exterminandi, ne velut putrida et gangraena correpta membra reliquas corporis partes adhuc sanas inficiant. Inter violentam coactionem per supplicia et inter vagam quarumvis religionum libertatem est quiddam intermedium, ut videl. haereses coërceantur. Publicum vero diversarum religionum exercitium magistratus quando concedere debeat, ex sequentibus apparebit Distinguimus enim 3. *inter statum reipublicae pacatum et turbatum.* Quando reipublicae status est pacatus atque una eademque vera in eo viget religio, tunc magistratus non debet diversas sectas in ejus gremium recipere, sed novas haereses spargentibus summo conatu resistere et rempublicam ab omni corruptelarum labe immunem conservare. Sed quando turbatus est reipublicae status ac diversae in eo jamdum vigent et dominantur religiones, XIV. 56.
quando scilicet subditi in diversas abiere partes, ita ut vel major vel aequalis civium pars falsae religioni sit addicta, nec possit absque intestinarum seditionum periculo adeoque totius regni internecione et exitio falsa religio exstirpari, ibi vero quiescendum est magistratui, a vi et bellis abstinendum et tempori aliquid condonandum, quod agnoscit ipse Molanus Pontificius libro 1. de fide haereticis servanda c. 2. sic scribens: *Cogitur aliquando catholicus princeps sive magistratus in quibusdam locis libertatem religionis sub certis conditionibus concedere, ne si minus malum tolerare nolit, majora in republica sua perpeti cogatur.* ** Theodosius junior Arianorum religionem et collegia acerrime quidem oderat, interim quia nulla vi exscindere posset, ferebat, cum ineunte imperio provincias omnes Orientis Arianorum plenas reperisset. Athanasius rogatu Constantii imperatoris ex multis, quae erant Alexandriae, templis unum Arianis concedere voluit, si orthodoxis etiam Antiochiae unum templum permitteretur. Petrus Cudsemius Apost. in desperat. Calv. causa p. 116: *Laudabile et prudens est consilium, quo Henricus IV. Galliae et Navarrae rex sanxit omnibus in nobilissimo suo regno pro tempore religionis immunitatem potestatemque fecit ad divinum ejus cultum suo loco palam et secure conveniendi, quo pacto publica totius regni et in eo catholicae ecclesiae pax alitur et patriae salus conservatur.* ** *Carolus V.* cum a Clemente VII. Bononiae urgeretur, ut Lutheranam religionem armis oppugnaret, suggestionibus ipsius graviter primum restitit responso ad

postulatos Clementis articulos tali dato, *ut parentum deliria ferenda sunt, ita in civitatibus ac religionibus vitia quaedam esse dissimulanda, fundamentum in ecclesia retineri oportere* etc. Goldastius tom. 3. constit. imp. fol 506. Wolffius tom. 2. memorab. fol. 331. Imitetur ergo in hoc casu magistratus *medicos*, qui in morbis gravioribus quandoque plus proficiunt quiescendo quam movendo et agendo, Hippocrates 2. aphor. 29. Imitetur *naucleros*, qui cum exorta in mari tempestate eo quo cupiunt, pergere non possunt, eo quo possunt cursum dirigunt ac saepe velificatione mutata procellis ac tempestatibus obtemperant, ne si cursum tenere velint, naufragium faciant. Praestat aliquam habere rempublicam licet variis de religione dissidiis turbatam quam nullam; praestat subditos pios verae religioni addictos ac velut lilium inter spinas diversae religionis sectatoribus intermixtos tueri et conservare, quam per violentiam reipublicae navim penitus evertere. Ammianus lib. 20. de Valentiniano imperatore memorat, ipsum hoc moderamine principatus inclaruisse, *quod inter religionum diversitatem medius steterit, nec quenquam inquietaverit, nec interdictis minacibus subditorum cervices ad id, quod ipse colebat, inclinarit, sed has partes intemeratas reliquerit.* Jac. Aug. Thuanus in praefat. suae histor. testatur, Henricum IV. Galliae regem *eo ipso, quod Protestantibus in suo regno quietam permiserit sedem, rempublicam labentem fulciisse.* Plura exempla adducentur inferius in quaestione, an haeretici capitaliter puniendi? *4. Inter qualemcunque religionis diversitatem et publicas blasphemias.* Quamvis enim certis temporibus diversitas religionum a magistratu tolerari possit, tamen si manifestae accedant blasphemiae, eas nullo temporis vel periculorum respectu habito magistratus severe coercendas statuat. *5. Inter diversarum religionum tolerantiam et earum approbationem.* Si vel maxime cogitur magistratus ad evitandum majus malum diversas religiones in suo regno tolerare, non tamen debet easdem approbare, sed dissensum suum publice testari et libertatem illam quantis commode potest limitibus restringere. In turbato illo reipublicae statu magistratus studium *veritatis et caritatis prudentia* temperatum ipso facto exerceat. *Veritatis studium* jubebit, ut publicis indiciis testatum faciat, falsam religionem, etiam cum toleratur, a se improbari. *Caritatis zelus* suadebit, ut subditorum saluti et incolumitati consulat inque omnes occasiones sit intentus, quibus errantes et seducti in viam veritatis reduci et ecclesiae verae associari possint. *Prudentia* suggeret modum ac media, qui-
XIV. 57. bus et veritas stabiliri, et caritas exerceri queat, ne intempestiva severitate abstineantur, qui lenitate poterant flecti atque corrigi. *6. Inter pacem politicam et syncretismum ecclesiae.* Inter diversae religionis addictos subditos pacem politicam sancire potest princeps, sed religionis quendam syncretismum introducere nequaquam debet. **Syncretismum illum perpetuo urgent Calviniani. Franc. Junius tom. 1. op. theol. col. 681: *Jam plus satis in orbe Christiano dimicatum est. Pax quaerenda, invenienda, amplectenda et modis omnibus retinenda.* Anno 1602. prodiit scriptum ψευδώνυμον Antonii Benbellonae de Gaudentiis; quadrienno post prodiit in lucem libellus ecclesiarum Palatinarum exhortationem ad mutuam pacem ab Evangelicis colendam continens; anno 1614. prodiit Irenicum Paraei, in quo talem syncretismum serio urget p. 66.** Sed talis syncretismus repugnat divinis mandatis tum in typis Lev. 19, v. 19. Deut. 22, v. 9. tum expresso sermone propositis 2. Cor. 6, v. 14. et seqq. Apoc. 3, v. 15. labefactat fidei unitatem ac sinceritatem 1. Cor. 5, v. 6. Eph. 4, v. 5. introducit Samaritanismum divinitus prohibitum 2. Reg. 16, v. 33. et omnem religionis ac pietatis zelum exstinguit. **Conr. Pelicanus in Ex. f. 146: *Agrum non mixtim serendum allegoricum videtur esse contra hypocrisin in verbis et factis et iniquitatem quamcunque, sicut et de veste mixtim contexta ex lana et lino doctrinam falsam verae non miscendam, vitam secularem religioso habitu non venditandam.*** Jovinianus imperator Antiocheni concilii patribus respondit, *se nemini qualemcunque fidem amplexanti molestiam exhibiturum, sed eos praeter ceteros benevolentia et honore prosecuturum, qui ecclesiae ad concordiam adducendae auctores essent.* Socrates lib. 3. hist. eccl. c. 21. idem tamen quoniam perpetuo fidei consubstantialis adhaeserat, reliquis episcopis respondit, *se eam fidem praelaturum, unde Athanasium Alexandrinae ecclesiae restituit et gentilium delubra clausit*, lib. ejusd. c. 20. In imperio Romano per pacificationem Passaviensem anno 1552. initam et in comitiis imperii postea confirmatam Augustanae confessionis et Pontificiae religionis exercitium liberum est permissum, interim tamen nequaquam cum Pontificiis quendam religionis syncretismum Augustanae confessionis socii instituerunt, sed politicam duntaxat pacem cum illis colunt. *7. Inter potestatem magistratus liberam ac restrictam.* Quando princeps liberam et absolutam habet potestatem, quantis potest viribus eniti debet, ut una solum eaque vera religio in suis vigeat provinciis; sed si potestas principis est restricta, diversae religioni locum relinquere cogitur. Duplici autem modo contingere potest, ut principis potestas in hoc negotio sit restricta. Primo si legibus imperii fundamentalibus in capitulatione, quam ita vocant, propositis ad diversarum religionum tolerantiam se obstrinxit; tunc ab illa promissione, praesertim si juramento confirmata sit, discedere neutiquam debet, ne perjurii crimen committat et nomen Dei blasphemari faciat, qua de re paulo post plenius. Deinde et principis potestas in prohibenda religionis diversitate restricta judicanda, si partem quandam potestatis proceres imperii sibi reservarunt, qui non sint mere subditi, sed in consortium aliquod potestatis recepti; tunc enim non potest nec debet violentis mediis status ac proceres diversae religioni addictos coërcere, sed αὐτονομίαν in religionis negotio ipsis cogitur relinquere. *8. Inter*

Veteris Testamenti rigorem et rigoris illius in Novo Testamento relaxationem. In V. T. ecclesia angustis ecclesiae limitibus erat inclusa, ideo severis legibus prohibitum erat, ne diversitas religionis in populo Israëlitico toleraretur, quin et pseudoprophetae interfici ac gentes idololatricae deleri jubebantur, Deuteronom. 13. vers. 1. capit. 7, v. 2. sed N. T. est tempus gratiae, in quo gladio Spiritus debellandi sunt haeretici 2. Cor. 10, v. 4. ac sine caede et sanguine coelestis doctrina propaganda Esa. 11, v. 9. unde cum discipuli argumento ex V. T. ex historia scilicet Eliae petito Samaritanos igne coelitus delapso perdendos esse statuerunt, Christus ipsis respondit Luc. 9, v. 55: *Nescitis cujus spiritus sitis?* v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

58. 201. Quaeritur 5. *An pacificatio Passaviensis,*
a- *qua et Augustanae confessionis, et Pontificiae reli-*
s- *gionis liberum in imperio Romano exercitium con-*
sis *ceditur, sit approbanda?* Quidam ex rigidioribus Pontificiis praesertim Jesuitis in eam valde sunt injurii. Antonius Possevinus in epistola ad regem Poloniae referente Wolffio cent. 16. lect. memorab. p. 804: *Certe concedere, qualia fuerunt in comitiis illis concessa, nihil aliud est quam Christum negare. Quod caesar parum considerate promisit, aeque se defensurum utriusque religionis homines, est in eo gravius erratum quam ut uno sermone satis explicari queat.* Andr. Fabricius praef. in harm. Aug. conf. imperatorem Romanum *gladio accinctum esse jubet ad exsequenda concilii Tridentini decreta, cum utilis sit talis sanguinis profusio.* Joh. Paulus Windeck in prognost. de fut. eccl. statu pag. 326. pacificationem illam contendit esse irritam, propterea *quod imperatori sit per vim extorta, a pontifice nunquam confirmata ac per concilium Tridentinum iterum sublata* (quem non esse eum, cujus nomen inscriptio prae se fert, *Franc.* scilicet *Burchardum*, sed alium, videl. *Andream Ernstenbergerum* innuit Possevinus libro 1. select. biblioth. p. 125. Bernh. Zier. de princ. inter ipsos dignit. praerog. §. 27. quod tamen alii non admittunt); illam ipsam concessionem ad libertatem vocat *freistellionatum, semen serpentinum ac diaboli venenum.* Quidam Jesuitae asserere non fuere veriti, Carolum V. imperatorem et Ferdinandum regem pacificationis illius auctores primarios in purgatorio adhuc poenas hujus sui facti luere, Osiander in apologia German. contra Schrerum et Rosenbusch Jesuitas pag. 16. Sed praeter generalia illa fundamenta in quaestionibus proxime praecedentibus exposita opponimus illis 1. *ipsius Ferdinandi regis postea imperatoris judicium.* Refert enim Crato a Crafftheim in epistol. praelim. hist. Boh. Dubravii, ipsum saepius in haec verba erupisse: *Inter summa, quae Deus in gubernatione imperii mihi concessit, primum atque maximum vero animi judicio hoc duco, quod ad sedandas discordias publicas animum adjeci et pacificationis in religione formulam Deus mihi in mentem dedit.* 2. *Salutarem hujus pacificationis effe-*

ctum, quem verbis Camerarii exponere placet lib. 1. XIV. 59.
oper. succiv. cap. 58: *Apud nos in Germania* (inquit) *Constitutio pacis in religione a caesaribus et ordinibus imperii sancita atque saepius confirmata adhuc magno cum fructu viget, tantumque abest, si ea in genuino et vero sensu sarta tectaque conservetur, seditiones et tumultus inde existere, ut dira bella et odia sub praetextu religionis antea excitata multis annis hactenus sopita sint et quiescant.* Et postea: *Hujus salutaris sanctionis beneficio videmus conjuges in religione quidem dissentire, parentes et liberos diversa sacra sequi, fratres et sorores in una interdum domo in plurimis doctrinae coelestis capitibus discrepantes fovere sententias, in politicis tamen et domesticis rebus concordes vivere.* **Quod Augustanae confessionis socii Pontificiis politice non sint haeretici et vice versa, multis ostendit Dauth. de testament. folio 307. Qui pacificationem sublatam cupiunt, imperii interitum quaerunt, ad hunc enim praecavendum pacificatio illa instituta §. Jn ſolche etc. Beza in epigr. p. 244:

Insanum hunc quicunque vides seseque suosque
Rate perforata mergere.
Ah quam vera vides, nam quod pictum adspicis, horum
*Viva est imago temporum.***

Osiander cent. 16. hist. eccl. libr. 3. cap. 19. recitata hujus pacificationis formula subjungit: *Pro insigni hoc beneficio Germaniae concesso gratias agamus et petamus, ut eam Dominus usque ad mundi finem conservet, sunt enim flabella Satanae qui publicis scriptis contendunt, hanc pacem armis impetratam Lutheranis iterum armis eripiendam esse.* 3. *Publicum imperii ordinum consensum.* Fuit haec pacificatio in publicis imperii comitiis omnium imperii statuum tam eorum, qui Pontificiae, quam qui evangelicae religioni addicti sunt, suffragio et assensu comprobata, sic enim habet coronis formulae pacificatoriae ann. 1555: Wir verordneten Kurfürſten Räthe, erſcheinende Fürſten, Prälaten, Grafen und Herren, auch der abweſenden Fürſten, Grafen und Herren und des H. Reichs und Frei- und Reichsſtädte Geſandten, Botſchaften und Gewalthaber hiernach benennet, bekennen öffentlich mit dieſem Abſchied, daß alle und jede obgeſchriebene Punkte und Artikel, alſo wie ob ſtehet, mit unſerm guten Willen, Wiſſen und Rath vorgenommen und beſchloſſen ſein, willigen auch dieſelbigen alle ſammt und ſonderlich hiemit, ꝛc. Eadem in electione novi imperatoris ab imperatore et electoribus repetitur et confirmatur, cum legibus imperii fundamentalibus capitulationi scilicet, quam ita vocant, sit inserta. Absit igitur, ut pacificationem illam a moderatioribus Pontificiis iniquam, illicitam atque irritam haberi suspicemur. Quae in contrarium afferuntur, parum roboris habent. *Vi extortam esse dicunt*, at in publicis et liberis imperii comitiis fuit sancita, cum nullus esset amplius armorum metus. **An vi extorta sit transactio, de eo vide Dress. part. 2. millen. 6. in orat. de August.

elect. Conrad. Braun in consilio von der Fürſtenacht Auctor. Auton. part. 1. capite 3. folio 4. et parte 2. capite 1. fol. 135. parte 3. cap. 7. fol. 29. Monpensenium in act. comit. Blesensis. Kurze information und Anleitung von der Autonomia zu Erläuterung des hochberühmten Tractats von Freiſtellung der Religion, geſtellet durch Dommarien von Diſſingaw zu Liebenthal, gedruckt zu Chriſtlingen bei Urſino Gosgewen Anno 1610. Just. Springerum de pace relig. c. 2. Suscitabul. part. 2. cap. 4. et 11. in fine. Eberhard. a Weihr in discept. problem. regii folio 78. et meditat. pro foederibus cap. 2. numero 50. Vi extortam non esse probatur ex ipsius Caroli V. literis anno 1553. a marchione Alberto editis, et ex actis legationis electorum politicorum ad Rudolphum II. imper. ann. 1590. Posito, quod vi sit extorta, non tamen hic audiendi, qui ex edicto, quod vi metusve causa etc. hic actionem esse volunt, per ea, quae notat Albertus marchio in ſeinem Ausſchreiben Anno 1553. sub tiulo Oeffentlicher Bericht welcher Geſtalt die beiden Biſchof ꝛc. §. Und zu ſetzen etc. Auctor comment. de caus. Colon. fol. 12. Bodinus lib. 5. de republica cap. 6. Ayala de jure belli libro 1. cap. 6. numer. 2. in fin. Albertus Gentil. de jure belli c. 14. Warembergius de foederib. c. 2. n. 204. de regni subsid. cap. 2. numer. 18. Frid. Tilemannus part. 2. disc. philol. consil. acad. Friburg. in act. Bruns. p. 1. Braunius Colon. decanus in lib. contra Tremon. edito late disputat, post pacificationem Passaviensem non licere statibus imperii Romanae religioni addictis Augustanam confessionem amplecti. Vide Empsychov. lib. adv. Braun. p. 240. et seqq.** *Pontificis considerationem adhuc deside-*
XIV. 60. *rari* dicunt, perinde ut Jesuitae e Bohemiae regno expulsi in sua apologia de literis majestatis (ut vocantur) asserunt, quod sint invalidae, quia non sint pontificis assensu confirmatae. At si eam necessariam judicassent imperii status atque ordines, nunquam absque illius consensu pacificationem inissent. Restat igitur explicanda

6. An pacificatio Passaviensis exspirarit post decreta concilii Trident.

202. Quaestio 6. *An pacificatio illa sit sublata per concilium Tridentinum.* Affirmant rigidiores Pontificii, qui Germaniae pacem et tranquillitatem publicam invident. Sed opponimus illis 1. *expressam clausulam* formulae pacificationis additam, quae sic habet: Wo denn ſolche (chriſtliche, freundliche und endliche) Vergleichung der Religion durch die Wege des Generalconciliums, Nationalverſammlung, Colloquien oder Reichshandlungen nicht erfolgen würde, ſoll alsdann nicht deſtoweniger dieſer Friedſtand in allen oberzählten Puncten und Artikeln bei Kräften bis zu endlicher Vergleichung der Religion und Glaubensſachen ſtehen und bleiben, und ſoll alſo hiermit obberührter Geſtalt und ſonſt in alle andere Wege ein beſtändiger, beharrlicher, unbedingter, für und für ewig währender Friede aufgerichtet, beſchloſſen ſein und bleiben. **Christianus elector Saxoniae, Henricus Julius dux Brunsvicensis, Ludovicus landgravius Hassiae in literis ad unitos electores et status, daß die Kaiſ. Maj. ſowohl als die katholiſchen Kur- und Fürſten ſich ſo hoch und theuer zu Obſervirung des Religion- und Prophanfriedens erbieten und verſprechen, daß man zu einigem Mißtrauen die wenigſte Urſache habe.** 2. *Repetitionem et confirmationem hujus pacificationis* in solennibus imperii comitiis etiam post concilium Tridentinum factam, praecipue in commitiis Augustanis ann. 1566. 3. *Defectum conditionum concilii* a Protestantibus requisiti et in comitiis ipsis promissi. Ex multis imperii recessibus, utpote Norinbergensi ann. 1524. Spirensi ann. 1526. et 1529. Ratisbonensi ann. 1532. et 1541. Spirensi ann. 1542. Norinbergensi ann. 1543. Spirensi ann. 1544. Augustano ann. 1555. Ratisbonensi ann. 1557. Augustano ann. 1559. apparet, quod in dissidio religionis componendo a statibus imperii unicum et commodissimum medium judicatum ac Protestantibus promissum sit *generale, liberum et Christianum concilium in Germania* loco commodo ac tuto celebrandum. Atqui Tridentino concilio hae conditiones minime competunt.

203. Demonstramus id *1. ex ipsa Pontificiorum confessione.* Cum ab imperii statibus in comitiis Norinbergae anno 1523. celebratis primum postularetur ac sedulo urgeretur, ut in Germania Christianum liberumque institueretur concilium, atque ut omnes episcopi et praelati juramenti religione a papa liberarentur, quo alioqui ei prorsus serviliter obstricti essent, et vice versa contrario juramento promovendae veritatis publicique boni citra ullius respectum severissime adstringerentur, Pontificius legatus tum praesens illud aegerrime tulit prorsusque recusavit dicens, *id nihil aliud esse quam colligare manus pontifici*, ex quo intelligitur, meras fuisse verborum praestigias, quando legati Pontificii in comitiis liberum concilium statibus promiserunt. Dominicus a Soto in libro contra Catharinum archiepiscopum, qui concilio Tridentino interfuerat, scribit, *Catharinum negare, liberum fuisse in synodo Tridentina disputare, atque eo ipso negare, illam fuisse liberam, in qua parte faveat haereticis, qui itidem negent, concilium illud fuisse liberum.* Pfortzhemii anno 1559. editae sunt actiones duae secretarii Pauli IV. (nisi forte sub nomine Pontificii secretarii ab alio scriptum illud sit editum), quarum una disputat, an concilium Tridentinum sit instaurandum, altero vero, an illius decreta vi et armis imperanda. Accessit deinde tertia, in qua ad utramque quaestionem respondet negative. In primae actionis ἐργασίᾳ disputat, concilium Tridentinum non esse tale, quale a Protestantibus expetitum, ab imperatore et statibus praesentibus legatis Pontificiis Fanensi et Dandino cardinalibus promissum, quod ut XIV. 61
probet, adducit verba comitiorum: *Intelleximus clementissima benevolentia, quod decisio controversiae religionis ad catholicum seu oecumenium, liberum et Christianum concilium rejici debeat, curabimus etiam clementer, ut hi, qui Augustanae confessioni addicti sunt, et legati eorum in tali concilio comparere possint et salvo conductu muniantur, ut tuto ad illud accedant, tuto commorentur et iterum ad loca tuta revertantur ac pro sufficienti necessitate*

audiantur, adeoque tractatio pie et Christiane secluso omni affectu juxta divinam et sacram Scripturam tractetur et concludatur, et ut Christiana et utilis reformatio spiritualium et secularium instituatur ac omnis prava doctrina et abusus, prout decet, abrogetur etc. Subjungit autem secretarius, si decreta illa *comitiorum serventur, id perinde esse, ac si ingentem ignem in ipsa Romana ecclesia accendant et omnia conflagrare permittant.* Addimus vero testimonium majoris momenti ac ponderis. Carolus IX. Galliae rex in protestatione sua contra concilium Tridentinum inter cetera sic loquitur: *Quamquam patres sanctissimi vestra omnium religio, vita et eruditio magnae semper fuit et erit apud nos auctoritatis, cum tamen nihil a vobis, sed omnia magis Romae quam Tridentini agantur, et quae hic publicantur, magis Pii IV. placita quam concilii decreta jure aestimentur, denuntiamus et protestamur, quaecunque in hoc conventu*, hoc est *solo Pii nutu et voluntate, decernuntur et publicantur, ea nec regem Christianissimum probaturum, nec ecclesiam Gallicanam pro decreto oecumenici concilii habituram.*

204. 2. *Ex speciali conditionum illarum enumeratione.* Protestantes scriptum aliquod Germanicum, in quo causas recusati concilii Tridentini exponunt, per delectos ad eam rem theologos et politicos congestum in publicum ediderunt, in eo late demonstrant, Tridentinum concilium tale non esse, quale ab ipsis fuerit expetitum et in comitiis promissum. 1. Petierunt concilium *Christianum*, in quo ex Scripturis sacris unica Christianae fidei norma omnes in ecclesia exortae controversiae decidantur, ac vox decisiva Spiritui sancto in Scripturis loquenti tribuatur. Atqui in concilio Tridentino decernitur, *traditiones pari pietatis affectu una cum scripto Dei verbo recipiendas esse,* tribuitur authentica auctoritas vulgatae Latinae Bibliorum versioni, quae in pluribus discedit a fontibus et erroribus scatet variis ac longe maximis, stabiliuntur dogmata cum clarissima verbi luce e diametro pugnantia, ut ab incomparabili theologo Chemnicio in examine ἀναντιῤῥήτως fuit demonstratum. Concilium Christianum illud demum est, quod *in Christi nomine* congregatur Matth. 18, v. 20. hoc est quando in vero timore et invocatione Dei Christi doctrina et gloria unice quaeritur. Cyprianus tractat. 3. de simpl. praelatorum: *Quomodo possunt in Christi nomine colligi, quos constat a Christo et ejus evangelio separari? propter quos clamat Esaias propheta: Vae vobis filii desertores, habuistis consilium et non per me, fecistis conventionem et non per Spiritum meum.* Nicol. de Clemangis in disput. de concil.: *Non est putandum, carnales filios ecclesiae, qui temporalia quaerunt, spiritualia non curant, concilia agitant, ut ipsi in otio vivant, hos in Christi nomine congregari.* Breviter: Qui non sunt Christi, non congregantur in nomine Christi. At qui non audiunt vocem Christi, illi non sunt Christi Joh. 10, v. 27. Ergo qui non audiunt vocem Christi, non congregantur in nomine Christi. Jam vero res ipsa testatur, patres Tridentinos non Christi vocem in Scripturis sonantem, sed pontificis Romani sententiam decretorum suorum normam habuisse.** Bellarminus lib. 1. de concil. cap. 21. §. Quarta conditio etc.: *Conditionem hanc protestantes exigunt, ut in conciliis ex Scriptura divina sententiae ferantur, non ex traditionibus aut canonibus. Respondeo, est conditio iniqua, quia non debent semel definita in dubium revocari, constat autem, in generali synodo septima definitum esse, traditiones non scriptas recipiendas esse.* Postea subjicit: *Quamvis conditio haec iniqua sit, possit tamen admitti, donec iterum in synodo legitime non esset definitum, eas recipiendas esse pro verbo Dei. Hinc enim est, quod concilium Tridentinum antequam ad alia progrederetur, definivit, Scripturas et traditiones pro verbo Dei recipiendas.* (Quam conditionem ante concilii Tridentini decretum admitti posse concedit, eandem quoque post illud concilium admitti etiam debere contendimus. Ratio pendet ex perfectione Scripturae propriis Pontificiorum testimoniis confirmata.)**

205. Petierunt concilium *liberum.* Atqui Tridentinum concilium non fuit liberum. XIV. 62. In concilio libero vota debent esse libera, id vero in Tridentino conventu non fuit permissum. Probo hoc 1. *ex querela regis Galliae* in eodem publice audita. In oratione synodica Tridenti 4. sept. ann. 1562. sess. 4. coram patribus nomine regis Galliae recitata haec habentur: *Nostra patrumque nostrorum et avorum memoria synodos indictas fuisse, episcopos convenisse, maximos in Germania atque Italia conventus peractos scimus, vix tamen ullus aut perexiguus inde fructus Christianitati constitit. Nolo subtilius in causas inquirere, nolo rumores ventosque colligere, hoc praetermittere certe non possum, quod vereor, ne nimis ad rem pertineat, quod minus legitima minusve libera fuisse dicuntur illa concilia. Qui aderant, ad voluntatem alterius semper alloquebantur, aut potius annuerunt, qua re nulla in judiciis perniciosior nullave capitalior esse potest.* At quae sunt sunt illa concilia nostra ac patrum memoria indicta nisi initia Trident. ann. 1546. et 1551. facta? Flacius de diss. pontif. p. 186. 2. *Ex formula juramenti,* quo cardinales, episcopi et praelati, quibus solis in concilio vox decisiva relinquitur, pontifici sunt adstricti. Exstant tres illius juramenti formulae, prima habetur in decretalibus c. Ego de jurejur.; altera exstat in pontificali, ubi de ordinatione episcopi agitur; tertiam secretarius Pauli IV. in act. 3. in concil. decret. arm. imperf. 90. Romae exstare dicit, quae reliquis et arctior et auctior est, in ea enim his juratur verbis: *Papatum Romanum et regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem; jura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae ecclesiae, domini nostri papae et successorum ejus conservare, defendere, augere et promovere curabo. Regulas sanctorum patrum, decreta, ordinationes, sententias,*

dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab omnibus observari. Haereticos, schismaticos et rebelles domino nostro papae pro posse persequar et impugnabo. Id juramentum cum non fuerit patribus concilii Tridentini relaxatum, ecquis credat, ipsos vel minima quadam in re contra pontificem quidquam decreturos? In paralipomenis chronici Urspergensis recitatur dictum Aeneae Sylvii (postea Pii II. pontificis Romani), quodsi *episcopus papae contradicat, etiam vera loquendo, nihilominus contra juramentum pontifici praestitum peccet.* Quomodo igitur ab illis papae mancipiis ecclesiae reformatio et errorum redargutio exspectari potuit? 3. *Ex praxi ipsa,* cujus testem *αὐτόπτην* producimus Vergerium, qui in epist. ad regem Poloniae sic scribit p. 119: *Ego nullam aliam ob causam fui ex illa synagoga rejectus, nisi quia cum in Germania, ut duorum paparum internuntius aliquandiu fuissem et causam hanc utcunque intelligerem, suspicio erat, me rem totam probe nosse et ejus ingenii esse, ut facile sinerem mihi a nonnullis episcopis persuaderi, ut contra papam voce praeirem et veluti viam sternerem, ac duntaxat propter istam suspicionem ejiciebar. Excludebatur post me alius quoque, nempe Jacobus Nachiantes Fossae Clodiae sive Clugiensis episcopus. Cum enim legeretur decretum tertiae sessionis, pie et summa modestia dixit, sibi dura videri verba, mutuata scilicet* ex c. ecclesiasticarum etc. dist. 11. *in quibus dicebatur, eodem pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac venerandas esse traditiones, qua ipsummet evangelium, nihil enim esse, quod cum evangelio conferri ullo*
XIV. 63. *modo possit. At duntaxat propter hoc effatum jussus est a legatis Tridento discedere et Romam petere, si forte papa vellet illi ignoscere, quod tam temerarius fuisset, qui decreto ab ipsomet papa Romae condito ausus fuisset contradicere.* Ibidem p. 122: *Nullum decretum, nullus canon fuit in sessionibus concilii Tridentini lectus, qui Roma missus non fuerit, cogebantur vero miserrimae illae creaturae mox, ubi illud audiissent recitari, annuere mitrato capite et demisse pronuntiare: Placet, tametsi sentirent, vulnerari suam conscientiam, vel quod aliquando non intelligerent, quid id esset, quod approbaret, nam plerique eorum erant valde rudes ac indocti, vel quod non ignorarent, esse contra verbum Dei, saltem aliqui.* Et postea: *Exstat non modo Leonis X. diploma aut bulla edita 17. cal. Iun. ann. 1520. sed etiam Julii III. qui nec episcopos, nec cardinales excepit, imo nominatim comprehendit, quibus gravissima poena interdixit, ne nostrorum libros legerent. Johanni Morono cardinali tituli S. Laurentii in Lucina Mutinensium episcopo, concilii legato, criminis loco inter alia accusationis capita objectum fuit, quod haereticorum libros legerit, quomodo igitur de incognitis judicare et libera suffragia proferre poterunt?* Secretarius Pauli IV. act. 2. de conc. Trid. f. 93: *Tridenti inquiunt Protestantes, nunquam potuimus obtinere, praesertim Brentius, ut vel semel in eum locum admitteretur, ubi saltem monarchi disputabant, tantum abest, ut consessum mitratorum videre aliquando potuerit.* p. 98: *Ajunt, se observasse, quia semper habuere Tridenti suos exploratores, indoctos quosdam ac rudes episcopos et praelatos in sessiones ingredi solitos fuisse, qui tales erant in summa, ut vix potuerint tria verba Latine pronuntiare; item observasse, quodsi quis fuisset mediocri aliqua eruditione ornatus et vel uno verbulo ausus fuisset his, quae a legatis mandato papae proponerentur, contradicere, is continue ejiciebatur, atque inter hos episcopum Fossae Clodiae nominant.* Cardinalis Moronus in carcerem est conjectus et inter capita accusationis a procuratore fisci contra eum instituta etiam illud habetur, *quod libros Lutheranos legerit,* quomodo autem potuerunt illi praelati esse judices, cum acta causae legere ipsis sit prohibitum? **Melchior Canus libro 12. loc. theol. c. 12. p. 412: *Cornelius Bitontinus episcopus in concilio Tridentino dixerat, Christum in coena non suum sanguinem et corpus obtulisse, a patribus explosus est. Dominicus Wilhelmus Venetus cum diceret in concilio Basileensi decretum esse,* concilium esse supra papam, *ex concilio pulsus est,* Balaeus f. 423. Jacob. Nachiantes Clodiae Fossae episcopus cum diceret, *se non probare decretum, quo statuebatur, traditiones esse cum verbo scripto ejusdem auctoritatis, per Marcellum ex concilio pulsus est,* Balaeus f. 422. *Cum quidam episcopus diceret, sibi absurdum videri,* Deum vocari sanctum, papam vero sanctissimum, *vocatus est a papa Romam et episcopatu privatus,* Balaeus fol. 423. Confer Wolffium tom. 2. p. 140.** Marcellus Cervinus cardinalis cum a pontifice ad concilium mitteretur, mandatum ab ipso accepit, *ne quid omnino pateretur in concilio constitui, quod contra majestatem Romanae sedis esset, verum exstirparet potius ejusmodi personas, quae tale quid suaderent.* Unde cum quidam Wilhelmus ordinis S. Dominici in concilio dixisset, Constantiense *concilium fuisse supra papam,* Cervinus eum continuo jussit ex concilio excedere, Wolffius cent. 16. memorab. pag. 140. **Cum decrètum 2. sess. 6. de beneficiis ecclesiasticis et de residentia, ut vocant, a quibusdam episcopis, Hispanis praesertim, urgeretur vehementius et res eo spectaret, ut major concilii pars approbatura videretur episporum et ceterorum antistitum, quibus populi pascendi cura commendata esset, residentiam, ut praesentes essent semper ipsi nec alios substituerent, ac ne adversus eam constitutionem ulla valeret dispensatio pontificis, neque in unam personam plura conferrentur beneficia ecclesiastica, cui decreto plerique etiam per Galliam parebant Francisco rege id approbante, pontifex Paulus III. odoratus id quod agebatur in concilio, tractationem hujus decreti sex totis mensibus suspendit et interea episcopos ad quadraginta passim ex Apulia et Sicilia col-

legit, quos privatim de hoc decreto edoctos Tridentum postea misit cum Genuensium vicario. Atque ita suffragiorum numero et clamoribus facile per hos, quod voluit, in synodo obtinuit, ut decerneretur, unum esse episcopum re ipsa, nempe pontificem Romanum, cujus ceteri omnes mancipia quasi sint et creaturae, quosque is pro suo arbitrio libere sibi adjungere possit, nec decere, ut hi pontifici modum rerum gerendarum ulla ex parte praescribant. Hac ratione exauctoratum fuisse salutare illud de residentia decretum, legati principum et statuum, qui concilio interfuerant, ubi domum rediere ad suos, publice editis hac de re scriptis retulerunt. Causae recus. concil. Trid. f. 324.** *4. Ex liberi concilii natura.* In concilio libero errores et abusus, qui in
V. 64. ecclesiam irrepserunt, libere possunt ac debent argui. Quodsi ergo liberum fuisset concilium Tridentinum, Protestantibus danda fuisset potestas libere et absque metu reprehendere et demonstrare errores, simoniam, tyrannidem et alia delicta pontificis. At pontifex judicis officium sibi arrogabat, quin et jam ante Protestantes ut haereticos condemnaverat sibique potestatem in propria causa judicandi ipso facto vendicaverat contra dispositionem juris etiam canonici c. Si papa etc. dist. 40. In concilio libero non solum episcopis et clericis, sed etiam laicis dandus est locus, causa enim fidei communis est et ad omnes pertinet Christianos. Sed in concilio Tridentino praelatis Pontificiis duntaxat partes consultandi ac decidendi datae. In concilio libero omnia libere et absque praejudicio peragi debent. Atqui Protestantes gravissimis praejudiciis jamdum ante concilium erant gravati, lata enim erat sententia contra ipsos a Leone X. quae a Paulo III. et IV. etiam confirmata, quin imo idem Paulus III. aliquoties per literas Carolum V. gravissime objurgaverat, quod cum Protestantibus communionem haberet.

206. 3. Petierunt concilium *generale et oecumenicum.* Atqui Tridentinum concilium non fuit oecumenicum. Admissi sunt ad illud pauci quidam episcopi Itali, Hispani, Germani arctissimis juramentis pontifici adstricti exclusis reliquis nationibus Christianam religionem amplectentibus, Anglia, Scotia, Dania, Suecia etc. Italicae nationis erant fere ducenti praesules, ex aliis omnibus nationibus non centum, unde Claud. Espencaeus in comm. Tit. 1. ex Ludovico Arelatensi conqueritur, *in conciliis id demum fieri, quod nationi placeat Italicae, quippe quae nationes alias numero episcoporum superat. Et haec,* inquit, *est illa Helena, quae nuper Tridenti obtinuit.* Vide colloq. Rainoldi cum Harto. p. 397. Rex Galliae concilium illud in ἐπιγραφῇ literarum ad patres Tridentinos exaratarum et per abbatem Losanum oratorem suum oblatarum vocat *conventum* et in ipsis literis inter cetera postulat, *ne sibi gravissimis bellorum motibus implicato necesse sit Tridentum legatos mittere suae ditionis episcopos, quippe quibus nec liber, nec tutus pateret accessus, neve id ipsum concilium, a quo excluderetur invitissimus, generale totius ecclesiae aut habeatur, aut appelletur, quin potius privatum existimetur concilium, quod videatur illud quaesitum et expetitum non formandae restituendaeque disciplinae nec sectarum comprimendarum studio, sed quibusdam obsequendi, quorum privatae utilitatis magis quam publicae ratio inita esse videatur.* Vide in comment. bullae Pontificiae Julii III. *Abutitur pontifex verbo universale, non enim est dicendum universale concilium, cui nec Henricus Galliarum, nec Eduardus Angliae, nec Sigismundus Poloniae, nec alii quidam reges, nec alii quidam principes, neque aliae quaedam provinciae consenserint, quemadmodum vere non consentiunt et prudentissime agunt.*

207. 4. Petierunt, consilium institui *in Germania, in loco commodo ac tuto.* At nec hae conditiones Tridentino concilio competunt. 1. Tridentum a cosmographis inter Italiae urbes refertur et nativa, communis usitatissimaque ibidem est lingua Italica, repertis paucissimis, qui Germanicam linguam callent. At concilium petitum et promissum in Germania erat celebrandum, tum quia *locus semel deputatus concilio mutari non debet*, ut ait Petrus Ancoranus; tum quia aequum est, ut ibi instituatur concilium, ubi ortum dissidium, ut ibi paretur reme- XIV. 65.
dium, ubi morbus habuit exordium, quod primitivae ecclesiae exempla comprobant; tum denique, quia in Germania locus commodus haberi potest, aliqua scilicet ex liberis et imperialibus civitatibus. 2. Tridentum non erat locus commodus, tum ratione *magnitudinis*, quia non est capax generalis ejusmodi congregationis; tum ratione situs, quia nimis remotus est evangelicis praesertim statibus, quibus a suis ditionibus tam longe abire eo praesertim tempore non erat integrum. 3. Tridentum non erat locus securus, neque enim est libera imperii civitas, sed paret episcopo Tridentino, qui non modo ut episcopus peculiari juramento pontifici erat obstrictus, sed etiam ut cardinalis pontifici proximus a latere erat ejusque frater. Deinde excommunicatio principum protestantium Tridenti pro rata habebatur. Praeterea Pontificii ibidem viribus praevalebant. Abbas Panormitanus canonista percelebris in tract. de concil. Basiliens. quod papa Eugenius e Germania Ferrariam transferre cogitabat, aperte scribit, *quod etiamsi illud concilium in principio Ferrariae fuisset institutum, tamen optimo jure inde in Germaniam transferri et potuisset et debuisset, eo quod Eugenius ibi potentia valeat et vicinorum favorem et auxilium habeat.* Id ipsum nos de Tridentino dicimus. Denique concilium illud non erat securum *ratione citantis*, indictum enim erat a pontifice; jam vero canonistae proponunt hanc cautelam: *Ex eo solo, quod citans citatum odit, citatus pronuntiatur non tutus, et citatio pro nulla habetur, etiamsi de ea non excipiat vel appellet.*

208. Ex his facile apparet, quid ad contraria argumenta respondendum sit. *1. Pax data est*, inquiunt, *sub conditione concilii generalis*, sed ipse pacificationis tenor testatur contrarium. *2. Ferdi-*

nandus imperator vocavit status evangelicos ad concilium. Respondemus: Bulla indictionis ex curia Romana erat allata ideoque merito suspecta. *3. Formula pacificationis requirit, ut exclusa diffidentia pars utraque Christianam caritatem sectetur. Sed Protestantes contra datam fidem Pontificiis diffidunt, quando hoc nomine concilium recusant, quia suspicantur, pontifici propositam fuisse veritatis oppressionem.* Respondemus: Romanus pontifex inter status imperii, ad quos pacificatoria formula pertinet, nequaquam habet locum. In praefatione libri, qui recusati concilii causas continet, Protestantes mentem suam clarissime exposuerunt, quod de reliquis imperii statibus optima quaeque sperent sibique persuadeant. *4. Datus fuit Protestantibus salvus conductus.* Respondemus: Illi vero tuto non potuerunt fidere, tum quia in concilio Constantiensi pontifex decrevit, *haereticis non esse fidem servandam*, jam vero Protestantes a pontifice habebantur pro haereticis; tum quia exemplum Johannis Hussi testatum facit, pontifices etiam contra literas salvi conductus agere; tum denique, quia, ut canonistae loquuntur, nemo obligatus est inimicorum suorum, praesertim capitalium, tutelae vel libellis salvi conductus fidere, cum libelli non mutent animum et *parva sit securitas, quae membranae est inscripta.* Secretarius pontificis Pauli IV. in action. fol. 21. late probat, in forma salvi conductus singulari concilio omissa esse quaedam verba, quae in Basiliensi salvo conductu, ex quo illa formula est petita, fuerunt addita.

7. An fides haereticis servanda? XIV. 66. 209. Quaeritur 7. *An fides diversae religioni addictis hominibus, adeoque etiam haereticis data sit servanda?* Negant rigidiores Pontificii, ut appa-ret ex ipsorum tum verbis, tum factis. Cardinalis Hosius ad reg. Polon. epist. 197. 202. 210. scribit, *quod licet rex juramento obligatus sit Poloniae ordinibus, aeque se defensurum Catholicos et haereticos, tamen nulla ratione ipsum teneri ad praestandum, quod promiserit.* Conrad. Brunus de haereticis lib. 3. cap. 15. p. 305. late disputat. *pacificationes cum diversae religionis hominibus initas esse irritas, quia cum hujusmodi haereticis Catholico nulla pax esse possit, ut illi offendi et conteri non possint,* atque addit, *tanto magis horrendam et abominandam esse pactionem, quae ita inita est, ut fractae pacis teneatur Catholicus contraveniens, quod fractio pacis nulla possit eos offendere, cum quibus nulla communio est, quosque leges banno etiam imperiali subjiciunt et impune offendendos offerunt, quos omnia divina et humana jura exstinctos volunt.* Simanca episcopus Pacensis de cath. inst. c. 46. n. 52. scribit, *nullo, nullo, nullo modo fidem haereticis servandam esse, etiamsi juramento firmata sit. Saepe id monitum,* inquit, *necesse est tamen incessabiliter iterare et tamdiu non tacere, quamdiu pacis istius nomen obtenditur.* Ibid. *ad poenam et odium haereticorum hoc pertinere* dicit, *quod fides illis data servanda non sit, non obstante juramento.* Atqui ita decreverunt patres concilii Constantiensis sess. 19. ubi sic loquuntur: *Praesens sancta synodus ex quovis salvo conductu per imperatorem, reges et alios seculi principes haereticis vel de haeresi diffamatis concesso nullum fidei catholicae vel jurisdictioni ecclesiasticae praejudicium* XIV. *generari vel impedimentum praestari posse seu debere declarat, quominus dicto salvo conductu non obstante liceat judici competenti et ecclesiastico de hujusmodi personarum erroribus inquirere et alias contra eos debite procedere eosdemque punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu confisi ad locum venerint judicii alias non venturi, nec sic promittentem cum fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* Inde quamvis Sigismundus imperator Ladislao Bohemiae regi XIV. fidem dedisset, Johannem Hussum et Hieronymum Pragensem salvos et incolumes domum reversuros, nihilo tamen minus concilium haereseos ipsos damnavit et igni adjudicavit. Imperator quidem *nec fidem regi datam, nec publicam securitatem violari fas esse* judicabat, sed hunc illi scrupulum exemerunt Nicolaus abbas Panormitanus et Ludovicus Romanus canonistae. Inde Jesuitae Trevirenses in lib. de concert. eccles. ann. 1583. edit. pag. 45. Sigismundum Romanum imperatorem, qui fidem datam Johanni Husso non servaverat, sic excusant: *Hussus securitatem ab imperatore Sigismundo petiit, imperator obsignavit, sed Christianus orbis* (concilii Constantiensis patres) *major caesare resignavit.* Pontifex quando imperatorem, reges, principes fulmine excommunicationis ferit, eadem opera in bullis excommunicatoriis subditos ipsorum a juramento fidelitatis absolvit, et fidem ipsis datam violari permittit, quin et regum ac subditorum fundos et bona in praedam omnibus proponit, adeo ut sine ulla alia belli denuntiatione, aut insidiis, aut aperto Marte liceat cuivis illos persequi, capere vel etiam trucidare, eadem opera regum liberos jure successionis privat ac infames etiam pronuntiat, nobiles et subditos ad arma in principes concitat, omnibus nationibus cum excommunicatis commercia interdicit, aliorum regum et populorum cum illis foedera irrita pronuntiat, excommunicatos denique sepultura Christiana privat, ut ex bulla Pauli III. in Henricum Angliae regem et Sixti V. in Henricum regem Navarrenum liquido apparet. Meros igitur fumos vendit Becanus Jesuita, quando in libro de fide haereticis servanda probare conatur, Pontificios fidem haereticis datam servandam esse statuere. Transponit enim duntaxat quaestionis statum et re ipsa idem cum reliquis Pontificiis affirmat. Statuit, *libertatem religionis esse illicitam, legi divinae repugnantem, reipublicae perniciosam, non debere praecipi, approbari aut introduci ab ullo principe.* Subsume ex eodem Becano: *Pacta et promissa, quae non sunt licita et honesta, ea non sunt servanda,* et eadem sequetur conclusio, quae est aliorum Pontificiorum. Jesuitae ex Bohemia ejecti in sua apologia *illicite datam fidem* putant, *quando a superiore magistratu* (papa scilicet Romano) *non est*

data. Subsumo: In pacificatione Passaviensi Evangelicis fides non est data nec confirmata a pontifice Romano. Ergo ex hypothesi Jesuitarum illicite data erit et per consequens non est servanda. Opponimus vero illis fidei ac foederum fractoribus 1. *jus divinum*, quod fidem etiam hosti datam inviolatam servari mandat. Cum enim talia pacta ac promissa juramentis confirmari soleant, utique si eadem violantur, sanctissimum Dei nomen blasphematur et perjurii crimen committitur, Exod. 20, v. 7. Rom. 3, v. 24. etc. 2. *Jus gentium*, quod fidem, catenam
69. illam auream, quae de coelo demissa totam hominum societatem continet, nefarie rumpi vetat, infirmatis enim violatisque pactis omnis commerciorum usus inter homines tollitur; fides justitiae, justitia reipublicae est fundamentum. 3. *Infelicem fractae fidei exitum.* Constat enim exemplis quamplurimis, violatores fidei etiam hostibus datae divinitus punitos esse. Cum *Saul* datam Gibeonitis fidem nefarie violasset, triennali fame et septem liberorum Saulis supplicio perfidia illa fuit violata 2. Sam. 21, v. 1. et 6. *Sedecias* propter violatam fidem Nabuchodonosori datam in captivitatem Babylonicam fuit adductus Ezech. 17, v. 19. *Moabitae* datam regi Israëlitico fidem frangentes in praelio cadunt 2. Reg. 3, v. 5. et 24. *Osee* rex Israël ab Assyriorum rege deficiens et fidem datam violans bello capitur et in captivitatem adducitur 2. Reg. 17, v. 4. Cum rex *Antiochus* foedus iniisset cum Judaeis illudque postea fregisset 1. Maccab. 6, v. 60. mox ipse cum suis a Demetrio trucidatur cap. 7, v. 2. *Vladislao* Ungariae regi pontifex Eugenius et cardinalis Julianus auctores fuere, ut decennii inducias cum Amurathe II. Turcarum rege initas bello eidem illato violaret et fidem datam frangeret. Cum ad arma utrinque ventum esset ac ferocibus animis pugnaretur, inclinari et in fugam verti acies Turcica coepit. Hoc cum paene fractus desperatione Amurathes conspicatus esset in Christianorum exercitu imaginem crucifixi Jesu, alta voce inclamavit: *Crucifixe, si Deus es, vendica perfidiam populi tui, qui jusjurandum nomine tuo datum tam scelerate violat.* Mox commutata fortuna exercitus Christianorum caesus est, rex ipse in pugna equo dejectus, obtruncatus et Julianus a latrunculis in fuga necatus. Jovius in Amurathe. Bonfinius l. 6. de rebus Ungaricis cap. 3. de Amurathe refert, quod literas illas, quibus pax descripta erat, sub dio expandens usus fuerit verbis: *En crucifixe literas populi tui, quibus foedus pacis, quod perfide violant, mecum inierunt, quodsi vere Deus es, vendica illorum perfidiam.* Dresserus in libro de pontificum per Germaniam insidiis recitata hac historia subjungit: *Documentum hac ratione statutum fuit omnibus posteris memorabile, quod velut e sublimi concionaretur ac contra pontificium canonem testaretur, reges ac principes non solum domesticis fidei, sed etiam hostibus datam fidem servare debere. Quorsum igitur*, inquit, *detestandum illud pontificium evadet elogium, quod haereticis fidem omnem datam abnegat?* Patres Romani cardinalem S. Juliani legatum in Pannoniam miserunt, ut *Johanni Hunyadi* significaret, foedus cum Turcis contractum violandum esse ac bellum renovandum, quae res cum Hunyadi absurda videretur et reipublicae exitiosa, tamdiu restitit, quoad concilii decreto a sententia discedere coactus fuit, quod decretum eventus ostendit immortali Deo minime placuisse, cum legatus ille cum innumerabilibus Christianorum copiis caesus est. Levenclajus in pandectis Turc. suscitabulum principum parte 1. cap. 11. p. 112. Imperatori *Sigismundo* concilii Constantiensis patres auctores fuerunt, ut Hussum et Hieronymum contra datam fidem ignibus subjectis ustulari juberet, sed ex eo horrendae distractiones, ingentia bella et clades passim sunt exortae. Ejusmodi exempla punitae perfidiae plura recenset Jacob. Schalthes quaestione, *An princeps Catholicus datam haeretico fidem servare teneatur?* num. 207. 4. *Contraria probatae fidei exempla.* Quemadmodum Deus fidem populo suo datam servavit, licet is haeresi, idololatria et nefaria defectione peccaret, Psalm. 89, v. 34. Ezech. 16, v. 60. Jerem. 2, v. 20. etc. sic pii reges et principes fidem etiam haereticis datam servandam censuerunt. Jacobus *cum Labano* idololatra foedus init Gen. 31, v. 48. a quo recessisse nuspiam legitur. *Josua* Israëlitici populi dux fidem Gabaonitis datam, licet fraude impetrata esset ipsique ad gentes exitio devotas pertinerent, violare noluit Jos. 9, v. v. 19. *Juravimus illis*, inquit, *in nomine Domini Dei Israël, et idcirco non possumus eos contingere. Carolus V.* imperator laudatissimus fidem Luthero, quem pro haeretico habebat, publico imperii nomine datam sancte servavit eun- XIV. 70.
demque ex Wormatiensi conventu salvum et incolumem dimisit. Quamvis enim Eccius et alia quaedam flabella contenderent, eodem jure quo in Hussum et Hieronymum Pragensem animadversum fuerat, etiam in Lutherum animadverti debere, nemo tamen in comitiis fuit, qui Eccii sententiam non exsecraretur. Sleidanus libro 3. 5. *Rationem manifestam.* Inter quos datur juris communio, inter eos contrahitur obligatio, l. quod attinet 32. ff. de reg. jur. l. naturaliter 13. ff. de condict. indeb. Sed inter haereticos et orthodoxos datur juris communio. Ergo inter eos contrahitur obligatio, et per consequens data fides mutuo est servanda. Si fidem infideli et haeretico datam frangere fas est, eandem dare nefas fuit. Si vero fidem dare jus est, utique etiam datam servari oportet. Bodinus lib. 5. de republ. cap. 6. Si fides gentilibus data est servanda, utique etiam haereticis servanda erit. Sed verum prius. Ergo etc. Virtutes, ex quibus obligatio servandae fidei oritur, puta veritas, fidelitas, justitia ubique nos obligant. Ergo fides data ubique servanda. 6. *Legis, quae fidem haeretico datam frangi permittat, defectum.* Multa sunt tum decretis pontificum, tum Romanis imperialibus statutae contra haereticos poenae, sed nullo jure vel constitutione haec poena introducta est, quod fides ipsis promissa non sit servanda. Vide Tiberium Decianum lib. 5. tract. crim. c. 40.

et seqq. Hisce et aliis argumentis permoti Menochius cons. 100. ac Prosper Farinaceus in pract. crim. tit. de carceribus et carceratis q. 29. nostram sequuntur et probant sententiam.

8. An magistratus juramentum religionis exigere possit.

210. Quaeritur 8. *An magistratus juramentum religionis a subditis, praesertim ab iis, qui in publicis officiis constituti sunt, exigere possit.*** Commentator literarum Hoë ad comitem Schlick ex eo evincere studet, *jugum Lutheranum non esse mitius Pontificio* Hoë in conc. 7. epist. Gal. pag. 99. et seqq. illud juramentum confirmat, quia concernit 1. Dei gloriam, 2. Dei mandatum, 3. hominum salutem, 4. totius alicujus provinciae incolumitatem**. Calviniani eo nomine principes nostros scoptice irrident. Sed opponimus illis *1. Moysis et piorum regum in populo Israëlitico auctoritatem* Deuter. 29, v. 10. et seqq. ubi Moyse auctore ac suasore populus Deo obedientiam pollicetur et in doctrinam coelestem ac capita foederis sibi tradita religiose jurando compromittit. Jos. 24, v. 25. foedus illud solenniter repetitur. 2. Paral. 15, v. 14. *Asa* rex Juda populum ad verum Dei cultum reducturus *adjurat eum*, ut quaerat Deum. Idem de *Jojada* summo sacerdote 2. Reg. 11, v. 17. 2. Paral. 23, v. 16. et *Nehemia* Neh. 10, v. 29. commemoratur. *2. Juramenti hujus conditionem et qualitatem.* Cujus actionis causae omnes sunt bonae ac legitimae, illa non potest esse illicita vel illegitima. Sed hujus actionis causae omnes sunt bonae. *Efficiens est* magistratus, qui habet potestatem exi-
XIV. 71. gendi juramentum; *materia* est sinceritas religionis, quam jurans se amplecti inque ea perseveraturum confirmat; *forma* est religiosa divini Numinis invocatio; *finis*, ut Dei gloria promoveatur et ecclesiae tranquillitas conservetur protractis in lucem illis, qui erroneas opiniones occulte fovent easque in ecclesia disseminandi occasiones exspectant. *3. Rationis paritatem.* Si apostolus Paulus adjurare potuit Thessalonicenses, ut epistolam *a se scriptam communicarent sanctis fratribus* 1. Thess. 5, v. 27. ut in veritatis cognitione ex ejus lectione confirmarentur; utique etiam pius et Christianus magistratus poterit subditos, praesertim in officiis publicis constitutos, ad amplectendam et conservandam divini cultus sinceritatem jurisjurandi religione obstringere. *4. Juramenti hujus utilitatem.* Protrahuntur hac ratione e latibulis suis vulpeculae devastationem vineae Dominicae molientes, frenum injicitur turbonibus, ut poenas perjuris constitutas metuentes a dissidiis excitandis, erroribus spargendis et turbando ecclesiae statu abstineant, sicque fidei et ecclesiae unitas studiose conservatur etc.

9. An magistratus vicinorum populorum religionis causa pressorum curam gerere debeat.

211. Quaeritur 9. *An pius et Christianus magistratus vicinorum populorum ob verae religionis professionem ab ordinario suo magistratu pressorum curam aliquam gerere debeat?* Quidam hujus rei curam esse quandam *ἀλλοτριοεπισκοπὴν* existimant, sufficere enim arbitrantur, si de suis duntaxat subditis solicitus sit magistratus, ut illi in vera religione informentur. Sed opponimus iliis 1. *dictum propheticum* Amos 6, v. 6: *Bibentes vinum in phialis et optimo unguento delibuti et nihil patiebantur super contritione Joseph*, ubi taxantur principes, qui secure indulgent genio ac parum pensi habent, quis sit ecclesiae status, allusio est ad historiam Gen. 37, v. 25. ubi fratres Josephi dicuntur *consedisse ad convivandum*, cum Josephum multis lacrymis frustra deprecantem in foveam conjecissent, isque interim fame torqueretur. *2. Regum Israëliticorum exemplum.* Ezechias rex Juda celebraturus phase literas scribit non solum ad subditos regni Juda, sed etiam ad Ephraim et Manassen, *ut venirent Hierosolymam* ad festi hujus celebrationem 2. Paral. 30, v. 1. Quamvis enim in eas tribus, quae regi Israëlis parebant, nullum haberet imperium, tamen invitandas ac hortandas eas esse censuit ad festi celebrationem, quod ab omnibus omnino Israëlitis divino mandato erat celebrandum. Sane plerique in regno Israël irridebant ac *subsannabant cursores* literas illas regias de civitate in civitatem per terram Ephraim et Manasse usque ad Zabulon deferentes v. 10. interim quorundam ex tribu Aser, Manasse et Zabulon corda Deus excitavit, ut Hierosolymam celebrandi festi ergo adscenderent v. 11. quo rite peracto *egressus est omnis Israël, qui inventus fuerat in urbibus Juda, et fregerunt simulacra, succiderunt lucos, demoliti sunt excelsa et altaria destruxerunt, non solum de universo Juda ac Benjamin, sed et de Ephraim quoque ac Manasse, donec penitus everterent*, 2. Paral. 31, v. 1. Quamvis vero heroicum illud factum, quod subditi Ezechiae regis ejusdem mandato una cum reliquis Israëlitis sine consensu regis Oseae adeoque in alieno territorio idola exturbarent, in specie non sit temere imitandum, tamen generalis doctrina recte ex eo colligitur, quod pius magistratus solicitus esse debeat, ut vicini quoque populi a cultu idololatrico abducti verae ecclesiae associentur, vel ob veritatis confessionem a magistratu suo ordinario pressi liberationem ac levamen aliquod experiantur. *3. Christianae caritatis officium.* Ecclesia est corpus aliquod mysticum, cujus membra singula fidei et caritatis vinculo sunt conjuncta, *patiente igitur uno membro compatiuntur eidem membra reliqua* 1. Cor. 12, v. 26. Proinde si pius et Christianus magistratus animadvertit, vicinos populos fidei et religionis unitate sibi ac subditis suis conjunctos ob veritatis confessionem premi et in angustias redigi, sincero dolore ac *συμπαθείᾳ* afficitur ac modis omnibus laborat, ut auxilium et XIV.
subsidium modis mediisque licitis ipsis praestari possit. Talia vero media praeter cetera, quae cum reliquis etiam privatis personis magistratus habet communia, quae sunt *preces*, *consolationes*, *exhortationes* etc. animadvertuntur potissimum duo, *fidelis* scilicet *intercessio* ac *legitima defensio.* Potest omnino ac debet Christianus magistratus pro vicinis populis propter veritatis confessionem pressis apud ordinarium ipsorum magistratum intercedere, ut de severitate aliquid remittatur ac liberum verae religionis exercitium ipsis concedatur. Anno 1541.

menſe Majo *Proteſtantium ordines ad Franciſcum I. Galliae regem* miſſis Ratisbona literis pro iis, qui per Galliam ob doctrinae profeſſionem partim erant in vinculis, partim in exsilio, partim in latibulis aerumnoſam vitam agebant, intercesserunt, et quia nonnulli recipiebantur in gratiam, si doctrinam abjurarent, hanc ejus conditionem remitti petierunt et quam grave sit vulnerare conscientiam ostenderunt. Sleidanus libr. 13. comment. p. 381. Anno 1584. *Saxoniae elector Auguſtus* vere Auguſtus apud *Henricum III. Galliae regem* pro Hugonotis intercedit literis 3. Non Febru. ad ipsum exaratis, in quibus inter cetera sic scribit: *Nullum eſt nobis dubium, quin Serenitas Veſtra praeclara illa et ſalutaria ſua edicta, quibus pax Galliae nuper reſtituta fuit, firma et inviolata eſſe velit, ſed metuimus, ne irrequieti homines eo tandem Serenitatem Veſtram invitam redigant, ut ad nutum et imperium Romani praeſulis ea facere et ſtatuere cogatur, quibus et ſalus animarum, et omnes ſubditorum fortunae evertantur.* Anno 1609. *elector Saxoniae Chriſtianus II.* legatos ad *imperatorem Rudolphum* cum literis 21. Aprilis datis misit, qui pro statibus Evangelicis in Bohemia intercederent, ut liberum religionis exercitium ipsis concederetur, id quod singulari Dei gratia favente et imperatoris clementia annuente etiam impetravit. ** Elector Brandeburgicus Johan. Sigismundus, Philippus Ludovicus Palatinus, Henricus Julius dux Brunsuicensis eodem anno 1609. et mense Aprili apud imperatorem Rudolphum pro statibus Evangelicis in Bohemia intercesserunt, ut liberum religionis exercitium ipsis concederetur. ** *Defenſionem* quod attinet, in ea caute procedendum. Quodsi enim mere subditi ob verae religionis confessionem pressi a magistratu suo ordinario defectionem moliantur et arma eidem inferre cogitent, non debet patrocinium illorum alius suscipere et injustam rebellionis causam promovere; at si proceres imperii, qui partem potestatis obtinent, contra magistratum suum ordinarium, qui reciproco juramento in certa quaedam capita praestito ipsis obstrictus est ac nihilominus fidem pacis et securitatis publicae datam violat, se defendere cogitant et vicini magistratus opem implorant, defensio eorum legitime suscipi et auxilia ipsis praestari posse haud immerito videri posset.

m — da — o- — le-

212. Constituta igitur hac ratione in republica vera religione et stabilito sincero divino cultu magistratus in id incumbere debet, ut subditi juxta illius praescriptum pie vivant ac debitum honorem et cultum Deo regum regi ac dominantium domino prompte exhibeant. Prohibeat igitur omnia, quae obedientiae Deo debitae et in prima decalogi tabula requisitae adversantur, utpote *cultus idololatricos, abuſum nominis divini, blaſphemias in Deum, contemtum verbi divini publicum, violationem ſabbathi* etc. ac protervos pietatis contemtores coërceat ac puniat, ut reliqui illorum exemplo territi ab omni impietate, securitate et externa legum divinarum transgressione caveant. Quamvis enim interiorem pietatis cultum et sincerum Dei timorem subditorum animis magistratus suis legibus ac poenis instillare nequeat, cum illud unice sit Spiritus sancti opus, qui per verbi praedicationem et sacramentorum usum in cordibus hominum interius vult esse efficax, duplici tamen ratione subditorum pietatem et primae decalogi tabulae obedientiam pius magistratus promovere et potest et debet. Primo quidem *miniſterium eccleſiaſticum conſtituendo.* Quodsi enim ecclesiasticum ministerium est legitime constitutum ac partibus officii sui rite fungitur, tunc per praedicationem legis et evangelii etiam interior pietas, vera scilicet conversio, Dei timor, vera invocatio etc. in cordibus hominum accenditur. Deinde *externam primae decalogi tabulae tranſgreſſionem prohibendo ac puniendo.* Etenim si ecclesiasticum ministerium officio suo rite ac salutariter fungi debet, necesse est externam disciplinam conservari et quae eam labefactant, legibus ac poenis aboleri. XIV. 73.

MEMBRUM II.

QUOMODO MAGISTRATUS APUD SUBDITOS OBTINERE POSSIT, UT HONESTATEM ET JUSTITIAM COLANT.

Officium magistratus in promovendo apud subditos honestatis et justitiae studio.

213. Diximus superius, bonum illud, quod a magistratu in rempublicam redundat, esse tripartitum, ut colligitur ex loco apostolico 1. Timoth. 2, v. 2. ideoque magistratum in officii erga subditos administratione ad tria potissimum debere respicere, ut subditi vivant εὐσεβῶς, σεμνῶς καὶ ἡσυχῶς, *pie, honeſte ac pacate.* Quare cum prima officii pars subditorum pietatem promovendam spectans hactenus exposita fuerit, restat ut ad alteram, quae honestatem publicam spectat, transitum faciamus. Magistratus divinitus constitutus est *utriusque decalogi tabulae cuſtos*, ideo etiam ad officium ipsius pertinet sedulo curare, ut subditi non solum εὐσεβῶς, *pie*, juxta *primae tabulae* praescriptum, sed etiam σεμνῶς, *honeſte*, juxta *ſecundae tabulae* leges vivant. Salvator noster utrumque asserit, mandatum primum de *dilectione Dei* esse magnum et secundum de *dilectione proximi* primo illi simile esse Matth. 22, v. 39. Mandatum primum de dilectione Dei maximum dicitur tum *ratione objecti*, quia immediate dirigitur ad Deum bonitate optimum, potentia maximum; tum *ratione dignitatis et ordinis*, quia ex dilectione Dei proximi dilectio oritur; tum *ratione finis*, quia omnia praecepta reliqua ad illud referuntur. Mandatum secundum de dilectione proximi primo simile dicitur tum *in genere cultus moralis*, quia utrumque requirit interiorem et spiritualem obedientiam; tum *in genere poenae*, quia utriusque transgressio cum reatu temporalis et aeternae poenae est conjuncta; tum *in obligatione ad obedientiam*, quia ad secun-

dum mandatum non minus quam ad primum obstricti sumus; tum *in cohaerentia*, quia si quis Deum vere diligit, is proximum etiam non potest non diligere. *ἡ δευτέρα ἐντολή ἐστιν ὁμοίως γενικὴ καὶ κεφαλαιώδης καὶ μεγάλη καὶ ὁμοίως ἐπιταχθεῖσα*, dicunt scholia Graeca. Quare cum juxta Salvatoris effatum mandatum secundum, hoc est leges secundae decalogi tabulae sint primo mandato, hoc est legibus primae decalogi tabulae, similes, magistratus officium requiret, ut utriusque tabulae curam et custodiam apud subditos suos promoveat.

214. Obedientia illa subditorum erga utramque decalogi tabulam *εὐσεβείας καὶ σεμνότητος* appellationibus 1. Tim. 2, v. 2. expressa in aliis Scripturae locis etiam aliis vocabulis distinguitur. Luc. 1, v. 75. ut *liberati de manu inimicorum serviamus Deo ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ, in sanctitate et justitia*, ubi *ὁσιότητος* nomine cultus primae tabulae, *δικαιοσύνης* vero appellatione secundae tabulae obedientia intelligi videtur. Tit. 2, v. 12: *Ut abnegata impietate et desideriis secularibus σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς, sobrie, juste et pie vivamus*, ubi *εὐσέβεια* ad primam, *σωφροσύνη* vero *καὶ δικαιοσύνη* secundam decalogi tabulam respicit, debemus enim vivere *εὐσεβῶς* erga Deum, *σωφρόνως* erga nos ipsos, *δικαίως* erga proximum. Quare cum ad secundam decalogi tabulam pertineat *σεμνότητος καὶ δικαιοσύνης*, honestatis et justitiae studium, magistratus ad
XIV. 74. curam et custodiam secundae tabulae sibi demandatam pertinere cogitet, ut subditi honestatem colant et justitiae studeant, sicque publica honestas et justitia in republica vigeat atque floreat. Honestatem apud subditos promovere poterit *legum honestarum statutis*, justitiam vero *judiciis ac suppliciis*. Leges morales secundae tabulae a Deo ipso promulgatas magistratus non solum debet tueri, juxta illarum praescriptum subditos regere et transgressores illarum punire, sed etiam novas quasdam leges politicas ad reipublicae salutem spectantes potest promulgare, quae sint legum divinarum quasi *quaedam appendices* et adminicula, quemadmodum Deus ipse populo Israëlitico, non solum moralem legem in monte Sinai repetivit, sed etiam per Moysen *forenses ac judiciales quasdam leges* proposuit. Versatur igitur officium magistratus in *ordinando*, *judicando* et *vendicando*, competit enim ipsi *leges honestas sancire, juxta earum normam judicia exercere et transgressores poenis afficere*, quo respectu superius c. 5. sect. 1. triplicem potestatem magistratui attribuimus, *νομοθετικήν, δικαστικήν* et *κολαστικήν, legislatoriam, judicatoriam ac punitoriam*. Proinde hujus membri tres distinctos constituemus articulos, quorum primus tractabit de *legibus*, secundus de *judiciis*, tertius de *suppliciis*.

ARTICULUS I.

DE LEGIBUS POLITICIS.

215. Non agimus hoc loco *de lege in genere*, sed Qu. leges rep. sint nec.
de legibus *politicis positivis in specie*, nec de illis, quas vocant *leges regni fundamentales*, quae de modo et requisitis vel successionis vel electionis feruntur, sed de illis, quas magistratus propter bonum publicum subditis suis sancit. Constat enim teste Cicerone libr. 2. de legibus, *ad salutem civium civitatumque incolumitatem vitamque omnium quietam et beatam conditas esse leges*. Antequam vero ad naturam legum politicarum per causas explicandam descendamus, praemittenda est *ἐργασία* quaestionis de legum necessitate, utilitate ac dignitate. Primo ergo omnium hoc loco quaeritur, *an leges positivae in republica sint necessariae?* Videri alicui poterat non esse necessarias, cum apostolus asserat Rom 2, v. 14. *gentes legem non habentes sibi ipsis esse legem*, cumque perfectioni legis divinae moralis et naturalis derogare videatur, si quis positivas leges necessario requiri statuat. Sed rectius dicitur, leges quasdam positivas omnino in republica necessarias esse, quod probatur 1. *a legis naturalis conditione*. Lex naturae generalia duntaxat praecepta continet et in genere tantum praescribit, quid agendum, quid fugiendum, nec descendit ad particularia. Jam vero non omnes eo valent ingenio, ut ex generalibus illis principiis deducere possint, quid in casibus specialibus, qui ob circumstantias plurimum variant, sit statuendum; proinde specialibus quibusdam legibus ex fonte juris naturalis deducendis et ad cujusque reipublicae conditionem accommodandis est opus, ut publicum bonum subditorum promoveatur. *2. A naturae humanae corruptione. Opus legis scriptum quidem est in cordibus omnium hominum* Rom. 2, v. 15. quod *ἔργον νόμου* ad virtutem et *καλοκαγαθίαν* omnes naturaliter inclinat, sed per lapsum protoplastorum atque eum consecutam peccati originalis in omnes homines propagationem notitia illa legis naturalis valde obscurata est, adeo ut affectuum inordinatorum impetus rationem saepe in transversum arripiat; opus igitur est positivis legibus, quibus homines per praemia ad faciendum bonum efficacius permoveantur ac per poenas ad vitandum malum impellantur. Has duas rationes complectitur Plato
l. 9. de legib. *Necesse est*, inquit, *leges hominibus* III
ponere, ut secundum eas vivant. Nam si absque legibus viverent, nihil a feris atrocissimis discreparent, cujus rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita institutum est, ut quae ad publicum humanae vitae commodum conferunt, sufficienter cognoscat, et si agnoverit, ut optimum id, quod novit, semper agere possit ac velit. 3. Ex disciplinarum theoreticarum et practicarum cognatione. Quemadmodum in ratione speculativa ex principiis theoreticis naturaliter notis deducuntur speciales conclusiones in scientiis theoreticis recte formandis et constituendis; sic

in ratione practica ex principiis practicis naturaliter notis deduci oportet speciales quasdam conclusiones in disciplinis practicis recte formandis, quae si modo conveniente ac legitimo deducantur, leges positivae appellantur. 4. *Ex omnium rerumpublicarum inductione.* In qualibet reipublicae *forma legibus definitur legitimum imperium, non autem cujusque imperantis dominatu*, inquit Plato in dial. polit. Nulla dari potest respublica, quae non fuerit legum adminiculis usa ad commune bonum civium promovendum, at si nulla esset legum necessitas, gubernatores rerumpublicarum non fuissent de illis tantopere soliciti. Exemplum reipublicae Romanae, quomodo non potuerit diu carere legibus, vide apud Forsterum in histor. juris lib. 1. c. 6. *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse oportet, ut utrumque tempus et bellorum et pacis recte possit gubernare*, ait Justinianus in praefat. institut. imper. 5. *Ex legum positivarum commendatione.* Leges sunt *res sacrae* l. Leges. Cod. de legibus. Imperator Leo Novell. 19. leges vocat *oculos reipublicae;* idem in praefat. novell.: *Leges sunt tanquam custodes vitae nostrae et medici, dum mala partim ne oriantur ac in communem vitam promanent, impediunt, partim vero quae mala occulta sunt insinuanterque irrepserunt, eorum noxam corrigunt ac velut radicitus vitiositatem evellunt eamque non sinunt corroborari.* Majores nostri legem *animam ac spiritum civitatis dixerunt*, inquit Cassanaeus p. 10. catal. glor. cons. 20. et ex eo Piccol. gradu 10. c. 23. Ut enim *corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus ut nervis ac sanguine et membris uti non potest*, Cicero pro Cluent. Ὁ νόμος τῆς πόλεώς ἐστι ψυχή, ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα στερηθὲν ψυχῆς πίπτει, οὕτως καὶ πόλις μὴ ὄντων νόμων καταλύεται. Non minus cives pro legibus pugnare debent quam pro moenibus civitatis, quod *absque legibus nullo modo civitas incolumis esse possit, absque moenibus possit*, ut Heraclitus Ephesius dixit referente Simanca libro 4. de republ. c. 1. cum quo convenit illud Pomponii Laeti, *leges esse muros et propugnacula otii ac tranquillitatis civilis.* Proinde ut solem e mundo tollere, qui amicitiam ex vita humana tollunt, Ciceroni l. de amic. dicuntur, sic e republica solem, imo animam tollunt, qui leges ex eo sublatas capiunt. *Leges tollere est ipsas respublicas tollere*, inquit Philosophus l. 5. de rep. c. 9. *Sine norma legum directrice opus nullum in republica recte procedit, ut nec architectis sine libella et linea*, Lipsius lib. polit. c. 7. **Lex est regula vitae, fons justitiae et aequitatis, vinculum et anima civitatis, manus et columna imperiorum.** Ex his facile apparet, quid ad argumenta contraria sit respondendum. Leges positivae nihil derogant legis moralis et naturalis perfectioni in se et per se consideratae, sed testantur de naturae humanae corruptione, quae legibus positivis velut medicina quadam ac repagulo indiget. Adde quod leges positivae nihil aliud sint quam rivuli ex fonte juris divini ac naturalis deducti, conclusiones particulares ex universalibus illis principiis formatae. Vide Meisnerum l. 4. de legib. sect. 1. q. 2.

216. Quaeritur 2. *An satius sit homini quam legibus imperium concedere?* 1. Apud Livium l. 2. decad. 2. f. 29. adolescentes aliquot Romani expulso Tarquinio conqueruntur, *regem hominem esse, a quo impetres, ubi jus, ubi injuria opus sit, esse gratiae locum, esse beneficio et irasci et ignoscere posse, inter amicum atque inimicum discrimen nosse; leges vero rem surdam et inexorabilem esse, salubriorem melioremque inopi quam potenti, nihil laxamenti nec veniae habere, si modum excesseris, periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentia vivere.* 2. Thomas Morus in sua republ. itidem causas potius decidendas *arbitrio principis* quam *judicio legum* committi voluit. 3. Praeterea lex non potest omnes praevidere ac determinare circumstantias, loquitur universaliter et in contingentibus ac specialibus saepe deficit; satius igitur videtur optimo magistratui quam optimae legi imperium tribuere. 4. Idem similitudine quadam illustrari potest. *Ut medicus*, juxta Hippocratem, *oculum unum in praecepta artis, alterum in conditionem aegroti dirigit, nec se praescriptis artis suae legibus ac canonibus ita adstringi patitur, quominus ex prudentia quaedam agat; sic magistratus non sit legum servus, sed dominus*, non semper ex legum praescripto, sed quandoque ex suo arbitrio agat ac civium salutem summam legem esse existimet. Contra satius videtur legibus quam homini dominium assignare. *1. Qui legem praeesse jubent, Deum praeesse jubent, qui hominem, quasi bestiae imperium concedunt*, inquit Philosophus lib. 3. pol. c. 11. ratio prioris est, quia *lex est Dei vox*, cum sit ex fundamento legis naturalis et moralis deducta sanctio; ratio posterioris est, quia homo est affectuum servus, odio, amicitia, ira ac misericordia velut quibusdam ventis circumflatus. 2. Solon percunctatus, quo pacto salva esse possit respublica, respondit, *si cives obediant magistratui, magistratus autem legibus.* 3. Facilius invenitur unus prudens ad leges perpetuas ferendas quam multi ad juste pronuntiandum imo variis multorum judiciis conturbatur jus, dum aliud alii justum videtur. 4. Facili negotio contingere potest, ut ad imperii fastigium adscendat improbus, vel in ipso illo imperii fastigio ad improbitatem declinet; quodsi ergo illi imperium in leges conceditur, reipublicae salus periclitatur, unde Plato libro 4. de legibus concludit, *paratum esse illi civitati exitium, in qua non leges magistratui, sed legibus magistratus praesunt.* 5. Jus certum est et *aequabili fronte omnes adspicit.* l. 2. de ju. et fac. ign. ergo ex eo potius quam ex humanis arbitriis, quae moveri gratia, frangi potentia, prece pretiove corrumpi, odio, spe aut metu concuti possunt, magistratus sententiam ferat. 6. Gubernatio per leges potest longissimo tempore eadem perseverare, at judicia hominum saepe mutantur. Distinctionis foedere utraque quaestionis pars concilianda. Et *regi* et *legi* imperium in republica concedendum. *Legi* quidem in illis, in quibus certi aliquid determi-

2. An satius sit homini quam legibus imperium concedere? XIV. 76.

nat, regi vero in iis, in quibus lex deficit, neque certi quidquam definit. Distinguendum etiam inter *legis explicationem et accommodationem ex prudentiae ductu ac monitu, et inter legis transgressionem ex vitiosorum affectuum impetu profectam.* Magistratui dandum est imperium in legem, prudenter explicet et applicet; legi dandum est imperium in magistratum, ne affectuum impetu abreptus eandem transgrediatur.

Causa efficiens principalis legum positivarum est Deus ipse.

217. Ex *necessitate* et *utilitate* legum earundem *dignitas* cognoscitur. Si enim ad reipublicae salutem promovendam non solum utiles, sed etiam necessariae sunt leges, utique etiam dignitatem longe maximam eas obtinere necesse est, quam ostendit ulterius *causa* earundem efficiens, ad quam porro descendimus. Ea vero duplex est. *Principalis et instrumentalis, mediata et immediata.* Causa *efficiens summa* et *principalis* est Deus *unicus ille legislator* Jac. 4, v. 12. a quo omne ad nos descendit bonum, cum ipse unus sit summum bonum. Quamvis enim inter legem moralem, naturalem et positivam hoc discriminis intercedat, quod illae sunt a Deo immediate, quippe quas in prima creatione hominum
XIV. 77. cordibus insculpsit et in monte Sinai solenniter postea repetivit, haec vero mediate, quippe quam per certos *νομοθέτας* in republica sancit ac promulgat; tamen etiam positivarum legum originem principalem et primariam ad Deum auctorem referendam esse sequentibus argumentis constat. Primum ducitur ex *Scripturae dictis.* Prov. 8, v. 15. inquit Sapientia divina: *Per me reges regnant et principes decernunt justitiam* sive justa. Quid vero aliud est justitiam decernere quam justas et salutares leges ferre? Huc pertinent omnia Scripturae dicta, quae *obedientiam* erga magistratum a subditis requirunt. Rom. 13, v. 5. 1. Petr. 2, v. 13. Magistratui enim obedire est magistratus legibus et decretis obedire; qui legibus parere recusat, ipsi quoque magistratui debitam obedientiam derogat. Alterum *ex rationibus*: *1. Ex legislatoris appellatione.* Qui est *unicus legislator*, summus scilicet et principalis, ab eo omnes leges et sic etiam positivae descendunt. Deus est unicus legislator Jac. 4, v. 12. Ergo ab eo omnes leges, et sic etiam positivae descendunt. *2. Ex causarum subordinatione.* Qui est causa causae, est etiam causa causati, in essentiali scilicet ac necessaria causarum subordinatione. Atqui Deus est causa causae, legis scilicet moralis et naturalis, quippe quam protoplastis primitus perfectam implantavit ejusdemque reliquias adhuc mediante nativitate ex parentibus animis hominum inserit. Ergo est etiam causa causati, legum scilicet positivarum, quae ex fonte juris moralis ac naturalis derivantur. *3. Ex potestatis νομοθετικῆς concessione.* A quo potestas *νομοθετικὴ* magistratui data, ab eo etiam leges positivae descendunt. Atqui potestas *νομοθετικὴ* a Deo magistratui data, ut paulo post demonstrabitur. Ergo ab eo descendunt leges. *4. Ex legum conditione.* Voluntas divina est causa et mensura omnis boni. Lex positiva est bonum quoddam, quia spectat ad bonum publicum promovendum. Ergo etiam a voluntate divina descendit, unde *ἐκτύπωμα* et idea divinae voluntatis vocatur. *5. Ex mediorum ad finem reductione.* Ad quem velut summum auctorem reipublicae felix gubernatio reducenda, ad eum quoque media illius felicis gubernationis reduci debent. Atqui ad Deum velut summum auctorem felix reipublicae gubernatio reducenda Dan. 2, v. 21. ipse *stabilit reges.* Prov. 20, v. 12: *Aurem audientem et oculum videntem Dominus fecit utrumque,* hoc est ut magistratus decernat salutaria et subditi illis prompte obediant, utrumque est Dei beneficium. Ergo etiam ad Deum velut summum auctorem media felicis gubernationis, inter quae leges principatum obtinent, reduci omnino debent. Tertium *ex consensu omnium populorum et gentium.* Demosthenes orat. 1. in Aristog. legem definit, quod sit *εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα σοφῶν ἀνδρῶν, ἐπανόρθωμα ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως συνθήκη κοινὴ, καθ' ἣν ζῆν προσήκει πᾶσι τοῖς ἐν πόλει, inventum et donum deorum, decretum hominum sapientum, delictorum consulto vel inconsulto admissorum correctio, urbis commune pactum, juxta quod omnes vivere convenit.* ** Mercurium legum suarum auctorem Mimus persuasit Aegyptiis; *Jovis auctoritate Cretensibus Minos leges suas commendavit, suam se ab Apolline legislationem Lycurgus, a Vesta Zamolxis, Numa ab Egeria nympha se accepisse* gloriatus est. Athenienses *Cereri Legiferae suum jus acceptum retulerunt.* ** Caelius Rhodiginus l. 10. antiq. lectionum c. 19: *Quia lex a summo bono est et in idem refluit, hinc veteres legumlatores earum inventiones esse divini muneris arbitrati in diversorum numinum vim referre adorti sunt, veluti Zoroaster Bactrianis Persisque leges tradens in Oromasin, Trismegistus Aegyptiis in Mercurium, Charondas Carthaginensibus in Saturnum, Draco et Solon Atheniensibus in Minervam, Mahumeth Arabibus in Gabrielem, Zamolxis Scythis in Vestam, Plato Magnesiis et Siculis in Jovem et Apollinem, Minos Cretensibus, ut vulgatior fama tenet ac Parrhasii monumentis traditur, in Jovem eundem.* Haec Rhodiginus ex Herodoto, Plutarcho, Livio, Valerio Maximo et aliis. *Numa Pompilius* Romanorum rex ab Egeria nympha leges suas in noctur- XIV.
nis congressibus se accepisse fingebat, quod a legumlatoribus illis factum censendum, tum quia obscurior quaedam fama de divina Mosaicae legis promulgatione ad ipsos forte pervenerat; tum ut rectitudinem legis a divina mente promanare ostenderent; tum denique, ut majorem legibus suis auctoritatem conciliarent, Patrit. l. 1. de republ. tit. 5. atque ita consuescendi legibus taedium metus religionis evinceret. Tolosanus l. 7. de republ. c. 19. n. 14. Addit Marsilius Ficinus, hisce fabularum involucris mysteria quaedam tegi, sicut in vitibus pulcherrimae uvae pampinis tectae latent, et sicut Alcibiadis imagines, quas Silenos vocabat, clausae monstrosam speciem prae se ferebant, apertae vero divinum numen ostendebant. Mysteria illa sic explicat Piccolom. gradu

10. phil. mor. c. 27: *Manat lex a sapientia, haec Minervae tribuitur, sapientiae juncta contemplatio, haec Saturno congruit. Exposcit lex potestatem regiam, haec Jovi tribuitur; exposcit justitiam, quae imperii sol, Apollo autem Sol dicitur; exposcit eloquentiam, ut persuadeatur, eloquentiae vero deus Mercurius fingitur.*

218. Causa *instrumentalis* et *immediata* legum positivarum sunt νομοθέται in qualibet republica, qui semina legis naturalis cordi insita diligenter excoluerunt et potestate rempublicam administrandi divinitus instructi ad illius salutem atque commodum promovendum ex habitu prudentiae leges positivas depromserunt. Intellexerunt enim ex *naturae luce* et *experientiae magisterio*, ad cujusque reipublicae felicem gubernationem vel maxime requiri εὐνομίαν, legum scilicet honestarum promulgationem, absque qua εὐνοϱία et εὐτυχία in civitate locum habere nequit. Tria vero in legumlatore requiruntur: *1. publica potestas*, quia privatas personas non spectat leges ferre, sed potius legibus parere, ac si vel maxime privatus legislationem sibi vendicaret, tamen potestate exsequendi legem destitueretur, at lex sine executione est campana sine pistillo. *2. Prudentia directrix.* Cum enim lex rationem gubernandi et normam agendi praescribere debeat, ideo summa in legumlatore prudentia requiritur, per quam in legislatione ac νομοθεσίᾳ dirigatur. *3. Boni publici studium.* Finis enim legis est bonum publicum promovere, ergo ad illud tanquam ad scopum legislator unice decet respicere et cogitationes suas omnes eo dirigere. Ratione hujus causae efficientis instrumentalis et immediatae Romani jurisconsulti *legem* speciali appellatione sic dictam distinguunt *a plebiscitis, senatus consultis, praetorum edictis, jurisconsultorum responsis et imperatorum constitutionibus*, ut videre est l. 1. inst. tit. 2. de jure naturali, gentium et civili. *Lex* ipsis est, quod populus Romanus senatorio magistratu veluti consule interrogante constituebat; *plebiscitum* est, quod plebs plebejo magistratu interrogante veluti tribuno constituebat; *senatusconsultum* est, quod senatus Romanus nullo tribuno intercedente sanciebat; *edicta praetorum* sunt, quae tum praetores urbani, tum aediles curules, antequam magistratum inirent, conscribebant et in albo, hoc est tabula dealbata, proponebant, ut quomodo anno suo jus dicturi essent, cuivis intelligere liceret; *responsa jurisconsultorum* vel prudentum sunt sententiae eorum, quibus permissum erat de jure respondere, qui tantam obtinebant auctoritatem, ut judici ab eorum responso non liceret recedere; *principum placita vel imperatorum constitutiones* sunt jus, quod imperatores Romani occupata republica vel rescriptis, vel decretis, vel edictis constituebant; *rescripta* erant, quibus principes ad libellos supplices et ad magistratuum absentium consultationes respondebant; *decreta* erant sententiae, quas principes causa cognita et utraque parte audita pronuntiabant; *edicta* vero, quibus iidem non de certa quadam controversia, sed de jure aliquo novo bene de republica sentientes quasi novam aliquam legem constituebant. Coelius Rhodiginus XIV. 79.
lib. 10. antiq. lect. c. 19. itidem legis nomem εἰδικῶς accipit, quando a decretis eam distinguit. *Ubicunque*, inquit, *principum institutiones aut civitatum verae non sunt, hoc est ad optimum ratione certa non dirigunt, legis haudquaquam videntur nuncupatione sacrove dignae titulo, quinimo decreta dici verius, edictave ac instituta, siquidem lex vera, lex bona est, aeterna item et mutationis prorsus nescia, imo et eadem ubique, si modo vera. Nam quae ingeniorum afflatu, subinde locis, temporibus interpolata distinguitur et Protei modo formam evariat, neutiquam lex dicenda est.* Sane quae lex vera et bona non est, ea aequivoce duntaxat lex est. Cicero lib. 2. de leg.: *Leges iniquae quatenus a ratione declinant, non modo leges habendae non sunt, sed nec appellandae quidem.* Ex eo vero colligi nequit, omnem legem esse aeternam et immutabilem, quia aliud bonum ἁπλῶς, aliud τινί ac diversis reipublicae temporibus ac statibus diversae leges conveniunt, ideoque in generali significatione lex positiva est quaelibet constitutio humana a quocunque legislatore potestate νομοθετικῇ instructo promulgata, sive ad tempus duntaxat observanda praescribatur, sive in perpetuum vigere debeat, modo non repugnet juri naturali, sed sit justa et publico communitatis bono inserviat.

219. Quaeritur circa causam efficientem legum *1. An magistratus habeat legum novarum ferendarum potestatem?* Carolstadio, Anabaptistis et aliis fanaticis absurdum visum fuit, leges forenses Mosaicas a Deo ipso promulgatas in populo Dei et in Christiana republica non observari, sed earum loco leges civiles ab imperatoribus Romanis, quorum quidam fuere ethnici, noviter propositas obtinere, sed in tractatu de legib. cerem. et forens. §. 39. ostendimus, leges illas forenses ac judiciales a Moyse promulgatas una cum politia Mosaica esse abrogatas, pertinebant enim ad μεσότοιχον, *interstitium maceriae*, XIV. 80.
quo Judaei et gentes discriminabantur et complexu *legis mandatorum in decretis sitae* et a Christo abrogatae Eph. 2, v. 14. et 15. continentur et accommodatae fuerunt ad certas loci, temporis, causarum et personarum circumstantias in politia Israëlitica observandas, ideoque obligatio earum fuit temporaria, quae cessantibus illis circumstantiis ipsa quoque cessavit. **Piscator in append. ad observ. c. 21. 22. et 23. Ex praefixa comment. in Ex. late hac de re disserit: *Obligatus est populus Christianus ad eas leges Mosaicas judiciales, quae praecipiunt de rebus immutabilibus et omnium gentium communibus, non autem ad eas, quae praecipiunt de rebus mutabilibus et Judaicae sive Israëliticae genti pro illo tempore, cum adhuc eorum politia staret, propriis. Res omnium gentium communes, id est quae in omnes cadunt et respectu naturae suae ac meriti immutabiles, sunt delicta moralia, id est contra decalogum admissa, ut homicidium, adulterium, furtum, seductio a vero Deo, blasphemia, percussio*

Qu. 1. An magistratus habeat ferendarum legum potestatem?

parentum; res mutabiles et Judaeorum pro illo tempore propriae fuerunt emancipatio servorum servarumque Hebraearum anno septimo, conjugium cum vidua fratris, cognative defuncti absque prole mascula, condonatio mutui in anno jubilaeo, conjugium cum muliere ejusdem tribus etc. ** Magistratui ergo Christiano divinitus data est potestas aliis legibus quam forensibus Mosaicis in reipublicae administratione utendi ac novas leges promulgandi, modo sint honestae, justae, juri naturali congruae et ad bonum publicum accommodatae, id quod sequentibus demonstramus argumentis. *1. A genere.* Cui Deus potestatem *ἀρχικήν*, imperatoriam et gubernatoriam concedit, illi etiam dat potestatem *νομοθετικήν*; ratio est, quia *νομοθετική* est species sive pars *ἀρχικῆς* et absque *νομοθετικῇ* gubernatoria finem suum obtinere nequit, ut superius ostensum, unde etiam Prov. 8, v. 15. *regnare et justitiam decernere* conjunguntur et Esa. 33, v. 22. haec duo simul ponuntur, *Dominus rex noster*, *Dominus legifer noster*, nam regis est jubere et jubendo leges ferre. Jam vero magistratui divinitus data est potestas *ἀρχική* Rom. 13, v. 1. 1. Petr. 2, v. 13. ipsi competit imperandi potestas, subditis manet obediendi necessitas. Ergo etiam potestas *νομοθετική* illi data. *2. A fine.* Cui curam boni publici Deus commisit, illi etiam potestatem ferendarum legum dedit; ratio est, quia lex est medium, per quod bonum publicum promoveri debet, unde Plato definit legem, quod *sit gubernandi ratio formulaque vera finem ad optimum per commoda media nos perducens, transgredienti poenam, parenti praemium praefigens.* At magistratui commisit Deus curam boni publici, in eo enim consistit discrimen magistratus et subditorum, quod ille solicitus esse debeat de bono civium publico, hi vero privatis officiis contenti vivere debeant. Ergo etiam magistratui ferendarum legum potestatem dedit. *3. A requisitis.* Cui requisita ad *νομοθεσίαν* Deus dedit, illi etiam potestatem *νομοθετικήν* dedisse censendus. Atqui magistratui dedit Deus requisita *νομοθεσίας*, quae sunt prudentia *νομοθεσίαν* dirigens et vis coactiva executionem legis urgens. Utraque Dei donum, illa a Spiritu sapientiae et consilii magistratui promisso proficiscitur Numer. 11, v. 17. 1. Samuel. 10, v. 6. c. 16, v. 13. Proverb. 20, v. 12. haec ex potestate et auctoritate, qua divinitus magistratus instructus et quasi armatus est, descendit. *4. Ab exemplis.* Jubet Deus Jerem. 27, v. 8. et 12. ut Sedecias et populus in captivitatem abductus se subjiciat *Nabuchodonosori* regi Babylonis, ergo etiam legibus illius ipsos subjectos esse voluit. Christus et apostoli *centurionem* Matth. 8. *regulum* Joh. 4. *Cornelium* Act. 10. *Ser-*
XIV. 31. *gium proconsulem* Act. 13. ex praescripto juris Romani magistratum administrantes in ecclesiae consortium receperunt atque eo ipso usum aliarum quam forensium legum in republica confirmarunt. Apostoli praecipiunt, ut magistratui etiam *ethnico* Christiani obedientiam praestent Rom. 13, v. 1. 1. Petr. 2, v. 13. ergo legibus civilibus magistratus etiam ethnici Christianos subjectos esse volunt et consequenter potestatem ferendi leges ad reipublicae salutem spectantes magistratui datam confirmant. Quid quod ad privilegia Romanae politiae apostolus provocat Act. 22, v. 25: *Num hominem Romanum nondum convictum licet flagellare?* Act. 25, v. 10: *Ad tribunal caesaris sto, ibi me oportet judicari.* Jam vero, qui privilegiis alicujus politiae gaudere cupit, ejusdem leges approbet necesse est. Approbatis vero legibus potestas *νομοθετική* approbatur.

220. Quaeritur *2. An ad legem requiratur promulgatio?* Omnino, id probatur. 1. *ex evidenti ratione.* Inter legem divinam moralem et humanam positivam hoc discriminis intercedit, quod lex divina utpote aeterna et immutabilis obligat omnes homines, etiam eos, quibus non est externa promulgatione repetita, sed lex positiva non obligat eos, nisi quibus per promulgationem est insinuata. Lex est faciendorum ac fugiendorum norma. Atqui ad hanc normam actiones suas subditi conformare nequeunt, nisi illis sit cognita, cognita vero esse nequit, nisi promulgetur. *2. Ex jure canonico.* c. In istis etc. dist. 4: *Leges instituuntur, cum promulgantur.* c. Ut animarum etc. extra de constitutionib.: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum ligare nolumus ignorantes. 3. Ex jure civili. l.* Leges 9. C. de legibus: *Leges sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* In prooem. instit. dicit Justinianus: *Omnes populi legibus tam a nobis promulgatis, quam compositis reguntur*, in quae verba sic commentatur Mynsingerus: *Leges tum promulgari dicuntur, cum primum in vulgus eduntur, ideo promulgatas leges vocat, quas ipse edidit atque invulgavit. Compositas vero leges intelligit, quas retro principes et jureconsulti ediderunt, sed ipse imperator in ordinem redegit.* Nov. 66, c. 1. statuitur, *ne ullae leges vel constitutiones in posterum valeant, nisi post duos menses a tempore, quo fuerint manifestatae, insinuatae et palam compositae.* Nimis tamen large ex eo concludunt quidam juris interpretes, quod *scriptura sit de essentia legis*, potest enim lex promulgari et subditis innotescere, si vel maxime non redigatur in scripturam. Si scriptura esset de legis essentia, tunc esset ejus vel materia, vel forma, tot enim sunt essentiales ejusque rei partes. At neutrum dici potest. Scriptura non est forma legis, quia per scripturam lex non est id, quod est, sed per expressam sanctionem et jussionem ejus, qui legis condendae potestatem obtinet, arg. l. 1. et l. 32. §. fin. de leg. §. 4. et seq. Inst. de just. et jure. Neque etiam legis est materia, quia ex Scriptura non est lex, sed ea plerumque ad legem suis causis jam constantem accedit, arg. §. lex est. Instit. de jure nat. gent. et civ. Testatur Dionysius Halicarn. l. 2. antiq. Roman.. c. 4. a primis *Romanorum regibus* multas leges sine scripto fuisse latas. Plutarchus in vita Lycurgi memorat, *Lacedaemonios* leges suas memoriae mandasse nec eas scripto com-

prehendisse, quia et Lycurgum diligenter lege lata cavisse, ne qua ex suis constitutionibus scriptis mandaretur; ubi tamen distiguendum inter legis nomen, quod in jure civili tripliciter accipitur: 1. *generalissime*, et sic quodvis jus denotat sive scriptum sit, sive non sit scriptum, quo sensu accipitur §. Constat. 3. Institut: de jure nat. gent. et civ. et in hac quaestione; 2. *specialius*, et sic denotat jus scriptum et opponitur consuetudini l. 32. ff. de legibus; 3. *specialissime*, et sic denotat illud scriptum jus, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante velut consule constituit. §. 4. Instit. de jure
V. 82. nat. gent. etc. Nimis etiam large Scholastici concludunt, *promulgationem esse generalem et necessariam omnium legum affectionem*, quia legi humanae positivae duntaxat illa proprietas competit, ad legem moralem et naturalem sufficit naturalis impressio cordibus hominum mediante propagatione ex parentibus alte infixa. Reliquas ad causam efficientem legum pertinentes quaestiones, videlicet, *an consuetudo obtineat vim legis; qualis esse debeat consuetudo legi aequipollens; an plebiscita pro legibus haberi debeant; an ex ratione hominis potius quam ex natura fontibus leges civiles sint deductae; an justitia sit causa efficiens legum an contra; an uni an pluribus potestas ferendi leges committenda* etc. vide apud Meisnerum de legibus l. 4. sect. 1. q. 3. 4. 5. 7. Dominicum a Soto lib. 1. de justit. et jurè atque alios ex jurisconsultis et politicis, ad quorum scholas haec proprie pertinere non immerito judicantur.

.cria im itiva- sunt *νό- ια.*

221. *Materia* legum civilium positivarum in genere statui possunt *τὰ νόμιμα* ea, de quibus leges ferri possunt et debent. Ea vero sequentes obtinent conditiones: 1. sunt *δίκαια, justa et honesta*. Quae enim sunt injusta et iniqua, ea non debent legibus praescribi, ac si praescribantur sive mandentur, non sunt leges proprie et vere sic dictae. Sic Lacedaemoniorum statutum *de artificiosis furtis* non est pro lege habendum, quia non praescribit actionem justam et honestam; Cabadis Persici regis statutum, *ut omnes feminae sint communes*, apud Procopium lib. 1. de bell. Parsic. p. 121. non est legis nomine dignum, cum a norma divinae legis recedat; Hyrcanorum consuetudo, qua *filii parentes senes mactant, vel mortuos canibus sepulcralibus laniandos praebent*, non est lex, sed potius *ἀνομία*. 2. Sunt *δυνατά*. Solon referente Plutarcho in ipsius vita dixit: *Δεῖ τοὺς νόμους κατὰ τὸ δύνατον τίθεσθαι, oportet leges poni secundum possibile.* Finis enim legis in foro civili est, ut propter bonum publicum et privatum a subditis observetur et juxta illius praescriptum in civitate vivatur. At si leges *ἀδύνατον* aliquod praecipiant, finem illum obtinere nequeunt. Cave tamen hoc transferas ad legem divinam, quasi adhuc post lapsum illa perfecte ab hominibus observari possit. Ea enim cum data sit homini in primaeva integritate adhuc constituto, ideo per eam Deus jure exigit obedientiam, quam homo viribus sibi concessis praestare et poterat, et debebat, quod sua sponte homo a Deo se avertit et viribus legem perfecte implendi se ipsum privavit, ex eo juri summi legislatoris nihil decedit, sicut creditor jure repetit debitum ab eo, qui propria culpa ad extremam paupertatis lineam est redactus. 3. Sunt *τὰ χρήσιμα, reipublicae salutaria et utilia.* Finis *νομοθεσίας* est salutem civium ac bonum publicum promovere, ergo ea, quae legibus praescribuntur, ad hunc finem tanquam ad scopum debent esse directa. Quemadmodum medicus aegro praescribit, non quae suavia, sed quae utilia; sic nomothetae, qui sunt civitatis medici, praescribant, non quae populo grata, sed quae reipublicae utilia. 4. Sunt *καθολικὰ καὶ μέλλοντα, universalia ac futura.* Aristoteles l. 1. rhetor. c. 1: *Legislatoris judicium non de singulis nec de praesentibus, sed de universalibus et de futuris est.* Lex debet esse norma ac regula singularium et futurorum, ergo debet ferri in universali et de futuris. Singularia et praesentia possunt quidem occasionem dare ferendae legis, interim tamen lex ipsa non est de singularibus nec de praesentibus. Jurisconsulti dicunt quod *de his, quae frequenter fieri solent, non quae raro, leges ferri debeant* l. 3. ff. si pars hered. petatur l. 28. ff. de judiciis l. ea quae 64. de R. J. ac *futuris negotiis leges normam dare, non praeteritis* l. 9. C. de legibus l. jubemus 29. §. quaesitum C. de testamentis etc.

222. In specie eorum, de quibus leges ferendae, bene longus recensetur a politicis scriptoribus catalogus, prudentis enim nomothetae est, non de uno vel altero solum, quod ad reipublicae salutem vel XIV. 83.
incommodum vergere possit, sed de omnibus, quantum fieri potest, esse solicitum, quemadmodum medicus non uni vel alteri duntaxat, sed omnibus corporis membris curandis operam suam impendit, quamvis interim verissimum sit, non omnia legibus definiri ac determinari posse. Danaeus lib. 5. polit. Christ. c. 3. p. 542. juxta alphabeti seriem enumerat ea, quae sub *νομοθεσίαν* cadunt: 1. actiones seu lites civiles, adulteria, arma, asyla; 2. bella, bona vacantia; 3. cauponae, cinaedi, conjugia, confiscatio, consuetudo, contractus, convicia, convivia, crimina etc. Videntur autem omnia ad duas generales classes revocari posse, vel enim pertinent *ad personas*, vel *ad res*, perinde ut jurisconsulti tria statuunt juris objecta: *personas, res et actiones.* Imperator Justinianus in §. fin. Institut. de jure nat. gent. et civ.: *Omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones*; idemque ante imperatorem scripsit Cajus in leg. 1. ff. de statu hom. quam distinctionem ita explicat Donellus in comment. quod jus *cujusque versetur partim in persona, partim in rebus, obtinendi autem rationem sitam esse in actionibus.* Personae considerantur dupliciter: *quatenus in civium numerum ac reipublicae quasi corpus legendae et quatenus in civium numerum jam allectae sint ad probitatem, justitiam et virtutis studium dirigendae.* Rerum tria sunt genera, quaedam utpote bona ac necessaria *praecipiuntur;* quaedam ut mala *prohibentur;* quaedam vero, ut media

vel minus mala *tolerantur.* Nos pro instituti nostri ratione de utroque genere, personis scilicet et rebus, quaestiones quasdam movebimus, reliquis ad politicorum et jurisconsultorum scholas rejectis.

Quaestiones circa personas. 1. An tolerandi in republica Judaei?

223. Circa personas 1. quaeritur, *an pius et Christianus magistratus Judaeos in republica tolerare debeat?* Qui negant, urgent 1. *blasphemias* et *convicia*, quibus tum *in precibus ordinariis*, tum *in sermone quotidiano impetunt Christum Jesum, Mariam ipsius matrem, fidem Christianam, ejus confessores et imperium Romanum*, sub quo vivunt. Prolixe illas blasphemias et convicia recenset Lutherus l. de Judaeis tom. 8. Jen. Germ. Purcherus l. de Judaeis, Helvicus tom. 4. disput. Giessens. dis. 11. Christianus Gerson. Judaeus baptizatus in tractat. Talmud. part. 1. c. 24. Ernestus Ferdinandus Judaeus conversus in flagell. Judaeor. Anton. Margarita conversus Judaeus et professor quondam Hebraeae linguae in academia Lipsiensi in libro de fide Judaeorum, quem Lutherus noster praefatione
XIV. 84. ornavit, et alii. ** *Quia Exod. 23, v. 13. praeceptum exstat, nominis alienorum deorum non recordemini*, ideo salvificum *nomen Jesu non legunt nec pronuntiant. Quodsi forte casu pronuntiaverint illud, se ipsos mulctant, colaphum sibi impingendo et impiissime dicunt, deleatur nomen ejus et memoria.* Fagius in c. 32. Ex.** Christum vocant mamser, id est *spurium*, talui, id est *suspensum*, ad ipsius nomen ter in terram exspuunt dicentes יִמַּח שְׁמוֹ, *deleatur nomen ejus;* Mariam vocant חֲרִיָא *sterquilinium;* Christianos vocant גּוֹיִם *ethnicos et populos mundi*, contra quos in libris suis multas diras effundunt, appellant eosdem כְּלָבִים *canes;* imperium Romanum vocant *regnum Edomiticum, regnum superbum et tyrannicum, regnum impium* etc. 2. *Usuras*, quibus expilare et exsugere solent Christianos, inter quos vivunt. Cum enim lege divina Deut. 23, v. 20. usuras erga נָכְרִים, *alienigenas* sive gentiles, quorum in censu Christianos numerant, exercere sibi permissum esse existiment, ideo absque ullo conscientiae vulnere et remorsu, imo absque pudore ullo sub immodicis usuris Christianis pecuniam mutuantur. Praeter illam foeneratoriam artes ferme nullas exercent, aut si quas habent, earum vim ad Christianorum perniciem dirigunt. Quotquot igitur magistratus Judaeos propter tributorum lucra tolerant et usuras libere exercere illis permittunt, illi spongiarum loco eos habent, quibus subditorum succum et sanguinem imbibunt atque extrahunt, nec nisi solo nomine a tyrannicis exactoribus differunt, perinde enim est sive mediate, sive immediate a subditis immoderatos illos census exigant. **Johan. Major Scotus lib. 4. hist. Scot. c. 9; *Inter Christianos tam utiles sunt Judaei quam inter mundum triticum mures.*** *3. Odium plus quam Vatinianum*, quo Christianos prosequuntur. Quando Christiani alicujus mentionem faciunt, addere solent יִמַּח שְׁמוֹ, *deleatur* sive pereat *nomen ejus*, quod perinde est apud ipsos ac *diabolus eum abripiat.* Expresse docent, *non esse peccatum, si Judaeus Christianum interficiat, quia Christiani proprie non sint homines, nec esse peccatum, si quis rem perditam, quae sit Christiani, retineat, si Judaeus adulterium committat cum uxore Christiani, si promissum Christiano datum, etiam juramento confirmatum, non servetur, si Judaeus furetur Christiano* etc. Refert Robert. Gaguin. l. 7. hist. Fran. in fine et ex eo Langius l. 1. ep. med. epist. 71. p. 426. quod *tempore Philippi Longi Galliae regis multi leprosi Judaeorum hortatu susceptum ab eis venenum puteis per omnem Franciam infundere conjuraverint, ut si qui potum inde haurirent aut interirent, aut elephantiae virus contraherent; quod cum rex comperisset, tam nefarii sceleris auctores octuaginta Parisiis combussit, alios flagitii conscios ad unum omnes confiscatis bonis proscripsit.* **Magnus quidam Rabbi inter Judaeos dicit: *Optimus, qui inter gentes est, dignus est, ut caput illi conteratur tanquam serpenti.* Fagius in c. 23. Exod.** Solenne illis est, quotannis eo die, quo Christus peccata nostra in cruce tulit, puerum Christianum in specu subterraneo occidere. Veronae anno 1475. cerdonis puerum bimulum die parasceves ita perfoderunt, ut corpus puerile totum Dominicae passionis schema referret, auctoribus sceleris poenae in rogo sunt inflictae. Quinquennio post ejusdem impietatis scelus Venetiis vendicatum fuit. Münsterus lib. 3. cosmogr. c. 77. Simile quippiam de Judaeis commemoratur, quod Christianorum infantes non solum aliquoties circumciderint, sed etiam punctim aciculis mortem ipsis inferendo misere trucidarint. Petrus Gregor. in syntagm. juris lib. 33. c. 4. n. 6. exemplis demonstrat, quod quamcunque occasionem nacti conjuratos Christiani nominis hostes sese declararint et multa millia Christianorum occiderint. XIV.
4. *Seductionis periculum*, quod Christianis ex cohabitatione cum Judaeis imminet. Testantur enim exempla, simpliciores Christianos, praesertim e sexu femineo, saepius a Judaeis seduci. 5. *Damnum*, quod ex imperitia medicae artis, cujus tamen gnaros sese mentiuntur, aegrotis inferre solent. Langius lib. 1. epist. med. epist. 71. p. 433: *Ut marsupia fenore, ita facultates corporis vitales medicamentis exhauriunt et experimenta per mortes agunt*, cum tamen suae in medicina ignorantiae probe sibi conscii sibi ipsis non medeantur, sed Christianorum consilium et auxilium implorent, unde prohibentur Christiani, *ne ab illis medicamentum sumant* c. Nullus eorum 28. q. 1. Utuntur etiam certis characteribus et nominibus ad morbos pellendos, chartulas, quibus Cabbalisticas illas literas et numeros inscribunt, vocant קְמִיעִים vel קְמִיעוֹת, id quod cum horrendo nominis divini abusu conjunctum. *6. Desperatam ferme eorum conversionem*, cujus causae sunt tum *triplex illa maledictio*, cui justo Dei judicio sunt subjecti, videl. *generalis* Deut. 28, v. 15. *propria* attracta verbis in passione Salvatoris nostri editis, *sit sanguis ejus super nos et filios nostros* Matth. 27, v, 25. ac *Christi* per os Davidis prolata Psalm. 69, v. 24. Psalm. 109, v. 17. tum

pertinax mediorum conversionis ac salutis rejectio, a pueris assuefaciunt suos liberos ad maledicendum Christo et ad odium Christianorum etc. si quis ex verbo Dei ipsorum errores redarguit, aures obturant etc. Hisce fundamentis permoti quidam simpliciter a republica excludunt Judaeos, ex quo etiam enatum est proverbium: *Felix respublica, in qua non est Abraham* (Judaeus), *Nimrod* (tyrannus) *et Naaman* (leprosus); in Gallia non tolerantur Petr. Greg. in syntagm. juris libr. 22. c. 3. n. 23. a plerisque Germaniae provinciis sunt extorres; elector et duces Saxoniae nullam illis sedem in suis provinciis concedunt.

224. Qui affirmant, petunt argumenta ** *1. a divina praedictione* Psalm. 59, v. 12: ne occidas eos etc. ex hoc loco quidam colligunt, *regium prophetam his verbis orare sub persona Christi, ne gens Judaica prorsus aboleatur, sed per orbem terrarum dispersa passim vagetur ante oculos ecclesiae sive populi Dei. Et imprecationem istam, quam allegata verba continent, habere vim vaticinii et praedictionis. Praedictionem vero illam ostendere, quae sit voluntas Dei, videlicet quod gens Judaica sit toleranda et non exterminanda. 2. A pari.* Judaeis in V. T. permissum, imo mandatum fuit, peregrinis inter se locum concedere, Levit. 22. Deut. 14. et 28. Idem colligitur ex Jos. 20. 2. Paral. 2. *3. Ex dictis N. T. quae praecipiunt, ut diligamus inimicos* Matth. 5. ut zizania usque ad tempus messis tolerentur Matth. 13, v. 30. ut benefaciamus omnibus, maxime vero domesticis fidei Gal. 3. ut sapienter ambulemus cum illis, qui sunt foris Col. 4. *4. Ex lege naturae.* Matth. 7, v. 12. Luc. 6, v, 31: Quaecunque vultis, ut faciant vobis etc. In honorem patriarcharum, prophetarum et ipsius Christi ex Judaeis oriundi tolerentur. *5. Ex jure canonico, civili et constitutionibus imperii. 6. Ab exemplo primitivae ecclesiae.* Augustinus lib. 4. de civ. Dei c. 18. lib. 2. evang. quaest. 33. et ad Psalm. 59. Cujacius lib. 7. observ. c. 30. ex eo quod rescripsere imperatores Honorius et Theodosius Judaei l. Nullus C. de Jud. et Coelic. *7. Ab auctoritate theologorum et jurisconsultorum. 8. A commodis* a commercio Judaeorum exspectandis. *9. A deductione ad absurdum.* ** Alii aliter procedunt et urgent *1. spem conversionis* in Scripturis praenuntiatae. Esai 6, v. 13. post praedicationem coecitatis Judaicae subjungitur *adhuc in ea decimatio, semen sanctum erit truncus ille*, hoc est relinquet Deus aliquos, qui ad Christum convertantur et salventur. Neve quis existimet, tempore Christi et apostolorum hoc vaticinium jamdum completum, nec ad nostri temporis Judaeos pertinere, adjungendae sunt reliquae prophetiae. Hoseae 3, v. 4: *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege et sine principe et sine sacrificio;* v. 5. *post haec revertentur et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum et reverenter colent Dominum et bonitatem ejus in novissimo dierum.* Chald. reddidit *obedient Messiae filio David regi suo.* Roman. 11, v. 25: *Coecitas ex parte contingit in Israël, donec plenitudo gentium intraret* v. 26. *et sic omnis Israël salvus fieret,* XIV. 65.
sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat et avertat impietatem a Jacob. Quidam addunt Soph. 3, v. 20. Luc. 21, v. 24. sed hoc indiget altiori indagine, cum prior locus de liberatione ex captivitate Babylonica, posterior de duratione vocationis gentium ad finem usque mundi commodius accipi videatur. *2. Reverentiam patriarchalis sanguinis*, ipsorum sunt *patres*, *ex quibus est Christus secundum carnem* Rom. 9, v. 5. sunt *de semine Abrahae*, qui est pater omnium credentium Rom. 4, v. 12. multis a Deo donis et privilegiis majores ipsorum fuere exornati, in quorum memoriam tolerandi videntur; *concredita ipsis fuere τὰ λόγια τοῦ θεοῦ* Rom. 3, v. 2. sunt cognati Christi et apostolorum secundum carnem, ipsorum est *adoptio et testamenta et legislatio et cultus et promissa* Rom. 9, v. 3. et 4. *3. Commoda*, quae ex ipsorum tolerantia resultant, quae sunt vel *theologica*, vel *politica*. Theologica sunt primo, quod testimonio suo scripturae Hebraeae V. T. auctoritatem contra paganos asserunt, quo sensu et respectu *Christianorum thesaurarii* a patribus dicuntur. Augustinus l. 12. contra Faustum Manichaeum c. 23. circa finem: *Quid est gens Judaea nisi quaedam scriniaria Christianorum bajulans legem et prophetas ad testimonium assertionis ecclesiae?* Idem epist. 59. dicit, *singulari Dei cura contigisse, ut Judaei debellati subversi et perpetuo exagitati, quamvis animis odio inflammatis Christum persequerentur, Scripturas tamen sacras conservarent, ut evangelii Christi veritas clarius apud omnes refulgeret, si hostium infensissimorum testimoniis valentissimis confirmaretur.* Deinde quod lucidissimum exemplum et velut speculum quoddam *irae divinae* adversus Christi et evangelii contemtum nobis exhibent, Psalm. 59, v. 12: *Ne occidas eos, ne quando obliviscatur populus meus*, ex quo loco colligit Rupertus in comm. c. 42. Gen. *Judaeos non esse a Christianis plane exterminandos, sed ad agnitionem sui reatus exemplo Josephi fratres objurgantis revocandos.* Bernhardus epistol. 322. col. 999: *Non sunt persequendi Judaei, non trucidandi, sed nec effugandi quidem, vivi quidam apices sunt repraesentantes Dominicam passionem.* Denique quod excidio et exsilio suo divinarum comminationum severitatem et *praedictionum veritatem* confirmare possunt. Rom. 11, v. 22. dicit apostolus ad conversos ex gentibus: *Vide ergo severitatem et bonitatem Dei, severitatem in eos, qui ceciderunt, in te autem bonitatem*, ubi in rem praesentem nos deducit et Judaeos quasi ob oculos nobis sistit. *Segnius enim irritant animos demissa per aures, quam quae sunt oculis subjecta fidelibus. Politica* commoda sunt, quod aerarium reipublicae augent tum mercimoniis et negotiationibus, tum solvendis tributis, quae ipsis imponuntur, et ferendis oneribus civilibus. Quid quod in repentina et inopinata reipublicae indigentia magnam praesentis pecuniae summam suppeditare et magistratum omni eam conficiendi molestia sublevare possunt. In imperialibus

quibusdam privilegiis Judaei vernacula nostra lingua vocantur der K. M. Kammerknechte, non quod honorabile munus cubiculariorum imperatoris sustineant, sed quod in expeditione bellica aliisque necessitatibus imperii pecuniam ubivis colligere et camerae imperatoris inferre ipsos oporteat. 4. *Incommoda*, quae ex ipsorum totali expulsione oriri possunt, quae itidem sunt vel *theologica*, vel *politica*. *Theologica*, quod e Christianorum ditionibus ejecti liberius blasphemant, cum a Christianis coërceri possint, quod impeditur ipsorum conversio, quia reliquae gentes minus curant religionem et majores illis praestant immunitates, sub Christianis vero adminicula conversionis quotidie ipsis praesto sunt. *Politica*, quod ad Turcas et gentiles expulsi varia artificia, perfectiorem usum machinarum bellicarum et res alias, quibus barbari illi prius destituti fuere, magno reipublicae Christianae incommodo afferunt. Camerarius part. 1. med. hist. c. 89. 5. *Necessitatem*. Cum enim justo Dei judicio e Palaestina ita sint ejecti, ut nunquam politiam in ea recuperaturi, sed in perpetuo exsilio oberraturi, nec tamen inter-
XIV. 87. ficiendi sint, ideo aliquam sedem illos habere oportet, praestat autem ob causam modo expositam, inter Christianos, quam inter infideles ipsos versari, ut aliqui ex illis lucrifieri possint. 6. *Exemplum primitivae ecclesiae*, quae Judaeos toleravit, ut constat ex jure canonico et civili lib. 5. decretal. tit. 6. de Judaeis. libr. 1. C. tit. 9. nov. Just. 45. nov. 146. l. 15. ff. de excusat. l. 3. ff. de decur. Circumcidere ff. ad l. Corn. de sicariis. Vide Cujacium lib. 7. observ. c. 30. Tempore Julii Caesaris collegia Judaeorum permissa fuisse constat ex Josepho; Augustus apud Philonem dicit, se ideo collegia et coitiones Judaeorum permittere, *quod non sint crapulae primum et vinolentiae, deinde quod non sint seditionum nutriculae, sed scholae temperantiae et justitiae*. l. Nullus. 14. C. de Judaeis et Coelicolis exstat Arcadii et Honorii Augustorum rescriptum: *Nullus tanquam Judaeus, cum sit innocens, obteratur, nec expositum eum ad contumeliam religio qualiscunque perficiat, non passim eorum synagogae vel habitacula concrementur vel perperam sine ulla ratione laedantur* etc. l. Christianis 6. C. de paganis habetur rescriptum Honorii et Theodosii Augustorum: *Christianis, qui vere sunt vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut Judaeis ac paganis quiete degentibus nihilque tentantibus turbulentum legibusque contrarium non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi. Nam si contra securos fuerint violenti, vel illorum bona diriment, non ea solum, quae abstulerint, sed convicti in duplum, quae rapuerint, restituere compellentur*. Ex Socrate lib. 7. hist. eccl. c. 13. constat, usque ad Arcadii imperatoris tempora Alexandriae Judaeos suas synagogas habuisse, quas Cyrillus Alexandrinus episcopus tandem destruxit ac Judaeos omnes propter ipsorum seditiones atque alia scelera urbe expulit. In recess. imp. ann. 1530. 1548. 1577. constitutiones de Judaeis factae testantur, in imperio Romano locum illis haudquaquam denegari.

225. Atque haec sunt potiora utriusque partis argumenta. Pro decisione distinguendum esse dicimus *1. inter temerariam Judaeorum in rempublicam receptionem et eorum jam olim receptorum tolerantiam*. Quae respublica ab hoc hominum genere fuit hactenus libera, in eam haud facile nec nisi urgentibus gravissimis causis sunt recipiendi, id quod illustrissimi Saxoniae duces suo satis comprobant exemplo, dum in provincias suae ditioni subjectas Judaeos recipere merito recusant. Quando vero in rempublicam aliquam jam olim recepti sunt, non debent temere expelli, praesertim furore et impetu promiscuae plebis ipsorum bonis velut praedae alicui inhiantis. *2. Inter liberam Judaeorum αὐτονομίαν et limitatam certisque conditionibus restrictam tolerantiam*. Liberrimam Judaeis αὐτονομίαν et eandem cum reliquis civibus libertatem et locum concedere, vel etiam majora quaedam privilegia ipsis quam reliquis civibus dare, consultum esse negamus, interim certis quibusdam legibus et conditionibus tolerari ipsos posse dicimus. Conditiones illae vel respiciunt *pietatem et religionem*, vel *justitiam et aequitatem*, vel *prudentiam Christianam*. Pietatis ac religionis studium requirit, 1. ne tolerentur a Christiano magistratu *Judaeorum blasphemiae*, sed severissimis legibus coërceantur et transgressores earum graviter puniantur. Ecquid enim turpius vel Christiano nomine indignius excogitari potest, quam si magistratus propter qualecunque lucrum Judaeis liberam potestatem Christum in synagogis blasphemandi relinquat? hoc vere est cum Juda proditore tringinta argenteis Christum adhuc hodie vendere. 2. Ne *synagogas*, in quibus blasphemias illas proferunt, ipsis concedantur. l. ult. §. 1. et 2. C. de Judaeis et Coelic. prohibentur *novam synagogam erigere*, interim permittitur ipsis veteres et antiquas, si ruinam minitentur, fulcire in iisque ritus suos, citra tamen contemtum Christianae religionis exercere, quin et gravissimae tam paganis, quam militibus poenae praestituuntur, qui in synagogas istas Judaicae legis irruerint, easdem incenderint, aliave vi vel impetu invaserint. Et sane ab
impetu et furore promiscuae plebis synagogae illae XIV. 8
merito debent esse liberae, interim tamen magistratus caveat, ne Judaeis sub specie ac praetextu reparationis novas synagogas exstruere liberum relinquat, neve gravius aliquid statuat contra Christianos, qui religionis zelo in illas latronum speluncas injurii fuere. Exstat hac de re memorabilis epistola Ambrosii ad Theodosium imperatorem lib. 5. ep. 29. in qua graviter arguit imperatorem vendicari jubentem in episcopum et Christianos, qui synagogam incenderant, et ut aliam epistolam dictari jubeat, ac quod prius jussum fuerat, emendet, sedulo exhortatur. *Non est* (inquit) *causa tantae commotioni idonea, ut propter aedificii exustionem in populum tam severe vendicetur, multo autem minus, quia*

synagoga inoensa est, perfidiae locus, impietatis domus, amentiae receptaculum, quod Deus damnavit. Et postea: *Ecclesia synagogam exclusit, cur iterum tentatur, ut apud Christi famulum*, hoc est *de pectore fidei, de domo Christi synagoga excludat ecclesiam?* Lutherus tom. 5. Witeberg. f. 439. suadet Christiano magistratui, ut Judaeorum synagogas penitus evertat. 3. Ne *Judaeum ad Christianam fidem transire cupientem* vi aut fraude detineant, vel ullo modo laedant. Extremo odio illos prosequuntur, qui a Judaismo ad Christianismum transeunt, appellant eos מְשׁוּמָדִים, apostatas abscissos ab omni spe salutis et gratiae divinae, unde si quem ad Christianos abitum parare animadvertunt, eum carceri includunt, vel alia ratione propositum ejus intervertere satagunt. Memorat Helvicus, se legisse ac diu secum habuisse epistolam Judaei de cognato suo ad Christianismum converso, cujus patrem monet, ut accuset filium magnae summae pecuniae furtim surreptae, ut hoc modo excludere eum possit a legitima hereditate et famae labem aliquam adspergere. Rabbi Bechai scribit, *Judaeum baptizatum sine peccato a Judaeo occidi posse.* Id vero severis legibus prohibendum ac deprehensi hujus criminis rei graviter puniendi. l. Judaeis 3. C. de Jud. et Coelicol. flammis addicuntur, si Judaeum ad Christianam religionem conversum saxis aliove furoris genere attentare et molestare ausi fuerint. 4. Ne quenquam e *Christianis ad suam superstitionem pertrahere* laborent. Si nostrae fidei hominem circumciderint, bonorum proscriptione et perpetuo exsilio damnantur l. 16. C. de Jud. et Coelic. Si Christianum ad suam religionem pertrahere ausi sunt, proscriptionem bonorum et sanguinis etiam poenam sustinere debent. l. 17. et 18. d. tit. 5. Ne cum Christianis *matrimonia* contrahant, quia periculum est, ne simpliciores seducant et liberos in sua superstitione educare velint, inde l. Ne quis 6. C. de Judaeis et can. reos 23. q. 5. matrimonium inter ipsos et Christianos sub poena capitali interdicitur. *6. Ut cogantur adire Christianorum templa* et conciones sacras audire. Quamvis enim cogi non possint, ut abjecta superstitione Judaica in Christum credant, tamen ad media fidei adhibenda et obstacula ejusdem removenda cogi possunt, ut vanitatem fabularum Talmudicarum, a quibus toti pendent, et fidei Christianae solida fundamenta ex propheticis vaticiniis cognoscant. *7. Ut libri Hebraei impressi vel manuscripti ipsis eripiantur.* Duplicis illi sunt generis, quidam sunt in Christianam religionem blasphemi, quidam vero multa continent, quae pro fide Christiana faciunt. Utrosque studiose occultant, sed magistratus utrosque ab illis extorqueat, priores quidem, ne conversioni ipsorum remoram injiciant, posteriores, ut ad fidei Christianae confirmationem in publicum edantur. *8. Ut Biblia in aliis etiam linguis legant*, praesertim in Germanica, et hac ratione a superstitiosis glossis Rabbinorum ad genuinam et sinceram textus Biblici intelligentiam paulatim deducantur. *9. Ut negotiationes diebus Dominicis exercere prohibeantur.* Cum enim inter Christianos vivant, utique etiam Christianorum sabbathum observent, ne publico scandalo illud violare animadvertantur. Adde quod sint *Christianorum servi*, ergo juxta praescriptum legis divinae in sabbatho Christianorum a laboribus et negotiationibus feriari debeant. Exod. 20, v. 10. Consequens est, quod Christiani non debeant illis obsequia et servitia praestare in XIV. 80.
diebus sabbaticis, ne scilicet in sua superstitione eos confirment et ipso facto articulum fidei Christianae de abrogatione Leviticarum ceremoniarum abnegent. *Justitia* et *aequitas* requirit *1. in genere*, ut secundum jus Romanum pacifice, tranquille et sine Christianorum scandalo vivant. Cum enim in suis majoribus publice professi sint, *se non habere regem nisi caesarem* Joh. 19, v. 15. cumque privilegiis imperii frui et gaudere cupiant, ideo merito coguntur, ut secundum leges Romanas vivant. *2. In specie* igitur requiritur 1. *ut ab illicitis et immoderatis usuris adversus Christianos exercendis desistant*, nec excedant in exigendis censibus annuis modum a legibus praescriptum. Frustra hic provocant ad legem Deuter. 23, v. 20: *A peregrino seu advena licet tibi usuram exigere.* Praeterquam enim quod ipsimet ad caesarem provocando et Messiam repudiando indignos se hoc privilegio fecerint, quod merito contra ipsos Lutherus urget, accedit insuper et hoc, quod lex illa sit plane *specialis* pertinens ad Cananaeos exitio devotos, id quod ex ipsis Rabbinis quidam agnoscunt, qui per peregrinum *septem populos Palaestinae* intelligi dicunt, quodque nos non simus peregrini et advenae Judaeorum, sed ipsi potius in terra nostra velut exsules commorentur. Helvicus erudite adversus ipsos urget hoc argumentum: *A fratre tuo non exiges usuram* Deuter. 23, v. 19. atqui *Edomita est frater tuus*, v. 7. cum ergo Judaei Christianos habeant pro Edomitis, utique vi illius legis non licebit eis a Christianis immoderatas usuras exigere. 2. *Ut tractentur tanquam servi et exsules*, adigantur ad opera servilia, nec ulla vel minima praerogativa prae Christiano, etiam vilissimo illis concedatur. Cum enim propter crucifixionem Messiae e terra sua divinitus sint expulsi et perpetuo exsilio mancipati, ideo aequum est, ut a Christianis duriter tractentur, gravissima onera illis imponantur et vilissimorum mancipiorum loco habeantur, qua ratione innatus huic genti fastus deprimi et ad peccati sui agnitionem eadem perduci poterit. Consequens hujus conditionis est, quod *ad nullum prorsus munus* publicum, maxime cum dignitate conjunctum Judaei admitti debeant l. fin. C. de Jud. et Coelic. quod *possessiones praediorum et immobilium bonorum* non sint illis permittendae, quod non liceat ipsis habere *mancipium Christianum*, quod in simili genere delicti gravius puniri debeat Judaeus quam Christianus, quia est Christianorum mancipium, quodque in causis debitorum et injuriarum Christianus in gratiam Judaei creditoris ac laesi non sit nimis duriter tractandus. *3. Ut*

lites et causas inter se disceptare ac sibi ipsis jurisdictionem aut αὐτονομίαν arrogare prohibeantur. Cum enim servi sint Christianorum atque ex mera gratia ut exsules tolerentur, ideo non debent ullos actus jurisdictionales exercere nec ullam pronuntiandi aut judicandi potestatem, ne quidem in causis ad proprias ceremonias spectantibus sibi vendicare, l. 3. Cod. de Judaeis, *Prudentia Christiana* requirit 1. ut tanquam alterius et quidem *feralis sectae* (ut Constantinus l. 3. C. de Jud. et Coelic. voce imperatoria eam appellat) homines a Christianis *qualitate habitus et externo quodam signo distinguantur* c. In nonnullis extra de Jud. et Sarac. et ibi Panormitanus ac Felinus; sic Veneti gestationem crocei pilei illis injunxerant, in imperio Romano flavum in pallio circellum secum circumferunt. 2. *Ne concedantur illis tales negotiationes, quae immediate ad cibaria et edulia spectant*, quia foetido suo halitu, quem ex quotidiano allii usu contrahunt, carnes contaminant. 3. *Ne promiscue inter Christianos habitent*, sed in loco peculiari et separato, neve Christiani, praesertim simpliciores, nimis familiariter cum ipsis conversentur. 4. Ne *juramento ab ipsis exacto nimium fidatur* In ordin. camer. p. 1. tit. 86. praescribitur Judaeis peculiaris juramenti formula, quam antegressis multis admonitionibus et solennitatibus praestare tenentur. In speculo Suevico, quod Melchior Goldastus in tractatum Reichs-Satzung inscriptum et Francofurti
XIV. 90. 1609. editum retulit, alia juramenti formula praescripta est, quam Judaei super corium porcinum in contemtum improbae sectae stare jussi recitare debeant. Sed quia sunt homines leves, fidei scelestae et perjuriis assueti, maxime vero cum quotannis in die Kippurim sive expiationum recitent precationem, qua orant Deum, *ut omnia juramenta et vota irrita esse jubeat, quae per totum annum praestantur*, ideo juramentis ipsorum non est nimium confidendum.

2. An peregrini in civium numerum recipiendi.

226. Quaeritur 2. *an peregrini in civium numerum recipiendi?* Qui negant, proferunt 1. *dignitatem civitatis*, quam promiscua peregrinorum receptione labefactari existimant. *Non est beata judicanda respublica, qua ex promiscua hominum multitudine cives plures temere colligit, sed quae primas et antiquissimas familias maxime conservare studet*, Isocrates in oration. de pace. Augustus imperator laudatur, quod *magnum existimans sincerum atque ab omni colluvie peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare populum*, Romanam civitatem parcissime dederit, Suetonius in August. 2. *Periculum dissidiorum et seditionum*, quod ex peregrinorum receptione metuendum, Aristoteles lib. 5. polit. cap. 3. Advenae in civitatem assumpti seditiones concitare solent, per quas tota saepe regna, totae civitates commutantur et evertuntur. Nimirum peregrini etiam mores, vestes, leges, linguas et vitia peregrina civitati secum inferunt, propter quam morum dissimilitudinem ac studia contraria gravibus inter se factionibus peregrinis admissis cives laborare solent, cujus rei testis respublica Syracusana apud Diodorum lib. 11. 3. *Expilationes et oppressiones civibus a peregrinis metuendas.* Saepe *civitati id sunt exteri, quod locusta segeti*, inquit Casus libro 5. sphaerae civit. cap. 3. Parum fidi reipublicae sunt peregrini, quippe quam non habent patriam. 4. *Exempla laudatissimarum rerumpublicarum.* Spartani civium loco peregrinos minime habebant, Xenophon de republ. Spartan. idem de Atheniensibus testatur Plutarchus in Pericle; Galli peregrinos vocant Albinos quod dicit alibi natos, Tolosanus lib. 4. de republ. cap. 4. sect. 1. Contra vero merito urgetur 1. *divina sanctio*, quae peregrinis de securitate cavet nec a populo in peculium Dei adscito eosdem excludit. Exod. 12, v. 48: *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam et facere phase Domini, circumcidetur prius eritque sicut indigena terrae.* Exod. 23, v. 9: *Peregrino molestus non eris, scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis*, etc. 2. *φιλανθρωπία peregrinis debita*; pugnat cum humanitate naturali peregrinos simpliciter et prorsus excludere, Melander in idea polit. f. 44. Distinguendum igitur *1. inter temerariam promiscuae multitudinis receptionem et quorundam peregrinorum consulto factam electionem*, illa improbanda, haec commendanda; *2. inter peregrinorum conditionem;* quidam enim sunt viri boni ac praeter meritum suum exsules ac miseri, utpote qui ob sincerioris religionis professionem solum vertere jussi, illis non solum hospitium, sed et jus civitatis concedendum; quidam vero ob facinora sua ex alia republica in exsilium pulsi, illos in civium numerum recipere est peccandi immunitatem concedere; *3. inter reipublicae statum;* quandoque est magna civium penuria peregrinorum receptione supplenda, quandoque vero coloniae potius propter civium numerum educendae quam peregrini recipiendi.

3. A[…] geni[…] com[…] rand[…] hos[…] XIV. in r[…] publ[…] dand[…] sit.

227. Quaeritur 3. *an Zigenis*, den Zigeunern, *commorandi hospitium in republica dandum sit?* Negamus ob immanes fraudes et imposturas, proditiones, rapinas et alia scelera huic hominum generi vel potius reipublicae Christianae pesti usitata. Aventinus libr. 7. annal. Bojor. p. 509. hisce eos depingit coloribus: *Eadem tempestate* (inquit, puta circa annum Christi 1438.) *furacissimum illud genus hominum, colluvies ac sentina variarum gentium, quae in confinio imperii Turcarum atque Ungariae habitant* (Zigenos appellamus) *rege Zindelone nostras peragrare coeperunt regiones, furto, rapina, divinationibus impune prorsus victum quaeritant. Ex Aegypto se esse mentiuntur extorresque domo a superis cogi, se majorum delicta, qui deiparam virginem cum puero Jesu hospitio excipere recusarint, septem annorum exsilio expiare, impudentissime confingunt. Experimento cognovi, eos uti Venedica lingua et proditores atque exploratores esse. Tum alii, cum inprimis imperator Maximilianus Caesar Augustus et Albertus parens principum nostrorum* (Bavaricorum) *publicis edictis id testan-*

tur, *adeo tamen vana superstitio hominum mentes velut lethargus invasit*, *ut eos violari nefas putent atque grassari*, *furari*, *imponere impune passim sinant.* Albertus Crantzius lib. 11. Saxoniae cap. 2. eos sic describit: *Cum ageretur a Christo annus decimus septimus post mille quadringentos, primum apparuere his nostris maritimis locis ad mare Germanicum homines nigredine informes, excocti sole, immundi veste et usu rerum omnium foedi, furtis inprimis acres, praesertim feminae ejus gentis. Nam viris ex furto feminarum victus. Tartaros vulgo vocant, in Italia vocant Ciarios. Ducem comites milites inter se honorant. Veste praestantes venaticos canes pro more nobilitatis alunt, sed ubi venentur, nisi furtim non habent. Equos saepe mutant, major tamen pars pedibus graditur. Feminae cum stratis et parvulis jumento invehuntur. Literas tum praetulerunt Sigismundi regis et aliquot principum, ut transitus illis per urbes et provincias incolumis permittatur innoxiusque. Ferunt ipsi, ex injuncta sibi poenitentia mundum peregrinantes circumire, sed fabellae sunt. Hominum genus, quod usu compertum est, in peregrinatione natum, otio deditum, nullam agnoscens patriam, ita circuit furto, ut diximus, feminarum victitans, canino ritu degit, nulla religionis illi cura, in diem vivit, ex provincia demigrat in provinciam, per aliquot annorum intervalla redit, sed multas in partes scinditur, ut non iidem in eundem locum facile redeant nisi per longa intervalla. Recipiunt passim et viros et feminas volentes in cunctis provinciis, qui se illorum miscent contubernio. Colluvies hominum mirabilis omnium perita linguarum, rusticae plebi graviter imminens* etc. Osiander in comm. Deut. 18, v. 10: *Vagum istud genus hominum pro accepto pretio audacissime, saepe etiam mendacissime divinat de rebus praeteritis, praesentibus et futuris, et interim suffuratur, quidquid subtrahere furtim potest.* Hanc ergo pestem a suis subditis magistratus arceat, nec impune chiromanticas divinationes, fraudes et rapinas illos exercere permittat, secutus laudabile exemplum Augusti Saxoniae electoris, qui in constit. eccles. art. gener. 6. p. 308. hosce patriae proditores et communes deceptores a finibus imperii quam longissime arceri praecipit, quod ipsum congruit imperii constitutionibus anno 1500. titul. von Zigeunern, repetit. anno 1530. 1544. et 1551.

IV. 92. An ndi- ntes re- blica leran- ? 228. Quaeritur 4. *An mendicantes in republica tolerandi?* Duo sunt mendicantium genera. Quidam enim vel *ob aetatem*, vel *propter morbos* manuum labores tractare nequeunt ac perinde ipsa necessitate ad colligendam stipem adiguntur; quidam vero validis adhuc lacertis instructi, sed *ignaviae et socordiae morbo* laborantes mendicitate sibi victum quaerere malunt quam labores manuum suarum manducare. Exemplum talis mendici recitat Damhouder. in praxi criminali cap. 110. num. 55: *Cum Gandavi*, inquit, *cum aliquot senatoribus Brugensibus sederem ante portam domus senatoriae, mendicus quidam gemebundus, plorabundus mirisque modis paupertatem simulans eleemosynam petit, habere se latens aliquod vitium ac malum dicit, quod pudor hominum conspectui exhibere deterreat. Ipsius miserti singuli mendico eleemosynam largimur, mendicus a nobis digreditur. Unus nostrum jubet famulum suum hunc mendicum insequi et propius, quid latentis vitii haberet, perquirere. Paret is mandatis, mendicum rogat, quodnam sit illud latens vitium, quo se laborare dicebat, inspicit faciem, pectus, brachia omniaque nitentia et valida comperit. Nihil*, inquit, *in te mali video*; *cui mendicus respondit*: *Ah longe aliud est malum, quod me premit quodque a tuo conspectu remotum, nempe tale, quod per universum corpus meum serpit ac per venas et medullas ita grassatur, ut nullum sit corporis membrum, quod se laboribus ac operis tradere velit, audio illud vocari pigritiam et desidiam, quae profecto sunt vitia admodum noxia. Famulus his auditis stomachabundus discedit, ad suos redit. Rogatus ab illis, quodnam fuerit latens illud malum, rem omnem ipsis explicat. Responsum cum risu excipitur, mendicus quaeritur, sed alio interim sese subduxerat.* Quod igitur attinet prioris classis mendicos, illis omnino jure divino et naturali ita exigente benefaciendum, quamvis praestaret, cura magistratus in qualibet republica institui ptochotrophia, in quibus alerentur mendici, item orphanotrophia, nosocomia, gerontocomia, xenodochia etc. ac delectos viros constitui, qui ex publico aerario, in quod a singulis tempore conventuum sacrorum pecuniae eleemosynariae inferendae essent, pauperes alerent, quam in plateis illos vagabundos oberrare et stipem solicite quaerere. 1. Hac enim ratione dignosci posset, an et quanta egestate quivis prematur, ac illi, qui laborare nolunt, ab illis, qui laborare non possunt et eleemosynis digni sunt, discernerentur. 2. Mendicitas illa vagabundorum hominum est publicum Christianorum propudium et evidens testimonium, caritatem ac studium in pau- XIV. 93.
peres erogandi nimium refrixisse. 3. Multi extrema cum egestate conflictantur atque interim pudore prohiberi se patiuntur, quominus in publicum prodeant et vitae necessaria petant, illis hac magistratus cura prospici posset. 4. Quidam mendici ulceribus, epilepsia, lepra, peste aliisve foedis morbis correpti sunt, illi per plateas oberrantes in consortium hujus mali facile alios pertrahunt, quod praecaveri posset, si ex publico mendici alerentur. Sunt qui huc accommodant dictum Mosaicum Deut. 15, v. 4: *Omnino non erit inter vos indigens et mendicus*, quorum sententiam confirmare videtur particula אֶפֶס *tantum*, *quod non erit in te mendicus*, velut exprimatur finis praecepti proxime praecedentis, *septimo quoque anno erit debitorum remissio*, *ut non sit inter vos mendicus;* alii vero putant, esse promissionem sub obedientiae conditione accipiendam, ut ostendit sequens membrum: *Non erit inter vos mendicus*, *quia benedicet tibi Dominus Deus tuus*, *si tamen audieris vocem Domini Dei tui*,

Posterioris classis mendici non sunt in republica tolerandi, 1. quia vere pauperibus necessaria praeripiunt, quod enim illos capere oportebat, hi intercipiunt. 2. Voluntariae isti mendicitati assueti ad furta et rapinas facile transeunt, unde Plato libr. 8. de republ. dicit, *in ea civitate*, *in qua videas mendicos*, *ibidem esse fures*, *latebras quaeritantes*, *sectores*, *sacrilegos et hujusmodi scelerum artifices*. Corn. Agrippa de vanit. scient. cap. 65. multis probat, tales mendicantes infinitorum malorum esse auctores. 3. Exempla bene constitutarum rerumpublicarum adducta a Camerario part. 1. succis. histor. cap. 16. docent, quomodo cum talibus mendicis agendum. Plato l. 11. de legib. in sua republica talem legem tulit: *Nemo in nostra civitate mendicus esto.* Exstat Caroli Magni constitutio, in qua mendicis palantibus ac vagabundis vetuit quipquam tribui, quamque regionem suos inopes alere, sanos ac validos labore victum quaerere ac desiderio sufficere manus jussit. Similis fuit lex Gratiani, Valentiniani et Theodosii imperatorum, quae inserta est codici Justiniani sub titulo de mendicantibus validis. In veteri quodam versiculo mendicantibus illis validis jubetur panis dari et quasi pro obsonio pugnus impingi:

Δὸς δ' ἄρτον πτωχῷ καὶ κόνδυλον ὄψον ἐν αὐτῷ.

Ex quo facile colligitur, quid de monachis mendicantibus sit statuendum. Petrus de Alliaco cardinalis in reform. eccles. in cap. de reformat. religion. *varietatem illam monachorum reformandam et aliquos tollendos* arbitratur, *quia veris pauperibus nimium officiant totamque rempublicam Christianam molestent.* Apud Socratem lib. 8. cap. 1. hist. trip. recitatur veteris cujusdam monachi dictum, quod hodiernorum instructio esse poterat: *Monachus nisi operatus fuerit, furi judicatur aequalis.*

5. An otiosi in republica ferendi?

229. Quaeritur 5. *An otiosi in republica ferendi?* Non illi ferendi sunt, sed leges contra illos ferendae: 1. quia otium docet mala multa, quae rempublicam turbant. *Πολλὴν κακίαν ἐδίδαξεν ἡ ἀργία*, inquit sapiens Eccles. 33, v. 29. *ἀργὸς πολίτης κεῖνος, ὅς κακός γ' ἀνήρ*, inquit Euripides; *τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαία σχολή*, *nihil boni parit inane otium*, inquit Sophocles in Iphigenia. Basilius homil. 7. hexaëm. vocat illud *initium et seminarium malorum*, Bernhardus libr. 2. de consid. *novercam virtutum.* Gerson in libro de remed. contra pusillan. *cor vacantis otio* dicit *esse instar molendini*, *quod cum non habeat ad molendum bonum frumentum*, *quia in continuo motu est*, *molit et consumit se ipsum.* *Mens inerti otio dedita, haud sane quidquam bonorum parit*, inquit imperator Justinianus in authent. de monach. ut in agro inculto nascuntur spinae ac vepres, in aqua non mota vermes; sic in anima hominis otiosi pravae cogitationes ad omnis generis flagitia impellentes. *Vita humana ut ferrum est*, *quod si exerceas*, *usu conteritur et cum splendore quidem*, *sin minus*, *rubigine exeditur; sic homines*

XIV. 94.

honeste se exercendo conteruntur, *si non exercentur*, *inertia ac torpedo plus illis detrimenti affert quam industria*, Gellius l. 10. noct. Attic. cap. 1. 2. Otiosos apostolus dicit *περιπατεῖν ἀτάκτως* 2. Thess. 3, v. 6. jam vero omnis *ἀταξία* a magistratu corrigenda, Aristoteles lib. 3. politic. c. 1. 3. Otiosi tandem ad inopiam rediguntur, Proverb. 24, v. 34. *ἡ ἀργία τῆς ἐνδείας μήτηρ*, dicit Ignatius epist. 4. ad Tarsens. Sed ad magistratum pertinet fortunis civium providere. 4. Exempla laudatissimarum rerumpublicarum idem comprobant. Amasis Aegypti rex legem sancivit, *ut singuli quotannis apud nomarchen*, hoc est praefecturae praesidem, *profiterentur*, *unde viverent*, *qui autem hoc non faceret*, *aut genus vitae praesidi approbare non posset*, *huic poena extremum supplicium esset*, Herodotus lib. 2. pag. 76. Hanc legem Amasis ab Aegyptiis Solon mutuatus eandem Atheniensibus tradidit, ipsius enim haec fuit lex: *ἀργὸς τῷ παντὶ κατηγορεῖν ἐθέλοντι ὑπόδικος ἔστω*, *qui desidiam sectatus est*, *cuilibet accusanti esto obnoxius.* Draco Atheniensis in suis legibus *poenam mortis* in otiosos statuit. Apud Lacedaemonios Lycurgi legibus cautum erat, *ut juventus laboribus exerceretur.* Areopagitae *in judicium vocabant τοὺς μὴ ἔκ τινος περιουσίας ζῶντας*, *eos*, *qui nullis facultatibus victitabant.* *Tamdiu civitatis Romanae duravit gloria*, *quamdiu adolescentibus vagari otiosis non licuit*, Guevara libr. 1. horol. princip. cap. 2. Sed quid peregrina et gentilia commemoramus? praesto est lex Dei antiquissima Genes. 3, v. 19: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Psalm. 128, v. 2: *Labores manuum tuarum manducabis.* Deus nihil otiosi in toto orbe vult ferre, sublunaria omnia suas habent constitutas operas, angeli ipsi ad voluntatem divinam exsequendam parati assistunt. Plura in hanc sententiam tradunt Camerarius part. 1. oper. subsec. cap. 15. Aretius part. 2. problem. 138. et alii; distinguendum tamen *inter otium honestum ac literarium*, ac *turpe et inhonestum otium.* In otio literario qui vivunt, imperitis otiari videntur, cum sint omnium hominum occupatissimi. Est etiam quoddam otii genus, ex quo boni paratiores redduntur ad publica munera abeunda. Denique est *sanctum quoddam otium*, quo sabbathum Deo celebramus et ab externis operibus vacamus, ut interior homo aedificetur.

De quibus rebus ferendae leges.

230. *Res*, de quibus ferendae leges, complures sunt ac diversae. Prohibere enim debet magistratus legibus, quidquid vel *pietati*, vel *honestati*, vel *publicae tranquillitati*, vel *civium saluti* est adversum, contra vero quidquid isthaec omnia vel aliquid eorum promovet, studiose praecipere et in rempublicam introducere. Sic convenit magistratui post sedulam religionis et justitiae curam de subditorum victu et sustentatione solicitum esse. Cum enim magistratus dicatur *pater patriae* et nutritius subditorum, ut superius fuit monstratum, ideo eorum, quae ad subditorum sustentationem et annonae provisionem spectant, diligentem curam nequaquam putet a se alienam, ac proinde 1. debet *leges*

sumtuarias ferre, quibus homines prodigi coërceantur, ne facultates suas temere dilapident ac postea misere egere cogantur. *Corinthii*, si quem videbant splendidius opsonari, hunc interrogabant, *unde illi sumtus ipsi suppeterent*, *quodque artificium tractaret?* Quodsi huic vitae generi sumtus suppeterent, frui sinebant; sin vero sumtus excederent facultates, jubebant in posterum moderatius uti; ni pareret, mulctam imponebant. Quodsi, nihil cum haberet, nihilominus tamen splendide et opipare viveret, necandum carnifici tradebant, quia *aut hunc furem esse*, *aut noctibus spoliare*, *aut cum furibus participare*, *aut falsa testari aut accusare necesse esset*, Athenaeus lib. 6. c. 12. *Censorum apud Romanos* inter cetera hoc erat officium, providere, ne quis sumtibus immodicis faciendis ad egestatem sibi viam pararet. *2. Dardanariam prohibere.* Dardanarii in jure civili dicuntur, *qui annonam vexant.* Ulpianus
IV. 95. in l. annonam de extraord. crimin. Graeci eos vocant *παντοπώλας*, *παντομεταβόλους*, *σιτοκαπήλους*, annonae et aliarum mercium acerbissimos venditores et vexatores, *qui annonam incendunt et excandefaciunt*, ut Varro loquitur, vel ut Cicero lib. 5. epist. 21. ad Atticum, qui *frumentum comprimunt.* Illorum artes et monopolia magistratus prohibere debet ac rei frumentariae, ut et aliorum necessariorum copiae in republica providere. Amos 8, v. 5. emphatice illud hominum genus describitur: *Quando* (inquiunt) *transibit mensis et venundabimus frumentum*, *quando transibit hebdomas*, *ut aperiamus frumentum*, *ut imminuere faciamus modium et augere faciamus secel et pervertamus stateras dolosas;* v. 6. *ut emamus argento egenos et pauperem propter calceamenta et quisquilias* (מַפַּל labile a rad. נָפַל cecidit) *frumenti vendamus*, Lutherus daß wir Spreu für Korn verkauſen. Sed poenae gravissimae denuntiatio statim subjungitur, tales enim Deo et hominibus sunt invisi. Prov. 11, v. 26: *Qui prohibet frumentum, illi maledicet populus, et benedictio super caput vendentis.* Ut ergo nefariis illorum artibus obviam iretur, pius et prudens magistratus annonae et rei frumentariae curam in se recipere non recusavit. *Josephus* Gen. 41, v. 33. consulit Pharaoni, ut virum intelligentem ac sapientem huic negotio praeficiat eidemque alios praefectos et quaestores adjungat, qui vicatim et oppidatim fruges colligant. *Pharao* Exod. 1, v. 11. et *Salomon* 1. Reg. 9, v. 19. aedificarunt עָרֵי־הַמִּסְכְּנוֹת, *urbes thesaurorum*, apothecarum sive granariorum, Lutherus recte vertit, Kornhäuſer, ita enim exponitur 2. Paral. 32, v. 28. *Ezechias* paravit מִסְכְּנוֹת, *apothecas ad provectum frumenti et musti et olei. Roboam* Salomonis filius *aedificavit* in civitatibus suae ditionis אוֹצָרוֹת, LXX interpr. *παραθέσεις*, *cellaria frumenti et olei et musti*, qua voce etiam Targum Exod. 1, v. 11. utitur. Romani spectatissimum quemque in republica annonae praefectum creabant, ne frumentarii seu dardanarii cum oppressione egenorum pro lubitu quaestum facere possent. *3. Vestium luxum legibus vestiariis coërcere.* In vestitu multis modis peccari solet, *levitate*, *novitate*, *superfluitate*, *sumtuositate* etc. legislator huic etiam malo obviam eat, saepius enim coguntur subditi ob impensas in superflua aut pretiosa factas immobilia vendere, dolose negotiari ac malis artibus sese dedere, id quod legibus vestiariis antevertere convenit. *Conviviorum et vestium luxuria aegrae civitatis est indicium*, Seneca epistola 115. Huic ergo malo per legum medicinam occurrendum. *Tiberium* caesarem vestiarias leges tulisse auctor est Dion. libro 7. histor. Roman. Cumprimis vero femineus sexus ad luxum vestiarium proclivior esse solet, unde apostoli 1. Tim. 2, v. 9. 1. Petri 3, v. 3. superfluum illum corporis ornatum in ipsis nominatim taxant et interioris hominis cultum eidem praeferendum esse docent, quem Tertullianus in lib. de cult. femin. pulcherrimis describit verbis. *Prodite*, inquit, *vos jam medicamentis et ornamentis exstructae apostolorum sumentes de simplicitate candorem*, *de pudicitia ruborem*, *depictae oculos verecundia et spiritus taciturnitate*, *inserentes in aures sermonem Dei*, *annectentes cervicibus jugum Christi*, *caput maritis subjicite et satis ornatae eritis. Manus lanis occupate*, *pedes domi figite*, *et plus quam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis*, *byssino sanctitatis*, *purpura pudicitiae. Taliter pigmentatae Deum habebitis amatorem.* Lacedaemonii solis meretricibus floridas vestes aurumque mundum gestare permiserunt probis mulieribus ornatus studium interdicentes, Clemens Alexandr. libro 2. paedag. cap. 10.

231. Quaeritur hoc loco 1. *An asyla instituenda?* Qu. 1. An asyla instituenda? XIV. 96.
Asyla sunt tuta receptacula, a quibus non licet aliquem vi abstrahere juxta Servium, dicta ab *α* privandi particula et *σύρειν*, quod est trahere, ut *ρ* in *λ* per Lamdacismum statuatur mutatum, vel quod convenientius a *συλᾶν*, quod est auferre. Eorum in republica usum probant *1. jus divinum.* Exod. 21, v. 13. Numer. 35, v. 1. Deuteronom. 19, v. 2. Jos. 20, v. 7. constituuntur *civitates refugii* pro illis, qui casuale et involuntarium homicidium commiserunt. *2. Jus canonicum*, c. inter alia, extra de immunit. eccles. ubi statuitur, *non esse ex templo abripiendum ullum hominem, quantumcunque gravia maleficia perpetraverit. 3. Jus civile* sive *imperatorium*, Honorius et Theodosius *fideli devotaque praeceptione sanciunt* l. 2. C. de his, qui ad eccles. confug. *nemini licere ad sacrosanctas ecclesias confugientes abducere. 4. Consensus gentium.* Fuerunt asyla in Asia, Aegypto, Graecia et apud omnes fere populos. *Cadmus*, cum Thebas conderet, asylum instituit, quo confugientes sive servi, sive liberi a poena tuti essent ideoque per vim extrahi non possent. Servius in l. 8. Aeneid. Virg. *Herculis nepotes* Athenis asylum instituerunt, post quod in Rhoeteo littore fuit *Ajacis* asylum et in Sigeo *Achillis*, Alexander ab Alex. l. 3. genial. dier. c. 20.

Fama est, defessos acie post busta paterni
Numinis Herculeos sedem fundasse nepotes.
Sic sacrasse loco commune animantibus aegris
Confugium,

ut canit Statius lib. 12. Theb. in *Aegypto* ad ostium Nili, quod vocatur Canobicum, *Herculis templum* asyli loco habitum fuisse, memorat Herodotus libr. 2. pag. 62. *Romulus et Remus* condita Roma inter arcem et Capitolium aperuerunt asylum eo in loco, qui appellatur Intermontius. Quotquot eo confugissent, impunitatem consequebantur, Livius l. 1. histor. dec. 1. unde Ovidius de ipso canit:

Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Strabo lib. 8. memorat, fuisse asylum in insula *Calvaria*. Apud *Athenienses* sepulcrum Thesei, Plutarchus in vita Thesei, apud *Ephesios* templum Dianae asyli loco fuit, Dionysius Halicarnassaeus libro 4. apud *Molossos*, *Samothraces*, *Crotoniatas*, *Messenios* et plerosque populos ad deorum aras confugisse, pro asylo habitum est. Polydorus Virg. lib. 3. de rer. invent. cap. 12. multa ejusmodi exempla commemorat et addit, in *Anglia* adhuc hodie templa esse loco asylorum. *5. Primitivae ecclesiae exemplum.* In concilio Arausicano can. 5. decernitur, *ut nulli ab ecclesia rapiantur;* concilium
XIV. 97. Aurelianense 4. can. 21. praecipit, *ut hoc jus ab episcopis retineatur, et qui id facere neglexerint, excommunicentur.* Toletanum 12. can. 10. dat pro asylo *triginta passus circa ecclesias, si fuerint minores, metropolitanis vero quadraginta.* Gregorius Nazianz. in orat. funebri Basilii refert, praefectum Valentis imperatoris habuisse assessorem, qui nobilem quandam feminam misere deperibat eamque uxorem ducere cupiebat, illa vero recusabat. Praefectus assessori studebat, unde vis mulieri afflictae parabatur, quare illa confugit ad ecclesiam, Basilius eam protexit *jure asyli*, quod ecclesiis et altaribus erat concessum. Socratis l. 6. hist. c. 5. de Chrysostomo commemoratur, quod acriter objurgaverit *Eutropium imperatoris Arcadii eunuchum*, qui imperatori suaserat, ut omnia omnino asyla tollerentur, idem Eutropius cum imperatoris gratia excideret et in ecclesia defensionem quaereret, nullam invenit. Augustinus epist. 187. Bonifacio comiti, qui nomine Romano provinciam administrabat, cum vi rapuisset quempiam ex templo, scribit, *se vehementer mirari, quod hominem inde abstraxisset, mandatque, ut salvum quam primum restituat, et adjicit, se clericis praecepisse, ut oblationes ex ejus domo non accipiant, et se jam illum excommunicasse.* Epist. 188. idem comes Augustino modeste respondet, agnoscit se graviter peccasse. *Virum*, ait, *quem abstraxi, ecce jam reddo. Scias autem, illum esse morte dignissimum.* libr. 1. de civ. D. c. 7. confert asylum Romuli cum *templis Romanae urbis*, in quibus tempore Alarici regis Christiani habuerunt immunitatem. *6. Publicum commodum.* Tempore pacis asyla refugium praebent servis nimia dominorum saevitia oppressis l. fugitivus ff. de edicto aedilitio, reis ab ira judicis vel adversarii potentia sibi metuentibus, in causa adhuc dubia periclitantibus, aere alieno gravatis, illis qui ex imprudentia hominem interfecerunt etc. Tempore belli, quando civitas expugnatur nec auxilium apparet ullum, obsessi ad templa confugiunt, ut serventur. Distinguendum tamen inter *delicta voluntaria et involuntaria*, inter *flagitia notoria* et *dubia*, qui prioris generis delicta commiserunt, illis non debet immunitas asylorum patere. Exod. 21, v. 14: *Si quis per industriam proximum suum occidit, ab altari meo avelles eum, ut moriatur.* 1. Reg. 2, v. 30. Joabus jussu regis *Salomonis* a Banaja circa altare occiditur. *Tiberius caesar* cum templa Graecorum pessimis servitiorum complerentur, eodem subsidio obaerati adversum creditores suspectique capitalium criminum receptarentur, asyla Graecorum lustravit et repurgavit, Corn. Tacitus l. 3. annal. *Justinianus* immunitatem asylorum nimis latam et amplam rebuspublicis obesse videns eandem contraxit, §. quod si delinquentes etc. authent. de mandat. princip. ubi excipit *homicidas* (voluntarios), *adulteros et virginum raptores, quos nullis* XIV. 98
asylorum privilegiis frui permittit. In jure canonico tria hominum genera ab asylorum immunitate excluduntur, *latrones publici, qui vias obsident, nocturni grassatores, qui agros vastant, et qui in templo vel coemiterio enormia scelera committunt freti ea spe, quod ibi futuri sint illaesi.* l. immunitatem extra de immun. eccles. *haereticos etiam et excommunicatos* nolunt jure asylorum frui, si scilicet propter ipsam haeresin in periculum veniant. Franciscus I. Galliarum rex constituit, ut delinquentes ad ecclesias confugientes capiantur salvo jure, si reintegrari debeant, sicque cognoscatur, an immunitate ecclesiae gaudere debeant, vel minus, Petr. Gregor. l. 13. de republ. c. 13. n. 11. Providendum etiam sedulo, ne spe veniae et impunitatis cuiquam inferatur injuria, vel delicta foveantur, ne asyla sint nimis frequentia etc.

2. An usurae in republica tolerandae?

232. Quaeritur 2. *An usurae in republica tolerandae?* **Quam turpis ac detestabilis sit usura, XIV. 99
apparet 1. ex prohibentis auctoritate; 2. ex peccati foeditate, pugnat cum septimo praecepto, est ergo furtum; 3. ex damni gravitate, dicitur enim usura a mordendo ac rodendo, quia proximi facultates absumit; 4. ex poenae atrocitate, ea enim est tum temporalis, tum aeterna.** Damnat usuras *1. jus divinum.* Exod. 22, v. 25. Levit. 25, v. 35. 36. 37. Deuter. 23, v. 19. Nehem. 5, v. 8. Psalm. 15, v. 5. Ezech. 18, v. 7. et 8. cap. 22, v. 12. *2. Jus canonicum* c. Non licet etc. c. Sicut etc. dist. 46. c. Episcopus etc. c. Quoniam etc. dist. 47. c. Si foeneraveris etc. cum seqq. caus. 14. q. 3. c. Ministri etc. cum seqq. causa ead. q. 4. l. 5. decretalium tit. 19. de usuris c. quia in omnibus etc. 2: *Usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam. 3. Con-*

sensus gentium. Cato interrogatus, quid esset foenerari, *idem* dixit quod *hominem occidere.* Cicero lib. 2. offic. Vit. philos. c. 95. Idem l. de re rustica scribit: *Majores nostri sic habuere et ita in legibus posuere, furem duplo condemnandum, foeneratorem quadruplo. Lycurgus* e tota Sparta foenus exterminasse dicitur, Plutarchus in Lyc. *Agis* Atheniensium dux adeo exosum habuit foenus, ut omnium foeneratorum tabulas igne supposito in foro concremarit, *quo igne nullum clarius lumen se vidisse* Agesilaus dixit Alexander ab Alexandr. lib. 1. genial. dier. c. 7. Usurarios manus amputatione plectebat *Gallia*, Cujacius lib. 7. observ. 13. *Plato* usurarios e republica exterminandos statuit lib. 5. de legibus. *Aristoteles* usurariam acquisitionem maxime contra naturam esse asserit, cum pecunia sit res sterilis, libr. 1. politic. cap. 7. *Foenus est animae funus*, dicebat Alphonsus referente Panormita de dict. et fact. Alph. l. 3. cap. 34. *Tollendum ex civitate illud urbibus vetus foenebre malum*, inquit Tacitus lib. 6. annal. pag. 105. ignotum illud fuit veteribus Germanis, de quibus idem Tacitus de mor. Germ. cap. 8: *Foenus agitare et in usuras extendere ignotum ideoque magis servatur, quam si vetitum esset.* Bodinus non modo radices, sed etiam fibras hujus mali penitus amputandas esse disputat lib. 5. de republ. c. 2. 4. *Auctoritas patrum et conciliorum.* Damnatae sunt usurae in concilio Nicaeno primo can. 18. Eliberitano can. 20. Arelatensi can. 12. Laodiceno can. 5. Carthaginensi 3. can 16. Constantinopolitano 6. can. 10. Lugdunensi can. 10. etc. Ex patribus multa huc afferri possunt. Hieronymus libr. 6. in Ezechiel. cap. 18: *Quidam pro pecunia foenerata solent munuscula accipere diversi generis et non intelligunt, usuram appellari et superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint.* Ambrosii liber de Tobia totus in detestatione usurae occupatus est, c. 13. dicit: *Usuram ab usu dictam arbitror, quod ut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur. Lugubre cerae prima litera sonat, parturit, vox doloris est. Quid ibi potest esse boni, quod a dolore incipit et ab obligatione? Lepores*
100. *ferunt, generare simul et educare et continuo parturire. Istis quoque anaglyphariis usurarum generatur et supergeneratur usura, enutritur ac nascitur, et nata jam parturit* etc. *Pecunia foenebris hodie seminatur, cras fructificat, semper parit, nunquam interit, semper plantatur, vix evellitur. Vult semper foenerator acquirere, nunquam perdere, pecuniam suam semper explere, nunquam sanare, semper occidere.* Chrysostomus in c. 5. Matth. usuram aspidis morsui comparat: *Qui aspidis morsu percutitur, quasi delectando in somnum vergit et per suavitatem lethalis soporis moritur, eo quod venenum inter dormiendum per omnia membra grassatur; sic qui pecuniam ab usurario accipit, in praesenti quidem quasi beneficio affectus gaudet, verum usura per omnes illius facultates decurrens totum convertit in debitum.* Lactantius l. 6. instit. c. 18: *Cultor Dei pecuniae, si quam crediderit, non accipiat usuram, ut et beneficium sit incolume, quod succurrat necessitati, et abstineat prorsus alieno. In hoc enim genere officii suo debet esse contentus, quem oportet alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat; plus autem accipere, quam dederit, injustum est; quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate praedetur.* Augustinus in Psalm. 36. conc. 3: *Nolo sitis foeneratores, et ideo nolo, quia Deus non vult. Nam si ego nolo et Deus vult, agite; si autem Deus non vult, etiamsi ego vellem, malo suo ageret, qui ageret. Unde apparet, Deum hoc nolle, dictum est alio loco: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Et quam detestabile sit, quam odiosum, quam exsecrandum, puto quia et ipsi foeneratores noverunt.* Bernhardus epist. 322. circa fin. col. 999: *Sicubi desunt Judaei, pejus judaizare dolemus Christianos foeneratores, si tamen Christianos et non magis baptizatos Judaeos convenit appellari* etc. 5. *Multiplex* quod ex illis nascitur *incommodum.* Usurae et accipientibus sunt noxiae. Dantes exsugunt atque exhauriunt, unde Baldus consil. 449. vol. 3. comparat usuram *vermiculo ligni*, qui tactu lenis apparet, sed dentes habet durissimos et medullam ligni ita corrodit, ut superficies quasi illaesa appareat. Hebraeis usura dicitur *a mordendo ac rodendo. Ut enim serpens mordens in silentio primum non percipitur vel sentitur, sed postea homo inflatur et diffunditur effectus illius morsus parvi per totum corpus; sic usurae malum in principio non sentitur, sed postea adscendit in magnam summam et devorat totam hominis substantiam*, ut loquitur Lyranus in c. 22. Exod. Accipientes a laboribus ad otium avocant et ad abusum divitiarum invitant. Homines enim illecti faciliori ac tutiori ratione lucrandi per usuras minus curant artes honestas humanae vitae necessarias. **Rabbi Salomon de voce נֶשֶׁךְ *incrementum usurae sic dicitur, quia habet se instar morsus serpentis, qui mordet vulnus parvum in pede alicujus, ita ut non sentiat, mox autem serpit et diffundit se venenum, donec veniat ad verticem ejus; sic quoque incrementum usurae se habet, non enim sentitur nec cognoscitur, donec ita augeatur, ut totam substantiam alicujus diminuat.* Chaldaeis dicitur חַבְלְיָה *a perdendo*, quasi dicas corruptio, devastatio, quod corrumpit ac perdit hominem.**

233. Atque haec de usuris vel potius contra usuras recte dicuntur, interim tamen, ne scrupulus conscientiis in re libera injiciatur, neve turbae et confusiones in ecclesia et republica excitentur, sedulo providendum, ne sub nomine usurarum damnentur contractus liciti et justi ad jus gentium pertinentes et publicum commodum promoventes, inde jurisconsulti distinguunt inter *usuras lucratorias et compensatorias*, inter *usuras immoderatas ac moderatas;* priores damnant, posteriores approbant. Theologi usuras simpliciter prohibitas dicunt, interim nomine usurarum negant venire contractus justos

Quae proprie sint usurae?

et aequos legibus permissos, sed cum de re ipsa constet, otiosa est de vocabulis concertatio. Quando
XIV. 101. igitur quaeritur, an usurae damnatae nomine veniat contractus ille, quo pro centum florenorum usu quotannis quatuor vel quinque exiguntur, negamus, absolute simpliciter ac semper talem contractum elocationis pecuniarum esse illicitum et usurarium, quod ut rectius percipiatur, procedimus hoc modo: *Tria sunt hominum genera*, cum quibus in societate civili nobis res et qui pecuniam a nobis suae vel *necessitatis*, vel *utilitatis* causa expetunt. Primo quidam sunt *extreme pauperes*, qui non habent, unde vivant, sed ad extremam inopiae lineam redacti ne sortem quidem reddere possunt; illis debetur *eleemosyna*, hoc est illis ea ratione dandum, ut *nihil quidquam inde speretur* Luc. 6, v. 35. *sinistra nesciat*, *quid dextra illis fecerit* Matth. 6, v. 3. Deinde quidam sunt *indigentes*, quibus ob necessariam vitae sustentationem ad tempus pecuniae summa opus est, qua non quidem cupiunt lucrari et negotiari, sed praesenti necessitati succurrere; illis *gratuitum mutui officium* debetur, hoc est illis ea ratione dandum, ut sors quidem statuto tempore repetatur, sed propter usum pecuniae nihil ulterius exigatur, Lev. 25, v. 35. Psalm. 37, v. 21. etc. Denique quidam sunt *opulenti*, qui pecuniam a nobis expetunt, non ob urgentem aliquam necessitatem, sed ut nostra pecunia negotientur, lucrentur, emant fundos ac praedia; cum illis licet talem inire contractum,' ut quotannis pro centum florenorum usu quatuor vel quinque persolvant, salva interim sortis repetitione. **Theologi Jenens. in responso 17. Jul. 1594: Weil die Obrigkeit unter dem Schein eines Contracts und größern Wucher zu verhüten ex officio 5 fl. nachläſſet, und darüber exequirt, müſſen wir ſolche der Obrigkeit Constitution, welche ſie zu verantworten wiſſen wird, wie ander mehr, paſſiren laſſen, in der Hoffnung, wie Gott jederzeit ſeinem Volk etliche ſchwere Sünde als den Juden polygamiam, alſo den unſern dieſen von der Obrigkeit aus Noth von probabilibus rationibus zugelaſſenen Wucher in Gnaden werde zu gute halten. Imo ipse Socinus in epist. ad Mörstin. 4. p. 503: *De usura semper fui hujus sententiae, eam non esse per se vetitam ullo modo, quidquid vel morales patres, vel theologi nostri contra disputant. Rationes tam philosophorum, quam theologorum missas facio et duo tantum verba de Sacrarum literarum testimoniis dicam. Primum igitur id pro concesso pono, usuram in toto N. T. non inveniri prohibitam, imo non leve argumentum esse affirmo permissionis ejus, quod nusquam, cum toties in eo commemorentur illa, quae in moribus nostris et actionibus pugnant cum spiritu et evangelii doctrina et quodammodo enumerentur, inter ista nulla prorsus ipsius fiat mentio* etc.**

Census annuos esse licitos probatur.

234. Demonstramus vero nos sequentibus rationibus: *1. Ex naturali aequitate.* 1. Christus Salvator noster naturalis aequitatis praescriptum hac regula et authentica complexus est: *Omne quod vultis, ut faciant vobis homines, etiam ipsis facite* 1. Ex naturali aequitate.
Matth. 7, v. 12. vel uti Lucas verba retulit c. 6, v. 31: *Prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis* ὁμοίως, *similiter*. Apud Matthaeum additur, *hanc esse legem et prophetas*, hoc est quidquid lex et prophetae de justitia et jure in societate civili praescribunt, illud omne ad hunc canonem referri commodissime posse. Jam vero in praedicto casu ita comparatum est, ut debitor pecuniam a nobis expetat, non extrema quadam inopia compulsus, sed fine eo, ut negotietur, lucretur et commoda sua paret; vicissim etiam negari nequit, creditorem potuisse ipsummet hac sua pecunia itidem negotiari, lucrari et commoda sua parare; ipsa igitur aequitas et juris naturalis sanctio requirit, ut debitor cum
creditore eo modo agat, quo modo secum in simili XIV. 102.
casu actum velit, hoc est ut in participationem commodi creditorem admittat et in compensationem illius augmenti facultatum suarum, quod pecuniae usu parare poterat atque interim eo carere cogitur, quotannis aliquid ipsi expendat. 2. Praeterea, quod debita gratitudo postulat, illud jure naturali etiam exigi certum est, gratitudo enim est juris naturalis ac proinde obligatio, quae ex gratitudine nascitur, est juris naturalis. Jam vero in praedicto casu debita gratitudo exigit, ut is, qui pecunia alterius negotiatur et lucratur, vel etiam magno onere bonis ipsius immobilibus inhaerente levatur ac liberatur, gratum sese praestet erga eum, a quo hoc beneficio affectus est, id quod fit non sola sortis restitutione, sed etiam liberali aliqua compensatione. Qui ex pecunia alterius magnum ad se rediisse sentit commodum, naturaliter obligatur ad beneficium agnoscendum et ἀντίδωρον aliquod reddendum. Ergo idem quoque jus naturale ab ipso exiget. Nec est, quod obvertat aliquis, gratitudinem esse quidem juris et obligationis naturalis, interim tamen debere eam esse liberam, ac proinde ad eam data syngrapha non esse civiliter obligandum debitorem. Etenim ad quod naturaliter aliquis obligatus est, ad illud etiam civiliter obligari potest, quod jure aliquis praestare tenetur, ad illud etiam externis mediis cogi potest. Sic qui pecuniam mutuam accepit, naturaliter ad restitutionem obligatur, interim tamen ad eandem etiam civiliter haud injuria obligari potest. Nimirum propter peccati originalis labem tanta plurimorum animos occupavit ἀχαριστία, ut pecunia mutuo accepta quasi inventa utantur, nec de restitutione cogitent, unde creditores saepius de ipsa sorte periclitari coguntur, de quo late queritur Siracides c. 29, v. 4. usque ad 10. inde magistratus salutaribus legibus, quae sunt medicinae malorum, in republica providere voluit, ut debitor non solum ad *assecurationem*, quam ita vocant, pecuniae mutuo acceptae, sed ad *compensationem officii* ex grato animo profectam obligaretur.

235. *2. Ex Christiana caritate.* 1. Apostolus 2. Ex Christiana caritate.
2. Cor. 8, v. 13. hanc praescribit caritatis regulam,

aliis ita benefaciendum esse, non ut ipsis sit relaxatio, ἄνεσις, nobis vero afflictio, θλίψις, sed ut sit aequalitas. Quamvis vero haec regula in specie ibidem ad eleemosynariam beneficientiam accommodetur, in se tamen ac per se est generalis, docens, ita benefaciendum esse aliis, ne nobis vel nostris ex eo insigne aliquod detrimentum oriatur. Huc a quibusdam refertur dictum Salomonis Prov. 5, v. 16 et 17: *Dividantur fontes tui foras, in plateis rivi aquarum sint tibi soli, tibi et non alienis tecum*, quamvis ex antecedentibus et consequentibus specialis aliquis sensus ad uxorem et liberos pertinens a quibusdam colligatur. Jam vero si alii nostra pecunia pro lubitu uterentur ad negotiationes, mercimonia, praediorum emtiones etc. eaque absque ulla compensatione nobis facta plurimum lucrarentur, tunc ipsis quidem esset *relaxatio*, nobis vero ac nostris *afflictio*, siquidem nos non minus ac illi ipsimet nostra hac pecunia potuissemus contractus emtionis vel alios ad rem faciendam idoneos exercere ac commoda nostra parare; aequitas igitur et illi respondens Christiana caritas requirit, *ut fiat aequalitas*, hoc est ut divitis illius negotiatoris, qui pecunia nostra lucratus est, abundantia nostram ac nostrorum inopiam suppleat. *ἵνα τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένηται εἰς το ὑμῶν ὑστέρημα*, ut in simili apostolus loquitur 2. Cor. 8, v. 14. 2. Est etiam hoc effatum apostolicum 1. Tim. 5, v. 8: *Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit et infideli est deterior*, cum quo conjungimus illud 2. Cor. 12, v. 14: *οἱ γονεῖς ὀφείλουσι τοῖς τέκνοις θησαυρίζειν, parentes debent liberis suis thesauros colligere.* Jam vero nulla nostrorum ageretur cura, multo minus thesauri ipsis colligerentur, si proximus nostra pecunia suum duntaxat pararet commodum nec in ejusdem participationem ac *κοινωνίαν* ullam nos admitteret. Ergo id pugnat
IV. 103. cum Christianae caritatis officio. *Ordinata caritas incipit a se ipsa* ac suadet, ut potiorem rationem habeamus eorum, quos Deus et natura arctius nobis conjunxit. 3. Quemadmodum iniquum foret ac Christianae caritati repugnaret, si indigentes illi, quos superius in secundam classem retulimus, magnam pecuniae summam nunquam a se restituendam eleemosynae loco sibi a nobis dari postularent, tum ad tempus duntaxat ea indigeant ac postea absque insigni suo detrimento sortem reddere possint; ita quoque pari ratione iniquum est et caritati contrarium, si divites in classe tertia collocati absque ulla praeter sortem compensatione ingentem pecuniae summam a nobis postulent, qua suas negotiationes suaque commoda promoveant, cum absque detrimento suo in partem lucri nos vocare possint et debeant. Ut cum caritate pugnat, si homines secundi ordinis a nobis flagitent, secum agi per eleemosynas; sic etiam cum caritate pugnat, si homines tertii ordinis a nobis expetant, secum agi et contractus iniri per mutuum gratuitum. 4. Denique in omnibus legitimis contractibus *caritatem oportet esse reciprocam*, hoc est utriusque partis contrahentium commoda sunt promovenda, ergo etiam in hoc speciali contractu et creditoris, et debitoris habenda est ratio. Quodsi vero debitor in re lauta constitutus aliena pecunia lucratur, emit fundos, aeris alieni onere praedia sua liberat, ut iis magno suo cum commodo libere utatur, fruatur, atque creditor interim sua pecunia absque ulla compensatione carere cogitur, tum caritas non est reciproca, sed commodum ad unam duntaxat contrahentium partem redit, praeterita ac praetermissa plane altera. Neque est, quod obvertatur, *ad illum solum, qui pecunia aliena negotiatur et mercimonia exercet, redire periculum, proinde etiam ad ipsum solum pertinere negotiationis commodum*, quia praesupponimus in decisione hujus quaestionis, quod debitor pecunia mutuo accepta lucretur et commoda sua paret. Sin vero casu aliquo fortuito, insperato atque inevitabili ad inopiam redigatur, tunc caritas Christiana tanquam moderatrix ac directrix omnium in Christiana republica contractuum sese mediam interponat ac ratione circumstantiarum habita annuum illum censum, vel ipsam etiam sortem debitori remittendam esse jubeat, quando enim homines tertii ordinis rediguntur ad secundam classem, tunc mutuum erga ipsos debet esse gratuitum, quando ad primam, eleemosyna sunt juvandi, tantum abest, ut census annui ab illis exigendi.

236. *3. A magistratus Christiani auctoritate.* 3. A magistratus Christiani auctoritate.
Certum et immotum esse debet axioma illud theologicum: *Evangelium non abolet politias*, nec tollit legitimos contractus. Ergo etiam non abolet salutares leges et constitutiones magistratus juri naturali congruentes Rom. 13, v. 1. 1. Petr. 2, v. 13. *Quomodo sit contrahendum* (inquit Lobechius disp. 18. in August. confess. th. 93.) *et qui contractus habendi sint legitimi aut illegitimi, non theologorum est, sed magistratus et jurisconsultorum est judicare. Non enim magis hoc ad theologos spectat quam medicis praescribere, quae pharmaca, quibus aegrotis sint applicanda* (id quod de contractuum aequitate *in specie* accipiendum, nam *in genere* verbum Dei praecipit, cavendam esse injustitiam, fraudes, violationem caritatis etc.). Jam vero Christianus magistratus contractum illum, quo proximo centum floreni pro quinque florenorum pensione annua, ut sic loquar, elocantur, approbavit, ut ex Justiniani legibus et imperii Romani constitutionibus notum. Quare, ut homo pius ac Christianus salva omnino atque illaesa conscientia in civili vita aliis legitimis et salutaribus magistratus constitutionibus in commerciis, hereditatibus, causis testamentariis etc. ita quoque hac ipsa justa ac rationabili magistratus constitutione de censibus annuis absque ullo conscientiae scrupulo uti potest, siquidem magistratus est Dei minister potestate ferendarum legum divinitus instructus. Nec est, quod obvertatur, *1. hanc constitutionem magistratus pugnare cum jure divino*, quod omnes usuras indistincte et absolute prohibet; XIV. 104.
cum jure naturali, quod officium mutui gratuitum esse debere docet; *cum recta ratione*, quae pecuniam

esse rem sterilem ac proinde nullum fructum parere posse ostendit, quid enim hac de re statuendum sit, inferius expeditum dabitur. Hoc loco unicum illud monemus, magistratum in hac sua ordinatione ad aequitatem naturalem respectum habuisse ac multis controversiis et difficultatibus obviam ire voluisse. Cum enim certi et expediti juris sit, in mutuo id quod interest a debitore exigi, id est *ob lucrum cessans et damnum emergens* jure compensationem quandam postulari posse, et vero in judiciis saepius diu multumque controvertatur, quid proprie sit usurarium, quid vero lucri cessantis et damni emergentis compensatio, ideo ad certam quandam mediocritatem id, quod interest, reducere voluerunt, nimirum ut pro centum florenis mutuo datis quinque loco illius, quod interest, exigantur et hac ratione controversiis in judicio longissime protractis occurratur. Leges statuunt, *taxationem illius, quod interest, judicis arbitrio relictam* esse l. 3. §. ult. ff. de eo, quod certo loco, eccur igitur superiori magistratui non fuisset liberum, talem quandam generalem moderationem, atque ut sic loquar, *taxationem* in hoc contractu instituere? *2. Magistratum ad praecavendum majus malum ac gravius peccatum, illud quod sua natura est peccatum, duntaxat permisisse, ac proinde jus fori a jure poli esse distinguendum, nec per politicas illas leges conscientiae tranquillitatem obtineri posse.* Neque enim pius magistratus talem potestatem sibi arrogat, ut ad evitandum majus malum, id quod per se et sua natura injustum est, permittat, *cum non sint facienda*, multo minus legibus sancienda *mala, ut eveniant bona* Rom. 3, v. 8. cum magistratus utriusque decalogi tabulae custos esse debeat, cum inferior non possit tollere legem superioris. Alterutrum igitur statuendum fuerit, vel quod censum illum pecuniae annuum in contractu saepius nominato accipere, non sit in se ac semper illicitum et juri divino ac naturali adversum; vel quod magistratus id permittens contra jus divinum et naturale, contra aequitatem et justitiam egerit, id quod de Christiano magistratu affirmare perquam durum et auditu acerbum. Sunt qui hanc magistratus constitutionem conferunt cum legibus Mosaicis de polygamia jure divino prohibita, Matth. 19, v. 8: *Moyses propter σκληροκαρδίαν permisit vobis dimittere uxores, ab initio autem non erat sic*; sed si vel maxime divina quadam dispensatione Moyses tale quid permisisset, nondum tamen evictum foret, etiam magistratui jus illud contra legem divinam dispensandi competere, cum *custos* divinae legis et eorum, qui legem divinam transgrediuntur, *vindex* sit constitutus.

4. Ex aliorum contractuum paritate.

237. *4. Ex aliorum contractuum paritate.* De similibus idem est judicium, ac ubi par ratio, ibi idem jus. Jam vero approbantur contractus, qui illi ipsi, de quo agimus, quod ad aequitatem naturalem attinet, plane sunt similes. Ergo et is, de quo agimus, approbari potest, nec temere tanquam simpliciter injustus et usurarius repudiari debet. 1. Approbatur *contractus emphyteuseos*, quando mea pecunia agrum emo eumque alteri colendum trado ea lege, ut propter annuam fructuum perceptionem certam pecuniae summam vel etiam modios aliquot frugum quotannis mihi persolvat, modo canon, quem ita vocant, hoc est pecunia vel frumentum quotannis persolvendum, sit juri et aequitati consentaneus. Quid vero discriminis in eo, si vel ipse immediate mea pecunia agrum emam eundemque alteri elocem, ut partem fructuum quotannis percipiam, vel si pecuniam meam alteri dem mutuo, ut ex ea agrum emat et propter annuam fructuum ex emto illo agro perceptionem certum et moderatum censum quotannis mihi dependat? Certe quod naturalem aequitatem attinet, nihil hic disparitatis occurrit. Quae diversitatis ratio a quibusdam afferri solet, in seqq. XIV. 105
elidetur. 2. Approbatur *contractus antichreseos*, quando propter certam pecuniae summam mutuo datam creditor hypothecae loco fundum mancipat et vice ejus quod interest fructus quotannis percipit. Jam vero minus gravat debitorem ac minus ipsi molestum est, si fundos, agros ac praedia sua et eorum fructus retinere potest integros et salvos, dato interim censu annuo pro pecuniae mutuatae usu, quam si creditori fundos, agros ac praedia eorumque fructus hypothecae loco mancipare cogatur. Ex quo sic concludimus: Quidquid minus gravat debitorem et deteriorem facit conditionem creditoris, illud usurae suspicionem minuit. At sola personalis obligatio ad censum annuum sine ususfructus in hypotheca traditione minus gravat debitorem et deteriorem facit conditionem creditoris, quam traditio realis hypothecae in antichreseos contractu. Ergo usurae suspicionem minuit. 3. Approbatur *contractus emtionis redituum*, quando centum florenis quinque a proximo quotannis mihi persolvendos emo ea pactione, ut dominium centum florenorum a me plane transeat, nec liceat in aeternum eos reposcere. *De emtione redituum* (scribit Chemnicius part. 2. loc. c. de paupertate p. 454.) *multi disputant, sed res ipsa, si recte consideretur, ostendit, hunc contractum, si legitime exerceatur, non pugnare cum caritate.* Verissime hoc asserit Chemnicius, si enim contractus emtionis in genere approbatur, ergo emtio redituum in specie improbari nequit. Prius constat ex Lev. 25, v. 15. 1. Cor. 7, v. 30. proinde etiam posterius immotum consistit. Atqui si licet centum florenis quinque quotannis persolvendos emere, utique etiam licebit centum florenos pro quinque florenorum censu annuo elocare. Si licet mille florenis domum emere, alteri eam locare et quinquaginta florenos pro ἐνοικίῳ exigere, quidni etiam liceat usum annuum illorum mille florenorum immediate alteri elocare? Quod enim obvertitur, *in rebus fragilibus, ad quas pertinet pecunia, usum non posse separatim vendi vel elocari, cum earum usus sit ipsa consumptio*, de eo inferius dispicietur. 4. Approbatur *contractus societatis. Legitimus est contractus,* scribit Chemnicius d. l. p. 455. *quando alter potest negotiari, sed destituitur pecunia, alter vero habet*

pecuniam, sed non potest negotiari, si illi ineant societatem, ut alter conferat pecuniam, alter operas, nam leges dicunt, quod pecuniae deest, per operam suppletur. At parum vel nihil discriminis inter hunc contractum societatis et eum, de quo jam agimus, utrobique enim propter lucrum ex usu pecuniae resultans illi, qui eam erogavit, compensationis loco aliquid datur. Regerunt, *in contractu societatis et lucrum et periculum et damnum utrique contrahentium parti esse commune, id quod non habeat locum in censu illo pecuniae elocatae annuo*; sed jam ante diximus, Christianam caritatem debere moderationem et aequalitatem eam observare, ut periculum ac damnum etiam in hoc ipso contractu sit commune, hoc est, ut debitori praeter culpam ad inopiam redacto census ille annuus alias debitus remittatur. 5. Approbatur *contractus, quo syngrapham emtionis redituum ab altero emo;* at si licet syngrapham illius emtionis et consequenter etiam reditus annuos vi syngraphae debitos certa pecuniae summa ad me transferre, quidni etiam liceat census annuos pro elocatione q. pecuniae percipere? utrobique certe ob pecuniae vel emtae, vel conductae usum proximus reditibus illis annuis ad ipsum alias spectantibus carere cogitur. Nec est quod obvertatur, *contractus illos censeri licitos, quia non pugnent cum expressis Scripturae dictis, aliam vero rationem esse illius, de quo agimus, contractus, qui sub usurarum nomine in verbo Dei penitus damnetur*, eam enim esse principii petitionem suo loco demonstrabitur.

nae a- li-

238. *5. Ex humanae societatis utilitate.* Deus non est ἀκαταστασίας Deus 1. Cor. 14, v. 33. jam vero ingentes ἀταξίαι et ἀκαταστασίαι ex eo orirentur, non in politicis solum, sed etiam in ecclesia, si
106. quis statueret, absolute et simpliciter prohibitum esse propter pecuniam alteri ad negotiationes ac mercimonia exercenda datam censum aliquem exigere, qui enim ad census illos persolvendos obstricti sunt, eosdem dare recusarent et pecunia aliena suum duntaxat quaererent ac pararent commodum, qui vero pecuniis abundant, proximo easdem utendas concedere renuerent, cum nulla compensationis spes appareat, qua ratione commercia et negotiationes generi humano non solum utiles, sed et necessariae impedirentur, unde Ferrariensis in practica in form. libell. action. hypothec. verb. sine aliqua usurarum p. 379. edit. vet. scribit, *mundum vix sustineri, aut regi posse sine usuris*, id quod de censibus illis annuis, de quibus jam agimus, quos jurisconsulti usuras licitas appellant, non autem de usuris verbo Dei damnatis accipiendum. Baldus in l. 1. C. de summ. Trinit. et cons. 453. dicit, *expedire multos inveniri foeneratores, ne multi fame pereant*, id quod respectu ad extremam naturae corruptionem habito forte non injuria ab ipso pronuntiatum videatur. Cumprimis vero huc referenda est novella Leonis 83. Cum enim imperator Orientis Basilius usuras omnes penitus abrogasset, ipsius filius Leo hoc decretum parentis sustulit propter incommodum in rempublicam ex eo redundans. *Parens noster* (inquit) *aeternae memoriae princeps sciens, usuras ubique a Spiritus decreto condemnari, usurarum solutionem sanctione sua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa non in melius, quem tamen finem legislator proposuerat, sed contra in pejus vergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam promti fuerant, post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos, qui pecuniis indigent, difficiles atque immites sunt, quin etiam ad facile jurandum, quodque id fere consequitur ad jusjurandum abrogandum id occasionem praebuit. Breviter propter redundantem in humana vita perversitatem non modo non profuit legis virtus, verum etiam obfuit.*

Circumstantiae in pecuniae elocatione respiciendae.

239. Atque hae sunt praecipuae nostrae rationes, quibus permoti statuimus, non esse absolute et simpliciter census illos pecuniae elocatae annuos inter damnatas usuras referendos, interim tamen addimus in hac pecuniae q. elocatione respiciendas esse certas circumstantias, utpote 1. *conditionem personarum, quae a nobis pecuniam accipiunt*; *2. summam pecuniae datae et tempus solutioni praestitutum*; *3. censum annuum*, qui in stipulationem venit; *4. statum personarum, quae pecuniam erogant.* Circa *primum* nota, cavendum esse 1. ne ab illis census annuus exigatur, qui pecunia mutuo accepta non utuntur ad negotiationes exercendas et lucra comparanda, sed ad necessariam sui ac suorum sustentationem pecuniam a nobis expetunt atque ipsam sortem vix ac ne vix quidem reddere possunt. 2. Ne exigatur ab illis, qui primum quidem ad negotiationes exercendas et lucra comparanda pecuniam a nobis petierunt, postmodum vero praeter suam culpam casibus fortuitis et insperatis, puta incendio, naufragio, diuturniore morbo etc. in eam detruduntur inopiam, ut secundae classis hominibus merito accenseri debeant, erga quos mutuum gratuitum exerceri debere superius diximus, quid quod (ut sunt humana) contingere possit, ut tales negotiatores in primam detrudantur classem, eorum puta, quos eleemosyna juvandos ac quibus non solum censum, sed et sortem ipsam donandam esse docuimus. Si enim ex divite quis fit pauper, tum debeo etiam modum cum ipso agendi mutare. Breviter dicendo, Christiana caritas ut omnium reliquorum, ita etiam hujus contractus directrix ac moderatrix statui debet. Circa *secundum* nota, discrimen statuendum *inter summam pecuniae majorem et minorem*, item *inter tempus brevius ac longius.* Exempli gratia si quis florenum unum atque alterum ad spatium duorum vel trium mensium abs te petat, ibi nolim auctor esse, ut censum propterea exigas; sed si alius quispiam centum, ducentos vel etiam mille florenos, et XIV. 107.
quidem ad anni unius vel plurium etiam annorum spatium exigat, ut praedia ac fundos emat, ut negotietur ac lucretur, ibi propter rationes superius adductas in compensationem hujus officii jure censum aliquem legibus praescriptum exigi posse dicimus.

Monendum interim, de pecuniae summa majore vel minore judicandum non ἁπλῶς, sed συγκριτικῶς respectu ad erogantem habito, nec *secundum arithmeticam*, sed *geometricam proportionem*. Fieri enim potest, ut recte monet Hunnius in comm. 2. Cor. 8. p. 342. *ut aliquis tenuioris conditionis et sortis homo elocet florenos viginti, vel etiam pauciores, quae pecunia cum sit pars substantiae ejus, arbitror, integrum illi esse non minus ac tibi de centum aut mille florenis quotannis inde accipere pensionem legibus definitam.* Circa *tertium* nota, censum debere esse moderatum ac legibus determinatum. Sic imperatoriae leges statuunt, pro usu centum florenorum quotannis quinque exigi posse, de cujus constitutionis aequitate Lutherus in admonit. ut ecclesiae pastores usuras damnent tom. 6. Witeb. Germ. f. 323. sic judicat: So iſt auch jetzt die Zeit nicht, daß man mit fünf oder ſechs Gulden aufs Hundert Reichthum gewinnen könne, ſonderlich wo die dürftigen Perſonen ſolche Zinſen nicht wiederum austhun, ſondern zu ihrem täglichen Brot nöthig brauchen müſſen; ubi tamen denuo monet Hunnius d. l. *inter mercatores* non ita stricte observari, ne numerus in legibus praescriptus excedatur, quia enim mercator quispiam florenis centum aliunde mutuo sumtis beneficio negotiationis uno anno tantum potest lucrari, ut lucrum illud ipsam sortem adaequet, ideo ob spem tam luculenti quaestus non judicari iniquum, ut creditori suo de centum paulo etiam plus dependat, quam in vulgari elocatione receptum, praesertim cum lucrum illud cum suo creditore non partiatur. Circa *quartum* nota, inter eos, qui mutuum rogant, magnam esse differentiam; quidam sunt valde locupletes atque ipsimet legitimis commerciis vel operis et laboribus res suas conservare et absque facultatum attritione pecuniis mutuo dandis proximo indigenti succurrere possunt; quidam mediocribus divitiis affluunt, interim tamen sine quotidiano substantiae decremento illis uti nequeunt, quales sunt *pupilli*, *viduae*, *senes*, *in otio literario viventes*, ad negotiationes exercendas minus idonei. Priores si contractum illum exerceant eo fine, ut secure in otio vivere, genio indulgere et absque ullo labore rem suam familiarem locupletare possint, parum interim soliciti, quid de debitore et proximo indigente fiat, minus recte agunt, monendi igitur sunt, ut cogitent, esse Dei voluntatem, *ut labores manuum suarum quisque manducet* Psalm. 128, v. 2. 1. Thess. 3, v. 11. 2. Thess. 3, v. 10. ac eleemosynam et mutuationem habere peculiares easque amplissimas in verbo Dei promissiones, reliquos vero contractus includi generalibus promissionibus septimi praecepti, ac proinde studeant, ut eleemosynis potius et mutuo gratuito cum proximo agant, quam ut contractum illum annuorum censuum vel unice vel praecipue instituant. Posteriores facilius merentur veniam, si pecunias suas negotiatoribus elocent et ex censu annuo sese suosque sustentent.

Argumenta eorum,

240. Ex his facile apparet, quid ad argumenta eorum, qui census illos annuos absolute et simpliciter improbant, respondendum sit. Urgent 1. *Dicta V. T. superius annotata* Exod. 22, v. 25. Lev. 25, v. 35. etc. in quibus usurae *simpliciter* prohibentur. Respondemus: usuras in illis dictis prohiberi libenter fatemur, sed in quaestione adhuc est, an contractus ille, quo ob pecuniam elocatam pro centum florenorum usu quinque quotannis exiguntur, sit per se, absolute, simpliciter et semper ad usuras divina lege prohibitas referendus, id quod nondum argumentis evidentibus est evictum, sed contrarium potius ex adductis rationibus elucescit. Ut autem haec responsio sit luculentior, notandum est, in dictis illis Scripturae agi *de vero mutuo* hominibus secundae classi superius a nobis assignatis praestando, illud sua natura et semper debet esse *gratuitum*, ac proinde, qui a talibus personis, quibus mutui officium debetur, ultra sortem aliquid, quidquid tandem illud sit, exigit vel accipit, usuras exercet et contra divinam legem agit. Ambrosius lib. de Tobia cap. 14. p. 347: *Et esca usura est, et vestis usura est, et quodcunque sorti accedit, usura est. Quod velis ei nomen imponas, usura est.* Ex eo vero nondum evinci potest, omnibus qui pecunias a nobis dari sibi petunt, mutuum illud gratuitum a nobis praestari debere, sed ad illos solum id pertinet, quos in secundam classem superius collocavimus. Quod vero attinet illos, qui sunt in tertia classe, hoc est qui sunt opulentiores et pecuniam a nobis petunt, non sublevandae inopiae suae causa, sed ut negotientur et quaestum faciant, ut fundos emant et fortunas suas magis magisque augeant, cum illis licitum est non per mutuum gratuitum, sed per talem contractum agere, quo non solum ad sortis restitutionem, sed etiam officii nostri compensationem obligentur. Declaramus id exemplo satis claro et ex propinquo petito. Dicta Scripturae, quae de eleemosyna ac beneficentia proximo praestanda agunt, satis clara ac perspicua sunt, cumprimis vero Christus universaliter pronuntiat, *Da omni petenti* Luc. 6, v. 30. ex eo vero inferri nequit, tales eleemosynas conferri debere omnibus omnino hominibus, etiam illis, quos superius in secundam ac tertiam classem collocavimus, quod enim a secundae classis hominibus sortem repetere licitum sit ac concessum *Siracides* c. 29, v. 2. et *exemplum Tobiae* docet, Tob. 4, v. 21. sed debentur illae iis duntaxat hominibus, quibus primam classem assignavimus, hoc est extreme pauperibus, qui ne ipsam quidem sortem reddere possunt. Pari ratione dicta Scripturae de mutuationis officio sunt satis perspicua, quod scilicet mutuum debeat esse gratuitum et quod usurae illicitae nomine veniat, si quis *propter officium mutui* ultra sortem aliquid exigat; sed ex eo nondum colligi potest, hoc officium gratuiti mutui praestandum esse omnibus, adeoque etiam illis, qui in classe tertia locum obtinent, hoc est qui nostra pecunia negotiantur, lucrantur et fortunas suas luculenter augent, id enim si fieret, nec extreme pauperibus eleemosyna, nec indigentibus mutuum gratuitum tandem praestari posset, siquidem *cessat fontis defluxus, nisi ex altera*

qui … plici impr… cens… annu… 1. E… dicti… V. T.

XIV.

parte adsit affluxus. Ac probe notandum, usuram verbo divino tam severe prohibitam non in mutuo solum statuendam vel quaerendam esse, sed veneni instar omnes contractus pervasisse. Testatur sane experientia, in pecuniae mutuatione artes usurarias cumprimis animadverti, interim damnabilis illa usura non solum *in mutuo*, sed etiam *in emtione ac venditione*, aliisve contractibus locum habet, quando scilicet proximus defraudatur, quando contra jus et aequitatem, contra Christianam caritatem in contractibus aliquid agitur, vel ut apostolus loquitur 1. Thess. 4, v. 6. si quis *ὑπερβαίνει καὶ πλεονεκτεῖ ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ*. Si usurarium est, quando in contractu antichreseos pro modica pecunia mutuata totius fundi fructus accipiuntur, eaque ratione agricolae ex possessionibus suis ejiciuntur, qualem *ἀντίχρησιν* Justinianus prohibuit; usurarium est, quando in contractu societatis instituitur pactum de salvo capitali, etiamsi alter sine sua negligentia damno affectus sit. Quemadmodum igitur ob usurariam pravitatem contractibus illis saepius adhaerentem non statim contractus ipsi repudiantur ac damnantur; ita quoque etiamsi in pecuniae mutuatione usurariae artes saepius animadvertantur, non tamen propterea contractus ipse, quo a divitibus et negotiatoribus ob annuum centum florenorum usum quinque census loco accipiuntur, tanquam usurarius et illicitus absolute, simpliciter et semper est damnandus.

241. Cum hac sententiae nostrae declaratione convenit responsum illorum, qui in legibus divinis usurae oppositis eos duntaxat census prohiberi statuunt, *qui a pauperibus et egenis cum ipsorum onere*
f. 109. *et oppressione tantum propter officium mutui* exiguntur, quam restrictionem ac limitationem necessario hic subintelligendam esse probatur 1. *ex appellatione.* Usura illa, quam Deus lata lege prohibet, vocatur נֶשֶׁךְ Deut. 23, v. 19. Psalm. 15, v. 5. *a morsu ac corrosione*, rad. נָשַׁךְ usurpatur *de morsu serpentis* Num. 21, v. 9. Prov. 23, v. 32. Am. 5, v. 19. ut denotetur, illud demum prohibitae usurae appellatione accipiendum, quo proximi indigentes mordentur, corroduntur ac consumuntur, quales morsus ac corrosiones emphaticis verbis describuntur Mich. 3, v. 3: *Comederunt carnem populi mei et pellem eorum ab eis nudaverunt et ossa eorum confregerunt et conciderunt sicut in lebete et sicut carnem in medio ollae.* Deinde dicitur מַשָּׁה a rad. נָשָׁה *foenori dedit, mutuum dedit*, quando scilicet cum ב ponitur Deut. 24, v. 10. eadem radix Ezech. 39, v. 26. significat *portavit, gestavit*, ut ea demum usura prohibita intelligatur, qua proximus oneratur et gravatur, id quod neutiquam fit in censibus annuis, qui a negotiatoribus et illis, qui pecunia nostra multum lucrantur, propter usum illius exiguntur. Quamvis vero alibi de usura accipiatur vocabulum מַרְבִּית ac תַּרְבִּית a rad. רָבָה, quae in genere *multiplicationem* et *abundantiam* significat, in Targ. רִיבִּית, unde hodiernum Judaeorum ribis Deut. 23, v. 21. Prov. 28, v. 8. Ezech. 18, v. 8. in Chald. חִבּוּל *foenus* a rad. חֲבַל *parturivit, peperit*, sicut *τόκος* a *τίκτω*, quia nummus nummum parit Exod. 22, v. 25. ex quo aliqui colligunt, omne illud, quod ultra sortem in quacunque pecuniae mutuatione vel elocatione accipitur, usurae nomine prohiberi, tamen ex appellationibus reliquis et ex sequentibus limitationis hujus fundamentis conspicuum, eam duntaxat superabundantiam prohiberi, qua indigentes exhauriuntur, gravantur et onerantur.

242. 2. *Ex objecti determinatione*, in plerisque enim dictis usuras prohibentibus mentio fit *egeni* ac *pauperis*, a quo ultra sortem propter mutui officium non sit aliquid exigendum. Exod. 22, v. 25: *Si argentum mutuaveris populo meo pauperi tecum* (הֶעָנִי afflicto, oppresso, tenuioris et afflictioris fortunae, ubi nota ה hajedia esse instar cujusdam determinationis), *non eris ei sicut usurarius.* כְּנֹשֶׁה Lutherus vertit, du ſollſt ihn nicht zu Schaden bringen, hoc est non eris exactor nimis rigidus, ut magno suo cum detrimento cogatur tempore constituto praecise mutuatum argentum reddere; *non ponetis super eum usuram*, נֶשֶׁךְ, mordentem et rodentem. Lev. 25, v. 35: *Cum attenuatus fuerit frater tuus* (in Hebr. est verbum מוּךְ *depulsus*, *dejectus*, ad inopiam redactus fuit, Targ. יִתְמַסְכֵּן *pauper factus fuit) et nutaverit manus ejus tecum* (מוֹט *loco motus est*, vacillavit, subversus est, Targ. וְתִמּוּט *et mota fuerit manus ejus tecum*, hoc est si extendit manum suam, ut eam apprehendas et auxilium tuum experiatur, Lutherus wenn dein Bruder verarmt und neben dir abnimmt, LXX interpr. *ἐὰν πένηται ὁ ἀδελφός σου ὁ μετὰ σοῦ καὶ ἀδυνατήσῃ ταῖς χερσὶ παρὰ σοί, si manus ejus fuerint impotentes et imbecilles ad laborandum, negotiandum et lucrandum*, wenn er mit leerer Hand kommt), *corroborabis eum advena et peregrinus, scilicet es* (hoc est, memento, te quoque peregrinum et advenam esse respectu ad Deum habito, sicut v. 23. quoniam *peregrini et advenae vos ad me.* Lutherus reddidit in accusativo, du ſollſt ihn aufnehmen als einen Fremdling oder Gaſt, secutus LXX interpr. *ἀντιλήψῃ αὐτοῦ ὡς προσηλύτου καὶ παροίκου*, sed supra בוֹ praecedens est accentus regius sakephkaton incisum majus constituens), *ut vivat tecum*, v. 36. *ne accipias ab eo usuram et incrementum*, מֵאִתּוֹ a cum eo, hoc est quando cum ipso per mutuum agis, non accipies נֶשֶׁךְ וְתַרְבִּית, *et timebis a Deo tuo, ut vivat frater tuus tecum*, v. 37. *argentum tuum non dabis ei ad usuram et ad incrementum tuum non dabis ei cibum tuum.* Ex quo luculenter apparet, in lege divina id demum usurae loco haberi, quod a fratre paupere et attenuato accipitur, quove proximus ita gravatur, ut vitae sustentandae necessaria non amplius habeat. XIV. 110. Quamvis igitur in reliquis dictis non fiat expressa pauperis mentio, tamen ex hoc loco tanquam ex propria sede eorum explicatio petenda et per reliqua Scripturae dicta deducenda est.

243. *3. Ex addita explicatione.* In locis aliquot Scripturae sacrae usuram prohibentibus statim *ἐξηγητικῶς* additur, quidnam usurae nomine veniat,

tale scilicet incrementum ac talis superabundantia, quae dantem gravat, onerat, opprimit et consumit. Exod. 22, v. 21: *Peregrinum non populabis (non inferes vim peregrino,* יָנָה afflixit, oppressit, depraedatus est), v. 25: *Si argentum mutuaveris populo meo pauperi tecum, non eris ei usurarius, nec ponetis super eum usuràm* (tanquam onus quoddam premens et urgens). Levit. 25, v. 36: *Non accipias a fratre tuo usuram et incrementum,* Lutherus vertit Ueberſatz. Psalm. 109, v. 11: *Illaqueet foenerator omnia, quae sunt ei,* יְנַקֵּשׁ quidam deducunt a יָקֹשׁ *illaqueavit, irretivit;* quidam a נָקַשׁ *concussit, prostravit;* Targum יְנַבֵּב *colligat*, LXX interpr. ἐξερευνησάτω, *scrutetur*, acceperunt pro יְבַקֵּשׁ propter literarum ב et כ similitudinem. Lutherus: Der Wucherer müſſe ausſaugen alles was er hat. Ezech. 18, v. 8: *Vir qui cum usura non dederit et amplius non acceperit,* Lutherus reddidit der niemand überſetzet, *qui ab iniquitate averterit manum suam, is vivendo vivet.* c. 22, v. 12: *Usuram et superabundantiam accepisti et fraudabas socios tuos in oppressione.* In his et similibus dictis usura describitur per oppressionem, onerationem, facultatum proximi diminutionem, quae descriptio non competit censibus illis annuis, de quibus hoc loco agimus.

244. 4. *Ex naturalis aequitatis et mutuae caritatis conditione.* Summa totius secundae decalogi tabulae proponitur in illa authentica Christi Matth. 7, v. 12: *Quidquid vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite etiam ipsis, haec est lex et prophetae;* consistit enim omnium praeceptorum secundae tabulae summa in dilectione proximi; Roman. 13, v. 10: πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη. v. 8: *qui proximum diligit, legem implevit;* v. 9. *hoc enim, non moechaberis, non occides, non furaberis, non dices falsum testimonium, non concupisces, et si quod aliud mandatum in hoc verbo* ἀνακεφαλαιοῦται, *recapitulatur, et instauratur, diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Idem docet Christus Matth. 22, v. 39. Jam vero demonstratum est superius, nequaquam cum naturali aequitate vel Christiana caritate pugnare, si in certis quibusdam casibus, ab iis scilicet, qui pecunia nostra plurimum lucrantur, pro ejus usu census aliquis moderatus ac legibus definitus exigatur. Ergo prohibitio usurarum in lege divina proposita juxta hanc normam aequitatis et caritatis explicanda, ne eam evertat, sed potius stabiliat. Nec est quod quis obvertat, *quemadmodum in fidei articulis non debemus sequi dictamen humanae rationis, sed claram literam divinae revelationis* 2. Cor. 10, v. 5. *et quemadmodum in cultu divino verbo Dei non debemus nostro arbitrio aliquid addere vel detrahere, sed simpliciter verbo inhaerere* Deut. 4, v. 9. Num. 15, v. 39 Esa. 29, v. 13. Matth. 15, v. 9. *ita quoque in prohibitoriis mandatis usurae oppositis non esse audiendum, quid ratio nostra aequitati naturali et Christianae caritati congruum judicet, sed inhaerendum clarae literae, quae omne omnino incrementum et omnem superabundantiam prohibet;* est enim evidens discrimen inter fidei articulos, qui cum sint ἀκατάληπτα μυστήρια, omnem humanae rationis captum excedunt, et inter contractus ad humanam et civilem vitam pertinentes, de quibus ex lumine naturae judicium fieri potest, unde Christus ipse deducit nos ad regulam juris naturalis omnium hominum mentibus inscriptam atque insculptam et secundum eam de talibus contractibus judicium ferri permittit. Pari ratione magnum discrimen est inter dilectionem Dei et cultum divinum in prima decalogi tabula praescriptum et inter dilectionem proximi in secunda decalogi tabula mandatum, norma dile- XIV. 1
ctionis divinae ac cultus Deo debiti non potest peti ex naturae lumine, sed de dilectione proximi ex naturali aequitate judicari potest. Quodsi quis in istis usurarum prohibitionibus literae simpliciter inhaerere atque ex ea inferre velit, in nullo plane casu licitum esse ob usum pecuniae mutuo datae censum aliquem exigere ac prohibitae usurae appellatione venire omne id, quod ultra sortem accipitur, si vel maxime proximus eo non gravetur, cogitur ex prohibitione de non mentiendo pari ratione elicere, quod nullo plane casu licitum sit aliter loqui, quam res ipsa se habet, ac prohibiti mendacii appellatione venire illud omne, quod in sermone non consentit cum re ipsa, si vel maxime proximus eo non laedatur nec decipiatur, quod tamen ipse Chemnicius et alii theologi non concedunt. Quare ut ex illis dictis, quae in genere prohibent mendacium, non est inferendum, omne illud mendacii nomine venire, quod in sermone cum re non convenit, sed ad definitionem mendacii ex norma caritatis, quae est finis legis, necessario addendum, quod id demum sit mendacium prohibitum, *si falsum proferatur cum voluntate seu intentione decipiendi*, docente Chemnicio part. 2. locor. c. de lege Dei in explicat. octavi praecepti p. 235. ita quoque ex illis dictis, quae in genere prohibent usuras, non potest nec debet inferri, omne illud usurae nomine intelligendum, quod in pecuniae usu alteri concesso ultra sortem accipitur, sed ad definitionem usurae ex eadem caritatis et aequitatis norma necessario addendum, quod ea demum sit usura prohibita, quando aliquid ultra sortem accipitur cum detrimento et oppressione proximi.

245. 5. *Ex paritatis ratione.* In Scriptura non est infrequens absolute, et simpliciter uno in loco aliquid mandari vel prohiberi, cui tamen ex aliis Scripturae locis quaedam restrictio est addenda. Sic Luc. 6, v. 30. Christus in genere praecipit: *Da omni petenti*, interim cum certa limitatione hoc accipiendum, da omni petenti scilicet *indigenti*, da pro *ratione tuarum facultatum* etc. quod si quis praeceptum illud Christi ita nude ac crude velit intelligere, dandum esse cuivis petenti quidquid a nobis postulet, quaecunque tandem sit vel nostra, vel ipsius conditio, is praecepto Christi pessime abutetur, sicut faciebant Gnostici, qui proximi uxorem de stupro solicitantes dicebant: *Scriptum est, da omni petenti.* Sed ut propius ad propositum nostrum accedamus, adducimus locum Ezech. 18, v. 8. ubi

inter descriptionem viri pii, justi ac Deo placentis inter cetera etiam hoc refertur, *quod proximo suo reddat pignus*, id vero non potest absolute et simpliciter eo sensu accipi, quasi nullo modo licitum sit pignus a proximo accipere, sed juxta explicationem in divina lege traditam intelligendum est de tali pignore, quo proximus egenus non potest carere. Exod. 22, v. 26: *Si pignorando pignoratus fueris vestimentum proximi tui, cum occubuerit sol, restitues illud ei;* v. 27. *quia est operimentum ejus, tantum illud vestimentum est pelli suae, in quo dormiat.* Deuter. 24, v. 17: *Non capies in pignus vestimentum viduae.* Eodem sensu accipienda est prohibitio usurae de tali scilicet abundantia et incremento, quod cum damno et oppressione egeni exigitur ac postulatur.

246. Atque haec sunt praecipua fundamenta, quibus demonstramus, mandatum de non accipiendis usuris certa ratione limitandum nec simpliciter et absolute ad quoscunque census, qui in contractu elocatae pecuniae exiguntur, referendum esse. Quidam alia fundamenta addunt, quae non sunt ejusdem roboris ac momenti. 1. Est qui ex Genes. 47, v 24. tale nectit argumentum: *Sicut agri Aegyptiorum proprii erant Pharaonis, ille vero pensionem quintae portonis de frugibus jure exigit; sic iniquum non est, si pro quinquies denorum florenorum usu annuo quinque accipiuntur, est enim quintae partis fructuum emtio. Ergo contractus ille, quo pro centum florenis quinque dantur in annum, non*
. 112. *est a pietate alienus nec sola nititur imperiali constitutione, sed exemplum habet in sacris literis et ab usurariis artibus est separandus.* At ut praetermittamus diversitatis rationes, quae notari possunt complures, ex hac comparatione colligere aliquis posset, si pro quinquies denorum florenorum usu annuo quinque licet accipere, utique pro decies denorum, hoc est centum florenorum usu quotannis licebit accipere decem, id quod tamen in contractu emtionis redituum tanquam usurarium reprobatur.

247. 2. Quidam proferunt legem divinam Deuter. 23, v. 20: *Extraneo foeneraberis et fratri tuo non foeneraberis*, ex quo colligunt, prohibitionem usurarum non esse simpliciter et absolute accipiendam, sed cum certa quadam limitatione ac restrictione, ne scilicet cum detrimento et oppressione proximi usurae exigantur, quam limitationem existimant addi Exod. 22, v. 21: *Peregrinum non populabis et non opprimes eum, quia peregrini fuistis in terra Aegypti.* Sed huic argumento variis modis respondetur. Hieronymus in comment. c 18. Ezech. per distinctionem temporum respondet: *In principio legis a fratribus tantum foenus tollitur, in propheta ab omnibus usura prohibetur. In evangelio virtutis augmentum est praecipiente Domino: Foeneramini his, a quibus non speratis recipere.* Sed hypothesis illa repugnat perfectioni divinae legis. Chemnicius part. 2. locor. theol. p. 434. ex Gersone distinguit *inter permissionem civilem et theologicam*, item inter *jus fori ac jus poli. In V. T.* (inquit) *Moyses fuit et theologus, et legislator, alibi enim tradit, quomodo serviendum sit Deo justitia et sanctitate, alibi vero pro externa societate vitae civilis in republica Israëlitica certas quasdam politicas constitutiones isti populo praescribit, hoc est tractat de jure fori et de jure poli, ordinat forum politicum et forum conscientiae. In legibus autem politicis, quas Deus populo Israël dedit, non semper justitia et sanctitas conscientiae coram Deo praescribitur, sed sunt accommodatae ad conservationem externae et civilis societatis in illa politia pro conditione ingeniorum et morum istius populi, cui Deus ipse tribuit epitheton durae cervicis. Quia igitur leges forenses Deus praescribebat politico magistratui, quae vitia quibus civilibus poenis punienda forent, vidit fieri non posse, ut effrenata hominum malitia ex toto compesceretur legibus civilibus per poenas politicas. Ut ergo in civili societate istius populi pejora vitarentur mala, neve erga domesticos fidei exerceretur usura, non quidem approbavit, sed forensi et politico fine toleranda permisit hactenus, quod per magistratum civilem non puniebantur etc. hoc modo usura in V. T. permittitur civiliter, damnatur autem theologice in conscientia coram Deo.* Alii respondent hoc modo, *usuram erga extraneos ibi nec praecipi, nec permitti, sed quia Scriptura vult, ut omnes homines agnoscamus proximos, sensum esse, erga quemcunque usuram exerces, illum non tractas ut fratrem et proximum, sed ut hostem.* Lutherus in lib. contra Judaeos respondet, *duo esse Judaeorum genera, quidam sunt Judaei Moysis, quos scilicet Deus per Moysen ex Aegypto in terram Canaan introduxit ac legem illis dedit in terra ista servandam, donec veniret Messias; quidam vero sunt Judaei caesaris, non Moysis, quorum scilicet majores coram Pilato dixerunt: Non habemus regem nisi caesarem; ad illos non pertinere hanc legem, sed si ea uti frui velint, in terram Canaan ipsis esse redeundum.* Anton. Margarita in libr. de fide et relig. Judaeorum respondet, *in lege divina semper praemitti, si in praeceptis meis ambulaveris, alieno foeneraberis*, ac Deut. 28, v. 43. *adversativam addi, si non ambulaveris in praeceptis meis, peregrinus mutuabit tibi; jam vero hodierni Judaei non ambulant in reliquis Dei praeceptis, ergo non debent frui beneficio hujus legis de usuris.* Hotomannus lib. 2. de usuris c. 3. respondet, *ideo licuisse Judaeis ab extraneis accipere usuras, quod ipsi quoque a Cananaeis gratuitam pecuniam mutuo non habebant, sed usuras solvere cogebantur, lege igitur* XIV. 113.
talionis idem fuisse ipsis concessum. Hunnius in comm. 2. Cor. 8. distinguit inter extraneos: *Quod olim* (inquit) *concessa fuit Israëlitis usura ad extraneos, non indifferenter id indultum de quibusvis extraneis populis est accipiendum, sed de iis, in quorum medio habitabant Israëlitae, quales fuerunt gentes Cananaeae, quae cum alioqui fuerint judicio Domini destinatae ad exitium propter abominationes, quas fecerant in terra, et earum facultates una cum tota illa religione vi juramenti divini specta-*

rint ad populum Dei, et vero Cananaei non simul et semel expelli vel exterminari quiverant, ideo Dominus inter reliqua media etiam hoc concessit Israëlitis, ut possessiones eas, quae alioquin ipsis decretae fuerant, hoc interveniente medio a Cananaeis tanquam hostibus injustis possessoribus ad se traducerent, quae res hodie in exemplum trahi nec potest, nec propter diversitatis rationem debet. Convenit haec responsio cum ea, quam tradit Ambrosius in lib. de Tobia c. 15. p. 348: *Quis erat tunc alienigena nisi Amalech, nisi Amoraeus, nisi hostes? ibi, inquit, usuram exige. Cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicantur usurae. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima te vendicare. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat, sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius et exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi et jus usurae.* Quidquid sit de explicatione hujus loci, de quo inferius plura dicemus, ad stabiliendos census illos annuos parum roboris in eo esse dicimus.

248. 3. Petrus a Well. in tract. de usuris c. 4. fac. b. edit. Colon. adducit parabolam Christi Matth. 25, v. 26. ubi dominus ad servum, qui talentum in terra absconderat, dicit: *Serve nequam et piger, oportuit te committere pecuniam meam nummulariis et veniens recepissem quod meum cum usura*, ex quo colligit, non omnem usuram simpliciter esse prohibitam. Sed praeterquam quod ex parabolis et similitudinibus non ducantur firma argumenta, promte responderi potest, distinguendum esse *inter rem ac rei modum.* Christus non approbat usurarias artes, quibus pecuniam et facultates suas avari augent, sed lucrum et incrementum pecuniae in rebus spiritualibus imitandum nobis proponit atque eo unice spectat, quod thesauro verbi divini et donorum spiritualium nobis concredito in ecclesia negotiari et lucrari debeamus, perinde ut Luc. 16, v. 8. nequaquam nobis commendat fraudes et furta, sed prudentiam oeconomi, quam in spiritualibus rebus imitandam nobis ob oculos proponit. Non probat Christus usuram in lege Dei prohibitam, sed rationem lucri faciendi, quae in vita communi quotidie conspicitur in pecunia ad exercenda commercia et negotiationes adhibita, tanquam omnibus notam assumit eamque ad suum propositumexplicat. Chrysostomus hom. 41. in Genes.: *Vide misericordiam Dei. In his sensibilibus pecuniis prohibuit, ne quis usuram acciperet. Quare et ob quam causam? quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur, creditor autem augens divitias etiam peccatorum accumulat sibi multitudinem etc. in spiritualibus autem repetiturum se promittit usuras. Quare? quia omnino diverso modo se habet spiritualis usura et sensibilis. Illic enim a quo requiritur severiter, subito in extremam inopiam defertur, hic autem a quo exigitur, quando gratitudinem prae se tulerit, quanto majorem usuram affert, tanto majori fruetur remuneratione.*

249. Contenti igitur sumus fundamentis superius pro nostra sententia adductis et generali illa responsione, quod dicta V. T. usuras prohibentia agant de officio mutui indigentibus gratis praestando, ita ut praeter sortem cum ipsorum detrimento et oppressione nihil ab illis exigatur. Coronidis loco addimus, si vel maxime evinci posset, dicta illa V. T. in quibus usurae damnantur, esse *plane generalia* et sensu eo accipienda, quod in nullo plane casu nec ab illis, qui pecunia nostra plurimum lucrantur et commoda XIV. 1
sua parant, quidquam ultra sortem accipiendum sit, id quod tamen nondum est evictum et comprobatum, *tamen morale a forensi et judiciali* in illis legibus accurate esset distinguendum. Morale sive genus pertinet ad omnes homines tam N. quam V. T. forense autem seu judiciale cum sit speciale, ad politiam Judaicam duntaxat spectat. Morale foret, in contractibus et commerciis, in emtione, venditione, mutuo etc. cavendam esse πλεονεξίαν, injustitiam et usuras illicitas, atque id etiamnum hodie in N. T. nos obligat; forense seu judiciale foret, quod ex pecunia mutuo data nihil quidquam a proximo ultra sortem sit accipiendum, id quia ad Judaicam politiam unice spectaret, nos in N. T. non amplius obligaret. Quodsi enim circumstantias exacte ponderamus, apparebit discrimen evidens inter politiam Mosaicam ac nostras. Judaei peculiari lege prohibebantur possessiones suas per venditionem in perpetuum abalienare, Levit. 25, v. 10: *Sanctificabitis annum quinquagesimum et praedicabitis libertatem in terra cunctis habitatoribus ejus, jubilaeus ipse erit vobis et revertimini unusquisque ad possessionem suam.* v. 15. *Secundum numerum annorum post jobel emes a proximo tuo, secundum numerum annorum proventuum vendet tibi.* Proinde emtor non erat hereditarius ac perpetuus praediorum ac fundorum, agrorum puta, vinearum etc. possessor, sed tantum usufructuarius, quia percipiebat duntaxat fructus rei emtae usque ad annum jubilaeum, in quo absque ulla pretii refusione ad pristinum possessorem bona illa immobilia redibant. Erat insuper alia quaedam constitutio de debitis quovis septimo anno fratri remittendis. Deut. 15, v. 1: *Septimo anno facies remissionem, quae hoc modo celebrabitur.* v. 2. *Cui debetur aliquid a proximo ac fratre suo, repetere non potest, quia annus remissionis est Domini.* v. 3. *A peregrino exiges, a fratre vero repetendi non habes potestatem.* v. 4. *Et omnino indigens et mendicus non erit inter vos.* Quodsi fuisset Judaeis licitum a fratre propter pecuniam mutuo datam censum annuum exigere, sex annis prioribus census tantos ac tam immoderatos exegissent, ut ad ipsam summam septimo anno assurrexissent, atque ut debiti remissio absque ullo proximi egeni levamento fuisset facta, qua ratione legislator finem hujus suae constitutionis, ne scilicet *sit mendicus in Israël*, nequaquam obtinuisset. Pari ratione

si censum annuum ex pecunia mutuata accipere Judaeis licitum fuisset, non minus quoque prior illa dispositio de possessionibus in anno jubilaeo possessori, qui eas olim vendiderat, sine ulla pretii refusione restituendis locum et effectum obtinere haudquaquam potuisset, quilibet enim potius pecuniam sub usuris proximo dedisset, quam fundos ejus emisset, quippe quas hereditario in perpetuum possidere ob disertam legis prohibitionem non poterat, quin et de fructibus annuis interea percipiendis admodum dubius erat. Proinde ne Judaeorum avaritia constitutionibus divinis de fundis in anno jubilaeo venditori restituendis ac de debitis in anno sabbatario remittendis fraudi esset, absolute ac simpliciter ipsis interdictum videri possit, censum aliquem propter pecuniam mutuo datam a fratre, hoc est ab Israëlita, exigere, vicissim vero ne putetur tanquam morale et in genere omnibus interdictum, ideo concessum ipsis fuit ab alienigena census pecuniarios exigere, ex quo fundamento deduci potest conciliatio illarum legum, quae prima fronte invicem pugnare videntur. Deut. 23, v. 20: *Extraneo foenerabis*, לַנָּכְרִי תַשִּׁיךְ, *et fratri tuo non foenerabis.* Exod. 22, v. 21: *Peregrinum non populabis*, גֵּר לֹא תוֹנֶה *et non opprimes eum.* Quidam existimant, priori lege permissum, moderatas usuras ab extraneo et peregrino accipere, posteriori vero interdictum immoderatas, illicitas et injustas usuras ab eodem exigere. Sed quia in priori loco itidem est verbum נָשַׁךְ, quod significat usuris proximum mordere et arrodere, ideo ex objecto prohibitionis rectius petitur diversitatis ratio. נָכְרִים in Scripturis dicuntur
15. *alienigenae et gentiles* Jud. 19, v. 12. quos apostolus sic describit Eph. 2, v. 12. quod fuerint ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραήλ. גֵּרִים dicuntur *proselyti*, qui ex gentibus quidem oriundi erant, interim tamen Israëliticam religionem amplectebantur et in politiam Judaicam recipiebantur Exod. 12, v. 49. Deut. 14, v. 21. et 29. Eorum aliqui habitabant in medio Israëlitarum, qui vocabantur *proselyti portae*; quidam vero in regionibus procul dissitis, qui quotannis ad festa solenniora Hierosolymam veniebant Act. 2, v. 5. c. 8, v. 27. Permittitur igitur Judaeis, ut foenerentur extraneo, sed prohibentur interim peregrinum populari et opprimere, hoc est permissum ipsis erat usuris exsugere et exhaurire extraneos propter causam superius expositam, quia scilicet exitio devoti erant, sed prohibentur eas exercere erga peregrinum e gentilitate quidem oriundum, interim Judaicam religionem amplexum, quia lex de usuris a fratre non exigendis generalis est, concernens non solum eos, qui ratione originis erant fratres, sed illos etiam qui professione ejusdem religionis fratres erant.

250. Ergo si vel maxime ex hypothesi concederemus, Israëlitis absolute et simpliciter prohibitum fuisse usuras justas et moderatas, hoc est census annuos ob usum pecuniae mutuatae, a fratre exigere, tamen in prohibitorio illo mandato forense et judiciale a morali distinguendum omnino esset, id quod hac ratione demonstramus. Quodcunque Israëlitico populo interdicitur, cum tamen in se ac per se non pugnet cum naturali aequitate et fraterna caritate, illud non pertinet ad legem moralem, qua omnes populi etiam in N. T. obligantur, sed ad legem forensem et judicialem, quae Israëlitas duntaxat obligavit. Atqui in certis quibusdam casibus non pugnat cum naturali aequitate et fraterna caritate censum annuum ob pecuniam proximo erogatam ab eodem accipere, ut superius fuit demonstratum. Ergo si vel maxime Israëlitico populo interdictum id fuisset, tamen speciale ac forense διάταγμα foret, non autem legis moralis particula. Quemadmodum igitur Chemnicius part. 2. locor. cap. de imaginib. p. 150. censet, *praeceptum de non habendis vel fabricandis imaginibus esse partim morale, partim ceremoniale;* morale esse, quod universaliter prohibitae sint imagines, quae manifeste prae se ferunt ethnicam superstitionem et manifestam impietatem cum verbo Dei pugnantem. Item imagines qualescunque quae quoquo modo prostant ad cultum et adorationem, quod prohibitum sit adorare et colere sculptilia, hoc est habere ea pro Deo vel tribuere illis cultum soli Deo debitum etc. Ceremoniale esse, quod propter proclivitatem populi Israëlitici ad idololatriam Deus omnino illis interdixerit fabricationem et usum imaginum quarumcunque templo inferendarum; morale ad omnes homines, ceremoniale ad Judaeos duntaxat pertinere, morale ad V. et N. ceremoniale ad V. T. duntaxat pertinere. Ita quoque eodem jure possemus dicere, si vel maxime mandatum de usuris omnes census ob pecuniae usum datos prohibent, illud tamen esse *partim morale, partim forense;* morale esse, ne in exigendis vel accipiendis illis censibus proximus gravetur, oneretur et opprimatur; forense esse, ne a proximo quidquam ob pecuniae erogatae usum census loco accipiatur; prius est generale omnes omnino homines obligans, posterius vero speciale ad solos Judaeos pertinens, quibus ob proclivitatem ad avaritiam, fraudes et proximi oppressionem id erat interdictum, perinde ut in lege mutui de debitis quovis septimo anno proximo remittendis Deut. 15, v. 2. Forense a morali distingui debet; forense est quod omnia omnino debita fratri erant remittenda, illud ad Israëliticam duntaxat politiam pertinebat; morale est, quod ratione indigentiae proximi habita mutuum debeat esse gratuitum, item quod debitum proximo sit condonandum, si praeter suum meritum ad inopiam redigatur.

251. Atque haec dicta sint de legibus divinis V. T. in quibus usurae absolute et simpliciter prohibentur, quas primo loco semper urgent, qui census annuos lege imperiali concessos penitus damnant. 2. Proferunt dictum Christi Lucae 6, v. 35. ἀγαθοποιεῖτε καὶ δανείζετε μηδὲ ἀπελπίζοντες, *benefacite* **2. Ex dicto Christi Luc. 6, v. 35.** *et mutuum date nihil inde sperantes*, ex quo apodictice colligi posse existimant, ultra sortem nihil quidquam in officio mutui a proximo exigendum; sed breviter respondemus, ex tota serie et contextu

hujus loci patere, quod Christus loquatur *de mutuo eleemosynario* ac proinde nequaquam tollat contractus civiles juri naturali congruentes, id quod ex analysi textus demonstrandum. Apud evangelistam Lucam verba Christi sic habent v. 33: *Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quae vobis gratia? siquidem etiam peccatoress hoc faciunt.* v. 34. *Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis vos recepturos, quae gratia est vobis? nam et peccatores dant mutuum, ut paria recipiant, ἵνα ἀπολάβωσιν τὰ ἴσα.* v. 35. *Veruntamen diligite inimicos vestros, benefacite et mutuum date nihil inde sperantes, et erit merces vestra copiosa* etc. Ex antithesi sole clarius elucescit, Christum nequaquam loqui *de mutuo officioso*, in quo certa pecuniae summa proximo datur ea lege et conditione, ut constituto tempore eandem et sic *τὰ ἴσα* reddat, sed *de mutuo eleemosynario*, in quo ipsa sors egenti proximo donatur, ut nihil plane redeat ad creditorem, qui pecuniam proximo erogavit. Nam de peccatoribus dicit, quod mutuum officiosum exerceant, hoc est quod dent illis mutuum, a quibus sperant se recepturos, sed a piis et Christianis altiorem aliquem beneficentiae et caritatis gradum exigit, jubet ipsos mutuum dare etiam illis, a quibus nihil sperare possunt, hoc est ubi de sorte in dubio versantur ac periculum subest, ne pecunia mutuo data perpetuo carere cogantur. Apud Matth. c. 5. v. 39. eademChristi concio verbis paululum diversis sic describitur: *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, praebe illi et alteram,* v. 40. *Et qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte illi et pallium,* v. 41. *Qui te angariaverit ad mille passus, vade cum illo et alia duo,* v. 42. *Qui petit a te, da illi, et volentem a te mutuare, ne averseris*, ubi ex praecedentibus verbis manifeste colligitur, de mutuo non *ἁπλῶς* et absolute, sed *συγκριτικῶς* et comparate Christum loqui. Ut enim antecedentia mandata hunc exhibent sensum, satius esse alteram etiam maxillam percutienti obvertere quam privatam vindictam exercere et repercutere; praestabilius esse, ut una cum tunica etiam pallii jacturam quis faciat, quam ut contentionis studio judicium cum altera quis experiatur; consultius esse, ut quis in gratiam proximi duo miliaria vadat, 'et sic officium conduplicet, quam ut caritatis officio desit et petitionem unius miliaris simpliciter recuset; sic et posterius illud membrum non absolute, sed *comparate* accipiendum, praestabilius scilicet esse pauperibus in communi vita sic dare mutuum, ut non modo nihil ultra sortem accipias, sed de sorte ipsa quoque, si res ita postulaverit, periclitari malis, quam ut fratrem subsidii tui indigum hoc officio plane destituas. Censura facult. jurid. Tubing. in controv. Ratisbonens. de usuris, Hunnius in comment. 2. Cor. 8.

252. *At*, inquis, *si vi et vigore hujus mandati Christianus obstrictus est ad mutuum eleemosynarium, hoc est ut mutuo det etiam illis, a quibus ne quidem ipsam sortem reddendam sperare potest, multo magis obstrictus erit ad mutuum gratuitum, hoc est ut mutuo det et ultra sortem nihil quidquam exigat vel accipiat.* Respondemus: ex illis, quae superius allata sunt, liquido constat, hoc mandatum non de omni hominum genere simpliciter et absolute accipiendum esse, quasi absque ullo discrimine omnibus sit dandum, sed duntaxat de duplici hominum genere, videlicet primo de illis, qui jamdum sunt egeni, atque ita quidem egeni, ut ne quidem XIV
ipsam sortem absque extremo suo damno reddere possint, illis mutui officium non est hoc praetextu denegandum; secundo de illis, qui eo quidem tempore, quo mutuum a nobis petunt, ea facultatum conditione fruuntur, ut sortem possint reddere, postmodum vero vel incendiis, vel naufragio, vel morbis aliisve casibus in eum detruduntur inopiae gradum, ut sortem absque extremo detrimento reddere nequeant, ubi omnino locum obtinere debet hoc Christi praeceptum: *Mutuum date nihil inde sperantes.* Homines mundani vel, ut Christus hic loquitur, *peccatores* pecuniam mutuo daturi sedulo provident, ne illis dent mutuum, a quibus sortis periculum impendet, quamvis illi eo officio vel maxime indigeant, sed Christianus ad hoc mutui officium semper debet esse promtus, ac si vel maxime de sorte periclitetur, Deo rem commendet, nec propterea animo nimis angatur, sed malit periculum illud subire quam proximo indigenti officium mutui denegare. Quare perpetuo ad conditionem personarum, quae mutui officium a nobis expetunt, respiciendum erit. Si qui sunt opulentiores et fine eo pecuniam a nobis sibi erogari petunt, ut negotientur, lucrentur, fundos emant ac rem suam locupletiorem reddant, ab illis etiam ultra sortem aliquid exigi et commodorum participatio institui potest; sed illis, qui sunt fortunae tenuioris, non absque censu solum erogandum, sed ipsa quoque sors rebus ita exigentibus condonanda.

253. Ut totum hoc negotium sit clarius et manifestius, docendi causa quatuor genera mutui (laxius accepto hoc vocabulo) constitui possunt. Primum est *mutuum eleemosynarium*, quando census et ipsa sors condonantur; alterum est *mutuum gratuitum*, quod etiam vocari potest *officiosum*, quando quis absque censu sortem recipit; tertium est *mutuum compensatorium*, quod jurisconsulti vocant *mutuum cum stipulatione*, quando ob erogatam pecuniam praeter sortem etiam census aliquis a proximo exigitur; quartum est *mutuum usurarium*, quando scilicet usurae illicitae et immoderatae legibus divinis et humanis prohibitae exiguntur, quibus proximus gravatur, oneratur et ipsius facultates exhauriuntur. Priores duae species sunt peculiaria opera caritatis et misericordiae proximo debitae; tertia species est contractus licitus, modo observentur conditiones superius propositae; quarta species est usura legibus damnata.

254. 3. Tertio loco proferunt quasdam *ratiunculas*, quibus evinci posse putant, propter pecuniae proximo erogatae usum non posse censum aliquem 3. I rati bus

Juris ralis ra- 1. ab eodem exigi. *1. Jus naturale et aequitas requirit, ut in contractibus inter homines institutis servetur aequalitas, ne pars una cum damno alterius locupletetur. Jam vero non servatur aequalitas, quando creditor non solum sortem recipit, sed etiam praeter eam abundantius quiddam exigit. Ergo illud pugnat cum naturali jure et aequitate.* Respondemus per inversionem. Propterea quia jus naturale et aequitas in contractibus aequalitatem requirit et quia iniquum foret, si pars una cum alterius damno locupletaretur, ab eo, qui nostra pecunia negotiatur, lucratur et rem familiarem auget, compensatio aliqua exigi potest, alias ad ipsum solum rediret commodum ex pecuniae usu resultans, quod pari ratione ipsimet parare potuissemus atque interim eo carere cogimur. Iniquum foret, si creditor ab indigente, qui non lucrandi, sed inopiae sublevandae causa pecuniam exigit, ultra sortem aliquid exigeret; sed et hoc iniquum foret, si debitor pecunia ab illo accepta plurimum lucratus erga benefactorem suum sese gratum ac memorem declarare nollet. De toto hoc argumento ex superio-

mu- on- ne. ribus judicium fieri potest. *2. Mutuum per se et sua natura est gratuitum. Jam vero officium mutui jure naturali proximo debemus. Ergo etiam jure*

118. *naturali obstringimur absque ulla compensatione pecuniam mutuam proximo dare.* Respondemus: ut *eleemosynarium*, ita quoque *gratuitum* illud mutuum jure naturae debemus proximo, non tamen omnibus omnino hominibus, sed illis duntaxat, qui inopiae sublevandae causa hoc humanitatis officium a nobis expetunt; cum divitibus, qui ad negotiationes et lucra pecuniam nostram utendam fruendam sibi concedi postulant, per alium contractum agere possumus, quem superius vocavimus *mutuum compensatorium*, quamvis libenter fateamur, quosdam mutui vocabulum in hoc contractu incommodius judicare ac *contractum elocationis* vocare malle, sed quidquid sit, ubi de re ipsa constat, de appellatio-

de- ta niae li- ne. nibus facili negotio transigi potest. *3. Pecunia est res sua natura sterilis nec parit fructus, si vel per centum annos mille thaleros in arca asservares, ne unicum quidem producere possent. Jam vero pugnat cum jure naturali fructus ex re sua natura sterili exigere. Ergo in pecunia alteri erogata non possunt census annui constitui. Agri, vineae, horti accedente divina benedictione fructus quotannis proferunt uberrimos,* Gen. 26, v. 12 Matth. 13, v. 23. *ideo aliis per contractus censuales elocare possunt; sed pecuniae diversa est ratio.* Respondemus: distinguendum inter *pecuniam ipsam* et pecuniae in negotiationibus ac commerciis *usum.* Pecunia ipsa per se, immediate et citra usum in negotiationibus nullos affert fructus, sed mediante usu in civili societate fructum afferre potest longe uberrimum. Mercator centum florenis aliunde mutuo sumtis potest intercedente negotiatione anno uno tantum lucrari, ut lucrum illud ipsam sortem fere adaequet. Qui pecunia aliunde accepta agros, vineas et fundos emit, fructus eorum percipit amplissimos, quibus carere cogeretur, nisi proximus pecuniam ipsi mutuo dedisset. Multi praedia et fundos suos cogerentur vendere ob aes alienum, quo premuntur, nisi versuram facerent et pecunia mutuo accepta creditori satisfacerent. Illis certe pecunia non est res sterilis, sed efficit, ut reditus praediorum suorum annuos percipere possint. Cum agro itidem sic videmus comparatum, ut per se et immediate, nisi aratio sementis et cura hominum accedat, utiles fructus haudquaquam proferat, sed si labores boum et culturam hominum experiatur, divina praesertim benedictione accedente fructus profert longe uberrimos, neque tamen inventus quispiam, qui negaret, ex elocatione agri reditus annuos percipi posse. Distinguendum denique *inter fructus naturales et civiles;* pecunia non profert fructus naturales, sicut agri, vineae etc. interim tamen civiles fructus in negotiationibus et commerciis parit, ut experientia luculentissime comprobat. *4. Nummus non est inventus, ut esset merx, sed medium acquisitionis ac pretium mercis. Ergo pecuniam vendere vel elocare tanquam mercem, ut fit in usuris, pugnat contra naturam inventi nummi.* Respondemus: pecunia non solum est *medium commutationis necessariae*, qua indigus cibum, potum, vestes atque alia vitae sustentandae necessaria sibi comparare potest, sed etiam *negotiationis lucrosae*, qua dives commercia exercere, fundos emere et res suas locupletiores reddere potest; jam vero census illi, de quibus hic agimus, non ratione prioris, sed posterioris usus exiguntur. Distinguendum etiam inter *finem* inventi nummi *primarium*, quem concedimus esse eum, qui in argumento exprimitur, *et usum ejusdem* in negotiationibus, commerciis ac contractibus *secundarium.* *5. In quibus rebus usus est ipsa absumtio, in illis usus non separatur a dominio vel a re ipsa, sicut non seorsim venditur vinum et usus vini. Sed in mutuata pecunia usus est ipsa distractio. Ergo iniquum est ultra restitutionem sortis vendi usum pecuniae, quod fit in mutuo.* Respondemus: distinguendum inter *usum pecuniae* et inter *commodum usu comparatum.* Pecunia quidem usu consumitur, sed commodum usu comparatum durat. Quando creditor debitori pecuniam erogat, duplex beneficium ipsi praestat, primo tradit ipsi dominium et proprietatem illius pecuniae, secundo jus utendi fruendi pro libitu in negotiationibus et commerciis; proinde quia debitor respectu posterioris beneficii sua parare potest commoda, eademque longe amplissima, aequum est, ut creditori sese gratum praebeat. Ostendit experientia, usum pecuniae non esse eo modo consumtionem, sicut in vino, frumento et aliis fungibilibus, sed praeter distractionem sortis ipsum usum pecuniae habere utilitatem usibus hominum accommodatam. Non ergo ipsa sors bis venditur, sed realis utilitas, quae creditori abest et debitori adest, sicut in locatione domus. Usus enim pecuniae non consistit proprie in distractione vel expensa, sed usu rerum, quae inde vel comparantur et acquiruntur, vel quae hac ratione conservantur

4. A nummi inventione.

5. A pecuniae per usum distractione.

XIV. 119.

alias distrahendae, quam responsionem non improbat Chemnicius part. 2. locor. p. 439.

6. A mutui denominatione. *6. Mutuum inde dicitur, quod de meo fiat tuum, sed sicut iniquum est, si venderem tibi id, quod tuum est, ita pro usu pecuniae, quae jam alterius facta est, aliquid exigere iniquum est.* Responsio patet ex dictis. Usus pecuniae duplex est, *necessarius et lucrativus.* Necessarius pecuniae usus respicit egenos, qui pecunia mutuo sibi data extremam suam inopiam sublevant; lucrativus respicit ditiores, qui pecunia mutuo accepta negotiantur et lucrantur, a quibus partem lucri recipere iniquum non est censendum.

7. Ab incommodi in republica consecutione. *7. Experientia comprobat, censibus illis annuis debitores exhauriri, creditores vero locupletari, artes etiam honestas ac vitae necessarias negligi, et hunc modum tanquam tutiorem ac faciliorem, quo divitiae parentur, reliquis laboriosis praeferri, ex quo reipublicae magnum imminet incommodum.* Respondemus: abusus accidentarius ab ipso contractu in se ac per se licite distinguendus est, usuraria pravitas contractui adhaerens non tollit ipsius contractus justitiam et aequitatem. Si observentur conditiones superius propositae, nullum ex eo metuendum erit periculum, ac fine eo pius et Christianus magistratus censibus illis certam determinationem adjecit, ne in usuras illicitas excrescerent et justitiam rerumpublicarum fulcimentum everterent.

4. Ex jure canonico. 255. 4. Proferunt *juris canonici dispositionem,* quae absolute et simpliciter omnes usuras damnat. Respondemus: accipiendum id de usuris illicitis et immoderatis, non autem de contractibus juri naturali, gentium et civili congruentibus, sicut prudenter monet Gerson, *non facile contractum, in quo mediocris aequalitas conspicitur, pronuntiandum esse usurarium.* In jure enim canonico propter moram solutionis non solum *id quod interest* exigere permissum (quod certe parum distat a moderato illo censu, de quo jam agimus) c. pervenit. de fidejussoribus; sed etiam certi casus proponuntur, in quibus ultra et praeter sortem aliquid a debitore liceat accipere, utpote *cum ob dotem non solutam a socero permittitur genero, ut ex re sibi pignorata fructus capiat praeter sortem, vel paciscatur certam quantitatem sibi quotannis dari, quamdiu dos non solvitur.* Quod applicatur etiam *ad viduam, cui soluto matrimonio dos non restituitur.* c. salubriter X de usuris; item *ad dominum feudi, cui res feudalis utenda fruenda data est interim, dum sua pecunia daret.* c. Conquestus de usuris, ubi aliquot casus recenset glossa, in quibus acceptum supra sortem non possit nominari usura. *1. Si feudum, de quo fructus percepti sunt, sit monasterii aut ecclesiae; 2. si praedium venditum est et traditum nondum facta solutione, ibi enim fructus percepti non computantur in sortem; 3. damna omnia in contractibus bonae fidei, praesertim ex mora interveniente; 4. in contractu redemtionis, ubi emens lucratur fructus; 5. ubi pecunia datur ad pompam, potest recipi merces; 6. ubi apponitur aliquid nomine poenae, potest recipi poena conventionalis sine periculo conscientiae et sine peccato, ita tamen ut poena bona intentione sit imposita et moderata.* XIV.
Quodsi ergo in tot casibus licitum aliquid ultra sortem accipere, utique non potest tanquam usurarium et illicitum absolute et simpliciter census pecuniae annuus damnari. Quid quod pacta *de foenore nautico* in jure canonico approbantur c. Navigantibus. X de usuris. Covarruvias lib. 3. resol. c. 1. nu. 3. et usurae a fidejussore pro principali solutae eodem jure similiter exuguntur c. Constitutus. X de fidejuss.

4. Ex Luth... 256. 5. Denique urgent *auctoritatem Lutheri,* qui simpliciter damnavit annuos illos census tanquam usurarios. Sed rigori priorum cumprimis scriptorum opponimus moderationem, quam adhibuit in scripto, cui titulus: Vermahnung an die Pfarrer wider den Wucher zu predigen, tom. 6. Witeb. Germ. fol. 325. b. ubi hosce invenies aphorismos: 1. stricti juris in prohibitione usurarum quandam mitigationem in certis casibus adhibendam; 2. viduis, pupillis, senibus etc. qui non possunt negotiationes exercere, concedi posse, ut ex pecunia mutuo data a negotiatoribus census accipiant. Illum contractum vocat ein Nothwucherlein; 3. conscientiae posse consuli, si magistratus adhibito theologorum et jurisconsultorum consilio quandam ἐπιείκειαν in his contractibus adhibeat; 4. distinguendum esse casum necessitatis a temporibus et personis, quae non sunt hujusmodi necessitati subjectae; 5. se non admodum repugnare, si ad usuras illicitas et immoderatas cohibendas concedatur nobili ut quatuor, mercatori ut octo, reliquis ut sex florenos accipiant; 6. ea jam esse tempora, ut sex florenis ex centum aureorum elocatione acceptis multum lucrari possimus; 7. ministros ecclesiae has disputationes debere remittere ad jurisconsultos et viros bonos etc. Hactenus Lutherus magistratui pio et Christiano judicium permittens, quid prohibitae usurae nomine censendum sit, ac inter opera misericordiae proximo debitae ac contractus civiles legibus permissos recte distinguens. Videatur etiam Brentius in script. Germ. von wucherlichen Contracten; Aepinus in comm. Psalm. 15. Chytraeus in comm. cap. 23. Deut. Heerbrandus et Schnepffius in cons. theol. Bidenb. decad. 1. cons. 4. et decad. 6. consil. 8. Hunnius in 2. Corinth. 8. Gesnerus in Psalm. 15. Hoë in scripto Germ. Lips. 1617. edito sub. tit. Unterricht, ob ein Chriſt mit gutem Gewiſſen Geldzinſen nehmen könne? Marbachius in comm. cap. 22. Exodi, quorum sententia huic nostrae est conformis.

3. An merca... in re publi... sit to... randa 257. Quaeritur 3. *An mercatura in Christiana republica sit toleranda?* Negant Anabaptistae, sed opponimus illis *1. regulam generalem,* quod evangelium non abolet politias et contractus honestos legibus politicis definitos. Deus ipse Exod. 21. v. 2. et cap. 22, v. 7. leges tulit *de deposito, commodato, mutuo* etc. quibus legitimas formas communicationis ei contractuum determinat. ** Prov. 16, v. 11: *Pondus et statera judicia Domini sunt, et opera ejus omnes lapides sacculi.*** Levit. 19,

v. 36: *Stateram justam, aequa pondera, et modium justum requirit,* quin et in *septimo praecepto* rerum proprietatem ac distinctionem sancit atque eo ipso legitimam rerum communicationem praecipit, quae cum sine commerciis et contractibus durare non possit, ideo usum contractuum in septimo praecepto stabilire merito judicatur. Quid quod apostolus modum praescribit, quomodo pie recteque contractus exerceri possint 1. Cor. 7, v. 30. 1. Thess. 4, v. 6. Utique ergo legitimos contractus confirmat, ut praetermittamus exempla sanctorum, qui emtiones ac venditiones atque alios contractus exercuerunt, quales fuerunt *Abraham* Genes. 23, v. 16. *Josephus* Genes. 47, v. 16. *Jeremias* cap. 32, v. 9. *discipuli Christi* Johan. 4, v. 8. *Joseph Arimathaeus* Marc. 14, v. 46. etc. Quare cum mercatura sit species politici contractus, emtionis scilicet ac venditionis, ideo ab-
IV. 121. solute et simpliciter improbari nequit. *2. Salomon* honestam conjugem commendaturus comparat eam *navi institoris de loginquo portantis panem suum* Prov. 31, v. 14. ac laudat ipsam hoc nomine, *quod vestem faciat ac vendat et cingulum tradat institori. 3. Apostoli* conversis ad Christianismum non fuerunt auctores, ut a mercatura et negotiationibus desisterent, sed ne proximum in eis defraudarent 1. Thess. 4, v. 6. Actor. 16, v. 14. Lydia πορφυρόπωλις baptizatur, nec tamen ab illo vitae genere revocatur. 4. Ad vitae humanae sustentationem *necessaria* omnino mercatura et reliqua commercia. Non enim uni regioni dat cuncta Deus. Polydorus Virgil. lib. 3. de rer. invent. cap. 16: *Mercatura in apportandis mercibus vitae humanae necessaria ubique locorum suppeditat, multarum quoque ac maximarum rerum usum experientiamque homines edocet ad barbarorum insuper necessitudines regumque amicitias contrahendas plurimum valere censetur.* Tolosanus lib. 4. de republ. cap. 7: *Multae urbes in loco tam sterili sitae, ut in iis sine mercatura non tantum non commode vivi, sed ne vivi quidem possit, defectus igitur iste rerum, quarum indigi sumus, importatione a mercatoribus suppletur, unde pedibus in corpore humano conferuntur.*

258. Objiciunt Anabaptistae 1. Eccles. 27, v. 2: *In medio compaginum lapidearum vigetur palus et in medio venditionis et emtionis comprimetur peccatum.* Respondemus: fraudes tanquam vitiosum accidens a mercatura, utpote re sua natura bona, sunt distinguendae. v. 4. immediate subjicitur: *Si non in timore Domini tenuerit cum diligentia, cito subvertetur domus ejus.* Ergo timor Domini excutiat fraudes et injustitiam ex animo mercatoris. 2. Zach. 14, v. 21: *Non erit ultra mercator in domo Domini exercituum in die illa, tempore* scilicet N. T. Respondemus: in Hebraeo est כְּנַעֲנִי, quod et *Cananaeum*, et *mercatorem* significat, quia Cananaei olim mercaturae cumprimis erant dediti. Si *priori sensu* accipiatur, erit vaticinium de separatione Christianorum a populo gentili et idololatrico. In V. T. non poterant Cananaei omnes ab Israëlitis exterminari, sed quidam ex ipsis habitabant in medio Israëlitarum; sed in N. T. omnes gentes ad ecclesiae consortium aggregabuntur, nec Christiani cum idololatris habebunt communionem, verum ab illis separabuntur, si non corpore et loco, tamen animo et affectu. Si *posteriori*, erit vaticinium de spirituali Hierosolyma, quod in ea non sit futurus mercator boum et ovium, in usum scilicet victimarum, quia sacrificia Christianorum non erunt irrationalia et bruta, sed spiritualia et rationalia. Rom. 12, v. 1. 1. Petri 2, v. 5. etc. *3. Christus ementes et vendentes ejecit ex templo* Joh. 2. Luc. 19. **Chrysostomus hom. 38. in Matth. et citat c. Ejiciens dist. 88: *Ejiciens Dominus vendentes et ementes de templo significavit, quia mercator nunquam potest Deo placere et ideo nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, projiciatur de ecclesia dicente propheta: Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini* etc.** Respondemus: non propterea, quod mercaturam exercebant, sed quod in templo loco orationis sancto lucri causa fraudibus ac dolis eam exercerent. Ac posset ex eodem medio concludi, omnes omnino emtiones a Christo prohiberi. *4. Mercatores lucrum et quaestum tanquam ultimum finem respiciunt.* Respondemus: de quibusdam hoc verum, non de omnibus, quidam enim lucrum caritati proximi et bono reipublicae subordinant, mercaturam ad honestum finem, reipublicae scilicet commodum et honestam suorum sustentationem dirigunt, lucro moderato contenti sunt et sine mendaciis, perjuriis ac fraudibus hanc artem exercent. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4.

259. Quaeritur 4. *An jus talionis in rempublicam legibus sit introducendum?* In politia Mosaica Deus illud constituit. Exod. 21, v. 24: *Si mors* (mulieris in percussione) *fuerit subsecuta, reddet* (percussor) *animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede,* v. 25. *adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Levit. 24, v. 19: *Vir cum dederit maculam in proximum suum, secundum quod fecit, sic fiat illi,* v. 20. *fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente, juxta quod dederit maculam in hominem, sic dabitur in eum.* Idem repetitur Deuter. 19, v. 21. Matth. 5, v. 38. Photiniani ut evincant, *vindictam publicam,* quae per magistratum exercetur, in N. T. a Christo esse abrogatam, non verentur sanctissimam illam Dei legem sugillare. Sic enim scribit Schmaltzius contra disp. 7. Frantzii de bonis operib. p. 239: *Mirum videri debet, quod Frantzius affirmat, licere nunc oculum pro oculo excludere* (non propria auctoritate, sed per magistratum), *cum vix ullae leges politicae id unquam approbarint. Nihil enim in eo inest rationis sanae, si is, qui me offendit, ita puniatur, ut nihil inde ad me redeat commodi, et alia omnino ratione is, qui alicui oculum excluderet, puniretur hodie secundum ipsas leges politicas quam oculi exclusione. Indulserat autem hoc Deus*

4. An jus talionis probandum?

XIV. 122.

populo Israëlitico, ut ingenio illius puerili et vindictae cupido aliqua ratione gratificaretur. Et iterum pag. 269: *Perfectiores plerasque leges fuisse humanas in quibusdam quam divinas, quae in lege Moysis continentur, quantumvis fortasse absurdum alicui videri possit, certissimum tamen est. Nam raro lex humana aut olim permisit, aut etiam nunc permittit, aut etiam jubet, ut oculus pro oculo, dens pro dente excludatur. Viderunt scilicet homines prudentes, modum istum ulciscendi injurias nimis esse homine sensato et cordato indignum. Indulsit autem Deus Israëlitis hanc ulciscendi rationem, tum quia populum istum generatim loquendo sciebat esse puerilis judicii et injuriarum impatientissimum, tum quia vel hac ipsa ratione indicare voluit, succedere omnino debere correctionem ipsius legis.* Sed opponimus Schmaltzio 1. *summi legislatoris sapientiam et justitiam.* Quia enim haec lex talionis a Deo sapientissimo et justissimo per Moysen est promulgata, ideo de ejus aequitate in Israëlitica republica dubitari sine praevaricationis crimine nequit. Deuter. 4, v. 8. Quodsi vel maxime haec lex talionis in aliis rebuspublicis praecise observari non posset vel deberet, tamen in Judaica politia fuit justissima et aequissima, utpote a Deo sapientissimo et justissimo profecta. Etenim si de humanis legibus verum est illud Augustini libr. de vera relig. cap. 31. *constitutis ac firmatis legibus non de illis, sed secundum illas judicandum*, quod relatum est in jus canonicum; quanto magis de divinis legibus illud verissime dici potest, quarum licet quandoque nobis non constet ratio, dubitare tamen non debemus, quin sint aequissimae. 2. *Finem hujus legis a Deo ipso expositum.* Neque enim indulsit Deus Israëlitis hanc talionem *ob ingenium eorum puerile et vindictae cupidum*, ut pueriliter nugatur Schmaltzius, sed severe eam praecepit et finem praecepti longe alium exposuit. Deut. 19, v. 18: *Si testis mendax testificatus fuerit mendacium contra fratrem suum*, v. 19. *facietis ei, quemadmodum cogitavit facere fratri suo, et auferes malum ex medio tui*; v. 20. *et qui remanserint, audient et timebunt, et non addent, ut faciant amplius secundum hoc malum in medio tui*, v. 21. *et non parcet oculus tuus, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Finis ergo legis fuit, ut coërcerentur injuriae in hoc populo vindictae cupido, non ut libidini ejus indulgeretur, quando enim quilibet scivit, eadem sibi talionis lege divinitus constituta esse sustinenda, quae alteri intulisset, utique ab injuriis proximo irrogandis membrorum mutilationibus ac caedibus eo diligentius sibi cavit, qua ratione et laedenti et laeso haec lex profuit, in illo compressa fuit manus noxia, dum metuit ejusdem mali passionem, quod aliis inflixit, in laeso vindictae cupiditatem temperavit, ne graviorem ultionem expeteret. Quin et magistratibus, quippe quibus solis licebat
XIV. 123. poenam talionis irrogare, aequalitas in poenis irrogandis hac lege fuit praescripta, ne vel modum in puniendo excederent, vel nimia lenitate ferociam impiorum augerent, sed hanc talionis legem *legi naturae* maxime conformem observarent. 3. *Judicium Dei extraordinarium*, quo cessante magistratus officio scelera juxta hanc talionis legem punire consuevit, quod qui sugillare voluerit, vindicem ipsius iram experietur. Matth. 7, v. 2. Luc. 6, v. 38. Christus a temerario judicio et condemnatione proximi dehortaturus addit hanc rationem: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Esa. 33, v. 1: *Vae tibi, qui praedaris, an non et tu praedam patieris? cum consummaveris devastationem, devastaberis.* Habac. 2, v. 8: *Quia tu spoliasti multas gentes, spoliabunt te reliquiae populorum.* Prov. 21, v. 13: *Obturans aurem suam a clamore pauperis, etiam ipse clamabit, et non exaudietur.* Sap. 11, v. 17: *Per quae quis peccat, per eadem torquetur.* Apoc. 3, v. 10: *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadit, qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* Apoc. 18, v. 6: *Reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis. Fratres Josephi* agnoscunt hanc talionis poenam. Gen. 42, v. 21: *Vere deliquimus contra fratrem nostrum, quod vidimus augustiam animae ejus, dum deprecaretur nos, et non audivimus, idcirco venit ad nos angustia haec. Pharao* Israëlitarum parvulos in profluentem projici jubens Exod. 1, v. 22. in aquis maris rubri interit. De *Adonibesec* Jud. 1, v. 6. et 7. dicitur: *Comprehenderunt Adonibesec caesis summitatibus manuum ac pedum ejus, dixitque Adonibesec: septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea reliquias, sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* De Philistaeis dicit *Simson* Jud. 15, v. 11: *Sicut fecerunt mihi, sic feci eis*, indicans, se divino instinctu Philistaeis paria reddidisse. 1. Sam. 15, v. 33. adducto *Agag* inquit Samuel: *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua, et in frusta concidit eum Samuel coram Domino.* 2. Sam. 16, v. 22. *David* cum alterius uxore Bethsabea rem habuit; ideo ut uxores ejus vicissim a filio Absolone vitiarentur, justo judicio Deus permisit. Ut *Salomon* cultum sacrum erat partitus, eum *partim Deo, partim idolis* concedendo; ita quoque regnum ejus justo Dei judicio est divisum. Quodsi haec extraordinaria et particularia Dei judicia sunt justa, quomodo ordinarium illud judicium, quod per magistratum exercet, quando talionis poenam facinorosis irrogat, tanquam cum sana ratione pugnant reprobari poterit? 4. *Aliarum etiam gentium consensum.* In legibus XII tabb. jus talionis fuit sancitum his verbis: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.* Apud Gellium lib. 20. noctium Atticarum cap. 1. *Phavorinus* philosophus cum Sexto Caecilio de aequitate hujus legis disputat eamque Romanis in usu fuisse testatur. Idem refert Alexander ab Alex. lib. 6. genial. cap. 10. Aristoteles lib. 5. ethic. Nicomach. c. 8. de Pythagoreis tradit, quod τὸ δίκαιον definierint

pro τὸ ἀντιπεπονθός, adducto in id versiculo Rhadamanthi:

> *εἴκε πάθοι, τά κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο,*
> *Si quis quod fecit, patiatur, jus erit aequum,*

vel ut alii verterunt,

> *Si contra passus fuerit, quod fecerit idem,*
> *Judicium plane rectum vindictaque fiet.*

5. Moderationem talionis a Deo ipso traditam et in republica Israëlitica observatam. Fuisse enim in exsecutione hujus legis circumstantiarum, cumprimis personarum rationem habitam, evidenter colligitur ex aliis legibus. Exod. 21, v. 26: *Cum percusserit vir oculum servi sui vel oculum ancillae suae et corruperit eum,* (non cogetur pati conclusionem oculi, sed) *liberum dimittet servum pro oculo ejus*; v. 27. *et si dentem servi sui vel dentem ancillae suae excusserit, liberum dimittet eum pro dente ejus*, ubi ob personae conditionem poena talionis mitigatur. Exod. 21, v. 17: *Qui parentibus maledixerit, morte moriatur*, ubi propter qualitatem per-
124. sonae exaggeratur talionis poena. Josephus lib. 4. antiquitat. c. 8. p. 101. legem talionis sic recitat: *Qui excoecaverit quenquam, similia patiatur privatus, quo privavit alium, nisi is malit pecuniam accipere, nam ipsi lex permittit arbitrium aestimandi suum casum, si nolit haberi severior.* Paulus Fagius in notis ad Chaldaic. paraph. Deut. 19, v. 21. sic scribit: *Haec lex talionis, animam pro anima, oculum pro oculo* etc. *auctore Rabbi Kanam, ut a Bachai citatur, nunquam est observata, nam praeter Scripturam ex traditione ait constare, quod non oculus pro oculo, sed aestimatio oculi pecuniaria reddatur, alioqui enim legi non satisfieret, quae ait, quemadmodum dedit maculam in hominem, sic detur in auctorem.* Levit. 24. *jam patet,* Exod. 21. *quod de interesse et sumtu in medicos facto satisfacere laeso, qui damnum dedit tenetur. Quodsi auctori oculus pro oculo effoderetur, quis illi satisfaceret? Est et alius tenerioris constitutionis quam ille, qui laesus est, qui ex aequali vulnere similiter mortem obierit. Propterea fieri non potest, ut per omnia vulnus et laesio aequalis auctori infligatur. Ad illud, quod lex dicit, quemadmodum fecit, sic fiat illi, respondent, similitudinem esse in malo illato. Nam et Simson Philistaeis ait, se fecisse illis, quemadmodum illi ipsi fecerant, quorum arva combussit propter ademtam uxorem. Est enim similitudo et paritas damni.* Ex hoc Fagii loco desumsit Bodinus lib. 6. de repub. cap. 6. nu. 768. suam assertionem, quod *in civitatibus Hebraeorum non fuerit observata talio Pythagorica, ut oculus ei effoderetur, qui alteri effodit oculum, sed potius damnum juxta arbitrium judicis pro qualitate personarum et ratione circumstantiarum pecunia aestimatum fuisse.* Nemo tamen dubitet, quin juxta expressum legis tenorem in quibusdam casibus ratione personarum et facti habita jus talionis praecise observatum fuerit. Et cum hoc moderamine etiam in aliis rebuspublicis lex talionis promulgari et observari potest, non autem praecise et absolute sine ulla circumstantiarum consideratione, inde Gellius d. l. memorat, *Romanos ad judicis aestimationem jus talionis reducere consuevisse*, quo pertinent § Poena 8. Instit. de injuriis: *Poena injuriarum ex lege duodecim tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat, propter os vero fractum nummariae poenae erant constitutae, quasi in magna veterum paupertate. Sed postea praetores permittebant ipsis, qui injuriam passi sunt, eam aestimare, ut judex vel tanti reum condemnet, quanti injuriam passus aestimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. Sed poena quidem injuriae, quae ex lege duodecim tabularum introducta est, in desuetudinem abiit, quam autem praetores introduxerunt, quae etiam honoraria appellatur, in judiciis frequentatur. Nam secundum gradum dignitatis vitaeque honestatem crescit aut minuitur aestimatio injuriae, qui gradus condemnationis et in servili persona non immerito servatur, ut aliud in servo actore, aliud in medii actus homine, aliud in vilissimo vel impedito jus aestimationis constituatur.* Confer Aristotelem lib. 5. ethic. cap. 8. ubi disputat, *jus talionis praecise sine circumstantiarum consideratione observatum in neutra justitiae particularis specie locum habere.* Nam *distributiva* respicit personas, ideoque dissidet, *διαφωνεῖ*, a jure talionis, ut si magistratum quis gerens percusserit, repercutiendus non est; si autem magistratum gerentem quis percusserit, non solum est percutiendus, sed graviore etiam supplicio afficiendus, adde quod spontene an inviti fecerimus, multum referat. *In commutativa* justitia τὸ ἀντιπεπονθός, sive jus talionis, non *κατ' ἰσότητα*, sed *κατ' ἀναλογίαν* instituendum, non eadem iisdem, sed rebus aequivalentibus permutantur. Atque haec dicta sint de *materia* legum positivarum et quaestionibus ad eam pertinentibus. De *lupanaribus* an sint toleranda, egimus in tract. de lege §. 163. *de choreis, ludis scenicis, bonorum aequalitate, funerum apparatu* egimus in quaest. politicis decad. 8. quaest. 2. 5. et 6. De aliis quaestionibus ad hunc locum spectantibus consulantur jurisconsulti et politici scriptores.

260. Ad *formam* igitur *legum civilium* transitum facimus. Ea vero docendi causa duplex statui potest, *interna* et *externa*. *Interna* est congruentia cum jure naturali, cum dictamine rectae rationis et principiis practicis natura notis; *externa* est proprietas et perspicuitas sermonis, quo leges a nomothetis concipiuntur ac promulgantur. De *forma* legis interna notandi sunt hi canones. *1. Lex positiva congruat cum jure naturali,* est enim illius quaedam propago, surculus ac rivus jam vero surculus cum arbore, rivus cum fonte ejusdem est naturae. Tertullianus in apol. adv. gentes cap. 4. p. 20: *Leges nec annorum numerus, nec conditorum dignitas commendat, sed aequalitas sola, et ideo cum iniquae recognoscuntur, merito damnantur. Omnium legum inanis est censura, nisi divi-*

XIV. 125. Forma legum positivarum.

Interna.

nae legis imaginem gerant, inquit Augustinus. Non enim jura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ethnici *jus esse dicant, quod de justitiae fonte manavit* lib. 19. de civ. Dei cap. 21. inde etiam Cicero lib. 1. de legib. *jus et legem non populorum jussis, nec principum decretis, nec sententiis judicum constitui* dicit, *sed naturae norma*. lib. 2. de legibus: *Lex est justorum injustorumque distinctio ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur.* Rectitudo et justitia est legis quasi anima, jam vero lex non potest esse recta, nisi cum jure naturae omnis rectitudinis fonte congruat. Ubi tamen duo sunt notanda, primo *jus naturale non aestimandum esse ex quorundam corrupto judicio, sed ex conformitate cum lege divina*, quae est omnis justitiae regula; secundo *genus quidem positivarum legum ex naturae fontibus derivari, speciem tamen ac determinationem legis ex hominis ratione circumstantias varias et conditionem populi considerante provenire.* Savonarola lib. 3. de verit. fid. c. 8. p. 203: *Quaedam leges a communibus principiis legis naturae per modum conclusionis habentur, ut ab hoc praecepto, non occides, elici potest, nemini venenum esse dandum; quaedam vero per modum determinationis, sic lex naturae jubet, ut qui peccat, puniatur, sed quod illa vel alia poena plectatur, non fit secundum determinationem legis naturae, ideoque hoc prudentum arbitrio relictum, ut scilicet id determinent, quod bono communi noverint expedire.* 2. Lex *positiva ad conditionem populi, cui proponitur, et ad statum cujusque reipublicae sit accommodata.* Cicero reprehendit Catonem juniorem Uticensem dictum, quod exemplo Catonis senioris, qui Censorius dicitur, *sententias in republica Romana dixerit tanquam in politia Platonis, non tanquam in fece Romuli.* Idem ad nomothetas accommodari potest, quod non ad ideam quandam optimae reipublicae, sed in specie ad statum illius, cui leges praescribunt, respicere debeant. Leges sunt veluti medicinae quaedam rerumpublicarum. Quemadmodum igitur ex Hippocratis praescripto medicus *unum oculum ad praecepta artis, alterum vero ad statum et conditionem aegroti* intentum habet; ita legislator uno oculo ideam juris, altero vero conditionem populi respicere debet. *Ut diversa sunt corporum temperamenta a diversa materia, sic leges differunt a gentium moribus et conditionibus aliis atque aliis*, inquit Simlerus in comment c. 20. Exod. Plato in polit.: *Leges pro varia reipublicae forma sunt constituendae diversae, per omnia enim eaedem esse non possunt. 3. Lex positiva nec justo sit lenior, nec severior.* Nimia lenitas parit licentiam, contemtum magistratus, conculcationem disciplinae et honestatis. Leges sunt quasi sepimentum ac vallum quoddam reipublicae, quodsi ergo salva debet esse respublica, sepimentum illud probe firmandum ac muniendum. Vicissim nimia legis severitas parit seditiones. De Draconis legibus propter nimium earum rigorem dictum fuit, quod sint *sanguine scriptae. Qui nimium emungit, sanguinem tandem elicere* proverbio dicitur; sic magistratus nimia legum severitate subditos premens ad impatientiam eos solicitat. *4. Lex positiva carere debet* XIV. 12
omni προσωποληψίᾳ. Quemadmodum lex naturalis absque ullo personarum respectu aequalibus aequalia assignat, ita quoque a lege positiva, quae est naturalis legis *ἀπεικόνισμα*, praepostera *προσωποληψία* exsulare debet, secus si fiat, a justitiae tramite receditur et dissensionibus occasio praebetur, inde Ulpianus inquit l. Jura 8. ff. de legib.: *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur*, et Papinianus lib. 1. ff. de legib. legem vocat *communem reipublicae sponsionem.*

261. De forma legis *externa* notandi sunt hi Extern
canones: *1. Lex positiva verbis claris et perspicuis proponi debet.* Visum quidem aliquibus fuit, leges *sermone parum usitato nec in vulgus noto* concipiendas et proferendas, ut subditis sint magis admirationi, Salmuth in notis ad Pancirol. de reb. memorabil. p. 374. sed rectius statuitur, leges sermone perspicuo et omnibus noto esse conscribendas, debent enim esse subditis *omnibus pro norma vivendi, mulieribus et pueris*, ut Leo imperator dicit. *Finis legum est*, scribit Piccolominaeus gradu 10. c. 28. *ut civibus omnibus tanquam norma proponatur, per quam congruenter se parent recteque erga alios disponant, ergo eo sermonis genere proponi debent, qui ab omnibus intelligatur, ne ignorantiam transgressioni praetexere possint.* l. leges 9. C. de legib.: Leges *sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Praeterea leges inferioribus magistratibus pro *norma judicii* traduntur, atqui norma non debet esse flexibilis, obscura et dubia. Petrus Gregorius lib. 10. de rep. cap. 5. nu. 22. unde Soloni vitio datum, quod quaedam in legibus suis obscurius proposuisset, Plutarchus in vita Solon. *2. Lex positiva sermone tali, qui majestatem et auctoritatem prae se ferat, constare debet.* Neque enim persuadendi, sed jubendi causa feruntur leges. Plato quidem libr. 4. de legib. monet, duas debere esse partes legis, *praefationem scilicet et legem ipsam;* praefatio affert causam legis promulgatae, lex praeceptum ipsum continet; interim tamen illa ipsa legi addita ratio sive praefatio non rhetoricis persuasionibus, sed brevibus argumentorum nervis et majestate sermonis constare debet. De tabulis decemviralibus testis est Cicero lib. 3. de legibus, quod genus dicendi auctoritate venerandum usurparint. Deus ipse in lege sua populo Israëlitico promulgata brevi praefatione loco plurimorum argumentorum et sermone majestatico utitur. *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.* Pulchre omnino Seneca epist. 59: *Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. Jubeat, non disputet, nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius quam lex cum prolixiore prolegomeno. 3. Legi positivae addenda est comminatio poenarum*

transgressoribus irrogandarum. Parum enim roboris ac auctoritatis lex obtinebit, nisi ejus transgressoribus denuntietur poena, proinde nomotheta ferens legem absque poenae comminatione ludere et jocari, non mandare ac praecipere videbitur.

Ferentia legis naturalis et legum positivarum. 262. Ad formam legum positivarum pertinet etiam earum a *lege naturae differentia*, quae in sequentibus potissimum membris consistit. Differunt *1. causa efficiente.* Lex naturalis immediate a Deo creatore primorum hominum cordibus fuit inscripta, eademque adhuc hodie mediante carnali propagatione posterorum cordibus a Deo interius inscribitur, Rom. 2, v. 15. sed leges positivae civiles a magistratu exterius promulgantur. *2. Materia.* Lex naturae generatim omnia vitia prohibet tam interna, quam externa; lex positiva civilis tantum externa scelera prohibet, ideoque peccandi voluntatem non punit. Lex naturae virtutes in genere praescribit; lex positiva ad specialia officia descendit. *3. Forma.* Lex naturae est rivulus quidam ex fonte legis externae, quae in Deo est, deductus ac divinae illius lucis sapientiae scilicet et justitiae in Deo quidam radius; lex positiva est rivulus ex
V. 127. fonte legis naturae deductus. *4. Fine.* Lex naturae tantummodo honestatem et spontaneam observationem requirit, Rom. 2, v. 24. leges positivae praesupposita honestate etiam utilitatem eorum, quibus sanciuntur ac feruntur, spectant, unde jus civile appellatur δίκαιον σύμφερον. *5. Objectis.* Lex naturae omnibus hominibus communis est et omnes obligat; leges positivae eos solum obligant, quibus a magistratu publica auctoritate sunt latae. *6. Adjunctis*, firmitate scilicet et notitia. Lex naturae immota est, immutabilis ac perpetua; leges positivae variantibus circumstantiis mutari et abrogari possunt. Augustinus libr. 1. de lib. arb.: *Lex temporalis, quamvis justa sit, tamen commutari per tempora juste potest.* Lex naturalis omnibus φύσει est nota; positiva per promulgationem demum innotescit. Lex naturae ubique locorum eadem; positivae pro locorum diversitate variant.

…is …rum …sitivarum. 263. *Finis* legis positivae duplex est, *immediatus sive intermedius et ultimus. Finis immediatus et intermedius* est studium virtutis et honestatis, vigor justitiae et aequitatis inter cives; *finis ultimus* est salus reipublicae, felicitas civium, bonum publicum subditorum, id quod ex honestate, virtute, justitia et aequitate inter cives vigente efflorescit. Canones de fine legis: *1. Nomothetae in ferendis legibus hoc propositum esse debet, ut studium virtutis subditorum animis implantet.* Qui enim vult finem, debet etiam eligere media ad finem ducentia. Finis νομοθεσίας est salus reipublicae sive bonum publicum subditorum, medium ad hunc finem ducens est virtutis et honestatis studium inter subditos vigens, absque quo reipublicae salus constare nequit; ergo si nomotheta bonum publicum promovere cupit, ad virtutis studium subditos assuefaciat, inde Philosophus scribit lib. 7. polit. cap. 2: *Est boni nomothetae diligenter considerare, quomodo cives virtutis et beatitudinis participes reddi queant*, ubi finem intermedium et ultimum, sive medium et finem εἰδικῶς sic dictum conjungit, cum posterior absque priore obtineri nequeat. *2. Nomotheta in ferendis legibus non suum privatum, sed subditorum sive publicum bonum respicere debet.* Nomotheta qua talis non sustinet personam privatam, sed publicam, ad ipsum igitur pertinet toti reipublicae prospicere, nequaquam vero ad privatum suum commodum quidquam referre; inde Isidorus lib. 5. etym. cap. 21. requirit, *ut lex nulla privato commodo, sed pro communi tantum civium utilitate sit conscripta.* Dominicus a Soto lib. 1. de justitia et jure quaest. 5. art. 3. hac utitur comparatione: *Ut inter regem et tyrannum hoc interest, quod ille in commune bonum, hic autem ad privatum commodum cuncta refert; sic inter legem bonam et malam hoc discriminis intercedit, quod illa bonum publicum, haec vero privatum respicit.*

Effectus legum. 264. *Effectus* legis est obligare subditos ad praestanda ea, quae in lege sunt praescripta. Neque enim in arbitrio subditorum relinquitur, an velint legi promulgatae parere, nec ne, sed omni legi vere et proprie sic dictae, hoc est si constet ex requisitis et causis hactenus recensitis, inest vis ἀναγκαστική, unde ex necessitate illi subjecti sunt subditi, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Rom. 13, v. 5. atque eo respiciunt Scholastici, quando legem *a ligando* dictam esse volunt, quia scilicet eos, quibus fertur, obligat, vel ab obedientiam praestandam, vel ad poenam tolerandam, Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. quae etymologia quamvis ob literarum dissimilitudinem non videatur satis commoda, tamen effectus legis proprius aptissime per eam exprimitur.

Qu. 1. An leges positivae magistratum obligent? XIV. 128. 265. Quaeritur autem circa hunc effectum: *1. An leges positivae etiam obligent magistratum.* Divina et naturali lege principem obligari extra controversiae aleam positum est, quia Deus ipse Deut. 17, v. 18. legis suae custodiam regi mandat ac naturalem legem ut reliquorum hominum, sic etiam regum cordibus inscripsit Rom. 2, v. 14. inde Baldus in lib. 31. de legib.: *Princeps est sub lege poli, naturae et rationis.* Eo enim ipso princeps, quod creatura est, creatori et legibus creationis ac naturae est subjectus, eo ipso quod hujus mundi civis est, communibus communis politiae legibus jure gentium subjectus censeri debet. Sed de positivis civilibus legibus quaeritur, an illis etiam magistratus obligetur. Quidam affirmant 1. propter *rationem legis*, quae generalis est, ac proinde omnès obligat; 2. propter *exemplum*, quo ad legis observationem subditi invitantur. Nam

Sic agitur censura et sic exempla parantur,
Cum judex alios quod monet, ipse facit.

Justinus libr. 3. hist. de Lycurgo scribit, quod *nihil lege ulla in alios sanxerit, cujus non ipse primus in se documenta daret.* In legibus XII tabul. dicitur: *Is ordo* (magistratuum) *vitio vacato, cete-*

ris specimen esto. c. Justum est etc. dist. 9. ex Isidoro: *Justum est, principem legibus obtemperare suis. Tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando et ipse illis reverentiam praebet. Principes legibus damnari suis, nec in se posse damnare jura, quae in subjectis constituuntur, justum est.* 3. Propter *egregiam illam imperatoris confessionem* l. 4. C. de legibus et constit.: *Digna vox majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri*, cum qua congruit illud Tiberii, qui referente Nicephoro lib. 1. hist. eccl. cap. 17. ad urbium rectores ac magistratus scripsit, *si quid forte contra leges a se mandari contingeret, eos id approbare et exsequi utpote per inscitiam commissum non debere.* 4. Propter *detrimentum ac periculum* ex altera parte metuendum, Plato lib. 3. de legibus. Infinita potestas etiam in regibus ipsis, quae sese legum vinculis coërceri non patitur, est certissima regni et reipublicae ruina et proxime occasurae prognosticon, contra quam remedium est, ut leges observentur etiam ab ipso principe. Quidam negant 1. propter *expressam juris dispositionem.* l. 31. ff. de legibus, ubi Ulpianus diserte: *Princeps legibus est solutus.* ** Auctor lib. de jure magistr. in subd. quaest 6. *falsissimam et exsecrandi potius adulatoris quam fidi subditi in principem illam vocem esse* contendit. ** 2. Propter *magistratus conditionem.* Princeps est imago divinae majestatis, Albericus in pr. ad l. decernimus. C. de SS. eccles. est Deus quidam terrestris, nullis ergo legum vinculis constringitur. Ipsius est leges dare, non accipere, *imperare aliis, non obtemperare,* Tolosanus 7. de rep. cap. 20. sect. 23. 3. Propter *magistratus in ferendis legibus intentionem.* Non enim sibi, sed aliis legem praescribere voluit *In civilibus his institutum principis non est sibi leges ferre*, inquit Bodinus lib. 1. de rep. cap. 8. *nemo potest sibi imperare*, l. penult. de arbit. 4. Propter *absurdi consecutionem.* Si princeps civilibus legibus subjectus esset, non posset eas reipublicae statu ita exigente mutare et abolere, qua ratione non dominium, sed tyrannis aliqua legibus civilibus concederetur. *Necessitas reipublicae* exigit, leges quandoque mutari, Novell. 7. cap. 2. mutari autem non possunt nisi ab eo, qui legibus est solutus, l. 32. de legibus.

266. Quidam distinctionis foedere discrepantes in hac quaestione sententias conciliare nituntur. 1. Donellus lib. 1. comm. cap. 17. distinguit inter *legem regiam et legem principibus propriam.* Solutum esse dicit legibus principem, propterea quod legibus et solennibus juris sit solutus a populo Romano per legem regiam, quae de imperio ejus lata fuerit l. 1. ff. de const. pr. l. 3. C de testam. attamen teneri principem lege etiam sua, quoniam declarent principes, se velle legibus vivere statuentes, nil magis convenire imperio d. l. 3. C. de testam. Quodsi igitur alias quidquid principi placuit, lex est, l. 1 ff. de constit. pr. etiam hanc principum voluntatem, qua se legibus adstrictos volunt, legem fore, adeoque principes lege quidem regia legibus civilibus esse solutos, verum ex propria sua lege esse illis adstrictos. Eodem inclinat Treutlerus vol. 1. disp. 1. th. 6. lit. B. 2. Gothofredus ad nov. 105. *solutum legibus principem videri non esse*, quam distinctionem deducit ex l. imperfecto 23. in fin. in verb. eas servare leges, quibus ipse solutus videtur, ff. de legat. 3. 3. Graeci interpretes *poenariis* sive *poenalibus legibus imperatorem liberant*, *reliquis vero adstrictum esse dicunt.* 4. Cujacius lib. 15. observ. cap. 30. et alii principem *legibus Julia et Papia caduceariis solutum esse statuunt*, *ceteris vero alligatum*, quod colligunt ex l. 56. de legat. 2 5. Coras lib. 2. misc. cap. 25. Vasquez 1. controv. 26. nu. 15. Marius Salamonius libr. 6. de princip. et alii existimant, principem *solennibus tantum juris solutum esse, non autem ceteris civilibus legibus*, quod colligunt ex l. 3. C. de testam. ubi imperator Alexander rescribit: *Licet lex imperii solennibus juris imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium est imperii quam legibus vivere.* Has distinctiones omnes proponit et refellit Hunnius in resol. disp. 1. Treutlerus vol. 1. p. 79. et seqq. ac suam tandem subjicit sententiam, principem legibus civilibus vere solutum esse, *nec de necessitate, sed de honestate solum et voluntario obsequio legibus parere;* ab hac tamen generali regula excipi, primo illas leges civiles, quae ex ratione naturali ad principem peraeque spectante sunt introductae; secundo legem Falcidiam, cui itidem imperator sit subjectus, l. 4. C. ad l. Falcid. ** *1. Princeps*, ait jurisconsultus. At quis? *cui* scilicet *populus omne suum imperium potestatemve concessit.* l. 1. de const. princip. §. 7. de concept. ff. id est, qui gaudet majestate plena et summa. Populus autem pro ratione justitiae libere imperabat, ferebat, mutabat leges atque omnia variabat, prout salus reipublicae exigebat. Atque haec sunt, quae populus in principem contulit. *2. Legibus*, ait jurisconsultus. *Leges sunt scita superioris potentiae, quibus in officio continentur, qui sua sponte officium facere recusant.* c. factae etc. dist. 4. lib. 1. de l. et l. Pendent itaque leges a majestate tanquam anima, quam quia princeps obtinet, ejus placito definiuntur. l. 1. de const. princ. *Leges dupliciter* considerari possunt, 1. ut sunt objectum et regula justitiae, 2. ut sunt instrumenta et media subservientia majestati ad regendam rempublicam. Primo modo majestas etsi summa sit, leges tamen agnoscit tanquam superioris, Dei, naturae et rectae rationis, in quas si impingit, obligatur ad poenam Deo aliquando reddendam. Peccat autem princeps majestatem obtinens in has leges dupliciter: 1. Dum non recte circa eas in rempublicam inducendas versatur, nimirum si aliter disponere praesumat ac jure divino factum aut jus naturae fieri jubeat; 2. si in ipsa gubernatione non observat, nimirum si princeps contra jus divinum dispenset vel poenis gratiam faciat, maxime in poenis, quae naturali ratione nituntur, si indicta causa aliquem condemnet, nisi factum sit notorium, si dominium quaesitum alicui

auferat etc. Hoc primo modo Ulpianus léges, quatenus majestatem dirigunt, non consideravit, non itaque hac ratione ab ipso princeps legibus solutus dicitur, quatenus autem eaedem considerantur ut instrumenta et media, subjacent majestati et exinde principi. Nov. 105. c. 2. §. fin. ait Justinianus. Imperatori et ipsas leges Deus subjecit, legem animatam eum mittens hominibus. Subjicit Deus imperatori non solum civiles, sed et naturae ac divinas leges, ut tanquam rex subditos ad earum obsequium adigat. Imperator vero dicitur animata lex, tum quod legi mutae et quasi mortuae vitam addit eam tuendo et defendendo, tum quod novas creet inspirando eis animam. *3. Solutus*, ait jurisconsultus. *Solutus dicitur, qui non est obligatus*, Alb. Gentilis ad l. 48. de verb. signif. Qui scit, quousque se extendat obligatio, is etiam scire potest, quid sit solutum esse. *Obligatio legis non tam oritur ex ratione quam ex sanctione* l. 1. et 2. de LL. *ex jussu et praecepto* l. 52. §. 5. de O et A. inter quae tantum interest, quantum inter virtutem philosophicam et ipsam legem l. 1. §. 1. de l. et l. Solutus ergo princeps tum a jussu et imperio, tum a coërcitione legis.** Scholastici distinguunt inter *vim coactivam et directivam.* Quoad vim coactivam principem legibus solutum esse dicunt, quia princeps cum sit superior, ab inferioribus non potest metu poenarum ad observationem legum cogi; quoad vim directivam principem legibus adstrictum esse dicunt, quia lex positiva deducta est ex jure naturali et recta ratione, quae non minus principis quam subditorum animos ad recte agendum dirigere debet. Thomas p. 1. q. 96. art. 5. Dominicus a Soto lib. 1. de
XIV. 130. justit. et jure q. 6. art 7. Gregorius de Valent. tom. 2. comment. disput. 7. q. 5. punct 4. quos sequitur etiam Meisnerus lib. 4. de legibus sect. 1. q. 10. Haec distinctio fere concidit cum priore inter *necessitatem et honestatem*, quia quando princeps legibus necessitate quadam negatur adstrictus, intelligitur necessitas externa, videlicet coactionis, cum honestas illa, cujus respectu princeps legibus obstrictus dicitur, conjunctam habeat quandam necessitatem internam ex hypothesi dictam, si videlicet actiones suas ad praescriptum rectae rationis conformare et subditis suis exemplo praelucere velit. Huic distinctioni obvertitur 1. quod a quarundam legum observatione princeps penitus sit liber l. 14. ff. de manum. vind. l. quod principi 56. ff. de legat. 2. 2. quodve princeps cogi possit ad legum, quibus tenetur, observantiam, cum ei constitutus sit judex legitimus, coram quo conveniri possit; 3. quod refellatur haec distinctio per l. 31. ff. de legibus; 4. quod ex ea sequatur, principem etiam naturalibus et gentium legibus esse solutum. Sed ad primum dicimus, facile concedi, quod quibusdam legibus civilibus penitus sit solutus princeps, illis scilicet quae tantum concernunt subditos, interim de communibus legibus, quarum ratio generalis est, recte usurpari potest distinctio inter vim coactivam et directivam. Ad secundum dicimus, distinguendum esse inter *leges imperii fundamentales*, quibus ex pacto princeps obligatur et proinde ad observationem cogi potest, ac *leges mere civiles.* Ad tertium dicimus l. 31. ff. de legib. ita explicandum, ut congruat cum l. 4. C. de legibus et constit. et aliis legibus, praesertim vero cum ratione, quae est legis anima. Ad quartum respondemus, nos libenter concedere, non solum civilibus, sed etiam naturalibus et divinis legibus, quoad *coactionem exteriorem*, non quoad *directionem interiorem*, solutum esse principem, interim ex eo nequit inferri, distinctionem illam non posse accommodari ad obligationem legum civilium, cum subordinata non sint sibi invicem opponenda. Addendum tamen huic distinctioni, quod vis directiva, qua princeps legibus obligatur, aliter sese habeat in legibus divinis ac naturalibus, aliter in positivis et mere civilibus; illis enim ea ratione, quoad vim directivam princeps est obstrictus, ut eas nec tollere, nec abrogare possit, hisce vero ita obstrictus est, ut reipublicae commodo ita exigente mutare et novas leges veterum et abrogatarum legum loco promulgare possit.

267. Quaeritur 2. *An leges civiles violatae obligent in conscientia?* Negant Calvinus lib. 3. institut. cap. 19. sect. 15. Sibrandus lib. 8. de pontif. Roman. cap. 7. Vasquez libr. 1. illustr. cont. 28. 1. Soli Deo competit jus et potestas in hominum conscientias, solus quippe *potest animam et corpus perdere* Matth. 10, v. 28. ipse est *unus legislator, qui potest servare et perdere* Jac. 4, v. 12. Magistratus dominatur corporibus et fortunis hominum. 2. Potestas civilis non judicat de internis, sed tantum de externis, ergo etiam conscientias hominum obligare nequit. 3. Principatus ad civium utilitatem institutus est, ergo non debet in eorum perniciem vergere. Atqui perniciosissimum foret subditis ac civibus, si politicis legibus a principatu latis obligarentur ipsorum conscientiae ad mortem aeternam, nec ullo modo verisimile est, subditos quo tempore potestatem dederunt principibus, tam laxam dare voluisse. 4. Ad aeternam mortem homines ob reipublicae regimen civilibus legibus obligari nec expedit, quia ad hanc rem efficaciores sunt poenae corporales, quae in oculos omnium incurrunt; nec justum est, quia poena non debet excedere mensuram delicti. 5. Omnis potestas est propter usum. Atqui princeps non potest transgressoribus suarum legum poenam spiritualem et aeternam infligere. Ergo etiam non potest ipsorum conscientias legibus suis obligare. 6. Si conscientiae piorum obligarentur civilibus constitutionibus, periclitaretur libertas Christiana. XIV. 131. 7. Quae poena in promulgatis legibus non exprimitur, ad eam transgressio legis non obligat. Sed in civilium legum promulgatione non exprimitur poena aeterna, sed duntaxat temporalis, non spiritualis, sed corporalis. Ergo etiam transgressio legum civilium non obligat ad poenam aeternam, proinde etiam non obligat conscientiam. Affirmant Thomas 1. 2. q. 96. art. 4. Tolosanus lib. 8. de republ. c. 2. Dominicus a Soto lib. 1. de just. et

2. An leges civiles violatae obligent in conscientia.

jure q. 6. Bellarminus lib. 3. de laicis cap. 11. Becanus part. 2. theol. schol. tract. 3. c. 6. q. 2. et alii complures. 1. propter *expressum dictum apostoli*. Rom. 13, v. 5: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam,* ubi irae nomine μετωνυμικῶς intelligitur poena; ergo non solum propter poenam magistratui et legibus magistratus parendum, ne scilicet eam incurramus, sed etiam propter *conscientiam*, ne violatione legum eam oneremus. 2. Propter *conditionem magistratus*. Magistratus est *Dei minister* Roman. 13, v. 4. *et qui potestati ejus resistit, divinae ordinationi resistit* v. 2. Ergo transgressio legum a magistratu promulgatarum Deum offendit, et consequenter leges civiles conscientiam obligant. Injuria legato ut tali illata redundat in legantem; sic contemtus magistratus in Deum ordinis hujus auctorem. *3. Propter naturam legum civilium.* Omnis lex humana derivatur ex fonte legis divinae et naturalis. Ergo ab eadem participat vim obligandi conscientias. Omnis lex, proinde etiam civilis et humana, est regula morum, jam vero proprium est regulae intrinsece ita dirigere et obligare, ut recessus ab ipsa sit peccatum in moribus, sicut recessus a regula in naturalibus est peccatum naturae, et recessus a regula in artibus est peccatum artis. Ergo etiam transgressio legis cujuscunque est peccatum in moribus, et fit cum vulnere conscientiae. 4. Propter *naturam violationis*. Quidquid inducit culpam, obligat conscientiam, quia conscientia est sensus culpae seu peccati et metus judicii. At leges civiles violatae inducunt culpam. Ergo etiam obligant conscientiam. Praeterea violatio legis alicujus specialis trahit secum violationem praecepti generalis de obedientia magistratui praestanda. Jam vero violatio hujus praecepti generalis vulnerat conscientiam, cum sit morale et ab ipso Deo in quarto decalogi praecepto traditum.

268. Nostrarum ecclesiarum sententiam proponit Meisnerus lib. 4. de legibus sect. 1. q. 11. quam distinctionibus quibusdam includimus. *1. Quaedam leges magistratus divinis sunt adversae,* utpote quando ad idololatrica sacra cogere aut novum genus divini cultus instituere conatur, *quaedam vero sunt divinis conformes,* ex fonte juris naturalis deductae et aequitati omnino consentaneae. In prioribus conscientia ab illarum observatione est libera, *quia Deo magis obediendum quam hominibus* Actor. 5, v. 29. Magistratui obtemperamus propter Deum, ergo si magistratus praecipit aliquid Deo adversum ac legibus divinis contrarium, non debetur ei obedientia. *2. Quaedam leges civiles feruntur de rebus jure naturali ac divino jam ante prohibitis*, quae tamen ad legum civilium censum referuntur, quia certas determinant circumstantias, *quaedam vero de rebus sua natura indifferentibus*, quae nec divina, nec naturali lege sunt prohibitae. Illae simpliciter obligant conscientiam, hae certa ratione. 3. Quarundam legum *materia sunt res graviores ad pacem publicam et civilis societatis conservationem pertinentes*, quarundam vero materia sunt *res leviores* ad εὐταξίαν et εὐσχημοσύνην duntaxat spectantes. Utraeque an et quomodo obligent conscientiam, ex sequentibus apparebit. Ut autem in ipsis legibus civilibus, ita quoque in earum violatione magna deprehenditur diversitas. 1. Quandoque enim violatio legum civilium procedit *ex contemtu magistratus*, si quis sciens ac volens destinata animi malitia legem transgreditur et magistratus auctoritatem susque deque habet; quandoque vero *ex ignorantia quadam invincibili* oritur, utpote si quis talem quandam legem promulgatam esse ignoravit, vel etiam si quis hunc vel illum legis sensum esse nescivit. XIV. 18
Prior violatio conscientiam sauciat, posterior minime, modo fraus et dolus absit. 2. Quandoque violatio legis procedit ex *lucri vel vindictae cupiditate,* quandoque vero ex *quadam necessitate.* Prior violatio cum habeat conjuncta peccata mortalia, merito censetur conscientiam vulnerare; posterior vero minime, quin imo cum casus necessitatis semper intelligatur in lege exceptus, ideo proprie non est violatio legis. 3. Quandoque violatio legis est *conjuncta cum scandalo publico*, quandoque vero fit *absque scandalo.* Prior conscientiam vastat, posterior vero minime. Sed et obligationis modus est diversus. 1. Quaedam obligatio conscientiae est *specialis*, cum lex aliqua ratione sui et immediate conscientiam obligat; quaedam vero *generalis*, cum lex aliqua non ratione sui et immediate, sed tantum generaliter et mediante alio praecepto, quod consequenter violatur, conscientiam obligat. Priori modo obligant conscientiam leges divinae et naturales, posteriori leges civiles, quia scilicet earum transgressio conjunctam habet violationem praecepti generalis de obedientia magistratui praestanda. **Nonnulli sic hoc proponunt: obligare conscientiam est ejusmodi legem praescribere, quae ad obediendum obstringit sub metu offensionis Dei et sub culpa morali atque mortali, idque vel generatim, cum lex non per se obligat, sed mediante generali praecepto, quod hic est quartum decalogi, in quo honor et obedientia omni superiori praecipitur; vel speciatim, cum ratione sui et immediate respectu ipsarum legum positivarum obstringit, idque vel per se cum ratione cultus divini ex verbo divino a magistratu propositi, tum ratione disciplinae ad cultum aut ad bonum aliud ordinatae; vel per accidens, quando ordinis aut decori servandi aut scandali vitandi causa aliquid praecipitur. Quaestio non est, an leges civiles justae obligent in conscientia, sed an primario, per se et aeque cum divinis obligent.** 2. Quaedam obligatio est *absoluta*, cum lex simpliciter conscientiam obstringit, adeo ut nullo respectu nullove in casu sine Dei offensione et conscientiae vulnere ab ipsius praescripto discedere liceat; quaedam vero *hypothetica*, cum non simpliciter, sed sub conditione obligat, scilicet si transgressio legis fiat ex contemtu, si causa lucri vel alterius vitiosi finis, si conjunctum habeat scandalum. Priori modo obligat lex divina et naturalis, posteriori vero civilis.

3. Quaedam obligatio est *directa*, cum lex immediate est a Deo ac de rebus divinis et cultu sacrorum agit, proinde etiam illius violatio immediate et per se in ipsum Deum fertur; quaedam vero *indirecta*, cum lex non est immediate a Deo, sed mediate, nec per se et propinque Deum Deive cultum concernit, sed consequenter et remote. Priori modo obligat lex divina, posteriori vero humana, quatenus scilicet illius transgressione ordinationi divinae, qua magistratum instituit et potestate legum ferendarum instruxit, resistitur. Quamvis igitur magistratus non intendat sub poenae aeternae comminatione leges civiles proponere, nec paratam habeat executionem, qua possit istud poenae genus transgressoribus irrogare, ex eo tamen non potest inferri, quod leges magistratus nulla plane ratione conscientiam obligent, sed quod directe et immediate eam non obligent, interim eo ipso, quod Deus obedientiam erga magistratum et leges magistratus requirit, conscientia subditorum sub poenae aeternae periculo ad eas obligatur.

Adjuncta legum civilium. 269. Circa adjuncta legum civilium duo canones sunt notandi. *1. Leges non sunt nimis multiplicandae. Corruptissima est respublica, in qua plurimae leges*, inquit Tacitus libro quarto annal. *Quo pauciores leges sunt, modo vires suas strenue exserant, eo bene moratae reipublicae melius conveniunt*, scribit Jacobus Britanniae rex libr. 2. *βασιλ. δῶρον*. Ratio est in aprico. Multitudo enim legum praeterquam quod est indicium plurimorum vitiorum in republica vigentium, occasionem praebet contemtui legum, ubi enim permultae leges ponuntur, ibi multis transgressionibus occasio datur, illae
V. 133. si vendicantur, asperum et immite fit imperium, sin impunitae dimittuntur, contemtus legum introducitur. *2. Leges majorum non sunt temere mutandae.* Cleonis apud Thucydidem sententia est, *melius agi cum civitate, quae malis legibus constanter utitur, quam cum ea, quae bonis, sed inconstanter.* Apud Aeginetas cautum erat, ut qui novae condendae legis causam daret, invisus omnibus et exsecrabilis fieret, Alexander ab Alex. libr. 6. gen. dier. c. 14. Ratio hujus canonis est manifesta. Non enim tantum prodest, qui legem corrigere tentat, novae legis introductione, quantum nocet assuefactione superioribus non parendi, Petrus Gregorius lib. 10. de republic. cap. 5. numer. 17. Ut sine valetudinis jactura victus ratio mutari nequit, sic leges non possunt sine reipublicae perturbatione mutari. Quemadmodum in aedificio ruunt omnia tigno aliquo exemto, sic unius legis mutatio quandoque ruinam trahit reliquarum omnium, qua ex re necesse est magnos motus existere. Nihil difficilius ad tractandum, nihil ut obtingat incertius, nihil periculosius ut servetur, quam inducendarum legum novarum sese auctorem constituere. Qui enim primus eas introducit, omnes illos infensos habet, qui ex antiquis institutis commoda capiunt. Hoc probe perpendit Agesilaus, de quo Erasmus lib. 1. apophthegm. 71. Cum enim in pugna Leuctrica Lacedaemoniorum plurimi fugissent, qui legibus poenas dare deberent, ephori metuentes, ne civitas deserta viris egeret militibus, cupiebant hanc ignominiam fugitivis remittere, simul tamen leges servare. Deligunt igitur Agesilaum novarum legum conditorem; is in suggestum prodiens, *Ego*, inquit, *alias leges haudquaquam laturus sum, sed mihi rectum videtur, ut leges, quas habetis, a die crastino robur accipiant*; qua ratione et militum saluti, et legum vigori consultum voluit. *Zaleucus* Locrensium legislator diuturnitati suarum legum consulturus tale prooemium eisdem praemisit referente Stobaeo serm. 44: *Si quis voluerit leges sancitas movere aut novam statuere, is collo in laqueum immisso de lege verba faciat, et si per suffragia videatur, legem veterem esse tollendam, aut eam, quae nova infertur, bonam esse, indemnis maneat; contra vero si prior lex melius habere videatur, is qui movet infertque legem, laqueo attracto moriatur.* Distinguenda tamen a temeraria legis mutatione, ea quae fit ex causa urgente et necessaria salutem reipublicae concernente. Ut enim in morbis nova non sunt tentanda remedia, si veteribus malo succurri possit; sic non sunt condendae novae leges, si veteres ministrent aliquid, quo malis reipublicae medearis, Erasmus in lib. de instit. princ. Sed quemadmodum mutato morbi statu et qualitate mutantur etiam remedia; sic prudens legislator mutatis subditorum moribus, mutato reipublicae statu, mutatis illis, ad quae in legibus ferendis respiciendum, leges etiam mutare optima ratione poterit. In rebus enim politicis cedendum est tempori, itaque et prior reipublicae status immutari et decreta ante facta revocari possunt, si utilitas suadeat, Thucyd. lib. 8.

ARTICULUS II.

DE JUDICIIS.

270. Magistratus non solum prudens *νομοθέτης*, sed etiam constans *νομοφύλαξ* esse debet, tueatur leges tum *divinas*, tum *positivas*, quas ipse probabili ratione in salutem reipublicae divinis addidit, lex enim absque executione nullum obtinet pondus nec ullum civitati affert fructum. Actum est cum illa republica, *in qua mores perduxere leges in potestatem suam, ac eae misere ad parietem sunt fixae clavis ferreis*, ut Comicus in Trinummo loquitur. Executio legum spectatur tum in *judiciis*, ut juxta earum normam sententiae ferantur; tum in *suppliciis*, ut transgressores legum poenis afficiantur, XIV. 184.
contra vero bonis et obedientibus praemia conferantur. Jurisconsulti simili fere ratione dicunt, cum cura disciplinae publicae, quae in promulgandis legibus potissimum spectatur, conjungendum esse exercitium *jurisdictionis*, quam definiunt hoc modo, quod sit *potestas politica statuendi aliquid de negotio civili vel criminali*, Vult. libr. 1. jurispr.

Ratio ordinis.

Romanor. cap. 12. numer. 1. unde eam distinguunt *in civilem et criminalem.* Jurisdictio civilis in *judiciis*, criminalis in *suppliciis* spectatur. Postquam igitur de *legibus* actum fuit, de *judiciis* et *suppliciis* porro agendum restat. Ut justitia, quae una cum religione est fundamentum et fulcrum reipublicae, inter subditos vigeat, accuratam omnino judiciorum curam magistratum habere oportet, ut in illis jus aequa lance omnibus administretur et juxta normam receptarum legum civiles lites finiantur. Constituat igitur magistratus certos judices, *legum praesides* et exsecutores exemplo *Moysis* Exod. 18, v. 21. et *Josaphati* 2. Paralip. 19, v. 5. ac diligenter provideat, ut suo illi recte fungantur officio, nec ad dextram vel sinistram a justitiae tramite deflectant.

An liceat magistratui exercere judicia? 271. Antequam vero proponamus certos canones, ad quos in exercendis judiciis magistratui respiciendum, excutienda est prius quaestio, *An liceat magistratui judicia exercere, et an Christianus possit salva et illaesa pietate in judicio coram magistratu contra proximum agere?* Negant *Anabaptistae* et qui eos ex parte sequuntur *Photiniani*, ut ostendimus ipsorum verbis superius cap. 3. sect. 1. §. 75. allatis. Utimur vero contra illum errorem hisce fundamentis: **Affirmativa probatur 1. ex Scriptura dictis.** *1. a divina judicum ordinatione.* Quodcunque Deus ipse instituit, ordinat ac mandat, illud etiam ipsi probatur. Sed judicum officium Deus ipse instituit, ordinavit ac mandavit. Ergo etiam illud officium Deo probatur. Quod est bona Dei ordinatio, eo Christianus salva et illaesa conscientia uti potest, non minus ac creaturis a Deo conditis cum gratiarum actione uti potest 1. Tim. 4, v. 4. Jam vero officium judicum est bona Dei ordinatio. Ergo etiam Christianus salva et illaesa conscientia eo uti potest, hoc est et judicis officium legitime sibi delatum gerere, et judicis officium implorare potest. Assumtum utriusque syllogismi probatur 1. expresso illo mandato, quod Deus Moysi dedit de judicibus constituendis, Deut. 16, v. 18: *Judices et praefectos constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio.* Si Deus mandat, judices constitui, utique officium judicum erit bona Dei ordinatio. *2. Praeceptis de officio judicis recte administrando traditis*, qualia occurrunt in Mosaicis legibus longe plurima. Exod. 23, v. 6. Deut. 1, v. 16. c. 16, v. 19. c. 19, v. 18. c. 25, v. 1. etc. Conjunge Psalm. 82, v. 2. Esa. 1, v. 17. Jer. 22, v. 3. Amos 5, v. 15. Zach. 7, v. 9. Nisi officium judicum Deo probaretur, nunquam de eo certas leges tulisset. *3. Mandatis de implorando judicis officio.* Exod. 22, v. 9: *Super omni praevaricatione tam in bove, quam in asino et ove ac vestimento, et quidquid damni inferri potest, ad deos sive judices causa utriusque perveniet.* Deut. 17, v. 8: *Si obscurior fuerit causa aliqua* etc. *surges et adscendes ad locum, quem elegerit Dominus Deus, et venies ad sacerdotes, Levitas et ad judicem, qui erit in diebus illis, et quaeres, et indicabunt tibi verbum judicii.* c. 19. v. 17: *Stabunt ambo, quorum est causa, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum, qui fuerint in diebus illis*, ubi nota, quod coram judice stare sit *ante Dominum* stare, nimirum quia judicium est Dei ordinatio. c. 25, v. 1: *Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices* etc. Prov. 25, v. 9: *Age causam, de qua est controversia, inter te et proximum tuum.* Nisi officium judicum esset divina et Deo placens ordinatio, non juberet, ut oppressi illud implorarent. XIV. 13
4. Dictis illis, in quibus judicium dicitur esse Dei, Deut. 1, v. 17. 2. Par. 19, v. 6. Si judicium, quod magistratus exercet, est Dei judicium, utique etiam erit bona Dei ordinatio. Psalm. 82, v. 1. diserte dicitur, quod *Deus ipse in medio deorum sive judicum judicet.* Ergo judicium est ipsius Dei *originaliter* auctoritative et principaliter, magistratus est duntaxat *ministerialiter* et *instrumentaliter*. *5. Expresso illo divinae sapientiae effato* Prov. 8, v. 16: *Per me reges regnant et judices justa decernunt.*

272. Neve obvertant Anabaptistae, *in V. quidem T. judicum officium a Deo esse institutum et mandatum, aliam vero esse N. T. rationem, in quo Christiano non liceat officium judicis exercere, vel si laesus sit ab alio, illud implorare*, producimus 1. *locum apostolicum* Rom. 13, v. 4: *Magistratus est minister Dei tibi in bonum; si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium gestat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Si magistratus in illo ipso officii sui actu, quando judicium exercet et vindictam in malos statuit, est *Dei minister*, utique officium judicum etiam in N. T. est bona Dei ordinatio. Observa etiam, quod magistratus dicatur constitutus subditis *in bonum*, nimirum ut bonum publicum promoveat justitiam administrando, justos defendendo, sontes puniendo. Quare cum hoc bono et dono divinitus concesso utimur, hoc est cum officium magistratus imploramus, recte omnino facimus. *2. Dictum Christi* Matth. 5, v. 25. Luc. 12, v. 58: *Quando vadis cum adversario tuo ad principem in via, da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.* Si non liceret judicia exercere, Christus damnasset potius accusantem et judicem, quam consilium dedisset accusato, quomodo ab accusatoris molestia et judicis ira sese expedire et liberare debeat. Excipit quidem Schmaltzius contra Frantzium disp. 6. de rebus civil. p. 388. *locum hunc esse allegoricum, ideoque non tam verba quam sensum in eo spectandum, quod videlicet ad reconciliationem fraternam prompti esse debeamus*, sed hoc non labefactat vim nostri argumenti. Si enim Christus judicia civilia cuperet sublata, non proposuisset argumenti loco judiciorum ordinem et eventum, quo ad fraternam reconciliationem nos hortaretur, unde ipse Schmaltzius paulo post addit, *in genere de judicibus et judiciis et eorum executione, ibi esse sermonem.* Est ergo haec parabola in earum genere, quae etiam

ad literam aliquid docent in externis inter homines et deinde simul etiam aliquid altius coram Deo indicant, qualis est parabola Luc. 14, v. 8. de accubitu in priore et novissimo loco. *3. Pronuntiatum apostolicum* 1. Cor. 6, v. 5: *Sic non est sapiens quisquam inter vos, qui possit judicare inter fratrem suum?* ubi causas fidelium coram fidelibus judicari praecipit, proinde esse fidelem ac Christianum, non pugnat cum judicis officio. Conjungenda etiam sunt argumenta reliqua, quae ostendunt, etiam in N. T. legitima judicia esse Deo grata ac probata.

ro- ɪx- 273, *2. A probatis exemplis* eorum, qui vel judicis officio functi fuere, vel defensionem et officium judicis imploravere. *Moyses, Josua* et alii tum *reges*, tum *judices* Israëlitici populi fuere sancti ac Deo probati viri. Atqui illi judicia exercuerunt, controversias subditorum diremerunt atque omnes muneris judiciarii partes peregerunt. *Jethro* Moysis socer consulit genero suo, ut *viros fortes, Deum timentes, veridicos et avaritiam odio habentes eligat* eosque judices populo praeficiat, Exod. 18. v. 21. Ergo non pugnant inter se Deum timere et judicis officio fungi. *Josaphatus* pientissimus rex a Spiritu sancto inter cetera etiam eo nomine commendatur, quod per singulas urbes *judices constituerit* eosque sedulo hortatus fuerit, ut juste judicarent, perpetuo scilicet memores, Deum esse secum in judicio,
36. 2. Paralip. 19, v. 6. *Naboth* recusat vineam suam regi Achabo vendere 1. Reg. 21, v. 3. exceptionis loco opponens legem, quae prohibet patrimonia civium Israëliticorum confundi, Numer. 36, v. 7. provocavit igitur a rege ad legem et beneficio juris rerum suarum quietam possessionem sibi vendicavit. *Christus* ipse suo exemplo doctrinam de judiciis recte instituendis et auxilio judicis implorando tradere voluit, quando praeter meritum a servulo pontificis percussus dicit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, sin autem bene locutus sum, quare me caedis?* Joh. 18, v. 23. quibus verbis ad legitimi judicii ordinem provocat, qui non permittit, ut causa nondum cognita innocens percutiatur. *Paulus* apostolus hisce Christi vestigiis insistens pontificem de neglecto legitimi judicii processu accusat Actor. 23, v. 3: *Tu sedes judicans me secundum legem et contra legem jubes me percuti?* Idem ad jus civitatis Romanae provocando contra injustam inferioris judicis sententiam sese munivit et appellationes ad superiorem judicem suo exemplo comprobavit. Actor. 16, v. 37: *Caesos nos publice, non convictos homines Romanos miserunt in carcerem et nunc occulte nos ejiciunt?* Actor. 22, v. 28. causam suam contra Judaeos judicio cum ipso contendentes defendit Actorum 25, v. 10: *Ad tribunal caesaris sto, ibi me oportet judicari.* Luc. 18, v. 3. proponitur a Christo parabola *viduae* illatam sibi ab adversariis injuriam ad judicem deferentis et vindictam postulantis, ut doceamur, Deum audire gemitus et preces eorum, qui affliguntur, et vindictam, ἐκδίκησιν, illis esse facturum. At si illa vidua peccasset implorando judicis officium, Christus eam non proposuisset in exemplum, quod moneat nos *semper orare et non deficere.* Ex quibus omnibus sic concludimus. Quod congruit probatis sanctorum exemplis, illud Christianus absque ullo conscientiae scrupulo suscipere potest. Atqui officium judicis administrare itemque officium judicis contra injurias ab alio illatas implorare congruit probatis sanctorum exemplis. Ergo Christianus absque ullo conscientiae scrupulo potest officium judicis administrare, idemque contra injurias implorare. Quid quod *Deus ipse* judicis officio inter homines functus, primos enim parentes post lapsum in jus vocat seu citat. *Adam ubi es?* inquit Genes. 3, v. 9. citationem sequitur accusatio, accusationem criminis probatio ex propria rei confessione, cognitionem et confessionem sententia judicatoria et poenalis. Idem adhuc hodie in occulto et interno conscientiae tribunali quotidie agitur.

274. *3. A judiciorum civilium utilitate.* Judicia sunt veluti statera aequitatis, vox legis omnisque contentionis ac litis consummatio, in quibus cardo reipublicae vertitur, justitiae vis, perfectio et administratio collocatur. Non enim unus, sed multiplex est judiciorum in humana societate finis atque usus. 1. Veritas in altissimo puteo secundum Democritum saepius delitescens in lucem producitur, occulta delicta per viam inquisitionis manifestantur, negata per viam probationis confirmantur, ac quod in genere de omnibus rite constitutis disputationibus, idem etiam de civilibus illis disceptationibus asseri potest, quod videlicet sint veritatis investigandae media atque limae. 2. Disciplina externa conservatur, publica pax et tranquillitas viget, dum in judiciis boni defenduntur et improborum injuriae ab illis prohibentur. *Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt*, ait Cicero pro Caecina. 3. Justitia exercetur et administratur, quando legitimo possessori bona adjudicantur et delinquentes poenis meritis afficiuntur. Prov. 20, v. 8: *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Judiciorum et forensium actionum auctoritas ideo publice constituta est et introducta, ut quisque per viam juris legitimis actionibus et remediis jus suum ac sibi debitum consequatur, neve cuiquam fas sit rei suae consequendae gratia per vim atque injuriam sibi aditum ad vindictam munire. l. Nemo exterus XIV. 137.
C. de Judaeis. 4. Emendatio civium quaeritur, concordia rectius et firmius inter eos stabilitur, audita legum et judicis sententia amor justitiae in eorum animis redintegratur. 5. Nostri ac nostrorum defensio obtinetur. Deus in regeneratione non adimit piis ordinatum amorem sui ac suorum, quia *gratia naturam non abolet*, sed corrigit ac perficit. Cum ergo natura defensionem sui dictitet, jure divino ad eam obtinendam judicia et officium judicis licet implorare. ** Augustinus lib. 19. de civ. Dei c. 6: *Ipsa judicia hominum de hominibus, civitatibus etiam in quantalibet pace manentibus, deesse non*

3. A judiciorum commodis.

possunt. libr. 14, c. 16: *Pertinet ad innocentis officium non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato vel punire peccatum, ut aut ipse, qui plectitur, corrigatur, aut alii terreantur exemplo.*** 6. Denique gloria Dei propagatur, cujus sapientissima, benignissima et justissima ordinatio sunt judicia civilia, cui etiam soli debetur hic honor, quod sit auctor, conservator ac defensor nostrae vitae, famae, fortunae, bonorum omnium tam corporis, quam externorum, qui judiciorum ordinem mirando consilio instituit bonis in bonum, malis vero ad vindictam malorum.

4. A judiciorum necessitate.

275. 4. *A judiciorum necessitate.* Absque judiciis politiae consistere nequeunt, quippe quae sunt earum adminicula et ordinis hujus instrumenta summe necessaria, unde per judicia *hominum societas conservari* dicitur, l. judices C. de dignit. Judicia qui tollit, ipsas politias evertit. Sublatis enim judiciis 1. *injuriae diluvii instar passim inundabunt.* Testatur experientia manifestissima, injurias et scelera incrementum hodie sumere amplissimum, cum tamen judiciis civilibus coërceantur, quid futurum censemus judiciis abolitis atque sublatis? Leges nihil quidquam prosunt absque judiciis. At leges in republica sunt necessariae. Ergo etiam judicia. *Legum interpretes sunt judices*, inquit Cicero pro Cluent. Litigare ergo sive in judicio contendere nihil aliud est quam legum interpretationem et exsecutionem petere. 2. *Boni defensione carebunt.* Exulceratissimis hisce seculi nostri temporibus *abundat iniquitas* Matth. 24, v. 12. boni in medio impiorum velut *oves in medio luporum* Matth. 10, v. 16. et velut *lilia inter spinas* Cant. 2, v. 2. vivunt, a quibus omni injuriarum, fraudum et calumniarum genere punguntur et affliguntur; summa igitur necessitas requirit, ut per judicia civilia defensio illis praestetur. 3. *Justitia exulabit* injuriis, fraudibus, rapinis, caedibus aliisque delictis impune grassantibus. 4. *Publica pax et tranquillitas*, imo ordo politicus *penitus abolebitur*, nemo possessiones suas quiete obtinere poterit, innocentes et inferiores a potentioribus opprimentur et Cyclopica quaedam confusio introducetur. 5. Ecclesia non poterit per quietam et publicam verbi praedicationem colligi, quippe quod absque externae disciplinae conservatione fieri nequit. Ac verbo uti dicam, quanta magistratus politici, tanta quoque civilium judiciorum est necessitas.

5. A rationis paritate.

276. 5. *A paritate.* Si in ordine ecclesiastico rectè instituuntur *judicia ecclesiastica*, quibus delinquentes coërcentur, utique etiam in ordine politico recte instituuntur *judicia civilia.* Ut enim disciplina ecclesiastica absque talibus ecclesiasticis judiciis conservari nequit, ita quoque politica disciplina politicis ac civilibus judiciis indiget. Si *in ordine oeconomico* patrifamilias in sua domo incumbit honesta disciplina liberos et familiam regere, contumaces castigare, bonos praemiis afficere etc. utique etiam magistratui incumbit subditos fidei et curae suae commissos civilium judiciorum administratione ad justitiam et studium virtutis ac honestatis deducere, delinquentes coërcere, bonos praemiis, malos poenis afficere.

XIV. Limitationes.

277. Notandum tamen, nequaquam a nobis probari multiplices et varios *abusus*, qui in civilibus judiciis utplurimum conspiciuntur. Ut enim praetermittamus *errata judicum*, quibus sequentes canones sunt oppositi, res ipsa testatur, saepius contra caritatis regulam ab illis peccari, qui in foro civili causas agunt, tum *ratione causae impulsivae*, quando quis vel animi malevolentia suffusus, vel invidia corruptus, vel iracundia incensus, vel libidine rixandi aut animo vindictae cupido impulsus litem proximo intentat; tum *ratione materiae*, quando ob res leves ac frivolas aut certe compositu faciles protinus ad tribunal judicis curritur, et absque ulla condonatione fraterna et Christiana patientia, absque tentata prius compositione et reconciliatione amicabili proximo lis intenditur; tum *ratione formae*, quando per convicia, calumnias, fraudes, imposturas, sophismatum praestigias et sycophantias judiciarius processus instituitur, summa verborum atque animorum acerbitate omnia geruntur et Christianae modestiae, aequanimitatis ac patientiae limites transsiliuntur; tum *ratione finis*, quando actor non tam sui defensionem et justitiae administrationem, quam adversarii confusionem, ruinam, damnum et infamiam quaerit, quae omnia tanquam accidentarii et vitiosi abusus a civilibus judiciis, quae in se ac per se sunt sancta Dei ordinatio, ad civilis societatis conservationem summopere necessaria, accurate sunt distinguenda, et juxta monitum Lutheri is, qui in foro causas recte et legitime cupit agere, amicam prius reconciliationem tentet, quam si obtinere non possit, magistratum justitiae praesidem adeat, reverenter se subjiciat legibus, judiciorum ordini et auctoritati magistratus, nec suam quaerat vindictam privatam, sed publicam, quam Deus exercet per magistratum, nec litem ex lite serat in mortali corpore inimicitias immortales gerendo, sed ut alias finis legitimi belli pax est, ita quoque suis in foro actionibus nihil aliud quam pacis, justitiae, veritatis et concordiae rationem habeat. Sic *certent causae, ut non certent pectora*, der Sachen Feind, der Perſon Freund.

Chemnicius tom. 2. loc. comm. c. de vindicta fol. 152. edit. Francof. in 4. anno 1591: *Vindicta est duplex. Altera inordinata seu privata ex malo affectu profecta, tendens in malum; altera ordinata seu publica, quae fit per magistratum certo ordine certisque legibus fine salutari. Illa passim taxatur*, Matth. 5, v. 39. Rom. 12, v. 17. Confer Matth. 26, v. 52. Luc. 9, v. 55. *Fit haec vindicta mala ex malitia omnium causarum: 1. efficientis, quia fit a persona, cui vindicta non competit; 2. impulsivae, quae est odium, ira; 3. materialis causa quandoque levis, nulla; 4. formalis destituta legitimis mediis; 5. finalis damnum et suppressio proximi. Haec publica est magistratui concessa.* Gen. 9, v. 6. Exod. 22, v. 18. Deuter. 21, v. 21. Rom. 13, v. 4. 1. Petr. 2, v. 14.

278. Ex hisce facile apparet, quid ad Anabaptistarum et Photinianorum objecta, quibus civilia judicia oppugnant, respondendum sit. Duo potissimum Scripturae dicta urgent. Prius est Christi Matth. 5, v. 38: *Audistis, quod dictum sit, oculum pro oculo, dentem pro dente;* v. 39. *ego autem dico vobis, non resistendum esse malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, praebe illi et alteram,* v. 40. *et ei qui vult tecum in judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium.* Idem fere repetitur Luc. 6, v. 29. ex quo colligunt Anabaptistae, *Christiano quantumvis injuria affecto non licere ad judicis officium confugere ejusque defensionem et auxilium implorare.* Photiniani concedunt quidem, *Christiano permissum esse suum judicio persequi et damni sibi injuste illati compensationem per magistratum quaerere*, interim ex hoc Christi dicto colligunt, *in V. T. quidem non omnem vindictam prohibitam fuisse, sed tantum privatam, in N. T. vero omnem prohibitam esse, tam publicam, quam privatam.* Ostorodus in instit. c. 26. p. 165. Schmaltzius in refut. disp. 7. Frantzii de bonis operibus p. 237. ubi definit vindictam
139. esse eam, *si quis per magistratum efficit, ut ii, qui nos offenderunt, paribus malis afficiantur, idque sine ullo fructu nostro.* p. 239. proponit suum argumentum ex his Christi verbis deductum: *Verba Christi opponuntur ei, quod licebat sub lege, nempe oculum pro oculo, dentem pro dente curare excludi. Hoc vero nemini licebat sub lege propria auctoritate, sed tantum per magistratum. Unde apparet, nec per magistratum nobis nunc licere ita resistere malo, ut olim lex permittebat.* Et paulo post: *Verba Christi, si quis te percusserit in dextram maxillam, praebe illi et alteram, explicatio specialis sunt illorum generaliter dictorum. ne resistatis malo. Itaque quemadmodum haec de vindicta per magistratum non repetenda agunt, sic etiam illa de eadem vindicta agere necesse est.* Desumsit hoc ex Socino, qui in libro, cur Evangelici Photinianis se adjungere debeant, c. 3. p. 23. sic scribit: *Manifeste pugnat cum verbis Christi* Matth. 5. *quod apud Evangelicos permittitur, ut quis injurias suas per magistratum ulciscatur,* hoc est *eum puniri curet, qui injurinam sibi intulit, licet ex ea punitione nihil prorsus commodi ad se privatim rediturum esse intelligat. Christus enim non vult, in disciplina sua locum esse legi Mosaicae, oculum pro oculo etc. quae lex ad ulciscendas injurias suas per magistratum omnino pertinet, quod Moyses concedit vel potius jubet.* Respondemus: 1. ostensum fuit suo loco in tractat. de evangel. §. 65. Christum in c. 5. Matth. *non legi divinae*, sed *Pharisaicis* legis divinae *corruptelis* suam doctrinam opponere, nec tradere *nova* ac perfectiora quaedam *praecepta*, ut volunt Photiniani, vel *consilia evangelica*, ut volunt Pontificii, sed corruptelas Pharisaicas, quibus legem Domini depravabant, removere et veram legis sententiam explicare, id quod tam clarum et apertum, ut Bellarminus ipse lib. 4. de justif. c. 3. hoc agnoscat. **1. Photiniani calumniandi ansam dant paganis et apostatis, quasi doctrina ecclesiae tolleret politiam. 2. Socinus sibi ipsi contrarius concedit damni injuste illati compensationem a magistratu petere p. 24. et tamen disputat. *non licere ob Christi interdictum vel magistratui injurias ulcisci vel, laesis vindictam a magistratu petere.* Atqui quid judicialis sententia de damno compensando aliud quam publica magistratus vindicta? si ergo concessum est reum condemnare ad damni compensationem, concessa etiam est vindicta publica. 3. Socinus nos insigni afficit injuria, quasi nostra vindicta tantum causa odii, malitiae et offensionis instituta sit, quam tamen ipsimet procul a Christianis abesse debere doceamus.** Probatur autem nostra orthodoxa sententia clarissimis hisce argumentis, primo quod Christus *antiquis dictum* ait, de *inimicis odio habendis*, illud non exstat in lege Mosaica, sed potius contrarium Exod. 23, v. 4. Levit. 19, v. 17. Prov. 25, v. 21. (frustra excipit Schmaltzius, *illum duntaxat inimicum ibi praecipi diligendum, qui simul sit civis et filius populi* disp. 7. contra Frantz. p. 204. quia haec Pharisaica glossa jamdudum protrita est a Christo in parabola de Samaritano Luc. 10, v. 30.) taxantur ergo vitiosae legis depravationes, quas sub antiquitatis praetextu Pharisaei auditoribus suis obtrudebant. Deinde quae Christus hoc loco doctrinae, quam vocant *veterem*, opponit, ea exstant in lege divina V. T. utpote de ira et signis irae Gen. 4, v. 6. Psalm. 112, v. 10. Levit. 19, v. 17. de concupiscentia uxoris proximi in ipso decalogo et Job. 31, v. 1. Jer. 5, v. 8. Prov. 6, v. 25. etc. ergo non addit legi nova praecepta, sed veterem legem explicat. Tertio summa legis est dilectio, ut Deum ex toto corde, tota anima et omnibus viribus, proximum autem ut nos ipsos diligamus, ad quam perfectionem summam in lege praescriptam quid potuisset addi? Quarto Christus concionis suae generalem scopum hoc modo format v. 20: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum*, ad hanc generalem thesin reduci debent hypotheses speciales, quae sequuntur, et liquido apparebit, legem non accusari a Christo cujusdam imperfectionis, sed Pharisaicas legis corruptelas improbari. Quinto Christus notanter inquit, *audistis quod dictum sit antiquis*, non autem percepistis, quid in lege et prophetis scriptum,
opponit igitur suam concionem non ipsi legi, sed XIV. 140.
depravationibus legis, quas nomine et praetextu antiquitatis colorabant. **In Graeco est τοῖς ἀρχαίοις, quae vox non tantum significat *antiquos*, sed insuper *praecipuos principes* et *praepositos*, ideoque hoc nomine satis clare ipsi antiqui Pharisaei, qui erant ἀρχαῖοι exprimuntur. Piscator: *Audistis, quod dictum sit ab antiquis. Similis loquendi modus exstat* Luc. 24, v. 34. ὤφθη Σίμωνι, *visus est Simoni, id est a Simone.* 1. Cor. 15, v. 6. *visus est fratribus, id est a fratribus.*** 2. Eodem igitur sensu etiam haec pericope concionis Christi accipienda est, quod videlicet non sit opposita legi divinae,

quae publicam magistratus vindictam non solum permittit, verum etiam praecipit Exod. 21, v. 24. Levit. 24, v. 20. Deut. 19, v. 19. sed Pharisaicis hujus legis corruptelis, quibus eam depravabant et in alienum sensum detorquebant. Ex eo enim, quod lex magistratui vindictam talionis praecipit, Pharisaei colligebant, *singulis etiam privatis accepta injuria licere sese ulcisci ac malum pro malo reddere, modo non excedatur modus talionis.* Sed Christus huic depravationi opponit veram legis interpretationem, quod scilicet ad magistratum pertineat praeceptum *de vindicta*, privatis vero dictum esse, *ne resistant malo*, id quod in ipsa etiam lege diserte proponitur, Levit. 19, v. 18. ubi Moyses, qui magistratui vindictam publicam prius mandaverat, privatis dicit: *Ne quaeras ultionem, nec memor sis injuriae civium tuorum,* (ubi LXX interpr. notanter verterunt *non ulciscatur tua manus)* et Salomon, id quod magistratui mandatum erat, *sicut fecit, ita fiat illi,* illis ipsis verbis personis privatis prohibet, Prov. 24, v. 29: *Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei, rependam unicuique juxta opus suum.* 3. Accurate igitur notandum, ad quos haec Christi sententia pertineat, id quod ipse contextus ostendit. Christus enim inquit, *ego dico vobis*, scilicet discipulis et auditoribus meis, fuerunt autem tunc auditores Christi non Tiberius imperator, nec Pilatus Judaeae praeses, nec alii in publico magistratus officio constituti, sed apostoli, discipuli et turbae, ergo non agit de officio magistratus, sed apostolos suos et privatos docet, ne vindicta injurias ulciscantur. 4. Ex ipsa serie contextus elicitur, verba Christi accipienda esse non *absolute* et ἁπλῶς, sed *comparate* et συγκριτικῶς. Loquitur Christus ad privatos, qui propter professionem doctrinae suae *patiebantur persecutionem* Matth. 5, v. 10. *adversus quos dicebant omne malum* v. 11. illis promittit *copiosam in coelo mercedem* v. 12. interim hortatur eos ad patientiam ac sedulo monet, ne ex privatae vindictae cupiditate quidquam agant, sed potius inimicos suos diligant, benefaciant illis, qui oderunt eos, orent pro persequentibus et calumniantibus eos v. 44. ac ab omni privata vindicta tam remotos et alienos eos esse vult, ut malint potius praebere percussori alteram maxillam et illi, qui tunicam ipsis abstulit, etiam pallium dimittere, quam se ipsos ulciscantur. Ex eo vero colligi nequit, quod non liceat oppressis et injuria affectis auxilium magistratus implorare et defensionem atque ἐκδίκησιν exemplo viduae Luc. 18, v. 3. petere, sed verba Christi accipienda sunt de eo casu, quando non potest defensio et auxilium magistratus haberi, vel quando magistratus suo deest officio et negligit vendicare injurias piis illatas. Cum quo convenit explicatio Augustini, qui in lib. de mendac. c. 15. et in epist. 5. ad Marcellinum docet, *has sententias potius de interiore animi praeparatione quam de externa operis ostensione intelligendas*, id enim monente Luthero sic accipiendum, *etiamsi non statim ipso opere altera maxilla percutienda et pallium etiam auferendum offeratur, quod nihilo tamen minus animus interea paratus esse debeat, si legitima defensio apud magistratum obtineri nequeat, alias et plures injurias accipere quam se ipsum vendicare.* 5. Haec interpretatio et limitatio colligitur ex ipsius Christi facto Joh. 18, v. 23. cum enim servulus pontificis alapam ipsi impegisset, non praebuit ei statim alteram maxillam, sed contra hanc injuriam provocavit ad legitimum judicii processum et judicis praesentis officium: *Si* XIV. 1
male locutus sum, testificare de malo, si autem bene, quid me caedis? quo dicit, stamus hic coram judice, quodsi me poenis dignum existimas, profer accusationem eamque idoneis testimoniis comproba, sin minus, non debes innocentem percutere. Postea vero cum querela sua apud injustum judicem nihil contra injuriam sibi illatam proficeret, *totam faciem*, imo *totum corpus patienter praebuit percutientibus* Esa. 50, v. 6. *et vindictam Deo juste judicanti commendavit* 1. Petr. 2, v. 23. Quodsi verba Christi, *si quis te percusserit in maxillam, praebe illi et alteram*, tam nude et crude intelligenda essent, quod non liceat magistratus defensionem et vindictam implorare, Christus ipse contra hoc praeceptum suum egisset. 6. Ante hanc concionem Christus Anabaptisticis et Photinianis erroribus obviaturus diserte dicit v. 17: *Nolite putare, quod venerim solvere legem aut prophetas, non veni solvere, sed implere.* Atqui si publicam magistratus vindictam in lege praeceptam absolute et simpliciter abolitam voluisset, certe etiam legem solvisset. Joh. 18, v. 36. expresse testatur, *regnum suum non esse de hoc mundo,* hoc est se non venisse in mundum hoc fine, ut regna terrena et judicia civilia in illis necessaria mutaret vel aboleret ac novam quandam politiam civilem novis legibus institueret, sed ut spirituale regnum ordiretur. 7. Paulus, qui evangelium ab ipso Christo didicit Rom. 13, v. 4. magistratum etiam in N. T. dicit esse *ministrum Dei vindicem ad iram illi, qui malum facit*, ac Petrus, qui huic concioni Christi interfuit, eam sic explicat, quod publica magistratus vindicta per eam minime sit sublata 1. Petr. 2, v. 14. 8. Chemnicius c. 51. harm. p. 367. etiam hoc addit, *Christum hanc suam concionem opposuisse Pharisaico somnio, quod apostoli, discipuli et turbae circumferebant* de externo quodam et politico regno Messiae, in quo externis praesidiis, armis et potentia imperii totum mundum subacturi et ab omnibus injuriis externa defensione tuti futuri essent, sed Christum praedicere ipsis alapas, spoliationes, injurias et contumelias, nec a magistratu vel judiciis multum subsidii aut defensionis ipsos in hoc mundo habituros, sed potius angarias et ablationes ab ipsis fore timendas. Item, Christum hoc loco tradere formam regni sui spiritualis, cujus ratio in externa specie ea est, sicut hoc loco describitur et Joh. 18, v. 32. aliam vero esse constitutionem regnorum mundanorum certis honestis legibus, defensionibus et poenis ordinatam, quam et ipsam esse Dei ordinationem satis constet ex Rom. 13, v. 1. et Christianum etiam ordinationibus hujus regni sibi

in bonum uti posse, docet apostolus suo ipsius exemplo Act. 23, v. 3.

279. Nec est quod obvertatur, 1. *non addi hoc loco: audistis, quod dictum est antiquis, sed simpliciter: audistis, quia dictum est, proinde hanc Christi sententiam non Pharisaicis legis depravationibus, sed ipsi legi divinae esse oppositam.* Respondemus: particulam illam *antiquis* ἀπὸ κοινοῦ ex praecedentibus repetendam, Pharisaei enim una cum aliis legis depravationibus etiam hanc ipsam de privata vindicta exercenda proferebant et antiquitatis specie velabant, id quod ex v. 31. manifeste colligitur, ubi Christus novam quandam Pharisaicam depravationem refutaturus dicit: *Iterum audistis, quod dictum sit antiquis. 2. Praeceptum de poena talionis ad V. duntaxat T. pertinere, non autem ad N. ideoque legem ipsam Mosaicam a Christo hic corrigi.* Respondemus: in praecepto illo Mosaico duo continentur, alterum *morale* est, de vindicta per magistratum exercenda, illud adhuc in N. T. manet, ut ex Roman. 13, v. 4. 1. Petr. 2, v. 14. evidenter apparet; alterum est *forense*, de vindicta ea ratione per magistratum exercenda, ut praecise observetur poena talionis, juxta quam *oculus pro oculo, dens pro dente* etc. excludatur, illud in magistratus Christiani arbitrio positum, neque enim absolute et praecise ad modum poenae in legibus Mosaicis praescriptum magistratus in N. T. adstrictus. Quodsi Rabbinis et Josepho fidem habere volumus, etiam in
142. V. T. poena talionis non fuit tam stricte et praecise observata, sed quandoque adhibita fuit quaedam ἐπιείκεια, ut ex verbis ipsorum superius adductis patet, quanto ergo minus in N. T. ad illam talionis poenam stricte observandam magistratus Christianus erit obligatus. *3. Perinde esse, sive quis per se ipsum, sive per magistratum sese ulciscatur, cum plerique imploratione publicae magistratus vindictae ad privatam animi acerbitatem et vindictae cupiditatem satiandam abutantur.* Respondemus: fatemur ipsimet et saepius et variis modis hic peccari, ac raro et a paucissimis animo recte composito et a vindictae cupiditate libero magistratus officium accepta injuria implorari, cum in hac naturae corruptione difficillimum sit flammas privatae vindictae in corde exstinguere, interim tamen vitiosum accidens a re ipsa distinguendum, nec animo acerbo et vindictae cupiditate flagrante officium magistratus implorandum, ut cum quis per se non possit vel non ausit, per magistratus vindictam eam saturet et expleat, sed hoc fine ac modo, *1. ut is qui injuriam fecit, ita corrigatur; 2. ut publica auctoritate reprimatur, ne aliis similiter noceat; 3. ut ab ipsius injuriis in posterum praeservemur; 4. aliis in terrorem, ut ab inferendis injuriis metu poenae reprimantur; 5. propter justitiam ut juxta ordinem a Deo constitutum malefactores puniantur; 6. ut injuria propulsetur, ne nobis inferatur, utque nostra in pace possidere et sine turbatione iis frui possimus, vel ut nostra nobis restituantur, vel ut justa nobis illationis compensatio fiat*, quae sunt verba D. Chemnicii c. 51. harm. p. 370. *4. Christum expresse loqui de contentione in judicio eamque improbare. Si quis, inquit, velit te in jus trahere ac tunicam tuam tollere, permitte illi et pallium.* Respondemus: 1. τὸ κριθῆναι non solum de actore in judicio disceptante et causam agente accipitur et respondet Hebraeo ריב Esa. 50, v. 8. Jerem. 2, v. 12. etc. sed etiam tribuitur ipsis judicibus exercentibus judicium Esa. 1, v. 18. unde et Syrus hoc loco per verbum דון, quod judicis proprium est, illud reddidit, proinde et de actoris et judicis iniquitate jus nostrum pervertente et innocentiam opprimente accipi potest. 2. Neque enim damnat Christus judicia ipsa per se, nec prohibet, quominus quis contra injustitiam actoris, vel judicis jus suum prosequatur (contrarium enim probant argumenta superius in medium adducta), sed docet, quando sub specie juris circumvenimur, vel quando judicia sunt corrupta aut nobis iniquiora, ut quod justum est obtinere non possimus, ut patienter illud toleremus ac potius post tunicam etiam pallium dimittamus, quam vel privata vindicta nos ulciscamur, vel ideo a fide deficiamus. Chemnicius in harm. p. 374. 3. Quae interpretatio manifeste colligitur ex antecedentibus, quo enim modo quoque sensu *percutienti nos in maxillam unam etiam alteram eidem obvertere jubet*, eo modo eoque sensu etiam illi, qui nobiscum vult in judicio contendere et tunicam nobis aufert, etiam pallium relinqui jubet. Sed prius accipiendum comparate et in certo casu. Ergo et posterius. 4. Alii respondent, *Christum hoc tantum agere, ut ab odiosa contendendi in judicio consuetudine ac litigandi studio nos avocet.* Quamvis enim litigare coram judice prohibitum non sit, si necessitas illud postulet, tamen quia lites illae ad alendas simultates non parum faciunt et facultates saepius exhauriunt, ideo prudentius eum facere ostendit, qui tunicae jactura velut damno minori praevertit majus illud incommodum, quod controversiae forenses plerumque secum afferre consuevere. 5. Qua ratione hoc dictum Christi eandem fere haberet sententiam cum praecedenti admonitione in eodem capite v. 25: *Esto benevolus adversario tuo cito, dum es in via cum illo, ne quando te tradat judici et judex te tradat ministro, et in carcerem conjiciaris*, hoc est si vel creditor vel alius adversarius justam habens causam contra te judicio tecum experiri voluerit, rectissime tibi consules, si placida deprecatione utaris et operam des, ut privata transactione res componatur, quia rigor et pertinacia litigantibus in judicio multa solet
afferre incommoda, quae moderatione, patientia, depre- XIV. 143.
catione et placida compositione vitari facile potuissent.

280. Posterius dictum est apostoli 1. Cor. 6, v. 7: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos, quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* ex quo Anabaptistae colligunt, *lites coram politico magistratu esse Christianis simpliciter prohibitas.* Photiniani non simpliciter, sed certo duntaxat respectu eas hoc loco prohiberi statuunt, qua in parte 2. 1. Cor. 6, v. 7: Delictum est in vobis, quod judicium habetis.

ab Anabaptistis discedunt, sic enim Schmaltzius contra disp. 7. de bonis operib. D. Frantz. p. 142: *Non est quaestio, an liceat homini Christiano judiciis experiri sub magistratibus politicis, hoc enim certo respectu etiam nos concedimus, sed primo, an liceat fratri cum fratre contendere in judicio apud infideles; secundo an liceat adire magistratum ulciscendae injuriae causa.* Ostorodus in inst. c. 26. p. 168: *Quod dictum fuit, Christiano licitum esse vocare aliquem in judicium et implorare magistratus auxilium, id de illis solum intelligendum est, qui sunt foris, hoc est, qui non sunt fratres nec fidei consortes, nefas enim est fratrem cum fratre in judicio contendere docente apostolo 1. Cor. 6.* Respondemus: Paulus non simpliciter improbat actiones in judiciis, cum ipsemet ad leges Romanas confugerit, adversus sicarios opem magistratus etiam ethnici implorarit et ab iniquo judice ad tribunal caesaris provocaverit Act. 16, v. 37. c. 23, v. 17. c. 25, v. 10. cumque hoc ipso in loco. v. 5. dixerit: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum*, quod ipsum sive de ordinariis, sive arbitrariis judicibus ex Christianis eligendis accipiatur, tamen officium judiciarium probat ac stabilit, censet enim, prudentiores quosdam ex Christianis Corinthiis deligendos esse, qui judicent inter fratres, quorum alter ab altero injuria se affectum putet, hoc vero est, quod apostolus in Corinthiis taxat atque improbat, 1. *quod damno et injuriis sese invicem afficiant, cum sint fratres* et ejusdem fidei consortes v. 8: *ὑμεῖς ἀδικεῖτε καὶ ἀποστερεῖτε καὶ ταῦτα ἀδελφούς, vos injuriam facitis et fraudatis, idque fratres.* Ergo non simpliciter hoc nomine Corinthios reprehendit, quod judicia exerceant et in foro contendant, sed quod alter alteri injuriam inferat et damno afficiat, unde postmodum ad judicia pertrahantur, reprehendit igitur *antecedens*, non autem *consequens*, perinde ut intemperantia morborum mater merito reprehenditur, non autem morborum remedia, quo referri etiam potest, quod v. 7. praecedit, *omnio defectus est, quod inter vos judicia habetis*, ubi per *κρίματα* non intelliguntur judicia civilia, quae sunt malorum remedia et quae in praecedentibus apostolus probaverat, sed *contentiones et lites*, quas judiciis dirimi oportebat, per metalepsin effectus pro causa, addit enim *ἔχετε κρίματα μεϑ᾽ ἑαυτῶν, contra vos mutuo habetis judicia,* hoc est sunt inter vos lites, rixae, contentiones, injuriae, propter quas deinde judiciis opus. Sic ergo non damnat medicinam litium, ipsa scilicet judicia, sed morbum. *2. Quod ob res compositu faciles et injurias leviores*, itemque *ob negotia exigua victum concernentia statim ad tribunal decurrant.* v. 7: *Jam quidem omnino in vobis est ἥττημα, quod judicia habetis inter vos.* Vulgata versio reddidit *delictum*, sed in Graeco non est *παράπτωμα*, sed *ἥττημα*, quod monente Theodoreto *mitius est*, significat enim *defectum* ac *imbecillitatem* quandam ab *ἡττᾶσϑαι*, quod est in pugna succumbere ac vinci, respicit ergo ad luctam spiritus et carnis in renatis Gal. 5, v. 17. qui enim ob pecuniolam et leviores injurias litem statim movet fratri, ab avaritia ac iracundia victus videtur ac dolori ob illatum damnum leviusculum exorto succumbit, ideoque addit apostolus: *Cur non potius injuriam patimini? cur non potius damnum accipitis?* id quod de levioribus injuriis ac damnis accipiendum esse ex contextu manifestum. Improbat enim in Corinthiis, quod ex animi impatientia injuria vel damno aliquali a fratre affecti protinus ad tri- XIV.
bunal judicis currant, ad odiosam litigandi rationem statim descendant et sine ulla moderatione et condonatione fraterna judiciarios strepitus frequentiores et nimias forenses contentiones excitent. Eodem pertinet, quod v. 3. et 4. fit mentio *βιωτικῶν*, de quibus in judicio contendebant Corinthii. Schmaltzius d. l. accipit *generaliter*, ut omnia quaecunque in hoc seculum cadere possunt, voce illa Paulina comprehendantur, quam explicationem videtur confirmare oppositio: *An nescitis, quoniam sancti hunc mundum judicabunt? et si per vos mundus judicabitur, indigni estis minimis judiciis?* an ignoratis, fore ut angelos judicemus, nedum ut *βιωτικά*? quae ad hanc vitam pertinent scilicet non judicemus. Sed *βιωτικόν* proprie est, quod ad victum et sustentationem hujus vitae pertinet, unde *μέριμναι βιωτικαί* Luc. 21, v. 34. sunt curae de victu, et in versu proxime praecedente *τὰ βιωτικά* illa vocantur *ἐλάχιστα*. Syrus reddidit דַּקְדְּקָא, *minutula* a rad. דקק *minuit, attenuavit.* Quodsi vel maxime generaliter accipiatur de omnibus negotiis, quae ad hanc vitam pertinent, tamen id duntaxat ex hoc loco colligitur, omnia prius tentanda esse etiam in maximis injuriis, quam ad lites et forum eatur, ne homines saepe contendendo discant aliis injurias inferre, quod ipsum et nihil aliud ex hoc loco Schmaltzius colligit, et nos facile concedimus, non autem quod absolute et simpliciter prohibitum sit ad forum et tribunal judicis ire ac judicia sub magistratu politico agere. 3. Cumprimis vero apostolus in Corinthiis hoc reprehendit, *quod injuria et damno etiam leviori a fratre affecti ad judices infideles sive ethnicos protinus litem illi intendant.* v. 1: *Audet aliquis vestrum negotium habens adversus fratrem judicio experiri ἐπὶ τῶν ἀδίκων, apud injustos, et non apud sanctos?* Ethnicos judices vocat *injustos*, tum quia carent vera justitia, quae coram Deo valet et consistit; tum quia justitiam civilem non referunt ad verum finem, Dei scilicet gloriam; tum quia iniquis judiciis Christianos plerumque gravabant. v. 2: *An ignoratis, quod sancti hunc mundum judicabunt? si ergo per vos mundus judicatur, indigni estis judiciis minimis?* Ambrosius exponit de vita praesente: *Tunc judicatur mundus in vobis, si opus perfidorum hominum non inveniatur in vobis. Sancti mundum judicant, quia ex vita sanctorum apparet, homines mundanos errare ac desipere;* Augustinus vero refert ad extremum judicium, in quo sancti *sedebunt in thronis* Matth. 19, v. 28. atque haec explicatio magis convenit cum seqq. vers.: *An ignoratis, quod angelos judicabimus, quanto magis τὰ βιωτικά?* in

quae verba sic commentatur Remigius p. 38: *Sancti amatores hujus mundi et malignos spiritus judicabunt exemplo fidei suae et comparatione melioris facti.* Sensus argumenti apostolici a minori procedentis hic est: Sancti, hoc est Christiani, a Deo digni censentur, qui mundum, hoc est impios et angelos scilicet malos, judicent in die extremi judicii. Ergo multo magis digni a vobis censendi sunt, ut judicent de rebus minimis, *βιωτικαῖς* scilicet, quae ad vitae hujus usum et sustentationem pertinent. v. 4. infert conclusionem, ut colligitur ex particula *οὖν*: *Si ergo habetis judicia βιωτικά, eos qui nullo loco habentur in ecclesia, eos inquam in subselliis collocate?* Quidam τὸ *καθίζετε* accipiunt *in indicativo*, ut sit repetitio reprehensionis, illos qui sunt in ecclesia contemtibiles, hoc est qui ab ecclesia tanquam profani et ethnici contemnuntur, illis judicium defertis, unde additur v. 5. *πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, ut vos pudeat, vobis hoc dico.* Paraeus itidem in indicativo accipit, sed per *contemtibiles* non intelligit ethnicos, verum Christianos, hoc sensu praepostere agitis deligendo arbitros ex vobis minus idoneos, a quibus deinde ad infideles provocandum. Sed ex particula *συλλογιστικῇ οὖν* et ex serie verborum *τοὺς ἐξουθενημένους τούτους* colligitur, quod *καθίζετε* sit *modi imperativi*, hoc sensu: Lites ejusmodi judicandas permittite fratribus, et quidem iis, qui minimi fiunt in ecclesia, quod tamen non accipiendum est
145. *absolute*, quia v. 5. immediate additur, *ad pudorem vobis incutiendum hoc dico, siccine non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit judicare inter fratres?* ubi ostendit, ad litium dijudicationem deligendos esse ex fratribus viros sapientes et judicandi peritos; sed *comparate*, videlicet potius contemptissimis ac rudissimis in ecclesia litium dijudicationem committendam quam ethnicis judicibus deferendam, unde etiam v. 6. denuo repetit scopum primarium suae reprehensionis, quod *frater cum fratre* judicio experiatur apud infideles. Id ipsum enim maximo cum incommodo ac scandalo erat conjunctum. Producebantur *ἡττήματα*, infirmitates et defectus, fratrum sive Christianorum in lucem publicam, quae caritate tegi et abscondi aequius erat; doctrina evangelii exponebatur hostium ludibrio, utpote cujus confessores in perpetuis litibus ac contentionibus viverent; exhibebatur ethnicis magistratibus occasio Christianos affligendi, divexandi ac opprimendi; quod ipsum contingeret, si Christiani sub Turca degentes ad praesides Turcicos lites suas deferrent. *At*, inquis, *quo jure apostolus Corinthios reprehendit, quod coram ethnicis judiciis causas agebant, cum ipse ad caesarem ethnicum provocet et coram impiis judicibus ad beneficium legis Romanae confugiat?* Act. 16, v. 37. c. 25, v. 11. Respondemus: Corinthii poterant habere Christianos, qui de causis ipsorum in ecclesia cognoscerent, ideo non congruebat, sed cum scandalo conjunctum erat, quod Christiani cum Christianis ad tribunalia ethnicorum litigabant; sed Paulo, cum provocaret ad caesarem, negotium erat non cum Christianis, sed cum Judaeis et cum praeside Romano, ideoque cum fidelem magistratum non haberet, nec aliter posset agi, et vita ipsius periclitaretur, necessario imploravit fidem et auxilium magistratus etiam ethnici, ex quo ipso evidenter colligitur, ne hoc quidem absolute et simpliciter prohibitum censendum, experiri judicio coram ethnico magistratu et innocentiam suam provocando adversus injurias apud ipsum tueri. Bellarminus lib. 3. de laicis c. 12. respondet: 1. *ἥττημα non significare peccatum, sed imperfectionem; 2. si delictum significat, sic vocari, non quod in se peccatum sit, sed quia utplurimum non caret peccato, vel ratione finis, ut quando litigatur ex avaritia, vel ratione medii, ut quando litigatur odio, rancore, jurgiis, vel ratione justitiae, ut quando miscentur doli et fraudes, vel ratione scandali, ut Corinthii cum offendiculo gentilium litigabant; 3. non reprehendi judicia ex parte judicis, sed ex parte litigantium. Itaque etiamsi peccatum esset litigare, non tamen peccatum esse judicare, quia judicia finem imponunt litibus, quod est bonum.*

281. Reliqua, quae ab Anabaptistis afferuntur et judiciis civilibus opponuntur, levioris sunt momenti. 1. Prov. 10, v. 12: *Universa delicta operit caritas. Ergo Christianis non licet querelas de illis, a quibus laesi sunt, ad magistratum deferre.* Respondemus: distinguendum inter *privatas offensiones*, quae in humana vita incidunt quotidie inter pios, quae ex Christiana et fraterna dilectione sunt condonandae, tegendae et oblivioni tradendae juxta dicta: *Remittite et remittetur vobis* Matth. 6, v. 14. Luc. 6, v. 47. *Caritas omnia tolerat* 1. Cor. 13, v. 7. *Supportate vos invicem et donate vobis ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam; sicut et Christus donavit vobis, ita et vos* Coloss. 3, v. 13. ac inter *enormes injurias ac damna gravissima*, quae salva disciplina et tranquillitate publica tolerari vel mitigari nequeunt, proinde per magistratum sunt corrigenda. 2. Matth. 5, v. 44: *Inimici sunt diligendi. Ergo cum illis in judicio non est contendendum.* Respondemus: causas in foro agere et judicium magistratus contra proximi injurias implorare in se ac per se non pugnat cum dilectione proximi, quia et judicia sunt Dei et dilectionem inimici Deus praecepit. Ex accidenti autem contingit, ut cum dilectione proximi pugnet experiri judicio contra fratrem, nimirum si adsit cupiditas privatae vindictae, si verborum atque animorum acerbitate contendatur, si praestigiis sycophanticis agatur etc. 3. Matth. 7, v. 1: *Nolite judicare, ne* XIV. 146.
judicemini. Roman. 14, v. 4: *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* 1. Cor. 4, v. 5: *Nolite judicare ante tempus. Ergo in N. T. sublata sunt judicia civilia.* Respondemus: Distinguendum inter *judicia privata, temeraria, calumniosa, iniqua, maligna, levia, ex meris suspicionibus nata*, quando scilicet privatae personae de fratrum dictis vel factis per se bonis aut mediis temerarium ferunt judicium, de quo agitur Matth. 7, v. 1. vel quando aliqui cognitione Christianae libertatis tumidi fratrum in-

firmiorum facta damnant, de quo agitur Rom. 14, v. 4. vel quando ex levibus suspicionibus et indiciis judicium de fratre fertur, de quo agitur 1. Cor. 4, v. 5. et inter *judicia publica*, *necessaria*, *legitima*, *a Deo ipso instituta* et ad ecclesiae et reipublicae tranquillitatem spectantia. Illa duntaxat, non autem haec in Scripturae dictis improbantur. 4. Luc. 12, v. 13. *Christus de hereditatis divisione inter fratres promovenda compellatus operam suam denegat dicens: Quis me constituit judicem aut divisorem inter vos?* Respondemus: distinguendae sunt vocationes, quas Deus ipse distinctas esse voluit. Christus non venit in hunc mundum, ut regnum aliquod terrenum inchoaret, aut partibus politici muneris fungeretur, sed ut docendi munus administraret et redemtionis opus perageret, noluit igitur quidquam suscipere a vocatione sua et fine missionis suae alienum, sed exemplo suo unumquemque docuit manere intra limites vocationis, nequaquam vero civilia judicia simpliciter sustulit. Emphasis est in pronomine *me*, quo dicitur non sum missus ad civilia judicia exercenda, sed ad praedicandum verbum et ecclesiam colligendam. 5. Hebr. 13, v. 4: *Scortatores et adulteros judicabit Deus. Ergo hominibus non competit in eos judicium.* Respondemus: judicium magistratus non est hominis, *sed Dei judicium* 2. Paral. 19, v. 6. Deus enim quandoque *mediate et ordinarie* judicat per magistratum, quandoque vero *immediate et extraordinarie* per se ipsum, quando scilicet delicta ea, quae magistratus notitiam ac poenam subterfugiunt, extraordinariis poenis vendicat. In utroque justitia Dei elucet.

Quomodo judicia sint exercenda.

282. Constat ex hisce, quod judicia civilia sint sancta et salutaris Dei ordinatio, qua Christianus salva et illaesa pietate in bonum, ut loquitur apostolus Rom. 13, v. 4. uti omnino potest. Sed ut in reliquis Dei ordinationibus, ita quoque in hac ipsa varios et multiplices abusus saepius animadvertimus, tum *ex parte eorum*, qui judicium experiuntur, actoris scilicet et rei; tum *ex parte ipsius judicis*. Quid cavendum et fugiendum sit illis, qui in foro causas agunt, superius expositum fuit; restat igitur explicandum, quomodo ex parte judicis civilia judicia rite ac legitime exerceri debeant, ubi proponimus hunc generalem canonem: *Judex sit justus et juste judicet*, proinde exsulet a judice ἀδικία. Exstat hic canon disertis verbis in lege divina. Lev. 19, v. 15: *Non facietis iniquitatem in judicio, in justitia judicabis proximum tuum.* Deut. 1, v. 16. dicit Moyses ad judices: *Judicate justitiam sive juste inter virum et inter fratrem ejus et inter peregrinum ejus.* c. 16, v. 18: *Judices pones in omnibus portis tuis, qui judicent populum judicio justitiae sive justo.* v. 19: *Non facies declinare judicium*, v. 20. צֶדֶק צֶדֶק *justitiam justitiam sequeris*, vulg. reddit, *juste, quod justum est, persequeris*, ut prius nomen accipiatur adverbialiter, eodem modo etiam LXX interpr. *δικαίως τὸ δίκαιον διώξῃ.* Psalm. 82, v. 1: *Deus stetit in congregatione Dei, in medio deos dijudicat*, v. 2. *usquequo judicatis iniquitatem?* Prov. 24, v. 23: *Qui dicunt impio, justus es, maledicent eis populi et detestabuntur eos plebes.* Jerem. 21, v. 12: *Judicate mane judicium.* c. 22, v. 3: *Facite judicium et justitiam.* Zach. 7, v. 9. c. 8, v. 16: *Judicium verum judicate.* Sap. 1, v. 1: *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Johan. 7, v. 24. dicit Christus ad Judaeos: *Nolite judicare secundum faciem, judicium justum judicate* (quamvis id dicatur ibidem ad privatos, tamen potissimum pertinet ad publicas personas, quae ju- XIV.
diciis praesident). Justitia est quasi anima et spiritus judiciorum, ea igitur in illis vigere unice debet. Judex nomen suum *a jure dicendo* accepit, juxta Varronem lib. 5. de ling. Lat. ut hac ratione judex appellatus sit *quasi jus dicens populo* sive quod *jure disceptet*, Isidorus lib. 18. etymol. c. 15. quem locum Gratianus retulit in decretum c. foris 10. vers. in omni negot. x de U. S. impleat ergo mensuram hujus nominis et jure dicendo justitiam administret. Apud Cassiodorum lib. 1. epist. 12. Theodoricus Veronensis Italiae rex judicem suum sic instruit: *Esto innocentiae templum, temperantiae sacrarium, ara justitiae, absit a judiciariis mentibus aliquid profanum.* Philo in lib. de judicibus: *Sicut ignem oportet esse calidum, ut urat; ita judicem justitia oportet esse indutum, ut eam aliis reddere queat. Ad judicem ire*, inquit Philosophus, *est ad legem ire, quia judex est animata quaedam lex, ἐπὶ τὸν δικαστὴν ἰέναι ἐστὶν ἐπὶ τὸ δίκαιον, ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον δίκαιον ἔμψυχον*, lib. 5. polit. c. 7. Animus ergo judicis sit justitiae amore et studio totus occupatus et vox judicis animetur voce legis. Tamdiu judex dicitur, quamdiu justus putatur, quia nomen quod ab aequitate sumitur, per injustitiam non tenetur. Leges dicunt, quod judex debeat esse vir bonus l. 4. §. 1. ff. famil. hercisc. Aegyptiorum reges jurejurando adstringebant judices, *se injuste non judicaturos, quamvis rex ipse requirat et praecipiat*, Plutarchus in Caton. Min.; de Tiberio refert Nicephorus lib. 1. hist. eccles. c. 17. eum ad urbium rectores ac magistratus scripsisse, *si quid forte contra leges a se mandari contingeret, id eos adprobare et exsequi utpote per inscitiam commissum non debere.*

283. *Canones* judiciorum rite exercendorum *speciales*, qui omnibus judicibus ob oculos perpetuo versari debent, potiores hi sunt: *1. In judicis corde regnet Dei timor, proinde exsulet a judice ἀσέβεια.* Exod. 18, v. 21. Jethro Moysi genero suo hoc consilii dat, ut tales constituat judices, *qui Deum timeant.* 2. Paral. 19, v. 16. Josaphatus pius rex judices a se constitutos sic affatur: *Videte, quid faciatis, non enim hominis judicium exercetis, sed Dei, et vobiscum est Dominus in negotio judicii.* v. 17. *Sit timor Domini vobiscum.* Nisi sanctus Dei timor in corde judicis altas et fixas radices egerit, a justitiae tramite facile abduci poterit. Cogitet judex, quicunque tandem sit, superiorem se habere judicem, proinde actiones suas velut in tabellas referat rationem earum summo illi judici

A j… exs… deb… 1. … βει…

intrepida conscientia redditurus. Cicero lib. 3. offic.: *Cum judici dicenda sententia, meminerit, se Deum habere testem, hoc est mentem suam, qua nihil homini dedit Deus ipse divinius.* Hebraei veteres affirmant, *angelos interesse judiciis*, et Franciscus Alvarezius scribit, *judices in Aethiopia insidentes subselliis relinquere vacuas in editiore loco cathedras duodecim ac dicere, has esse angelorum sedes*, Godelm. libr. 3. de sagis c. 1. num 7. Apud veteres forum judicii *templo* fuit vicinum, teste Platone lib. 6. de legibus, ut reverentia numinis ad justitiam animos judicum inflecteret.

o- 284. *2. Judex aequalitatem omnibus praestet et*
- *aequa lance jus suum unicuique tribuat, exsulet*
r. *igitur a judice προσωποληψία.* Cautum hoc est expresse lege divina, Exod. 23, v. 3: *Pauperem non honorabis*, תֶּהְדַּר ornabis sive decorabis, *in sua causa*, hoc est non excusabis eum in mala causa, sed aequale jus diviti et pauperi absque personarum respectu administrabis. Levit. 19, v. 15: *Non facies iniquitatem in judicio; non feres facies tenuis*, לֹא תִשָּׂא non suscipies vel elevabis faciem pauperis; *neque decorabis faciem magni* (ubi est idem verbum in Hebraeo, quod ponitur Exod. 23, v. 3. ut significetur, nec divitis, nec pauperis faciem in judicio honorandam sive respiciendam). Deut. 1, v. 17: *Non*
48. *agnoscetis* פָּנִים, *faciem* sive personam, *in judicio*; ἐξήγησις statim additur, *sicut parvum, sic magnum audietis, non timebitis a facie viri, quia judicium Dei est.* Significat autem faciem alicujus in judicio respicere alterutrius litigantis dignitatem ac conditionem intueri neglecta causae et rationum vel bonitate, vel pravitate; justus judex faciem causae respicit, non personae, hoc est utriusque partis causam et rationum momenta expendit, sed injustus judex faciem personae respicit, non causae. Deut. 16, v. 19: *Non declinare facies judicium, non agnosces facies.* Prov. 18, v. 5: *Accipere faciem impii non bonum ad pervertendum justum in judicio.* Eccles. 4, v. 26: *Ne accipias faciem adversus animam tuam*, hoc est in damnum tuum. **Caeterum τὸ πρόσωπον sive persona significat *1. conditiones certas* vel promissiones boni, vel comminationes mali, hoc est tales conditiones, quibus vel Deus, vel magistratus civilis bonum pollicetur, si ordo praescriptus servetur et malum comminatur, si ordo praescriptus violetur, ut sunt fides, poenitentia, probitas, obedientia; 2. *conditiones personae*, quae cum causa ita sunt connexae, ut eam vel aggravent, vel elevent. Sic qui occidit magistratum, gravius peccat quam qui occidit subditum; 3. *externas personae qualitates*, causam ipsam plane non attingentes, ut sunt nobilitas, divitiae, consanguinitas. Et haec προσωποληψία est illicita.** Veteres pingebant justitiam *cum peplo oculis obducto*, ut notat Drusius in comm. ad diffic. loca Deuter. c. 3. p. 509. significantes, eam nullius personae respectum habere. Proponat sibi judex exemplum *Dei*, cujus judicium exercet, de quo Job. 34, v. 19. dicitur, *quod non accipiat faciem principum, nec agnitus sit illi dives coram paupere, quia opus manuum ejus omnes ipsi.* Expendat gravissimam increpationem ad προσωπολήπτας directam Psalm. 82, v. 2: *Usquequo judicabitis iniquitatem et facies impiorum respicietis?* Ut lex omnibus aequalem sese praestat, ita quoque judex, qui est animata lex, omnibus sit aequus et aequalis. Archytas dixit, *judicem et aram idem esse, ad utrumque enim confugiunt, qui injuria afficiuntur.* Quemadmodum sol non alius est diviti, sed omnibus communis; sic judex sol justitiae erit, si rem et causam, non vero personam respiciet. Areopagitae litium controversias non interdiu, sed noctu et obscura luce judicabant, ut absque ullo personarum respectu sententiam ferre possent, nec adspectu partium moti a justitiae et aequitatis tramite deflecterent, Alexander ab Alex. lib. 3. genial. dier. c. 5. *Errant enim judices a veritate sententiae, dum intendunt qualitatem personae*, Isidorus lib. 3. de summ. bono c. 58. Exstat juramentum magistratuum ac judicum in Justiniani imperatoris constitutione Novell. 9: *Aequum me utrique parti tam in disceptandis controversiis, quam tuenda disciplina publica praebebo, neutri parti addictus ero. Quodsi haec non observavero, omnibus incommodis expositus ero, tam hic, quam in futuro seculo in horrendo judicio magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi habeboque partem cum Juda et lepram Giezi et tremorem Cain, insuperque poenis, quae lege continentur, ero subjectus.* **Cum anno 1055. archiepiscopus Coloniensis comperisset, judices feminae pauperi causam abjudicasse et diviti adjudicasse, illis omnibus oculos erui jussit excepto unico, qui compater illius erat, hunc enim uno duntaxat oculo privavit, ut altero adjutus excaecatos domum deducere posset, utque hujus rei memoria esset diuturnior, super excaecatorum domos capita figulina cum effossis oculis collocanda curavit, ut terrori essent praetereuntibus. Dresserus in millen. 6. p. 2. p. 708. 709.**

285. *3. Judex recto judicio ductus, non affectuum turbine impulsus sententiam ferat, proinde a judicis animo exsulet affectuum ἀταξία.* Tales affectus sunt ira, odium, simultas, vindictae cupiditas ex parte una, praeposterus favor et gratia ex parte altera. *Affectus ubi judicat, ibi ratio claudicat, et ubi est fervida vindicta, ibi non est temperata justitia.* Sallustius in bell. Jugurth. inquit, quod *consultores pessimi sint cupiditas et ira.* Hieronymus in c. 6. Amos: *Quicunque aut consanguinitate, aut amicitia et contra vel hostili odio, vel inimicitia in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia,* XIV. 149. *et fructum illius vertit in amaritudinem.* Ut caliginosae nubes solis lucem intercipiunt; sic affectuum nubes recti judicii radios abscondunt, proinde judex tribunal conscensurus affectus omnes prius exuat et mentem ab eorum caligine serenet. Quae cum aliqua perturbatione fiunt, nec constanter fieri possunt, nec ab iis, qui adsunt, probari Cicero 1. officior. *Male verum examinat omnis corruptus judex* Horatius lib. 1. serm. sat. 4. Ad vitiosos illos af-

3. Τῶν παθῶν ἀταξία.

fectus a judice deponendos referendus etiam *metus praeposterus*, quo vel vulgi, vel superiorum ac potentiorum iras judex pertimescens a justitiae tramite saepius deflectit. Exod. 18, v. 21. Jethro suadet, eligi judices *viros* חַיִל *fortes* ac strenuos, qui non sint nimis meticulosi. Deuter. 1, v. 17. dicit Moyses ad judices: *Non timebitis a facie viri, quia judicium Dei est*, hoc est quia Dei judicium exercetis, qui est omnibus superior ac potentior, ideo recte faciendo neminem timeatis. Eccles. 4, v. 26: *μὴ ἐντραπῇς εἰς πτῶσίν σου, ne confundaris in casum tuum*, hoc est ne te quisquam terreat in perditionem tuam. v. 32. *ne accipias personam potentis*, ut ipsius odium subveritus a recta via declines. Eccles. 22, v. 21. 22: *Sustentacula in alto posita contra ventum non permanebunt, sic cor timidum contra terrorem firmum non subsistit. Opprimit leges timor*, inquit Seneca in Herc. furente.

4. Προπέτεια. 286. 4. *Judex utramque partem prius audiat, antequam sententiam ferat, proinde exsulet a judice nimia celeritas ac προπέτεια.* Deut. 1, v. 16. praecipit Moyses judicibus: *Audite inter fratres vestros et judicate justitiam; v. 17. sicut parvum, sic magnum audietis.* c. 17, v. 4: *Quod renuntiatum tibi fuerit atque audiveris, diligenter inquires, an res illa vera et certa sit.* Job. 29, v. 16: *Causam quam non noveram, diligentissime investigabam.* Ecclesiast. 11, v. 7: *Priusquam exquiras, ne accuses; intellige primum et tunc reprehende*, *νόει καὶ τότε κρῖνε. Priusquam audias, ne respondeas, et in medio sermonum ne interjicias verbum.* Joh. 7, v. 51. Nicodemus ad Pharisaeos inquit: *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit, quid faciat?* Act. 25, v. 16. cum Judaei coram Festo praeside postularent adversus Paulum damnationem, respondebat Festus: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quae ei objiciuntur.* Quare judex audita actoris accusatione alteram aurem reo debet reservare. Sic principes audierunt apologiam Jeremiae Jerem. 26, v. 7. Thessalonicenses judices Jasonem Actor. 17, v. 9. Festus praeses Paulum Actor. 25, v. 6. *Qui enim statuit aliquid parte inaudita altera, aequum licet statuerit, haud aequus fuit*, Seneca in Medea. *Quo pacto*, inquit Plato, *jus quisquam recte dicere, aut homines decenter judicare poterit, qui non utrumque litigatorem audierit?* sermones enim ut purpura et aurum melius dijudicantur, si invicem conferas. Lex Attica erat: *δεῖ ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι*, et *μήτε δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Alexander Magnus alteram aurem aperiebat actori, alteram reo clausam habebat, Plutarchus in Alex. Judices Heliastae apud Athenienses jurabant: *Audiam accusatorem et reum aequo animo sine affectibus*, Demosthenes contra Timocr. Ut autem sufficienter pars utraque audiri et causae momentum recte expendi possit, abesse debet nimia celeritas, quae ut bonis consiliis, ita quoque rectis judiciis est inimica, inde antiquitus judices *sedendo* pronuntiabant, ex quo illud Propertii lib. 4. *posita judex sedet Aeacus urna*, et Ciceronis pro Rabirio: *Modo vos iidem in Gabinium judices sedistis*, quo significatum fuit, judicem animo constante et sedato et bene composito esse debere ac exclusa omni celeritate causam recte examinare. Taubmannus in Must. Plaut. fol. 586.

287. *5. Judex veritatem unice quaerat ac respiciat, proinde exsulet ab ipso omnis ψευδολογία.* XIV. 5. ψευδολ
Exod. 18, v. 21. Jethro jubet eligere tales judices, qui sint אַנְשֵׁי אֱמֶת *viri veritatis*, qui omne mendacium odio prosequantur quique calumniis et assentationibus, quae sunt veritatis pestes, aures occlusas habeant. Zach. 8, v. 16: *Veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris.* Pulcre Alexander Alensis part. 3. q. 40. membr. 4: *Judicium est Dei, ideo judex in tribus debet Deo conformari, in potestate, in bonitate et in veritate.* Apud Areopagitas lege cautum fuit, ut *ἄνευ παθῶν καὶ προοιμίου* diceret, qui causam agebat, Aristoteles lib. 1. rhet. c. 1. ne ad miserationem vel invidiam obducti judices a veritatis tramite deflecterent. Apud Aegyptios ex ejus collo, qui inter judices primarium obtinebat locum, numinis imago pendebat e gemmis et auro confecta, quod numen ipsi *veritatem* vocabant innuentes, quod judicis sit semper in causis verum sequi, et quod cordi atque ori ejus veritas insidere debeat, Diodorus Siculus libr. 1. hist. c. idem libr. 1. c. 46. memorat, in Osymandii Aegyptii regis sepulchro ab una muri parte judicum stetisse signa triginta numero absque manibus eorumque principem ita constitutum, ab ejus collo ut suspensa pateret veritas, ipse autem esset oculis subclausis librorum cumulo circumjecto, ceu veritas modo sit inspectanda.

288. *6. Judex avaritiam et munerum captationem detestetur, proinde ab ipso exsulet δωροφορία ac δωροφαγία.* 6. Δ φα
Exod. 18, v. 21. inter proprietates boni judicis refertur, *quod odio habeat avaritiam.* c. 23, v. 8: *Non accipies munus, quia munus excoecat videntes et pervertit verba justorum*, quod repetitur Deut. 16, v. 19. Deut. 27, v. 25: *Maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis.* **Prov. 17, v. 23: *Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii.* ** 2. Paral. 19, v. 7. dicit Josaphatus ad judices: *Videte quid faciatis, quia non homini, sed Deo judicatis, cum quo non est iniquitas, nec acceptio personarum, nec acceptio munerum*, quod postremum desumtum ex Deut. 10, v. 17. Psalm. 15, v. 5: *Qui non accipit munus super innocentem, is habitabit in tabernaculo Domini*, hoc est erit verum membrum ecclesiae in hac et futura vita. Prov. 15, v. 27: *Qui odit munera, vivet.* Contra vero Job. 15, v. 34: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui libenter accipiunt munera.* Esa. 5, v. 23: *Vae illis, qui justificant impium pro muneribus et justitiam justi auferunt ab eo.* Prov. 17, v. 23: *Impius accipit munus e sinu ad pervertendum semitas justitiae.* Eccl. 40, v. 12: *Omne munus et injustitia*

delebitur, hoc est opes male partae et muneribus injuste acceptis corrasae dissipantur. Caveat igitur judex a muneribus accipiendis secutus exemplum Moysis, qui Num. 16, v. 15. ad Deum dicit: *Tu scis, quod nec asellum quidem unquam acceperim ab eis*, et Samuelis, qui 1. Sam. 12, v. 3. a populo testimonium refert, *quod non tulerit de manu alicujus quidquam. Munerum acceptio est veritatis praevaricatio* dicitur in c. Qui recte etc. caus. 11. q. 3. c. non licet etc. ibid. c. non sane etc. caus. 14. q. 5. quia *justitia et avaritia in uno homine nunquam habent concordiam*, Antonius de Guevara in horol. princ. lib. 3. c. 6. nu. 475. *Crescit peccantium libido, ubi redimendi spes datur, et facile ad culpam itur, ubi venalis est innocentium gratia*, ut ait Arnobius lib. 3. adv. gentes. Inde apud Thebanos imagines quaedam positae erant, quae manibus carebant, eae judices repraesentabant, quos ab omni munerum corruptela quam maxime sejunctos esse oportet, Plutarchus in libr. de Iside et Osiride. Judicium simile esse debet *castae virgini*, ideoque removendae ab eo corruptelae et largitiones, Plato libr. 12. de legibus. Athenienses judices ex instituto Solonis jurabant, se munera non accepturos, Raevard. lib. 5. variar. c. 8.

151. Iω- 289. 7. *Judex sobrietati studeat, proinde exsulet ab ipso omnis ἀσωτία.* Requiritur enim in judice singularis prudentia omnes causae circumstantias expendens, ea vero in ebrietate locum habere nequit, *cum vinum et ebrietas cor auferant* Oseae 4, v. 11. inde Esaiae 28, v. 7. de ebriis judicibus dicitur, *quod absorpti a vino errent et impingant in sententiis*, quod Lutherus eleganter reddidit, Sie löcken die Urtheile heraus, et in margine annotavit, Ein trunkener Richter ſpeit ein Urtheil heraus, wie es ihm ins Maul fällt. Prov. 31, v. 5. prohibet rex sapiens, *ne judices et gubernatores vinum bibant*, puta ad ebrietatem usque, *ne obliviscantur praecepti et mutent judicium filiorum pauperis*. Jer. 21, v. 12. dicit Dominus ad judices: *Judicate* לַבֹּקֶר *in mane judicium*, quod accipi potest tum proprie, ut horis matutinis judicia instituantur, antequam scilicet ad convivia et comessationes deveniatur, secus quam faciebant Persae, qui consilia de rebus gravissimis non nisi saturi et ebrii capiebant; tum metaphorice ut mature, tempestive et celeriter judicia administrentur, nec extrahatur negotium, quo modo adverbialiter בַּבֹּקֶר usurpatur 1. Sam. 19, v. 11. Psalm. 46, v. 6.

An ... ir ... de- iu- ? 290. Quaeritur hoc loco *1. An judex semper debeat judicare secundum leges?* Est omnino judicis, praesertim *inferioris*, praescriptum legum velut quandam cynosuram ac normam sequi in ferendis sententiis, Deut. 17, v. 11. hoc enim fine leges sunt promulgatae, ut judiciorum regulam constituant. *Judicare debet judex, ut legibus, constitutionibus ac moribus provisum*, inquit Justinianus in pr. inst. de offic. jud. unde judicialem calculum non aliter nec prius judices olim acceperunt, quam juramentum praestitissent, omni modo *se cum veritate et legum observatione* judicium esse dispositiuros l. 14. in pr. C. de judic. Judices Atheniensium jurabant: *Sententiam secundum leges feram*, Muretus libr. 2. variar. lect. c. 16. unde praeclare scribit Ambrosius ser. 20. et habetur in c. judicet. caus. 3. q. 7: *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit et domesticae voluntatis proposito, sed juxta leges et jura pronuntiat, statutis juris obtemperat, non indulget propriae voluntati, nihil paratum et meditatum domo defert, sed sicut audit, ita et judicat, et sicut se habet negotii natura, decernitur, obsequitur legibus, non adversatur, examinat causae merita, non audit.* Interim tamen prudentis judicis est 1. circumstantias omnes diligenter expendere et commodam legis interpretationem ex illis capere, nec tam verba legis, quam mentem legislatoris attendere. *Leges*, inquit Menander, *perquam egregia res sunt, sed is qui legibus nimium exacte utitur, sycophanta esse videtur;* cum quo congruit illud Ciceronis pro Caecin.: *Scriptum sequi calumniatoris est, boni vero judicis voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere.* 2. Defectum legis in quibusdam supplere. Cum enim omnia legibus comprehendi nequeant, monente Aristotele lib. 5. ethic. c. 10. ideo a judice requiritur, ut in particularibus, quae non sunt expresse lege definita, mentem legislatoris ex similitudine conjectet ac jurisdictione sua legis defectum suppleat. l. non possunt. ff. de legibus. 3. In partem benigniorem legis verba accipere, neque enim ἀκριβοδίκαιον et strictum jus semper urgendum, cum summum jus per anagrammatismum sit summa vis et summa injuria, sed aequitas, quantum quidem fieri potest, adhibenda. Eccl. 7, v. 17: *Ne sis nimium justus, nec sapias nimium, ne perdaris.* l. placuit C. de judic. jubet, *aequitatis magis quam juris rationem haberi.* Judices olim jurabant, se non tantum ex legum praescripto judicaturos, sed etiam addebant, τῇ γνώμῃ δικαιοτάτῃ καὶ ἀρίστῃ, *sententia justissima et optima*, Aristotelis 1. rhetor. c. 15. Quando igitur lex est generalis, tunc recipit quandam restrictionem vel ratione utilitatis, vel necessitatis, vel congruentiae, vel verisimilitudinis, vel honestatis, vel aliis etiam de causis. 4. In dubiis superioris judicis sententiam et interpretationem exquirere. XIV. 152.
Exod. 18, v. 22. Deut. 1, v. 17. dicit Moyses ad judices inferiores a se constitutos: *Si difficile vobis aliquid visum fuerit, ad me referte.* Cujus enim est legem constituere et promulgare, ejusdem etiam est legem explicare. l. ult. C. de legib.: *Si in praesenti leges condere soli imperatori concessum, et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet.*

291. *2. An judex secundum acta et probata, an vero secundum conscientiam judicare debeat?* Movet hanc quaestionem Gellius lib. 14. noct. Attic. c. 2. de qua *Martinus* et *Johannes* veteres glossatores jam olim disceptarunt, et adhuc hodie juris interpretes adversis sententiis de ea pugnant. Secundum acta et probata judex pronuntiare debet, inquit *Henricus Junior dux Brunsuicensis* apud Hortle-

2. An secundum acta et probata, an vero secundum conscientiam judicare debeat.

derum lib. 4. de causis belli Germ. c. 11. nu. 7. secundum conscientiam inquit *Landgravius* lib. 4. c. 7. nu. 6. Qui pro *actis et probatis* faciunt, haec fundamenta proferunt: 1. tutior est ratio finiendarum litium, si judex potius probationes quam conscientiam sequatur. 2. Nemo potest simul judicis et testis partibus fungi; sed si licebit judici secundum ea, quae scit, judicare, probationibus deficientibus, aut his, quae in judicio productae sunt, plane contemtis, simul testis et judicis partibus fungetur. 3. Si neglectis probationibus judici fas esset secundum propriam scientiam judicare et reum absolvere, liceret quoque ei accusatore non probante ex privata scientia accusatum damnare, quod est absurdum et legibus contrarium. 4. Si permitteretur judici sepositis actis et probatis secundum propriam scientiam judicare, occasio praeberetur indulgendi affectibus ac jura et justitiam calumniandi, quod reipublicae perniciosum. 5. Judex debet judicare secundum leges, mores ac consuetudines. Atqui conscientia est singulorum et non facit jus. Ergo non secundum conscientiam sive propriam scientiam, sed secundum acta debet judicare. 6. Judex publica auctoritate fungitur et ex ea judicat. Ergo etiam in definiendis controversiis scientia publica uti et fidem exhibere his, quae sibi ut judici et personae publicae sunt nota, non autem ut privato. 7. Certa est juris regula, quod *deficiente probatione succumbat is, cui probandi onus incubuit, et adversarius obtineat*, tradita in l. 4. C. de edend. l. 2. C. de probationib. ejus vero exceptio, *nisi judex rem ita se habere sciverit*, nulla lege fundatur. Standum igitur est regulae, donec exceptio probetur. 8. Huc afferunt l. illicitas. 6. §. Veritas. ff. de offic. praesid. ubi Ulpianus dicit, *praesidem provinciae id sequi, quod convenit ex fide eorum, quae probabuntur.* l. pen. ff. de probat. c. 1. juncto cap. laudabilem de frigidis, ubi veritas dicitur id, *quod probatum est aut per legem praesumtum;* c. cum dilectus de fide instrumentorum, ubi statuitur, *judicem non posse sententiam dicere ex instrumento scripturaque non producta in judicio, licet ea fuerit privatim sibi exhibita, ut plane cognoverit ex ea jus actoris*; unde pro actis faciunt Dominicus a Soto lib. 5. de just. et jur. Covarruvias libr. 1. resolut. Petrus August. Morla et alii complures. Quinimo Costalius ad d. §. Veritas et Bronchorst. cent. 1. enantioph. ass. 14. dicunt, *esse hanc omnium fere doctorum sententiam tam a canonistis, quam legistis approbatam.* Contra qui *pro conscientia* faciunt, haec urgent: 1. Probationes ut media a jure exiguntur in litium definitionibus, ut pateat veritas. At media non debent esse fini proposito contraria. Spretis ergo actis tanquam mediis pro veritate, quam judex cognitam habet, pronuntiare debet. 2. Inducta ad unum aliquem effectum non debent operari contrarium. Quod favore C. de legib. actorum observatio inducta est, ut de veritate constet l. 3. ff. testib. l. Judices cont. C. de judic. Ergo non debet veritati opponi. At si contra conscientiam admitterentur acta, opprimeretur veritas. 3. Quaerere, an judex secundum acta et probata, an vero secundum conscientiam pronuntiare XIV. 12 debeat, nihil aliud est quam quaerere, an potius mendacium quam veritatem in judicando sequi debeat. Judex enim sententiam dicens contra veritatem sibi etiam privatim compertam atque cognitam, omnino mentitur in laesionem alterius, *aliud enim dicere quam scias, est mendacium,* Aristoteles lib. 4. ethic. Nicom. c. 7. 4. Judici probandum est, non adversario, cui nunquam satisfieret. l. quinquaginta in fine. ff. de probat. unde et probationes dicuntur *arbitrariae* et *pendere ab officio judicis.* l. 3. §. tu magis scire ff. de testibus. Jam vero nihil certius potest judex cognoscere vel disceptando intelligere, quam quod scit verum esse, quippe quod omnem probandi modum superat. l. minor 32. ff. de minoribus. Ergo judex pronuntiare debet secundum id, quod verum esse novit, hoc est secundum conscientiam. 5. In re dubia ea opinio amplectenda est, quae animarum saluti tutior, l. sunt personae. ff. de Relig. Atqui sententia illa, quod judex secundum conscientiam pronuntiare debet, est saluti animarum tutior. 6. *Justum naturale* praevalet *justo legali* l. 8. §. si quis ff. de bonor. possess. l. 8. C. de judic. Sed justum naturale est, ut secundum ipsius rei veritatem judicetur; justum legale, ut secundum acta. 7. Offerunt huc multos juris textus, in quibus statuitur, *quod judex debeat judicare secundum id, quod sibi visum fuerit,* l. eum quem 79. ff. de judic. *ex animi sui sententia,* l. 3. ff. de testibus; *secundum arbitrium,* l. 1. ff. ad SCtum Turpil. *quod judex non debeat aliis credere, sed ipsum contemplari, agrum et fines cognoscere,* l. 8. §. ad officium ff. fin. regund. *quod debeat secundum leges et veritatem judicare,* l. rem non novam C. de jud. *in judicando ante oculos aequitatem habere,* l. 4. ff. de eo quod cert. loc. l. 9. de R. J. *judicare secundum id quod sibi visum fuerit justius et melius.* auth. hodie C. de jud. *juxta propriam scientiam,* c. 1. de re judic. in 6. Quae omnia eo referenda esse statuunt, quod judex secundum conscientiam judicare debeat. 8. Si judex non secundum conscientiam, sed secundum acta et probata tantum judicare deberet, excusari posset Pilatus, qui secundum falsa testium deposita contra conscientiam Christum innocentem condemnavit, sed absurdum est consequens. Addunt exemplum *Salomonis* inter duas mulieres de infante contendentes judicantis 1. Reg. 3. ubi *κρινόμενον* et status causae in eo consistebat, utrum infans vivus ad actricem, an ad ream mulierem pertineret? haud dubie probatio actrici incubuit, quippe infantem vivum vendicanti et suum asserenti. At licet nihil probarit, nec probare potuerit, nihilo tamen minus rex infantem ei adjudicavit excogitato consilio, quo veritatem deprehenderet et quod deerat actrici, suppleret, multo magis ita judicaturus de veritate ex propria scientia, si certius constitisset.

292. Quidam posterioris hujus sententiae argumentis convicti statuunt, *judicem non debere contra conscientiam judicare, sed potius officium judican-*

tis deponere et testis vices subire. Coras. lib. 4. miscell. c. 20. Cujacius lib. 12. observ. c. 19. Sed Vasquius lib. 1. illust. controv. 14. eleganter respondet, *esse hoc lugubre remedium*, quia si alius judex substituatur, cui non constet de accusati innocentia, male cum accusato agetur, quid enim judex utpote unus testis contra tam multos efficiet? Praeterea judex officii ratione tenetur, ut judicet, at cum officium judicis deponit, non judicat. Jurejurando se adstrinxit, quod secundum veritatem judicare velit l. rem non novam. C. de judic. Atqui si eo casu, quo ipsi de veritate constat, non judicaret secundum veritatem, sed officium judicis deponeret ac testis partes subiret, perjurus exsisteret. Alii distinguunt inter *causas criminales et civiles;* in criminalibus concedunt judicem secundum conscientiam debere pronuntiare, cum satius sit nocentem dimittere quam innocentem condemnare l. 5. ff. de poenis; in civilibus vero negant. Sed illis respondet Arumaeus jurisconsultus eximius, compater et collega noster
154. honorandus exerc. 6. in parerg. *nullam hic assignari evidentem diversitatis rationem*, utrobique enim veritas et innocentia opprimeretur, si judex contra suam conscientiam actorum fidem secutus judicare vellet. Quidam distinguunt *inter judicem inferiorem*, a quo datur appellatio, *et superiorem*, a cujus sententia appellari nequit. Hotomannus q. 27. illustr. Treutlerus vol. 1. disp. 14. th. 14. si judex sit inferior, tum non debere secundum conscientiam contra acta sententiam ferre, cum judici superiori ex actis prioris instantiae constare non possit, an recte sit judicatum. Sed argumenta posterioris sententiae plerumque omnia sunt generalia et probant, judicem indistincte secundum conscientiam debere pronuntiare. Stante ea hypothesi judex superior, ad quem provocatum fuerit, sententiam inferioris confirmabit et conscientiae ejus relinquet, an recte judicarit, an minus. Hunnius in resolut. Treutlerus l. d. Huic ergo sententiae etiam nostrum addimus calculum, hisce duntaxat subjectis monitionibus: 1. Per conscientiam hic accipiendam esse *certam et exploratam rei scientiam*, qua per αὐτοψίαν vel alia certa et irrefragabilia media judici de veritate constat, nequaquam vero *fucatam et fictam illam conscientiam*, qua judex ex arbitrio et affectu in favorem partis aliquid decernit, vel ex praeconcepta opinione aliquid statuit, vel incerto rumori fidem habet. 2. Quando vera illa et certa conscientia judicis et acta in foro invicem pugnant, tunc *acta et probata* ὁμωνύμως *tantum sic dici*, non enim sunt verae et certae probationes, sed duntaxat apparentes et falsae, cum probatio re vera nihil aliud sit quam veritatis assertio. Pulchre Ulpianus l. illicitas. §. veritas ff. de offic. praes.: *Veritas rerum gestarum erroribus non vitiatur.* 3. Falsam esse distinctionem duplicis *scientiae et conscientiae*, qua quis sit instructus vel ut publica, vel ut privata persona, ut enim veritas est una et simplex, ita quoque unica est veritatis scientia, sive ea sumatur ex publicis, sive ex privatis documentis, quo pertinet elegans locus Callistrati l. testium 3. §. Ejusd. ff. d. testib.: *Quae argumenta ad quem modum probandae cuique rei sufficiunt, nullo certo modo satis definiri potest, sicut non semper ita saepe sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur, alias numerus testium, alias dignitas et auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quaeritur, fidem; hoc ergo solum tibi rescribere possum summatim, non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te aestimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris.* Ex quo manifeste apparet, si judici etiam privatim constet testes falsum deponere, quod illorum attestationem in judicando contemnere debeat. Ex hisce facili negotio colligitur, quid ad contraria argumenta respondendum sit, *quia cognitio veritatis est objectorum solutio*, inquit Savonarola libr. 1. de veritat. fide c. 14.

ARTICULUS III.

DE SUPPLICIIS.

293. Executio illa, in qua vim et pondus legum consistere diximus, versatur non solum *in judiciis*, sed etiam *in praemiis ac poenis*, nimirum ut legibus honestis obtemperantes debitis praemiis, earum vero transgressores poenis afficiantur. Nisi enim per justitiam distributivam praemia bonis, poenae malis ac facinorosis irrogentur, leges in extremum deducuntur contemtum et respublica pessum ire cogitur, quippe cujus duo quasi fulcra, *praemia et poenae.* Solon unus ex septem Graeciae sapientibus et solus ex illis septem legum scriptor *rempublicam duabus rebus contineri* dixit, *praemio ac poena*, Cicero epist. 15. ad Brutum non longe a princ. Ulpianus l. Juri 1. ff. de justit. et jur. describens officium jurisconsultorum et magistratuum dicit: *Justitiam colimus, boni et aequi notitiam profitemur aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque exhortatione facere cupientes.* Probat hoc ipsum exemplum summi legislatoris, qui in promulgatione legis promissionem praemiorum et comminationem poenarum disertis verbis subjungit, ut boni per benigna promissa ad obedientiam invitentur, mali per severas minas ab inobedientia deterreantur. Exod. 20, v. 5: *Ego Dominus Deus tuus, Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me*, v. 6. *et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me et custodiunt praecepta mea.* Apostolus etiam in describendo magistratus officio utrumque conjungit φόβον καὶ ἔπαινον. Rom. 13, v. 3: Magistratus *non sunt terrori bonis operibus, sed malis. Vis autem non terreri potestate? quod bonum est facito, et laudem habebis ab ea.*

Ratio ordinis.

XIV. 155.

Praemia bonorum.

294. *Praemia*, quae magistratus bonis et obedientibus civibus confert, sunt maxima, utpote laus, honor, tutela et defensio adversus improbos, qua ipsorum fama, fortunae et corpora ab improborum insidiis atque insultibus asseruntur ac tuta praestantur. Quemadmodum enim pii veteres de beneficiis Dei dixerunt, *plures esse gratias privativas quam positivas*, hoc est plura et majora divinae gratiae munera conspici in ἀφαιρέσει κακῶν, *in aversione malorum*, quam in θέσει καλῶν, *in collatione bonorum;* ita quoque de praemiis magistratus idem dicere possumus, ea scilicet potius in privatione noxiorum quam in positione certorum beneficiorum conspici. Et quemadmodum gratiae Dei privativae minus curantur quam positivae, quia scilicet minus in oculos incurrunt; ita quoque praemia magistratus, quae sunt in aversione malorum minus curantur, quia conspectui externo minus sunt obvia.

Poenae malorum.

Poenae, quas magistratus irrogat, variae sunt ac diversi generis, possunt tamen ad tres classes revocari: quaedam enim concernunt *famam*, utpote infamia, ignominia, capitis diminutio etc.; quaedam concernunt *bona*, ut mulctae pecuniariae, proscriptio bonorum etc.; quaedam vero *corpus*, eaeque sunt vel *capitales*, ultimum capitis supplicium complectentes, vel *non capitales*, quibus corpus quidem affligitur, non tamen vita homini eripitur, ut fustigatio, membri mutilatio etc. Isidorus lib. 5. etymol. c. 27. poenarum civilium *octo genera* statuit, *damnum*, *vincula*, *verbera*, *talionem*, *ignominiam*, *exilium*, *servitutem et mortem*. Alii quatuor genera poenarum numerant, utpote 1. *bonorum*, quae dicitur mulcta; 2. *relegationis*, quae exilium, deportationem ad insulas, ad metalla complectitur; 3. *membrorum*, ut mutilatio membri, amputatio digitorum, auris, linguae etc.; 4. *mortis*, quo pertinent diversa mortis supplicia. Poenarum capitalium iterum varia sunt genera, ut poena gladii, ignis, rotae, laquei etc. de quibus jurisconsulti criminalium interpretes latius agunt. Apud Judaeos *quatuor* suppliciorum genera duntaxat erant usitata, sic enim Targum in c. 1. Ruth. et R. Salomon in lib. Sanhedrin Babyl. cap. Arba middoth: *Quatuor supplicia tradita sunt domui judicii*, *lapidatio*,
XIV. 156. *combustio, occisio gladii sive decollatio et suffocatio seu strangulatio.* Ponunt etiam Hebraei regulam, quando genus supplicii in lege non exprimitur, quod intelligenda sit strangulatio, quae fiebat per mappam aliquoties circa collum replicatam, quam lictores utrinque omni qua poterant vi trahebant, donec poenae obnoxius moreretur. Et quia in talibus poenis capitalibus exsecutio legum et potestas magistratus cumprimis elucet, ideo ἐπιγραφὴ hujus articuli specialiter *suppliciorum* facit mentionem, quippe quae ultimum exsecutionis gradum constituunt, interim non negamus, etiam in minoribus quam capitalibus poenis, quin et in ipsis praemiis distributivae justitiae administrationem versari.

Qu. 1. An magistratui liceat poenas irroga[re]

295. Antequam vero in specie ad poenas capitales progrediamur, in genere primum demonstrandum, **quod magistratui non solum liceat, sed etiam incumbat legum transgressoribus poenas irrogare.** Colligitur id. 1. *ex Dei mandato.* Deut. 17, v. 7. c. 19, v. 20: *Auferes malum e medio tui, et non parcet oculus tuus, animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo* etc. 2. *Ex magistratus officio.* Prov. 20, v. 8: *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Rom. 13, v. 4: *Magistratus Dei minister est tibi in bonum; si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* 1. Petr. 2, v. 14: Duces mittuntur *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* c. Non est etc. caus. 23. q. 5. ex August.: *Non est innocentiae parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur, pertinet ergo ad innocentiae officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato vel punire peccatum, ut aut ipse, qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. 3. Ex Dei ipsius exemplo.* Is legis suae transgressoribus minatur poenas, neque hae minae sunt fulgura ex pelvi, sed divino judicio infallibiliter constitutum, *ut culpam poena premat comes.* μένει τὸ κακὸν δίκη, *omne malum vindicta manet. Impune mali, immune boni nihil videtur,* inquit Scaliger lib. 1. epidorp. Agnoverunt hoc ipsimet ethnici ex naturae luce et quotidiana rerum experientia. Ἀκόλουθος τῆς ἀδικίας ἡ τιμωρία, inquit Plato, vel ut verius et pressius Hesiodus ἡλικῶτις *cognatum, imo innatum sceleri sceleris supplicium. Deorum immortalium in impios et consceleratos poenae certissimae sunt constitutae*, ait Cicero orat. in Pison. Et quamvis illae poenae quandoque differantur, non tamen auferuntur. τὸ θεῖον σχολῇ καὶ τάξει βαδίζει, dicebat Synesius, *divina natura lente et ordine progreditur*; nec male prisci, qui hoc sensu deos fingebant *laneos habere pedes*, Lipsius lib. 2. de const. c. 13. *Lento quidem gradu ad vindictam sui divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat*, Valerius libr. 1. memorab. c. 2. Quodsi ergo magistratus Dei audire cupit vicarius, poenas delinquentibus irroget. Lactantius lib. de ira Dei c. 17. circa fin.: *Sicut in homine necessaria est ira justa ad pravitatis correctionem, sic utique in Deo, a quo ad hominem pervenit exemplum. Nam sicut nos potestati nostrae subjectos coërcere debemus, ita etiam peccata universorum Deus coërcere debet, quod ut faciat, irascatur necesse est. 4. Ex poenarum commodo. Poenae et illis, qui eas perferunt, utiles sunt et spectatoribus, utrique enim redduntur meliores, illi dolore, hi exemplo,* Plato in Gorgia, cum quo convenit illud Ciceronis 1. off.: *Poenis utimur contra delinquentes, ne quid posthac committant ipsi, caeteri vero sint ad delinquendum tardiores.* Tres enim sunt poenarum fines: primo νουθεσία, ut rei cautius mercari discant; secundo τιμωρία, ut laesae parti satisfiat; tertio παράδειγμα, ut reliqui exemplo terreantur. *Auferes malum de medio tui*, inquit Dominus Deut. 13, v. 5. addita ratione v. 11. *et omnis Israël audient et timebunt et non addent ad*

faciendum secundum rem malam istam in medio tui, quod repetitur Deut. 17, v. 13. c. 19, v. 19. etc.
IV. 157. Prov. 19, v. 25: *Si derisorem percusseris, stultus erit sapientior*, hoc est aliorum plagis emendabitur et cautius agere discet. Ezech. 23, v. 48: *Erudientur omnes mulieres poenas adulterarum videntes et non facient secundum foeditatem earum.* Per vindictam magistratus *disciplina servatur, mores corriguntur, licentia comprimitur*, ait Lactantius d. l. poenarum irrogatione peccata coërceantur, tollitur improbitas, innocentia conservatur, consolationem hauriunt illi, qui injuriam passi sunt, Oldr. cons. 1. ac reliqui deterrentur, ne simili audacia legum repagula perfringant et delictis suis rempublicam turbent. *Quoniam tuum ingenium insanabile est, tuo supplicio doce genus humanum ea sancta credere, quae abs te violata sunt*, dicebat Tullius Hostilius ad Metium Suffetium, lib. 1. decad. 1. pag. 14. 5. *Ex praeposterae indulgentiae detrimento*, quippe quae et magistratui, et subditis est noxia. Sicut aequi ac justi cura facile in animis exstinguitur, nisi debitus virtuti honos rependatur; sic sceleratorum flagitia coërceri nequeunt, nisi poenarum severitate in illos animadvertatur. Quodsi enim magistratus in poenis irrogandis negligens est, Deus ipse ad vindictam exsurgit, Num. 15, v. 4. Judic. 20, v. 46. 1. Reg. 14, v. 16. 1. Reg. 20, v. 42. *Indulgentia magistratus nimia flagitiorum est illecebra, et qui parcit malis, nocet bonis.* Quando facinorosi impuniti dimittuntur, *laetitiae et gaudia hominum contaminantur.* l. 3. C. de epist. audient. *Qui vitiis nutriendis parcit et favet, ne contristet peccantium voluntatem, non tam est misericors, quam qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, et non timet, ne vulneratum doleat vel exstinctum.* c. Qui vitiis etc. caus. 23. q. 5. M. Cato dicebat, magistratus illos, qui maleficos poenis non coërcent, non tantum non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne ex poenarum intermissione reipublicae salus labefieret, Plutarchus in apophth. Sub Nervae imperio quidam Fronto publice exclamabat, *malum esse eum imperare, sub quo nemini quidquam liceat, sed longe pejus esse sub illo vivere, sub quo omnia liceant*, Dio in Nerva. 6. Declarationis gratia possunt addi similia, quae non quidem probant, rem tamen illustrant. Magistratus dicuntur *patres*, ut ostendimus superius; jam vero ad officium parentum pertinet *educare liberos in disciplina et correptione* Ephes. 6, v. 4. eosque delinquentes *castigare*, Prov. 13, v. 24: *Qui parcit virgae, odit filium.* Hebr. 12, v. 7: *Quis est filius, quem pater non corripit?* Magistratus dicuntur *domini;* jam vero ad officium dominorum pertinet servos delinquentes castigare. Prov. 29, v. 19: *Servus verbis non potest erudiri.* Eccles. 33, v 25: *Cibaria et virga et onus asino, panis et disciplina et opus servo.* Ergo etiam ad magistratum pertinet inobedientes et delinquentes subditos poenis coërcere.

296. Descendimus jam ad poenas capitales in specie, de quibus primo omnium quaeritur, *an liceat magistratui, praesertim in N. T., illas irrogare?* Lactantius lib. 6. div. instit. cap. 20. circa med. videtur negare, sic enim scribit: *Non licet justo accusare quemquam crimine capitali, quia nihil distat, utrumne ferro, an verbo potius occidas, quoniam ipsa occisio prohibetur.* Itaque *in hoc Dei praecepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit.* ** Augustinus reos ad supplicium damnatos a praesidibus Africae sibi tradi ac donari volebat, si promissionem emendationis ac poenitentiae interponerent, ac sui id dicebat esse officii, et nisi id quod petebat obtineret, offendebatur conquerens, quod auferre non possit a publicis potestatibus, quod ad suum officium attineret. Sed Macedonius, qui reum illi donaverat, scribebat ad Augustinum, *mirari se, quomodo hoc ad officium suum pertineret, et multas adducit rationes, ob quas sibi non videatur.* Exstant hac de re epistolae Augustini ad Macedonium et Macedonii ad Augustinum tom. 2. operum Augustini. Tertullianus in lib. de idololatria p. 624: *Jam vero quae sunt potestatis, neque judicet* (Christianus) *de capite alicujus vel pudore, feras enim* (id est sontes) *de pecunia neque damnet, neque praedamnet, neminem vinciat, neminem recludat aut torqueat.* Inde Tertullianistae negarunt, *judicia capitalia a Christiano exerceri posse.* Pauperes de Lugduno, a Waldo etiam Waldenses nuncupati, docuerunt, *nullum judicem damnare posse aliquem hominem ad ullum supplicium vel poenam*, notante Prateolo ex Aenea Sylvio. Nicolaus quidam Galecus Bohemus circa ann. Christi 1434. inter reliquos errores docuisse fertur, *nullum hominem juste occidi posse novae legis tempore, etiamsi id fiat ex judicis praecepto, quod id N. T. non dictitet.*** Anabaptistae et Photiniani, ut etiam Weigelius Svencfeldianus diserte negant, ut ex ipsorum verbis superius adductis patet. Contrarium ostendimus XIV. 158.
1. ex lege divina scripta, eaque tum in V. tum in N. T. In V. T. statim post diluvium, etiam ante legem Mosaicam opposuit Deus sceleribus in genere humano invalescentibus magistratus constitutionem eidemque gladium adversus delinquentes tradidit, Gen. 9, v. 6: *Qui effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis fundetur per hominem*, ubi disertum exstat διάταγμα ipsius Dei ore prolatum, quod sanguis homicidae voluntarii, qui humanum sanguinem ausu nefario effudit, *per hominem*, hoc est per magistratum, iterum sit effundendus. Jam vero quod de homicidis statutum, idem etiam de aliis facinorosis reipublicae tranquillitatem horribiliter turbantibus accipiendum, Hebraeis enim in more positum, *ex specie genus intelligere et speciali exemplo generalem regulam constituere.* Excipiunt 1. Photiniani, *hoc non esse mandatum magistratui datum, sed praedictionem tantum poenae divinae*, idque patere

2. An capitales poenas irrogare licitum sit magistratui.

Affirmativa probatur 1. ex lege divina scripta 1. ex V. T. Gen. 9, v. 6: Qui effuderit humanum sanguinem etc.

dicunt ex praecedentibus, v. 5: *Sanguinem animarum vestrarum requiram, de manu cunctarum bestiarum requiram eum et de manu viri fratris ejus requiram animam hominis.* Ostorodus in inst. c. 28. nu. 5. p. 190: Wir ſagen, daß dieß kein Gebot ſei, der Obrigkeit gegeben, ſondern eine Drohung göttlicher Strafe, wie aus vorgehenden Worten wohl zu erſehen iſt, und iſt eben eine ſolche Rede, wie Chriſtus ſagt: Wer das Schwert nimmt, der wird durchs Schwert umkommen, Matth. 26, v. 52. Respondemus: 1. notanter additur, quod *per hominem* sanguis homicidae sit effundendus (ostendimus enim superius §. 40. memb. 4. illum *προσδιορισμὸν per hominem* non ad subjectum, sed ad praedicatum pertinere), id vero non potest intelligi de quovis homine privato, alias omnia caedibus et homicidiis replerentur, sed necessario intelligendum *de magistratu*, cui Deus tradidit jus gladii, quomodo interpretatur ipse apostolus Rom. 13, v. 4. 2. Unde Chaldaica paraphrasis Onkelos sic reddidit: *Qui effuderit sanguinem hominis cum testibus, juxta sententiam judicum sanguis ejus fundetur.* Ubi admodum luculenter exponit paraphrastes hujus loci sensum, nempe non licere cuique privato impetum facere in homicidam et ipsum occidere, sed pertinere hoc ad magistratum, qui et ipse in condemnando ac puniendo homicida non debeat esse praeceps, sed adhibitis testibus causam diligenter discutere ac cognoscere. Quodsi testes homicidii non possunt haberi, vindictam Deo committendam, sic enim addit paraphrasis Jonathan: *Qui effuderit sanguinem hominis per testes, condemnabunt eum judices ad necem, et qui effuderit absque testibus, Dominus mundi olim vindictam ab eo sumet in die judicii magni.* 3. Nec repugnant huic interpretationi antecedentia, quia judicium Dei adversus homicidas et alios facinorosos est duplex, *mediatum et ordinarium*, quod exercet per magistratum; *immediatum et extraordinarium*, quod exercet per se ipsum. 4. Si quis textum accuratius consideret, animadvertet, quinque rationes prohibitae caedis humanae a Deo ipso assignari. Primo *requiram*, inquit, *sanguinem vestrum*, haec est comminatio vindictae generalis. Vindicabo caedes humanas quacunque ratione et infallibiliter, ut homicida ultionem non effugiat. Secundo *requiram de manu cunctorum animalium.* Si nec bruta impune interficiunt hominem. quanto minus homicidae. Conjunge
XIV. 159. Exod. 21, v. 29. ubi *bos occidens hominem lapidibus obrui* jubetur, ergo non de immediato Dei judicio, sed de mediato, quod fit per homines lapidibus bovem cornupetam obruentes, accipiendum. Idem judicium de membro sequente. Tertio, *de manu viri fratris ejus requiram animam hominis*, nimirum per magistratum ordinarie, ut sequitur explicatio, vel si magistratus fuerit negligens, item si quaedam homicidia notitiam ejus effugiant, extraordinarie per me ipsum. Ac latet hic nova ratio, quare homines a caedibus sibi mutuo inferendis abstinere debeant, quia sunt fratres ac proinde ad vitam mutuo tuendam, non laedendam obligati. Quarto, *qui effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis fundetur per hominem*, haec est comminatio et simul praeceptum de vindicta ordinaria per magistratum adversus homicidas exercenda. Quinto, *ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Imago Dei non potest impune destrui ac laesa Dei imagine Deus ipse laeditur, cavendum igitur a laesione et destructione imaginis divinae per homicidium. Quamvis enim in spiritualibus amissa sit Dei imago, tamen in Adamo omnes ad imaginem Dei primitus sunt conditi atque ad eandem per Christum reparari possunt, et supersunt adhuc quaedam vestigia divinae imaginis ac generalis quaedam convenientiae et conformitatis ratio in mente, voluntate et memoria. Nec incommode ad ipsum homicidam etiam hoc referri potest, is enim si in se descendat, inveniet quasdam divinae imaginis reliquias, naturales scilicet notitias, *κριτήρια* illa, quibus honestum a turpi discernitur, quae ipsi dictitant, a caede humana esse abstinendum. 5. Deus ipse in lege Mosaica clarissimam explicationem addidit, quod scilicet non sit nuda praedictio, sed mandatum, quod homicida publica magistratus auctoritate iterum sit interficiendus Exod. 21, v. 12. 6. Si verba haec, *fundetur sanguis homicidae per hominem*, nudam praedictionem continerent, falsum aliquid continerent, quia saepius non sequitur id quod praedictum, hoc est homicidarum sanguis saepius non effunditur per hominem, sed aliis modis ipsi trahuntur ad poenam vel in hac vita, vel nisi poenitentiam egerint, in futuro judicio. Ergo de mandato magistratui dato, non autem de nuda praedictione sunt accipienda. Si dicas, *idem absurdum ex eo colligi posse, si praeceptive haec verba exponantur*, nego, quia mandatum esse immotum ac perpetuum, homicidam, de quo manifeste et per testes constat, a magistratu esse puniendum, ex negligentia magistratus ipsi mandato ejusque veritati et perpetuitati nihil quidquam decedit, ut colligitur ex aliis praeceptis. 2. Anabaptistae excipiunt, *vi hujus divinae comminationis magistratum fundendo sanguinem ipsummet etiam sui sanguinis effusionem mereri.* Respondemus: imo vero Deus ipse accurate distinguit inter *homicidas voluntarios ac malitiosos* ex privatae vindictae cupiditate gladium sibi sumentes, et inter *magistratum* ejusmodi malitiosos homicidas gladio sibi dato *punientem*, haec igitur confundi neutiquam debent. Quando ipse magistratus homines innocentes ex privata vindictae cupiditate contra leges occidi curat, sicut Achab Nabothum, gravissime peccat, alia vero et plane diversa est ratio, quando magistratus *Dei judicium* adversus facinorosos exercet et gladium adversus sontes stringit. Nec est, quod obvertatur, *etiam homicidam esse ad imaginem Dei factum, proinde vigore hujus rationis non esse ipsum a magistratu occidendum*, diversitas enim longe maxima elucet ex ipso textu. Non licet destruere imaginem Dei non praecipiente, licet autem ipso mandante ac praecipiente. Non praecipit nec permittit Deus imaginem suam in homine innocente a privato destrui, quodsi vero

aliquis privatus hominem occidit et in eo Dei imaginem destruxit, jam praecipit, a magistratu, qui est publica persona, eum iterum interfici nulla imaginis ratione habita, quia scilicet in proximo imaginem Dei prius destruxit. ** Gen. 27, v. 45: *Cur utroque orbabor filio in uno die?* inquit Rebecca, cum audiret, Esavum vitae fratris Jacobi insidiari. Ergo
IV. 160. homicidia eo tempore fuere capitalia.** 3. Si quis excipere velit, *hanc divinam constitutionem ad V. duntaxat T. pertinere*, illi quid respondendum sit ex sequentibus patebit.

297. In lege Mosaica *de poenis capitalibus* irrogandis constitutiones exstant complures. Exod. 21, v. 12: *Qui percusserit hominem, et mortuus fuerit; morte moriatur*, quod repetitur Lev. 24, v. 17. quam non esse nudam comminationem vel praedictionem, sed severum mandatum magistratui datum constat ex v. 14. in Exod. statim sequente: *Si quis superbe* (data opera) *occiderit proximum suum et* בְּעָרְמָא *in dolo*, *per insidias*, *ab altari meo avelles eum*, *ut moriatur;* v. 15. *qui percusserit patrem suum aut matrem suam, morte moriatur;* v. 16. *qui maledixerit patri suo vel matri suae*, *morte moriatur* (quod repetitur Lev. 20, v. 9.); *qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum et inventus fuerit homo in manu ejus, morte moriatur;* v. 20. *qui percusserit servum suum vel ancillam baculo*, *et mortui fuerint in manibus ejus*, *vindicando vindicabitur*, hoc est ut homicida punietur. Tales poenae capitales irrogantur etiam *blasphemis* Levit. 24, v. 16. *idololatris* Deut. 13, v. 18. *veneficis* Exod. 22, v. 18. *cum jumento coëuntibus* v. 19. *adulteris* Lev. 20, v. 10. Deut. 22, v. 22. *sponsae fornicanti* v. 24. *sabbatum profanantibus* Exod. 31, v. 14. *incestuosis* Lev. 18, v. 29. cap. 20, v. 11. et seqq. *coëuntibus tempore menstrui* v. 18. etc. Quo etiam pertinent *exempla* eorum, qui publica magistratus auctoritate et potestate divinitus instructi facinorosos ultimo supplicio affecerunt. ** Prov. 20, v. 26. legitur: *Dissipat impios rex sapiens et inducit super eos rotam.*** Sic *Moyses* idololatras Exod. 32, v. 28. *Josua* Achanem sacrilegii reum Jos. 7, v. 25. *David* Psalm. 101, v. 8. dicit: *In matutino extermino omnes peccatores terrae, ut disperdam de civitate Dei omnes operantes iniquitatem.* Idem inter ultimos spiritus supplicium de Joabo et Simei sumendum constituit 1. Reg. 2, v. 6. *Salomon* Adoniam, Joabum et Simei interfici mandat 1. Reg. 2, v. 25. 31. et 46. etc. *Simon* Judae Maccabaei frater commendatur, quod *omnem iniquum et malum abstulerit* 1. Macc. 14, v. 14. Et probe notandum, quod Deus graviter irascitur *Sauli* parcenti Agago Amalekitarum regi, quem ore gladii percutere debebat 1. Sam. 15, v. 23. quodque *Achabus* parcens Benhadad audire cogitur 1. Reg. 20, v. 42: *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* Expende etiam severitatem legis divinae Levit. 20, v. 2: *Homo de filiis Israël et de advenis, qui habitant in Israël, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur, populus terrae lapidabit eum.* v. 4. *Quodsi abscondendo absconderit populus terrae oculos suos a viro illo, qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere.* v. 5. *ego ponam faciem meam super hominem illum et cognationem ejus succidamque et ipsum et omnes, qui fornicati sunt post ipsum.* Excipiunt Anabaptistae et Photiniani, *haec omnia pertinere ad legem Mosaicam forensem, quae in N. T. sit abrogata.* Ostorodus in instit. cap. 28. p. 187: *Quod theologi ex V. T. demonstrare conantur, facinorosos ultimo supplicio affici posse, ad rem non facit, quia ex N. T. adduximus rationes, quae id non permittunt, jam vero V. T. utpote imperfectum cedere debet novo, utpote perfecto. Praeterea illi ipsi theologi viam ex V. T. id probandi sibi ipsis praestruxerunt, docent enim, politicas leges V. T. ad nos non pertinere.* Schmaltzius contra disp. 6. Frantz. poster. p. 390: *Negatur, id ad nos Christianos pertinere, quod in lege licebat, nempe de capitalibus suppliciis.* Respondemus: 1. ante institutam politiam Mosaicam statim post diluvium magistratus instituitur ac datur illi gladius, quo utatur contra homicidas et alios facinorosos. Ergo leges de poenis capitalibus simpliciter et absolute non pertinent ad forenses et judiciales leges, sed tantum secundum quid, ratione scilicet determinationis personarum, graduum ac circumstantiarum, quibus et quando poenae capitales sint irrogandae, interim genus XIV. 161.
ipsum, quod scilicet magistratui competat jus gladii in facinorosos, est morale et perpetuum. 2. Id ipsum patet ex lege naturae omnium hominum mentibus inscripta, quae apud gentes etiam ante promulgatam legem Mosaisam supplicia capitalia in usu fuisse ostendit. 3. In N. T. generalis illa constitutio de poenis capitalibus a magistratu sontibus irrogandis non est sublata, cum evangelium non tollat politias et necessaria earum requisita, sed potius confirmet, ut paulo post docebitur.

2. Ex dictis N. T. Matth. 26, v. 52: Qui acceperit gladium, gladio peribit.

298. Transitum igitur facimus ad N. T. ex quo primo loco adducimus dictum Christi Matth. 26, v. 52: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Jubet Christus Petro, ut gladium convertat in vaginam addita ratione, quia qui gladium accipit privata temeritate, is peribit gladio magistratui divinitus dato, sic ergo confirmat Christus magistratui jus gladii, tantum abest, ut illud ipsi ereptum voluerit. Excipiunt Photiniani, *esse duntaxat praedictionem.* Schmaltzius contra 7. disp. Frantz. de bonis operibus p. 142: *Nulla hic fit mentio ejus, cujus opera futurum sit, ut quis gladio pereat vel occidatur, nempe magistratus, sed simpliciter tantum affirmatur, fore ut is, qui gladium accipit, gladio pereat, potest autem aliquis gladio perire, etiamsi magistratus eum non necet. Itaque verba Christi pro comminatione generali potius habenda sunt, qua homines a recursione ad media violenta in injuriis repellendis deterrere voluit.* Idem repetit contra disp. 6. de rebus civilibus p. 390: *Christus tantum praedicit, quid ordinarie fiat, si quis*

gladium accipiat, non vero docet, quid fieri jure possit vel debeat. Quemadmodum etiam hodie is, qui plane negat, licere aliquem interficere, posset eum, qui contentiosus est et ad arma statim provolat, dehortari ab ista levitate hujusmodi argumento: Vide, ne des poenas tuae levitatis. Nam ita comparatum est, ut qui arma sumunt, per arma etiam pereant. Deinde non exprimitur is, per quem perire debeat, qui gladium accipit, nempe magistratus, quod affirmat Frantzius, potest autem gladio perire aliquis absque ulla poena magistratus, ut experientia quotidiana testatur. Respondemus 1.: Christus desumit hanc rationem ex antiquissimo illo decreto divino Gen 9, v. 6: *Quicunque effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis effundetur per hominem*, et ostendit Petro, utpote non constituto in magistratus officio, non esse datum gladium, sed temerario ausu ipsum sibi jus gladii arrogare, metuendum igitur esse, ne in poenam magistratus incurrat, quippe cui divinitus datus sit gladius, quo in justam sanguinis effusionem vindicet. Vide harm. evang. de pass. cap. 4. pag. 170. 2. Hanc interpretationem probant circumstantiae textus, juris naturalis quidem est injustam vim vi repellere et adversus irruentium latronum insultus gladio sese defendere, sed alia ac diversa est ratio, quando magistratus ipse, cui gladius ad bonorum defensionem datus est, eodem abutitur et innocentes opprimit, sicut hoc loco fieri videmus, qui enim ad comprehendendum Christum venerant, auctoritate magistratus erant instructi. *Sacerdotes summi* partem aliquam politicae gubernationis sustinebant Deut. 17, v. 9. chiliarchum et cohortem militarem miserat *praeses* nomine imperatoris Romani, tunc enim non licet subditis et privatis magistratui resistere, sed cogitandum ipsis est, magistratui divinitus datum esse gladium, quo si minus recte utatur, Deum ultorem et vindicem habebit, sed privatis non licet contra ordinarium magistratum consurgere, unde Christus gladio Petri defendi hoc loco noluit, sed ad considerationem potestatis magistratui datae eum remisit. 3. Urgemus eam particulam universalem *omnes* et ex ea colligimus, generalem et ordinariam hic tradi regulam, quod homicidae voluntarii per magistratum gladio puniantur, cui nihil decedit ex eo, quod quidam vel conniventia magistratus, vel criminis occultatione impunes abeant, cum illud sit
XIV. 162 *de facto, non de jure.* Atqui si verba Christi duntaxat praedictionem continerent, non posset in genere affirmari, omnes perituros gladio, qui gladium accipiunt. Quamvis enim homicidae divino judicio ad poenas trahantur, non tamen omnes gladio pereunt. 4. Neve ulla restet dubitatio, conjungimus locum apostolicum Rom. 13, v. 4. in quo satis clare et perspicue exponitur, cui datus sit *gladius*, quo homicidae pereunt, videlicet *magistratui*, perinde ut in V. T. sanguis homicidae dicitur effundendus *per hominem* Gen. 9, v. 6. et exsecutio supplicii homicidae irrogandi demandatur *judici et senioribus* Exod. 22, v. 22. Deut. 19, v. 12. 17. 18.

299. Producimus ergo 2. classicum locum apostoli Rom. 13, v. 4. in quo sequentes emphases sunt notandae: 1 Magistratus *gerit gladium οὐκ εἰκῆ, non frustra*, nec temere nec sine causa. εἰκῆ illud fieri dicitur, quod fit absque divina ordinatione, vocatione et beneplacito; sic fratri εἰκῆ, *temere, irasci* dicitur Matth. 5, v. 22. qui ex privata vindictae cupiditate fratri irascitur, cujus ira non est justa nec divina (quamvis haec vocula non addatur in omnibus exemplaribus). Coloss. 2, v. 18. *εἰκῆ φυσιούμενος* dicitur, qui *contra Dei verbum et voluntatem ἐθελοθρησκείας* introducit. Magistratus ergo *οὐκ εἰκῆ*, non temere, gerit gladium, hoc est gestatione et usu gladii nihil agit contra Dei voluntatem et suam vocationem, nimirum quia divinitus ipsi est datus. Exod. 20, v. 7. prohibemur *nomen Dei assumere in vanum*, ubi Aquila reddidit εἰς εἰκῆ, praeter verbum et ordinationem divinam. Usurpatur etiam particula εἰκῆ pro eo, quod fit *frustra et sine fructu et effectu* 1. Cor. 15, v. 2. Gal. 3, v. 4. c. 4, v. 11. quo sensu itidem magistratus gladium non gerit frustra, qui enim magistratus potestati resistunt, experientur ipsius vindictam, imo Dei ultionem, sicut apostolus dicit: *Qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt; qui autem resistunt, ipsi sibi judicium acquirunt.* Syrus habet vocem סְרִיקָאִית inaniter, frustra, in vanum, a rad. סרק evacuavit, inanis factus est. Flacius in clav. Script. in voce Frustra: *Hoc adverbium alias removet jus aut causam efficientem, ut* Prov. 1, v. 11. *abscondamus innocenti laqueum frustra, hoc est injuste; alias removet salutarem effectum, ut frustra aliquid agere, hoc est irrito conatu.* Quodsi ergo magistratus non inaniter nec frustra portat gladium, utique etiam adversus facinorosos et sontes eum debet stringere, utramque enim significationem particulae εἰκῆ hic habere locum, patebit ex sequentibus. 2. Apostolus ipse exponit causam, quare magistratus non gerat gladium εἰκῆ in significatione priore, *quia non est potestas nisi a Deo, quae autem potestates sunt, a Deo ordinatae sunt* v. 1. hoc est Deus ipse magistratui dedit potestatem et jus gladii, proinde quando magistratus gladium portat et stringit, nihil quidquam agit contra Dei ordinationem et voluntatem, modo juxta leges et debita ratione illud fiat. 3. Unde notanter subjicit apostolus v. 4: *Magistratus ideo non gerit gladium εἰκῆ, est enim Dei minister ἔκδικος εἰς ὀργήν, vindex ad iram* (sive poenam μετωνυμικῶς irae nomine accepto) *illi, qui malum agit.* Ergo quando magistratus gladio divinitus sibi dato legitime utitur, Deo exhibet ministerium, exercet vindictam Dei gratam et iram sive poenam flagitiis debitam divino judicio irrogat. 4. Ideo etiam magistratus *terrori est et esse debet malum operantibus* v. 3. nimirum quia gladium vindicem gerit, quo malefacta coërcet ac punit v. 4. et quia non solum *propter iram, sed etiam propter conscientiam* obtemperandum v. 5. ne scilicet poenas nobis accersamus et conscientiam violemus. *5. Qui potestati magistratus* gladium gerentis *resistit, Dei ordina-*

Rom. 1 v. 4: N frustra gerit gladiu

tioni resistit v. 2. ergo haec potestas, qua magistratus gladium gerit, et in facinorosos stringit, non ex quadam permissione, tolerantia et conniventia, sed ex sapientissima Dei ordinatione originem ducit. Conjunge quae de hoc loco diximus superius c. 3.
163. sect. 1. §. 34. Quae omnia si probe observentur, in fumum abeunt Photinianae elusiones, quibus tenebras huic clarissimo loco inferre moliuntur. 1. dicunt, *apostolum hic non tradidisse praeceptum, quid magistratus facere debeat, sed exposuisse duntaxat, quid magistratus facere soleat.* Ostorodus in inst. cap. 18. pag. 186: Paulus hat daſelbſt kein Gebot gegeben, ſondern nur allein etwas von der Obrigkeit insgemein affirmiret. Sed ex illis, quae in praecedentibus adduximus, accurate observatis liquido apparet, describi ab apostolo *officium magistratus* divinitus ipsi concessum ac demandatum, quod scilicet potestas gladii a Deo ipso sit magistratui data, quo ex divina ordinatione vindictam adversus facinorosos exerceat. *2. Apostolum non de fideli et Christiano magistratu, sed indefinite de magistratu aliquid commemorare, id vero de magistratu, qualis tunc erat, videlicet infideli et ethnico, esse accipiendum.* Ostorodus d. l.: Paulus hat daſelbſt nicht etwas commemoriret, gedacht oder erzählet, welches die Chriſten anging ꝛc. Schmaltzius contra disp. 6. poster. Frantz. p. 388: *Certum est, Paulum loqui de magistratu infideli, cui leges praescribere non erat muneris apostolici, sed quia jam magistratus iste suas leges politicas habebat, secundum quas subditis imperabat, monet fideles, ne illis, quatenus erant politicae, repugnent, rationem inter alias afferens, quod possit magistratus punire immorigeros.* Et postea: *Paulus non praescribit leges magistratui, sed tantum de magistratu, qui tunc exstabat, infideli praedicat, quales leges ille habeat et quomodo sint vitandae ab eo destinatae immorigeris poenae docet.* Respondemus: imo vero apostolus in genere *de omni magistratu* loquitur, sive is fidelis sit et Christianus, sive infidelis et ethnicus. *Non est potestas*, inquit, *nisi a Deo, et quaecunque potestates sunt, a Deo ordinatae sunt.* At huic potestati a Deo ordinatae *gladium* esse datum inquit, quem non *gerat frustra, sed in vindictam malorum*, et quando magistratus vindictam illam per gladium exercet, *Dei ministrum* esse et Deo ministerium exhibere asserit, quae omnia non possent locum habere, *si de facto tantum*, quid scilicet ethnicus magistratus faciat, non *de jure*, quid cuivis magistratui, sive ethnicus sit, sive Christianus, faciendum incumbat, apostolus loqui statueretur. Adde quod Christianos, quibus scribit, ad obedientiam magistratui exhibendam hortatur, *Omnis anima, inquit, superioribus potestatibus subdita sit;* at si magistratus gladium stringendo in facinorosos peccaret, apostolus hoc taxasset, non autem ad obedientiam subditos cohortatus fuisset. Regerit Schmaltzius d. l.: *Quomodo ex obedientia, quae debetur magistratui, jure colligi potest, magistratum posse quas velit poenas irrogare? Si magistratus infidelis vel injustus poenas, quas velit, irroget contrarias Christi evangelio, certe patientia ista omnia superanda sunt, sed an id jure liceat magistratui, quaeritur. Obedientia tantum in justis et licitis rebus locum habet, plus enim est Deus colendus quam quivis magistratus. At patientia etiam in injustissimis. Poenas meritas tolerandas, obedientiam decretis magistratuum adhibendam, nemo negat. Sed nunc de eo, quid liceat magistratui Christiano sub evangelio sermo est. Potest autem homo Christianus ferre poenas et obedire decreto magistratus, licet magna sit in eo injuria et injustitia.* Respondemus: concedimus, magistratui non licere, quas velit, poenas irrogare, sed rationem habendam legum Christi; sed Schmaltzius nondum demonstravit, pugnare cum Christi legibus poenarum capitalium irrogationem a magistratu facinorosis illatam. Si enim magistratus gladio vindictam exercens contra leges Christi peccaret, nunquam apostolus diceret, magistratum in eo ipso esse *Dei ministrum.* Ut enim Deus et Christus non pugnant, sic Dei et Christi leges non pugnant, pugnarent autem, si magistratus gladium stringens contra leges Christi peccaret et Deo ministerium nihilominus exhiberet. Repetimus ergo apostoli verba, quae Schmaltzii subterfugium penitus excludunt: *Non sine causa magistratus gladium portat, Dei enim minister est ἔκδικος, vindex, in* XIV. 164.
iram illi, qui malum agit. Si magistratus inde atque ideo non gerit gladium frustra, quia est Dei minister vindex in iram illi, qui malum agit, falsum est, Christiano magistratui sub evangelio non licere gladium stringere et hac ratione vindictam adversus facinorosos exercere. Evangelium enim ut non abolet politias, ita multo minus abolet divinum ministerium, quod per usum gladii et in vindicta maleficorum Deo praestari apostolus disserte asserit. Sic etiam concedimus Schmaltzio, *ex patientia subditorum non posse colligi, quid magistratui facere liceat, cum in injustissimis etiam necessaria sit patientia*, sed hic non est quaestio de patientia, sed de obedientia, et quidem de tali obedientia, qua non solum *propter iram* (hoc est ne in poenam magistratus incidamus), sed etiam *propter conscientiam* (hoc est ne resistendo ordinationi divinae conscientiam violemus) necessario magistratui sumus subjecti, ut notanter subjicit apostolus v. 5. ubi diligenter notanda est textus apostolici συνάφεια. *Magistratus*, inquit, *non gerit gladium frustra;* rationem subjicit, *est enim Dei minister, vindex in iram illi, qui male agit;* inde infert, διὸ, *propterea, necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, hoc est quia magistratus gladium portando, eodem vindictam adversus facinorosos exercendo Dei minister est, ideo necessarium est ipsi subjici non solum *propter iram, sed etiam propter conscientiam*, nimirum ne divinae ordinationi resistamus. Finge, magistratui non licere gladium stringere, sed ipsum potius peccare, quando gladium stringit, et plane absurdus erit apostolus, conscientiae ratione habita magistratui gladium

stringenti et vindictam exercenti obediendum esse inferens. Praeterea illis, qui gladium magistratus effugere cupiunt, apostolus nequaquam hoc praescribit, ut abrogatione gladii illud tentent, neque eos ad patientiam ea ratione hortatur, quod magistratus gladium exserens peccet contra Christi leges, sed longe aliud consilium ipsis suggerit. *Vis non timere potestatem?* (inquit) *bonum fac et habebis laudem ex ea*, *Dei enim minister est tibi in bonum*, quo dicit quia potestas gladii divinitus magistratui data, ideo fac bonum et ab enormibus flagitiis cave, ne adversus te justam et promeritam vindictam exerceat, et sic potestatem timere cogaris. Horum omnium robur ac firmitatem sentire videntur ipsi Photiniani, ideo in hac exceptione non consistunt, sed addunt *3. gladium in verbis Pauli figurate accipi pro severa poena et castigatione.* Ostorodus d. l.: Es iſt offenbar, wenn Paulus ſagt, die Obrigkeit trägt das Schwert nicht umſonſt, daß ſolches eine figürliche Art zu reden ſei, und nicht mehr heiße denn eine Strafe und ſcharfe Zucht, ſintemal die Obrigkeit mit dem Schwert die Uebelthäter zu ſtrafen pfleget. Denn wem iſt unbewußt, daß auch figürlicher Weiſe das Wort Schwert in h. Schrift gebraucht wird, als unter andern Matth. 10, v. 34. da der Herr ſpricht: Ich bin nicht gekommen Friede zu ſenden, ſondern das Schwert. An welchem Ort durchs Schwert gewißlich eine jegliche Zwietracht und Streit, und nicht allein die, da das Schwert zukommt, muß verſtanden werden, ja daß Chriſtus von ſolch einer kaum geredet habe, kann man aus den Worten, ſo bald hernach folgen, klärlich verſtehen. Schmaltzius d. l.: *Non docet hic locus, quomodo puniri possint et debeant sontes. Potest enim gladium gerere magistratus*, *etiamsi poenas non irroget omnium severissimas. Gladii enim gestatio tantum significat, magistratum posse punire, non vero quo velit modo punire.* Respondemus: haec exceptio 1. contraria est priori. Si enim gladii nomen metaphorice hoc loco accipitur, non potest de ethnico magistratu dictum apostoli intelligi, quia ethnicus magistratus poenas gladii proprie sic dictas exercet. 2. Discedit a litera absque ulla necessitate. Repetimus igitur regulam theologicam, quam in tractatu de interpretatione Scripturae proposuimus et comprobatam dedimus: *In quocunque Scripturae loco articulus aliquis fidei tanquam in propria sede describitur, in eo retinenda est litera-*
XIV. 165. *lis verborum proprietas*, *nisi ipsa Scriptura monstret et explicet improprietatem.* Atqui hoc loco doctrina de magistratu tanquam in propria sua sede proponitur. 3. Nullo nititur fundamento. Quando enim Photiniani sic inferunt: In quibusdam Scripturae locis gladii nomen figurate accipitur, ergo etiam hoc loco, tunc procedunt *a particulari* et tacite *petunt principium.* 4. Adducit locum plane dissimilem. Quod enim nomen gladii tropice accipiendum sit Matth. 10, v. 34. pro signo scilicet dissidii et inimicitiarum, ejus interpretationis auctorem et magistrum habemus ipsum Christum Lucae 12, v. 51; *Putatis, quia pacem veni mittere in terram? dico vobis, non*, sed *διαμερισμόν*, *separationem*, ubi *μαχαίρας* nomen ad proprietatem reducitur. Sed quod in loco apostolico vocabulum gladii figurate sit accipiendum, ejus rei nullum ex Scripturis affertur vel afferri potest documentum. Praeterea aliud est *dissidium*, aliud *poena;* Matth. 10, v. 34. gladius accipitur non pro poena, sed pro dissidio sive separatione. Proinde non potest locus apostolicus cum illo dicto Christi conferri. 5. Absurdam apostolo tribuit sententiam. Si vox gladii figurate accipitur in hoc loco apostolico, absurda et inepta illa paraphrasis sequetur, *magistratus non frustra gerit poenam*, vel si nomen gladii ex Matth. 10, v. 34. explicari velint, magistratus non frustra gerit *dissidium*, quae absurde et inepte dici quivis intelligit. Quodsi omnino in voce gladii tropum constituere velimus, erit non metaphora, sed *metalepsis* causae pro effectu, sicque nihilominus ejusmodi poena erit intelligenda, quae gladio facinorosis irrogatur. 6. Conjungenda separat et subordinata sibi invicem opponit. *Gestatio gladii*, inquit Schmaltzius, *tantum significat, magistratum posse punire, non autem quo velit modo punire*, *potest enim gladium gerere magistratus*, *etiamsi non irroget poenas omnium gravissimas.* At inquam ego, si poena, quam magistratus irrogat, gladii nomine intelligenda venit, utique etiam illa poena, quae gladio irrogatur, in hoc nomine simul intelligenda. Neque enim ullus ex tota Scriptura afferri potest locus, in quo gladii nomen de poena corporali usurpatur, in quo non includatur poena capitalis. *Sic vivere in gladio* Gen. 27, v. 40. est in bellis gerendis occupatum esse et militia victitare; *acquirere gladio* Gen. 48, v. 22. *inducere gladium* Jerem. 24, v. 10. *percutere in ore gladii* Num. 21, v. 24. etc. sunt phrases bellicae, in quibus occisio et interfectio includitur. Ergo quando etiam hoc loco magistratus gladium gerere dicitur non frustra, sed Dei ordinatione et fine eo, ut inobedientes puniat, utique etiam poena capitalis non excluditur, sed includitur. Sed occurrunt Photiniani *4. stante hac nostra interpretatione sequi*, *omnia delicta sine discrimine gladio esse punienda*, *quod absurdum.* Ostorodus d. l.: Wo man das Schwert in den Worten Pauli nicht figürlich, das iſt für eine jegliche Strafe, ſondern nur eigentlich für die, welche durchs Schwert geſchieht, verſtehen will, ſo wird man ſagen müſſen, daß die Obrigkeit zwiſchen den Uebelthätern gar keinen Unterſchied machen ſolle, und ſowohl eine kleine, als eine große Uebelthat mit dem Schwert zu ſtrafen ſchuldig ſei, welches denn, daß es unbillig ſei, eben dieſelben bekennen, welche wollen, daß etliche Uebelthaten durchs Schwert müſſen geſtraft werden. Schmaltzius l. d.: *Gladii gestatio tantum significat, magistratum posse punire, non autem quo velit modo punire, alioquin sequeretur, in omnibus delictis severissimam adhibendam esse poenam, cum hoc, quod gladium gestet, ab apostolo pro ratione afferatur, quare ei sit obedientia praestanda in omnibus.* Respondemus: negamus connexionem. Apostolus summum poenae gradum, quem magistratus irrogare

potest et qui maxime terrorem incutit, exprimit, non quod omnibus maleficis is gradus poenae conveniat, sed ut potestatem magistratus exprimat, quae reipublicae necessitate et delictorum atrocitate ita exigente etiam ad capitales poenas irrogandas se extendit, et ut facinorosis terrorem incutiat. *Vis non timere potestatem,* inquit, *bonum fac et laudem ab ea habebis; si autem male feceris, time, non enim*
56. *gerit gladium frustra.* Recte igitur ex textu apostolico sic colligo: Magistratus potest in quibusdam delictis gladii poenam irrogare, ergo multo magis minores poenas quam capitales irrogare potest. Non autem recte colligo: magistratus potest in quibusdam delictis gladii poenam irrogare, ergo in omnibus delictis debet capitales poenas facinorosis infligere. Si enim haec posterior collectio valeret, possem ex hypothesi Photiniana eadem ratione colligere, quod omnia delicta severissimis poenis sint coërcenda, cum ipsi statuant, gladii nomine *poenam severissimam* hoc loco accipiendam. *Ne quis statuat* (inquit Schmaltzius), *hac ratione aliquid magistratui detrahi, quando asserimus, ipsum non posse capitalia supplicia irrogare, sciendum est, nos qui credimus, non licere magistratui Christiano sanguinem humanum fundere, ut hodie fit, credere, quod aliis modis, qui fortassis sunt severiores quam sanguinis fusio, in officio continere liceat magistratui homines facinorosos, modo ne vita priventur.* Ex quibus sic colligo: Illi severiores coërcendi modi si magistratui jure competunt, utique vi pronunciati apostolici, *magistratus non gerit gladium frustra,* ipsi competent, utique ergo nomine gladii continentur, nec tamen omnes facinorosos severiori illo modo licet coërcere, ut ipsi Photiniani concedunt, ergo non poterunt ex nostra interpretatione colligere, quod magistratus omnibus facinorosis capitale supplicium debeat irrogare. Quodsi retineamus collationem hujus loci apostolici cum dicto Christi Matth. 10, v. 34. quam adversarii perpetuo urgent, possum ex eadem contra ipsos sic inferre. Quemadmodum *gladii* nomine Matth. 10. metaphorice et synecdochice omne dissidium intelligitur, sive gladius ad illud accedat, sive non; sic etiam hoc loco gladii nomine metaphorice ac synecdochice accipienda erit quaevis poena corporalis, sive ea sit capitalis, quae gladio infligitur et sanguinis effusionem conjunctam habet, sive sit capitali minor. Quod enim Ostorodus dicit, *verba Christi apud Matthaeum non posse intelligi de dissidio etiam illo, quod gladio peragitur,* id nondum est probatum vel evictum. Quamvis enim in sequentibus versiculis domesticorum dissidia, quae absque caede et sanguine fieri consuevere, exempli loco subjiciantur, tamen ex eo nihil derogatur generali assertioni ac regulae, quinimo testatur historia ecclesiastica, adversus Christianos etiam bella ob religionem esse gesta et multos sanguinis profusione veritatem hujus dicti a Christo prolati, *non veni mittere pacem, sed gladium,* confirmatam dedisse.

13, 300. 3. Adjungimus huic loco apostolico dictum Johannis Apoc. 13, v. 10: *Qui in gladio occidit, oportet eum gladio occidi;* sed fatemur, illum non esse ejusdem omnino roboris ac ponderis cum prioribus, nec posse ex eo argumentum firmum deduci, si accipiatur solus, sed si conjungatur cum prioribus Matth. 26, v. 52. Rom. 13, v. 4. Continetur enim in hoc loco apocalyptico proprie vaticinium et praedictio de poena talionis, siquidem praecedit: *Qui in captivitatem ducit, in captivitatem vadit,* et additur, *qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Quia vero Deus hanc talionis poenam ordinarie per magistratum exercet, ideo secundario hic locus apocalypticus huc accommodari et ceteris conjungi potest. Excipit Schmaltzius contra disp. 7. prior. Frantz. de bonis operib. p. 443: *Verba Apocalypseos sunt minae, quibus denunciatur divina vindicta illis, qui injurias inferunt vel etiam morte afficiunt Christi fideles, hanc autem vindictam non per magistratum irrogari a Deo vel hinc patet, quod plerumque magistratus ii sunt, quorum potentia opprimuntur fideles; illi vero, per quos gladio sint occidendi, qui gladio occiderint, censendi sunt, quos Deus excitare solet ad ulciscendum sanguinem suorum, qui saepenumero non magistratus, sed fex militum et colluvies mancipiorum esse solent.* Et in resp. ad disp. 6. poster. de reb. civilib. p. 390: *Locus hic quid ad confirmandam legem de capitali* XIV. 167. *supplicio per magistratum inferendo facere potest, cum ibi nemo etiam nominetur, per quem oporteat gladio occidi illum, qui gladio occiderit? Et de magistratu id intelligendum esse nimis incertum est. Multi enim sunt, qui gladio occidunt, nec tamen necessario puniuntur, aut puniri etiam possunt per magistratum, hic autem sermo est de eo, quod aliter fieri nequeat, dum dicit: Oportet eum gladio occidi. Praeterea ipse magistratus plerumque est, qui occidit Christianos, de quo hic sermo est, quomodo igitur a magistratu occidi potest? ita ut res ipsa loquatur, alia prorsus de re ibi sermonem esse.* Respondemus 1: concedimus, ex hoc loco solo non posse magistratus potestatem in poenis capitalibus irrogandis probari, sed conjungendum esse locum Gen. 9, v. 6. ex V. et locum apostolicum Rom. 13, v. 4. ex N. T. ubi exprimitur persona, per quam ordinarie gladio occiduntur, qui gladio occiderunt. 2. Proponi in hoc loco comminationem, qua vindicta denunciatur illis, qui injurias inferunt, vel etiam morte afficiunt Christi fideles, et stabiliri in eodem jus gladii magistratui datum, non sunt opposita, sed subordinata, quia vindictam illam, quam Deus minatur gladio occidentibus, duplici ratione solet exercere, immediate et extraordinarie per se ipsum, ordinarie et mediate per magistratum. 3 Magistratus non omnes nec semper sunt illi, quorum potentia fideles opprimuntur, sed ut ipse Schmaltzius agnoscit, tantum *plerumque,* ergo non potest ex eo, utpote particulari, concludi, quod Deus per magistratum vindictam illam non inferat. Invertimus proinde argumentum. Si magistratus plerumque duntaxat sunt illi, quorum potentia fideles oppri-

Qui in gladio occidit, oportet eum gladio occidi.

muntur, ergo aliquando magistratus sunt pii et Christiani, qui potentia sua fideles defendunt et a persecutoribus vindicant. Sic Constantinus imperator laudatissimus persecutorem Licinium ab effusione Christiani sanguinis bello coërcuit. 4. Ex quo ipso apparet, non esse absurdum, occidi magistratum a magistratu, ut Schmaltzius arbitratur, quando enim magistratus Christianus bellum gerit adversus magistratum ethnicum ecclesiae persecùtorem, tunc magistratus ethnicus gladio petitur et vindicta adversus eum exercetur a magistratu Christiano. 5. Distinguendum est *jus gladii* ab *ejusdem abusu.* Jus gladii divinitus datum est cuivis legitimo magistratui, sive is sit ethnicus, sive Christianus, sed potest magistratus hoc gladii jure abuti et eodem oppugnare alium magistratum et populum ipsi subjectum, ac tunc licite illi resistitur, non quidem a privatis, sed a magistratu, cui gladius ad defensionem subditorum datus. Nec per abusum ipsa potestas et jus gladii desinit esse magistratus proprium. Sic in politia Judaica reges occidebant prophetas et veros veri Dei cultores, qui erat turpissimus gladii abusus, nihilominus manebat penes ipsos ordinarie potestas et jus gladii adversus homicidas, contra quos, si quando gladium stringebant, erat is gladii usus legitimus' Deoque gratus. Sic tempore eo, quo apostolus suam ad Romanos epistolam scripsit, Nero imperator jure gladii ad persecutionem Christianorum turpissime abutebatur, nihilo tamen minus apostolus asserit, ipsum habere jus *gladii*, et quidem divinitus datum. 6. Deum extraordinarie justo ac mirabili judicio fecem militum et colluviem mancipiorum ad ulciscendum suorum sanguinem quandoque excitare non negamus, interim ordinarius modus, quo Deus homicidas et alios facinorosos punit, est et manet is, quem per magistratum divinitus ad vindictam constitutum Rom. 13, v. 4. exserit. 7. Quod multi, qui gladio occidunt, non puniuntur a magistratu, non tollit ordinariam regulam, quod a magistratu puniri debeant, vel enim homicidae illi sunt occulti, et in hoc casu magistratus coram Deo est excusatus, si diligenter et sufficienter de auctore caedis inquisivit Deut. 21, v. 7. vel sunt notorii, et magistratus ad ipsorum scelera connivet, et in hoc casu gravissimam neglecti officii rationem Deus a magistratu exiget, interim mandati obligationi ex omissa ejusdem impletione nihil quidquam decedit.

XIV. 168. **2. Ex lege non scripta, sed mentibus impressa.**

301. Atque haec est prima classis argumentorum nostrorum deducta *ex lege divina scripta;* alteram petimus *ex lege non scripta, sed mentibus hominum naturaliter insita.* Irrogatio capitalium suppliciorum non demum sub Moyse per legem scriptam fuit introducta, sed longe ante Moysen usitata, ex lege scilicet naturae, quae omnibus gentibus fuit nota, unde *Judas* nurum suam Thamarem adulterii ream poenae ignis adjudicat. Gen. 38, v. 24: *Producite eam*, inquit, *ut comburatur.* Rabbini existimant, *Thamarem fuisse filiam sacerdotis Melchisedeci, ac proinde juxta legem* Lev. 21, v. 9. *ignis poenam propter scortationem ipsi fuisse adjudicatam.* Sed Melchisedecus jamdudum in vivis esse desierat, ut Thamar illius filia haberi non potuerit. Alii existimant, *Judam inter Cananaeos sacerdotali munere functum ac quia nurus pro filia habetur, ideo ipsam tanquam filiam sacerdotis ob scortationem flammis devotam fuisse.* Sed hoc ipsum etiam incertum est, proinde simplicissime dicitur, quod Judas Thamarem utpote filio suo Selae desponsatam adulterii ream peregerit et more illius temporis poena ignis dignam judicarit; usu igitur tunc temporis receptum fuit, adulteras comburi. Rabbini volunt, *Judam egisse principem in illa terra, ideo jus gladii penes ipsum fuisse*, sed quia Jacob et ipsius filii, utpote peregrini, nondum aliquid potestatis ac dominationis eo tempore in illa regione habuisse videntur, ideo verba Judae commodius hoc sensu accipiuntur, quod ad magistratum adulteram produci jubeat, ut secundum jura illius temporis et regionis puniatur, cum res sit aperta et nullis insuper testibus egeat. Gen. 40, v. 22: *Pharao Aegypti rex principem pistorum suspendit in patibulum.* Quidam Rabbini fabulantur, *peccatum hujus pistoris fuisse leviusculum, utpote quod in pane calculus justus non fuerit inventus.* Sed nullo modo verisimile est, regem illum, qui in sequentibus ut bonus, prudens ac moderatus princeps describitur, tam saevum ac stolidum fuisse, ut ob casum fortuitum tam graviter in ipsum animadverteret. Cogitandum igitur, quod grave aliquod delictum commiserit, insidias scilicet vitae regis struendo vel adversus ipsum conjurando. Quidam ex Rabbinis statuunt, *ipsum solicitasse pudicitiam filiarum regis*, idque colligunt ex verbo חטא, sed significatio illius verbi est generalis. Apparet igitur, etiam in Aegypto capitalium suppliciorum morem ante scriptam legem Mosaicam fuisse usitatum, ac possent hujus generis exempla ex omnibus gentibus et populis afferri, quae evidenter testantur, legi naturae consentaneum esse, delicta graviora capitali supplicio a magistratu puniri. Excipit Schmaltzius contra disp. 6. poster. Frantz. p. 390. *evangelium tam temporibus, quae ante legem, quam iis, quae sub lege fuerunt, opponi et nihil nunc licere, quod Christi evangelio adversetur, etiamsi ab initio mundi licuerit, idque Deo auctore.* Respondemus: Christus diserte negat, se venisse fine eo, ut legem moralem tolleret Matth. 5, v. 17. ergo etiam non sustulit legem naturae, quippe quae cum lege morali est eadem. Diserte etiam negat, se venisse, ut caesari, hoc est magistratui, eriperet, quod ipsi jure divino ac naturali debetur Matth. 22, v. 21. ergo non sustulit jus gladii magistratui divinitus datum. Frustra excipit Schmaltzius p. 393. *legem divinam moralem et legem naturae ad legem Christi reformandam, limitandam ac temperandam, quippe quae sit omnium perfectissima et legum divinarum coronis*; ostendimus enim superius, Christum non ipsi divinae legi, sed corruptelis divinae legis suam interpretationem opposuisse, ac longe aliud est temperatio legis, quae opponitur ejusdem rigori ex lege regia caritatis, aliud vero totalis abolitio legis,

quae eam penitus abolet. Photiniani non tantum rigorem legis de suppliciis capitalibus inferendis temperandum docent, sed penitus eam abolent, ut nullo unquam tempore ac nullis facinorosis liceat capitalia supplicia irrogare.

V. 169. 302. *3. Ex rationibus variis. 1. A magistratus officio.* Magistratui cura boni publici est commendata, ut illud tueatur ac promoveat. Jam vero ad curam boni publici pertinet impedire, ne partes, quae sunt propter totum, illud corrumpant, proinde si non potest omnes partes integras servare, potius debet unam partem amputare quam permittere, ut bonum commune pereat. Sic vinitor amputat ramenta, hortulanus stolones, ne arbori ac viti noceant; medicus amputat membra putida, ne totum corpus inficiant. Namque *immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.* Quinimo si magistratus sit in hoc officio negligens, Deus ipse facinorosos extraordinario judicio punire solet. Lev. 20, v. 2: *Qui dederit de semine suo Moloch, moriendo morietur*, v. 3. *et ego ponam faciem meam adversus virum illum*, hoc est, si magistratus officium suum negligat et scelus illud impunitum dimittat, ego tamen non relinquam impunitum. *2. A necessario.* Nisi capitalia supplicia homicidis, veneficis et aliis rempublicam turbantibus irrogentur, non poterit tranquillitas publica consistere, quia impunitas malorum cedit in oppressionem bonorum et malos reddit audaciores. Prov. 20, v. 26: *Dissipat impios rex sapiens et convertit eos super rotam.* cap. 25, v. 4. 5: *Aufer scoriam ab argento, et egredietur vas conflatori; aufer impium a conspectu regis, et statuetur in justitia solium ejus.* Si dicas, *alia ratione improbitatem malorum coërceri posse quam capitalibus suppliciis*, adducimus experientiam, quae testatur, quosdam tam desperate improbos esse, ut nullis carceribus vel plagis emendentur. Videmus, quid contingat severitate suppliciorum ob oculos omnium posita; quid futurum censemus, si poenae capitales a republica Christiana exsulare jubeantur? *3. Ab absurdo.* Si jus gladii in N. T. magistratui politico non est concessum, omnia omnino bella, etiam ea quae a magistratu pro defensione subditorum geruntur, erunt simpliciter prohibita. Sed consequens est absurdum. Ergo et antecedens. Photiniani negant, *hoc esse absurdum*, unde bella simpliciter improbant, sed contrarium suo loco demonstrabitur. **4. Ex justa talionis lege. Jos. 7, v. 25. dicit Josua ad Achan.: *Quoniam nos conturbasti, conturbet te Dominus hac die*, Hebr. עָכַר.** *A minori ad majus.* Si jus gladii magistratui in N. T. non est concessum, multo minus privatis hominibus concedi poterit, ut adversus latrones subito irruentes gladio vitam suam defendant. Sed consequens est absurdum, quia defensio necessaria est juris naturae et gentium; jam vero evangelium non tollit jus naturae. Ergo et antecedens. Excipit Ostorodus c. 26. p. 166. et cap. 27, p. 176. *longe satius et tutius esse ad retinendam coram Deo bonam conscientiam ab altero occidi quam alterum occidere; defensionem esse quidem licitam in N. T. hac tamen conditione, ne adversarium interficiamus.* Atqui saepe incidit casus ejusmodi, ut non possimus contra impetum latronis aut homicidae nos alia ratione defendere, quam ut ipsum interficiamus. Aut ergo defensio in hoc casu erit damnanda, quod pugnat cum jure naturali, aut licitum erit latronem vitae suae defendendae causa occidere. Absurdum plane est, quod satius et tutius dicitur, ut in necessario illo defensionis casu patiamur, nos a latrone occidi, quam ut ipsum occidamus, quia hac ratione vitam nostram prodimus latroni, bonum civem subtrahimus reipublicae, ut latrones in ea grassentur, homines pessimos ad latrocinia animamus et multos bonos eidem periculo objicimus, a quo per nos liberari poterant. Videt hoc Ostorodus, ideo dicit, *se nolle eum vel damnare, vel justificare, qui non data opera, sed sui defendendi causa adversarium occidit.* At conscientiae omnino erudiendae et informandae sunt, quid in tali casu licitum sit et concessum. Addit XIV. 170.
deinde Ostorodus, *si quis Deum vere timeat et juxta doctrinam Christi ipsi serviat, eum a tali casu praeservatum iri, quodsi omnino in latrones ipsum incidere contingat, Deum in eo ipso momento per Spiritum suum manifestaturum, quid agere vel omittere debeat.* Sed prius repugnat experientiae, posterius a Dei verbo ad occultas inspirationes abducit. Frustra urget Ostorodus *legem caritatis de diligendis inimicis*, nam ita diligendi sunt inimici, ut non simus crudeles in nos ipsos, quod fieret, si in subita oppressione non defenderemus vitam nostram adversus latronem. Jubemur proximum diligere *sicut nos ipsos*, non autem plus quam nos ipsos, et Paulus 1. Cor. 8, v. 13. tradit hanc regulam, *ita benefaciendum esse, ne aliis sit relaxatio, nobis vero afflictio.* Pari ratione dicimus, ita diligendos esse inimicos, ne ipsis sit relaxatio, nobis vero afflictio. Atqui si in necessaria defensione latronem nos opprimentem non liceret occidere, esset latroni relaxatio, nobis vero afflictio, sicque latronem plus diligeremus quam nos ipsos.

303. Huc referimus etiam patrum dicta, quae Patrum dicta.
licet a Photinianis susque deque habeantur, tamen propter consensum a nostris merito observantur. Hilarius can. 32. in Matth. explicans illud Christi: *Omnes qui gladio utuntur, gladio peribunt. Ergo hic ipse jam judicatus est, quia gladio utens gladio interibit. Sed non omnibus gladio utentibus mors solet esse per gladium, nam plures aut febris, aut alius accidens casus absumit, qui gladio, aut judicii officio, aut resistendi latronibus necessitate sunt usi.* Hieronymus in cap. 13. Esa.: *Non est crudelis, qui crudeles jugulat, sed quod crudelis patientibus esse videatur. Nam et latro suspensus patibulo crudelem judicem putat.* Idem in cap. 22. Jerem.: *Homicidas et sacrilegos et venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium;* lib. 4. in Ezech.: *Qui malos percutit in eo, quod mali sunt, et habet vasa interfectionis, ut occidat pessimos, minister est Dei.* Augustinus epist.

50. ad Bonif. repetit illud Hieronymi: *Homicidas et venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.* lib. 1. de civ. Dei cap. 17: *Non occides nec te, nec alterum. Quasdam vero exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut non liceat hominem occidi, sed his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione. Nam qui occidit, ipse ministerium praebet jubenti, sicut adminiculum gladius est utenti, et ideo nequaquam contra hoc praeceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt aut personam gerentes publicae potestatis secundum jus legis, hoc est justissimae rationis imperium, sceleratos morte punierunt.* Haec Hieronymi et Augustini dicta allegantur c. Homicidas etc. c. Qui malos. etc. c. Quis enim. etc. c. Si non licet caus. 23. q. 5. quibus caus. et quaest. iisdem etiam haec adjunguntur c. Si homicidium ex lib. 1. August. de lib. arbitr.: *Si homicidium est hominem occidere, potest aliquando occidere sine peccato, nam et miles hostem et judex vel minister ejus nocentem, et cui forte invito atque imprudenti telum de manu fugerit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt, sed nec etiam homicidae isti appellari solent.* c. Reos etc. ex Gregorio: *Nonnulli in V. T. inveniuntur malos trucidasse, nec tamen transgressores legis, sed defensores appellantur. Prohibetur ergo illo praecepto quisque sua auctoritate in necem alicujus armari, non legis imperio reos morti tradere, qui enim publica potestate functus ipsius legis imperio malos perimit, nec illius praecepti transgressor, nec a coelesti patria alienus habetur.* Quod vero Augustinus epist. 159. Marcellianum tribunum pro Donatistis Circumcellionibus rogat, *ut verberibus eos coërceat, non autem morte perdat;* id Gratianus d. l. sic explicat, *quod supplicando spatium vitae eis reservari poposcerit, non tamen legum severitatem, qua tales morte plectuntur, non observandam docuerit.* Rectius dicitur, quod ob solam haeresin gla-
XIV. 171. dium adversus ipsos stringi noluerit, qua de re postea.

Antithesis et argumenta Anabaptistarum.

304. *Anabaptistae* magistratui Christiano jus gladii adversus facinorosos non competere hisce probare cupiunt argumentis. *1. Lex Dei: non occides, generalis est. Ergo obligat etiam magistratum, et per consequens non debet facinorosos gladio punire.* Respondemus: contrarium ostendimus in tract. de lege §. 156. Sane praeceptum de non occidendo obligat magistratum ut hominem privatum, ne scilicet temerario ausu innocentes occidat, non autem ut personam publicam Dei judicia adversus maleficos exercentem Gen. 9, v. 6. Rom. 13, v. 4. Quos enim magistratus juxta leges propter enormia facinora occidi jubet, illos ratione officii et ut *Dei minister* occidit ac proinde non humana temeritate, sed divina auctoritate capitales poenas illis irrogat. Si propter legem illam moralem, *non occides*, absolute et simpliciter in N. T. prohibitum esset hominem occidere, peccasset etiam *Petrus* Ananiam et Sapphiram divino judicio morti adjudicans Act. 5, v. 9. quod quia absurdum esse ipsimet Anabaptistae agnoscunt, fateantur, legem Dei admittere aliquam limitationem. Urgemus autem merito contra Anabaptistas, quod lex Dei, *non occides*, non in N. demum T. promulgata sit, sed in V. etiam T. extiterit, nihilo tamen minus magistratus V. T. occidit facinorosos Deo praecipiente et approbante. Ergo ex hac lege probari nequit, magistratui non competere jus gladii. 2. Esa. 11, v. 9: *Non malefacient nec corrumpent in universo monte sanctitatis meae, quia repleta est terra scientia Domini*, quod repetitur cap. 65, v. 25. *Ergo in N. T. magistratui non licet occidere facinorosos.* Respondemus: non agitur ibi de officio magistratus, sed de conversatione piorum in regno Christi. Praedicit propheta, futurum ut in N. T. per doctrinam evangelii, quae Dei misericordiam in Filii missione exhibitam celebrat, animi hominum sincera et ardenti dilectione impleti mitescant, ut qui antea fuerant crudeles et immisericordes, ex agnitione Dei et Salvatoris Jesu Christi Spiritum dilectionis concipiant, per quem non solum inter se cum aliis pacem colant, sed etiam caritatis officia invicem praestent. Hieronymus in comment. hoc loco refert ad defensionem ecclesiae contra hostes: *Nocere et occidere nequaquam poterunt venenata prius animalia eos, qui habitaverint in monte sancto Dei, quod interpretatur ecclesia.* Plura de hoc loco dicentur inferius in quaestione de bello. 3. Matth. 6, v. 12: *Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Ergo magistratus debet remittere, non autem capitales poenas irrogare, cum ex praescripto Christi eandem orationem recitare cogatur.* Respondemus: hac ratione nullas omnino poenas irrogare posset magistratus, nec parentes delicta liberorum virgis coërcere deberent, quod absurdum. Loquitur autem Christus de offensis privatis, quae in vita communi incidunt, quas fraterna condonatione ac reconciliatione abolendas esse facile concedimus, sed alia ratio est enormium delictorum tranquillitatem publicam turbantium, contra quae magistratui gladius est datus. 4. Matth. 13, v. 30: *Sinite crescere zizania. Ergo magistratus ea non debet eradicare.* Respondemus: explicatio parabolarum juxta fidei analogiam instituenda. Ergo non debet haec parabola ita explicari, ut tollat officium magistratus disertis verbis traditum Rom. 13, v. 4. De vero hujus parabolae sensu inferius late disputabitur. *5. Christus increpat discipulos* Luc. 9, v. 55. *quod ignem coelitus in Samaritanos delabi expetiverint, et opponit illis naturam N. T. quod est tempus gratiae: Nescitis, cujus spiritus filii sitis?* Respondemus: improbat Christus privatam vindictae cupiditatem, a qua officium magistratus vindictam divina auctoritate exercentis longissime est distinctum. Nec licebat apostolis, utpote ecclesiasticis personis, poenas politicas irrogare, quam ad rem praepostere allegabant extraordinarium Eliae factum. 6. Rom. 12, v. 17: *Nolite malum reddere pro malo.* Respondemus: loquitur apostolus de personis privatis et privata

vindicta, non autem de personis publicis et potestate gladii magistratui divinitus data. 172. 7. 2. Cor. 10, v. 5: *Arma militiae nostrae non sunt corporalia, quae verba apostoli sunt generalia ad omnes Christianos et sic etiam ad magistratus pertinentia.* Respondemus: distinguendum *inter forum politicum et ecclesiasticum.* Apostolus hic loquitur de foro ecclesiastico, in quo non corporalibus, sed spiritualibus armis adversus Satanam et ipsius organa pugnandum. Sed quia forum ecclesiasticum non tollit forum politicum, ita quoque arma spiritualia in foro ecclesiastico non tollunt arma corporalia in foro politico.

305. *Photiniani* aliis utuntur fundamentis. *1. Pugnat cum lege Christi, videlicet cum praecepto de dilectione inimicorum, eripere homini vitam* Matth. 5, 43. v. 44. Ostorodus in instit cap. 26. pag. 165: Wir halten dafür, wo man gewiß wüßte, daß durch dies Mittel, nemlich ſo wir die Obrigkeit wider Gewalt und Unrecht um Hülfe anriefen, unſer Widerſacher ſollte in Todesgefahr oder ſonſt in einen großen merklichen Schaden gerathen, daß man allen Gewalt und Schaden, ſo uns von ihm zugefügt worden, leiden müſſe. c. 27. p. 173: Weil Chriſtus nicht allein nicht zuläßt zu verſchaffen, daß dem, ſo dir ein Auge ausreißet, wieder ein Auge ausgeriſſen werde, ſondern auch heißet unſern Feinden Gutes thun, ſo wird je offenbar, daß er viel an dem Geſetz Moſis, was dies Gebot betrifft, gebeſſert und zu demſelben gethan habe. cap. 28. p. 185: Chriſti Gebote laſſen nicht zu, daß die Obrigkeit jemand das Leben nehme. Schmaltzius contra Frantz. in refut. disp. 6. poster. de reb. civil. p. 389: *Magistratus Christianus non potest pro libitu suo quas velit poenas sontibus irrogare, sed semper illi ratio habenda legum Christi regis nostri omnium.* p. 391: *Non sine causa factum esse credo, quod non aperte et diserte capitalia supplicia sint abrogata in evangelio, sufficere autem totam analogiam evangelii ad tollenda ista. Tempus nunc est gratiae. Caritas proximi praecipitur perfectissima et alia his sunt similia. Ex his qui non videt manifeste sequi, non licere in vitam hominum nocentium saevire, is a carne sua vel a spiritu Antichristi et longa male agendi consuetudine excoecatus est.* Respondemus: num vero Schmaltzius in fraternitatem illos cooptare satagit, qui spiritu Antichristi excoecati sunt? De re ipsa respondemus, ex lege caritatis non posse inferri, quod magistratui capitalia supplicia irrogare sit prohibitum. Primo enim Christus non tulit *novam caritatis legem,* nec praeceptis moralibus perfectiora quaedam mandata addidit, sed veterem legem de caritate proximo, adeoque etiam inimicis exhibenda repetivit, ut suo loco fuit demonstratum. Quodsi ergo in V. T. licuit magistratui capitales poenas irrogare salva caritatis lege, utique etiam magistratui Christiano in N. T. idem licebit. Deinde magistratus duplicem sustinet personam, *privatam et publicam;* quatenus est persona publica, et divinum gerit officium et Dei minister est in exercenda adversus facinorosos vindicta. Ut ergo Deus ipse facinorosos extraordinarie igne, aqua et aliis modis punit ac nihilominus manet *ipsa caritas;* sic quando Dei nomine et divini officii ratione magistratus facinorosos punit, nihil quidquam contra legem caritatis agit. Denique si pugnaret contra legem caritatis facinorosis capitales poenas irrogare, pugnaret contra eandem legem gravioribus poenis in facinorosos animadvertere, quam sunt capitales. Jam vero concedunt Photiniani, ut magistratus ejusmodi poenarum generibus utatur, sic enim habet Schmaltzius d. l. p. 389: *Ne quis statuat, hac ratione aliquid detrahi magistratui, sciendum est, nos qui credimus, non licere magistratui Christiano humanum sanguinem fundere, ut hodie fit, credere, quod aliis modis, qui fortassis sunt severiores quam sanguinis fusio, in officio continere liceat magistratui homines facinorosos, modo ne vita priventur.* At si non pugnat cum lege caritatis continere homines facinorosos in officio modis aliis, qui sunt fortassis severiores quam sanguinis fusio, multo minus pugnabit cum caritatis lege facinorosorum sanguinem juxta leges fundere. XIV. 173. Excipit Schmaltzius *esse disparem rationem, quia sanguinis fusione simul etiam vita aeterna privari facinorosos esse plusquam verisimile, quo nihil magis caritati, quam proximo sub foedere novo debemus, contrarium esse queat.* Respondemus: repetimus ἔνστασιν illam validissimam, quod etiam in V. T. proximo debita fuerit caritas, quodsi ergo cum sanguinis fusione amissio vitae aeternae fuisset simpliciter, immediate et perpetuo conjuncta, utique nec in V. T. licuisset facinorosorum sanguinem fundere. Christianos magistratus in N. T. quod attinet, illi satis mature significare solent maleficis capitali supplicio addictis, quod capitis poena ipsis sit subeunda, adjungunt etiam illis ecclesiae ministros, qui illos instruant, consolentur et coenam Dominicam ipsis administrent, unde experientia teste complures malefici in vera poenitentia moriuntur ac saepius publice Deo gratias agunt, quod ex medio scelerum cursu abrepti et ad supplicium perducti beate mori didicerint. Quodsi qui in impoenitentia moriuntur, suae improbitati et pertinaciae illud acceptum ferant. Magistratus exsequitur Dei judicium; quemadmodum ergo extraordinario Dei judicio multi in impoenitentia moriuntur, ita quoque ordinarium illud Dei judicium, quod magistratus administrat, impoenitentes quandoque abripit. Quid quod idem contingere possit in poenis, quas Photiniani concessas statuunt. Ostorodus p. 185. *carcerem* concedit, ac fieri potest, ut in squalore carceris constituti violentas manus sibi inferant vel ex aegritudine mortem obeant.

306. 2. Joh. 8, v. 11. *Christus noluit damnare adulteram, quam tamen lex damnabat. Ergo non vult usum gladii concedere magistratui.* Schmaltzius contra disp. 6. poster. Frantz. de reb. civilib. p. 391: *Si Christus legem istam de puniendis adulteriis approbasset, quid opus fuisset modum eumque tam argutum excogitare, quo adultera illa liberaretur? liceine aliquo modo quantumvis arguto*

Joh. 8, v. 11. Christus noluit adulteram damnare.

efficere, ut Dei praeceptum non observetur? nihil autem intererat, a quo tandem adultera puniretur, si punienda fuisset, num ab hominibus piis vel impiis. Respondemus: 1. quidam existimant, historiam illam de muliere adultera non esse genuinam nec certae fidei, cum non exstet in Syriaca paraphrasi, cum Eusebius lib. 3. hist. eccles. cap. 39. aperte indicet, *se non vidisse eam in evangelio Johannis, sed adjectam esse eam a Papia ex evangelio secundum Hebraeos vel Nazaraeorum,* cumque in quibusdam Graecis exemplaribus in calce olim adjecta fuerit, denique cum Chrysostomus, Theophylactus et Nonnus in ordinaria textus paraphrasi eam
XIV. 174. praeterierint. Sed cum antiquissimi scriptores, Ammonius in monotessaro, Athanasius in synopsi, Chrysostomus homil. 60. in Joh. Ambrosius lib. 7. epist. 58. Hieronymus lib. 2. adv. Pelag. Augustinus tract. 33. in Joh. Euthymius in collectan. ex patrib. etc. hujus historiae mentionem faciant, neque quidquam analogiae fidei contrarium contineat, ideo hanc scripturae partem libenter recipimus. Augustinus lib. 2. de adult. conjug. ad Pollent c. 7. arbitratur, *historiam revera fuisse a Johanne scriptam, sed curatum a crudelibus maritis, ut expungeretur, quo uxores adulterae occiderentur.* 2. Nihil vero patrocinii in hac historia invenire poterunt Photiniani. Christus enim cum docendi causa in hunc mundum venisset, noluit civilis magistratus partes ad se pertrahere, contentus ad poenitentiam ac fidem per verbi praedicationem homines adducere, Joh. 6. v. 25. Luc. 12, v. 14. Exemplum ergo Christi nequaquam probat, jus gladii magistratui non competere, sed hoc duntaxat probat, personis ecclesiasticis illud non competere. 3. Johannes expresse dicit v. 6. quod *animo tentandi* Christum Pharisaei hanc adulteram adduxerint. Lex Dei jubebat facinorosos punire, Christus peccatores ad se vocabat, quin et expresse dixerat, quod *publicani et meretrices praecedant pharisaeos in regnum Dei* Matth. 21, v. 31. adducunt igitur adulteram et quaerunt, quid de ea statuat, ut calumniam ipsi struant. Volunt eum illustri aliquo exemplo in alterutrum incurrere, ut vel legem Dei absolvendo damnaret, vel propriam suam doctrinam, peccatricem condemnando, revocaret. Christus igitur hypocritis illis non discendi, sed tentandi animo quaerentibus indirecte respondet, qui enim *fallaciter interrogat, directum responsum audire non meretur,* ac primum quidem *digito scribit in terram,* vel ut ostendat, se non attendere, quid illi enarrent, neque ad se illa pertinere, unde in quibusdam exemplaribus additur μὴ προσποιούμενος; vel ut symbolice demonstret, eam esse dignam poena, nec se velle eam absolvere a poena legibus definita, quia *scribi alicujus nomen in terra* est ad exitium destinari Jer. 17, v. 13. (Quidam statuunt, Christum eadem verba in terra scripsisse, quae postea prolocutus est: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat;*
XIV. 175. alii existimant, Christum tacite significare voluisse, legem Mosaicam, ad quam toties provocabant, esse ipsis instar literarum in pulvere scriptarum, quae cito delentur.) Cum vero Judaei interrogando perseverarent, respondit: *Qui vestrum immunis est a peccato, primus in illam lapidem jaciat,* non tradens generalem aliquam regulam, quod non liceat puniri sontes nisi ab illis, qui a peccato penitus immunes, quia in poenis non ad personae vitium, sed ad publicum officium et legum ordinem respiciendum est; verum ad hypocritas et insidiatores, a quibus interrogatus erat, responsum suum accommodans. Deut. 17, v. 7. ordinaverat Deus, *ut testes primi lapides in reos conjicerent,* hanc legem Christus ita accommodat, quod Pharisaei peccatis in utramvis aurem immersi de se primo omnium soliciti esse debeant, neque exteriora duntaxat peccata in aliis observare, sed interiorem naturae corruptionem et interiora peccata sibi ipsis adhaerentia agnoscere. Existimabant illi, se *non esse peccatores, ut caeteri* Luc. 18, v. 11. blandiebantur sibi de puritate et innocentia, Christus igitur ad conscientiae scrutinium ipsos remittit et ostendit, judicium et condemnationem legis ferri non solum adversus eos, qui in notoriis et externis delictis haerent, sed adversus omnes homines, quippe quorum nullus est ἀναμάρτητος, cum tamen lex *maledictos* pronunciet *omnes, qui non permanent in omnibus, quae scripta sunt in libro legis* Deut. 29, v. ult. 4. Potest et hoc observari, quod Pharisaei dicunt, *in lege praeceptum esse, ut adulterae lapidentur,* cum tamen simpliciter et in genere tantum capitalis supplicii fiat mentio, non autem lapidationis in specie Levit. 20, v. 10. Deuter. 22, v. 22. ex quo intelligitur, Pharisaeos modum supplicii in lege definitum exasperasse, cum propriis peccatis admoniti commiseratione potius erga peccatores poenitentes duci debuissent. 5. Quod Christus v. 11. digressis accusatoribus subjicit: *Nec ego te condemno,* id de absolutione a spirituali reatu, non a politica poena accipiendum esse res ipsa testatur. Si enim a legitimo magistratu secundum legem ad poenam mortis condemnata fuisset, Christus nunquam eam poenae eripuisset, nam in passione latroni poenitentiam agenti remittit culpam, interim magistratus poenae eum non subtrahit Luc. 23, v. 43. Sed quia nulli hic aderant, qui publica auctoritate instructi mulierem condemnarent, ideo etiam Christus eam condemnare noluit, unde in hoc ipso loco diserte addidit, v. 10. οὐδείς σε κατέκρινεν, quasi diceret, cum politicus magistratus poenae te subtraxerit, nec ego ad eam te retraham. Sic minister ecclesiae non interpellet magistratum, si maleficos trahat ad supplicium, sed si maleficus evadat manus magistratus ac poenitentia ductus in sinum ministri peccata sua per confessionem deponat, is a ministro ecclesiae non retrahendus est ad supplicium. 6. Ex quibus facile apparet, quid ad Schmaltzii objecta respondendum, qui discursus sui infirmitatem animadvertens subjicit: *Quod si concedam, Christum tunc non curasse, ut lex illa aboleretur, sed permissurum fuisse, ut lapidaretur secundum legem Moysis, num hinc concludi jure potest, eum legem istam approbasse et postea*

non abrogasse? nihil minus, nondum enim tunc tempus erat abrogandi istas leges. Ferenda fuerant multa et multa facta sunt Domino Jesu in terris degente, quae nunc nullo modo fieri possunt salva conscientia. Quantum tamen ejus fieri potuit, procuravit Dominus Jesus, ne ista fierent, id quod sabbathi exemplo declarat. Respondemus: Christus jamtum proposuerat legem caritatis de dilectione inimicorum Matth. 5, v. 44. quodsi ergo capitalium suppliciorum irrogatio pugnaret cum illa lege,
76. Christus utique jamtum abrogasset capitalia supplicia. Exemplum *de abrogatione sabbathi* est plane dissimile. Quamvis enim Christus in diebus carnis suae ipso facto nondum abrogaverit sabbathum, tamen in N. T. ceremonialem legis determinationem sublatam esse subinde et verbis et exemplis docuit; nondum vero probatum dedit Schmaltzius, Christum docuisse, quod supplica capitalia in N. T. sint abroganda.

iti u. 307. *3. Nullum exstat mandatum in N. T. de suppliciis capitalibus adversus facinorosos exercendis, leges autem V. T. in quibus tale quid praecipitur, sunt forenses ac in N. T. abrogatae.* Ostorodus in instit. c. 28. p. 187. Schmaltzius cont. disp. 6. poster. Frantz. p. 390. Respondemus: ostendimus superius, legem illam divinam Genes. 9, v. 6. esse in N. T. repetitam ac usum gladii magistratui confirmatam, Rom. 13, v. 4. Nec est, quod excipiant, *meliorem sontes puniendi rationem inveniri quam gladio, videlicet mulcta pecuniaria, carcere, fustigationibus, durissimis laboribus, exilio, publica ignominia etc. modo poena illa non noceat vitae vel hominem ad labores ineptum reddat.* Ostorodus d. l. p. 185. Schmaltzius d. l. p. 389. Quemadmodum enim jurisconsulti dicunt de legibus humanis, *scripta lege nemo debet esse sapientior lege*, ita multo justius de lege divina hoc dici potest. Deus ipse, qui est summa sapientia, non concessit magistratui usum gladii, si in hac naturae corruptione non fuisset necessarium ipsi visum, quosdam delinquentes capitali supplicio afficere et tranquillitatem publicam hac ratione asserere. Concedunt adversarii, magistratui in V. T. fuisse non solum concessum, sed etiam mandatum gladii adversus facinorosos usum, atqui si melior puniendi ratio esset coërcere facinorosos mulcta. carcere, laboribus etc. Deus non praescripsisset modum puniendi optimum. Concedunt iidem, *legitimam defensionem modo vindictae cupiditas absit, a magistratu contra adversarium implorari posse.* Atqui si magistratui usus gladii est ademtus, non poterit officio suo satisfacere et legitimam ac sufficientem defensionem parti innocenti praestare, saepe enim adversarius est effrenate ac desperate improbus, qui nec carcere, nec exilio, nec fustigatione sese emendari patitur. Urgemus igitur dictum apostolicum: *Magistratus non gerit gladium frustra.* Nequaquam dicimus, quod omnes delinquentes gladio puniendi sunt, cum sint certa delictorum et poenarum genera, sed hoc duntaxat urgemus, quod pro ratione circumstantiarum magistratus poenas usque ad capitis supplicium extendere possit ob usum gladii divinitus sibi concessum.

308. Ex illis, quae de capitalibus suppliciis dicta sunt, colligimus haec πορίσματα: *1. illos, per quos magistratus supplicia irrogat, nec infamia juris laborare, nec e coetu Christianorum excludendos esse.* Quodsi enim magistratus Dei minister est et Deo ministerium exhibet vindictam adversus facinorosos exercens, utique etiam illi, quorum opera magistratus hac in re utitur, nec infames, nec impii hoc nomine sunt censendi. Si honestum est, principem in facinorosos capitalem sententiam ferre, cur non erit justum ac honestum eandem sententiam exsequi? Deus ipse in poenis inferendis non tantum malis, sed etiam bonis spiritibus utitur. In V. T. quandoque ipsi magistratus, quandoque illorum ministri honoratiores, quandoque populus suppliciorum capitalium executor erat. Deut. 17, v. 7: *Manus testium erit adversus eum in principio ad interimendum eum et manus universi populi in novissimo.* Jos. 7, v. 25. Achanum sacrilegum *lapidibus obruit omnis Israël.* Jud. 8, v. 20. *Gideon* interficit Zebach et Zalmunah, cum filius ipsius primogenitus Jether hoc facere recusasset. 1. Sam. 15, v. 33. *Samuel* judicis officio adhuc fungens Agagem Amalekitarum regem in frusta coram Domino dissecat. 1. Sam. 22, v. 17: *Dixit Saul rex cursoribus, qui stabant juxta eum, interficite sacerdotes Domini.* XIV. 177. 1. Reg. 2, v. 34. *Joabus* cum altaris cornua apprehendisset, *a Banaja summo exercitus duce* est occisus. Progressu tamen temporis certis quibusdam personis hoc officium exsecutionis fuit demandatum, quae propter levitatem et immanitatem, cumprimis ob invidiam suppliciorum vulgo contemtui esse coeperunt, unde Aristoteles lib. 6. pol. c. ult. dicit, *probos viros hoc genus functionis aversari*; sed ecclesiae minister eas a sacrorum usu hoc nomine haudquaquam excludat. *2. Magistratus non posse nec debere quibusvis facinorosis supplicia capitalia penitus remittere*, id enim pugnaret cum magistratus officio, cum regula justitiae, cum incolumitate reipublicae et cum manifesta ratione. Magistratus divina auctoritate gladium gerunt ac vindictam exercendo Dei sunt ministri, ideo etiam de alieno non sint nimis liberales, nec nimia vel conniventia, vel lenitate scelerum incremento ansam praebeant. Deut. 19, v. 19: *Aufers malum de medio tui, non parcet oculus tuus.* 1. Reg. 20, v. 42: *Quia dimisisti virum, quem ego occidere jusseram, erit anima tua loco animae illius.* Lactantius lib. de ira: *Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienae, Deus autem potest, quia suae dispensator atque judex.* Magistratus est minister et exsecutor divinae legis, ergo non *debet esse lege ac jure clementior.* Nov. 82. de judicib. § oportet 10. quem textum in hanc rem admirabilem dicit Prosper Farinacius in praxi criminali lib. 1. tit. 3. de delict. q. 17. **Bellarminus lib. de laicis c. 14. §. Respondeo, videtur Erasmus etc. asserit, *pro vita captivorum sceleratorum et crimen*

Porismata 1. Carnifices et lictores ab usu sacrorum non esse arcendos.

2. Magistratus non posse capitalia supplicia semper et ubique remittere.

capitale fassorum intercedere justum esse, quod ipsum ante eum Augustinus epist. 58. statuit. Sed negativa potius probanda. Augustinus d. l. statuit, *licere magistratui reos impune dimittere ad aliorum intercessionem*. Macedonius illud negavit epist. 57. Bucanus in instit. loc. 49. q. 42. distinctione utitur.** *Ludovicus* cognomento sanctus Galliae rex, cum aliquando ex psalmis Davidicis preces ad Deum conciperet et aliquis pro quodam capitalis criminis reo gratiam petens intervenisset, rex quasi aliud agens annuit, sed cum in lectione statim pergens incideret in v. 3. Psalm. 106: *Beati qui faciunt justitiam omni tempore*, protinus revocari eum jussit, cui gratiam concesserat, eamque irritam fecit memorabili sententia edita, *principem, qui punire potest crimen nec punit, non minus coram Deo reum esse, quam si id ipse perpetrasset.* Antimachiavellus lib. 3. theorem. 7. Camerarius part. 1. succis. medit. c. 100. p. 467. Cum alii Galliae regi conquerenti, quod jam tertio a malefico commissum sit homicidium, morio assisteret, respondit regi: Primum duntaxat homicidium ipse perpetravit, tu vero secundum et tertium. Nam si primi veniam non dedisses, unicum illud commisisset, Auctor librorum de rebus gestis Ludov. XI. et Caroli Burgund. ducis lib. 2.

In quibus casibus poenae mitigandae.

309. Interim non negamus, magistratum facinorosorum misericordia tangi et pro circumstantiarum ratione poenas quandoque mitigare posse ac debere. 1. Distinguendum enim *inter scelera*, quorum quaedam sunt *per se ac sua natura capitalia*, utpote quae directe in ipsum Deum committuntur, ut magia,
XIV. 178. blasphemia; vel quae contra humanam naturam directe pugnant, ut sodomia, bestialitas; vel quae civilem societatem penitus destruunt, ut latrocinium, homicidium voluntarium etc. in hisce coërcendis ratio habenda honoris divini et humanae societatis ac civium incolumitatis; quaedam vero *ex magistratus constitutione duntaxat sunt capitalia*, in quibus poenas legibus sancitas magistratus ex justa causa mitigare potest. 2. Distinguendum *inter poenas legibus expressis definitas et inter poenas judicis arbitrio relictas.* Illas non potest magistratus, praesertim inferior, tollere, quinimo judex infamia notatur, qui minorem poenam, quam leges statuunt, delictis imponit l. servos 8. C. ad l. Jul. de vi publ. vel pari poena, quam leges crimini irrogant, punitur. l. 3. in fin. C. ne sacr. bapt. iter. sed in hisce ad clementiam pronior esse debet. 3. Respiciendae sunt *circumstantiae personarum* et *delictorum.* Quandoque enim persona vitam prius egit honestam et ex consortio pravorum uni delicto involuta est, quandoque vero ad imam usque scelerum nequitiam pervenit. Sexus, aetas, genus etc. ad ἐπιείκειαν quandoque magistratum permovere possunt. In delicto spectandum cumprimis *propositum et consilium, deinde iteratio*, deinque *objectum* contra quod commissum. 4. Distinguendum *inter liberationem a toto et a tanto.* Magistratus ex justa causa rempublicam potissimum concernente reum a tanto liberare potest, sed ex privato favore non potest eum a tota poena penitus absolvere, quia hic ordo divinitus constitutus est, ut poena sit comes injustitiae. Tenenda igitur est haec regula: *Quando lex admittit ἐπιείκειαν et reus emendari sine duriori poena potest, nec periculum aut damnum patitur humana societas, nec cives redduntur exemplo deteriores, tunc magistratus clementiori sententia adversus reum uti potest.*

310. In *poenarum* igitur, praesertim *capitalium* irrogatione sequentes canones observandi sunt. Cas de plic cap bus
1. Ad poenas capitales raro et tarde magistratui accedendum. Ut medico indecora multa funera, ita principi multa supplicia, Seneca 1. de clem. Sit apud bonum principem parsimonia etiam vilissimi sanguinis, *sit pretiosus sanguis* subditorum in oculis ejus, Psalm. 72, v. 14.

Sit piger ad poenam princeps, ad praemia velox. Quemadmodum medici omnia prius tentant, antequam ad ustiones et sectiones descendant, *quos enim morbos non curat diaeta, illos pharmacum, et quos pharmacum non curat, illos demum sanat ferrum;* sic princeps cogitet, satius esse *vitiosas reipublicae partes sanare quam exsecare*, Cicero libr. 2. ad Attic. epist. 1. Decet principem, quamdiu potest verbis primum mollibus curare civium ingenia; transeat deinde ad tristiorem orationem, qua moneat adhuc et exprobret delicta; novissime ad poenas, et has adhuc leves et revocabiles decurrat, ultima vero supplicia sceleribus ultimis ponat, *ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit.* In dubio satius esse statuat *nocentem dimittere quam innocentem condemnare.* l. ea quae ff. de reg. jur. et l. absentem ff. de poenis. Cui consonum illud Antiphonis apud Stobaeum serm. 44: *Si peccatum est in judicando, praestat sontes injuste absolvere quam praeter fas quenquam perdere*, illud enim ἁμάρτημα, hoc ἀσέβεια. *2. Ex meris praesumtionibus nemo ad poenas capitales damnandus.* l. Qui sententiam. C. de poen. et l. ult. C. de probat. *In criminalibus causis non est perveniendum ad poenalem sententiam, nisi reus fuerit maleficium confessus vel clarissimis probationibus convictus.* Conjunge l. Absentem ff. de poen. ubi expresse statuitur, *neminem ex solis suspicionibus de crimine esse damnandum.* Juris interpretes recte statuunt, *in criminalibus probationes luce meridiana clariores esse oportere.* Consequens hujus regulae est, quod *propria confessio rei non sufficiat ad poenam infligendam, nisi de veritate delicti constet*, multi enim taedio vitae ad poenas se offerunt, licet nihil admiserint morte dignum, et homines conscientiae stimulis impulsi quandoque rigidiores sunt in se ipsos quam leges. Genes. 44, v. 16. Josephi fratres et inter eos etiam Benjamin, licet innocentiae suae probe sibi conscii essent, nihilo tamen minus furti se reos fatentur. Proinde ad probandum aliquod scelus non sufficit propria rei confessio vel metu, vel tormentorum cruciatu extorta, sed necessaria sunt alia evidentiora indicia, ut ex hoc loco colligit Gesnerus disp. 34. in Genes. 2. Sam. 1, v. 10. Amalekita se Saulem interfecisse mentitur,

cum nihil tale ab ipso fuisset factum. Sit ergo magistratui perpetuo in conspectu posita divina sanctio Deut. 17, v. 4: *Si scelus aliquod renuntiatum tibi fuerit atque audieris, inquirito diligenter, ac si vera ac certa fuerit res illa, si commissa fuerit abominatio ista in Israële, tunc produces virum illum aut mulierem illam.* c. 19, v. 18: *Cum diligentissime perscrutantes judices invenerint, falsum testimonium contra fratrem dixisse, reddent ei, sicut fratri facere cogitavit. 3. Sententiae et executiones earum in capitalibus judiciis non sunt praecipitandae.* Profluit hoc ex priore, si enim omnia diligenter prius exquirenda, ideo ad veritatis investigationem satis temporis ac diligentiae adhi-
XIV. 180. bendum. Theodosius cum per iram omnes Thessalonicenses damnasset, monitu Ambrosii legem tulit, *ut supplicia capitalia post imperatoris rescriptum per triginta dies suspenderentur,* quae habetur l. 20. C. de poenis. c. Apud Thessalonicam 11. q. 3. Nicephorus lib. 12. hist. eccles. c. 41. Festinatio et ira sunt duae capitalium judiciorum pestes. *Leges ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur,* Cicero lib. 1. offic. Eodem ergo modo judex agat, quippe qui est lex animata. Nec alia de causa quam irae sedandae gratia secures apud Romanos fascibus erant alligatae, Plutarchus in quaest. Rom. q. 82. Cogitet ergo judex illud Senecae lib. 2. de ira c. 23: *Potest poena dilata exigi, non potest exacta revocari.* Anaxandridas Leonis filius interrogatus, cur cum de vita agitur in judicio, causa a senioribus per complures dies disceptetur et qui absolvitur, nihilominus reus maneat, respondit: *Plures dies judicio impendi, quod si in re capitali titubent, non sit ad poenitentiam regressus, interim reum teneri legibus, quod hac lege liceat rectius aliquid de eo discernere,* Plutarchus in Lacon. *4. In ipsa poenarum irrogatione commiseratio principis elucescat, ne reorum poenis delectari videatur.* Bias Prienaeus damnaturus aliquem ad mortem lacrymasse fertur ob hominis miseriam. Quodam vero dicente, quid est, quod defleas, cum in tuo sit arbitrio condemnare aut liberare hominem? respondit, *necessarium quidem esse naturae condolere, a lege autem et justitiae regula discedere magis periculosum,* Stobaeus serm. 44. Vespasianus apud Suetonium laudatur, quod *nullius unquam caede laetatus justis etiam suppliciis illacrymarit et ingemuerit.* Antoninus dicere solebat, *inhumanum esse humanis casibus et calamitatibus non ingemiscere.* Magistratus ergo non irroget poenas graviores quam quae legibus sunt definitae, ne tam ex proprio arbitrio, quam legum imperio supplicia inferre censeatur; nec spectet supplicia, ne ex illis voluptatem aliquam capere videatur. *Ferina rabies est, sanguine et vulneribus gaudere,* inquit Seneca lib. 1. de clement. c. 24. *Qui hominem quamvis ob merita in conspectu suo jugulari pro voluptate computat, aeque suam polluit conscientiam, quam si homicidii, quod fit occulte, spectator et particeps fiat,* Lactantius lib. 6. de vero cultu c. 20. unde in synopsi hist. Caroli IX. Galliae regis non immerito ipse reprehenditur, *quod in natali filiae suae, quam ex Isabella Austriaca Maximiliani II. caesaris filia tulit, tam avidus fuerit spectandorum suppliciorum, ut sub occasum solis faces accendi jusserit circa furcam, ut morientium ora certius cognosceret.* Detestanda est Caligulae crudelitas, qui non tantum cupidissime spectabat supplicia, sed etiam reos minutis lacerari jubebat ictibus, subinde carnificem interpellans: *Cura, ut se mori sentiat,* Suetonius in Calig. *At miserum senectuti instrumentum recordatio crudelitatis,* inquit Ammianus Marcellin. lib. 29. *5. In cadavera maleficorum supplicio affectorum non est saeviendum.* Ferinae hoc est rabiei et crudelitatis, ne ipsa quidem morte satiari posse, sed in mortuorum cadavera injurium esse. Quamvis ergo corpora damnatorum post mortis sententiam executioni datam nemini liceat absque consensu magistratus e cruce vel patibulo tollere et sepulturae tradere, ne ipso facto sententia judicis adversus eos prolata injustitiae accusari videatur, ut colligunt juris interpretes ex l. Capitalium et l. Corporum ff. de cadaveribus damnatorum; tamen dicta l. Corpora et l. Graeca 9. C. de haeretic. exstat plena humanitatis constitutio, *quod non solum cognatis, sed etiam quibuslibet petentibus corpora damnatorum ad sepulturam danda sint,* unde Cicero Verri probri loco objicit, *quod sepulturam punitorum denegare aut divendere fuit solitus.* Quod ergo corpora suspensorum in patibulo vel rota fractorum insepulta relinquuntur, illud probabilem quidem habet rationem, ut scilicet alii ab iisdem facinoribus conspectu deterreantur, dicta l. Capitalium; interim cum generale et antiquissimum exstet Dei decretum, Genes. 3, v. 19: *Terra es, et in terram reverteris,* specialis
item sanctio Deut. 21, v. 23: *Non permanebit ca-* XIV. 181.
daver in ligno, sed in eadem die sepelietur, cumque ossa filiorum Saulis cruci affixorum David colligere et sepulturae tradere jubeatur 2. Sam. 21, v. 13. ideo ex l. Graeca 9. C. de haeretic.: *Quamlibet nocentibus non denegari jus sepulturae, humanum et sanctum esse dicimus.*

De modo suppliciorum. Qu. 1: An probanda sortitio de poenis.

311. Ceterum de modo irrogandorum suppliciorum quaeritur, *1. an probanda sit sortitio de poenis?* Cicero pro Cluentio dicit: *Statuerunt ita majores nostri, ut si a multis flagitium esset rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus ad omnes, poena ad paucos perveniat.* Videri alicui poterat hoc esse injustum, cum in poenis irrogandis justitia spectari debeat, ea vero non admittat, ut iisdem de causis alii plectantur, alii evadant impunes, sed poenas jubeat esse aequales; sed distinguendum *inter delicta paucorum* et *totius alicujus communitatis.* In delictis paucorum nullus debet sortitioni dari locus, sed in delicto totius communitatis ac multitudinis, quando omnes puniri cum extremo reipublicae vel exercitus detrimento conjunctum esset, aliquibus duntaxat in terrorem reliquorum poena irroganda et res sorti committenda. Simili fere ratione Augustinus in

epist. ad Honoratum consulit, *ut in gravi persecutione non fugiant omnes ministri, nec omnes se objiciant periculo, sed retineantur, qui ad praesentem usum sufficiant, reliquis ablegatis, ut ad meliora tempora reserventur. Delectum ergo esse adhibendum ac retinendos eos, quos plebi utiliores fore putamus. Quodsi omnes videantur aequales et omnes dicant, se velle manere ac mori, tum sortibus rem esse committendam.*

2. An arithmetica, an geometrica proportio in poenis observanda.

312. *2. An proportio arithmetica, an vero geometrica in poenis irrogandis observari debeat?* Arithmeticam proportionem suadent haec argumenta: *1. divina sanctio.* Absolute enim et simpliciter absque ulla determinatione et distinctione personarum dicitur Genes. 9, v. 6: *Quicunque effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis fundetur per hominem.* Lex talionis in politia Israëlitica erga omnes erat aequalis. *Animam pro anima, oculum pro oculo* etc. Exod. 21, v. 24. Lev. 24, v. 19. Deut. 19, v. 21. 2. *προσωποληψίας prohibitio.* Levit. 19, v. 15: *Non suscipies vel elevabis faciem pauperis nec decorabis faciem magni.* Deut. 1, v. 17: *Non agnoscetis faciem sive personam in judicio, sicut parvum, sic magnum audietis.* At nisi arithmetica proportio in poenis observatur, *προσωποληψία* committi videtur. *3. Judicis conditio.* Judici ratione officii incumbit, uni-
XIV. 182. cuique quod suum est tribuere, unde etiam vocatur *δίκαιος* quasi *δίχαιος, per medium transiens*, quod justam in omnibus observet aequalitatem. Ergo etiam in poenis irrogandis aequalitatem arithmeticam sequatur. Judex est *jus animatum.* Atqui jus in poenarum comminatione arithmeticam aequalitatem sequitur. Ergo eandem sequatur judex in exsecutione. *4. Evidens ratio.* Si ad statum et conditionem personarum remota aequalitate arithmetica in poenis irrogandis respiciendum, majori poena honorati, primarii ac nobiles erunt afficiendi, quod absurdum. Non enim facto solum nocent, sed etiam exemplo. *Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur. Absit, ut existimes*, scribit Jacobus rex Britaniae lib. 1. *δωρ. βασιλ.* ad filium, *gradus eminentiam imminuere delicti atrocitatem, sed contra potius eo majorem in modum augetur peccati gravitas, quo celsior habetur personae dignitas.* Tolosanus libr. 4. de republ. cap. 2. num 9. inquit: *Quibus non est virtutis praestantia, generis claritas potius dedecori et ignobilitati est quam laudi et gloriae, neque amplius ea claritas prodesse potest, quam ut non possint latere, si velint et sint fabula vulgi, dum degenerant. 5. Incommodi consecutio.* Si ad statum personarum in poenis irrogandis respectus habetur, mala plurima consequuntur, honoratiores enim ac nobiliores lenitate illa ad flagitia invitantur, sicut in Polonia caedes multiplicatae, propterea quod nobilis rusticum occidens mulcta quinque florenorum delictum expiare poterat. Reliqui vero de inaequalitate jure conqueruntur, unde cives perpetuis simultatibus atque odiis distrahuntur. Hisce ac similibus rationibus permotus rex *Saul* proprium suum filium Jonathanem ob transgressionem legis capitali supplicio adjudicavit 1. Sam. 14, v. 44. ac *David* filium suum Absolonem propter fratricidium persecutus est 2. Sam 13, v. 39. Contra vero geometricam sive harmonicam proportionem observandam esse qui putant, haec fundamenta proferunt: *1. a divino mandato.* Deus ipse respectu ad personas delicti reas habito poenas mitigat. Exod. 21, v. 20: *Qui percusserit servum vel ancillam baculo et mortui fuerint in manibus ejus, vendicando vendicabitur;* v. 21. *sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit poenae, quia pecunia illius est. 2. Ab absurdo.* Si arithmetica aequalitas in poenis stricte esset observanda, leges omnes everterentur, quia infinita locorum, temporum, personarum et circumstantiarum varietas causarum dissimilitudinem introducit. *3. Ab exemplis.* Saul filium suum ad intercessionem populi a poena absolvit, 1. Sam. 14, v. 45. David Joabum, qui Abnerem interfecerat, non statim trahit ad poenam, quia fuit gratiosus et potens apud omnem populum, nec poterat de ipso supplicium sumi absque magna reipublicae commotione. Apud *Persas* vita rei examinatur, an plura praestiterit praemiis quam poenis digna, antequam supplicium irrogatur. *Laudo morem illum Persarum*, inquit Herodotus libr. 1. p. 28. *ne ob unam tantum causam liceat vel ipsi regi occidere quempiam neque alicui aliorum Persarum atrocius aliquid in familiam exercere ob unum solum delictum, sed expendere jubetur unusquisque, si repererit plura et majora delicta quam merita esse; tum demum justa utatur indignatione.* Themistocles alicui admonenti: *Bene principatum geres Athenis, si cunctis aequalis et communis esse voles*, respondisse fertur: *Nunquam sellae insederim, unde nihilo plus a me ferrent amici quam alieni.* Videmus etiam a medicis, quanquam in adversa valetudine nihil a servis liberi differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari. Plinius lib. 8. epist. 6: *Sic nobiles quamvis cum inferioris conditionis hominibus in eodem delicto, eadem poena digni essent, tamen mitius tractari possunt ac debent,* Lipsius lib. 4. polit. c. 4. Plura partis hujus fundamenta tradit Bodinus lib. 6. de republ. c. 6. Pro decisione quaestionis triplex distinctio observanda. 1. Distinguendum *inter conditionem facti et personae, intrinsecam et extrinsecam.* Arithmetica proportio in poenis observari potest, si adsit
qualitas duntaxat extrinseca facti naturam non attin- XIV. 183.
gens, ut divitiae, paupertas, generis obscuritas vel nobilitas; geometrica vero, si adsit conditio intrinseca factum vel aggravans, vel elevans, ut voluntas, animi propositum, casus. 2. Distinguendum *inter ἀκριβοδίκαιον et ἐπιείκειαν, inter jus strictum et aequum.* Quoad jus strictum, nulla personarum distinctio adhibenda, sed aequitas earum rationem haberi permittit. 3. Distinguendum *inter poenam scelerum jure divino definitam et arbitrio magistratus relictam.* Quoad illam servanda est aequalitas arithmetica, quoad hanc geometrica.

De objectis suppliciorum.

313. De *objectis* capitalium suppliciorum quaeritur. *1. An adulteri capitali supplicio afficiendi?* Poena adulterii quibusdam in locis est mulcta pe-

1. An lteri itali- pu- ndi? cuniaria, relegatio ad annum unum vel alterum, vel etiam adhuc mitior. Apud *Gortynam* deprehensus adulter ad magistratus producebatur; si fuisset convictus, *lana coronabatur*, qua re illi mollior opprobrabatur natura effeminatiorque, Caelius Rhodiginus lib. 11. lection. c. 78. *Romani* adulteras feminas, quamvis aliqua damnatione, *nulla* tamen *morte* plectebant. Augustinus lib. 3. de civ. Dei c. 5. in quem locum annotat Lud. Vives, *ante Caesarem Augustum nihil legibus in adulteros fuisse cautum.* Sempronius Musa C. Gallium deprensum in adulterio *flagellis cecidit*; Menius Octavium similiter deprehensum *nervis contudit*; Carbo Attienus a Bibieno, item Pontinus a Cernio deprehensi *castrati sunt;* Valerius Max. lib. 6. memor. c. 1. Zaleucus Locrensium legislator moechis *oculos effodi* jussit, Aelianus lib. 13. hist. Caelius d. l. Apud *Turcas* adulterii convictus *centum ictibus* flagellatur; apud *Aegyptios* in adulterio deprehensus caedebatur ad *mille plagas*, mulier adultera *naso mutilabatur*, Diodorus Sicul. lib. 2. biblioth. c. 2. **Bellarminus de matrim. c. 16: *Lex evangelica non jubet adulteros occidere, imo Joh. 8. Dominus adulteram liberavit a morte. Nec ignorabat Christus, in ecclesia sua varias fuisse futuras leges principum, quibus interdum occiderentur, interdum non occiderentur adulteri.* Scotus 4. dist. 15. q. 3. Vasquez libr. 1. controv. illust. c. 8. n. 49: *Praecepto generali de non occidendo nemo detrahere potest, nisi qui praeceptum edidit. At hic vetuit adulteras capite plecti.*** In Gallia et Italia adulteri *pecuniaria poena* plectuntur. Clarus lib. 5. sentent. in §. adulterium n. 7. quinimo in Gallia ex consuetudine adulteri non puniuntur et vel de ipso crimine gloriantur, illi vero, quorum uxores adulterae sunt, accusationem proponere non audent, ne in perpetuam infamiam incurrant, ut testatur d. l. Clarus ex Fabr. in l. 2. C. quae sit long. consuet. ** Alciatus in l. Probum 42. de V. S. non immerito queritur, *quod hodie in civitatibus male institutis major ratio pecuniae quam morum habeatur, furesque laqueo strangulentur, adulteri pecunia mulctentur, cum adulterium tanquam probrum naturale, ut in d. l. tradit Ulpianus, gravius vendicari debeat furto, quod necessitas quandoque et omnium rerum ex jure primaevo communio excusatum reddit.* Vide Arnisaeum de jure connub. c. 5. sect. 8. p. 234.** Sed lex Carolina, die Peinliche Halsgerichtsordnung, art. 120. jus Saxonicum, const. elect. August. part. 4. c. 19. jus provinciale Palatinatus et Hassiae ultimo supplicio adulteros afficiendos statuunt, quae constitutio 1. congruit *legi divinae* Levit. 20, v. 10. Deut. 22, v. 22: *Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et moechus et adultera.* Deut. 22, v. 23: *Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate et concubuerit cum ea;* v. 24. *educes utrumque extra portam civitatis illius, et moriantur.* Conjunge Ezech. 16, v. 38. **Quamvis vero lex forensis Judaeorum exspiraverit cum republica, sicut ceremonialis cum templo, tamen quando ratio generalis assignatur, ut Lev. 20. Deut. 22. vigente ratione vigere legem ipsam necesse est. Vult autem adulterium morte plectendum esse, quia fidem fregit.** 2. *Moribus omnium fere gentium.* Ante legem Mosaicam poena adulterii fuit *ignis*, ut colligitur ex XIV. 184.
Gen. 38, v. 24. Abimelechus cum cognosceret, Rebeccam esse Isaaci uxorem, capitis poenam minatus est ei, qui eam attigisset, Genes. 26, v. 11. *Julius Caesar* liberum sibi gratissimum ob adulteratam equitis Romani uxorem, quamvis nullo accusante, *capitali supplicio* affecit; Augustus in Proculum libertum carissimum ob idem facinus eandem poenam statuit, Suetonius in vita utriusque. Julius Capitolinus memorat, *Macrinum* imperatorem adulterii reos vivos simul incendisse corporibus invicem junctis; Aurelianus imperator, referente Vopisco, militem, qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, hac ratione punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligatas subito dimitti jussit, ut discissus ille utrinque penderet. *Constantinus Magnus* legem tulit, violatores conjugii gladio puniendos esse. Tempore Hieronymi, qui Constantino imperante natus est, adulterium morte puniri solitum, constat ex ipsius epist. ad Innocentium 49. de muliere septies icta. ** Ulpianus l. quod ait lex de adult. refert Draconis et Solonis legem, *quod liceat adulterum ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντα*, ut restituit Budaeus, seu, ut Holoander et Alciatus, *ἐν ἔργῳ deprehensum occidere.* Pausanias in Boeot. *apud Athenienses adulterium* scribit *fuisse capitale.* Polybius lib. 2. absque dubio ex Graecorum lege loquitur inquiens: *Si moechus interficiatur, esto impune.*** *Parthos* nulla delicta quam adulterium gravius vendicasse auctor est Justinus l. 41. *Hippomenes Athenarum* princeps, cum filiam in adulterio deprehendisset, eam cum equo junxit, qui clausus cum alimentis careret, dentes in puellam ingessit, adulterum vero per regionem Atticam fuisse ab equis tractum ac discerptum, testatur Suidas. *Arabes* capitalem poenam in adulteros statuere soliti fuerunt, Eusebius libr. 6. praepar. evang. c. 6. Strabo l. 16. *Germani veteres* teste Corn. Tacito fuere acerbissimi hujus criminis vindices. Apud *Athenienses* adulterum ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehensum licebat impune occidere, ut testatur oratio Lysiae de Eratosthenis adulteri nece. *Gothis* adulterium fuit capitale, Procopius libro 1. de bell. Gothic. Legibus duodecim tabularum moechus interficiebatur. In *Tenedo* insula lege erat statutum, ut adulteri mas et femina capite plecterentur, Alexander ab Alexandr. libr. 4. genial. dier. c. 1. **vel, ceu Heraclides in polit. refert, ut corpora eorum securi dividerentur.** 3. *Delicti hujus gravitati.* Prov. 6, v. 30: *Non est grandis culpa, cum quis furatus fuerit, ut esurientem impleat animam;* v. 32. *qui adulterio contaminat uxorem, fatuus est et in perditionem adducit vitam suam.* c. Quid in omnibus etc. 32. q. 7. ex Clemente: *Quid in omnibus peccatis adulterio gravius? Per illud non solum fama laeditur, quae ipsa vita*

unicuique carior, sed etiam aliena proles substituitur, fons humani generis inquinatur, honestas publica violatur. Delictum hoc magis turbat humanam societatem quam ipsum furtum, quis enim nolit aliquid potius amittere rerum vel facultatum, quam violari uxorem? **Inde recte Hieronymus in Amos, *furto tanto gravius adulterium* censet, *quanto impensius quisque uxores quam res ceteras amat et aequiori animo fert rerum suarum jacturam quam stuprum uxoris*. Euphronis et Dionis sententiam refert Stobaeus, *quod nullum majus malum videatur adulterio.* c. Quid in omnibus etc. 32. quaest. 7: *Quid in omnibus peccatis adulterio gravius est?*** Adde quod variis et fere inextricabilibus quaestionibus de reconciliatione, de aditu ad secunda vota, de separatione quoad vinculum involvimur, si adulteris capitale supplicium remittitur. Atque haec omnia recte probant, magistratum posse leges de poenis capitalibus in adulteros ferre, interim tamen provinciales cujusque loci constitutiones cumprimis respiciendae, quando ipso actu poena adulteris irroganda. Vide disput. de exasp. poena adult. Coburg. habit.

XIV. 185. 2. An haeretici capitali supplicio afficiendi? Pontificii asserunt 1. verbis.

314. *2. An haeretici capitali supplicio afficiendi?* Ita statuunt Pontificii et quidam ex Calvinianis; Pontificii tum scriptis, tum viva praxi sanguinariam suam opinionem explicant. Thomas 2. 2. quaestio. 10. articul. 8. sex argumentis probare conatur, *haereticos ultimo supplicio afficiendos* esse. Idem compluribus rationibus evincere conatur Gregorius de Valent. tomo 3. disput. 1. quaestio. 11. punct. 3. Bellarminus libro 3. de laicis c. 21: *Nos ostendemus* (inquit), *haereticos incorrigibiles ac praesertim relapsos posse ac debere ab ecclesia rejici et a secularibus potestatibus temporalibus poenis atque ipsa etiam morte mulctari.* Costerus in apolog. adv. Gomarum demonstrare nititur, *non ex injusta tyrannide, sed ex justa severitate haereticos a Pontificiis mortis supplicio condemnari.* Idem in praef. enchirid. de morib. haereticorum f. 17. haec supplicia sic interpretatur, quod *ex pia quadam misericordia et desiderio conversionis procedant.* Petrus Gregorius l. 12. de republ. c. 4. sectio 10: *Si haeretici contemtis ecclesiasticis censuris noluerint ad ecclesiae gremium redire, cum gladio spirituali temporalis est jungendus* juxta c. quando vult Deus et seqq. usque ad finem 23. q. 4. *sic Elias et Jehu occiderunt pseudoprophetas.* Lipsius l. 4. polit. c. 2: *Serio serio hoc imbibe, nihil esse in rebus humanis religione praestantius, eamque summa vi debere defendi. Puni igitur, si quis turbat, clementiae hic non est locus, ure, seca, ut membrum potius aliquod quam totum corpus intereat.* Idem in l. de una relig. adv. dialogist. repetit. Majerhoferus in speculo praedicantium p. 54. daß man die Ketzer am Leben ſtrafen ſoll, ſind die Katholiſchen dermaßen vereiniget, daß ſie es für einen Glaubens-artikel halten. Windeck. in prognost. f. 117. 232. 249. *haereticos ustionibus, sectionibus, bellorum vi et impetu sine mora opprimendos et excindendos esse* suadet, adducit etiam exempla Hispanicae crudelitatis, quae maximopere commendat et magistratum Christianum ad eorum imitationem exstimulat. Anton. Possevinus in cautel. contra theorema 3. Domini de la Nove: *Cum haeresis multo pestilentior cunctis flagitiis et vitiis sit, hanc nisi evangelii ab ipsis apostolis usque ad haec tempora interpretatio ac vetera patrum decreta et omnium imperatorum ac regum, qui Catholici fuerunt, compescere possint, quidni armis perniciosissimis hostis dometur? Occidi falsos prophetas mandat Deus, quod re ipsa praestitere Elias, Jehu, Josias et alii.* Ambrosius Pelargus monachus Dominicanus 7. Febr. ann. 1552. Tridenti pro concione dixit, *tollendam esse zizaniam quocunque modo*, et post se ipsum explicans coram cardinali Tridentino asseveravit, *haereticos tollendos igne et quacunque demum ratione.* Sleidanus lib. 23. De Johanne Baptista Burgos nuncupato Valentia Hispa- XIV. niae oriundo scribit Innocentius Gentil. lib. 4. exam. concil. Trid. eum domin. 3. adventus anno 1562. Tridenti concionem habuisse, in qua inter cetera dixerit: *Diligenter indagemus, quo tempore novae opiniones enascantur, tanquam periti navis S. Petri gubernatores, qui tempestati occurrunt, cum eam ingruere animadvertunt, ut a rege Philippo Valdoleti et Hispalae factum est, in quibus oppidis gladio et igne seductores exstinguendos curavit, illorum bonis in fiscum redactis.* Hasenmullerus in hist. ord. Jesuit. capit. 1. scribit, *Jacobum Crusium rectorem Landsbergensem ann. 1584. in regularum Jesuiticarum explicatione his verbis usum: Militem oportuit esse societatis nostrae patrem, quemadmodum enim militi incumbit, ut omnibus viribus in hostem tendat nec quiescat, quin victoria potitus sit; sic nos decet omnes illos, qui papam superiorem non recognoscunt, consiliis, scriptis, sermonibus oppugnare et auxilio brachii secularis, hoc est igne et gladio, prorsus e medio tollere, ut pontifices et nostrum votum requirunt.* Ibidem tradit, *Ignatium et ejus posteros ab igne dici et denominari, quod ordo ille innocentes ad ignem condemnet, dum Jesuitae tanquam incendiarii ardentes faces a papis acceptas ubique circumferunt et ecclesiam incendunt, ut eo penitus tandem deflagret.* Cum quo congruit illud, quod anno 1607. nobilissimus vir C. V. D. T. Praga ad amicum scripsit: *Ignea ista ingenia non desistent, donec omnia Ignatianis flammis subjiciantur imperiique Germanici jamdudum ignaviae putredine quasi confecta fulcra in cinerem redigantur, quo phoenix Hispanicus inde tandem emergere possit.* **Petrus Ribadeneira lib. 1. de principe c. 26. haereticos capitali supplicio afficiendos esse probare conatur ex Scripturis, patribus, imperatoribus et ex ipso Calvino et Beza.**

315. *Praxin* demonstrant inquisitio Hispanica et 2. Fa historia rerum in Gallia, Belgio, Anglia, Germania aliisque regnis et provinciis superiori seculo gestarum. Hispanicae inquisitionis fraudes, crudelitatem et immanitatem peculiaribus libris complures exposuerunt. Dominicus Bannes Salmanticensis acade-

miae in Hispania professor in comm. super Thom. 2. 2. quaest. 11. artic. 2: *Inquisitores haereticae pravitatis procedunt ex praesumtione et tenentur punire ut haereticum eum, qui ex dictis vel factis convincitur esse haereticus, etiamsi re vera non sit haereticus.* Expendatur *laniena Parisiensis* anno 1572. in Galliis instituta, in qua referente Dinotho libro 5. histor. Gall. p. 341. tribus diebus supra decem millia hominum omnis aetatis, sexus et conditionis Parisiis fuere caesa, ac tanta fuit sanguinis effusi copia, ut per multa urbis loca rivulorum instar diffflueret. Ea rabies Lutetiae sumto initio omnes regni provincias pervasit, non in urbibus solum, sed etiam in agris virus effundens, et magnae utrinque caedes factae, sed praecipue Lugduni, Aureliis, Tolosae, Rothomagi etc. adeo ut Reusnerus in isag. historica *menstruo spatio per totum Galliae regnum plures quam centies mille homines religionis causa occisos fuisse* memoret. Tamdiu in utrumque sexum saevitum est, donec publica et nobilissima flumina repleta cadaveribus et atrata sanguine conspecta sint, ita ut accolis etiam longe dissitis usus aquae ad potum aliasque res necessarias nec non et usus piscium humana carne saginatorum magna cum exsecratione crudelitatis et inauditae carnificinae aliquantisper exosus fuerit. August. Thuanus in histor. anno 1572.
r. 187. Camerarius part. 1. horarum succis. capite 83. Ferdinandus Alvarez dux Albanus confessus est, quod paucis illis annis, quibus Belgio praefuit, *octodecim millia hominum* utriusque sexus clanculum et palam furialibus carnificinis sustulisset, nec tamen isto rigore patribus inquisitionis satisfecisset. Auctor de jure belli Belg. Cardinalis Farnesius ex Italia ad bellum Schmalcaldicum in Germaniam proficiscens dixit, *se tantam daturum stragem per Alemanniam, ut in Lutheranorum cruore vel ipsius equus natare possit.* Sleidanus libro 17. commentar. Lazarus a Schwendi Viennae praesente Henrico Merckelio retulit, se a Carolo Quinto caesare Oeniponte in fuga audivisse, *quod a neutra parte gratiam inire potuerit.* Si enim *pontificem audire voluisset, electori caput amputandum ac urbes imperiales demoliendas fuisse.* Sleidanus libr. 3. comment. recitat literas papae Adriani ann. 1522. sub exitum Novemb. ad imperii ordines Norinbergae congregatos scriptas, *quia hic morbus non possit lenibus medicamentis curari, veniendum necessario ad vehementiora. Ejus rei non unum exstare testimonium et exemplum in Scripturis, et majores ipsorum in concilio Constantiensi rationem hanc secutos in Hussum et Pragensem pro ipsorum merito vendicasse, ipsos etiam hanc illorum virtutem imitari debere.* In Anglia intra biennium propter religionem ultra octingenta hominum capita interierunt variis suppliciorum generibus, Buchholzerus et Osiander in histor. ann. 1555. Quae omnia originem duxere ex illa Pontificiorum regula, quod *haeretici capitali supplicio sint afficiendi.*

dam Calvinis. 316. Quod Calvinianos attinet, de illis Zanchius tom. 2. miscellan. in cap. de magistratu sic scribit: *Omnes fere ex nostratibus hujus sunt sententiae, quod haeretici sint gladio puniendi.* Beza in libro contra Wilhelmum Holderum et Jac. Andreae anno 1581. edito p. 121: *Docemus, piis et vere Christianis magistratibus praecipue dandam operam, ut purus ac sincerus Dei cultus vigeat ejusque perturbatores, ut res postulat, auctoritate sua legitime judicatos capitali quoque poena, si necessitas et sceleris magnitudo postulent, coërceant potius quam ecclesia detrimentum capiat.* Bucanus in institut. theol. loc. 49. p. 777. quaestionem proponit: *An magistratui liceat in haereticos gladio civili animadvertere?* ad quam respondet affirmate. Idem statuunt Bullingerus conc. 18. fol. 89. Aretius in historia Valentini Gentilis, Danaeus in ethic. Christ. lib. 2. cap. 13. f. 199. Franc. Junius in defensione secunda de Trin. adversus Samosatenianos edita Heidelb. ann. 1591. p. 40. Herbornenses in notis ad expositionem catechet. p. 147. Perkinsus in cathol. reformato controv. 21. cap. 2. p. 367: *Quod quidam Pontificiorum in Anglia occiduntur, id non fit propter religionem, quamvis haec causa justa sit* Deut. 13. v. 5. *sed quia excitant turbas et seditiones* etc. ** Sleidanus lib. 25. in historia de supplicio Serveti meminit libri a Calvino scripti, *quod haeretici gladio puniendi.* Paraeus in comm. c. 13. Rom. *quod non sint tolerandae a magistratu confusiones in religione, sed gladius contra haereses stringendus.* Beza in epist. theol. 1. pag. 20. et 21: *Libertatem conscientiis permittere, sinere unumquemque, si velit, perire, mere diabolicum dogma est. Et haec illa est diabolica libertas, quae Poloniam et Transsylvaniam hodie tot pestibus implevit, quas nullae alioqui sub sole religiones tolerarent.* Casaubonus in praefat. exerc. ad ann. Baron.: *Arianum in sua perfidia obstinatissimum, qui in vinculis diu detentus revocari ad sanam mentem nulla ratione potuit, flammis ultricibus tua majestas impatiens injuriae factae Domino nostro Jesu Christo Deo ἀκτίστῳ jussit tradi.* Becanus in resp. ad aphorismos Calvinistarum aphor. 8. p. 96: *Quot Jesuitas, quot alios Catholicos propter solam fidem extremo supplicio Calvinistae affecerunt!* Kurfürſt Auguſt in ſeinem aufgezeichneten Bericht von D. Peucern ſchreibt alſo: Die Lehre, ſo bisher in Frankreich und Niederlanden außerhalb der Papiſten geweſen, die iſt allein Calviniſch, und eben ſolch Blutbad, wie in Frankreich und Niederlanden die Calviniſche Lehre hat angerichtet, iſt ihre Hoffnung auch geweſen in Sachſen anzurichten, das laß ich mir nicht anders herreden, ſie ſtellen ſich gleich ſo fromm als ſie wollen. Calviniani in suo Palingenio pag. 12. vocant illos, qui sensum literalem in verbis coenae retinent, zänkiſche und haderhafte Leute, denen man die Beine zerbrechen ſolle.** Refert Lucas Osiander in resp. ad apolog. Heidelbergensium p. 64. quendam Calvinianum eccle- XIV. 188.
siasten dixisse, *se, Romanus imperator si foret, omnes interfecturum, qui suam non amplecterentur religionem.* Ibidem memorat, conclavi Johannis Casimiri Palatini et valvis templorum fuisse adscriptum:

O Casimire potens, servos expelle Lutheri,
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca!

unde Costerus in apol. contra Gomar. part. 3. fol. 548. Calvinianis objicit, quod *frustra conquerantur de tyrannide Pontificiorum, cum ipsimet censeant, Pontificios esse occidendos, quorum non paucos religionis gratia occiderint.* Bellarminus l. 3. de Rom. pontif. cap. 7. scribit, *inquisitionem haereticorum papisticam apud Calvinianos non persecutionem, sed bellum civile potius appellari posse,*
XIV. 189. *siquidem juxta doctrinam Augustini epist. 80. ad Hesychium in persecutione Antichristi solis ecclesiae filiis futura sit tribulatio, non autem eorum persecutoribus.*

XIV. 190. 317. Antequam vero sententiae nostrae fundamenta proponamus, primo omnium recte formandus erit quaestionis status. 1. Non est hoc loco quaestio, *an magistratui liceat haereticos coërcere* et in eos animadvertere. Cum enim superius demonstratum sit, curam religionis ad Christianum magistratum certa ratione pertinere, utique etiam tanquam Dei vicarius et utriusque decalogi tabulae custos curare potest ac debet, ut sincerum divini cultus exercitium vigeat, nec per pseudoprophetas corrumpatur vel intervertatur. Absit enim, ut haereticorum patrocinium suscipere, contra vero magistratus et ministerii ecclesiastici in coërcendis haereticis officio quidquam detrahere velimus. 2. Nec quaestio proprie est *de seductis*, qui a falsis doctoribus circumventi et in errorum avia praecipitati. Illi enim cum non voluntarie et scienter, sed ex ignorantia et infirmitate errent, commiseratione potius quam poena ac graviore animadversione digni judicandi.** Ipse Rosenbusch in replica contra Osiandr. p. 128. scribit: Man ſoll nur die hinrichten, welche eigentlich Ketzer ſind, und nicht die, welche in der Ketzerei geboren und erzogen, ſich nicht ſobald reſolviren können, und doch den Sachen fleißig nachzudenken Willens ſind, von denen haben wir in unſern päpſtiſchen Rechten, daß ſie nicht für Ketzer zu halten ſind.** Sed quaestio praecipue est de seductoribus, qui errores fundamentales in ecclesia spargunt eosque pertinaciter defendunt, quos a magistratu coërcendos et puniendos, nequaquam vero ultimo supplicio afficiendos esse dicimus. 3. Nec quaestio est *de tempore V. T.* an in V. T. licuerit interficere haereticos, sed de magistratu Christiano in N. T. 4. Nec quaestio est *de seditiosis et blasphemis*, qui praeter falsae doctrinae propagationem seditiones insuper excitant, subditos adversus magistratum instigant et directas ac apertas blasphemias adversus Deum evomunt; illos enim capitali supplicio ob seditiones vel manifestas blasphemias affici posse, non admodum refragabimur; sed de simplicibus haereticis, qui a seditionibus et blasphemiis aliisve delictis capitalibus sibi temperant, contra quos gladium a magistratu ob haeresin stringendum esse negamus. **Sic Lutherus tom. 4. Jenens. f. 408. item tom. 5. in Psalm. 82. f. 74. b. *Anabaptistas non ut haereticos, sed ut blasphemos tolli posse*, ait. Et hac ratione conciliari posse videntur duo consilia contraria, quae exstant decade 4. Bidembachii, quorum unum est Brentii mitius, alterum Urbani Regii rigidius numer. 1. et 2.** Chemnicius part. 2. exam. concil. Tridentin. pag. 93: *Coactionem ad fidem, quae per externam vim et corporales poenas fit, ecclesia Christi ignorat, quae tantum habet gladium Spiritus. Politico magistratui corporalis gladius a Deo commendatus est, quo, si pius est, uti potest ac debet, sicut ad reliqua scelera, ita etiam ad publicas, externas et notorias blasphemias, praecipue si seditio accesserit, puniendas.*

318. Primam argumentorum classem petimus *ex* Argu
Scriptura, secundam *ex rationibus*, tertiam *ex* men nost
testimonio ecclesiae primitivae, quartam *ex ipsis* sent l. ex
adversariis. Quae ex Scriptura producuntur, ea ptur l. ex
vel ex V. vel N. T. sunt petita. Ex V. T. producimus vaticinia prophetica de propagatione doctrinae coelestis in Novo Testamento absque caede et
sanguine futura. Esai. 2, v. 4: *Judicabit* (Messias) XIV.
inter gentes et arguet populos multos, et convertent gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem gladium suum et non discent ultra bellum. Esai. 11, v. 6: *Habitabit lupus cum agno et pardus cum haedo accubabit,* v. 7. *vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus ducit eos* etc. v. 9. *non malefacient nec corrumpent in universo monte sanctitatis meae, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquae operientes mare.* Esa. 65, v. 25. idem repetitur. Zachar. 9, v. 10: *Succidere faciam quadrigas de Ephraim et equos de Jerusalem, et succidentur arcus bellici et loquetur pacem gentibus.* Haec vaticinia *generaliter* quidem loquuntur de pace ecclesiae et concordia civium reipublicae Christianae; interim simul *in specie* includunt modum propagandi ecclesiam, nimirum absque profusione sanguinis. Opponuntur enim haec vaticinia praxi in ecclesia V. T. divinitus constitutae et usitatae. In V. T. vi externa et corporali religio propagabatur, falsa et idololatrica dogmata spargentes interficiebantur, gentes Cananaeae idololatricae exscindebantur; sed de N. T. prophetae vaticinantur, quod absque caede et sanguine religio Christiana sit propaganda, inde cum discipuli Luc. 9, v. 54. Samaritanos igne coelitus delapso exuri vellent et ad praxin V. T. in Eliae exemplo propositam provocarent, Christus eos objurgat et discrimen V. ac N. T. ipsis proponit. *Nescitis*, inquit, *cujus spiritus sitis? Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ex eo sic concludimus. In quo V. ac N. T. sibi invicem opponuntur, in illo non potest statui utriusque conformitas. Sed in propagatione doctrinae et punitione haereticorum per sanguinis effusionem et caedes V. ac N. T. sibi invicem opponuntur. Ergo in eo non potest statui utriusque conformitas. Excipit Bellarminus lib. 3. de laicis cap. 22. 1. *dictum Esaiae* cap. 2. *tantum pertinere ad tempus adventus Messiae, in quo generalis altissima*

et diuturna pax in toto orbe sit futura. Respondemus: imo vero describitur in genere status ecclesiae sub N. T. quod religionis propagandae causa non sint bella gerenda nec sanguis fundendus. Propheta enim agit de vocatione gentium ad Christi regnum. *Erit*, inquit, *in novissimis diebus*, *firmus fiet mons domus Domini in vertice montium*, *et ibunt populi multi et dicent: Venite*, *adscendamus ad montem Domini.* Jam vero universalis illa vocatio gentium non coepit tempore nativitatis Christi, sed per praedicationem apostolicam, eademque adhuc hodie durat. Ergo non tam de tempore nativitatis Christi quàm de statu ecclesiae N. T. in genere vaticinium hoc loquitur. *2. Si verum est*, *nunquam futura in ecclesia bella*, *manifestum erit*, *apud Lutheranos non esse ecclesiam*, *qui et inter se*, *et contra Catholicos gravissima bella gesserunt.* Respondemus: distinguendum inter bella offensiva et defensiva. Religionis propagandae causa bella gerenda esse negamus, defendendae autem religionis causa a legitimo magistratu bella geri posse concedimus, interim nec solam religionis defensionem, sed etiam alias causas justi et legitimi belli statuimus, nec quorumvis bellorum temere susceptorum patrocinium nobis vendicamus. *3. Cap. 11. non dicit propheta*, *quod Catholici non occident haereticos*, *sed potius contra*, *quod haeretici non occident et non nocebunt Catholicis*, *loquitur enim propheta de leonibus et ursis et serpentibus regulis aliisque venenatis bestiis*, *quibus diabolus et haeretici ejus ministri significantur.* Respondemus: per venenatas illas bestias non possunt intelligi haeretici, quippe quorum totalis concordia cum ecclesia non est speranda 1. Cor. 11, v. 19. quod tamen de bestiis illis propheta asserit; sed describitur illis verbis natura et indoles omnium hominum, qualis est ante vocationem et conversionem ad Christi regnum respectu corruptionis per lapsum introductae, ac praedicitur, eos, qui quondam Deo displicebant et ecclesiam odio habebant, ad agnitionem Christi per evangelii praedicationem perductos pacifice victuros et a caede et sanguine sibi temperaturos. Conjun-
XIV. 192. gimus igitur v. 4. in quo gladius non corporalis, sed spiritualis ad ecclesiae in N. T. propagationem adhibendus praedicitur. *Percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium*, quod de verbo Dei accipiendum esse constat ex Eph. 6. et 2. Thess. 2, v. 8. ex quo sic concludimus: Quo gladio Antichristus in N. T. occidendus, eo etiam gladio adversus haereticos Antichristi membra ac satellites utendum. Atqui non corporali, sed spirituali gladio, virtute scilicet verbi, Antichristus in N. T. occidendus. Ergo non corporali, sed spirituali gladio contra haereticos Antichristi membra ac satellites utendum. Neque tamen jus gladii penitus magistratui adimimus, sed contra haereticos et ob religionis propagationem adversus infideles eum stringendum esse negamus.

2. Ex N. T. 319. Ex N. T. producimus *doctrinam et praxin*
1. Ex do- *1. Christi*, *2. apostolorum. In genere* monemus, Christum et apostolos nullum in N. T. dedisse man- ctrina et praxi
datum de haereticis corporali supplicio afficiendis, Christi.
quod in re tanta ecclesiae salutem vel maxime concernente non fuisset ab ipsis intermissum, si haereticos occidi voluissent. Excipit Bellarminus, *Christum quidem et apostolos non praecepisse*, *sed nec prohibuisse*, *ut comburerentur haeretici.* Hanc solutionem suam probat duplici argumento, primo, *quia Lutherus eadem usus est contra Carolstadium. Objicienti enim Carolstadio, cur vocaret sacramenta, quae Christus non praeceperat sic vocari? respondit Lutherus: Quare tu prohibes ea vocari sacramenta, quae Christus non prohibuit vocari;* deinde, *quia Christus et apostoli nusquam jubent adulteros et falsarios occidi*, *suspendi fures*, *comburi latrones*, *et tamen id fieri*, *et recte fieri*, *neque Lutherus negare auderet.* Respondemus: est dissimilitudo in exemplis, usus vocabuli sacramenti, a quo abhorrebat Carolstadius, pertinet ad adiaphora, in quibus libertas ecclesiae concessa, unde merito urget Lutherus contra Carolstadium, quod Christus et apostoli non prohibuerint uti voce sacramenti, proinde etiam nos posse in ecclesia ex Christiana libertate eo vocabulo in sano sensu uti. Sed occisio haereticorum ex hypothesi Pontificiorum pertinet ad necessarias vitae regulas, imo ut ex Mejerhofero percepimus, ad fidei articulos, ergo de ea merito requirimus certum et perspicuum aliquod Scripturae fundamentum. Quod aliorum facinorosorum capitalia supplicia attinet, ea recte deducuntur ex loco apostolico Rom. 13, v. 4: *Magistratus non gerit gladium frustra*, et ex fundamentis aliis superius adductis, quo vero minus etiam ad haereticos hoc extendatur, obstant reliqua sententiae nostrae fundamenta.

320. In specie *ex Christi doctrina et praxi* sic I. Matth. 13, v. 30:
concludimus. Quem modum agendi cum haereticis Sinite
Christum improbat, is in ecclesia Christiana merito crescere
intermittendus. Sed modum agendi cum haereticis zizania.
per supplicia capitalia Christus improbat. Ergo is in ecclesia Christiana merito intermittendus. Assumtum probatur 1. ex parabola Matth. 13, v. 30: *Sinite crescere zizania usque ad tempus messis.* Per zizania non promiscue et in genere omnes facinorosos, sed in specie haereticos intelligi demonstramus 1. *ex oppositione.* Quod in hac parabola significatur per semen, ejus contrarium significatur per zizania. Ratio connexionis pendet a natura oppositorum, quorum opposita sive contraria est significatio. Atqui per semen hoc loco significatur verbum Dei et qui illud proponunt ac fideliter amplectuntur. Ergo per zizania intelliguntur haereses et qui eas proponunt et amplectuntur. Ubicunque a Christo in parabolis *seminis* sati fit mentio, ibi de verbo Dei spirituali et *incorruptibili illo semine* 1. Petr. 1, v. 23. illud intelligitur Matth. 13,
v. 19. Marc. 4, v. 15. Luc. 8, v. 11. cujus conveni- XIV. 193.
entia cum semine alibi exponitur. Cumque verbi divini sint duo praecipua ac principalia capita, videlicet *lex et evangelium*, constat, primario ac praecipue doctrinam evangelii seu fidei, non autem legem

sive morum doctrinam per semen intelligi, quia Christus se ipsum confert *seminanti* bonum illud semen; jam vero Christi propria doctrina est evangelium seu fidei doctrina. Huic doctrinae fidei directe opponuntur haereses. Ergo illae per zizania semini opposita sunt intelligendae. At, inquit Beza in l. de puniendis a magistr. haereticis, *Christus per zizania non haereticos, sed filios nequam intelligendos esse docet.* v. 38. ac v. 41. *omnia scandala et illos, qui faciunt iniquitatem* per zizania intelligi ostendit. *Ergo generaliter intelliguntur omnes facinorosi.* Respondemus: *υἱοὶ τοῦ πονηροῦ*, filii diaboli, in genere quidem aliis in locis dicuntur omnes impii, qui peccatis contra conscientiam secure indulgent, qui dicuntur *filii diaboli* non creatione, sed imitatione Joh. 8, v. 44. Augustinus tract. 42. in Joh.: *Imitando diabolum facti sunt filii diaboli.* in Psalm. 64: *Est quaedam paternitatis ratio, quam non tam pater ipse constituit, quam filii, nos enim illum imitando patrem facimus, non ille nos creando filios.* Conjunge Irenaeum lib. 4. c. 79. p. 314. Sed hoc loco in specie intelliguntur haeretici, qui licet non soli, tamen etiam ipsi sub universo isto genere tanquam species primaria comprehenduntur. ***Impii* hoc loco dicuntur, qui proprie loquendo non male faciunt, sed perverse sentiunt, ut illi proprie sunt pii, qui Christi doctrinae veritatem sunt amplexi. Nulla enim ex re piorum et impiorum differentia melius quam ex religione sumi potest. Huc pertinet Psalm. 44, v. 18. Nam ut ibi generaliter dicuntur *non obliti Dei*, nec *mendaciter egisse contra Dei foedus*, non qui nunquam in vita peccarunt, sed restricte *qui nominis Dei fuere memores, non obliti foederis Dei, qui non expandunt manus ad Deum extraneum*, ut explicatur v. 21. hoc est Christiani orthodoxi; sic Christus generali voce *impiorum* appellat specialiter illos, qui obliti foederis Dei bonum semen neglexerunt et reliquerunt veritatem divinam, id est in religione errantes et haeretici.** Loquitur Christus indefinite. *Zizania sunt filii τοῦ πονηροῦ*, cumque indefinita propositio quandoque universaliter de toto genere, quandoque particulariter de certa et determinata specie explicanda sit, ideo inquirendum ulterius, an Christus omnes omnino diaboli filios, an vero certam ipsorum classem, videl. haereticos in hac parabola intelligat. Posterius nos asserimus et argumentis ex ipsis hujus textus visceribus demonstramus, quibus conjungimus sequentia Scripturae dicta. Johannes Baptista Pharisaeos ac Sadducaeos vocat *γεννήματα ἐχιδνῶν* Matth. 3, v. 7. quia sunt progenies infernalis serpentis, cujus semen venenatum, haereticas scilicet opiniones, concipiunt. Joh. 8, v. 44. diabolus est *pater mendacii.* Haereses sunt mendacia. Ergo haeretici sunt filii diaboli. Matth. 12, v. 39. c. 16, v. 4. Christus Pharisaeos et scribas vocat *generationem πονηρὰν καὶ μοιχαλίδα, pravam et adulteram* propter haereticos errores et cultus idololatricos, qui adulterii spiritualis nomine in Scripturis veniunt. Ita quoque hoc loco *υἱοὶ πονηροῦ* sunt haeretici, patrem suum diabolum, mendaciorum architectum, imitantes. Quod attinet v. 40. in eo non amplius quaeritur, quid per zizania in agro Dominico intelligendum sit; sed cum de officio angelorum in die novissimo circa zizania Christus agere coeperit, ideo quadam excursione usus ostendit, non solum zizania *ειδικῶς* sic dicta, hoc est haereticos, sed etiam omnes impios, scandalis ecclesiam turbantes et iniquitatem operantes ab angelis colligendos et in ignem infernalem projiciendos esse. Ex eo vero colligi nequit, quod pars prior parabolae cum hac posteriore sit aequalis latitudinis, hoc est quod itidem generaliter accipiendum sit de omnibus facinorosis illud patrisfamilias praeceptum: *Sinite crescere zizania.*

321. 2. *Ex scopi determinatione.* Per *agrum*,
in quo zizania una cum tritico crescunt, *mundum*
intelligendum esse, docet Christus v. 38. ex eo col- XIV. 194
ligit Beza in lib. de puniend. haeret. *non posse per zizania haereticos intelligi, cum haeretici non extra ecclesiam in mundo, sed in ipsa ecclesia reperiantur,* 1. Cor. 11, v. 19: *Oportet esse haereses inter vos.* Sed notandus est parabolae scopus, quem Christus ipse proponit v. 24: *Simile est regnum coelorum homini seminanti bonum semen in agro suo.* Ergo non de negotiis mundi, sed de statu ecclesiae in mundo Christo propositum est agere, neque enim regna mundi, sed regnum coelorum agro, in quo et triticum et zizania simul nascuntur, comparat; per illud regnum coelorum intelligitur ecclesia in mundo adhuc militans, quae inter causas reliquas ideo vocatur *regnum coelorum*, ut a terrenis et mundanis regnis distinguatur Joh. 18, v. 36. Agri igitur nomen per usitatam in Scripturis synecdochen accipiendum, non de toto et universo mundo, sed de illa mundi sive hominum parte, quae per sparsionem seminis, hoc est per praedicationem verbi, in regnum Christi sive ecclesiam colligitur, quam Christus peculiariter vocat suum agrum, mundi autem nomine tum indigitat, quia in mundo et ex mundo ecclesia colligitur, et simul respectus habetur ad vaticinia prophetarum de gentibus ex toto mundo ad Christi regnum vocandis, Psalm. 2, v. 8. Psalm. 72, v. 8. Esa. 49, v. 6. Zachar. 9, v. 10. Hic parabolae scopus si probe observetur, in fumum abit Bezae argutia, cui haud immerito etiam hoc opponitur, *quod haeretici quidem sint in ecclesia, non tamen de ecclesia, sed potius de mundo.* 1. Joh. 4, v. 5: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit.* Possunt quidem dici de ecclesia ratione originis et *termini a quo*, quia scilicet in medio ecclesiae coetu consurgunt et haereses suas spargunt. Actor. 20, v. 30: *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa.* 1. Joh. 2, v. 19: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Sed ratione professionis ac pertinaciae in errore et respectu *termini ad quem* haeretici non sunt de ecclesia, sed de mundo, quia et se ipsos et asseclas suos ex verae ecclesiae gremio avellunt et mundo iterum involvunt. Ex hoc ergo parabolae scopo tale

nectimus argumentum. Vera et genuina explicatio parabolarum ita institui debet, ut ad principalem scopum potissimum respectus habeatur, Chrysostomus homil. 65. in Matth. Atqui scopus hujus parabolae est non de regnis mundanis, sed de regno coelorum et statu ecclesiae agere. Ergo etiam explicatio ejusdem unice eo dirigenda, et ex consequenti per *zizania* non possunt nec debent intelligi atrocia illa facinora, quae in regnis terrenis et mundanis etiam conspiciuntur, in quae magistratus gladio animadvertit, sed haereses, quae in Christi regno, hoc est in visibili ecclesia, oriri consueverunt, quae vindice magistratus gladio eradicari et exstirpari Christus prohibet.

322. 3. *Ex zizaniorum descriptione.* Zizania 1. partim sua sponte vitio pravi soli crescunt, partim etiam ipsum semen facile in ea degenerat, unde *ζιζάνιον* dictum putatur quasi *σιτοιζάνιον, παρὰ τὸ τῷ σίτῳ παρεδρεύειν καὶ συναυξάνεσθαι*; 2. priusquam ad maturitatem veniunt, tritico valde sunt similia, ut in prima herba ab eo vix discerni possint; 3. plura grana afferunt, et quidem plerunque ex uno ejus grano plures culmi enascuntur; 4. farina ex illis parata proinde albescit, ut alterius alicujus frumenti; 5. si panis ex ea pinsatur, non alit, sed inebriat ac dementat hominem; 6. etiamsi non multum ejus insit tritico, tamen panem aut quidquid ex eo paratur, vitiat. Haec omnia haereseos ac falsae doctrinae naturam pulcherrime repraesentant. Ea enim 1. vel sua sponte vitio pravae mentis nostrae crescit, vel etiam ex ipsa vera religione depravata et corrupta oritur; 2. aliquamdiu similis apparet verae doctrinae, haeretici enim loquelam sincerorum doctorum ad tempus imitantur, ut cum illis sentire videantur, sed tandem manifestum fit, ipsos non bonum semen, sed zizania spargere; 3. admodum ferax est et brevi tempore late propa-
IV. 195. gatur; 4. externa specie humanae rationi blanditur; 5. tantum abest, ut auditores faciat meliores, ut eos etiam dementet et inebriet, Gal. 3, v. 1. 2. Tim. 2, v. 26; 6. ac si vel modicum ejus verae doctrinae commisceas, nihilominus totam massam corrumpit ac vitiat, 1. Cor. 5, v. 6. Galat. 5, v. 9. Flacius part. 2. clav. tract. 6. de situ Cananaeae p. 558. Propter hanc conformitatem zizaniorum et haeresium in parabola nostra merito per zizania haereses et haeretici intelliguntur, facinorosi contra ac scelerati paleis conferri solent, quae facile agnoscuntur et a tritico sine negotio separari possunt. Psalm. 1, v. 4. Matth. 3, v. 12. 4. *Ex quadam ad absurdum deductione.* Si per zizania in parabola intelligerentur quivis facinorosi delictis externis et notoriis humanam societatem turbantes, magistratui non liceret e medio tollere facinorosos. Sed posterius est absurdum, quia *magistratus non gerit gladium frustra*, sed est *minister Dei vindex in iram ei, qui male agit* Rom. 13, v. 4. Ergo et prius. Connexio probatur, quia paterfamilias prohibet evellere zizania, et quidem absolute sine ulla inter zizania distinctione. 5. *Ex interpretum testificatione.* Jansenius in harmonia agnoscit, Hieronymum per zizania intelligere haereticos; Johannes de la Haya in triumpho veritatis c. 61. p. 441. praefert quidem illorum explicationem, qui per zizania in genere quosvis malos sive peccatores intelligunt, et carpit Erasmum, quod Cypriano libro 3. epist. 3. expositionem de haereticis tribuat; interim haud gravatim agnoscit, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Euthymium et alios per zizania in hac parabola intelligere solos haereticos. Idem faciunt Lyra et Stapletonus hoc loco, Becanus in disput. de fide haeret. servand. fol. 103. **Cyprianus lib. 3. epist. 1: *Etsi videntur in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut caritas nostra, ut quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus. Nobis imo laborandum est, ut frumentum esse possimus, ut, cum coeperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro et labore accipiamus. Apostolus in sua epistola dicit, in domo autem magna non solum vasa sunt aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quaedam quidem honorata, quaedam vero inhonorata. Nos operam demus et quantum possumus laboremus, ut vas aureum et argenteum simus. Ceterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui et virga ferrea data est. Esse non potest Domino suo major servus, nec quisquam sibi, quod soli Filio tribuit pater, vendicare se putet.***

323. Hisce praemissis ex parabola Christi sic concludimus: 1. Quicunque evelli et exstirpari prohibentur, illi gladio non sunt e medio tollendi. Sed haeretici per zizania significati evelli et exstirpari prohibentur. Ergo haeretici non sunt gladio e medio tollendi. 2. Quod solis angelis in fine mundi peragendum relictum est, illud nemo hominum in hac vita tentare praesumat. Sed haereticorum interfectio per zizaniorum evulsionem significata solis angelis in fine mundi peragenda est relicta, ut constat ex collatione v. 30. et 41. Ergo haereticorum interfectionem nemo hominum in hac vita tentare debet. 3. Quod cum praesentissimo periculo salutis conjunctum, illud non debet ab homine Christiano suscipi. Atqui haereticorum interfectio cum praesentissimo periculo salutis est conjuncta. Ergo non debet ab homine Christiano suscipi. Assumptum constat ex verbis patrisfamilias, qui quaerentibus servis, an zizania evellere debeant, respondet v. 29: *Non, ne colligentes zizania eradicetis simul cum eis etiam triticum.* Qui enim prius sunt haeretici, saepius postea ad saniorem mentem redeunt et tritici naturam induunt. Hieronymus in c. 13. Matth.: *Monemur, ne cito amputemus fratrem, quia fieri potest, ut ille, qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat et defendere incipiat veritatem.* Chrysostomus homil. 47. in c. 13. Matth: *Dominus prohibet eradicare zizania, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant, quod dicebat, ut bella et effusionem sanguinis prohiberet. Nam si trucidarentur haeretici, atrox et irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus*

prohibuit: altera, quia frumentis parum nocerent; altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia non evaderent. Quare si et puniri eos vultis, et frumentis nequaquam officere, opportunitas temporis congrua vobis exspectanda est. Quid autem est, quod ait, ne eradicetis simul cum eis et triticum? Certe
XIV. 196. *aut quia si arma capietis, inquit, necesse est, cum haereticos trucidatis, multos sanctorum simul interimere; aut quia ab ipsis zizaniis verisimile est multos in triticum convertendos. Si ergo praevenientes evelletis, ea frumenta deperibunt, quae a commutatis zizaniis provenirent. Non prohibet autem conciliabula haereticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere ac trucidare.* Et postea: *Parcendum esse zizaniis dicit, quousque una cum frumentis in agro sunt, quia possunt in frumenti statum commutari. Si vero hac longanimitate Domini nihil lucrabuntur et recesserint, tunc inevitabilis poena eos necessario excipiet.* Chrysologus serm. 79: *Si zizania Dei potentia non subveniret, nec Matthaeum de publicano evangelistam, nec Paulum de persecutore apostolum ecclesia possideret.* Chrysostomi explicationem sequitur Lutherus noster in expositione hujus parabolae. *Docemur* (inquit), *quomodo nos gerere debeamus adversus haereticos, non enim eos exstinguere et exscindere oportet, aperte enim hic Christus ait, sinite utraque crescere, solo verbo Dei contra ipsos agendum docens, ita enim hac in re evenire solet, ut qui hodie erret, cras possit in viam redire. Quis enim novit, quando Dei verbum cor cujusque sit attracturum? si autem exuratur vel alias tollatur, certe impeditur, ne possit in viam reduci, imo jam perire eum necesse sit, qui alias potuisset ab errore liberari.*

Exceptiones Bellarmini. 324. Bellarminus excipit 1. *nomine zizaniorum non intelligi solos haereticos, sed omnes homines malos.* Respondemus: contrarium ostendimus superius. Bellarminus id nullo alio argumento probat, quam ex verbis Christi, *zizania sunt filii nequam, et mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem, et mittent in caminum ignis.* Verum quid huic argutiae respondendum sit, constare potest ex superioribus. Johannes de la Haya in triumpho veritatis pluribus argumentis id demonstrare conatur. Primo urget auctoritatem patrum *Ambrosii, Augustini, Gregorii, Theophylacti et aliorum.* Sed patribus his opponimus alios patres, quorum calculum ipsemet nobis concessit; nec illi, qui per zizania *malos in genere* intelligunt, adversa fronte nostrae expositioni repugnant, cum haeretici sub nomine et numero malorum comprehendantur, quinimo quidam ex illis ipsis patribus nostram amplectuntur expositionem. Augustinus in lib. quaest. ex Matth. c. 12: *Cum esse quisque spiritualis coeperit, cognoscit errores haereticorum et omnino dijudicat atque discernit, quidquid audierit aut legerit, abhorrere a regula veritatis.* Ibid: *Donec quis in spiritualibus perficiatur et quodammodo maturescat in fructum, quem herba dedit, potest eum movere; quare sub nomine Christiano tam multas haereticorum exstiterint falsitates, inde est, quod servi dicunt: Nonne bonum semen seminasti?* etc. Theophylactus in comm. h. l.: *Zizania sunt haereses vel malae cogitationes. Servi sunt angeli, qui indignantur, esse haereses vel malitiam in anima, et volunt evellere et exscindere ex hac vita haereticos et mala cogitantes. Deus autem non permittit haereticos bellis consumi, ne simul patiantur consumanturque et justi; similiter neque propter malas cogitationes vult Deus exscindi hominem, ne et triticum simul corrumpatur, ut exempli gratia: si Matthaeus excisus fuisset ex hac vita, cum esset zizanium, simul utique excisum fuisset et frumentum, quod postea ex ipso oriturum erat. Similiter et Paulus et latro. Hi enim cum zizania essent, non sunt exstirpati, sed permissi sunt vivere, ut cresceret postea illorum virtus. Dicitur igitur angelis, quod in consummatione tunc congregabitis zizania, hoc est haereticos.* Haec Theophylactus non de quibusvis malis sive flagitiosis, sed de haereticis et malis cogitationibus zizania exponens, probe enim vidit, labefactari magistratus officium, si de quibusvis facinorosis acciperentur. Secundo profert expositionem ipsius Christi, qui *zizania dicit esse filios nequam, hoc est omnes peccatores.* Sed de eo jam ante egimus. Tertio,
Dominus non vult colligi et eradicari zizania, haereticos autem vult exstirpari et non vivere. Exod. 22. XIV. 1!
Deuter. 13. et 18. *ergo istud melius de peccatoribus in genere, quam de haereticis in particulari intelligitur.* Respondemus: distinguendum inter tempus V. ac N. T. ut suo loco pluribus declarabitur, hic illud duntaxat notamus, quod Johannis de la Haya argumentum ad absurdum redigi possit. In prima enim ratione ait: qui *patres hanc parabolam haereticis accommodant, non excludunt alios malos, nimirum quia species continetur in suo genere;* et in ratione secunda: *Zizania sunt filii nequam, qui non tantum haereticos, sed etiam omnes peccatores significant.* Atqui si de peccatoribus in genere accipiuntur zizania, consequens erit, nullos peccatores a magistratu exstirpari posse, quod falsum esse ipsemet la Haya agnoscit. Eadem ergo ratione colligere possum: Dominus non vult eradicari zizania, facinorosos autem vult exstirpari et non vivere, ut constat. Ergo non potest de facinorosis intelligi. Quartam rationem petit *ex fine et scopo parabolae:* Praecedenti parabola ostendit Christus, *bonum semen esse jactum in terrae loca et partes quatuor, et unam tantum partem fecisse fructum bonum;* hac vero docet, *eam partem, quae semen evangelii recipit, non esse omnino puram et omni ex parte mundam, sed malos etiam habere bonis permixtos.* Respondemus: ideo atque inde potissimum ea pars, quae semen evangelii recipit, non est omnino pura, quia diabolus haereses in medio visibilis ecclesiae agro seminat 1. Cor. 11, v. 19. quae connexio hujus parabolae cum praecedente est satis concinna, in praecedente docuit, quibus vitae ac morum vitiis

fructificatio seminis impediatur, in hac ipsa docet, haeresium zizaniis sementem verbi coelestis saepius corrumpi ac vitiari. Quinto, *hac parabola voluit Dominus docere quatuor veritates, bonos scilicet malis debere esse permixtos, quamdiu sunt in hoc mundo; malos, qui sunt in bona terra, non esse Christi semen, seu non provenire ex Christi opere, doctrina vel inspiratione, quod sint tales; malos, qui bonis sunt permixti, permittendos esse crescere propter periculum bonorum; venturum aliquando diem, in quo mali a bonis omnino separabuntur. Quae veritates non solum haereticis conveniunt, sed omnibus malis.* Respondemus: haec quidem recte dicuntur et secundario haec parabola ad ea accommodari potest, interim primarius ac principalis scopus est, quod per zizania haeretici denotentur et gladio exstirpari prohibeantur. Quodsi enim illam prohibitionem de non eradicandis zizaniis generaliter accipere velimus de quibusvis facinorosis, qui externis et notoriis delictis civilem societatem turbant, magistratui penitus eripietur gladius et pars officii ipsi proprii cessabit.

325. Vidit hoc Bellarminus, ideo 2. excipit, *cum prohibet Dominus exstirpari malos, non prohibet, ne iste aut ille occidatur, sed prohibet, ne boni conentur omnes malos ubique exstirpare et nullum omnino permittere, id enim fieri non posset sine ingenti clade bonorum, et hoc est, quod ait Dominus, ne forte cum eis eradicetur simul et triticum. Itaque parabola generalis est et hoc solum docet, nunquam futurum ante mundi consummationem, ut omnes mali eradicentur. Cum autem in particulari quaestio est, vel de haereticis, vel de furibus, vel aliis malis, an sint exstirpandi, considerandum est juxta rationem Domini, an id fieri possit sine detrimento bonorum, et si quidem fieri potest, sunt procul dubio exstirpandi; si autem non potest, quia vel non sunt satis noti, et periculum est, ne plectantur innocentes pro nocentibus, vel sunt fortiores nobis,* et *periculum est, ne si eos bello aggrediamur, plures ex nobis cadant quam ex illis, tunc quiescendum est. Ita respondet Augustinus libro 3. contra epist. Parmen. cap. 2. hunc locum sibi a Donatistis objectum explicans. Neque aliud Chrysostomus docet, ut patet ex ipsius verbis. Cyprianus etiam non de haereticis, sed de malis Christianis in illa epistola hanc parabolam intelligit.* Respondemus 1. verba patrisfamilias non continent aliquam futurorum praedictionem, sed expressam prae-
:IV. 198. sentis actionis prohibitionem. Non enim dicit paterfamilias, *frustra* tentabitis zizaniorum evulsionem, quia non poteritis omnia eradicare, sed expresse prohibet, ne zizania exstirpent. 2. In genere de zizaniis dicit, *ne exstirpetis ea*, prohibet ergo et haec et illa zizania exstirpare, quia genus complectitur suas species et species continet sua individua. Nuspiam vero in parabola legitur dixisse, ne *conemini* omnia zizania ubique exstirpare et nullum omnino in agro permittere. 3. Verba illa, ne forte eradicetis etiam triticum, non continent *prohibitionis limitationem*, quasi in eo duntaxat casu non debeant eradicari zizania, quando periculum est, ne simul triticum eradicetur, sed *prohibitionis rationem*, ideo non esse quidquam zizaniorum eradicandum, quia simul eradicari possit triticum, id est juxta Chrysostomi explicationem, quia zizanium illud in triticum converti potest. In agro quidem naturali zizanium nunquam mutatur in triticum, sed in agro Dominico ac spirituali illud divina potentia fieri res ipsa manifeste comprobat. Jam vero, ubi ratio praecepti generalis est, ibi praeceptum etiam generale proponitur. 4. Opus eradicandi zizania plane adimitur servis et committitur messoribus sive angelis, ac tempus eradicationis definitur non praesens vitae, sed tempus messis, hoc est dies extremi judicii, quo triticum congregabitur in horreum. Atqui juxta Bellarmini explicationem illud adhuc ex parte competeret servis et in hac vita aliquando locum haberet, nimirum quando sine detrimento tritici eradicatio zizaniorum fieri potest. 5. Egregia vero doctrina, quam Bellarminus ex hac parabola colligit, *non esse haereticos bello petendos, quando sunt fortiores nobis, et quando periculum est, ne si eos bello aggrediamur, plures ex nobis cadant quam ex illis.* Quasi vero naturalis ratio unicuique istaec dictitet:

> ἄφρων ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
> νίκης τε στέρεται, πρὸς τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει,

inquit Ascraeus. Elucet vero ex eo animus Pontificiorum, quem gerunt erga eos, qui a Romano pontifice secessionem fecerunt (eos enim omnes indistincte pro haereticis habent), nimirum non deest ipsis promtissima voluntas bello ipsos oppugnandi, nisi metuerent, ipsos esse fortiores. Quod ergo pace aliqua Germania adhuc fruitur, illud juxta Bellarmini doctrinam tamdiu durare debet, donec Pontificii se viribus superiores et ad debellandos Evangelicos satis instructos esse intelligant, tunc enim pacem turbandam, bella movenda et Evangelicos exstirpandos esse. 6. Augustinus libro 3. contra epist. Parmeniani cap. 2. non de corporali haereticorum supplicio vel de bello ipsis movendo, sed de severitate disciplinae ecclesiasticae adversus eos, qui scandala in ecclesia excitant, tractat, quando scilicet ea adhiberi debeat. *Cum de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet* (inquit), *id est, quando ita cujusque crimen notum est omnibus et omnibus exsecrabile apparet, ut vel prorsus nullos, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinae, in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conservatio caritatis. Tunc autem hoc sine labe pacis et unitatis et sine laesione frumentorum fieri potest, cum congregationis ecclesiae multitudo ab eo crimine, quo anathematizatur, aliena est* etc. **Idem *tum demum eradicandi zizania tutum affulgere tempus* censet, *cum jam in fine non restat tempus vel commutandae vitae, vel proficiendi ad veritatem ex occasione atque comparatione alieni erroris.*** 7. Chrysostomus in ge-

nere dicit, *Dominum ista parabola bella et effusionem sanguinis prohibere*, item *Dominum non prohibere conciliabula haereticorum dissipare, ora ipsis obstruere, libertatem loquendi concidere, verum ipsos interficere et trucidare*, ac geminam hujus interdicti rationem addit, non tantum, *ne simul evellatur triticum*, quam solam Bellarminus vidit, sed etiam, *ne salus haereticorum impediatur*, *cum zizania in triticum converti possint*, quam rationem Chrysostomus non addidisset, si ullo unquam tempore haereticos occidere licere judicasset. Sic ergo concludimus.
XIV. 199. Qui eradicationem zizaniorum sive haereticorum ideo prohibet, ut vitetur sanguinis effusio, ille simpliciter et totaliter eradicationem violentam prohibet. Sed Chrysostomus propter hanc causam prohibet zizaniorum eradicationem. Ergo simpliciter et totaliter eam prohibet. 8. Cyprianus quidem in genere primum loquitur de lapsis, quibus *nec censura desit, quae increpet, nec medicina, quae sanet;* sed postea de haereticis et schismaticis in specie agit et adducit locum apostolicum 2. Tim. 2. de vasis aureis, argenteis, ligneis et fictilibus atque addit, *soli Domino vasa fictilia confringere concessum esse*, *cui virga ferrea sit data.* At si id in genere de omnino facinorosis accipiatur, magistratui non licebit adversus illos gladium stringere. 9. Ex hac ipsa Bellarmini hypothesi et explicatione contra Bellarminum concludere possumus: *Non sunt exstirpanda zizania* (inquit), *quando fieri nequit sine detrimento tritici.* Subsumo. Bellum non potest contra haereticos (sive sint nobis fortiores, sive imbecilliores) suscipi absque detrimento bonorum. Ergo plane non debet suscipi, nec zizaniorum sive haereticorum exstirpatio per bellum debet tentari. Assumtum probo, quia in coetibus haereticorum adhuc semen sanctum Deus sibi servat, et si non alios, tamen baptizatos infantes in filios suos adoptat, jam vero absque illorum detrimento bellum adversus haereticos suscipi nequit, ut constat.

Exceptiones aliorum. 326. Atque hae sunt Bellarmini exceptiones contra nostrum argumentum, videamus etiam aliorum exceptiones. *1. Christus ibi loquitur ad apostolos, non ad magistratum. Ergo si vel maxime prohibitum esset haereticos occidere, tamen illa prohibitio pertineret duntaxat ad ecclesiae ministros.* Respondemus: imo vero Christus in genere loquitur de servis patrisfamilias v. 27. et 28. in servorum autem illorum numero sunt etiam magistratus, Rom. 13, v. 4. ac tempus eradicationis statuitur non praesens seculum, sed *dies messis* sive extremi judicii, quin et hominibus eradicatio zizaniorum penitus adimitur ac messoribus sive angelis relinqui jubetur. Quicunque ergo haereticos e medio tollunt, tempus a Deo definitum antevertunt et alieni officii partes invadunt. *2. Utroque vocabulo servorum et missorum intelliguntur angeli, quia omnes angeli sunt servi seu ministri a Deo emissi, proinde nequaquam hominibus, praesertim magistratui, zizaniorum evulsio interdicta est, sed certo angelorum ordini. Distinguit enim Christus inter duo distincta angelorum officia, quorum unum est generale, videlicet hominibus inservire, alterum ordinarium et certum, messorum scilicet, quod pertinet ad certum angelorum ordinem.* Respondemus: Sane Hieronymus in comment. cap. 13. Matth. servos patrisfamilias non alios accipiendos statuit quam angelos, qui quotidie vident faciem Patris. Eadem est sententia Isidori Pelusiotae lib. 1. epistol. 195. sed Augustinus in qq. ex Matth. cap. 12. hanc sententiam refellit argumento eo, quod de servis dicitur, *ipsos ignorasse zizaniorum seminationem* eamque miratos fuisse, jam vero de angelis probari nequit, quod ignorent, quid a diabolo in mundo agatur. *Utrum et ipsi sint servi* (inquit), *quos paulo post messores appellat, an quia in expositione parabolae missores dicit esse angelos, nec quisquam facile dicere ausus fuerit, angelos nesciisse, quis zizania superseminaverit et ea tunc apparuisse angelis, cum herba fructum fecisset, magis oportet intelligi homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit. Nec mirum, si et bonum semen ipsi dicuntur et servi patrisfamilias, sicut et de se ait, quod ipse sit janua et quod ipse sit pastor. Ex diversis enim significationibus una res etiam plures et diversas similitudines recipit, praesertim quia cum ad servos loqueretur, non ait, in tempore messis dicam vobis, colligite primum zizania, sed dicam, inquit, messoribus. Unde intelligitur, colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quenquam ecclesiae filium debere arbitrari, ad se hoc officium pertinere.* Idem serm. 46. de diver- XIV.
sis cap. 4: *Ne forte dum vultis eradicari zizania, eradicetis simul et triticum. Quid boni facitis? nonne messem meam vestra diligentia vastabitis? nos homines sumus, angeli messores sunt. Erimus quidem et nos, si cursum perfecerimus, aequales angelis Dei, sed modo quando stomachamur contra malos, adhuc homines sumus.* Huic Augustini argumento potest addi alterum, quod duo distincta vocabula adhibentur, illi enim, quibus evulsio zizaniorum interdicitur, vocantur δοῦλοι, sed angeli vocantur θεριστaί; idem quod angeli dicuntur cum Christo *in messe ultima* venturi Matth. 25, v. 31. et zizania collecturi. Ergo non putandum est, certo angelorum ordini zizaniorum evulsionem esse interdictam, quin potius omnes in ultima demum messe, id est in die novissimo, cum Christo venient ad hanc evulsionem peragendam. Illis qui per servos angelos intelligunt, duo favent in hoc evangelio. Unum est, quod dicunt ad patremfamilias: *Vis ut eamus, quasi cum Deo sint in coelo, non in agro et terra, sed extra ipsum agrum.* Alterum est, et *colligamus ea*, nam e mundi agro evellere omnes malos possunt angeli, non homines. Sed ad haec respondet Joh. a la Haya d. l.: *Postulant ire hi servi propter exercitium potestatis, colligere vero propter zelum, conatum et studium, et quantum in ipsis est. Servi accedunt, quando veritatis doctrinam et voluntatem Dei consulunt, sunt quasi extra agrum et cum Domino, sed postquam ad eum vene-*

runt conspectis zizaniis, *tantum habent zelum*, *ut videantur sibi omnia cum Dei auxilio posse. 3. Non de haereticis solum*, *sed etiam de aliis facinorosis dici potest*, *quod periculum sit*, *ne eradicando zizania eradicemus etiam triticum*, *siquidem etiam ipsi progressu temporis converti possunt.* Respondemus: est omnino haereticorum et aliorum facinorosorum diversa ratio. Haeretici enim persuasi sunt, se recte sentire et recte facere erroneas opiniones propugnando, ideo ad agnitionem erroris difficulter perducuntur, sed alii facinorosi publicis et notoriis delictis civilem societatem turbantes ac destruentes ipsius conscientiae interno testimonio convincuntur, quod Dei iram contra se provocaverint, ideoque ad agnitionem suorum peccatorum facilius adduci possunt. Praeterea haeresis, quatenus talis, est delictum spirituale, ideoque etiam spirituali gladio, videlicet verbo Dei, est ferienda, praescindenda et exstirpanda, sed reliquorum facinorosorum delicta turbant civilem ac politicam societatem, ideo etiam corporalibus ac capitalibus poenis in ea recte animadvertitur. Denique diversitatem inter haereticos et alios facinorosos respectu capitalis supplicii monstrant omnia illa argumenta, quibus demonstratum, licere magistratui gladio punire facinorosós, non autem stringendum eum esse contra haereticos.

327. 2. Ex verbis Christi Luc. 9, v. 54. Cum Christus hospitium a Samaritanis petiisset, illique jus hospitii recusassent, quia *facies ejus erat proficiscens in Jerusalem*, hoc est quia Israëliticae religioni ipsum addictum esse intelligebant, discipuli indignatione commoti a Christo quaerunt: *Vis Domine dicamus*, *ut ignis de coelo descendat et consumat eos*, *ut Elias fecit?* quibus verbis ad praxin V. T. et ad zelum Eliae prophetae provocant, sed Christus per correctionem ipsis respondet: *Nescitis*, *cujus spiritus vos estis? filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum*, *sed ad servandum.* Ex quo sic concludimus. 1. Qui prohibet, Samaritanos propter diversitatem religionis igne coelitus depluto consumi, ille etiam prohibet, gladio haereticos exscindi. Ratio connexionis consistit in culpae et poenae conformitate. Sed Christus noluit, Samaritanos propter diversitatem religionis igne coelitus depluto consumi. Ergo etiam prohibuit, gladio haereticos exscindi. 2. Si Christus discipulos Samaritanorum excidium meditantes ad spiritus evangelici mansuetudinem revocavit, utique pugnat cum spiritus evangelici mansuetudine haereticos propter reli-
201. gionis diversitatem gladio exscindere et exstirpare. Sed verum prius. Ergo et posterius. In N. T. inquit Lyra super h. l. *procedendum est suaviter et benigne*, *quia est lex amoris*, *non timoris.* 3. Si Christus ideo non voluit, Samaritanos igne coelitus evocato a discipulis perdi, quia erant discipuli ejus, qui venerat non ad perdendum animas hominum, sed servandum, consequens est, a Christianis in N. T. haereticos non esse interficiendos. Sed illud, ergo et hoc. Probatur connexio, quia ut Samaritani, ita et haeretici a vera religione aberrant eamque oblatam temere respuunt. Et discipuli et reliqui Christiani sunt populus Christi. Ergo ipsius mansuetudinem erga haereticos imitari debent. 4. Si Christus a rigore V. T. et exemplo Eliae discipulos revocat ad spiritus evangelici et N. T. mansuetudinem, sequitur, quod ex mandatis divinis de interficiendis pseudoprophetis et praxi V. T. non possit nec debeat inferri, haereticos in N. T. esse interficiendos. Sed illud, ergo et hoc. Quicunque igitur aliter tractant haereticos, quam juxta praescriptum Christi et apostolorum in N. T. illa re ipsa testantur, se non esse spiritu evangelico praeditos nec imitari exemplum Christi, qui venit non ad perdendum, sed ad salvandum, nec discernunt inter tempus Eliae et Christi, hoc est inter V. ac N. T. nec intelligunt naturam regni Christi. Excipit Bellarminus *1. latissimam esse differentiam inter Samaritas illos et haereticos. Illi enim nunquam promiserant*, *se Christi religionem servaturos*, *sed tunc primum illis offerebatur*, *ideo compellendi non erant*, *at haeretici promiserunt professique sunt*, *se fidem Christi servaturos*, *ideo merito compelluntur.* Respondemus: Samaritani non minus in circumcisione (quam ipsos retinuisse verisimile ducimus **Augustinus ep. 203: *Non denuo circumciderem Samaritanum*, *si Judaeus essem*, *et eo tempore suum errorem confessus ad me veniret; ita nec haereticum rebaptizarem in Trinitatis nomine baptizatum*** quam haeretici N. T. in baptismo promiserant, se in fide Christi Messiae constantes fore et religionem veram servaturos, ergo etiam ipsi juxta Bellarmini hypothesin compelli potuissent ad promissum servandum. Praeterea discrimen illud, quod Bellarminus assignat, proficiscitur ex falsa hypothesi, quam clarius propugnat Gregorius de Valent. in explic. h. l. quod videlicet *aliter agendum sit cum iis*, *quibus primum evangelium proponitur*, *quales erant Samaritani*, *quam cum aliis*, *qui jam illud receperunt*, *quos vi compellendos*, *id est gladio occidendos* esse arbitrantur. At discrimen hoc ignorat universa Scriptura, quae Christum semper sibi similem nobis proponit, qui fines regni sui non gladio corporali, sed spirituali, non ferro, sed verbo propagat, ac ratio illa, quae apud Lucam additur, *venisse scilicet filium hominis*, *non ut perdat hominum animas*, *sed salvet*, plane generalis est ubique locorum et apud omnes populos valida. Parabola Christi Luc. 14, v. 16. penitus repugnat huic Bellarmini distinctioni. In invitatione enim ad coenam magnam mittit paterfamilias servum suum hora coenae *dicere invitatis* (Judaeis puta ecclesiae filiis), ut venirent, quia parata sunt omnia, sed cum illi sese excusarent ac venire renuerent, mittit paterfamilias servum invitatorem *in plateas et vicos civitatis*, *ut pauperes ac debiles et coecos ac claudos introducat* v. 21. id quod haud incommode de vocatione *Samaritanorum* accipitur, ad quos (ut et vicinos *gentiles)* Christus in diebus carnis suae quandoque divertit et per praedicationem evangelii ad coenam hanc eosdem vocavit. Matth. 1[illegible] v. 21. Luc. 17, v. 11. Illi enim in vicis et [illegible]

civitatis, hoc est in vicinia Judaeae et Judaeis quasi intermixti habitarunt et propter conversationem cum Judaeis promissionem de Messia cognitam habuerunt. Tandem vero cum et illi vocationem ad coenam aspernarentur, misit paterfamilias servum suum *in vias et sepes*, hoc est *ad gentiles* remotiores et populos barbaros ad finem usque orbis
XIV. 202. habitantes, *a politia Israëlis alienatos* Eph. 2, v. 12. ac legibus ejusdem destitutos; atque hos in prima statim vocatione jubet *compellere*, ut ad coenam veniant. Quodsi juxta Bellarmini nomenclaturam per τὸ *compellere* intelligitur gladio occidere, consequens fuerit, illos potius interficiendos, qui ex gentilismo ad ecclesiae consortium vocantur, quam qui sunt ecclesiae filii et per baptismum in eandem prius recepti, ut parabola evidenter ostendit. Nos et eos, qui primum ad ecclesiam ex paganismo vocantur, et eos, qui per haeresin ab ecclesiae fide defecerunt, compellendos esse concedimus, non supplicio capitali nec coactione ad fidem, sed concionibus legalibus, comminationibus poenarum et coactione ad auditum verbi, quibus mediis conversio refractariorum peragenda iidemque ecclesiae lucrifaciendi, sed per gladium et ignem magistratus homines non lucrifiunt ecclesiae, verum potius ex vita communi exterminantur, ut non supersint, quos errasse poeniteat, quive compelli possint, ut intrent.

328. 2. Altera Bellarmini exceptio haec est, *Jacobum et Johannem non tam zelo salutis animarum quam amore vindictae cupivisse Samaritanos comburi, ideoque merito ipsos a Christo argui. Ecclesiam vero* (Romanam puta) *zelo salutis animarum, quas haeretici pervertunt, eos persequi, quo zelo ipse Christus bis flagello ejecit ex templo vendentes et ementes Joh. 2. Matth. 21. Petrus Ananiam et Sapphiram occidit Actorum 5. Paulus fornicarium Satanae in interitum carnis tradidit 1. Cor. 5. ut omittantur Moyses, Pineas, Elias, Mathathias et alii, qui zelo Dei plurimos occiderunt.* Respondemus: 1. Apostoli expetebant illum ignem in Samaritanos delapsum non absolute, sed cum conditione voluntatis Christi v. 54. *Vis*, inquiunt, *ut dicamus, ignem coelo descendere*, nec in verba illa prorumpunt ex animo temerario et privatae vindictae studio, sed ex pio, ut sibi videbantur, erga Christum affectu, quem Samaritani nolebant recipere, nec coeco impetu et absque ratione, sed ad exemplum *Eliae*, *ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησεν*, inquiunt, quae pericope in vulgata translatione est omissa. Cum enim ille connivente et ab officio cessante magistratu de pseudoprophetis Baalitis supplicium sumsisset, apostoli quoque inferebant, extraordinarie agendum et severo supplicio in Samaritanos animadvertendum esse, eo quod magistratus in suo officio, in poena scilicet idololatrarum et haereticorum, esset negligens. 2. Christus vero hoc sanguinarium apostolorum consilium et capitalem vindictam, quam ex intempestivo et praepostero zelo expetebant, penitus improbat duobus validissimis argumentis, quorum prius *ex differentia V. et N. T.* deductum, *nescitis*, inquit, *cujus spiritus sitis?* quo dicit, status politiae evangelicae in N. T. alius est et diversus a Judaicae politiae statu, nec conditio regni mei, quod est spirituale, ac regitur per verbum et Spiritum admittit, ut id, quod Elias fecit, in eo locum habeat; posterius desumtum *ab incommodo. Filius hominis non venit ad perdendum animas, sed ad salvandum*, quo dicit, hac ratione multae animae perduntur, quae postmodum ad poenitentiam et erroris agnitionem perductae servari potuissent. 3. Mirum igitur est, quod Bellarminus zelum occidendi haereticos in N. T. Eliae exemplo palliet, cum illi ipsi exemplo ab apostolis adducto Christus statum N. T. diserte opponat, sed Bellarminus graecum textum forte non inspexit. 4. Quo zelo haereticae pravitatis inquisitores in eos saeviant, quos levissimis duntaxat indiciis a Romana synagoga alienos esse suspicantur, ipsi viderint. Qui arcana hujus inquisitionis literis mandarunt, testantur, saepius ex privatae vindictae cupiditate, vel ex bonorum captatione etiam innocentibus periculum sub hoc praetextu creari. Papa in favorem hujus inquisitionis statuit, ut *in crimine haereseos accusator numero testium adscribatur* c. In omni negotio. extra de testibus; *ut haereticus post latam sententiam non liberetur a poena, si vel maxime ab errore discedat* c. ad abolendum de haereticis (quae sententia etiam probatur Bellarmino, unde in hoc ipso capite in resp. ad argum. 14. scri- XIV.
bit, *apostolum Tit. 3, v. 10. non loqui de venia danda haeretico converso, sed de admonitione, quae praemittitur, antequam haereticus condemnetur per sententiam judicis)*, cum tamen is, qui ad fidem revertitur, haereticus esse desinat c. dixit 24. q. 3. Clem. unic. §. penultim. l. 1. §. porro. C. de summ. Trinit. Wesenbec. in parat. C. de apost. in fin. Ex Dominico a Bannes superius didicimus, inquisitores illos procedere *ex praesumtione et teneri, ut puniant tanquam haereticum eum, qui ex dictis vel factis convincitur esse haereticus, etiamsi re vera non sit haereticus.* De crudelitate et miris fraudibus illorum inquisitorum vide tractatum Germanicum Ambergae ann. 1611. editum sub tit. Der tyranniſchen Hiſpaniſchen Inquisition Heimlichkeiten Joachimi Beringeri, itemque librum Reginaldi Gonsalvii Montani, cujus titul. Praktiken der Spaniſchen Inquisition edit. Heidelb. anno 1569. Quae omnia non Christianum et spiritualem, sed Antichristianum et carnalem zelum spirant. 5. Si vero et pio salutis nostrae zelo flagrarent Pontificii, eadem etiam media ad conversionem eligerent, quae Christus et apostoli praescripserunt. Jam vero illis repudiatis ea capiunt, quae Christus et apostoli prohibuerunt. Scripturae ignorantia fons est erroris, teste Christo Matth. 22, v. 29. sed ipsi lectione Scripturarum hominibus interdicunt et argumentis *non ex Spiritus Sancti schola, sed ex carnificum officina* petitis, eos quos errare dicunt, refellere conantur. 6. Ad *exempla* quod attinet a Bellarmino adducta, ab illis tantum distat Romanensium zelus in haereticis occidendis, quantum distat summum coelum ab infima terra.

Saepe scelus coeli zelus velamine texit,
Relligio velum est, quod tegit omne scelus.

Differunt enim primo *respectu causae efficientis impulsivae.* Zelus Christi et sanctorum fuit bonus, a Spiritu Dei excitatus, egerunt enim secundum legem et voluntatem Dei, ideo etiam fuit zelus secundum scientiam. Sic de Mathathia dicitur 1. Macc. 2, v. 24: *Accensus est furor ejus secundum judicium legis.* Christus ejiciens e templo vendentes et ementes provocat ad vaticinia prophetarum Esai. 56, v. 7. Jerem. 7, v. 11: *Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Joh. 2, v. 17: *Recordati sunt discipuli ejus, quia scriptum est* Psalm. 69, v. 10: *Zelus domus tuae comedit me.* Sed Romanensium zelus ex spiritu Antichristiano, qui est mendax et homicida Joh. 8, v. 44. originem ducit, caret verbo Dei ideoque etiam scientia, aliam enim rationem agendi cum haereticis Christus et apostoli in N. T. praescripserunt. Secundo *ratione causae instrumentalis.* Christus templi profanatores non gladio, sed flagello punit; Petrus contra Ananiam et Sapphiram verbo agit, qui manu Dei tacti per miraculum occubuere; Paulus clave ligante, non gladio feriente cum incestuoso agit (ὄλεθρος σαρκός 1. Cor. 5, v. 5. diversimode ab interpretibus exponitur, interim certum est, non posse mortem hujus incestuosi intelligi, quia acta poenitentia receptus est in ecclesiam a Corinthiis 2. Cor. 2, v. 7.); sed Romanenses igne et gladio agunt, nec speciali quodam miraculo, sed crudeli et communi spectaculo haereticos quos vocant interficiunt. Tertio *ratione objecti.* Moyses et Pineas impios, scortatores et homicidas occidunt, Christus templi profanatores flagellat, Petrus eos, qui Spiritui sancto mentiti erant, exitio tradit, Paulus incestuosum non haereticum tractat; Pontificii eos, quos de haeresi suspectos habent, quamvis ab externis flagitiis penitus immunes sint, nec turbent civilem societatem, ad capitalia supplicia conquirunt.

329. Haec de priore argumento ex Christi doctrina et praxi deducto sufficiant, cujus summa eo redit: Christus modum cum haereticis agendi per supplicia capitalia diserte improbavit. Ergo is modus in ecclesia Christiana N. T. improbandus. Addimus igitur argumentum posterius ex contrario procedendi modo deductum, ubi sic concludimus.
204. Quem modum cum haereticis agendi Christus praescripsit, eo in N. T. contenti simus. Sed Christus talem agendi cum haereticis modum praescripsit, ut ab *illis caveamus* Matth. 7, v. 15. ut a *fermento* seu falsa doctrina ipsorum caveamus Matth. 16, v. 6. et 12. ut eos qui semel atque iterum commoniti ecclesiam non audiunt, *pro ethnicis et publicanis habeamus* Matth. 18, v. 17. Jam vero de omnibus gentibus interficiendis Israëlitae non habuerunt mandatum sicut de Cananaeis. Quo etiam pertinet, quod discipulos suos ad evangelii praedicationem emittens verbo, non ferro, chartis, non lacertis, atramento, non armamento rem peragere et ecclesiae limites propagare jubet Matth. 28, v. 19. ac civitates, quae evangelium recipere recusant, deseri, non deleri mandat Matth. 10, v. 14. Ergo eo cum haereticis agendi modo in N. T. contenti esse debemus. Si quis excipiat, *pertinere istaec omnia ad privatos, interim tamen magistratum Christianum posse gladium stringere adversus haereticos,* ab eo requirimus, ut certo et evidenti aliquo Scripturae dicto probet, magistratui tale quid mandatum vel permissum esse. Quod attinet generalem illam sententiam apostoli Rom. 13, v. 4: *Magistratus non gerit gladium frustra,* ex ea quo minus inferatur, capitali supplicio haereticos qua tales afficiendos esse, obstant illa omnia, quae pro nostra sententia stabilienda hactenus adduximus et in posterum adducemus.

330. Lutherus argumentum ducit ex c. 6. Johannis. Cum discipuli complures offensi concione Christi ab ipso discederent, Christus ad reliquos dicebat v. 67: *Numquid et vos vultis abire?* Ergo etiam ecclesia eodem modo agere debet, videlicet non cogere ad credendum nec capitali supplicio in diversae religionis sectatores animadvertere. Excipit Bellarminus 1. *illos non obligasse se ad manendum, sicut haeretici se per baptismum obligaverant.* Sed hoc frivolum est, quicunque enim Christo dat fidem sive in baptismo, sive extra baptismum, ipso actu se obligat ad manendum, jam vero qui hic abeunt, aliquandiu Christum fuerant secuti ipsique fidem dederant. Et quis patietur sibi persuaderi, illos (si non omnes, tamen aliquos ex ipsis) non fuisse a Johanne baptizatos et per baptismum ad fidem Messiae venturo dandam obligatos, cum *omnis Judaea et omnis regio circa Jordanem* ad ipsius baptismum exiisse dicatur Matth. 3, v. 5. Quodsi vel maxime non fuerunt baptizati, tamen fuere circumcisi et in ipso circumcisionis sacramento fidem Messiae dederunt, ac proinde ad manendum se obligarunt. 2. *Decebat, ut Christus, qui venerat non judicare, non per se suas injurias ulcisceretur, sed eas vendicandas filiis suis spiritualibus relinqueret, cujus rei figuram habemus in David, qui Simei occidi noluit, interim de eo occidendo Salomoni mandatum dedit.* Respondemus: ubi vero exstat mandatum de haereticis occidendis ecclesiae a Christo datum? contrariam potius prohibitionem adduximus ex Luc. 9, v. 56. ubi Christus modo plane contrario procedit. *Filius hominis* (inquit) *non venit ad perdendum animas, sed ad salvandum.* Ergo Samaritani non sunt a vobis apostolis filiis meis igne puniendi. Sed Bellarminus sic concludit. Pontifex et episcopi sunt filii Christi spirituales et apostolorum successores. Ergo curare debent, ut injuriae Christo illatae gladio in haereticis vendicentur.

3. Ex Joh. 6, v. 67: Numquid et vos vultis abire?

331. Doctrinae et praxi Christi ad amussim congruit *doctrina et praxis apostolorum.* Illi enim a Christo rectius edocti et ab intempestivo suo zelo revocati non amplius de haereticis e vita exstirpandis cogitarunt, neque magistratui, ut eos occiderent, auctores fuerunt, sed fugere haereticos jus-

2. Ex doctrina et praxi apostolorum.

serunt et correptionis ac exclusionis poenam adversus ipsos sufficere judicarunt. Act. 20, v. 30: *Exsurgent fratres viri loquentes perversa*, v. 31. *propter quod vigilate*. Rom. 16, v. 17: *Rogo* σκοπεῖν, *ut observetis eos, qui dissensiones et scandala ex-*
XIV. 205. *citant praeter doctrinam, quam didicistis*, ἐκκλίνατε, *declinate ab illis*. 1. Cor. 5, v. 10: *Idololatris ne commisceamini*. v. 11. *Si quis inter vos nominatur frater et est idololatra, cum eo nec cibum sumite*. 1. Tim. 6, v. 3. et seqq. graphice depingit apostolus haereticorum mores et facta et addit v. 5: ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, *sejunge te ab his*. 2. Tim. 2, v. 24. seqq.: *Servum Domini non oportet* μάχεσθαι *pugnare, sed mansuetum esse et cum modestia corripere eos, qui resistunt*, τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, *si quando det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem*. Tit. 3, v. 10: *Haereticum hominem post unam atque alteram admonitionem* παραιτοῦ, *devita*. Johan. epist. 2, v. 10: *Si quis venit ad vos et non affert hanc doctrinam, nolite eum recipere in domum, nec ave illi dixeritis*, v. 11. *qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis*. Neve alicui in mentem veniret gladio et ferro contra haereticos pugnare, disertis verbis negat apostolus 2. Cor. 10, v. 4. *arma militiae nostrae esse carnalia; proinde etiam carnalibus sive corporalibus armis* non est contra haereticos utendum. Optat sane idem apostolus Gal. 5, v. 12. illos, qui perturbaverant Galatas falsa doctrina, ἀποκόπτεσθαι, *abscindi*, sed non intelligit abscissionem e terra viventium, sed spiritualem a corpore Christi abscissionem, hoc est excommunicationem, et alludit ad nomen circumcisionis, quam illi praepostere urgebant, unde etiam Philip. 3, v. 2. illos vocat *concisionem*. 1. Tim. 1, v. 20. Hymenaeum et Alexandrum per excommunicationem *Satanae tradit* apostolus, sed corporalem poenam infligi curat nullam. Ex quibus omnibus sic concludimus. Qui modus puniendi haereticos non fuit ab apostolis probatus, sed potius correctus, ille in N. T. merito repudiatur. Sed modus puniendi haereticos per supplicia capitalia non fuit ab apostolis probatus, sed potius correctus. Ergo. Bellarminus excipit *1. Paulum quidem non praecepisse, ut comburerentur haeretici, interim tamen nec prohibuisse;* sed huic cavillo respondimus superius. Quos apostoli jubent vitare et ab illis declinare, nec salutatione eos impertiri, illos oportet in vivis relinqui, oppido namque absurdum foret prohibere, ne quis conversetur cum illis, nec salutet eos, quos gladio occidi velit. Jam vero apostoli jubent haereticos vitare etc. *2. Apostolos non invocasse contra haereticos brachium seculare, quia tunc nullus erat Christianus princeps, quem invocarent, sed postquam imperatores et reges ad fidem Christianam conversi sunt, tunc ecclesiam auxilium secularis brachii implorasse*. Augustinus ep. 50. Respondemus: De praxi ecclesiae dicetur inferius, hoc loco illud monemus, non esse in quaestione, an magistratus ad fidem Christi conversi auxilium contra haereticos orthodoxi implorare possint, quod libenter concedimus, sed an haereticos capitali supplicio afficiendos magistratui tradere debeant, quod Augustinus nuspiam asserit, sed potius contrarium. 3. Est qui sic excipit: *Si correptionis et exclusionis poena juxta doctrinae apostolicae praescriptum adversus haereticos sufficit, magistratui ademta fuerit potestas coërcendi et puniendi haereticos*. Respondemus: minime vero, siquidem non privatis duntaxat, sed publicis etiam personis, id est in publico officio constitutis, adeoque omnium ordinum hominibus hoc dictum, ut *fugiant, declinent seque separent ab haereticis*. Privati ergo haereticos sufficienter admonitos a communione convictus, ecclesiae ministri a communione corporis ecclesiastici, magistratus a communione civilis societatis excludere et lupos ab ovili Domini arcere possunt ac debent.

332. Alteram argumentorum classem ducimus *ex rationibus*. 1. Quod conversioni et saluti errantium viam praecludit, illud merito in ecclesia Christiana improbandum. Sed capitali supplicio in haereticos saevire conversioni et saluti eorum viam praecludit. Ergo. Assumtum patet tum ex verbis patrisfamilias Matth. 13, v. 29. per eradicationem zizaniorum simul triticum eradicari contestantis; tum ex ipsa praxi. Multi enim haeretici per fidelem informationem et conversationem cum fidelibus ad agnitionem veritatis perveniunt et ex diaboli laqueis resipiscunt 2. Tim. 2, v. 26. ad quam initio nullis rationibus permoveri potuerant. *Nonne sunt duodecim diei horae?* inquit Salvator Joh. 11, v. 9. Ergo non statim de conversione et salute errantium desperandum, si vel maxime obstinatos sese praestant, possunt enim in hora undecima demum converti, qui in prioribus decem vocem Domini audire noluerunt. At quomodo de haeretici salute non desperat, quo pacto ad poenitentiam eum provocat, qua ratione illius salutem se exoptare ostendit, qui magistratui eum necandum tradit? Si Christus Luc. 9, v. 55. permisisset, ut igne coelitus delapso apostoli Samaritanos perdidissent, non potuisset postea Actor. 8, v. 14. Samaria recipere verbum Dei; si Saulus persecutor inter haereticos occisus fuisset, non habuisset ecclesia Paulum praedicatorem Act. 8, v. 3. si tempore Augustini Hispanica inquisitio in ecclesia locum habuisset, praeclarum illud et fructuosissimum tritici granum evulsum et eradicatum fuisset, siquidem per novem annos Manichaeorum errorum lolio fuit repletus.

2. Ex tionib 1. A c versio nis et salutis praecl sione.

XIV. !

333. 2. Ad fidem nemo cogi potest vel debet, ut demonstratum fuit superius. Requirit enim Deus *populum voluntarium* et cultum spontaneum, Ps. 110, v. 3. *nec placent ipsi coacta servitia*. Lev. 19, v. 5: *Cum sacrificaveritis sacrificium pacificorum Domino, ad voluntatem vestram* (sive secundum beneplacitum vestrum) *illud sacrificabitis*. Atqui in haereticos usque ad mortem saevire nihil aliud est quam ad fidem cogere velle et dominium in conscientias sibi arrogare, quod tamen soli Deo est

2. Ab alieni muner invasi

relictum. Externa delicta externis poenis coërceri possunt, sed interiores cogitationes et erroneae opiniones non ferro et vi externa, sed pia informatione et contrariarum cogitationum instillatione corrigi atque emendari possunt. Testis pol locuples est experientia, coactionibus illis in negotio religionis parum fuisse profectum, quin et pessime ut plurimum easdem cessisse. Qui enim violentis mediis ad religionis abjurationem coguntur, aut Epicurei evadunt, quibus omnis religio est una religio, aut hypocritae, qui poenae metu quidvis amplecti sese simulant, aut seditiosi, qui praetextu religionis tumultus excitant. Richard. in c. 10. refut. Alcor.: *Potest quis cogi, ut ore confiteatur, se credere, cor autem ad credendum cogi est impossibile.* Excipit Bellarminus 1. *fidem ita esse donum Dei, ut etiam sit actus liberi arbitrii, alioquin etiam castitas et ceterae virtutes sunt dona Dei, et tamen recte puniuntur adulteri, homicidae, latrones, et coguntur caste ac juste vivere. Sapientia quoque est donum Dei, et tamen scriptum est Prov. 29. virga et correptio tribuunt sapientiam. Denique fides est donum Dei, sed Deus hoc donum conservat variis modis, quorum unus est correptio.* Respondemus: a correptione ecclesiastica et politica ad capitale supplicium non valet consequentia, quia proceditur a non distributo ad distributum. Corripiendos esse errantes in fide, concedimus, sed capitali supplicio afficiendos esse, negamus. Fidem esse liberi arbitrii actum ambigue dicitur, vel enim intelligitur hoc sensu, quod fides sit opus virium naturalium; vel, quod volentes credamus, Spiritu sancto scilicet voluntatem efficaciter movente, inclinante et novis spiritualibus viribus instruente. Priori sensu hanc phrasin negamus, posteriori concedimus et ex eo inferimus, quia nemo cogi potest, ut credat invitus, ideo coactione externa nihil quidquam proficitur. Homicidia, adulteria, latrocinia etc. sunt delicta externa, ideoque etiam poenis externis capitalibus possunt coërceri, sed haeresis est delictum animi interius, ideoque poenis externis capitalibus emendari et corrigi nequit. 2. *Liberum accipitur duobus modis, primo ab obligatione, et sic fides in iis, qui eam nunquam receperunt, libera est ab obligatione juris humani, sed non divini, et ideo homines non*
107 *cogunt, Deus tamen puniet; at in iis, qui eam in baptismo professi sunt, non est libera ab obligatione, nec juris divini, nec humani, et ideo cogunt homines, ut ea servetur; secundo sumitur liberum, ut distinguitur contra necessarium, quae libertas non impedit, quin homines male agentes puniantur* etc. Respondemus: falsa est illa distinctio, quod ii, qui veram fidem non sunt amplexi, non sint cogendi, illi vero, qui in baptismo eam professi, sed jam ab ea defecerunt, cogendi sint, ut fidem servent. Contrarium aliquot argumentis ostendimus superius, ac si quid dandum hac in parte discriminis ex parabola Luc 14, v. 17. plane contrarium colligi posset, ibi enim qui jam erant intra civitatem Dei, puta *Judaei*, per circumcisionem in ecclesiam recepti humaniter ad coenam magnam invitantur; sed qui in viis ac circa sepes extra civitatis pomoeria vagabundi oberrant, intrare *compelluntur.* Ceterum duplex est illa compulsio ac coactio: Primo alia *ecclesiastica* seu spiritualis, qua conciones legales exaggerantur, poenarum comminationes inculcantur, gravitas delicti, violati scilicet foederis cum Deo prius initi, justo zelo taxatur, hanc ab ecclesiae ministris adhibendam facile concedimus; alia *politica* sive civilis, quae fit gladio magistratus, eam contra haereticos adhibendam negamus, nec poterit Bellarminus contrarium ex eo demonstrare, quod haeretici fidem in baptismi foedere Deo dederint ideoque ad eam servandam capitalibus suppliciis cogi possint, etenim si omnes illi, qui a baptismi foedere resiliunt, gladio puniendi et ad servandam Deo fidem capitalibus suppliciis cogendi, nemo hominum aciem gladii effugere poterit. Deinde alia coactio *fit ad fidem*, alia *ad fidei media*, auditum scilicet verbi divini, illa non potest obtineri, ergo nec debet suscipi, haec vero pii magistratus vigilantia obtineri potest. *3. Terroribus et suppliciis haereticorum aliquid profici, experientia teste comprobatur, quia Donatistae, Manichaei et Albigenses armis profligati et exstincti sunt, et Augustinus epist. 48. testatur, plurimos conversos suo tempore ob metum poenae.* Respondemus: violentis illis mediis animi hominum a religione magis abalienantur, seditionibus occasio praebetur et hypocrisis vel Epicurea securitas introducitur, ut multis exemplis demonstrari potest. Facili negotio fieri potest, ut diversae religionis asseclae violentis mediis ad nostram compulsi mutata rerum facie simili crudelitate conversores, vel potius persecutores suos tractent ac sub praetextu religionis sanguinolenta bella excitent. Scioppius in Scalig. hypobol. pag. 321. excipit *1. Christum Joh. 6, v. 44. asserere, quod nemo ad se veniat, nisi pater traxerit ipsum. Ergo coactiones illas non esse improbandas.* Respondemus: magnum discrimen est inter tractionem Dei internam et vim magistratûs capitalia supplicia irrogantis externam. Trahit Deus mentem interius illuminando, voluntatem efficaciter flectendo, hacque ratione ex nolente volentem efficiendo, unde statim additur v. 45: *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Sed magistratus externa violentia nihil aliud impetrat, quam ut externis actibus et verbis in ore natis se amplecti simulent, quod corde aversantur ac detestantur. *2. Non tam ad fidem quam solicitudinem fidei coactionem fieri, ac stolidiores in errore non tantum correptione, sed centum plagis, id est poenis ac incommodis, compescendos esse.* Respondemus: ad fidei solicitudinem et erroris correctionem media legitima sunt adhibenda, videlicet diligens informatio, solida errorum refutatio, ad sedulum verbi auditum adhortatio etc. capitalibus autem suppliciis non errantium correctio, sed eorum excidium quaeritur.

334. 3. Capitalia supplicia delictis corporalibus gravioribus publicam humanae societatis tranquilli- 3. A culpae et poenae

proportione. tatem destruentibus debentur. Sed haeresis non est delictum aliquod corporale publicam humanae societatis tranquillitatem destruens, nisi seditio adversus magistratum accedat, sed est delictum spirituale. Ergo non est capitali supplicio punienda. Claudius Lysias Felici praesidi scribit Act. 23, v. 27: *Virum hunc* (Paulum apostolum) *comprehensum a Judaeis*
XIV. 208. (tanquam haereticum pessimum) *et cupientem interfici ab eis, μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, superveniens cum exercitu eripui, cognito quod Romanus est* v. 28. *volensque scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum,* v. 29. *quem inveni accusari de quaestionibus legis ipsorum, nullum vero dignum morte aut vinculis habentem crimen.* Refert Cornelius Tacitus, Tiberium dicere fuisse solitum, *deorum injurias diis curae esse,* cum quo congruit illud imperatoris Alexandri l. 2. C. de reb. cred.: *Jurisjurandi contemta religio satis Deum ultorem habet.* Harmen. l. 1. ep. tit. 7. de jurejur. inquit: *Nemo, qui per Deum pejeraverit, periclitatur, satis enim Deum ultorem habet jurisjurandi per Deum praestiti contemta religio.* Vide Cujacium l. 2. obser. 19. Don. de jurejur. c. 9. Pari ratione de haeresi loquens Theodosius imperator l. 1. C. de summ. Trinit. mentionem facit *vindictae divinae,* ac licet addat, *post etiam motus nostri,* tamen iis minae potius quam poenae continentur, tunc enim non erant certae haereticorum poenae legibus comprehensae, ut constat ex tit. C. de haeretic. in quo continentur quidem variae haereticorum poenae, sed omnes introductae per imperatores Theodosio posteriores, Giphanius in comm. ad l. 1. C. de summ. Trin. Huc referri etiam potest illud Cypriani contra Demetrium: *Si quid diis tuis numinis et potestatis est, ipsi in ultionem suam surgent, ipsi se majestate sua defendent. Si se de non colentibus vendicare non possunt, quid colentibus praestare poterunt? Nam si eo qui vendicatur, pluris est illi, qui vendicat, tu diis tuis major es; si autem iis, quos colis, major es, non tu illos colere, sed ab iis coli debes, pudeat te eos colere, quos ipse defendis, pudeat tutelam ab ipsis sperare, quos tu tueris.* Similia apud Lactantium et Arnobium contra ethnicos persecutores dicta occurrunt.

4. Ab Antichristi propria persecutione. 335. 4. Saevire in haereticos usque ad sanguinem est haereticum et Antichristianum. Ergo ecclesia Christiana ab eo debet abstinere. Antecedentis membrum prius probatur ex vulgato illo Augustini lib. 3. contra Crescon. grammat. c. 50: *Nullis bonis in catholica placet, si usque ad mortem in quenquam, licet haereticum, saeviatur,* et ex praxi haereticorum. Tripartita lib. 12. cap. 4. de Nestorio commemorat, quod in prima sua inauguratione ad archiepiscopatum Constantinopolitanum imperatori dixerit: *Da mihi, o imperator, terram ab haereticis liberam et ego coelum tibi reddam, tu mihi haereticos exstirpa, et ego Persis delendis adero.* Ariani, Donatistae, Eutychiani etc. summa crudelitate orthodoxos sunt persecuti. Eudoxius Arianus imperatorem Valentem Arianum juramento adstrinxit ad defensionem Arianae haereseos et exstirpationem diversum statuentium per gladium et quaevis tormenta; Dioscorus cum defensionem Eutychianismi suscepisset, orthodoxos episcopos stipatis militibus ad subscriptionem coëgit; Turca in Corano mandat interfici eos, qui legi suae obedire recusant, inde recte dicitur can. 13. caus. 23. q. 4: *Nunquam spiritualis carnalem persequitur, sed carnalis spiritualem.* Posterius membrum constat ex descriptione crudelitatis et tyrannidis ab Antichristo exspectandae. Dan. 8, v. 24. sub typo Antiochi de ipso dicitur: *Interficiet robustos et populum sanctorum.* c. 11, v. 41: *Multi corruent.* v. 44: *Interficiet plurimos.* Apoc. 11, v. 7: *Bestia faciet adversus testes Dei bellum et vincet illos et occidet eos.* cap. 13, v. 15: *Faciet, ut quicunque non adoraverint imaginem bestiae, occidantur.* cap. 17, v. 6: *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu.* Quae omnia de Antichristo illo magno, *perditionis filio* 2. Thess. 2, v. 3. loquuntur. Quando igitur Papani praetextu religionis tot sanguinum rivos effundant, re ipsa probant, se esse Antichristianos.

336. 5. Pugnat cum mansuetudine, qua ecclesia N. T. propagari debet, haereticorum interfectio. Ergo merito est improbanda. Pulchre Christoph. Agricola in propugn. antipist. p. 34: *Ecclesia Christi non sitit sanguinem, quia sponsus ejus est agnus.* Excipit Bellarminus, *non esse hoc contra mansuetudinem ecclesiae, quia tenetur misereri filiorum suorum, et tunc vere immitis et crudelis esset, si mallet parcere lupis quam ovibus; deinde quia ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset, ut patet ex variis legibus antiquiorum imperatorum in C. de haeres.* Respondemus: non dicimus, capitalia supplicia absolute et simpliciter cum ecclesiae mansuetudine pugnare, quia facinorosorum supplicia non pugnant cum magistratus Christiani mansuetudine; nec dicimus, quasvis haereticorum coërcitiones cum mansuetudine ecclesiae pugnare; sed hoc dicimus, haereticorum capitalia supplicia pugnare cum mansuetudine ecclesiae Christianae in N. T. cujus assertionis rationem petimus ex vaticiniis propheticis de modo propagandae ecclesiae in N. T. et ex differentia status V. ac N. T. ab ipso Christo in hac quaestione monstrata, Luc. 9, v. 54. Quod Bellarminus asserit, *ecclesiam omnes alias rationes prius expertam fuisse, antequam ad ultimum supplicium inferendum descenderet,* id probe notare jubemus, ex eo enim manifeste colligitur, ecclesiae primitivae apostolorum temporibus viciniori non fuisse in more positum haereticos capitaliter punire, tandem vero cum Antichristianorum errorum semina in ecclesia spargerentur, etiam hoc lolium succrescere simul coepit. Et quid multis? Bellarminus ipse fatetur cap. 21. probat. 4. *Augustinum existimasse, pugnare*

5. A trar eccl XIV stic mai tadi con tion

cum ecclesiae mansuetudine haereticorum occisionem. Ergo ipsius opinio ab Augustini sententia hac in parte plurimum distat.

337. 6. Ex violentis illis haereticorum persecutionibus multa oriuntur *incommoda*. 1. Sub praetextu inquisitionis in haereticam pravitatem saepius innocentes e medio tolluntur, ex judicum vel delatorum vel testium avaritia, invidia aliisque affectibus perversis. Vide historiam lanienae Parisiensis et inquisitionis Hispanicae. 2. Pereunt, qui successu temporis ad veritatis agnitionem perduci poterant. 3. Multi ex haereticorum pertinacia ad haeresin inflammantur. 4. Bella, seditiones et caedes excitantur, ut constat exemplo Arianorum in ecclesia orientali, Vandalorum in Africa, Gothorum in Italia etc. Ariani cum a Christianis imperatoribus orthodoxis duriora essent perpessi, mox alium et suae quidem haeresi addictum imperatorem nacti eadem orthodoxis iterum intulerunt. 5. Nec omnes magistratus certamina ecclesiae intelligunt nec satis diligenter ea expendunt, facile igitur fieri potest, ut praetextu religionis in homines innocentes saeviatur. 6. Armamus contra nos ipsos Antichristum, cujus proprium est bello et armis, igne et gladio saevire adversus eos, qui ab ipso secessionem fecerunt. Vide anonym. defens. Lutheri contra Parisienses p. 92. et sequentib. ubi singula membra latius deducuntur. 7. Saevitur in eos, de quibus nondum constat, *an vere et proprie loquendo sint haeretici*, nam ad haereticum proprie sic dictum requiritur, ut sit *αὐτοκατάκριτος*. At nemo scire potest, an ex infirmitate erret, an contra conscientiae testimonium.

338. Tertiam argumentorum classem pro confirmanda nostra sententia deducimus ex *ecclesiae primitivae consensu*, videlicet *1. ex patrum testimoniis, 2. ex conciliorum definitionibus, 3. ex ipsa ecclesiae praxi*. 1. Patrum testimonia revocamus ad has classes: 1. negant, religionem caede et sanguinis effusione propagandam. Dicta illa citavimus superius in quaestione, *an magistratus subditos ad fidem cogere debeat*. Hoc loco addimus quaedam testimonia ex Luthero, in quibus idem cum patribus istis asserit. tom. 2. Jen. Germ. fol. 180: Weltliche Obrigkeit ſoll zufrieden ſein und ihres Dinges warten und
210. laſſen glauben ſonſt oder ſo, wie man kann und will, und Niemand mit Gewalt bringen, denn es iſt ein frei Werk um den Glauben, dazu man niemand zwingen ſoll, ja es iſt ein göttlich Werk im Geiſt, geſchweige denn daß es äußerliche Gewalt erzwingen ſollte. f. 348: Es ſtehet in der Legenda S. Johannis, *Non placent Deo coacta servitia*, und wann ſchon das dieſelbe Legenda nicht ſagte, ſo halten es doch alle Schriften in ſich. tom. 4. Jenens. Germ. f. 408: Man ſoll ja einen jeden glauben laſſen, was er wolle, glaubt er unrecht, ſo hat er genug Strafe am ewigen Feuer in der Hölle, warum will man ſie denn zeitlich martern, ſofern ſie am Glauben irren, und nicht daneben aufrühriſch, oder ſonſt der Obrigkeit widerſtreben, mit der Schrift und Gottes Wort ſoll man ihnen wehren und widerſtreben, mit Feuer wird man wenig ausrichten. tom. 7. fol. 144: Es iſt nicht evangeliſch noch chriſtlich, mit Verfolgung wider die Ketzer zu fechten. 2. Negant, poenam haereticorum usque ad capitale supplicium extendendam. Augustinus lib. 3. contra Cresc. c. 50. in princ.: *Nullis bonis in catholica hoc placet, si usque ad mortem in quemquam licet haereticum saeviatur;* in epistol. 127. ad Donatum proconsul. de Donatistis: *Corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa illos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, ut sint, quos peccasse poeniteat. Quaesumus igitur, ut cum ecclesiae causas audias, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictam esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris et petitionem nostram non obliviscaris. Non tibi vile sit neque contemtibile, quod vos rogamus, ne occidantur, pro quibus Dominum rogamus, ut corrigantur.* Et postea: *Etiam occidi ab illis eligemus, quam eos occidendos vestris judiciis ingeramus.* Epist. 158. ad Marcell.: *Poena sane illorum* (Donatistarum) *quamvis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, ut praeter supplicium mortis sit, et propter conscientiam nostram et propter catholicam mansuetudinem commendandam.* ** Idem tom. 6. contra ep. Fundam. c. 2: *Illi saeviant in vos, qui nesciunt, quo cum labore verum inveniatur, et quam difficulter caveantur errores; illi in vos saeviant, qui nesciunt, quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piae mentis serenitate superare; illi in vos saeviant, qui nesciunt, quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis, ut possit intueri solem suum; illi in vos saeviant, qui nesciunt, quantis gemitibus et suspiriis fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi Deus; postremo illi in vos saeviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem saevire in vos omnino non possum, quia sicut me ipsum illo tempore, ita vos nunc debeo sustinere et tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus et coecus errarem.* ** l. 1. contra literas Petiliani c. 29. in princ.: *Diligite homines, interficite errores, sine saevitate pro veritate certate.* (Excipiunt, *Augustinum hanc suam sententiam revocasse* libro 2. retract. capit. 5. et in epist. 48. et 50. Respondemus: opinionem de impunitate haereticis concedenda revocavit ac magistratus officio eosdem coërcendos esse judicavit, sic enim habent verba libro 2. retract. capite 5: *In primo libro contra Donatistas dixi, mihi non placere, ullius secularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari, quod vere mihi tunc non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali auderet eorum impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferri posset diligentia disciplinae.* Sed capitis supplicium illis irrogandum esse, nunquam asseruit, quin potius pro mitiori ipsorum poena apud judices intercessit, ut constat ex epistola 50. Agnoscere id ipsum cogitur Bellarminus libro 3. de laicis c. 21. argum. 4. *Augustinus*, inquit, *retractat, quod aliquando senserat, non esse vi cogendos haereticos ad fidem, et pro-*

lixe probat id utilissimum, semper tamen excipit supplicium mortis, non quod illos hoc non mereri putaret, sed tum quia hoc decere ecclesiae mansuetudinem existimabat, tum etiam quia nondum ulla exstabat lex imperatorum, qua haeretici juberentur occidi.) Chrysostomus hom. 47. in Matth. capit. 13:
XIV. 211. *Non prohibet Dominus conciliabula haereticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verum prohibet interficere ac trucidare.* Idem in serm. de anathem.: *Haereticis satisfieri oportebat sermone redarguente errorem, qui incrudescit; doce, ait, in lenitate erudiens eos, qui obsistunt, si quando det illis Deus poenitentiam ad agnoscendam veritatem.* Et postea: *Oro vos, ne haec verba mente vobis excidant. Dogmata impia et quae ab haereticis profecta sunt, arguere oportet et anathematizare, hominibus autem parcendum et pro salute ipsorum orandum.* 3. Cum ecclesiae Christianae mansuetudine haereticorum occisionem et persecutionem pugnare asserunt. Hilarius in libro ad Auxentium p. 294: *Misereri licet nostrae aetatis laborem et praesentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, et ad tuendam Christi ecclesiam ambitione seculari laboratur* etc. *Nunc proh dolor, divinam fidem suffragia terrena commendant, terret exsiliis et carceribus ecclesia, credi sibi cogit, quae exsiliis et carceribus est credita, fugat sacerdotes, quae fugatis sacerdotibus propagata.* **Cum fervidior episcopus Theodosius haereticos urbe et agris pelleret, *contra morem ecclesiae orthodoxae hoc fuisse, quae neminem persequi consueverit,* Socrates libr. 7. capite 3. testatur. Constantinus imperator apud Eusebium libro de vit. Constant. capit. 38: *Ut summae dementiae est eorum, qui in religiosis controversiis a vero discedunt, fidem dolere; sic hominibus cum mente capti sint, poenas infligere extremae dementiae et inscitiae est.* Tempore Ambrosii et Martini damnati sunt ecclesiae judicio episcopi, qui ut in Priscillianum et complices haereticos gladio animadverteretur curaverant, reliquis orthodoxis cum ipsis communicare nolentibus, et in Oriente damnata fuit synodus, quae in Bogomili exustionem consenserat.** Chrysostomus homil. 12. ad Ephes.: *Sermonis nobis doctrina commendata est, non principatus, non potestatis auctoritas. Ordinem tenemus consulentium. Qui consulit, non cogit. In hoc culpabilis, si non quae decent et oportet, pastor dixerit. Est enim fides ex auditu, non a violenta coactione.* Homil. 67. ad popul. Antiochen.: *αἱμάτων δεῖ γέμειν τὸν τοῦ χριστιανοῦ βίον, αἱμάτων οὐκ ἐν τῷ τὰ ἀλλότρια ἐκχεῖν, ἀλλὰ ἐν τῷ ἕτοιμον εἶναι τὸ ἑαυτῶν ἐκχεῖν.* Augustinus epist. 160. ad Apringium judicem: *De vobis quidem dixisse apostolum legimus, quod non sine causa gladium geratis et ministri Dei sitis vindices in eos, qui male agunt, sed alia causa est provinciae, alia ecclesiae. Illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* Ambrosius ab Arianis lacessitus: *Dolere,* inquit, *potero, potero flere, potero gemere; adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymas meas arma sunt, talia enim sunt munimenta sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere.* Nazianzenus serm. 3. de pace: *Ad manus venire penitus ab ovili Christi alienum et illis, qui nos odio habent, relinquendum.* Arnobius lib. 1. contra gentes p. 14: *Christi magisterio et legibus accepimus, nostrum potius fundere quam alieno polluere manus et conscientiam cruore.* 4. Conversionem haereticorum exspectandam esse admonent. Chrysostomus hom. 47. in Matth.: *Si praevenientes zizania evelletis, ea frumenta deperibunt, quae a commutatis zizaniis provenirent.* Hieronymus in c. 2. Hoseae in princ.: *O homines tribus Juda, nolite desperare decem tribuum salutem, sed eam quotidie et sermone et voto, et per literas ad poenitentiam provocate* etc. *hoc idem nobis praecipitur, ne haereticos penitus desperemus, sed provocemus ad poenitentiam, et illorum salutem germanitatis optemus affectu.* Augustinus de baptism. contra Donatist. lib. 4. c. 3 circa med.: *Multi qui aperte foris sunt et haeretici appellantur, multis et bonis Catholicis meliores sunt. Quid enim sint hodie, videmus; quid cras futuri sunt, ignoramus.* 5. Contra haereses, utpote delictum spirituale arma spiritualia adhibenda esse praecipiunt. Hieronymus in praefat. lib. 4. comm. in Esaiam: *Superbissimam haeresin spirituali mucrone truncemus.* 6. Soli Deo exstirpationem haereticorum relictam esse asseverant. Cyprianus libro 3. epist. 3.
ad Maximum Urbanum, Sidonium et Macarium circa XIV
finem: *Apostolus in epistola sua scribit: In domo autem magna non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quaedam quidem honorata, quaedam vero inhonorata. Nos operam demus et, quantum possumus, laboremus, ut vas aureum vel argenteum simus. Ceterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui et virga ferrea data est. Esse non potest major Domino suo servus, neque quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vendicare potest, ut putet aut ad aream ventilandam et purgandam paleam ferre, se jam posse, aut a frumento universa zizania humano judicio segregare. Superba est ista obstinatio et sacrilega praesumtio, quam sibi furor pravus assumit, et dum dominium sibi semper quidam plus quam mitis justitia deposcit, assumunt, de ecclesia pereunt.* Augustinus lib. de fide et operibus c. 4: *Quidam intuentes praecepta severitatis* (quibus admonemur *corripere inquietos, non dare sanctum canibus, ut ethnicum habere ecclesiae contemtorem, a compage corporis membrum, quod scandalisat, avellere) ita perturbant ecclesiae pacem, ut conentur ante tempus separare a zizania, atque hoc errore excoecati ipsi potius a Christi unitate separantur.* 7. Haereticorum proprium esse testantur occidendo religionem suam propagare. Athanasius in epist. ad solit. vitam agentes de Arianis sic scribit: *Invitos ad mutationem sententiae coëgerunt, quod hominum minime est suae causae confidentium, non enim gladiis aut jaculis aut militari manu veritas*

praedicatur, sed suadendo et consulendo. Quae autem ibi suadendi libertas aut consulendi ratio, ubi qui contradicit, pro mercede aut exsilium, aut mortem reportat? Ibid.: *Nova autem ista et exsecrabilis haeresis, cum rationibus obruitur, cum ipsa veritate pudefacta concidit, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis carceribusque ad se pertrahere nititur, atque ita se ipsam, quam non sit pia et cultrix Dei, manifestat.* Hieronymus in capite quarto Galat.: *Qui secundum carnem natus erat, persequebatur spiritualem, nunquam enim spiritualis carnalem persequitur, sed ignoscit ei sciens, per tempus adhuc eum proficere posse.* 8. Haereticos potius commiseratione quam supplicio dignos esse censent. Augustinus contra epist Fundament. c. 2: *Illi in vos saeviant, qui nesciunt, cum quo labore verum inveniatur, et quam difficile caveantur errores; illi in vos saeviant, qui nesciunt, quam rarum et arduum sit carnalia phantasmata piae mentis serenitate superare; illi in vos saeviant, qui nesciunt, cum quanta difficultate sanetur oculus hominis interioris, ut possit intueri solem suum* etc. *illi in vos saeviant, qui nesciunt, quibus suspiriis et gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi Deus; postremo illi in vos saeviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident.* Constantinus apud Euseb. l. 1. de vita Constant. c. 38: *Ut summae clementiae est eorum* (qui in religione diversum sentiunt) *fidem dolere, sic hominibus cum mente capti sunt, poenas infligere, extremae dementiae est et inscitiae.*

339. 2. *Ex conciliis.* Nullum ex antiquitate pro-
11a. ferri potest concilium, in quo statutum fuerit, haereticos occidendos esse. In concilio Constantiensi an. 1415. demum hoc statutum, quando Johannem Huss et Hieronymum Pragensem synagoga Antichristi contra datam ab imperatore Sigismundo fidem propter crimen haereseos ipsis intentatum flammis adjudicavit. Quatuor illa potiora oecumenica concilia, Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum et Chalcedonense, damnarunt Arium, Macedonium, Nestorium et Eutychetem eosque ex ecclesia Dei excluserunt, sed non fuerunt auctores Christianis imperatoribus, ut e medio illos tollerent. Concilium Toletanum 4. can. 56. statuit: *Nemini ad credendum vim inferendam esse, cum Deus misereatur, cujus velit misereri, et induret, quem velit indurari.*

12. 340. 3. *Ex primitivae ecclesiae praxi.* Haeresiarchas illos Arium, Macedonium, Nestorium, Eutychetem, cum legitime ex Scripturis convicti ab haeresibus suis recedere nollent, ex ecclesia Dei exclusos et in exsilium pulsos legimus, sed a Christianis imperatoribus ad supplicium esse raptos, nuspiam legimus. Cum concilium Nicaenum Arium anathemate percussisset et ex ecclesia Alexandriae ejecisset, atque multi alii auctores imperatori Constantino Magno fuissent, ut impietatem dogmatis morte auctoris expiaret, Christianissimus tamen imperator a sanguine abstinuit et publico edicto ad exsilium illum condemnavit, Socrates l. 1. hist. eccl. c. 8. Ejusdem imperatoris de religionis libertate constitutionem memorat Eusebius libro 10. histor. eccles. capite 5: *Jam olim quidem* (inquit) *considerantes, non esse religionis libertatem prohibendam, sed uniuscujusque animo ac voluntati facultatem tribuendam, res suas pro voto suo quemlibet curare et Christianis haereseos ac religionis suae fidem custodire jussimus.* Et postea: *Et nunc igitur libere ac firmiter quisquis hanc voluntatem habet, ut Christianorum voluntatem servet, hoc ipsum sine omni molestia faciat.* Tandem addit hujus suae constitutionis rationem: *Quia id tranquillitati nostrorum temporum conducere manifestum est.* Theodosius et Valentinianus cum aliquandiu Nestorii furorem tolerassent, tandem ipsum in concilio Ephesino legitime damnatum in exsilium miserunt. Valentinianum imperatorem cum episcopi Ariani in Oriente solicitarent ad persequendum eos, qui Nicaenae fidei symbolum retinebant, indignabundus illis respondit, *inique ipsos petere, ut imperatoria sua potestate hoc modo abutatur,* Nicephorus l. 11. hist. eccl. c. 30. De eodem imperatore commemorat Ammianus l. 20. ipsum hoc *moderamine principatus inclaruisse, quod inter religionum diversitatem medius steterit, nec quemquam inquietaverit, nec interdictis minacibus subditorum cervices ad id, quod ipse colebat, inclinarit, sed has partes intemeratas reliquerit.* Gratianus imperator religionibus inter se variantibus in Christianismo libertatem dedit, *ut quam quisque religionem sequi vellet, sine periculo vitae eligeret,* Socrates lib. 5. hist. c. 4. Nicephorus lib. 12. hist. c. 1. Constantinus imperator Arianus ad intercessionem Hilarii Athanasium episcopum orthodoxum Alexandrinae ecclesiae restituit hac conditione, ut Ariani ibidem ecclesiam etiam tenerent, ipse contra facultatem Christianis dedit, ut in urbe Antiochena liberum haberent religionis suae exercitium, Theodoretus libro 2. eccles. hist. capit. 12. Sozomenus libro 3. hist. c. 20. Bellarminus opponit contraria exempla, ut *Priscilliani haeresiarchae a Maximo Christiano imperatore occisi, Donatistarum, Basilii magi Romae combusti, Bogomilis, Albigensium, Johannis Hussi et Hieronymi Pragensis Constantiae exustorum.* Sed haec exempla sunt dissimilia; *Donatistae* haeresi alia scelera, praesertim seditiones et ecclesiae persecutionem conjunxerunt, ut constat ex epist. 68. Augustini; *Basilius* fuit magus, *Priscilliani* supplicium improbat Martinus apud Sulpitium libr. 2. histor. sacrae, *Donatistarum* Augustinus; *eorum qui tempore Bernhardi supplicio capitali* affecti, ipse Bernhardus serm. 66. in Cant. Johannes Huss et Hieronymus Pragensis non fuere ex Scripturis legitime convicti. Et quid multis? recolat Bellarminus sua verba in hoc ipso capite §. argument. 16: *Ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset, nam initio solum eos excommunicabat, deinde videns, hoc non sufficere, addidit poenam pecuniariam, tum amissionem bonorum, postea exsilium, tandem huc devenit, ut satis patet

ex variis legibus antiquiorum imperatorum. Ergo in primitiva ecclesia non fuit usitatum supplicio capitali in haereticos animadvertere.

4. Ex adversariorum XIV. 214. suffragio. 341. Quartam argumentorum classem deducimus *ex ipsis adversariis*, tam Pontificiis, quam Calvinianis. *Pontificiorum* quorundam consensum petimus *1. ex jure Canonico.* c. Quid autem dist. 45: *Nova atque inaudita praedicatio est, quae verberibus fidem exigit.* c. Qui sincera dist. ead.: *Qui sincera intentione extraneos a Christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis debent, non asperitatibus studere, ne quorum mentem reddita ratio ad planum poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicunque aliter agunt et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui voluerint cultura removere, suas illic magis quam Dei causas probantur attendere.* c. de Judaeis dist. ead.: *De Judaeis praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri, cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat, non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae.* Excipit Bellarminus, *esse magnam differentiam inter Judaeos et haereticos. 1. Judaei nunquam susceperunt fidem Christianam, haeretici susceperunt.* Respondemus: ex parabola Christi Luc. 14. ostendimus, non posse nec debere capitalium suppliciorum vel compulsionis respectu talem differentiam inter haereticos et infideles statui. Praeterea Judaei in suis majoribus receperunt fidem Christianam, quia fides Israëlitica in V. T. fuit eadem quoad substantialia cum fide Christiana in N. T. *2. Judaei religionem colunt, quam Deus instituit saltem pro tempore, haeretici eam, quam diabolus invenit.* Respondemus: quam religionem hodie colunt Judaei, eam Deus nunquam instituit, exspectant Messiam, qui jamdum venit, falsum Messiam exspectant, verum conviciis et blasphemiis proscindunt, ceremonias colunt, quae cum V. T. sunt sublatae, traditiones et superstitiones a Deo damnatas observant, legem moralem de externa duntaxat obedientia pharisaice interpretantur etc. Merito igitur hic urgemus Pontificios et quaerimus ex illis, cur tolerent Judaeorum synagogas, in quibus Christus Salvator, Maria virgo et Christiana religio blasphemantur, interim tolerare nolint Augustanae confessionis socios, qui symbolum apostolorum recipiunt et in omnibus controversiis unice ad Scripturas provocant atque ex illis errores, si quos habere videantur, refelli et haereseos convinci petunt. *3. Secta Judaeorum utilis est ecclesiae, quia eorum libri sunt prophetiae nostrarum rerum et eorum ceremoniae figurae nostrorum mysteriorum.* Respondemus: etiam haereses ecclesiae emolumentum aliquod, ex accidenti tamen praestant. 1. Cor. 11, v. 19: *Oportet esse haereses, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Haeretici exercent ecclesiae *sapientiam*, tyranni et persecutores ejusdem *patientiam.* Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 2. non longe a principio: *Multa ad catholicam fidem pertinentia dum haereticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur et ab adversario mota quaestio discendi exsistit occasio.* lib. de vera religione c. 26: *Si haeretici non essent, multo pigrius quaereretur veritas.* Bellarminus in hoc ipso cap. resp. ad arg. quintum: *Tametsi haeretici videntur ecclesiae nocere, tamen revera non nocent, sed eam exercent et in sapientia ac patientia proficere faciunt. 4. Judaei non conantur pervertere Christianos utplurimum, sicut faciunt haeretici.* Respondemus: eccur igitur opus fuit imperatoriis illis legibus, in quibus proscriptione bonorum et sanguinis etiam poena Christianum ad suam religionem pertrahere Judaei prohibentur? l. 16. 17. et 18. C. de Judaeis et Coelicolis. Hisce juris canonici capitulis de Judaeis tolerandis conjungimus etiam, in quibus violentae persecutiones et capitalia supplicia adversus errantes improbantur. c. Tres personas caus. 23. q. 4: *Ecce quod mali tolerandi sunt, nec corporali, sed spirituali vindicta sunt puniendi, unde cum discipuli non recepti a Samaritanis ignem coelitus super eos deducere voluerunt, dicentes magistro: Vis, dicamus, ut descendat ignis de coelo et consumat eos? audierunt: Nescitis, cujus spiritus estis?* c. 2. Qui secundum. caus. et q. iisdem: *Nunquam spiritualis carnalem persequitur, scit, eum proficere posse per tempus, et si quando Aegyptiae filium viderit irascentem, recordabitur unius patris,* XIV. *qui boves creavit et culices, et in magna domo non solum esse vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia voluit.* cap. His a quib. caus. ead. q. 8: *Episcopis judicium sanguinis agitare non licet* etc. *nec indiscretas praesumtionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare praesumant, aut per se inferant membrorum truncationes quibuslibet personis, aut inferendas praecipiant.*

342. *Ex scriptis recentiorum.* Senatus parlamenti Parisiensis ad regem Galliae et Andreae Philopatris presbyteri Romani responsum ad reginae Anglicae edictum adduximus superius in quaestione, *an magistratus subditos ad fidem cogere debeat.* Idem Philopater in eod. resp. inter cetera sic scribit: *Haec eadem provisio* (ferro et flammis religionem exstirpandi) *fuit Antiochi regis, haec eadem fuit Neronis, Domitiani, Decii ceterorumque persecutorum Christianae fidei, cui ferro tantum flammisque occurrendum putaverunt; haec ratio fuit scribarum ac Pharisaeorum ac principum Judae praecipientium apostolis, ne loquerentur amplius in nomine Jesu Act. 4. haec eadem Generici ac Hunerici regum Arianorum secundum Victorem hist. Vand. l. 3. ne conventus celebrarent ad divina mysteria Catholici* etc. Cardinalis Hosius an. 1568. apud magistratum Elbingensem, qui ejectis doctoribus Pontificiis evangelicam religionem amplexus fuerat, scriptis ad eum literis graviter intercedit inter alia sic scribens tom. 2. f. 123: *Liceat saltem in hac regia civitate, quod licet sub gravi Turcarum tyranno, ut Christus in Bethlehem natus libere*

praedicetur. Ep. 274. ad episc. Cracov.: *Quodsi conceditur Christianis etiam sub Turcarum tyranno, cur non eadem libertas illis permittatur sub Elbingensibus burgimagistris?* In concert. eccl. Cath. in Anglia f. 246. per Wilhel. Alanum causae suae advocatum gravissime conqueruntur, quod *Catholicis religionis libertas in Anglia negatur.* f. 247: *Ariani imperatoris naturali quadam benignitate inducti fuerunt, ut ecclesias aliquot et oratoria in coemeteriis locisque contiguis Catholicorum usibus assignarent. Sic Constantinus Arianus et Valens imperatores Athanasio et ejus sectatoribus Alexandriae locum non denegavit, quam solam gratiam utinam a principe nostro impetrare possemus.* f. 394: *Si vel partem aliquam ejus libertatis nostri potuissent adipisci, quam habent Catholici in Germania, Helvetia aliisque in locis, ubi potestas summa est penes Protestantes, aut quam habent Hugonotti in Gallia.* fol. 396: *Utilissimum est, ut manus deinceps cohibeant a Catholicis subjectis et fratribus suis persequendis, ut eis permittant libera conscientia sacris uti frui, quo sic reginam ejusque consiliarios precibus suis Deo commendent tanquam patronos, quos nunc commemorant solum ut persecutores.* Sic ergo ab illis petunt, quod ipsi in simili casu largiri recusant et suam ipsorum crudelitatem in aliis damnant. Joh. Paulus Windeckius in prognost. fol. 157. de fervore suo paululum remittens scribit: *Imposturae haereticorum toti terrarum orbi patefaciendae, ut detectis erroribus et agnita veritate homines pro nihilo ducant et plane contemnant, quidquid ab illis profectum fuerit.* Postea addit: *Haec ratio est longe omnium aptissima ad minuendam illorum potentiam, viribus et armis non semper proficitur, et nonnunquam fit, ut adversarii belligerando magis etiam confirmentur, quod in Belgio accidere videmus.* Auctor appendicis ad edictum regium Gallico idiomate excusae, qui se Parisiensem senatorem et quidem Catholicum vocat: *Experti sumus magno nostro malo, quam ejusmodi acris medicina plus nocuerit, quam profuerit. Fides praecipue in anima, quae spiritus est et cogi non potest, consistit, qui eam ab errore vult liberare, illum oportet, ut spiritualia remedia adhibeat. Quodsi quis aliis uti velit, contra coelum et terram pugnat. Ergo necesse est, ut Hugonotas, qui a nobis secessionem fecerunt, toleremus patienter, quia fides non est opus hominis, sed Dei donum, qui omnia sua providentia gubernat et haereses*
216. *esse oportere pronuntiavit, et exemplo sanctorum patrum didicimus, religionis non esse religionem cogere.* Et postea: *Plerique non quaerunt eorum, quos in negotio religionis persequuntur, salutem aeternam, sed sua potius commoda sectantur, non polum illis, sed solum sibi parare ambiunt. Sola divinitas interiora cordis cognoscit, perscrutatur, judicat; solus rex, non autem ministri ejus, qui convivas ad epulum regium vocaverant et invitaverant, illum, qui nuptiali veste indutus non erat, foras ejici jussit, qui ad regis mandatum exterminari non potuisset, si ante a ministris judicatus et occisus fuisset, qui ante non cognoverant, eum coena regali indignum fore.* Auctor orationis ad regem Christianissimum, qui se assessorem parlamenti Parisiensis vocat p. 46: *Felices conversiones istae non fiunt equuleis, non tormentis, non terroribus mortis, ut inquisitio solet Hispanica (cui una cum Castellanis armis Jesuitae acceptam ferunt religionis Catholicae conservationem), sed gladio sancti Spiritus aeternoque verbo.* Petrus Coretus Jesuita in defens. contra Noaeum c. 8: *Christus apostolis jussit, ut docerent et baptizarent, non mandavit, ut eos, qui audire nollent, statim interficerent, aut ad credendum civilis potestatis auctoritate compellerent.* Ibidem: *Melius est, ad Deum colendum homines duci informatione quam poenas formidine.* Bodinum et Jac. Augustum Thuanum moderatioribus Pontificiis accensebimus, cum ab illis publica fidei professione non recesserint, quamvis in Hugonotarum partes alicubi videri possint propensiores. Sic vero Bodinus de violentis illis persecutionibus et suppliciis religionis causa illatis scribit lib. 4. de republ. c. 7: *Si princeps aliquis certissimas de lege divina deque vera religione, quae praepotentis Dei voce promulgata sit, assensiones animo comprehensas habeat subditosque opinionum varietate et multitudine distractos in suam velit pertrahere sententiam, vim amovere oportet. Nam quo majora supplicia irrogabis, eo minus proficies, cum ea sit hominibus insita vis ac natura, ut ad aliquid assentiendum sponte duci velit, cogi nolit.* Ibidem adducit responsum Theodorici Gothorum regis, qui dixerat, *se religionem imperare non posse, cum nemo cogatur, ut credat invitus,* apud Cassiodorum libr. 2. variar. epist. 27. et addit: *Haec ratio omnium efficacissima mihi visa est ad supplicia, quae religionis specie irrogantur, tollenda, cum eapropter rex ille religionis causa cruciari pateretur neminem, ne vel impietatis specie aliena bona, quae hodie statim in crimine haereseos confiscantur et legitimis heredibus auferuntur, diripere, vel liberas hominum voluntates, quae nullis imperiis cogi possunt, constringere velle videretur.* Thuanus in praefat. operis historici: *Experientia satis edocti sumus, ferrum, flammas, exsilia, proscriptiones irritasse potius quam sanasse morbum menti inhaerentem* (haeresin intelligit), *ad quem proinde curandum non iis, quae in corpus tantum penetrant, sed doctrina et sedula institutione, quae in animum leviter instillata descendit, opus esse. Alia quippe omnia pro arbitrio civilis magistratus atque adeo principis sanciuntur, sola religio non imperatur, sed ex praecepta veritatis opinione, accedente divini Numinis gratia, bene praeparatis mentibus infunditur, ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animum, quam frangunt aut persuadent.* Et postea: *Certe si verum amamus, in sacrae antiquitatis vetustis omnibus monumentis nullum supplicii de sectariis sumti ac probati exemplum exstare fateamur necesse est, ecclesiamque priscam a cruore fundendo semper abhorruisse, quod si quando accidit, id pii vere episcopi detestati sunt, ut in Priscilliano apparuit,*

qui exitiabilis doctrinae auctor, cum per Galliae ecclesiam ac praecipue in Aquitania perfidiae suae semina sparsisset, a Maximo Augustae Trevirorum capitali supplicio affectus est circa annum Christi 383. licet Martinus ab imperatore sponsionem elicuisset, nihil cruentum contra reos constitutum iri, et Itacium episcopum aliosque instigatores sedulo monuisset, ut ab accusatione desisterent. Nam et id
XIV. 217. *ceteri episcopi tanquam inique factum improbaverunt, vixque Martinus ac nisi extrema necessitate cogente cum illa Itacianae partis communione misceri voluit, ipse Ambrosius a Valentiniano imperatore puero Gratiani interfecti fratre ad Maximum sub id tempus missus in relatione sua testatur, cum Treviris esset, abstinuisse se ab iis episcopis, qui Itacio communicabant, et a fide devios ad necem petebant. Cum vero ex furialium illorum episcoporum sententia Maximus postea decrevisset, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui haereticos inquirerent, deprehensis vitam et bona adimerent, idem Martinus apud eum tenuit, ut decretum revocaretur* etc. *Priscilliano autem occiso non solum non coërcita est haeresis, quae illo auctore proruperat, sed confirmata ac latius propagata est, et sectatores ejus, qui illum ut sanctum prius honoraverant, postea ut martyrem colere coeperunt, corporibus peremtorum in Hispaniam relatis et magnis exsequiis celebrato eorum funere, quin et eo profecta est adsectantium superstitio, ut per Priscillianum jurare summa religio haberetur, ex eoque inter Gallicanas ecclesiae episcopos perpetuum discordiarum bellum exarserit, quod totos quindecim annos agitatum vixdum sopiri diu post potuit, plebe Dei interim et optimis quibusque ad probrum et ludibrium expositis.* Haec Thuanus ex Sulpitio Severo, quae integra huc referre voluimus propter Bellarminum, qui in c. 22. resp. ad argum. septimum nugatur, *Martinum non improbasse ipsum supplicium Priscilliani haeresiarchae, sed tantum episcoporum factum, quod causam ecclesiasticam ad imperatorem detulerint et officium accusatoris in causa sanguinis assumserint.* Costerus in enchir. in c. de ecclesia: *Gravissima in Deum hominesque peccata haereticis omnibus sunt communia, alia etiam sunt, quae haereses comitantur, ut sunt humanas leges violare, in proximos a sua secta alienos injurios esse, persecutiones moliri, seditiones movere, bella ciere, omnia turbare.* Bellarminus l. 3. de laicis c. 21. §. probatur quarto etc. disertis verbis fatetur, *tempore Augustini nondum exstitisse ullam legem imperatorum, qua haeretici juberentur occidi.*

343. Calvinianos quod attinet, illi pro rerum ac fortunae diversitate diversas proferunt sententias. Quando enim fortuna ipsis est adversa et a Pontificiis opprimuntur, tum privatis sermonibus et publicis scriptis usurpant has regulas, *neminem esse ad fidem cogendum, conscientiam unicuique debere esse liberam, Antichristianam tyrannidem esse velle conscientiis dominari, errantes non interficiendos esse ferro, sed convertendos verbo,* ut ex suscitabulo Bembellonae et ex querelis ecclesiarum Sabaudicarum, Belgicarum et aliarum constat. Sed quando liberiori fruuntur aura et praesidio potentiorum sese tutos esse animadvertunt, erumpunt sanguinariam illam vocem, *haereticos esse occidendos,* quo ipso comprobant Lutheri de ipsis judicium in lib. contra coelestes proph.: *Spiritus Calvinianorum pavidus est, cum ex assensu et approbatione hominum vires nondum acquisivit, sed ubi hominum applausu potitus, ferocissimus est.* Innoc. Gentil. in praefat. apol. pro Christ. Gallis: *Nostro hoc seculo sat multis exemplis docemur, viam armorum (ut loquuntur) religionis legibus praescribendis nullo modo idoneam esse ferrumque nil nisi ruinam, caedes et inimicitias intestinas, easque fere implacabiles gignere, quae minitantur, se tandem reipublicae nostrae eversionem laturas,* quod postea exemplo Caroli V. et reginae Mariae Anglicae declarat. Witackerus in resp. ad Campian.: *Quem omnino potes tuum nominare, non modo ex quo ipse huc veneris, sed hisce etiam viginti tribus annis, quibus optima Elisabetha reipublicae clavum tenuit propter religionem capite condemnatum et morte affectum.* Musculus in L. C. edit. postrem. p. 614. *saevitiam in vitam solius Antichristi esse* ait. Goclenius in disp. de magistratu ann. 1610. Marpurgi habita ex professo demonstrare conatur, *haereticos non esse capitaliter puniendos.* Wolffg. Musculus in locis p. 1329: *Christianus magistratus animadvertit quidem in haereticos, verum sic moderate, ut sint, qui resipiscere possint. Non* XIV
patitur, ut de fide doceant, nec permittit, ut ecclesias colligant, episcopos ordinent, alios privat honoribus, aliis adimit civitatis communionem, alios proscribit, alios mulcta pecuniaria punit, quod Augustini temporibus factum esse legimus. Ipsos impostores ac seductores, ne illi, postquam incorrigibiles apparent, ultra quemquam seducant, carceribus inclusos tamdiu coërcet ac detinet, donec in se reversi resipiscant. Sic coërcendi sunt, qui cogi se ad bonum non sustinent.

344. Atque istaec dicta sunt pro nostrae sententiae confirmatione, consequens est, ut adversae partis argumentis satisfaciamus, qua in re sequemur ductum Balduini in disputat. de haeretic. ferendis, non auferendis, et Domini Meisneri libro quarto de legibus sectio. 1. quaestio. 19. qui late et erudite de hac quaestione scripserunt. Bellarminus quinque classes argumentorum producit. Primam ducit *ex Scripturis, 2. ex legibus imperatorum, 3. ex legibus ecclesiae, 4. ex testimoniis patrum, 5. ex ratione naturali.* In prima classe ex V. T. producit 1. *legem divinam,* Deuteronom. 13. ubi severissime Deus jubet, *falsos prohetas, qui suadent colere deos alienos, sine ulla misericordia occidi,* et capite 17. postquam dixerat, ut in rebus dubiis consuleretur summus sacerdos, mox subdit: *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, ex sententia judicis moriatur.* Et rursum capite 18. *propheta falsus interfici jubetur.* Eodem argumento utuntur Gregorius de Valent. tomo 3. dispu-

Ar… me… adv… rio… l. c… pta l. l… 12. phe… fals… late… fci…

tat. 1. quaestio. 11. punct. 3. Scioppius in Scaliger. hypobol. p. 319. Beza vol. 1. fol. 153. ubi etiam addunt locum Exod. 22, v. 20: *Qui immolat diis, occidetur.* Respondemus: primo in genere. 1. Leges illas complecti duo, quae sunt accurate discernenda, prius est *morale*, quod est perpetuum et in N. T. adhuc nos obligat; posterius est *judiciale*, quod ad Judaicam duntaxat politiam spectat. *Morale* ac perpetuum est, sinceritatem religionis et divini cultus summo studio esse conservandam, coërcendos igitur ac puniendos esse eos, qui perversa doctrina eandem contaminant ac pervertunt; *judiciale* ac forense est, capitali supplicio pseudoprophetas esse interficiendos, illud ergo Christianum magistratum in N. T. non obligat. Si quis dicat, *principium peti hac distinctione*, illi opponimus alias leges Mosaicas, in quibus certum genus poenae determinatur, quae tamen in N. T. non observantur. Exod. 21, v. 15: *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur,* v. 17. *qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* v. 29. *Si bovem cornupetam herus ipsius post praemissam admonitionem non recluserit, una cum ipso bove hominem interficiente occidi jubetur.* Exod. 31, v. 15. *omnis, qui die sabbathi opus fecerit, occidi* jubetur. Levit. 20, v. 18. *concumbentibus tempore mensium* capitale supplicium destinatur. c. 21, v. 9. *si filia sacerdotis scortari incipiat, flammis exuri* jubetur. Deut. 21, v. 21. *filius protervus et contumax lapidibus obrui* praecipitur. c. 22, v. 21. *ea, quae non inventa fuerit virgo*, itidem lapidibus obrui jubetur. Hae et aliae leges quoad certum ac determinatum illud genus poenae, quod exprimunt, non obligant Christianos in N. T. sed tantum ad politiam Judaicam pertinuerunt, proinde necessario cogimur ad illud recurrere, quod hae leges duo contineant, quorum unum est morale ac perpetuum, videlicet tales delinquentes esse puniendos; alterum forense, quod eo modo sint puniendi. Si dicas, *in quaestione adhuc esse, an ad illas leges pertineat haec ipsa de puniendis pseudoprophetis*, urgemus hoc, quod lex illa de capitali haereticorum supplicio in N. T. non solum nuspiam sit repetita, sed etiam per parabolam de zizaniis et doctrinam ac praxin Christi et apostolorum ejusdem rigor
319. mitigatus; urgemus etiam praedictiones propheticas de modo propagandae ecclesiae in N. T. in quibus V. et N. T. status sibi invicem opponuntur, urgemus κριτήρια, ex quibus agnosci potest ac debet, quid in qualibet lege sit morale, in determinato illo poenae genere, capitali scilicet haereticorum supplicio, locum nequaquam habere; urgemus ipsa verba legis, *si in medio tui* surrexit propheta, ergo de populo Israëlitico et politia Judaica tantum agitur; denique urgemus circumstantias illas, quibus delictum haereseos et idololatriae in populo Israëlitico aggravabatur et proinde etiam severior poena illi irrogabatur. Triplici enim circumstantia, *personarum* scilicet, *temporis* ac *locorum*, seductio aggravabatur. Respectu *personarum*, quia leges illae datae sunt isti populo, quem Deus ex Aegyptiaca servitute magnis et illustribus miraculis liberaverat, quem prae omnibus reliquis populis in peculium sibi elegerat, cui per promulgationem solennem divinae legis, cibationem miraculosam in deserto, varias victorias ex hostibus et beneficia alia sese insigni modo manifestaverat, viva voce in medio ipsius praesentiam suam testatus erat, in columna ignis et nubis praecedebat ac tantum non manibus palpandum sese exhibuerat. Gravissimum igitur supplicium merito dictabatur pseudoprophetae *e medio hujus populi* surgenti, ut notanter loquitur Moyses Deut. 13, v. 1. et ad apostasiam a vero illo Deo fratres suos solicitanti. Potest etiam circa personas hoc considerari, quod Judaei ad idololatriam et contumaciam alias proclives fuerint, ut historia V. T. testatur, Deus igitur tanquam sapientissimus νομοθέτης severioribus legibus ac poenis gravioribus eandem coërcere aequum et salutare judicavit. Respectu *temporis* delictum reddebatur gravius, quia nuper admodum in populum Dei peculiarem erant electi et maximis a Deo beneficiis affecti, quorum memoriam tam cito deponere et tam malam ipsi gratiam referre, grande omnino erat sacrilegium. Respectu *loci* aggravabatur haereseos peccatum, quia terra Canaan erat primo *Dei quasi peculium*, in quam tanquam in suam rempublicam Judaeos tanquam peregrinos et advenas ex mera gratia receperat Levit. 25, v. 23: *Terra non vendetur in peculium, quia mea est et vos advenae et coloni mei estis.* Quemadmodum ergo peregrini coguntur obtemperare legibus illius reipublicae, in quam recipiuntur; ita quoque divinae majestati omnino licuit arctioribus legum vinculis hunc populum in terram alienam receptum coërcere et severioribus poenis delinquentes coërcere. Deinde erat *futurum Messiae promissi hospitium*, qui ex illo populo et ex illa regione juxta promissum Dei erat exspectandus, proinde, ne populo illo in varias sectas, factiones et idololatrias distracto dubia redderetur Messiae praesentia, familia ac nativitas, ideo tam severis legibus pseudoprophetarum seductiones Deus coërcendas esse censuit. Denique erat *ecclesiae domicilium*, quae in V. T. angustis illis terrae Cananeae limitibus concludebatur, neque dum in totum terrarum orbem erat propagata. Quare cum huic populo omnes ex omnibus gentibus sese aggregare cogerentur, qui salutis participes fieri expetebant, ideo haereses et idololatrias in illo populo tam gravibus poenis praecaveri Deo placuit.

345. Ex quibus omnibus facili negotio intelligitur, quid ad Calvini in historia Serveti p. 32. et Bezae in l. de haereticis vol. 1. f. 155. ἔνστασιν responderi debeat. *Nulla* (inquiunt) *idonea potest afferri ratio, cur Dei majestas et ecclesiae auctoritas minoris apud nos debeat esse ponderis, quam olim apud Judaeos fuerit, imo vero Christiani, si veram religionem aspernentur, aut minore studio tueantur, quam olim Judaei, eo minus excusari possunt, quo clarius se Dominus per Filium suum quam per prophetas patefecit*, unde inferunt, *principes Christianos, si non ipso poenae modo, tamen in genere*

poenae, capitali scilicet illas Dei leges ad imitandum sibi proponere debere. Respondemus: 1. rationes diversitatis adduximus complures. 2. Christus
XIV. 220. ipse discipulos suos ex Eliae exemplo et sic ex V. T. argumentum ducentes, quo Samaritanos igne coelitus demisso exurendos esse concludebant, ad distinctam V. ac N. T. οἰκονομίαν remittit. Luc. 9, v. 54. 3. Non minore quidem studio tuenda ac propaganda est religio a Christianis, quam olim factum fuit ab Israëlitis, sed ex eo inferri nequit, capitali haereticorum supplicio eam esse tuendam vel armis propagandam, sufficit enim, cultus idololatricos a magistratu aboleri, sincerum ecclesiae ministerium constitui, lupos ab ovili Dominico arceri, licet nec modus, nec genus poenae idololatris in V. T. constitutae in haereticis coërcendis observetur. 4. Sic sancta liberorum erga parentes obedientia non minus in N. T. quam in V. sancte et illibate custodienda et immorigeri liberi puniendi, quamvis nec genus, nec modus poenae, videlicet lapidatio, in N. T. amplius observetur. Sabbathum sanctificari pius et Christianus magistratus diligenter curet, interim qui opus facit sabbathi die, eum interficiendum statim esse, nec Calvinus, nec Beza dixerint. 5. Illa ipsa clarior patefactio in N. T. contrarium potius arguit, videlicet esse jam tempus gratiae, quo sine caede et sanguine ecclesia propaganda, nec rigorem V. T. amplius usurpandum. Excipit Gregorius de Valent. d. l. *Cyprianum contrario modo procedere, quia in in l. de exhortat. ad martyr. c. 5. commemoratis illis Scripturae dictis subjungit: Si ante adventum Christi circa Deum colendum et idola spernenda haec praecepta servata sunt, quanto magis post adventum Christi sunt servanda, quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed factis.* Respondemus: idem Cyprianus l. 3. ep. 3. *fictilia vasa confringere soli Domino concessum esse* statuit, hunc quod attinet locum, in eo non tam de poena idololatrarum quam de contemtu idolorum loquitur, nec quomodo puniendi, sed quod fugiendi sint idololatrae, docet. In toto enim tractatu Christianos hortatur, non ut paganos idololatras, in quorum medio vivebant, occidant, sed ut eos fugiant, et si gloria Christi ita requirat, occidi sese veritatis causa patiantur atque alacri animo martyrium subeant.

346. 2. Ad generalem responsionem etiam hoc pertinet, Pontificios crudelitatem suam, qua adversus eos, quos pro haereticis habent, uti consueverunt, nunquam ex illis Scripturae dictis demonstrare posse. Neque enim illa dicta loquuntur de illis, qui ex infirmitate errant, sed de illis, qui sunt manifesti idololatrae, qui sacrificia offerunt diis alienis, qui alios seducunt dicentes: *Eamus et serviamus diis alienis*, qui nomen Dei blasphemia afficiunt etc. jam vero Pontificii sine discrimine seductores et seductos capitali supplicio afficiendos censent, quia Hispanicae inquisitionis medio etiam in eos, qui peregrini sunt et perlustrandi causa regiones ipsorum accedunt, animadvertunt ac minimo quoque indicio de haeresi suspectos ad tribunal et rogum abducunt. 3. Leges de occidendis idololatris non tantum haereticos et pseudoprophetas in medio populi Israëlitici exsurgentes spectabant, sed etiam gentes Cananaeas extra Israëliticae ecclesiae gremium constitutas, quas non minus quam pseudoprophetas ad idololatriam seducentes exstirpari divina majestas voluit Deut. 7, v. 1: *Percuties eas usque ad internecionem.* Quodsi ergo leges illae in N. T. nos obligant, consequens fuerit, magistratum Christianum Judaeos et alias gentes, quae sunt extra ecclesiam, gladio exstirpare debere, cujus contrarium et Pontificii, et Calviniani statuunt.

347. In specie ad singula dicta superius allata ut respondeamus, monemus, quod 1. Exod. 22, v. 20. agatur proprie *de idololatris, qui diis alienis sacrificia offerunt*, atque ad gentilium impia et idololatrica sacra sese conferentes ab ecclesia penitus deficiunt. Tales voluit Deus e medio tolli, ne populum ad ethnicam idololatriam seducerent, quemadmodum eandem ob causam gentes Cananaeas exstirpari voluit, ne *docerent Israëlitas facere cunctas abominationes, quas ipsi operati diis suis* XIV
Deut. 20, v. 18. Alia vero est haereticorum in N. T. ratio, qui ratione externae professionis sunt in visibili ecclesia, et hac ratione a gentilibus sive paganis adhuc distincti. Haeretici errant circa doctrinam et in theoria, pseudoprophetae V. T. errabant circa cultum Dei et in praxi, quia diis alienis honorem divinum deferendum esse statuebant. 2. Deut. 13, v. 1. et seqq. agitur de tali pseudopropheta, *qui visiones et somnia jactitat, qui est manifestus apostata* et ad gentilem idololatriam populum Israëliticum invitat dicens: *Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis*, is jubetur lapidari, quod supplicium decernitur etiam illis, qui proximo cognationis gradu Israëlitas attingebant, si ad idololatrica gentilium sacra ipsos pellicere conarentur, v. 6. quinimo tanta severitate idololatria ibidem prohibetur, *ut omnes idololatricae civitatis incolae*, ne quidem infantibus exclusis, interfici et tota urbs cum omni suppellectile omnibusque jumentis igne supposito succendi jubeatur v. 12. quae omnia si quis in N. T. locum habere velit, multis se involvet absurditatibus 3. Deuter. 17, v. 12. in genere agitur de illis, qui nolunt ex superbia audire sacerdotem aut judicem, quodsi illa lex Christianos in N. T. obligat, omnes illi, qui sacerdotum monitis vel judicum sententiis parere nolunt, interficiendi erunt. Sed enim si verba et circumstantias legis accuratius intueamur, apparebit, non de crimine haereseos proprie et in specie hic agi, sed de obedientia in causis forensibus gravioribus pertinaciter denegata. Fit enim mentio judicii inter *sanguinem et sanguinem, inter plagam et plagam.* Item *portarum urbis*, in quibus non ecclesiastica, sed forensia negotia tractabantur, et jubetur causa deferri ad synedrium, quod erat supremum tribunal in metropoli Judaeae Hierosolyma et constabat ex personis ecclesiasticis et politicis, quae juxta legem pronun-

tiabant, ac si quis hujus judicii decisione stare recusabat, in eum mortis sententia ferebatur ad majorem terrorem inobedientibus incutiendum ac majorem auctoritatem huic judicio conciliandam, interim non negamus, de idololatriae et apostosiae crimine in hoc judicio fuisse pronuntiatum et mortis poenam idololatris adjudicatam, ut ex priore hujus capitis membro constat. Cyprianus lib. 1. epist. 10. circa fin. legem hanc Mosaicam adducens subjungit: *Interfici Deus jussit sacerdotibus suis non obtemperantes, judicibus a se ad tempus constitutis non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat, nunc autem quia circumcisio spiritualis esse ad fideles Dei servos coepit, spirituali gladio superbi et contumaces necantur, dum de ecclesia Dei ejiciuntur.* Agnoscit ergo Cyprianus, alium esse N. quam V. T. in poenae hujus irrogatione rationem. 4. Deut. 18, v. 20. agitur de tali *pseudopropheta, qui arrogantia depravatus ex nomine alienorum deorum loquitur*, cui poena mortis irrogatur, sed hanc legem respectu certae et determinatae poenae esse forensem, neque in N. T. Christianos obligare, superius fuit demonstratum.

348. Excipit Beza in lib. de haeret. f. 156. *distinguendum esse inter idololatriam internam et externam; quamvis igitur haeretici non committant externam idololatriam, tamen internae sese reos faciunt, dum falsas de Deo opiniones alunt easque aliis instillant ac nihil aliud faciunt, quam quod ex falsis suis opinionibus idolum quoddam constituunt.* Respondemus: 1. concedimus, haeresin esse speciem quandam subtilioris idololatrias, id quod Vincentius lib. adv. haeres. multis probat, sed negamus, ex eo sequi, quod iisdem poenis cum manifestis idololatris sint afficiendi, ut enim idololatriae sunt certae species ac certi gradus, ita quoque idololatrarum non potest esse una eademque poena. 2. In poenis politicis infligendis non ad interiora, sed ad externa duntaxat delicta magistratus respicit, quatenus scilicet pax et tranquillitas publica iisdem turbatur, quare cum haeresis sit interna idololatria, ergo quatenus talis, id est nisi accedant manifestae
V. 222. blasphemiae et seditiones, non est externo capitali supplicio punienda. 3. Avari a Spiritu sancto itidem vocantur idololatrae, Job. 31, v. 24. Eph. 5, v. 5. interim tamen avaritia interna non punitur capitaliter, nisi in furta et rapinas prorumpat. Idem ergo de haeresi statuendum fuerit.

Ex T. exemplis. 349. 2. Hisce V. T. legibus addit Bellarminus exempla. *Re ipsa* (inquit) *hanc legem servaverunt Helias, Josias, Jehu et alii, qui falsos prophetas plurimos occiderunt, ut patet 1. Reg. 18. et 2. Reg. 10. et 23. nullum est autem fere discrimen inter nostros haereticos et falsos prophetas illius temporis, nec solum sancti reges et prophetae blasphemos morte mulctarunt, sed etiam Nabuchodonosor, ut Dan. 3. dicitur, edictum constituit, ut quicunque blasphemaret Deum Danielis, id est verum Deum, interficeretur et domus ejus vastaretur, in quo edicto Deo vero obsequium justissimum fecit, ut Augustinus ep. 50. dicit.* Addunt alii exemplum *Moysis*, qui tria hominum millia propter idololatriam vituli *Levitarum* opera interfici curavit Exod. 32. *Asae*, qui publico edicto praecepit, ut quicunque non quaesiverit Dominum Deum Israëlis, interficiatur 2. Par. 15. *Jojadae*, qui Athaliam interfecit 2. Reg. 18. *Matathiae*, qui Judaeum idolis sacrificantem interfecit 1. Maccab. 2. Respondemus: 1. Qualis fuit regula, talia etiam fuerunt exempla ad regulam illam accommodata. Regula vero illa, ad cujus praescriptum in V. T. haec sunt gesta, erat Mosaica, politiae Israëliticae et tempori V. T. quidem congrua, jam vero in N. T. abrogata. Ergo etiam talia fuerunt exempla. 2. Opponimus igitur illis exemplis V. T. doctrinam et praxin Christi et apostolorum in N. T. quam illis praeferendam esse, nemo negare poterit. 3. Quaedam ex illis exemplis sunt heroica, a peculiari Spiritus sancti instinctu profecta, sicut Elias de zelo suo prophetico testatur 1. Regum 19, v. 10. sed Pontificiorum zelus, quo interfectos cupiunt omnes, qui a Romana synagoga secessionem fecerunt, a spiritu mendacii et homicidii proficiscitur. 4. Quaedam ex illis factis sunt *extraordinaria*, quae non nisi semel in notabili ecclesiae reformatione locum habuerunt. Cum enim saepe totae tribus a sinceritate religionis defecissent, copiosum sanguinem propterea effusum esse, nuspiam legimus. Sed Pontificiis hoc ordinarium ac perpetuum est, sanguinem eorum, quos pro haereticis habent, sitire. 5. Si exempla illa ad imitationem trahi debent, tum non illis tantum, qui magistratu funguntur, sed etiam ecclesiae ministris haereticos interficere licitum erit, quia Elias non erat magistratus, sed propheta, *Jojadas et Matathias* fuerunt sacerdotes. Sed consequens negat ipse Bellarminus sic scribens c. 22. resp. ad 7: *Etsi episcoporum est haereticos excommunicare et relinquere judici seculari et hortari etiam judices, ut munere suo fungantur, non tamen decet accusatorem agere.* 6. Moyses non interfecit omnes idololatras, sed quosdam duntaxat, ut illorum supplicio scelus istud expiaretur et reliqui ista severitate ab idololatria revocarentur. Quodsi ergo ab exemplo Moysis ducendum est argumentum, consequens fuerit, non in omnes haereticos tam severe animadvertendum, sed in aliquos duntaxat statuendum esse severitatis exemplum, quod adversarii vix admittent, quippe qui promiscue in omnes saeviunt. 7. Falsum est, quod inter idololatras ac pseudoprophetas V. T. et inter haereticos N. T. nullum sit discrimen, contrarium enim superius ostendimus. 8. Athalia non propter cultum Baaliticum, sed propter tyrannidem et seditionem fuit interfecta, ipsa enim prius interfecerat omne semen regium ac regnum per vim invaserat. 9. Edictum Nebucadnezaris oppositum est blasphemis ac in terrorem potius publicatum, cum de exsecutione quoad singulas provincias Nebucadnezari subjectas nihil quidquam legatur.

3. Ex XIV. 223. Zach. 13, v. 3: pseudoprophetae dicetur, non vives. 350. Atque haec sunt, quae ex V. T. Bellarminus adducit. Scioppius in apol. c. 4. n. 10. affert locum propheticum Zach. 13, v. 3: *Et erit, cum prophetaverit ultra quisquam, dicet illi pater et mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini, et configent eum pater et mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit;* ex quo vaticinio immote colligi posse existimat, etiam in N. T. haereticos capitali supplicio esse afficiendos. Respondemus: 1. omnis interpretatio Scripturae debet congruere *ad fidei analogiam* Rom. 12, v. 7. hoc est debet esse conformis sententiae Spiritus sancti in claris et perspicuis Scripturae dictis de fidei articulis propositae. Jam vero si hoc vaticinium eo sensu explicatur, quod haeretici in N. T. capitali supplicio afficiendi sint, pugnat cum analogia fidei, ut constat ex fundamentis superius adductis. 2. Verba igitur hujus prophetiae non sunt accipienda proprie, sed *metaphorice*, est enim prophetis in more positum de rebus N. T. uti phrasibus V. T. id quod multis confirmari potest exemplis. Joël. 2, v. 28. Zach. 6, v. 13. c. 14, v. 16. etc. 3. Spiritualiter igitur in N. T. haeretici *configendi ac confodiendi* praedicuntur, hoc est impia et falsa ipsorum dogmata gladio Spiritus jugulanda, ac si pertinaciter in errore perseveraverint, auctores falsorum dogmatum sunt excommunicandi, nulla personarum vel cognationis ratione habita. 4. Configere hoc loco non esse idem quod gladio transfodere, constat ex eo: primo quod hoc non conveniret affectui naturali parentum confodere eos, quos genuerunt; si quis exemplum Levitarum fratres ob idololatrias crimen interficientium Exod. 32, v. 29. afferre velit, illi hoc opponimus: secundo quod confixio sive transfixio non congrueret supplicii generi pseudoprophetis in V. T. constituto, non enim *configi* vel transfodi, sed *lapidari* jubentur; denique nec *verbis textus* hoc conforme esset, quia statim additur, *confundentur* seu *pudore afficientur.* Non possumus autem proprie dici aliquem confundere seu pudore afficere, quem gladio tollimus, sed quem argumentis et rationum telis confodimus ac erroris eum convincimus, adde quod v. 6. statim introducatur persona ejusdem pseudoprophetae non interfecti, sed castigati et ad poenitentiam adducti, etsi igitur parentes seductori more V. T. minantur extremum supplicium, illud tamen non exsequuntur, sed plagis aliisque mediis ad saniorem mentem eum revocant. Thargum reddidit וְיֶחֱדוּן בֵּהּ *et laetabuntur in eo*, LXX interpr. *συμποδιοῦσιν αὐτόν*, cum in Hebraeo sit דקר, aliud igitur verbum legerunt, vel alio sensu, quam vulgari et consueto illud exposuerunt, sicut etiam Jer. 37, v. 10. accipitur pro *vulnerare et caedere.* 5. Phrasis illa *non vives* nequaquam accipi potest de privatione vitae naturalis, contrarium enim ex adductis textus circumstantiis colligitur, sed accipienda est de amissione vitae spiritualis et aeternae, quod falsam spargens doctrinam sit alienatus a *vita*, quae *est Dei* Eph. 4, v. 18. nec partem sit habiturus in vita aeterna, quo sensu haec vox accipitur Ezech. 18, v. 24. et c. 33, v. 10.

351. Beza insuper adducit edictum Darii Esdr. 6, **4. Ex Esdr. 6, v. 11. et c. 7, v. 26**
v. 11: *Quicunque mutaverit hanc jussionem, tollatur trabs e domo ejus, in quam erectam suspendatur, et domus ejus propterea in sterquilinium redigatur;* ut et Artaxerxis Esd. 7, v. 26: *Quicunque non fecerit legem Dei et legem regis diligenter, judicium erit de eo sive in mortem, sive in exsilium, sive in condemnationem substantiae ejus, vel certe in carcerem*, unde colligit f. 161: *Principes hi fuere profani, ad quos lex illa forensis a Moyse lata non pertinebat, et tamen aequum putabant, ut in impios capitali poena animadverteretur. Voluit igitur formulas illas edictorum exstare Spiritus s. ut principes Christianos puderet in vendicanda religione profanis regibus priores concedere.* Respondemus: 1. ex illis ipsis edictis colligitur, reges illos non mansisse profanos, sed ad verum Deum Israëlis fuisse conversos. *2.* Magistratus Christiani non mi- **XIV. 224**
nore studio cultum divinum ac religionis sinceritatem promovere debent, licet capitali supplicio in haereticos non animadvertant, quia media promovendi cultum divinum debent esse statui et conditioni N. T. accommodata. 3. Darii edictum non tam pseudoprophetas quam violatores decreti recens a se promulgati de instauratione templi et suppeditandis ad hanc rem sumptibus ex regio aerario concernit. 4. Artaxerxis mandatum insuper est alternativum, quod non simpliciter transgressoribus mortem infligit, sed vel mortem, vel mulctam pecuniariam, vel carcerem. 5. Si exemplis pugnandum, adducimus pios imperatores in ecclesia primitiva, qui a capitali haereticorum supplicio abstinuerunt ac nihilominus cultum divinum pro virili promotum iverunt.

352. Justus Kahl in apol. pro sua ad Rom. ec- **5. Ex Ps. 149, v. 6 In manibus eorum gladii.**
cles. defectione apologia Moguntiae an. 1601. excusa adducit locum ex Psalm. 149, v. 6: *Exsultationes Dei in gutture eorum et gladii ancipites in manibus eorum, v. 7. ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*, unde colligit, *Romanam ecclesiam jure ac merito haereticos interficere.* Respondemus: 1. quidam hunc locum de corporalibus Israëlitarum victoriis exponunt, cum videatur exprimere historiam Israëlitarum una manu laborantium, altera vero arma gestantium Neh. 4, v. 17. sed cum psaltes invitet ad *novum carmen* a filiis Sionis in honorem regis sui canendum, cumque posteriores Judaeorum victoriae, quas sub Maccabaeis obtinuerunt, non fuerint tales, ut reges gentium catenis vincirent, nec post reditum ex Babylone regem habuerint, ideo rectius accipitur de spirituali victoria, quam apostoli per praedicationem evangelii in N. T. obtinuerunt. 2. Proinde non de *corporalibus armis*, quibus apostoli nuspiam leguntur usi 2. Cor. 10, v. 4. sed de spirituali *gladio verbi* Ephes. 6, v. 17. quod est quovis gladio ancipite penetrantius Heb. 4, v. 12. vaticinium istud accipiendum. 3. Quam explicationem confirmat

Augustinus in exposit. hujus psalmi: *Frameas bis acutas* (inquit) *intelligimus sermonem Domini, et una framea est, sed ideo multa dicuntur, quia ora sunt, et multae linguae sunt sanctorum. Sermo Dei gladius bis acutus.* Et postea: *Quare in manibus et non in linguis? In manibus dixit in potestate. Acceperunt enim sermonem Dei potestate, ut ubi vellent dicerent, cui vellent dicerent, non timerent potestatem, non contemnerent paupertatem* etc. Eodem gladio contra haereticos Pontificii utantur et res erit salva.

sa. 50, 11: ce vos en- tes em.

353. Jacob. de Belviso lib. 2. pract. crim. c. 13. num. 10. affert locum Esa. 50, v. 11: *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri et in flammis, quas succendistis,* ex quo valde magistraliter probat, *haereticos esse igne comburendos.* Sed aberrat a scopo et genuino sensu prophetici vaticinii. Postquam enim Christus ibidem in praecedentibus hortatus fuisset pios, ut in afflictionibus suis Domino confiderent, jam convertit se ad hostes iisque exitium et interitum denuntiat. Verba in Hebraeo sic habent: *Ecce, vos omnes accendentes ignem, ite in flammam ignis vestri et in flammas, quas succendistis,* id est vos persecutores et hostes ecclesiae accenditis ignem, grassamini in meos caedibus, ignibus, aqua et ferro, sed iste furor cedet vobis in exitium, perinde ac si quis eo ipso igne, quem accendit, conflagraret, potissimum vero respectus habetur ad ignem infernalem, qui manet omnes ecclesiae persecutores, nisi mature resipiscant. Hieronymus in comm. hoc loco: *Hoc capitulo discimus, pro qualitate peccati ignem sibi unumquemque succendere. Et quomodo in eodem manentes loco, et si dici potest lectulo, alii sani sunt, alii febrium succenduntur ardoribus, ex diversitate humorum atque pituitae diversa supplicia sentientes; sic et ignis, qui a peccatoribus succenditur, materiam in peccatis habet et in iniquitate, de qua scriptum est: Ardebit sicut ignis iniquitas, et sicut gramen siccum vorabitur incendio.* V. 225. Hector Pintus scriptor Pontificius in comm. h. l.: *Vos accincti flammis odii, invidiae, impietatis ceterorumque flagitiorum, quibus rebus accenditis ignem, in quo estis in aeternum comburendi, ite in ignem vestrum, in flammas aeternas, quas vobis succendistis, nolentes vocem meam audire.* Sanctius Jesuita in comm. monet, quosdam hoc exponere de *igne illo, quo Judaeorum civitas tempore Romanorum conflagravit,* ipse vero statuit, *peccatorum conditionem* hoc symbolo a Christo describi.

Ex T. Matth. : Si cle- m non dierit .

354. Ex N. T. Bellarminus adducit dictum Christi Matth. 18: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus, ex quo colligit, posse ecclesiam eos, qui obedire nolunt, a se rejicere et habere ut ethnicos ac publicanos, ac proinde permittere eos potestati seculari tanquam non amplius ecclesiae filios.* Respondemus: 1. Bellarminus dicit, ex hoc et sequente loco colligi, *licitum esse haereticos, qui omnium judicio sunt rebelles ecclesiae et pacis publicae perturbatores, ab ecclesia abscindi et a judice seculari morte mulctari.* Atqui illud nobis non adversatur, non enim quaestio est de rebellis ac seditiosis pacis publicae perturbatoribus, sed de illis, qui simplices sunt haeretici. 2. Dictum Christi proprie et directe agit de privatis offensis, quae in vita communi incidere solent ac possunt. *Si in te peccaverit frater tuus,* inquit Christus, *vade et corripe eum,* praescribitur igitur processus cum fratre in nos peccante observandus, quod videlicet semel atque iterum privatim admonendus sit, antequam negotium ad ecclesiam deferatur. 3. Quodsi vel maxime ad illas quoque offensas, quibus in totam ecclesiam haeretici peccant, dictum Christi transferatur, sicut a nobis etiam factum est superius, tamen capitale supplicium haereticis inferendum esse, ex eo nunquam concludi poterit. 4. Nulla enim alia poena eo modo delinquenti adjudicatur, quam quod pro ethnico et publicano haberi jubetur, id est, ut Lyranus et plerique omnes interpretes exponunt, *excommunicari et ab ecclesiastica communione talis homo segregari jubetur.* Esse autem contra pertinaces et legitime convictos haereticos excommunicationis fulmen adhibendum, a nobis non negatur. 5. Si haberi pro ethnico et publicano est tradi magistratui seculari ad mortem, consequens fuerit, ecclesiam omnes publicanos et ethnicos magistratui ad mortem tradere posse, quod absurdum et Bellarmini hypothesibus contrarium, ipse enim disputat c. 22. resp. ad 9. *eos, qui nondum promiserunt, se Christi religionem servaturos, non esse compellendos.* 6. Si ex hoc loco capitale supplicium haereticorum evinci posset, tum omnes omnino, qui fratri offenso reconciliari nolunt, capitaliter puniendos esse sequeretur. 7. Cadaver consequentiae est, quando Bellarminus sic concludit: *Ecclesia potest eos, qui sibi obedire nolunt, rejicere et proinde permittere eos puniendos seculari potestati. Ergo secularis potestas debet eos capitaliter punire.* Atqui a genere poenae ad certam et determinatam illius speciem, videlicet capitale supplicium, non est legitima consequentia. Ab excommunicatione ecclesiastica et relegatione sive deportatione, quae est mors civilis, ad mortem naturalem non est firma consequentia. 8. Ethnici et publicani nunquam et nuspiam igni vel gladio a Christo vel apostolis fuerunt adjudicati, sed potius ad conversionem per praedicationem verbi amice invitati, ergo ex eo, quod haeretici ethnicorum et publicanorum loco habendi sunt, inferri nequit, quod sint capitaliter puniendi, sed potius contrarium, quod ita tractandi sint, ut per poenitentiam reditus ad ecclesiam ipsis relinquatur. 9. Quia Bellarmino hunc locum ad haereticos applicare placuit, transigat cum haereticae pravitatis inquisitoribus, ut methodum a Christo monstratam diligenter observent, hoc est ne ex praesumptionibus et conjecturis aliquem haereseos accusent, sed exspectent, donec de facto ab illo offendantur, deinde arguant ipsum propter delictum et humanitate sua ipsum lucrifacere conentur, quodsi admonitioni huic locum dare recusaverit, XIV. 226.

adhibeant alios testes et fraternas admonitiones denuo urgeant, ac tum demum, si binas vel ternas admonitiones proterve neglexerit, ad judicium ecclesiae causam deferant. Sed praxis inquisitionis Hispanicae testatur, hunc ordinem a Christo praescriptum ne minima quidem ex parte ab illis sanguinariis observari.

2. Rom. 13. magistratus non gerit gladium frustra.

355. 2. Dictum apostolicum Rom. 13. *magistratus non gerit gladium frustra*, *minister enim Dei est vindex in ira. Ergo licitum est haereticos, qui omnium judicio sunt rebelles, ecclesiae et pacis publicae perturbatores ab ecclesia abscindi et a judice seculari morte mulctari.* Respondemus: 1. monemus denuo, Bellarmini conclusionem non adversari nostrae thesi. Nemo nostrum negat, pertinaces haereticos posse excommunicari, nemo impedit seditiosos haereticos pacis publicae perturbatores gladio punire. 2. *Gladii* nomen in textu apostolico generaliter accipitur pro potestate coërcendi et puniendi delinquentes, quae pro delictorum ratione ad capitale etiam supplicum inferendum sese extendit. Ergo non potest nec debet ita concludi: Magistratus habet jus gladii in haereticos, ergo omnes haeretici sunt gladio interficiendi: sed hoc duntaxat inferri debet: ergo potest haereticos coërcere et punire, ac pro ratione delicti, si nimirum manifestae blasphemiae seditiones accedant, etiam capitali supplicio eos afficere. 3. Quodsi enim absolute et simpliciter eos omnes e medio tollere magistratui liceret, in quos jus gladii habet, consequens fuerit, etiam scortatores quosvis, contentiosos, heluones etc. e medio esse tollendos. 4. Qui gladii nomen stricte et determinate pro jure poenas capitales inferendi accipiunt, respondent, distinguendum esse *inter haereticos et reliquos facinorosos* pacis publicae perturbatores. Dicitur enim magistratus *vindex in iram τῷ κακὸν πράσσοντι, mala facienti*, non autem *ψεῦδος διδάσκοντι, falsa docenti*, ut sic principaliter textus accipiatur, non de erroribus theoreticis, sed de peccatis mortalibus. 5. Respiciendum autem perpetuo hujus sententiae nostrae fundamentum. Magistratus non est conscientiarum dominus, ideo etiam mandatis ac poenis suis conscientias cogere non potest nec debet, sed Deo liberum in illas relinquendum est imperium; in fortunas et corpora hominum accepit a Deo imperium. Ergo haereticum simplicem non potest capitaliter punire, sed si haereticus fuerit insuper seditiosus, rebellis erga magistratum et pacis publicae perturbator, tunc potest magistratus, utpote cui cura pacis publicae commendata, contra talem haereticum gladii aciem stringere. 6. Quod Bellarminus addit, *haereticos omnium judicio esse ecclesiae rebelles et pacis publicae perturbatores*, id absolute et simpliciter acceptum experientiae refragatur. Evangelicos in Germania Bellarminus habet pro haereticis, at quidam illorum vivunt sub tutela Pontificii magistratus, qui re ipsa deprehendit, non minorem fidelitatem et obsequium sibi ab illis praestari quam ab iis, qui sunt Romanae religioni addicti.

3. Conferunt haeretici lupis, furibus, latronibus etc.

356. 3. Adducit *comparationes*, quibus Christus et Paulus utuntur, *Christus* (inquit) *et apostolus ejus compararunt haereticos illis rebus, quae sine controversia ferro et igni repelluntur.* Nam Matth. 7. ait: *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Act. 20: *Ego scio, quoniam intrabunt post discessum meum lupi rapaces, nomine luporum certum est haereticos intelligi debere, ut explicat Ambrosius in c. 10. Lucae. At lupi rapaces optimo jure occiduntur, si aliter abigi non possunt, pluris enim facienda est vita ovium quam mors luporum.* XIV. 2
Item Joh. 10: *Qui non intrat per ostium in ovile, sed adscendit aliunde, ille fur est et latro, ubi nomine furis et latronis intelliguntur haeretici et omnes seductores ac sectarum inventores*, ut Chrysostomus et Augustinus exponunt, *fures autem et latrones quomodo puniantur, notum est.* Item 2. Tim. 2: *Haeresis comparatur cancro, qui non curatur medicamentis, sed ferro exscindi debet, alioqui perpetuo serpit et totum corpus corrumpit.* Idem argumentum urgent Ribadeneira l. 1. de princ. c. 26. p. 172. Gregorius de Valentia d. l. Costerus in ench. c. 2. *Non minus* (inquit) *est regum et principum eos compescere et tollere, qui novis dogmatibus reipublicae nocumento sunt, quam qui furtis et homicidiis tranquillitatem et libertatem publicam violant.* Respondemus: 1. a similibus non potest duci apodicticum aliquod argumentum, cum tantum illustrent, non autem probent. 2. Similitudo non est extendenda ultra tertium, in quo fit comparatio. Chrysostomus in c. 20. Matth.: *In parabolis* (et similitudinibus) *non sunt urgenda singula verba et membra praeter et extra institutum, ad quod in Scriptura adhibentur.* Idem in c. 9. Rom.: *Non est extendenda similitudo ultra scopum dicentis nec ex quolibet colligendum quodlibet.* Atqui si scopum Christi et apostoli intueamur, non instituitur comparatio haereticorum cum lupis, furibus ac latronibus *respectu poenae*, quasi idem illis debeatur supplicium, sed tum *respectu naturae et indolis*, quae in utroque hominum genere ad nocendum unice propendet; tum *respectu damni*, quod ab illis metuendum, ut enim fures substantiam nostram, lupi et latrones vitam auferunt, sic haeretici thesaurum verae doctrinae nobis surripiunt et animae nostrae spiritualem vitam auferunt; tum *respectu fugae*, qua ab utriusque cavendum. 3. Progressus igitur fit ultra tertium comparationis et fallacia causarum committitur, quando Bellarminus sic concludit. Haeretici comparantur lupis, furibus et latronibus. Ergo etiam eadem ratione, qua lupi, fures ac latrones tractandi sunt ac puniendi. Possem enim eadem ratione argumentari. Pharisaei comparantur *viperis* Matth. 3, v. 7. et *serpentibus* Matth. 23, v. 33. Ergo eadem ratione, qua viperae ac serpentes sunt puniendi, hoc est obterendi et interficiendi. Magistratus crudeles, morosi patresfamilias comparantur vulpibus, lupis, leonibus etc. Ezech. 22, v. 27. Sophon. 3, v. 3. Zach. 11, v. 3. Eccles. 4, v. 35.

Luc. 13, v. 32. 2. Tim. 4, v. 17. Quare cum animalibus illis insidiae struantur et, si earum copia fieri potest, occidantur, etiam subditi crudelibus magistratibus et servi morosis dominis insidiari et, si fieri potest, e medio illos tollere tenentur. Contrarium ostendit doctrina et praxis apostolorum Rom. 13, v. 2. 1. Petr. 2, v. 18. Item mali mores, prava colloquia et omnis generis scandala serpunt instar *gangraenae*. Ergo ob mores malos, prava colloquia et scandala quaevis homines sunt capitaliter puniendi. At consequentiam hanc ne ipse quidem Bellarminus concedet. 4. Invertimus argumentum. Haeretici sunt lupi, fures et latrones spirituales. Ergo etiam spirituali gladio sunt feriendi, id est anathematizandi, quale enim est furtum ac latrocinium, tale quoque debet esse ejusdem supplicium propter perpetuum culpae et poenae respectum. Haeresis est gangraena spiritualis. Ergo etiam spirituali gladio praescindenda, qualis enim est morbus, tale quoque debet esse remedium. 5. Protasi similitudinis apodosis ejusdem exacte debet respondere. Jam vero protasin similitudinis Bellarminus sic informat. Lupi rapaces, si aliter abigi non possunt, optimo jure occiduntur. Ergo apodosin eodem modo formare debet. Haeretici, si aliter abigi non possunt, id est si magistratui exsilium ipsis imperanti proterve resistant et subditos ad seditionem concitent, tunc demum jure occiduntur. 6. Haeretici qua tales, nisi accedant seditiones, non perturbant pacem politicam, sed duntaxat unitatem scindunt ecclesiasticam. Ergo non sunt capitali supplicio tanquam politicae pacis turbatores afficiendi, sed per excommunicationem ab ecclesiae corpore resecandi et ab ovili Dominico per magistratum pellendi. Gangraenae curatio fit per
128 resectionem membri putridi et emortui, sic haeretici tanquam putrida et mortua ecclesiae membra per excommunicationem ecclesiasticam et relegationem civilem exscindi possunt, licet non penitus ex humana societate igne et gladio tollantur. 7. In allata similitudine haereticorum cum lupis apparet quaedam diversitas, quae impedire debet, quominus eodem plane modo cum utrisque agatur. Lupus est animal ferum et incorrigibile, quod naturam suam nunquam deponit, nec in ovem ut mutetur, sperari ulla ratione potest; sed haereticus per verbum et legitima correctionis media emendari et ad ovile Dominicum reduci potest; proinde lupus merito statim interficitur, sed in haeretico conversionis tempus exspectatur. Gen 49, v. 27: *Benjamin lupus rapax*. Vaticinium illud plerique veteres de Paulo apostolo exponunt, qui ex lupo et persecutore factus non solum ovis, sed et pastor, Act. 9. Gangraena correptum membrum non potest sanitati restitui ac corpori per vitales spiritus iterum agglutinari, sed ecclesiae membra haeresi infecta possunt unitati corporis ecclesiastici iterum restitui. 8. Per fures et latrones aliunde quam per ostium intrantes Joh. 10, v. 8. intelliguntur non solum haeretici, sed etiam illi, qui modis ac mediis illegitimis ecclesiasticum invadunt ministerium. Illos vero omnes gladio puniendos esse Bellarminus neutiquam concedet. 9. Nec furibus, nec latronibus ignis supplicium Pontificii inferunt, quo tamen adversus haereticos, et quidem promiscue adversus omnes non solum seductores, sed etiam seductos, ordinarie utuntur.

357. *4. ab exemplis Christi et apostolorum.* 4. Ex Christi et apostolorum exemplo.
Christus Joh. 2. flagello coëgit negotiatores egredi templum; Petrus Act. 5. Ananiam et Sapphiram, quia mentiri ausi fuerint Spiritui s. occidit; Paulus Act. 13. falsum prophetam, qui proconsulem a fide impedire conabatur, coecitate percussit. Idem argumentum urget Beza d. l. p. 162. *Mirum* (inquit) *videri non debet, si ab ordinario Dei ministro gladius in convictos et factiosos religionis contemtores stringatur, cum Petrus in defectu Christiani magistratus extra ordinem religionis contemtum, quamvis adhuc occultum et latentem, capitali supplicio punierit.* Respondemus: 1. ab exemplis heroicis singularibus et extraordinariis non potest duci quaedam generalis regula; 2. maxima enim utrobique occurrit diversitas, qualis etiam hoc loco animadvertitur. Primo *respectu personarum.* Christus et apostoli ecclesiasticum ministerium in terris administrarunt, sed hic quaestio est de magistratu politico. Christus et apostoli motibus heroicis impulsi extraordinarie in illis poenis praedicendis et infligendis egerunt, sed hic quaestio est de ordinaria poena, qua magistratus in haereticos animadvertere debeat. Apostoli poenam illam non tam ipsi tulerunt, quam divinitus inferendam praedixerunt. Petrus enim non tulit sententiam judiciariam, sed Spiritu Dei plenus divinam avaris et mendacibus hominibus denuntiavit vindictam. *Ecce*, inquit v. 9. *pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium sunt et efferent te.* Paulus itidem coecitatem non inferebat, sed praedicebat. *Ecce*, inquit v. 11. *manus Domini super te et eris coecus, non videns solem usque ad tempus.* At hic quaestio est de poena, cujus infligendae potestas est in manu magistratus. Secundo *respectu objectorum.* Christo negotium fuit cum nummulariis et venditoribus boum, ovium ac columbarum templum Dei profanantibus, Petro cum avaris, fraudulentis ac mendacibus, Paulo cum homine mago. At hoc loco quaestio est de haereticis, quid cum illis sit agendum. Tertio *respectu normae,* juxta quam hae actiones aestimandae. Christus heroico illo facto implevit vaticinium V. T. Joh. 2, v. 17: *Recordati sunt discipuli ejus, quod scriptum est* Psalm. 69, v. 10. *zelus domus tuae comedit me*; at haereticorum occisio pugnat cum vaticiniis de modo propagandae ecclesiae in N. T. Petri et Pauli facta sunt singularia et extraordinaria, ideoque ad communem regulam non congruunt; at Pontificii certam quandam regulam de occidendis haereticis XIV. 129.
in N. T. traditam esse statuunt. Quarto *respectu causarum impulsivarum tum internarum tum externarum.* Christi et apostolorum zelus fuit divinus et heroicus a peculiari Spiritus sancti impulsu profectus; sed Pontificiorum zelus a spiritu mendacii et

homicidii proficiscitur, cum saeviant etiam in eos, qui nihil minus sunt quam haeretici. Christus flagellat nummularios et mercatores illos ob profanationem templi, Petrus Ananiae et Sapphirae mortem praedicit ob fraudes et mendacia, Paulus Elymae coecitatem denuntiat ob perversionem viarum Domini; at Pontificii ob simplicem mentis errorem etiam in seductos ab haereticis saeviunt. Quinto *respectu instrumentorum.* Christus utitur flagello, Pontificii igne et gladio; apostoli utuntur verbo, Pontificii ferro. Sexto *respectu factorum.* Christus flagellat et e templo ejicit; papa homines mactat et ex humana societate per mortem penitus exterminat; Paulus Elymae coecitatem praedicit, non autem gladio vel igne occidit; Petrus crimen hominibus occultum in lucem protrahit et miraculose puniendum ostendit. In haereticorum suppliciis omnia apparent contraria.

5. Tit. 3, v. 10: Haereticum devita.

358. Atque haec sunt, quae ex N. T. Bellarminus affert. Thomas 2. 2. q. 11. haeretici poenam capitalem esse oportere, probat ex dicto apostolico Tit. 3, v. 10: *Haereticum post unam atque alteram admonitionem devita.* Sed error oritur ex figura dictionis. In Graeco enim est παραιτοῦ, *fuge et devita,* eum, non autem e vita tolle. Johannes Bernhardinus Muscatellus in pract. crim. c. de crim. laes. majest. divin. n. 48. et 49. scribit, in regno Neapolitano et aliis provinciis observari, *ut haeretici vivi comburantur in conspectu populi*, et praeter alias doctorum auctoritates ad id probandum adducit

6. Joh. 15, v. 6: Si quis non manserit in me, mittetur foras.

dictum Christi Joh. 15, v. 6: *Si quis non manserit in me, mittetur foras, sicut palmes, et arescet et colligent eum et in ignem mittent.* Eundem locum pro adstruendo capitali haereticorum supplicio adducit Simanca in instit. c. 46. num. 45. et 46. sed Didac. Covarruvias scriptor Hispanus et Pontificius l. 2. var. resolut c. 10. agnoscit, *locum hunc non esse ad praesentem quaestionem accommodatum.* Idem fatetur Gundissalvus de Villadiego apostolici palatii auditor de haer. q. 15. num. 4. *Ista auctoritas evangelii*, inquit, *loquitur non de igne materiali, sed de igne infernali.* Quales enim palmites, qualis vitis, talis quoque ignis manet eos, qui a vera vite sese abscindunt. At spiritualis est vitis, spirituales sunt palmites, de quibus Christus loquitur. Ergo intelligitur etiam ignis spiritualis. Adde quod non per haeresin tantum, sed per quodvis peccatum mortale contra conscientiam commissum palmites a vite exscinduntur, ergo vi hujus interpretationis omnes, qui peccatum mortale committunt, poena ignis a magistratu essent afficiendi.

2. Ex legibus imperatorum.

359. Alteram argumentorum classem ducit Bellarminus ex *sententiis et legibus imperatorum. Constantinus* I. ad petitionem Nicaenae synodi Arium cum aliquot sociis in exsilium relegavit, Sozomenus libr. 1. hist. cap. 20. et Donatistas supplicio affecit, ut refert Augustinus l. 1. cont. ep. Parmen. c. 7. et in ep. 166. ad Donatistas, ubi enumerat multos imperatores optimos, qui severissimas leges tulerunt contra haereticos et unum solum Julianum Apostatam haereticis favisse. Deinde *Theodosius, Valentinianus, Marcianus* et alii religiosissimi imperatores leges tulerunt in haereticos, quibus eos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exsilio et verberibus, interdum ultimo supplicio mulctare voluerunt, ut paret C. de haeret. l. Manichaeos l. Ariani l. Quicunque. *Justinianus* apud Paulum Diaconum l. 16. lege edita omnes haereticos de finibus totius imperii ejecit, concessis trium mensium ad conversionem induciis; deinde *Michael* imperator apud eund. lib. 24. capitalem poenam in XIV haereticos constituit. Respondemus: 1. fatetur Gregorius de Valentia, usque ad tempora Marciani ac Valentiniani, Bellarminus usque ad tempora Augustini, id est usque ad ann. 430. legem de interficiendis haereticis nullam fuisse latam. Nam tempore Constantini Magni decreta est illis poena exsilii, ut apparet ex prooemio concil. Nicaen. et ex Sozomeno l. 1. hist. c. 20. addita; deinde fuit tempore Theodosii imperatoris poena pecuniaria, decem scilicet librarum auri, donec Marcianus et Valentinianus tandem ad graviora supplicia descenderent. Ergo melioribus illis ecclesiae temporibus et apostolicae ecclesiae vicinioribus capitalis poena haereticorum non fuit usitata, nihilo tamen minus plurimae et perniciosissimae haereses vigilantia piorum imperatorum et episcoporum sunt repressae. 2. Quamvis salutares Christianorum imperatorum sanctiones minime damnemus, tamen ex verbo Dei de illis judicandum esse nemo diffitebitur, fuerunt illae dissimiles et ad statum temporum istorum accommodatae, ac proinde saepius variantes, nos vero hoc loco non tam de jure civili, quam de jure divino quaerimus, unde Beza ipsemet fatetur p. 197. *ab istorum imperatorum temporibus Christianos principes officii sui rationem adeo exacte mutuari non posse. 3. Constantinus* Arium haeresiarcham cum sociis in exsilium relegavit, quod nostrae thesi non adversatur, neque enim de exsilio vel deportatione, sed capitali supplicio haereticorum hoc loco quaeritur. Monemus autem Pontificios, ut quemadmodum Arius ex Scripturis in Nicaeno concilio erroris est convictus, quod testatur ipse Bellarminus lib. 2. de conc. c. 12. §. sic etiam etc.; ita ipsi quoque ex Scripturis haereseos eos legitime convincant, quos poenis haereticorum subjicere laborant. 4. *In Donatistas* capitale supplicium fuisse quandoque statutum concedimus, sed illi fuere seditiosi et a se dissentientes interfecerunt, quin et exquisitis tormentis subjecerunt, ut constat ex ipsis illis Augustini locis, quae a Bellarmino citantur. Sic enim scribit l. 1. contra epistol. Parmen. (Donatistarum episcopi) c. 7. non longe a princip.: *Et si quid temporalis molestiae passi fuerint per certissimum atque rectissimum ordinem potestatum, cum ipsi privatis furiosorum agminibus multa graviora passim atque quotidie nulla regia, nulla ecclesiastica lege committant, nos corporum persecutores vocant, se animarum interfectores vocant, cum privata licentia nec corporibus* (nota) *parcant.* Et postea: *Cur ipsi, ubi possunt,*

templa subvertunt, et per furores Circumcellionum talia facere aut vendicare non cessant? an justior est privata violentia, quam regia diligentia? etc. *Multa eorum saevi[illegible]a numerantur, imo numerari non possunt, quae si pauciora essent, vel eos, in quos admittuntur, minus affligerent, eo ipso certe essent graviora, quod non ab ordinatis potestatibus juberentur, sed extraordinariis furoribus admittuntur* etc. *Multa quotidie agunt per furiosos ebriosorum juvenum greges, quibus principes constituunt, qui primum tantummodo fustibus, nunc etiam ferro se armare coeperunt, qui Circumcellionum notissimo nomine per totam Africam vagantur et saeva contra omnem ordinem legum potestatumque committunt.* Epist. 166. ad Donatistas statim in princ.: *Mandaverunt nobis quidam presbyteri partis vestrae dicentes, recedite a plebibus nostris, si non vultis, ut interficiamus vos.* Et postea: *Ubicunque vellemus praedicare veritatem, ut eam quisque securus audiret et volens eligeret, nunquam permisistis per violentias et terrores vestros* etc. *recolite facta Circumcellionum vestrorum et clericorum, qui duces eorum semper fuerunt, et videbitis, quae causa vobis hoc excitaverit, unde injuste querimini, quia vobis omnia ista, ut juberentur, coëgistis,* cujus violentiae ac tyrannidis specialia exempla complura subjicit. Ep. 68. ad Januarium circa med.: *Pejora mala nobis vestri nunc faciunt, non tantum nos fustibus quassant ferroque concidunt, verum etiam in oculos exstinguendos calcem mixto aceto incredibili excogitatione sceleris mittunt. Domus insuper nostras compilantes, arma sibi ingentia et terribilia fabri-*
V. 231. *carunt, quibus armati per diversa discurrunt comminantes atque anhelantes caedes, rapinas, incendia, coecitates* etc. Imperatores igitur huic Donatistarum crudelitati et furori obviam ituri capitale supplicium in ipsos statuerunt, non tam propter haeresin quam seditiosa et crudelia ipsorum facinora. Quamvis vero Donatistae haeresi talia flagitia conjungerent, tamen Augustinus apud judices pro illis deprecatus est, ne usque ad capitis supplicium animadversio in eos procederet, ut constat ex epist. 50. ad Bonifacium de *moderate coërcendis haereticis;* epist. 127. ad Donatum Africae proconsulem, *ut Donatistas coërceat, non occidat;* epist. 158. ad Marcellinum, in qua rogat, *ut Donatistae, qui resipiscere nolint, castigentur, sed citra mortis poenam;* epist. 159. ad eundem, epist. 160. ad Apringium judicem, et fatetur ipse Bellarminus cap. 21. §. Augustinus etc. 5. De *Theodosio* disertis verbis memorat Sozomenus lib. 7. c. 12. *magis terrendi causa capitalem poenam in haereticos legibus latis ipsum statuisse*, quam quod executioni easdem dederit. *Imperator* (inquit) *lege edixit, ut heterodoxi neque ecclesias colligerent, neque de fide docerent, neque episcopos aut alios ordinarent, et alii civitatibus et agris pellerentur, alii honoribus privarentur, nec eadem ut illis politia uterentur, ac legibus illis gravia supplicia adjecit, sed non est exsecutus. Neque enim punire subditos, sed metu coërcere satagebat, quo illos in dogmate de divinitate Christi concordes redderet.* Idem de Constantini legibus contra Arianos habet Sozomenus l. 2. c. 32. et Nicephorus l. 8. c. 52. *Justinianus* etiam quamvis cruentam legem adversus haereticos tulerit, nuspiam tamen ex ea in quenquam vendicasse legitur, licet occasio ipsi non deesset in puniendo Anthemio episcopo Constantinopolitano Eutychiana haeresi infecto, ut et in Nestorianis, quos alia lege sancita ita compescere voluit, *ut episcopi Nestoriani ecclesiis ejicerentur, laici anathemate percuterentur*, ex quo ipso intelligitur, quod priorem legem in terrorem duntaxat haereticorum tulerit. Cum enim persecutionibus ethnicorum imperatorum sopitis et pace ecclesiae reddita variarum haeresium colluvies cataclysmi instar eo tempore ecclesiam inundarent, et sic violentiae tyrannorum succederet fraudulentia haereticorum, sicut in edicto Theodosii et Valentiniani 32 prodigiosae et monstrosae haereses enumerantur, pii imperatores judicarunt, ecclesiae saluti aliter consuli, aut proterviam haereses in conciliis legitime damnatas propagandi cum seditione plerunque conjunctam aliter coërceri non posse, quam si de quibusdam pecunia mulctandis, aliis in exsilium pellendis, nonnullis etiam capitali supplicio afficiendis leges sancirent, atque hoc severitatis terrore pruritum omnia innovandi ac turbandi compescerent, quamvis nondum certum sit, capitali poena propter haeresin quemquam ab illis affectum fuisse. 6. Inde est, quod Wesenbeckius in paratitl. ex ipsis verbis legum demonstrare nititur l. 1. tit. 5. Cod. sanctionem illam *de ultimo supplicio* haereticis irrogando, vel non ad omnes promiscue haereticos, sed duntaxat ad Manichaeos et similes, qui ad *imam usque scelerum nequitiam pervenerunt,* de quibus etiam l. Quicunque expresse loquitur, pertinere; vel ultimum illud supplicium non de supplicio mortis naturalis, sed de *cassatione ultimarum voluntatum et morte civili, videlicet deportatione, esse* accipiendum. Quod dicitur l. 4. C. de haeret. contra Manichaeos *inquisitionem in mortem extendi, hoc* (inquit) *non ad supplicium capitis, sed ultimarum voluntatum cassationem, item ad hoc, ut mortuus accusari et memoria ejus damnari possit, spectare, ipse textus ostendit et glossa*, d. l. 4. verb. subire l. 2. infr. de apostat. l. 1. in fin. C. de summ. Trinit. *nisi dicamus, singulare fuisse in Manichaeis et similibus, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerunt, ut ultimo supplicio jure traderentur, tametsi et has constitutiones interpretari fas sit non de amissione vitae, sed de deportatione, quae et ipsa ultimum ac capitale supplicium dicitur* l. Sancimus C. de exsecut. et exact. l. 12. (quanquam jurisconsultus improprie fateor l. ultimum 21. de poen. loqui XIV. 232.
videatur) *cum haec conjungantur in d. l. 4. l.* quicunque 8. h. t. *Manichaeis etiam de civitatibus pellendis et ultimo supplicio afficiendis, quomodo enim potuerunt civitate expelli, et quid illa verba operabuntur, si interpretemur supplicium de amissione vitae ac non potius de deportatione? Quamobrem et reliquas leges, quae poenam capitis decernunt, ita licet interpretari l. 2. infr.* ne sanct. bapt.

quam nisi sic interpretere, pugnabit cum l. ult. eod. tit. l. pen. de apostat. Et haec poena cum ecclesiastica congruit, quod enim hic est excommunicatio, id in imperio et politia civili est bannum seu exsilium. Item quae canonibus poena perpetui carceris impoenitentibus haereticis praestituitur c. pen. §. ult. extra eod. *ea in foro seculari est deportatio.* l. 5. de interd. et releg. *Nec ultra hunc gradum olim in haereticos saevitum fuisse, et sic imperatorum constitutiones acceptas exsilium Arii ac similium docet. Est etiam humanius, licet jurisconsulti proprietatis verborum servantissimi ultimum supplicium de morte naturali interpretentur.* l. ultimum de poen. l. qui cum 14. §. 2. de bon. l. l. penul. de poen. *tamen in poenalibus cum aliud verbis legis diserte nihil admodum est expressum, supplicium seu poenam capitis potius de deportatione quam amissione vitae interpretari, ut poenae quoad ejus fieri potest, benigna interpretatione molliantur* l. pen. de poen. *et ad minimum accommodentur* l. semper in obscur. de R. J. *praesertim cum error animi et opinionis non sit ex genere capitalium, imo potius quae per se capitalia sunt, mitiget* l. si quis adulterum §. 1. de adulter. idque probat l. quicunque 8. hoc t. *ubi poena deportationis initio praestituta post appellatur supplicium capitale.* v. ult. *etiam (quae particula illatoria se refert ad poenam superiorem) supplicio coërceantur, quae aliter accepta sibi non constaret, ut contraria, seque ipsam corrigeret, velut lex secunda et tertia,* infr. ne sanct. bapt. *quod non est praesumendum.* Haec Wesenbeckius, sed quia l. 21. ff. de poen. expresse dicitur, *ultimum supplicium solam mortem interpretamur,* et l. sancimus C. de exsecut. et exact. non de ultimo, sed *perpetui exsilii supplicio* fit mentio, ideo accuratius dispiciendum, an Wesenbeckii interpretatio subsistere possit? 7. Conjungatur praxis ecclesiae temporibus illorum imperatorum recepta, quae manifeste testatur, a quibusdam imperatoribus religionum diversitatem fuisse toleratam, quosdam in haeresiarchas quidem animadvertisse, sed ad sanguinis effusionem non fuisse progressos, verum exsilio duntaxat contentos. Sic Nestorius a Valentiniano et Marciano (quorum decretum Bellarminus vel maxime urget) non interfectus, sed in exsilium pulsus ac proscriptus est, Evagrius l. 2. c. 4. Liberatus in breviario c. 13. etc. Quodsi vel maxime sequentibus temporibus tale quid a quibusdam imperatoribus tentatum, illud episcoporum impulsui potius quam ipsorum voluntati tribuendum, quippe qui ambitione turgidi sanguinarium illum ecclesiae propagandae modum imperatoribus bello occupatis et Scripturarum non adeo gnaris persuaserunt, quem pii principes e Scriptura rectius edocti imitari non tenentur, quod monet Brentius in lib. quomodo magistr. religion. curam gerere debeat. 8. Leges imperatoriae in illos haereticos poenas statuunt, qui legitimo juris processu haereseos sunt convicti; sed pontificia Hispanicae inquisitionis tyrannis processum illum penitus negligit. Wesenbeckius d. l.: *Magistratus in haereticos convictos ac impoenitentes aeque animadvertere potest atque in reliquos facinorosos, ita tamen ut legitimus criminalium rerum ordo servetur, praemissa denuntiatione, et si ea nihil proficitur, instituta accusatione, vel inquisitione, etiam absque diffamatione praecedente, in qua etsi non omnia judiciorum solennia ad amussim servari necesse est, tamen substantialia legitimae cognitionis omitti non possunt, ut sunt citatio partis, examinatio causae idonea, admissio defensionum, probationum, ab utraque parte per confessionem testes saltem duos omni exceptione majores, nam plures requiruntur, si minus idonei sunt, qui et hic recipiuntur, item per literas, instrumenta, libros improbatae lectionis, etiam tormenta (ut quidam volunt, sed nimis hic quidem periculose tanquam* XIV. 2 *cruce innocentibus etiam fixa) ex indiciis tamen sufficientibus. Probatione vero contra haeresin impleta, quae hic urgentissima et validissime concludens esse debet, etiamsi nonnulli non recte leviores sufficere putent, adhibito sapientum consilio et exquisito eorum, qui de doctrina ecclesiae ac contraria illi haeresi recte judicare possunt, judicio sententia delatoria in haereticum est ferenda, qua declaratur haereticus, et ideo illis subjectus poenis, quae ipso jure huic generi imponuntur* etc. Quae omnia ex fundamentis juris ibidem probat, sed ubi vel quando a Pontificiis legitimus ille et ordinarius processus observatur?

360. Tertiam argumentorum classem petit Bellarminus *ex legibus ecclesiae* cap. Ad abolendam et c. Excommunicamus extra de haereticis, et in sexto de haereticis cap. super eo: *Definit ecclesia haereticos incorrigibiles seculari potestati tradendos, ut ab eis debito modo puniantur. Item Constantiense concilium sess. 15. damnavit sententiam Johannis Hussi et ipsum Hieronymum de Praga tradidit seculari potestati, a qua ambo exusti fuerunt. Denique Leo X. articulos Lutheri damnavit.* Respondemus: 1. auctoritate juris Pontificii ecclesia Dei obstringi non potest. 2. Canones non irrogant aliam poenam quam excommunicationem, reliquam potestati et arbitrio judicis secularis committunt, quae arbitraria regulariter ad mortem extendi non debet l. hodie de poenis. Boer. decis. 254. n. 13. Alex. vol. 2. consiliorum 283. Wesenbeckius d. l. quapropter hujus erit poenam legis, hoc est deportationem, non transgredi. 3. Canonistis, qui ad ignis poenam haereticorum supplicium extendunt, merito hoc opponitur, quod genus illud supplicii nunquam decerni debet, nisi cum lege diserte est expressum. l. unic. ubi Salic. C. de agger. Nili rump. l. capitalium 28. §. 1. qui cremantur l. aut damnum 8. §. hosti l. si quis 38. §. 1. de poen. 4. Concilium Constantiense est recentius, quam ut ordinariam haereticorum poenam capitis supplicium esse debere, ex eo probari possit. Si id recte statuit Constantiense conciliabulum, consequens fuerit, prioribus conciliis omnibus illud esse praeferendum, quippe quorum nullum adduci potest, quod capitalem poenam haereticis

3. Ex legibus ecclesi

irrogandam esse decreverit. Piggius in hierarch. de hoc concilio scribit, quod *contra legem naturae, contra manifestas Scripturas, contra vetustatis auctoritatem et contra catholicam ecclesiae fidem decreverit.* Bellarminus ipse lib. 1. de concil. c. 8. §. Quintum etc. illud refert inter *concilia partim confirmata, partim reprobata.* 5. Mitiores illi canones, quos superius adduximus, cum sint antiquiores, praeferendi sunt sanguinariis Romanorum pontificum constitutionibus. 6. Damnatio Johannis Hussi et Hieronymi Pragensis in illo concilio non fuit legitima, quippe petita non ex Scriptùris sacris, sed ex traditionibus Pontificiis. Idem de damnatione articulorum Lutheri a Leone X. profecta dicimus. Non defuit huic pontifici promtissima voluntas Lutherum ad ignem rapiendi, unde etiam Romam ab ipso evocatus fuit, sed Deus a crudelitate ista Lutherum praeservavit et ex ore leonis ipsum liberavit, 2. Tim. 4, v. 17.

361. Quartam argumentorum classem deducit ex testimoniis patrum, Cypriani de exhort. martyr. c. 5. Hieronymi in c. 5. Gal. Augustini epist. 48. et 50. Leonis epist. 91. ad Turbium, Optati Milevitani l. 3. adv. Parm. Gregorii l. 1. ep. 72. et Bernhardi serm. 66. in Cant. Respondemus: 1. ex patribus pro nostra sententia superius adduximus testimonia clarissima; 2. et fatetur ipse Bellarminus c. seq. resp. ad arg. 16. *ecclesiam initio solum excommunicasse haereticos, deinde addidisse poenam pecuniariam, tum amissionem bonorum, postea exsilium, tandem vero ad supplicium capitale devenisse*; item *tempore Augustini nondum exstitisse ullam legem imperatorum, qua haeretici juberentur occidi, Augu-*
134. *stinum ipsum semper excepisse supplicium mortis* c. 21. arg. 4. Ergo agnoscit, primis illis et melioribus primitivae ecclesiae temporibus capitalia supplicia in haereticos non fuisse statuta. 3. Dicta illi patrum nobis non adversantur. 1. Cyprianus non de interficiendis haereticis, sed de fugienda idololatria agit, quando legem Deuter. 13. proposito suo accommodat. 2. Hieronymus de coërcendis et repellendis, non autem trucidandis haereticis loquitur, haereses exstinguendas et resecandas dicit, sed haereticos per gladium et ignem e medio tollendos esse nuspiam asserit. 3. Leo non de ense proprie dicto, sed de ense metaphorico legum publicarum, cujus terrore coërcendi et prosternendi sint haeretici, agit; ibidem addit, *ex lenitate ecclesiasticorum haereses prius fuisse disseminatas*, ex quo apparet dissimile studium illius temporis et Pontificiorum ecclesiasticorum, illi enim cruentas ultiones refugerunt, hi magistratum ad sanguinem haereticorum fundendum exstimulant. Praeterea in specie de Priscillianistis agit, quos magos fuisse et foetidissimae scelerum sententiae immersos asserit, cum quibus quid tandem commune habent, quos Pontificii ut haereticos tractant? Denique ipse Leo exponit causam severioris poenae in Priscillianistas statutae. *Videbant* (inquit) *omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi simulque divinum jus humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset*, quae verba a Bellarmino sunt omissa. 4. Optatus Milevitanus loquitur de peculiari quodam facto Macarii orthodoxi, qui duos ex Donatistis occiderat, ac primo quidem illud improbat, quod solus ecclesia nesciente id fecerat, postea utcunque excusat, quia Donatistis provocantibus sit factum, et quia singulari aliquo zelo ad exemplum Moysis, Eliae et Pinees fieri potuerit. Atqui ex *facto singulari* regulam generalem inferendam, et quod in seditiosos Donatistas licuit, in omnes haereticos statuendum esse, nemo facile dixerit. 5. Gregorius itidem in specie de facinorosis ac seditiosis Donatistis loquitur, quos armis contra ecclesiam insurgentes armis reprimendos esse, recte statuit. 6. Bernhardus nostram potius sententiam confirmat, sic enim verba immediate praecedentia et a Bellarmino studiose omissa habent: *Haeretici palam impietatem adstruentes et pro ea mortem subire parati, nec minus parati inferre, qui adstabant. Itaque irruens in eos populus novos haereticis suae ipsorum perfidiae martyres dedit. Approbamus zelum, sed factum non suademus, quod fides suadenda est, non imponenda.* Postea subjicit ea, quae Bellarminus adducit: *Melius procul dubio gladio coërcerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos trajicere permittantur.* Procedit Bernhardus ex comparatis, videri quidem melius coërcere haereticos gladio, praesertim si non fiat a tumultuante populo, sed a legitimo magistratu, verum hoc non esse suadendum quod probat ratione generali, quae et magistratum, et populum spectat, quia *fides suadenda est, non imponenda.* Sic ergo nullum in patribus praesidium Bellarminus invenire potuit.

362. Quintam et ultimam argumentorum classem petit *ex ratione naturali.* Atqui in quaestionibus fidei et religionis non attendenda est humana ratio, sed divina revelatio. Videamus tamen, quid afferat. Primam rationem petit *ex poenae ecclesiasticae et politicae comparatione. Haeretici jure possunt excommunicari. Ergo et occidi. Probatur consequentia, quia excommunicatio major poena est, quam mors temporalis*, teste Augustino l. 1. cont. advers. legis et prophet. c. 17. Respondemus: 1. per inversionem: Quod in ecclesia est excommunicatio, id in politia est exsilium sive deportatio. Ergo ut inter poenam ecclesiasticam et politicam sit conformitas, haeretici a magistratu politico non sunt interficiendi, sed in exsilium pellendi. 2. Per deductionem ad absurdum. Si illi, qui possunt ab ecclesia excommunicari, a magistratu etiam possunt occidi, consequens fuerit, scortatores, heluones, contentiosos etc. cum propter pertinaciam in delictis possint excommunicari, debere etiam a magistratu occidi. 3. Repugnat hoc argumentum praxi Christi et apostolorum. Christus eum, qui ecclesiam non audierit, ut ethnicum et publicanum habendum esse docuit, sed interficiendum esse nuspiam significavit. Paulus ince-

5. Ex ratione naturali. 1. A poenae ecclesiasticae et politicae comparatione.

XIV 235.

stuosum Corinthium excommunicat et Satanae tradit, sed carnifici ad mortem eum tradendum esse nuspiam suadet, quin imo pro ipso intercedit, ut acta poenitentia in ecclesiae consortium iterum recipiatur. 4. Pugnat cum hypothesi ipsius Bellarmini. Is enim l. 3. de eccles. milit. c. 6. §. 8. agnoscit, *posse aliquem injuste excommunicari et talem animo quidem esse adhuc in ecclesia, quod illi sufficiat ad salutem.* Atqui si ab excommunicatione ad capitis supplicium recte concluditur, etiam injuste excommunicatus capitis poenam luere cogeretur, qua ratione ecclesia excommunicatione sua gravius peccaret. 5. Confundit diversa poenarum genera. Excommunicatio est poena ecclesiastica, sed capitale supplicium est poena politica. Valet argumentum a majori ad minus in eodem genere poenae. Exempli gratia qui in genere poenae corporalis rotam meritus, is multo magis gladium ac fustigationem tanquam poenas minores promeruisse censendus; qui in genere poenae spiritualis excommunicationem majorem meritus, is multo magis excommunicationem minorem promeruisse judicandus. Sed non licet saltum facere ex uno poenae genere in aliud, quandoquidem ut fora sunt distincta, sic poenae quoque toto genere invicem differunt. 6. Committit fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Major et gravior poena est excommunicatio quam occisio corporalis non absolute ac simpliciter, sed ratione eventus, nimirum si non sequatur excommunicati resipiscentia, tunc enim aeterna damnatio huic poenae est conjuncta juxta effatum Christi: *Quae ligata sunt super terram, erunt etiam ligata in coelis,* Matth. 16, v. 19. Joh. 20, v. 23. interim tamen minor est supplicio capitali respectu finis et certi cujusdam accidentis. Ideo enim excommunicatus *traditur Satanae, ut spiritus sit salvus in die Domini nostri Jesu Christi,* 1. Cor. 5, v. 5. hoc est ut ex ejusmodi poena, pudore, dolore, tristitia et poenitentia exorta caro seu vetus homo, quae in hoc praecipitium ipsum abripuit, dometur, crucifigatur et interimatur, contra vero spiritus interior seu novus homo, qui in certamine illo succubuit, reviviscat, sese erigat et superstes maneat. Sed corporale supplicium ideo infligitur, ut homo penitus e civili societate et e medio tollatur. Excommunicatio ergo locum adhuc relinquit institutioni et informationi, sed corporale supplicium haeretico poenitentiae tempus atque occasionem penitus amputat.

2. Ab experientiae testificatione.

363. Secundam rationem petit ab *experientiae testificatione. Experientia docet, non esse aliud remedium. Nam ecclesia paulatim progressa est et omnia remedia experta, primo solum excommunicabat, deinde addidit mulctam pecuniariam, tum exsilium, ultimo coacta est ad mortem venire, quia reliqua media et remedia, videlicet excommunicatio, mulcta, carcer, exsilium* etc. *ab haereticis contemnuntur.* Respondemus: 1. per *inficiationem.* Illa remedia accommodatissima judicanda, quae cum verbo Dei et primitivae ecclesiae praxi congruunt. Nobis quidem videtur accommodatum remedium vi et suppliciis cogere homines ad fidem, sed meminerimus, hoc esse contra naturam fidei, quae suadenda, non imponenda; contra naturam N. T. in quo ecclesia non ferro, sed verbo propaganda; contra naturam caritatis, quae errores interficit, homines diligit. Quodsi qui violentis mediis ad fidem conversi videntur, illud totum est ex accidenti, quatenus post coactionem rectius fuere informati et sponte errores suos abjecerunt, ideoque non tam violentae coactioni et armorum suppliciorumque illationi, quam placidae informationi conversio illorum asscribenda, quae si desit, non nisi hypocritica oris professio per violentiam extorquetur. 2. Per *concessionem.* Plenaria et omnimoda ecclesiae ab haeresibus repurgatio in hac vita sperari vel a magistratu obtineri nequit, 1. Cor. 11, v. 19. ergo si vel maxime mitioribus illis mediis ac remediis, quae infra capitis supplicium subsistunt, haereticorum omnium conversio obtineri nequeat, tamen solemur nos promisso Christi, quod in fine seculi *missurus sit angelos, qui ex regno suo omnia zizania colligant* Matth. 13, v. 30. et *aream suam plene purgaturus* Matth. 3, v. 12. 3. Per *inversionem.* Experientia teste comprobatur, persecutionibus et suppliciis haereticos non converti, sed potius magis inflammari, ut multis probat Thuanus in praef. operis sui historici. Primis quatuor ecclesiae Christianae seculis complures haereses sine corporali gladio et igne ab episcopis felicissime sunt repressae et jugulatae. Quod Pontificii gradibus illis poenarum in primitiva ecclesia usitatis non sunt contenti, id a primitivae ecclesiae doctrina et praxi secessionem ipsos fecisse manifeste arguit. Monstret vero nobis Bellarminus haeresin aliquam, quae superiori seculo pontificis gladio et igne penitus exstingui potuerit? 4. Per *quandam ad absurdum deductionem.* Si ideo haeretici sunt interficiendi, quia reliqua media ad haereses exstirpandas non videntur sufficere, consequens erit, eos qui in moribus sunt incorrigibiles, ut contentiosos, heluones, libidinosos etc. tandem occidendos esse, cum poenas reliquas contemnere videantur.

3. ha… co… cu… fal… col…

364. 3. *Ex haereticorum cum falsariis collatione. Falsarii omnium judicio merentur mortem. At haeretici sunt falsarii verbi Dei.* Respondemus: 1. Per *inversionem.* In crimine falsi poena regularis et summa est *deportatio,* nisi in casibus quibusdam exceptis l. ubi in fin. C. de fals. l. 1. §. fin. ff. ad l. Cornel. de fals. sic in haereseos crimine summus poenae gradus regulariter sit deportatio vel relegatio. Wesenbeckius in parat. C. de haeret. num. 6. 2. Per *distinctionem.* Haeretici sunt falsarii non politici, sed spirituales et ecclesiastici. Ergo non debent affici supplicio in falsarios politicos constituto, sed poena ecclesiastica. Quale est delictum, talis quoque poena. Sed falsatio verbi est delictum spirituale, non ad forum soli, sed ad forum poli proprie et directe pertinens, nisi seditio accedit. Ergo non puniendum est poena capitali civili, sed sufficit exclusio haeretici a patria coelesti Apoc. 22, v. 19. in foro civili eatenus coërcetur,

quatenus ecclesiae pacem perturbat. 3. Per *deductionem ad absurdum.* Si falsarii verbi divini capitis poena afficiendi, tum doctores Pontificii non erunt a gladio et igne liberi, quia plurima Scripturae dicta violentis et peregrinis suis glossis pervertunt et crimen falsi saepius committunt.

365. 4. *Ex Augustini ratiocinatione* ep. 50. *Gravius est non servare fidem hominem Deo, quam feminam viro. Sed hoc punitur morte, cur non et illud?* Respondemus: 1. Si hoc argumentum obtinere debet, non solum haeretici, sed omnes omnino peccatores, qui fidem in baptismo Deo datam non servarunt, sed variis transgressionibus violarunt, e medio tollendi erunt. 2. Ut distincta sunt duo illa fora ecclesiasticum ac politicum, ita quoque distinctae sunt utriusque fori poenae. Haeresis est gravius delictum quam adulterium, in foro scilicet ecclesiastico, sed adulterium gravius est delictum quam haeresis in foro politico, quod externam locomotivam et reipublicae incolumitatem potissimum respicit l. cogitationes de poenis. Ergo ex gravitate delicti in foro ecclesiastico non debet processus fieri ad gravitatem poenae in foro politico. 3. Quinimo cum haeresis gravius sit delictum adulterio, ideo etiam gravius puniri debet, videlicet non poena corporali capitali, sed spirituali, excommunicatione scilicet, quam sequitur poena aeterna, nisi ea antevertatur
37. resipiscentia. 4. Augustinus d. l. non tam de *modo poenae in specie,* quam de *jure irrogandae poenae in genere* disputat, hoc est non probat, capitaliter esse puniendos haereticos, sed a magistratu jure eos puniri posse. Cum enim ostendisset, imperatores necessitate compulsos fuisse, ut Donatistarum furori obsisterent, postea subjicit: *Cur cum datum sit homini divinitus liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur et sacrilegia permittantur? an fidem non servare animam Deo levius est, quam feminam viro?* Opponit erga invicem poenam adulterii et sacrilegii impunitatem; at nec haeresin, nec sacrilegia a magistratu impunita esse cupimus. 5. Si a gravitate delicti in foro ecclesiastico recte procedi posset ad gravitatem poenae in foro politico, possem ex eodem principio inferre: Idololatria gravius peccatum est quam haeresis simplex, ut constat. At avaritia est idololatria et avari sunt idololatrae. Ergo avari gravius puniendi quam haeretici.

366. 5. *Ex causarum, propter quas capitalia supplicia irrogantur, enumeratione. Tres* (inquit) *causae sunt, propter quas ratio docet, homines esse occidendos, quas enumerat Galenus in lib. quod mores animi sequantur temperamentum corporis: 1. ne mali bonis noceant, neve innocentes a nocentibus opprimantur; 2. ut paucorum supplicio multi corrigantur, et qui noluerunt prodesse reipublicae vivendo, prosint moriendo; 3. quia ipsis hominibus qui occiduntur, saepe utile est occidi, quando videlicet semper fiunt pejores, et non est probabile, unquam eos ad sanitatem mentis reversuros. Has autem rationes omnes suadent, haereticos esse occidendos, 1. nocent proximis magis, quam ullus pirata vel latro, quando quidem animas occidunt, imo tollunt fundamentum omnis boni et rempublicam tumultibus replent; 2. plurimis prodest eorum supplicium, multos enim quos impunitas faciebat torpentes, supplicia proposita excitant, ut cogitent, qualis sit haeresis, quam sequuntur; 3. quo diutius vivunt haeretici, eo plures errores excogitant, plures pervertunt et majorem sibi damnationem acquirunt.* Respondemus: 1. Quae de homicidis, latronibus, furibus et aliis facinorosis politice reis a Galeno et aliis recte disputantur, ea non possunt nec debent transferri ad haereticos ecclesiastice reos, si a seditione adversus magistratum et aliis politicis delictis sibi temperent, confunduntur enim ea, quae sunt accurate distinguenda, forum scilicet ecclesiasticum et forum politicum. 2. Invertimus igitur argumentum. Ut magistratus politicus in facinorosos pacem reipublicae turbantes utitur gladio corporali, sic ecclesia in haereticos pacem ecclesiae turbantes utatur gladio spirituali, nequaquam vero confundantur poenae ecclesiasticae et politicae. 3. Si hae rationes necessariam inferendi vim haberent, ex iisdem colligi posset, avaros, libidinosos, contentiosos, ebriosos etc. esse a magistratu occidendos, quia exemplo suo aliis nocent, multi supplicio ipsorum corrigi possent et haec occasio in salutem ipsis cederet, quia ulterius peccandi occasio illis adimeretur. 4. De tanta re, videlicet capitali supplicio haereticorum, non potest nec debet ex nostris ratiocinationibus, sed ex verbo Dei aliquid statui, ne ab ipsius praescripto recedatur. Jam vero de capitali haereticorum in N, T. supplicio non potest evidens aliquod Scripturae testimonium afferri. 5. Gladius corporalis non haereticas opiniones ex animis evellit, sed corpora tantum interimit. Quamvis ergo terrorem spectatoribus incutiat, tamen nisi ex verbo rectius edoceantur, ab haeresi eos haudquaquam revocat, sed ad eandem potius animat. Quodsi omnino alii ab haeresi poenis deterrendi, utique etiam reliquis poenis infra capitales subsistentibus finis iste obtineri potest, carcere scilicet, exsilio, deportatione etc. 6. *Haeretici ideo occiduntur,* inquit hoc loco Bellarminus, *quia plus nocent proximis, quam ullus pirata vel latro;* sed lib. 3. de laicis cap. 22. dicit: *Tametsi haeretici ecclesiae nocere videantur, tamen re vera non nocent, sed eam exercent et in sapientia ac potentia proficere faciunt.* XIV. 288.
7. Non beneficium est, sed maximum potius damnum, si haeretici gladio jugulentur, antequam ab errore ad veritatis cognitionem perducantur. Si Augustinus in Manichaeorum haeresi adhuc haerens e medio fuisset sublatus, ecclesia insigni doctore, ipse vero felicitate aeterna privatus fuisset.

367. Atque haec sunt, quae ex ratione naturali Bellarminus protulit. Gregorius de Valent. p. 531. et Beza p. 167. addunt argumentum ex jure naturae: *Omnibus gentibus ratione duce hoc usurpatum fuit, ut qui religionem violarent, quam illi colerent, acerbissimis suppliciis mulctarentur,* ut est apud Platonem lib. 10. de legg. et Livius scribit

6. Ex juris naturalis instructione.

lib. 9. decad. 4. *jam inde a Romanae reipublicae initiis negotium fuisse magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulos vatesque foro, urbe, circo prohiberent, Vaticanos libros conquirerent comburerentque et omnem disciplinam sacrificandi praeterquam more Romano abolerent.* Respondemus: 1. de jure naturae judicandum ex norma juris divini et verbi revelati. 2. Consuetudo puniendi haereticos capitaliter non fuit apud omnes populos ubique et semper recepta, multi enim diversitatem et varietatem religionum tolerarunt et adhuc tolerant. 3. Populi illi, apud quos capitalia supplicia adversus dissentientes in religione fuere usitata, potuerunt eam consuetudinem mutuari ex legibus Mosaicis, quae cum in N. T. abrogatae sint, frustra gentilium quorundam consuetudo opponitur. 4. Ex illis gentilium legibus et exemplis nihil aliud colligi potest, quam coërcendos et puniendos esse, qui religionem violant, sed modus poenae ex illis peti nequit, quia is pro circumstantiarum ratione apud diversos populos fuit varius ac diversus. 6. Gentilem illum morem saeviendi ad mortem usque in eos, qui a communiter recepta religione dissentiunt, graviter taxant Lactantius, Arnobius et alii ex veteribus, qui contra gentiles disputant, frustra igitur capitali haereticorum supplicio patrocinium ex eodem quaeritur.

SECTIO VI.

QUOMODO MAGISTRATUS ERGA HOSTES SESE GERERE DEBEAT? IN QUA EADEM OPERA EXPONITUR

MEMBRUM III.

QUOMODO DE VITA QUIETA ET TRANQUILLA MAGISTRATUS SUBDITIS SUIS PROVIDERE DEBEAT?

Ratio ordinis. 368. Expositum fuit hactenus, quomodo magistratus *erga Deum, erga se ipsum, erga familiares et domesticos, erga vicinos populos et erga subditos suos* sese gerere debeat; restat, ut explicetur, qualem *erga hostes* sese praestare conveniat, qui rempublicam evertere et subditos pessumdare allaborant. Pari ratione dictum a nobis fuit hactenus, quomodo magistratus apud subditos suos obtinere possit ac debeat, ut εὐσεβῶς καὶ δικαίως, *pie ac juste*, vivant; explicandum igitur porro restat, quomodo obtinere possit, ut ἡσυχῶς, *pacifice*, et ab aliorum injuriis ac oppressionibus secure vivant; diximus de *legitima subditorum gubernatione*, restat ut de *justa reipublicae ac subditorum defensione* in posterum disseramus. Quod enim conveniat magistratui ac officii ratione ipsi incumbat, subditos fidei suae commissos tutari ac defendere, hostibus reipublicae fortiter resistere ac sedulo providere, ut subditi ab aliorum insultibus et injuriis liberi pacatam et tranquillam vitam agant, id probatur 1. *ex manifestis Scripturae dictis.* 1. Tim. 2, v. 1: *Hortor igitur primo, omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,* v. 2. *pro regibus et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus* etc. Si preces, quas pro magistratu fundunt subditi, hunc debent propositum habere scopum, ut sub tutela magistratus quietam et tranquillam agant vitam, utique etiam ad officium magistratus pertinet sedulo providere, ut subditi ab hostium XII injuriis securi ac liberi tranquille vivant. Finis precum complectitur etiam magistratus officium. Huc pertinent cognata dicta Jer. 29, v. 7: *Quaerite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum* (ut Dei et magistratus beneficio ab hostium incursionibus sit tuta et tranquilla), *quia in pace illius erit pax vobis.* Baruc. 1, v. 11: *Orate pro vita Nabuchodonosoris regis Babylonis et pro vita Balthasar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies coeli super terram,* v. 12. *et ut det Dominus virtutem nobis et illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Balthasar filii ejus et serviamus eis multis diebus.* 2. *Ex elogiis et encomiis,* quae magistratibus tribuuntur. Vocantur enim *dii* Exod. 22, v. 28. Psalm. 82, v. 1. Ut ergo Deus ecclesiam suam non solum regit et gubernat, sed etiam defendit ac tuetur; ita quoque magistratus rempublicam tanquam Dei vicarius non solum regat ac gubernet, sed etiam tueatur. Vocantur *patres* Gen. 41, v, 43. 1. Sam. 12, v. 15. cap. 24, v. 12. ut ergo pater liberos suos non solum nutrit, fovet, educat in disciplina, sed etiam patrocinium eorum suscipit; sic magistratus subditis defensionem praestet. Vocantur *clypei seu scuta terrae* Psalm. 47, v. 10. Hos. 4, v. 18. propter defensionem ac protectionem, quam officii sui ratione debent subditis. Comparantur *portis* Psalm. 24, v. 7. Psalm. 148, v. 13. ut enim portae ac muri sunt munimentum urbis, sic magistratus est praesidium et munimentum subditorum. Comparantur *montibus* Mich. 6, v. 2. propter robur et fortitudinem, quia in montibus arces, castella et munitiones regionum solent collocari; sic magistratus est praesidium subditorum, ad quem in periculis velut ad montem firmum confugiunt. Vocantur *salvatores et opitulatores* Jud. 3, v. 9. 2. Reg. 13, v. 5. quia salutem et auxilium ab hostibus populo praestant. Vocantur *pastores* Esa. 44, v. 28. Jer. 49, v. 19. ut ergo pastor gregem suum ab incursibus luporum defendit Joh. 10, v. 12. 1. Sam. 17, v. 34. sic magistratus rempublicam ab hostibus tueatur. Quo etiam referri potest visio Dan. 4, v. 8. et seqq. ubi beneficia, quae a magistratu erga subditos proficiscuntur, sub *specie arboris excelsae* umbram bestiis praestantis describuntur, quia magistratus

subditis defensionem et quietam habitationem procurat. 3. Ex *probatis regum exemplis.* De *Salomonis* pacifico imperio dicitur 1. Reg. 4, v. 25. *habitabat Israël et Juda absque timore ullo unusquisque sub vite sua et sub ficu sua*, nimirum quia potentia ipsius terrori erat hostibus et regnum suum in statu pacato et tranquillo conservabat. *Alphonsus* rex pro insigni gerebat pelicanum rostro pectus fodientem et sanguine occisos suos pullos vivificantem additis hisce verbis: *Pro lege et pro grege.* Huc pertinent omnia bella defensiva, quae reges ac duces Israëlitici gessisse memorantur, eorum enim finis fuit pax et tranquillitas populi, quam hostes turbare conati fuerunt.

magi- tratui la ge- liceat versus stes.

369. Ex eo enim, quod magistratus subditis defensionem praestare tenetur, porro colligimus, licitum esse magistratui bella gerere adversus hostes, qui pacem reipublicae turbare et subditorum inco-
V. 240. lumitatem labefactare conantur. Id vero antequam contra Anabaptistas ac Photinianos immotis demonstremus argumentis, notari jubemus, distinguendum esse 1. inter bellum *spirituale et corporale.* Spirituale ratione principii et instrumenti sic dicitur, quod spiritus noster armis spiritualibus gerit adversus Satanam, carnem et mundum, 2. Cor. 10, v. 5. Eph. 6, v. 12. Corporale, quod armis corporalibus sive, ut apostolus loquitur, carnalibus adversus hostes externos geritur. De spirituali bello hoc loco non quaeritur, sed de corporali. 2. Inter *bellum et proelium, πόλεμον καὶ μάχην.* Bellum est hostilis et publica dissensio, qua edicto magistratus vi et armis scelera reprimuntur, ut homines pacate et tranquille vivere possint. ** Albertus Gentilis lib. 1. de jure belli c. 2: *Bellum est justa publicorum armorum contentio.* Kirchnerus de rep. disp. 21. thes. 1: *Est vis reipublicae legitima adversus hostem.* ** Proelium est ipsa pugna et conflictus eorum, qui inter se dissident. De utroque hoc loco quaeritur. 3. Inter *bellum justum et injustum, legitimum et illegitimum*, nemo enim existimet, quando contra Anabaptistas et Photinianos bella defendimus, probari a nobis quaevis bella, sed distinguendum esse dicimus inter *bella injusta, temeraria et illegitima*, quae ex ambitione et avaritia, sine justa et necessaria causa ad fines imperii ampliandos suscipiuntur; ac inter *bella justa, necessaria et legitima*, quae adversus hostes, subditorum libertatem, facultates et vitam petentes ac veram religionem ipsis eripere conantes, magistratus auctoritate geruntur. Illa ex animo detestamur, tanquam latrocinia, nec dubitamus affirmare, auctores ejusmodi bellorum gravissimam aliquando Deo reddituros esse rationem pro caedibus, rapinis, incendiis, stupris, devastationibus, adeoque pro omnibus, quae occasione talium bellorum fuerunt gesta; haec vero non in V. solum, sed etiam in N. T. licita esse asserimus, idque sequentibus probamus fundamentis.

lla e il- pro- ur.

370. *1. Ab auctore bellorum principali.* Quod Deo auctore suscipitur, id per se et in se non est vitiosum aut prohibitum. Bella necessaria et defensiva Deo auctore suscipiuntur. Ergo in se ac per se non sunt vitiosa aut prohibita. Assumtum multis confirmari potest Scripturae dictis, historiis et exemplis. 1. Qui bella praecipit, eo auctore bella geruntur. Deus praecipit bella legitima. De bello Abrahae contra quatuor reges gesto dicit Dominus Es. 41, v. 4: *Quis haec operatus est et fecit? ego Dominus.* Num. 31, v. 2. dicit Dominus ad Moysen: *Ulciscere prius filios Israël de Midianitis, et sic colligeris ad populum tuum.* v. 3. statimque Moyses dixit ad populum: *Armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Midianitis.* Jos. 1, v. 6. dicit Dominus ad Josuam: *Confortare et esto robustus, tu enim hereditate distribues terram populo*, ubi praecipit Josuae, ut bellum inferat Cananaeis gentibus, ac solatur eum, ne robur et potentiam earum pertimescat, sed de auxilii divini praesentia certus alacriter et forti animo bella gerat. Jos. 10, v. 2. dicit Dominus ad Josuam: *Tolle tecum multitudinem pugnatorum, adscende in oppidum Hai.* v. 8. praecipit Dominus eidem, ut Gabaonitis adversus hostes succurrat. XIV. 241.
Ne timeas, inquit, *in manus enim tuas tradidi illos.* Jud. 1, v. 1. eligit Deus Judam, ut *pugnet pro Israëlitico populo contra Cananaeos.* Jud. 3, v. 1: *Hae sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem et omnes, qui non noverant bella Cananaeorum, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus et habere consuetudinem proeliandi.* Jud. 6, v. 14. Deus Gideoni mandat: *Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israël de manu Midian; scito, quod miserim te.* 1. Sam. 15, v. 2. Deus ad Saulem dicit: *Recensui, quaecunque fecit Amalec Israëli, quomodo restitit ei in via, cum adscenderet de Aegypto.* v. 3. *Nunc ergo vade et percute Amalec et anathema fac universa ejus.* 1. Sam. 30, v. 7. David per Abiathar sacerdotem consulit Dominum, an *Amalecitarum exercitum insequi et bello adversus eos experiri debeat*, cui Dominus respondet: *Persequere, comprehendes enim eos et excuties praedam.* De Cyro dicit Dominus Es. 45, v. 1: *Apprehendi dextram ejus, ut subjiciam ante faciem ejus gentes et dorsa regum discingam.* Ergo Deo auctore bella legitima geruntur. 2. Quae Spiritu Dei impellente fiunt, Deo auctore suscipiuntur. Bella legitima Spiritu Dei impellente dicuntur facta. Jud. 3, v. 9: *Clamaverunt Israëlitae ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem et liberavit eos*, Othonielem scilicet, v. 10. *et factus est super eum Spiritus Domini, egressusque est ad pugnam* etc. Jud. 6, v. 34: *Spiritus Domini induit Gideonem, ut bello Midianitas aggrederetur.* Jud. 11, v. 29: *Factus est super Jephte Spiritus Domini, ut pugnaret contra Ammonitas.* Jud. 15, v. 14: *Spiritus Domini irruit in Samsonem, ut Philistaeos hostes populi Dei percuteret.* Ergo bella legitima Deo auctore suscipiuntur. 3. Qui belligerandi rationem et leges belli praescribit, eo auctore etiam bella geruntur. Deus belligerandi rationem et leges belli praescribit. Num. 10, v. 9:

1. Ab auctoris eorum principalis denominatione.

Si exieritis ad bellum in terra vestra contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis tubis ululantibus, et erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Num. 31, v. 27. *de praedae bello captae divisione* Deus statutum facit. Deut. 20, v. 3: *Appropinquante proelio stabit sacerdos ante aciem et sic loquetur ad populum: Audi Israël, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum* etc. v. 10: *Si accesseris ad expugnandam urbem, offeres ei primum pacem.* v. 19: *Quando obsederis civitatem multo tempore et munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non succides arbores, quia de illis vesceris, nec securibus per circuitum debes vastare regionem, quoniam lignum est et non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.* Jos. 8, v. 2. dicit Dominus ad Josuam: *Pone insidias urbi Hai post eam.* 2. Sam. 5, v. 23. dicit Dominus ad Davidem: *Non adscendas contra Philistaeos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pyrorum* v. 24. *et cum audieris sonitum vocis incedentis in cacumine pyrorum, tunc inibis proelium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philistaeorum.* Ergo Deo auctore bella legitima geruntur. 4. Qui belli gerendi peritiam heroibus concedit, eo auctore bella geruntur. Deus belli gerendi peritiam heroibus concedit. 2. Sam. 22, v. 35. Psalm. 18, v. 35: *Qui docet manus meas ad proelium, et intendere facis ut arcum aereum brachia mea,* v. 36. *dedisti mihi clypeum salutis, et dextera tua suscepit me.* Psalm. 144, v. 1: *Benedictus Dominus petra mea, qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum.* In bello gerendo opus est patientia in ferendis laboribus, fortitudine in periculis, industria in rebus adeundis, celeritate in negotiis conficiendis, consilio in providendis, quae certe non possunt nisi Dei dono haberi. Huc pertinet, quod Esa. 3, v. 2. Deus poenae loco minatur, quod *virum fortem et bellatorem auferre velit,* utique ergo bellandi robur ac peritia est Dei donum. 5. Qui mirabiles victorias bellantibus concedit, eo etiam auctore bella geruntur, nisi enim bella probaret,
XIV. 232. victoriam belligerantibus neutiquam concederet. Deus mirabiles victorias bellantibus et certantibus concessit. Ergo etc. Gen. 14, v. 20. ad Abrahamum victorem ex bello Sodomitico reversum inquit Melchisedecus: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui possidet coelum et terram. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Esa. 41, v. 2. de hac Abrahae victoria dicitur, quod *Deus dederit in conspectu ejus gentes, ut etiam regibus dominaretur,* id est, quod in manum ejus dederit quatuor potentes reges gentium, quos exigua manu aggressus in fugam conjecit. Exod. 17, v. 9. Moyses jubet contra Amalecitas aciem a Josua instrui, ipse interim virgam Dei in manu habens *adscendit super verticem collis et levans manum ad Dominum pro victoria obtinenda preces facit, sic ergo debilitavit Josua Amalec et populum ejus in ore gladii, aedificavit postea Moyses altare et vocavit nomen ejus Dominus vexillum meum.* Huc pertinent innumera exempla mirabilium victoriarum, quas Israëlitae in bellis ex hostibus suis reportarunt, quarum auctorem et largitorem Scriptura praedicat Deum, qui est verus אִישׁ מִלְחָמָה *vir belli,* sive bellator, der rechte Kriegsmann, Exod. 15, v. 3. שַׂר־צְבָא יְהוָה *principis exercitus Domini* Jos. 5, v. 14. qui promittit Deut. 7, v. 20. *quod crabrones velit mittere in gentes Cananaéas,* consternatas eas reddere consternatione magna, tradere reges earum in manus populi sui etc. Jos. 10, v. 13. sol in medio coeli ad preces Josuae consistit, ut possit se de hostibus vendicare eosque internecione delere; quin et Deus ipse misit super hostes populi sui *lapides magnos de coelo, et mortui sunt plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israël.* Et quis possit victorias illas omnes enumerare, quas reges et duces Israëlitici divino beneficio ex hostibus reportarunt? sufficiat in genere annotare dicta, in quibus victoria bellica Deo auctori expresse tribuitur. Deut. 33, v, 29. dicit Moyses ad populum Israëliticum: *Deus est scutum auxilii tui et gladius excellentiae tuae,* Lutherus: Er iſt das Schwert Deines Siegs. Jud. 3, v. 10: *Othniel egrediebatur ad pugnam, ac Deus dedit regem Syriae in manus ejus.* Jud. 5, v. 8: *Nova bella elegit Dominus et portas hostium ipse subvertit.* v. 20: *De coelo dimicatum est contra eos, stellae in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* 2. Sam. 10, v. 12. Joabus belli eventum in manu Dei esse agnoscit. *Esto,* inquit ad Abisai, *vir fortis et confortemus nos pro populo nostro et pro urbibus Dei nostri, Dominus autem faciat, quod est bonum in oculis ejus.* Psalm. 44, v. 4: *Non in gladio suo possederunt terram* (Israëlitae) *et brachium eorum non salvavit eos; sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui, quia beneplacitum habuisti in eis.* v. 6. *In te inimicos nostros ventilabimus insurgentes contra nos.* Psalm. 144, v. 10: *Qui das salutem regibus,* Lutherus: Der du den Königen Sieg giebſt, *qui redemisti servum tuum David de gladio maligno.* Prov. 21, v. 31: *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.* Judith 9, v. 8: *Tu es Deus noster, qui conteris bella ab initio, Dominus est nomen tibi.* v. 13. *Non in multitudine est virtus tua, neque in equorum viribus voluntas tua est.* 1. Macc. 3, v. 18. inquit Judas: *Facile est concludi multos in manu paucorum, et non est differentia in conspectu Dei coeli liberare in multis et in paucis,* v. 19. *quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de coelo fortitudo est.* 2. Macc. 13, v. 15. Judas dat suis hoc symbolum: *Dei est victoria!* c. 15, v. 21. invocat Deum, *qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam.* 6. Quae bella vocantur *bella Domini et ultiones Domini,* ea etiam Deo auctore geruntur. Sed legitima bella vocantur *bella Domini, ultiones Domini et pugna Dei* Num. 21, v. 14. cap. 31, v. 3. 1. Sam. 18, v. 17.

c. 25, v. 28. 1. Paral. 5, v. 22. 2. Paral. 20, v. 15. ** Adde dictum Eccl. 3, v. 8: *Est tempus dilectionis et odii, tempus belli et tempus pacis.* At si bella gerere simpliciter esset malum et contra dilectionem proximi pugnaret, tum nullum foret proeliandi tempus, adeoque falsum scripsisset ecclesiastes. Nam quorum esse debet tempus, ea non sunt οὐσιωδῶς mala, sed per se licita vel indifferentia et contra.** Ergo bella legitima Deo auctore geruntur.

V. 243. :ceptio oti- ano- m, per- iere ec ad T.

371. Excipiunt Anabaptistae et eorum progenies Photiniani, *haec omnia pertinere ad V. T., aliam vero esse N. T. rationem,* in quo simpliciter prohibitum sit belligerari. Ostorodus in inst. c. 27. f. 180: *Argumenta eorum, qui bellum approbant, hac vice non expendemus, quia omnia fere ex V. T. sunt desumta ac proinde ad rem parum faciunt.* Socinus in lib. quod Evangelici Photinianis se adjungere debeant c. 3. nu. 2. p. 24: *Si dixerint Evangelici, sub V. T., ubi non minus quam sub N. praeceptum humani sanguinis non fundendi vigebat, licuisse tamen vim hostium etiam cum ipsorum occisione propulsare, respondemus, id propterea tunc licuisse, quod Deus multis modis id declaraverat, se id tunc temporis non improbare* etc. *at sub N. T. nulla ratione unquam vel per Christum, vel per ejus apostolos declaravit, se hostium invadentium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam approbare.* ** Socinus d. l.: *Inter cetera praemia iis in V. T. proposita, qui legem servarent, hoc etiam erat, quod si hostes adversus ipsos insurrexissent, caesos ante illos corruere visuri essent,* Deut. 28, v. 7. *Nec mirum, populo enim suo Deus sub V. T. vel promiserat, vel assignaverat et dederat terrenum regnum terrenamque promissionem, quam ab ipsis defendi ac conservari volebat, quod fieri non potuisset, si hostes in se irruentes armis propulsare et ad internecionem etiam interdum occidere non licuisset; at in N. T. nullam suo populo terrenam possessionem Deus dedit* etc.** Respondemus: 1. negamus, in N. T. belligerari esse simpliciter prohibitum, quae pro adstruenda thesi contraria Photiniani et Anabaptistae proferunt, suo inferius exponentur loco. ** Breviter hoc loco notetur: 1. Si bella gerere simpliciter pugnaret cum caritate proximi, Deus nullo tempore ea approbasset. 2. Deus etiam in N. T. declaravit multis modis, se bella non improbare, ut constat ex nostris argumentis. 3. Causa Socini, cur Judaeis licitum fuerit militare, nempe ob assignatam terram Canaan, non est utilis nec nobis adversa. Non illud, quia Abraham in terra peregrina non ob possessiones suas, sed tantum ob liberationem Lothi primum inter sanctos bellum suscepit, Gen. 14. neque Judaei tantum pugnaverunt cum gentibus ob defensionem terrae promissae, sed etiam cum fratribus non propter regni terreni, sed propter publicae honestatis et justitiae conservationem Jud. 20. Non hoc, quia et Christianis suae sunt possessiones ac regiones, quas merito contra vim hostium tuentur. 4. Nulla est consequentia, *Deus in N. T. jussit coelum inquirere terra posthabita, ergo hostium propulsationem non approbat.* Nam haec sunt ὑπάλληλα, non ἐναντία, etiam pii Israëlitae ante omnia coelum quaesiverunt et quaerere debuerunt, neque tamen hinc inferri potest, quod illis vim hostium propulsare non licuerit. 5. Quinimo ideo resistendum hostibus, ut pacem habeat ecclesia publicumque religionis exercitium vigeat, ut plures posthabitis terrenis ad Deum converti et ad vitam aeternam praeparari possint. 6. Quod in N. T. de rebus bellicis in specie nihil invenitur scriptum, causa non est divina improbatio, quia Deus legem naturae non abolevit, sed 1. quia in V. T. ea de re satis multa fuerunt proposita; 2. quia Christiani in illis ecclesiae initiis non habuerunt rempublicam aut magistratus, ideoque injurias propulsare non poterant. Vide infra §. 392.** Et insuper 2. non solum ex V. sed etiam ex N. T. nostrae sententiae fundamenta adducimus, ut ex seqq. argumentis constabit. Principii igitur petitio in hac adversariorum exceptione committitur. 3. Quae ad legem moralem et jus naturae pertinent, ea in N. T. non sunt abrogata, quia lex moralis et lex naturae est perpetua atque invariabilis, jam vero legitima defensio est juris naturae. Ergo etiam legitima bella, quae defensionis causa geruntur, non sunt in N. T. abrogata. 4. Christo et apostolis in N. T. non fuit propositum formare novam politiam, sed ex genere humano per praedicationem evangelii ecclesiam colligere et spirituale regnum instituere; absit ergo ut statuamus, a Christo et apostolis abrogata esse ea, quae ad politiarum conservationem ac defensionem spectant, in quorum numero cum sint bella legitima, in N. T. eadem simpliciter abrogata et prohibita XIV. 244.
esse neutiquam statuendum. 5. Qui magistratum confirmat, is confirmat etiam ea, quae ad officium magistratus spectant. Christus et apostoli in N. T. magistratum confirmant, Matth. 22, v. 21. Rom. 13, v. 1. 1. Petr. 2, v. 13. etc. Ergo etiam confirmant ea, quae ad officium magistratus spectant. Jam vero ad officium magistratus pertinet subditos adversus injustam violentiam defendere, quod sine bello quandoque fieri nequit. Ergo legitimum bellum ipso facto a Christo et apostolis fuit confirmatum.

372. Addimus ergo 2. argumentum primo cognatum *a Johannis Baptistae in N. T. approbatione.* 2. A Johannis Baptistae in N. T. approbatione.
Quod a Johanne Baptista in N. T. approbatur, illud in se ac per se vitiosum esse ac Deo displicere nequit. Sed legitima bella a Johanne Baptista in N. T. approbantur. Ergo etc. Assumtum probatur ex Luc. 3, v. 14: *Interrogabant eum et milites dicentes: Quid faciemus nos? et ait illis: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis et contenti estote stipendiis vestris,* ex quo loco sic colligit Augustinus epist. 5. ad Marcellin. circa med.: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in evangelio diceretur, ut abjicerent arma seque militiae omnino*

subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere praecepit, militare utique non prohibuit. Idem lib. 22. contr. Faust. c. 74. circa med.: *Nisi bella a bonis suscipi possent, Johannes cum ad eum baptizandi milites venirent dicentes: Et nos quid faciemus? responderet eis: arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem. Sed quia sciebat, eos, cum haec militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis et non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicae defensores, respondit eis: Neminem concusseritis* etc. Observa 1. Johannem Baptistam eos, qui ad baptismum suum venerant, exhortatum fuisse, *ut facerent fructus poenitentia dignos* v. 8. qua concione excitati etiam milites interrogarunt, quomodo et ipsi fructus poenitentia dignos facere et exitium impoenitentibus paratum effugere possent, quibus Johannes Baptista eo modo respondet: *Neminem concutiatis* etc. ex quo intelligitur, officium militum cum vera poenitentia et consequenter cum pietate consistere posse. 2. Approbatione exempli in subjecto approbari rem in genere et a concretis ad abstracta in tali negotio legitimam necti consequentiam. Ut ergo recte concludo, Christus conjugatos ad apostolatum vocavit, ergo conjugium in personis ecclesiasticis approbat; ita quoque recte infero, Johannes Baptista recipit milites in officio manentes. Ergo approbat militiam. 3. Qui improbat duntaxat adhaerens rei vitium, illum non improbare rem ipsam, sed eandem potius a vitio separare. Johannes improbat duntaxat vitium, quod militibus adhaerere solet, videlicet quod consueverint provinciales seu cives, quorum defensioni destinati sunt, variis violentiae modis vexare ac post victoriam per calumniam innoxios ad principes deferre quasi seditionis, laesae majestatis et aliorum criminum reos, ut hac ratione facultatibus exuant, denique stipendia aleis, scortis, compotationibus etc. dilapidare et rapinis alia corradere. Haec ergo vitia Johannes taxat verbis ex 1. Sam. 12, v. 3. fere petitis, interim non improbat ipsam militiam ac statum militum, sed eundem potius tanquam honestum, necessarium et Deo placentem a vitiis illis separat. 4. Johannem fuisse praecursorem Christi, qui viam ipsi praeparare debuerit evangelii praedicatione in cordibus hominum. At hoc officio divinitus sibi demandato non fuisset rite et fideliter perfunctus, si eos, qui in statu damnabili vivebant, in eodem confirmasset, nec suasor ipsis exstitisset, ut ex eodem discederent. 5. Johannem, cum consilium illud militibus daret et vitae regulam ipsis praescriberet,
XIV. 245. jamdum introduxisse N. T. ritum, videlicet baptismum, proinde non potest cogitari, haec verba Johannis Baptistae ad homines V. T. duntaxat pertinere.

373. Hisce probe observatis in fumum abeunt, quae contra Augustini argumentum ex hoc loco ductum a Photinianis afferuntur, Schmaltzius contra disp. 6. post. Frantzii de reb. civilib. p. 395. sic excipit: *Verba Johannis Baptistae quid ad nos Christianos pertinent, ut ex illis vivendi normam petamus? Non erat Johannes Baptista illa lux, quae nos illuminare debebat, sed Christus est illa lux vera, quae illuminat omnem hominem. Johannes Baptista initium fecit evangelii, poenitentiam tantum eamque ex parte praedicabat, nedum ut quid omnino novo Christi populo sequendum esset, doceret. Qui minor est in regno coelorum, major est Johanne Baptista, hoc est unusquisque Christianus plus habet cognitionis divinae voluntatis quam Johannes Baptista qua baptista, quemadmodum et Johannes major erat omnibus prophetis, quia plus cognitionis divinae voluntatis habebat, quam omnes ante eum prophetae; quomodo igitur a Johanne et doctrina ejus vivendi normam petant Christiani?* Id. cont. disp. 7. priorem de bonis operib. p. 243: *Non potest id quod Johannes Baptista milites jubet esse contentos stipendiis suis, regulam vivendi cuique praescribere, Johannes enim non erat illa lux, sed ut testaretur de luce; Christus erat illa vera lux, quae illuminat omnem hominem in hunc mundum veniens. Christus est evangelii, adeoque novi vivendi generis auctor, ab hoc igitur omnia, quae ad vitam recte pieque ducendam pertinent, discenda sunt.* Hanc exceptionem mutuatus est Schmaltzius ab Anabaptistis, qui pari modo excipiunt, *Johannem permisisse bellum Judaeis ut imperfectis, Christum autem longe aliter docuisse.* referente Philippo Melanthone in locis communib. Respondemus: 1. acceptamus, quod concedit Schmaltzius argumenti minorem, Johannem Baptistam scilicet approbasse militiam. 2. Perquam vero absurdum esse dicimus, quod Schmaltzius negat argumenti majorem. Quomodo enim id potest in N. T. esse prohibitum, quod Johannes Baptista approbavit? Fuit Johannes Baptista *praecursor Christi*, qui praedicatione poenitentiae viam ante ipsum paravit Luc. 1, v. 76. qui institutione novi ritus, sacramenti scilicet baptistici, et publica evangelii praedicatione de Messia exhibito initium N. T. fecit, Marc. 1, v. 1. et seqq. qua igitur veritatis specie negari potest, conciones Johannis Baptistae ad nos Christianos pertinere, ut ex illis vivendi normam petamus? Num praecursor Domini et ipse Dominus contraria docent? num is, qui viam praeparat per poenitentiae praedicationem, approbare potest quippiam, quod cum vera poenitentia et pietate pugnat? certe id ex Schmaltzii hypothesi evidenter sequitur. Num is, qui instituit ritum ad N. T. unice spectantem, a ministris N. T. excludendus? num is, qui viam Christo praeparare debuit, id permisisse censendus, quod Christus ipse mox sustulit et damnavit? 3. Si Johannis Baptistae verba non pertinent ad nos Christianos, ut vivendi normam ex illis petamus, ergo etiam reliquae conciones Johannis non pertinent ad nos Christianos, ut vel credendi vel vivendi normam ex illis petamus. Nihil ergo ad nos attinebunt suavissimae illae conciones Baptistae, in quibus medulla evangelii proponitur. Joh. 1, v. 15: *De plenitudine ejus omnes accepimus*

gratiam pro gratia, v. 17. *quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Christum Jesum.* v. 18. *Deum nemo vidit unquam, Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* v. 29: *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Joh. 3, v. 29: *Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudet propter vocem sponsi.* v. 35. *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu ejus.* v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Nihil etiam ad nos attinebunt graves illae cohortationes ad poenitentiam agendam. Matth. 3, v. 2: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.*
246. v. 8. *Facite fructus poenitentia dignos.* v. 10. *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur.* 4. Frustra regerit Schmaltzius, *Christum esse evangelii novique vivendi generis auctorem*, hoc est, ut alibi mentem suam clarius exponit, *Christum novas quasdam leges tradidisse et praeceptis Mosaicis quaedam perfectiora mandata addidisse*, id enim adhuc in quaestione est et suo loco contrarium luculente demonstratur. Nos hoc loco contra Schmaltzium sic concludimus. Quae est ratio theseos, eadem etiam ratio est hypotheseos thesi subjectae. Sed theseos illius, quam Johannes Baptista proponit Luc. 3, v. 8: *Facite fructus poenitentia dignos*, v. 9. *securis ad radicem arborum posita est, omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, exscinditur et in ignem mittitur*, illius, inquam, theseos ratio ea est, ut ad Christianos in N. T. pertineat ac vivendi normam illis praescribat. Ergo eadem est ratio hypotheseos huic thesi subjectae, qui triplex est: Prima concernit turbam, v. 11: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat*, ubi more Hebraeis usitato doctrinam generalem de dilectione proximi, quae est verae poenitentiae fructus, uno atque altero exemplo de vestimentis et cibis complectitur; altera concernit publicanos v. 13: *Nihil amplius, quam quod vobis constitutum est, exigatis;* tertia milites spectat v. 14: *Neminem concutiatis nec calumniam faciatis* etc. Quia enim Essaeorum opinio erat, illis qui Dei cultores esse vellent, deferendam vitae civilis societatem, ac Pharisaei suas observationes sanctiores esse contendebant quam vulgaria vitae communis opera, Judaei etiam quaedam vitae genera, ut publicanorum ac militum, prorsus damnabant, ideo Johannes Baptista a publicanis et militibus ad baptismum accedentibus interrogatus ita respondet, ut ostendat, *evangelium honestas ordinationes politicas non improbare aut damnare, sed omnes ordinationes politicas et omnia vitae genera ad decalogum esse exigenda, et si huic consentanea sint, posse quemque bona conscientia in sua vocatione manere.* Chemnicius cap. 16. harm. p. 319. 5. Verba Johannis Evangelistae, *non erat ille* (Baptista) *vera lux, sed Christus est vera illa lux illuminans omnem hominem*, insigniter detorquet Schmaltzius. Evangelista nequaquam absolute et simpliciter negat, Johannem Baptistam fuisse etiam φῶς aliquod sive lucem aliquam, alias contradiceret ipsi Christo, qui in genere de apostolis dicit Matth. 5, v. 14: *Vos estis* τὸ φῶς τοῦ κόσμου, et in specie de Johanne Baptista inquit Joh. 5, v. 35: *Ipse erat* ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων, sed determinate negat, Baptistam fuisse τὸ φῶς, illam lucem, de qua v. 4. et 5. dixerat, hoc est quia plerique Johannem Baptistam Christo aequabant, vel etiam praeferebant, ideo evangelista ostendit differentiam inter Dominum et ministrum. Johannes fuit homo, Christus *Λόγος*, Deus, vita et lux. Johannes non fuit missus, ut esset ipsa lux, sed ut de Christo, qui unus et solus est vera illa lux depellens tenebras ignorantiae, peccatorum ac mortis, testificaretur. Ex eo igitur non potest nec debet inferri, quod Johannes nullo modo fuerit lux et quod Johannis doctrina nec in fide, nec in vita lucem nobis praestet, ut Schmaltzius contendit, quia ipse evangelista contrarium subjicit v. 7: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum*, hoc est ministerium Baptistae fuit salutare et efficax organum, per quod divina virtus homines ad agnitionem et fidem Christi adduxit et illuminavit, per quod ad veram poenitentiam et fructus poenitentia dignos faciendos ipsos instruxit et invitavit. Falsissimum igitur est, quod Schmaltzius ex eo colligit, *Baptistam nequaquam docuisse, quid omnino novo Christi populo sit sequendum.* 6. Ejusdem monetae etiam illud est, quod addit, *Johannem tantum ex parte poenitentiam praedicasse*, contra quem errorem hunc producimus syllogismum. Qui essentiales poenitentiae partes docet, is integram poenitentiam docet. Johannes Baptista essentiales poenitentiae partes docuit, quia auditores ad agnitionem peccatorum ex lege deduxit, se- XIV. 247.
riam contritionem ab illis exegit, proponendo ipsis iram divinam et comminationes poenarum, monstravit etiam agnum Dei, qui tollit peccata mundi, ac hortatus est, ut facerent fructus poenitentia dignos Matth. 3, v. 7. 10. 12. Luc. 3, v. 7. 8. 9. Joh. 1, v. 29. et 36. Quid, quando Johannes serio hortatus est, ut poenitentiam agerent Matth. 3, v. 2. num existimabimus, ad dimidiatam, imperfectam et insufficientem poenitentiam ipsum fuisse hortatum? Et quis unquam patietur sibi persuaderi, remissionem peccatorum et liberationem a ventura ira absque integra et salutari poenitentia locum habere posse, cum effectus non possit esse absque causa integra? Jam vero Johannes Baptista *praedicavit baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum* Marc. 1, v. 4. et eos, qui ad baptismum suum venerunt, *fugere a ventura ira* testatus est Matth. 3, v. 7. Ergo integram et salutarem poenitentiam praedicavit. 7. Verba Christi Matth. 11, v. 11. Luc. 7, v. 28: *Qui minor est in regno coelorum vel in regno Dei, is major est Johanne Baptista*, diversimode ab interpretibus explicantur. Quidam enim referunt ad *angelos*, novissimus angelorum Deo in coelis ministrantium major est Johanne; quidam ad *electos*, minimus sanctorum, qui ex corporis ergastulo liberatus in Dei regno vivit ac triumphat, major est

praestantissimis sanctis, qui carnis peccatricis onus in hac vita adhuc circumferunt; quidam ad ipsum *Christum* referunt, ut sit sensus, Christum, qui minor est exinanitione et externa specie Psalm. 8, v. 6. Psalm. 22, v. 7. esse majorem Baptista respectu dignitatis, majestatis, personae, officii et ministerii; quidam denique, quos Schmaltzius sequitur, existimant, comparationem institui inter Johannem Baptistam et novissimum aliquem *ex ministris ecclesiae*, qui post Christi adscensionem evangelium sit praedicaturus, qui sit major Baptista non ratione donorum, sed ratione ministerii, quia praedicat regnum Dei non a longe venturum, ut prophetae, nec tantum appropinquasse, ut Baptista, sed jam venisse, et in eo tanquam dispensator mysteriorum Dei in suo ministerio versatur. Sed si vel maxime hanc postremam interpretationem repudiatis reliquis acceptemus, nihil tamen accedit sententiae Schmaltzii. Neque enim ex distinctis gradibus revelationis inferri potest, Baptistae doctrinam ad Christianos in N. T. non pertinere, vel etiam Christi et apostolorum doctrinae esse contrariam, cum gradus revelationis non mutent ipsam doctrinam, nec contrarietatem aliquam inter ea, quae gradu differunt, introducant. Erasmus in cap. 3. Luc. eodem modo excipit: *Haec dici non Christianis, sed ethnicis aut certe profanissimis Judaeis;* postea addit: *Haec dici militibus, non ut ea servantes bene viverent, sed ut minus male viverent*, in quam sententiam etiam Theophylactus videtur propendere. Respondemus: 1. Johannes paulo ante in genere dixerat: *Facite fructus poenitentia dignos*, postea in specie a militibus interrogatus, quomodo in suo officio fructus poenitentia dignos facere possint, respondet: *Neminem concutiatis* etc. Ergo pertinet haec instructio ad bene vivendi praecepta. 2. Immediate praecedit comminatio: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exscinditur et in ignem mittitur*, cui comminationi subjicitur haec instructio. Ergo praescribit fructum bonum, quem facere debent, qui ab igne infernali sibi metuunt. 3. Theophylactus facit duntaxat certos virtutis gradus, non autem bellum vocat malum; Johannem dicit *hortatum esse turbas, quae erant innocentes, ad opera bona, hoc est ad bona cum aliis communicanda; publicanos autem et milites, qui non erant hujus perfectionis capaces, hortatum esse, ut a malo desisterent.*

3. Ex causae instrumentalis conditione.

374. *3. Ex causa instrumentali.* In V. T. bella gesserunt homines pii et sancti, heroës divinitus excitati, qui nihilominus in Dei gratia manserunt et ipsi placuerunt. Ergo bella legitima non pugnant cum pietate, nec excludunt homines a Dei gratia et
XIV. 218. regno coelorum. Antecedens probatur. *1. Abraham* gessit bellum contra quatuor reges Genes. 14, v. 14. cum quo Deus peculiare foedus gratiae init Gen. 17, v. 2. *qui est pater omnium credentium* Rom. 4, v. 11. quinimo post suum ex bello reditum a Melchisedeco laudatur, benedicitur et honoratur Gen. 14, v. 19. *2. Jacobus patriarcha* bellum gessit, ut colligitur ex Gen. 48, v. 22: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhaei in gladio et arcu meo.* Quidam ex Hebraeis exponunt de armis spiritualibus, videlicet de Jacobi precibus; quidam accipiunt in futuro, do tibi terram, quam mei posteri arcu et gladio suo ab Amorrhaeis capient; quidam existimant, patrem sibi vendicare, quod Simeon et Levi filii gladio sibi acquisiverant, Genes. 34, v. 29. sed simplicissimum est, quod alii ex Hebraeis dicunt, vicinos Sichemitarum contra Jacobum et ipsius familiam bellum movisse propter illud Simeonis ac Levi factum, sed in eo Jacobum divino auxilio victorem evasisse. *3. Moyses* cum Amalecitis bello decernit Exod. 17, v. 9. reges Arad, Sehon et Og in proelio vincit Num. 21, v. 1. 24. et 34. Deut. 2, v. 31. cap. 3, v. 2. *4. Josua* dux populi divinitus electus quanta bella gesserit contra Cananaeos, ostendit liber Josuae, Sap. 6, v. 8. 10. 11. 12. *5. Judices* divinitus excitati populum Israëliticum ab hostium servitute et tyrannide liberant, utpote *Judas* Josuae successor Jud. 1, v. 4. *Othoniel* Jud. 3, v. 10. *Aod* v. 29. *Barac* Jud. 4, v. 7. *Gideon* Jud. 7, v. 20. etc. *6. Reges* Israëlitici *Saul, David, Ezechias, Josephatus* etc. Dei mandato bella gesserunt ejusque beneficio ex hostibus victorias retulerunt. *7. Duces* Maccabaei quoties bello dimicarunt! quam gloriosas victorias reportarunt! Hebr. 11, v. 34. de sanctis compluribus dicitur, quod *διὰ πίστεως, per fidem, fortes facti sint in bello et castra verterint exterorum.* Ergo bellum potest esse fidei exercitium. Illos vero omnes impietatis damnant, qui legitima bella improbant.

375. Neve excipere possint adversarii, *aliam esse V., aliam vero N. T. rationem*, ideo subjungemus exempla eorum, qui in N. T. militari officio perfuncti fuere, nec tamen hoc nomine a Christo et apostolis sunt rejecti. *1. Centurio Capernaiticus* Matth. 8, v. 8. fuit ad Christum vera fide conversus. Idem expresse dicit v. 9. *quod habeat sub se milites imperio suo obsequentes*, neque tamen hoc nomine a Christo fuit rejectus, vel ab hoc vitae genere revocatus, sed egregio potius fidei testimonio ornatus, v. 10. *non inveni tantam fidem in Israël.* Ergo status militaris et vera in Christum fides possunt in uno eodemque subjecto consistere. *2. Centurio cruci Christi assistens* Matth. 27, v. 54. agnoscit, Christum esse vere Dei Filium; ergo etiam ex statu militari quidam vocantur ad salutarem cognitionem et consortium regni Christi; nec legitur hic centurio ab officio suo vel vitae genere revocatus, ergo officium militare non pugnat cum fide in Christum. Neve excipere possint Photiniani, quod in simili quaestione facit Schmaltzius contra disp. 6. poster. D. Frantz. de reb. civilib. pag. 392. *multa facta fuisse Jesu in terris degente, quae nunc nullo modo salva conscientia fieri possint*, ideo adjungimus 3. *centurionem Caesariensem* Act. 10, v. 1. is vocatur *religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas populo et deprecans Deum semper* v. 2. ac Deus angeli apparitione ipsum dig-

natur v. 4. quin et Petrum ad eum mittit, ut ad pleniorem evangelicae doctrinae cognitionem perducatur v. 20. Num vero Petrus ad hunc centurionem veniens a militari vitae genere ipsum et domesticos ejus milites dehortatur? nihil minus, sed baptismum ipsis confert v. 48. et diserte testatur, *in omni gente qui Deum timet et justitiam operatur, esse illi acceptum* v. 35. 4. Denique Act. 10, v. 7. Caesariensis ille centurio *στρατιώτην εὐσεβῆ* ad Petrum mittit. Atqui si genus vitae militare esset simpliciter repudiandum, nec hic miles pietatis nomine commendaretur, nec centurio ejus opera in legatione ad Petrum fuisset usus.

149. 376. *4. A magistratus officio.* Magistratus *non gerit gladium frustra, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit* Rom. 13, v. 4. *ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* v. 5. *ideo enim et tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes* v. 6. Ex hoc loco varia nobis nascuntur argumenta. 1. Cui ad vindictam malorum datus est gladius, ille etiam potest bella gerere. Magistratui ad vindictam malorum datus est gladius. Ergo etc. Major probatur, quia legitima bella sunt pars vindictae publicae. Si magistratus jure plectit latrones, quorum injuriae in paucos tantum sunt progressae, multo magis jure animadvertit in eos, qui totam rempublicam et regionem latrociniis affligere et vastare conantur. Quid aliud sunt hostium bella illegitima quam publica latrocinia? Quodsi ergo recte facit magistratus, cum latronem aliquem ad poenam quaerit, quosdam ex civibus convocando et armata manu eum aggrediendo; utique etiam recte facit, quando publicae hostium violentiae resistit, latrocinia eorum coërcet et hoc fine armatam civium atque militum manum sibi adjungit. Certe Petrus quando 1. epist. 2, v. 14. dicit, magistratum constitutum esse *εἰς ἐκδίκησιν κακοποιῶν*, in plurali loquitur, nec facit differentiam, an pauci, an plures sint malefactores. 2. Cui ad subditorum defensionem gladius est datus, ille etiam potest bella pro subditorum defensione gerere. Magistratui ad subditorum defensionem datus est gladius. Ergo etc. *Non frustra magistratus gladium gerit*, inquit apostolus. At frustra eum gereret, si in casu necessitatis, quando nulla alia pacis media suppetunt ad subditos defendendos, eundem stringere non posset. Psalm. 82, v. 4. ad deos sive magistratus dicitur: *Eripite pauperem et egenum et de manu impiorum eruite.* Conjunge Prov. 24, v. 11. At hoc sine bello quandoque fieri nequit. Si ergo licet magistratui defendere subditos a furibus, latronibus, raptoribus et aliis facinorosis, qui publicam tranquillitatem interius turbant, fortunis et vitae subditorum insidiantur ac reipublicae salutem ex parte evertere laborant; utique etiam licebit magistratui, gladio defendere subditos ab hostibus externis, qui majori impetu totam rempublicam et omnium civium salutem labefactare cogitant. 3. Cui ad legum et disciplinae custodiam datus est gladius, is jure ac merito gladio illis resistit, qui leges et disciplinam pessundare conantur. Sed magistratui ad legum et disciplinae custodiam divinitus datus est gladius. Ergo jure ac merito illis resistit, qui leges et disciplinam pessundare conantur. Tales vero sunt hostes bella offensiva temere moventes, quietem subditorum turbantes, vi eosdem opprimentes et legum ac disciplinae repagula proterve perrumpentes. Bella legitima sunt pars politicae gubernationis et exsecutio justitiae adversus rebelles et contumaces. 4. Cui eo fine a subditis tributa praestantur et praestari etiam divino mandato debent, ut gladio vindictam adversus malum agentes exercendo partes officii sui impleat, is si vindictam exerceat et gladium adversus turbatores reipublicae stringat, nihil agit, quod vel Deo sit adversum, vel ab officio suo alienum. Magistratui eo fine a subditis tributa praestantur et praestari etiam divino mandato debent, ut gladio sibi tradito vindictam adversus malum agentes exercendo partes officii sui impleat. Ergo si magistratus vindictam in bello exerceat et gladium adversus reipublicae turbatores ac hostes stringat, nihil quidquam agit, quod Deo sit adversum vel ab officio ejus alienum. Quo pertinet mandatum Christi de dandis caesari tributis Matth. 22, v. 21. qui iisdem milites praesidiarios ad reipublicae defensionem alebat.

377. Excipit Schmaltzius contra Frantzium p. 395. 1. locum Rom. 13. *agere de magistratu in genere vel potius infideli, qui cum sub Christi jugo non sit, possit etiam per bella vendicare injuriam sibi et subditis illatam, inde vero non sequi, quod idem liceat Christiano magistratui.* Sed frivolam hanc exceptionem superius §. 299. penitus protrivimus. *2. Apostolum non loqui de publica vindicta adversus hostes exercenda, quid enim ad rem faceret, timendus est magistratus, quia potest bella gerere? sed de privata, quam adversus subditos magistratus, praesertim infidelis, exercere potest.* Respondemus: si vel maxime demus, de tali duntaxat vindicta apostolum loqui, quam magistratus erga privatos propter facinora et mala opera exercet, quam Schmaltzius non satis commode privatam vocat, nihilo tamen minus ex textu apostolico argumentum pro nostra sententia petere possumus. Si enim magistratus jure ac merito plectit latrones, quorum injuriae in paucos tantum sunt progressae, multo magis jure animadvertit in eos, qui totam regionem et rempublicam latrociniis affligunt, ut habet illatio ex textu paulo ante adducta. Sed non concedimus Schmaltzio hanc hypothesin exclusivam, quod apostolus *tantum* de tali vindicta loquatur, verba enim sunt generalia: *Magistratus non sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram illi, qui malum agit.* Nec est, quod connexionis rationem in textu apostolico haereticus desideret, quae est omnino optima et commodissima. Timendus est magistratus, ne malum faciamus, quia magistratui divinitus datus est gladius, quo vindictam Dei nomine et loco exerceat adversus malum agentes, sive sint pauci sive plures; sive in quosdam duntaxat

Exceptiones Photinianorum ad locum XIV. 250. Rom. 13.

subditos injurii sint, sive totius reipublicae hostes ac perturbatores. *3. Dandum quidem esse caesari, quod est caesaris, sed ex eo non posse concludi, quod liceat bella gerere. Quid enim si ista omnia caesar consumat in alios usus? Quid si bellum nunquam velit gerere et tamen tributa imperet, num ideo essent neganda? Certe nullius respectu habito praeter solam potestatem caesaris, quam tunc in Judaeos exercebat, jubet Christus dare caesari, quod est caesaris, quemadmodum etiam hodie posset aliquis consilium dare Christianis, qui sub Turca degunt, ut quod est Turcae. dent Turcae, etiamsi nihil minus cogitet Turca, quam ut Christianos, qui in ejus sunt dominatu, defendat.* Respondemus: argumentum ex verbis Christi Matth. 22. deductum est ipsius Augustini libr. 22. contra Faust. c. 74: *Quia Manichaei* (inquit) *Johannem aperte blasphemare consueverunt, ipsum Dominum Jesum Christum audiant, hoc stipendium jubentem reddi caesari, quod Johannes dicit debere sufficere militi. Reddite,* inquit, *caesari, quae sunt caesaris, et Deo, quae Dei sunt. Ad hoc enim tributa praestantur, ut propter bella necessario militi stipendium praebeatur.* Non autem est ita nude ac solitarie ponendum, sed robur illi addendum ex verbis apostoli Rom. 13, v. 6. ideo etiam tributa praestatis διὰ τοῦτο, *propter hanc causam*, fine eo atque intuitu, *ministri enim Dei sunt* (magistratus) *in hoc ipsum*, εἰς αὐτὸ τοῦτο, servientes, ubi diserte apostolus testatur, magistratui ideo deberi tributa, ut subditis defensionem praestare ac vindictam adversus pacis publicae perturbatores exercere possint. Quodsi ergo jure divino non *solum propter iram*, sed etiam *propter conscientiam* subditi magistratui ex necessitate ea ratione sunt subjecti, ut ad tributa praestanda obligentur, et vicissim si propter hoc jure divino ad tributa magistratui praestanda obligati sunt, ut Dei nomine vindictam in malum agentes et reipublicae pacem perturbantes exercere possit; utique etiam juri divino et voluntati divinae congruum est, a magistratu puniri malos sive numero pauci illi sint, sive plures, cum non desinat esse malus, qui cum pluribus talis est, nec latro esse desinat, qui cum pluribus latrocinetur. Frustra igitur affertur *id, quod est facti*, magistratum scilicet tributum a subditis praestitum quandoque in alienos usus convertere, ex eo enim non labefactatur id, quod *est juris*, videlicet magistratui propterea deberi tributa a subditis, ut milites in defensionem reipublicae alere et turbatores pacis publicae ac hostes reipublicae coërcere possit, quod
XIV. 251. ipsum si faciat, officii sui partes exsequitur et gratum Deo ministerium praestat, si facere negligat, Deum judicem ac vindicem habebit.

5. A juris naturalis obligatione. 378. *5. A juris naturalis debito.* Defensio est juris naturalis civilis ac divini. Est enim opus legis scriptum iu cordibus, sicut nemini nocendum, ita proprium corpus contra injustam vim tuendum, vel auxilio magistratus, vel defensione propria, quando magistratus opitulari non potest. Ita Cicero lib. 1. offic. prima juris naturalis principia describens inquit: *Principio omni animantium generi a natura tributum est, ut se, vitam corpusque tueatur declinetque ea, quae nocitura videntur.* Idem pro Milone: *Hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.* Leges etiam civiles rectae rationi consentientes casum defensionis concedunt et approbant, sanciunt enim, ut in subita et manifesta violentia, quando magistratus abest et opitulari non potest, quilibet se et suos tueatur, l. is qui C. ad l. Corn. de sicariis. l. Si quis eod. ubi dicitur, *defensor propriae salutis videtur in nullo peccasse.* l. ut vim. ff. de justit. et jure: *Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur.* l. itaque ff. ad legem Aquiliam: *Si servum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero, nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere.* l. 45. §. 4. eod.: *Vim vi defendere omnes leges omniaque jura permittunt.* Lex divina idem comprobat Exod. 22, v. 2: *Si effringens vir domum in ipsa perfossione vel cum instrumento perfossorio deprehensus fuerit et accepto vulnere moriatur, percussor non erit reus sanguinis*, praesumitur enim animo grassandi venisse, ideo conceditur adversus ipsum defensio. Quamvis vero leges judiciales nos in N. T. non obligent, recte tamen inde sumitur haec dijudicatio, quae leges politicae consentiant juri naturae et legi aeternae in mente divina. Exstat etiam ante legem Mosaicam casus necessariae defensionis Gen. 14, v. 14. ubi Abraham ad defensionem Lothi nepotis sui armat familiam, hostes insequitur, eosdem trucidat et Lothum ac reliquos captivos liberat. Quodsi ergo ex praecepto de dilectione proximi manifestam violentiam a proximo depellere possumus ac debemus, utique etiam proprii corporis defensionem ex eodem praecepto suscipere recte possumus, quia lex dicit: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Haec defensionis fundamenta adducit Chemnicius part. 2. locor. cap. de vindicta p. 357. ex quibus porro sic concludimus: Si privatus jure divino, naturali ac civili injustam et manifestam violentiam a se repellere et vitam ac corpus suum defendere potest, multo magis incumbet magistratui personam publicam gerenti et gladium divinitus sibi datum portanti, ut a se et subditis suae curae ac fidei commissis injustam et manifestam violentiam repellat et vitam, corpora ac fortunas subditorum tueatur, ut conatibus et injuriis hostium obsistat, qui religionem et regionem eversam cupiunt ac publicum bonum, cujus cura magistratui commissa est, e medio penitus sublatum expetunt. Sed verum prius. Ergo et posterius. Connexio probatur, quia ut privata vitae ac corporis defensio jure concessa, sic magistratui subditorum ac reipublicae defensio jure commendata est. Ut paterfamilias in aedium oppugnatione familiam ac suos defendere ac vim illatam propulsare jure potest; sic magistratus in hostili reipublicae invasione subditos defendere ac violen-

tiam repellere omni jure potest. Privato in casu necessariae defensionis inde atque ideo injustam et manifestam violentiam vi repellere licet, quia magistratus auxilium implorare nequit et mora seu exspectatio cum manifesto vitae periculo est conjuncta; ergo multo magis concessum est magistratui adversus suos ac reipublicae hostes gladio sese defendere.

252. 379. Excipit Schmaltzius. *1. Evangelium tam temporibus, quae ante legem, quam iis, quae sub lege fuerunt, opponi et nihil nunc licere, quod evangelio adversetur, etiamsi ab initio usque mundi licuerit, idque Deo auctore* disp. 6. contra Frantz. p. 390. At hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. probandum enim est, jus naturale ac morale pugnare cum evangelio. Christus non venit in mundum, ut sua doctrina et praedicatione jus naturae et leges rectae rationi consentaneas aboleret, magistratus officium destrueret ac novam aliquam politiam constitueret; sed tradit doctrinam spiritualem de regno coelorum et explicat legem moralem ac naturalem, sic ubi notitia hujus per peccati originalis tenebras obscurata, illius vero doctrina per Pharisaicas corruptelas depravata. Ut evangelium usu solis, lunae, aëris, aquae et aliis ad hanc vitam pertinentibus nobis haud interdicit; sic nec prohibet, quominus jure naturali et honestis legibus reipublicae, in qua vivimus, utamur. *2. Nec religionis, nec regionis defendendae causa bellum esse gerendum. Religio* (inquit) *bello illato tolli nequit. Viro enim forti non potest vis fieri, manebit semper eadem religio in eo, qui vere Deo confidit, sive sit pax, sive bellum, imo majorem in religione fervorem esse tempore seditionum et bellorum quam pacis res ipse testatur. Imperare quidem potest hostis religionem falsam et idololatricam, sed vi eam nemini potest obtrudere. Nam qui Dei amans est, mavult vitam perdere quam religionem mutare, praeter vitam autem nihil potest hostis eripere. Et quid praestat vitam profundere defendendo religionem armis, quod saepe fit (nam non omnes vincunt, qui armis se defendunt) quam defendere religionem profundendo sanguinem? certe in hoc nullum est salutis periculum, ibi vero ex nostro sensu certum est, ex omnium autem sensu periculum saltem esse potest.* Eodem fere modo Socinus in lib. quod Evangel. Photin. se adjungere debeant c. 3. p. 25: *Mirum est* (inquit), *quod Evangelici tunc potissimum humanum sanguinem fundere populo Christiano permittunt, vel potius praecipiunt, cum maxime homines vere Christiani non alienum, sed suum sanguinem fundere (idque non armis carnalibus proeliando, sed spiritualibus tantum armis, hoc est fide, patientia, constantia, spe utendo) parati esse debent, tunc videlicet cum divinae veritatis hostes nolunt illis permittere, ut Deum et Christum pure colant, sed vi et armis illos ad impios cultus adigere volunt.* Respondemus: confundit adversarius distinctas quaestiones. Alia enim quaestio est de privatis personis et mere subditis, an illi religionem adversus ordinarium suum magistratum armis defendere debeant, alia vero de magistratu, an is subditos suos ob religionis professionem bello ab hoste impugnatos armis defendere possit. Illis denegatum id esse dicimus, ideo si a magistratu ordinario ob verae religionis professionem affligantur, non prosiliant ad arma, sed vitam potius ac sanguinem suum profundant, si precibus, intercessionibus, fuga aliisve mediis legitimis sibi aliter consulere non possunt; alia vero est ratio magistratus, cui gladius divinitus est datus et cura subditorum ac utriusque decalogi tabulae custodia ratione officii commissa. Quodsi ergo hostis aliquis vel ob religionem vel ob aliam quamcunque causam nec sufficientem, nec justam subditos bello aggreditur, tum officii ratione magistratui incumbit, ut injustam violentiam a subditis repellat et turbatores reipublicae vindice gladio coërceat, ut piorum regum Israëliticorum exempla testantur. **Exemplum hujus distinctionis suppeditat historia Maccabaeorum. Privati, quibus deerat tutela, moriebantur prompte pro lege patria, nec Antiocho audebant propria vi reluctari, 2. Macc. 7. Duces autem Maccabaei recte arbitrati sunt, sibi tanquam publico magistratui defensionem divini cultus pressique populi incumbere, unde merito sumserunt arma.** Deinde alia quaestio est de interiore Dei cultu ac privata religionis professione; alia vero de publico externo divini cultus ac religionis exercitio. De interiore Dei cultu et privata religionis professione discursus ille Schmaltzii recte XIV. 253.
procedit, quod religio bello illato tolli nequeat, quod viro forti non possit vis fieri, quod religio nemini possit vi obtrudi; sed de externo et publico divini cultus ac religionis exercitio haudquaquam procedit, quia si hosti propter religionem subditos oppugnanti a magistratu non eatur obviam, nec conatibus et violentiae ejusdem resistatur, tandem subjugabit subditos et publicum sincerae religionis exercitium abolebit. Cornhert in epit. process. de non occid. haeret. c. 3. et ex eo Hortlederus in disp. de just. bell. Germ. assert. 2. eod. fere sensu monet, quando quaeritur, an religio armis defendi possit, *tunc religionis nomen non accipi in abstracto, prout notat cultum ipsum divinum, quo Deus hominem sibi religat ac devincit, is enim cultus ut est invisibilis et spiritualis, ita nec visibilibus ac corporalibus suppositus esse potest injuriis, nec capax visibilis et externae cujusdam defensionis; sed in concreto, prout in hominibus eam profitentibus consideratur, qui homines ut visibiles ac corporei sunt, ita et propter religionem externis obnoxii injuriis ac defensionis capaces esse possunt.* Quando igitur quaerit Schmaltzius, *quid praestet vitam profundere defendendo religionem armis, quam defendere religionem profundendo sanguinem?* respondemus, utrumque esse honestum et pium, sed in diversis casibus ac temporibus diversis, quando enim magistratus arma capere subditos jubet adversus hostem ob religionem ipsos impugnantem, tunc honestum et pium est vitam profundere defendendo religionem armis; sed quando magistratus subditos, puta eos,

qui sunt mere subditi et quibus non est fides data de religionis libertate, propter religionem persequitur et oppugnat, tunc pium et honestum est, si alia ratione vitae consuli nequit, religionem defendere profundendo sanguinem. 3. Sed nec regionem armis defendere licitum esse, sic probare conatur Schmaltzius d. l. *Non est certum* (inquit), *an is sit regionem obtenturus, qui armis eam defendit. Multos enim videre est, qui hac ratione et se, et suos, et omnia sua perdiderunt, ita ut si aliter se gessissent, regnare possent, qui nunc extrema sunt mancipia. Nonne igitur praestat varios tentare modos, quibus regio conservetur praeter bellum? quales sunt foederum pactio, de jure suo quodammodo cessio, addo etiam tributorum solutio, et tandem ipsius etiam regionis, si aliter nullo modo fieri possit, spontanea deditio, quae omnia fieri possunt absque jactura salutis, vitae, fortunarum, et nonnunquam etiam illi ipsi tamen regnant, qui ita agunt cum hostibus suis, ut exemplis multorum principum in orbe etiam Christiano ad oculum demonstrari posset, si necessitas id requireret. Praestat enim semper, si aliter fieri prorsus nequeat, hostem suum pro domino agnoscere et ita eum sibi certo devincire, quam incerto proelii eventui et victoriae fallaci committere omnes suas fortunas et ipsam vitam.* Respondemus: confunduntur denuo distinctae quaestiones. Alia enim quaestio est de magistratus officio, alia de officii eventu. Ad officium magistratus pertinet, subditos adversus injustam hostium violentiam defendere, ab eo igitur non debet statim resilire ac desistere propter incertum belli exitum, sed cum Joabo dicat 2. Sam. 10, v. 12: *Confortemus nos pro populo nostro et pro urbibus Dei nostri, Dominus autem faciat, quod est bonum in oculis ejus.* Testatur historia sacra, pios reges, qui pro religione et regione adversus hostes bella gesserunt, parva manu gloriosam ex potentissimis hostium copiis victoriam saepius retulisse, quae exempla magistratus intueatur et subditorum suorum defensionem alacri ac forti animo adversus publicos latrones suscipiat. Deinde et hae sunt quaestiones distinctae, an in quibusdam casibus ac temporibus satius sit pactione foederum, cessione de jure, solutione tributorum et spontanea deditione regionis pacem quaerere quam bellum pro libertatis et regionis defensione gerere, quod nos facile concedimus; et an nulla ratione liceat adversus hostes regionem bello oppugnantes armis se defendere, quod Photi-
XIV. 254. nianus frustra ex eo conatur inferre. Prior quaestio de eo agit, quid sit magis utile ac consultum; posterior de eo, quid fas sit ac licitum. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, inquit apostolus 1. Cor. 6, v. 12. c. 10. v. 23. *οὐ τὰ πάντα πᾶσι συμφέρει* Eccl. 37, v. 31. Posset imperator Romanus bello repetere ditiones ad imperium Romanum pertinentes, sed an in hoc rerum statu id sit e re imperii, alterius atque altioris est considerationis. Refero huc Christi parabolam Luc. 14, v. 31: *Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus ad se venit?* v. 32. *alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea, quae pacis sunt.* Denique etiam hae sunt distinctae quaestiones, an magistratus omnia pacis media solicite quaerere debeat, antequam bello sese implicet; et an nullo unquam tempore arma adversus hostes capere debeat. Prius facile concedimus, quinimo etiam sedulo illud urgemus; posterius vero negamus, quia hac ratione quorumvis ludibrio ac libidini magistratus sese exponere cogeretur ac conspirantibus quorumvis furum ac latronum manipulis de solio dejici posset. Contradictoria omnino sunt, magistratum posse geri ab homine Christiano et non licere Christiano magistratui bellum gerere, cum incidere possit tempus ejusmodi, ut Christianus magistratus statum ac locum suum absque bello tueri minime possit. 4. Ostorodus in inst. c. 28. p. 192. eandem exceptionem repetit, sed addit: *Si magistratus cum subditis est vere Dei populus, hoc est si Deo confidit et debitam obedientiam praestat, Deum vi promissionis suae in pace et quiete etiam absque bello et sanguinis effusione eos conservaturum*, Jer. 18, v. 7. Apoc. 3, v. 10. *sola poenitentia peccatorum poenas, ad quas etiam eversiones regionum et rerumpublicarum pertinent, averti posse*, Matth. 11, v. 23. *bellis absque conversione nihil profici nec decreta Dei de transferendis regnis impediri*, Dan. 2, v. 21. Es. 37, v. 26. Respondemus: haec omnia suo loco recte dicuntur, sed interim non sunt negligenda media divinitus concessa, agenda est omnino seria poenitentia, invocandum Dei auxilium, in solo Deo, non in militum copiis confidendum; interim tamen magistratus suo non desit officio, nec subditorum defensionem divinitus sibi commendatam negligat, sin vero hostium potentiae resistere nequeat, divinae voluntati humiliter ac patienter sese subjiciat.

380. *6. A belli fine et effectu.* Cujus fines et effectus sunt utiles ac necessarii, illud modo in se ac per se vitiosum non sit, simpliciter improbari nequit. Belli legitimi fines et effectus sunt utiles ac necessarii, nec in se ac per se est vitiosum. Ergo bellum legitimum non debet improbari. Assumtum probatur ex inductione utilitatum, quas praestat bellum. Illae vero sunt.: *1. Reipublicae conservatio.* Nihil est in omnibus totius universi partibus, quod non habeat suum hostem, quodque non exerceat aliis cum rebus inimicitias, quas *ἀντιπαθείας* physici appellant. Eccl. 33, v. 16: *Intuere in omnia opera Altissimi. Duo contra duo et unum contra unum.* c. 42, v. 25: *Omnia duplicia, unum contra unum, et non fecit quidquam deesse*, hoc est creaturae ita sunt a Deo conditae, ut constituant quasi quoddam antitheton et una alteri quodammodo sit opposita, ut aqua igni, medicamenta venenis; ita quoque nullum est imperium, quod non habeat suos hostes, quorum insultibus et conatibus nisi consilio et armis resistatur, funditus illud brevi interire necesse est. Sine bellis nulla respublica poterit firmari, nulla amplificari, nulla conservari, nulla ab interitu vendicari. *2. Pacis acquisitio.* Augustinus epist. 205: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut*

6. A loro justi fruc cati

liberet Deus a necessitate et conservet in pace. Non enim pax quaeritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur, quod citatur in jure canonico. c. Noli etc. 23. q. 1. Sine bello in pace vivere, pietati et virtuti operam dare, honestati studere, rem
255. familiarem curare et cetera pacis munia obire minime possumus, hunc ergo finem qui appetunt, bellum simpliciter improbare non possunt. *3. Hostium repressio.* Nemo audet provocare eum, quem novit esse promtum et expeditum ad sui defensionem; sic militaria et bellica exercitia vicinos et exteros populos reprimunt, ne contra nos insurgere audeant. ** Bella, si respectu omnium causarum considerentur, nihil iniquitatis includunt. Sunt illa *inimicitiae publicae*, quibus edicto magistratuum vi et armis scelera reprimuntur, ut homines pacate et tranquille ex justitia possint vivere. *Causa efficiens* est magistratus, qui dum bello reprimit hostes, eo ipso agit patrem patriae et satisfacit officio divinitus mandato, unde legitima bella dicuntur *proelia Domini* 1. Sam. 18, v. 17. c. 25, v. 28. *Causae impulsivae* sunt scelera et injuriae publicae, quas magistratus debet ulcisci. *Causa formalis* determinat modum, quia bella non tantum juste vel ob justas causas suscipienda, sed etiam juste vel legitimo modo gerenda sunt. *Causae finales* sunt conservatio ecclesiae et cultus divini Jos. 22, v. 31. Neh. 4, v. 9. cohibitio eorum, qui resistunt justitiae publicae Jud. 20, v. 11. depulsio servitutis ac violentiae, emendatio hostium, conservatio libertatis, vitae et tranquillitatis publicae. Annumerandum et hoc bellorum commodis, quod per illa consulitur hostium utilitati, licet non voluntati, quia coërcentur, ut peccare desinant et poenitentiam agant, quam alias non egissent. Ut ergo medicus phreneticum ligans et pater indisciplinatum filium caedens non peccant contra caritatis leges, sed potius ex caritate agunt; sic princeps hostis ferociam frenat, non ex odio, sed Christiana caritate, illique benefacit etiam invito, dum peccandi licentiam minuit. ** Politici scriptores addunt etiam alias bellorum utilitates, utpote quod bella inutili et ignava turba rempublicam liberent (*nullum majus remedium est homines otio turpi, inertia, voluptatibus diffluentes e civitate tollendi ac veluti pravis et corruptis humoribus plenum corpus vacuandi quam ad bellum eos emittere*, Bodinus lib. 5. de rep. c. 5. nu. 365.); quod magistratus ac subditos a vitiis illis avocent, quae diuturniorem pacem et deses otium comitari consueverunt; quod domesticas seditiones et intestinas dissensiones prohibeant; quod ad amplificandum imperium, ad parandas opes, gloriam et nominis immortalitatem plurimum faciant etc. Sed hae ac similes utilitates nunquam tanti aestimandae, ut bellum propter eas consequendas suscipiatur, nisi fines reliqui, videlicet reipublicae conservatio, pacis acquisitio et hostium repressio belligerandi necessitatem imponant. Quod in minore additur, *bellum in se ac per se vitiosum non esse*, constare potest ex superioribus argumentis, hoc loco illud duntaxat urgemus. Quod in se ac per se vitiosum est, illud semper ac perpetuo tale quia καθ᾽ αὑτό praesupponit κατὰ παντός. Jam vero belligerari non est semper ac perpetuo vitiosum, quia in V. T. ex concessione adversariorum fuit licitum. Ergo in se ac per se non est vitiosum.

381. Quidam ex nostris argumentum ducunt ** 1. Ex dicto Christi Matth. 26, v. 52: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, quae verba non tam narrationem, quid juste et per Dei judicium fiat, hoc est poenae divinitus immittendae denuntiationem continent, ut suo loco ostendimus, adeoque innuitur, jure illos interfici, qui aliorum vitae insidiantur juxta legem antiquissimam Gen. 9, v. 6. quam Christus hic confirmat Sic ergo concludimus. Qui gladium accipiunt et alios occidere cogitant, illis licet juxta Christi sententiam resistere auctoritate publica, ut sic rursus gladio humano pereant. Sed hostes accipiunt gladium et alios occidere cogitant. Ergo licet illis juxta Christi sententiam resistere auctoritate publica, ut sic rursus gladio pereant. ** 2. Ex verbis Christi Luc. 14, v. 31: *Quis rex iturus committere bellum adversus regem non sedens prius cogitat, si posset cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus ad se venit?* Illos vero, qui ex posteriori dicto concludunt, salse irridet Schmaltzius contra disp. 6. Frantz. p. 395. *hic* (inquit) *risum teneatis amici. Christus parabolam narrat et per eam, quomodo ad deserenda carissima et omnia adversa perpetienda paratissimus esse debeat, quicunque sibi militare cogitet, docere proponit. Frantzius Christum leges belli gerendi repetiisse et tacite commendasse affirmare non dubitat. Hac ratione ego probabo, Christum docuisse, quomodo qui alienas curant familias, dominos suos fraudare et de facultatibus illorum intervertere multa pro futura necessitate possint, et alia huic similia non pauca monstrosa dogmata vel potius impietates.* Respondemus: 1. Distinguendum *inter qualemcunque theseos illustrationem et primariam ejusdem probationem*, nos enim hac parabola non primariae probationis, sed qualiscunque collationis et illustrationis gratia utimur. 2. Conjungimus eidem dictum apostolicum 1. Cor. 9, v. 7: *Quis militat unquam suis stipendiis?* ubi ex aliis similitudinibus subjunctis apparet, apostolum
loqui de talibus rebus, quae sua natura non sint XIV. 256.
vitiosae. *Quis plantat vineam* (inquit) *et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat?* v. 10. *Qui arat, debet in spe arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Quemadmodum ergo vineam plantare, gregem pascere, terram colere et hac ratione sibi suisque victum quaerere, non est in se ac per se vitiosum; sic alienis mereri stipendiis non est in se ac per se illicitum censendum, interim non sumus nescii, v. 13. mentionem fieri eorum, *qui in sacrario operantur et altari deserviunt*, quod ex V. T. petitum, non nisi certa ratione et conditione ad N. applicari potest. Addimus igitur locum 2. Tim. 2, v. 4: *Nemo militans implicat se negotiis secularibus, ut placeat principi*

rei militaris; ubi spiritualibus Christi militibus exemplum terrenorum militum ad imitationem proponitur. 3. Est ergo dispar ratio parabolae *de oeconomo injusto et de rege armis occurente suo adversario.* Fatemur, non esse omnia ejusdem generis, quae in parabolis proponuntur, cum quandoque ex illis, quae facti sunt, non juris, exempla in vita spirituali petantur, sed alia est militiae ratio, quam in se et per se illicitam non esse, jam ante demonstravimus.

Consensus ecclesiae primitivae. 382. Adjungimus etiam secundarii argumenti loco consensum primitivae ecclesiae, quem colligimus 1. *ex dictis veterum.* Ostorodus in inst. Germ. c. 27. nu. 4. p. 177. *fere omnes patres, adeoque ipsum etiam Augustinum in ea opinione fuisse* asserit, *quod Christiano bellum gerere sit prohibitum,* sed contrarium intelligitur ex seqq. dictis. Tertullianus in apolog. c. 42: *Navigamus et nos vobiscum et militamus et rusticamur et mercamur.* Nazianzenus orat. 3. de pace: *Licet utriusque temporis habenda sit ratio, quandoquidem juxta illius legem atque auctoritatem praeclare interdum bellum suscipitur, quamdiu tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus, hoc enim sublimius est et divinius.* **Basilius epist. 125: *Hoc mihi videtur munus esse principis, ut opem ferat virtuti, malitiam vero impugnet, sive id in cruento principatu, sive cum gladio aut vinculis faciat.* Cyrillus tom. 3. de recta fid. magistratum multis commendat et ita compellat: *Militum vestrorum multitudo et militaris disciplinae peritia vincere semper solita, mundum subjecit.* Synesius lib. de regno: *Ut bona civitatis et telluris serventur, rex propugnat et deligit, qui pugnare debeant.* Augustinus lib. 1. de civ. Dei c. 21: *Nequaquam contra hoc praeceptum fecerunt, quo dictum est, non occides, qui Deo auctore bella gesserunt.*** Chrysostomus homil. in evang. de nuptiis Joh. 2: *Militiam praetexis et dicis, non possum esse pius. Centurio nonne miles erat nihilque nocuit illi sua militia?* Ambrosius lib. 1. de officiis c 27: *Fortitudo, quae vel in bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena est justitiae.* c. 40. exempla virtutis bellicae adducit et commendat. Conf. ser. 7. et in orat. de obit. Theod. Augustinus epist. 205. ad Bonif.: *Noli putare, neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium, qui inquit: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet*
XIV. 257. *manus meas ad proelium; in his erant illius temporis plurimi justi; in his etiam erat ille centurio, de quo inquit Christus: In Israël non inveni tantam fidem.* adde epist. 5. ad Marcel. lib. 22. contra Faust. c. 74: *Quid in bello culpatur? an quod moriuntur homines, quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum* etc. lib. 6. quaest. in Josuam q. 10: *Justa bella definiri solent, quae ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quae bello petenda est, vel vendicare neglexerit, quod a suis improbe factum, vel reddere, quod per injurias est ablatum. Hoc etiam belli genus sine dubitatione justum est, quod Deus imperat, apud quem nulla est iniquitas et novit, quid cuique fieri debeat.* serm. 19. de verb. Dom. secundum Matth. in princ. (in Ambrosii sermonib. exstat ser. 7.): *Nonnulli fratres, qui aut militiae cingulo detinentur, aut in actu publico constituti sunt, cum graviter peccant, hac solent a peccatis suis prima se voce excusare, quod militant et ne bene aliquando faciant, occupatos se malis actibus conqueruntur, perinde quasi militia hominum non voluntas in culpa sit, ita quod ipsi gerunt, officiis suis asscribunt. Non enim militare delictum est, sed propter praedam militare peccatum est.* Gregorius lib. 1. epist. 73 ad. Gennad.: *Si non ex fidei merito, ex Christianae religionis gratia tanta excellentiae vestrae bellicorum actuum prosperitas evenerit, non summopere miranda fuerat, sed cum futuras (Deo largiente) victorias non carnali providentia, sed magis orationibus praevenitis, fit ut hoc in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat.* Bernhardus ser. ad milites c. 3: *At Christi milites securi proeliantur proelia Domini sui, nequaquam metuentes aut de hostium caede peccatum, aut de sua nece periculum, quando quidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda et nihil habeat criminis, et plurimum gloriae mereatur.*

383. *2. Ex probatis exemplis piorum. Constantinus, Theodosius, Valentinianus, Carolus M.* et alii *imperatores, reges ac principes Christiani* bella gesserunt, nec ab episcopis hoc nomine reprehensi leguntur, quinimo Ambrosius Theodosium a laude bellica commendat in orat. de ipsius obitu. Eusebius lib. 8. hist. eccl. c. 4. mentionem facit quorundam Christianorum in exercitu Veturii, qui ob constantiam in fide Christiana jacturam honoris fecerunt, quidam etiam sanguinem suum fundere non dubitarunt. Basilius in orat de laudib. 40. martyrum refert, *multos sanctorum fuisse in castris gentilium imperatorum.* **Tota legio ex Thebaeis Aegyptiis Christianis composita militavit sub Mauritio tribuno militum, quae in Segusianis propter Christi fidem a Maximino imperatore fuit occisa. Sub Decio Christianos fuisse milites testatur Eusebius lib. 6. c. 41. et 42. centuriae 3. Magd. c. 3. col. 18. In quarto seculo militiam exercuisse Christianos patet inde, quia dignitatibus suis a Diocletiano spoliari leguntur milites Christiani apud Eusebium lib. 8. c. 3. Sub Licinio quadraginta Christianos milites in stagno Sibastae martyrio affectos esse, testatur Nicephorus lib. 14. c. 10. Sozomenus lib. 9. c. 2.** Referenda huc sunt miracula a Christianis militibus facta et victoriae miraculosae Christianis imperatoribus divinitus concessae. XIV. Eusebius lib. 5. hist. c. 5: *Marcum Aurelium Antonini fratrem rumor est, cum in Germanos et Sarmatas expeditionem movisset et exercitus ejus siti afflictaretur, in rerum desperatione fuisse constitutum. Milites vero legionis, quam*

Melitinam vocabant, fide tum semel atque iterum percitos, genua in ipsa acie contra hostes ad terram usque curvasse et ad supplicandum Deo esse conversos. Cum autem hostibus spectaculum hoc insolens appareret, ferunt aliud quiddam insolentius etiam subsecutum, fulmen scilicet, quod hostes in fugam et exitium expulerit, et imbrem ad refocillandum exercitum, qui jam totus siti propemodum periturus coeleste Numen imploraverat. Haec autem historia fertur quidem etiam ab illis commentatoribus, qui alieni sunt a nostra doctrina (Dione et Claudiano), *quibus curae fuit ea, quae jam dictos concernebant, describere; exposita vero est et a nostris, verum ab exteris historicis tanquam a fide alienis positum quidem est ipsum miraculum, id autem expressum non est, quod nostrorum hoc precibus evenit, a nostris vero tanquam veritatis amicis simpliciter et candide, quod gestum est, traditur.* Postea subjicit locum ex Apollinario, quod haec legio ab imperatore postmodum dicta fuerit κεραυνοβόλος, fulminea, et ex Tertulliano in apolog. c. 5. ubi provocat ad literas Aurelii imperatoris, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Idem Eusebius lib. 9. hist. eccl. c. 9. miraculosam Constantini victoriam ex bello contra Maxentium reportatam describit lib. 1. de vita Constantini c. 28. *Cum sol ad medium coelum adscendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante Constantinus crucis signum ex lucis splendore figuratum in ipso coelo soli imminens manifesto oculis adspexit inque eo inscriptionem consignatam, quae haec verba complectebatur, in hoc vinces.* Socrates
IV. 259 lib. 7. c. 18: *Cum Constantinopolitani* (propter maximas Persarum copias) *anxio et solicito animo essent et propter incertam belli fortunam ancipiti cura distracti, angeli Dei in Bithynia nonnullis, quos negotia necessaria Constantinopolin ire cogebant, apparentes jubent renuntiare Constantinopolitanis, ut bono animo sint, precibus se dedant et firmam in Deo spem ponant, Romanos victores fore, se enim administratores belli a Deo missos esse dicebant, id quod eventu felicissimo fuit postea comprobatum.* Augustinus lib. 5. de civ. Dei c. 23. refert, *exercitum Honorii divino miraculo incredibilem de Gothis victoriam retulisse.* Ejusmodi exempla complura in historia ecclesiastica annotata exstant. Coronidis loco monemus, Photinianos cum sua opinione non posse solide conciliare sequentes hypotheses. 1. Concedunt, *licere Christiano magistratum gerere*, interim negant, a Christiano magistratu bellum geri posse, cum incidere possit tempus ejusmodi, ut ad statum suum defendendum magistratus cogatur bellum suscipere. 2. Concedunt, *in V. T. bella fuisse licita*, in N. dicunt prohibita, cum disertum aliquod interdictum afferre nequeant. 3. Concedunt, *defensionem esse juris naturalis*, quod est immutabile et perpetuum, interim negant, bella defensiva esse licita. 4. Concedunt, *si quis aliter sese alere nequeat, tractare talia artificia*, quorum opera arma parantur, interim negant, bella gerere esse licitum, cum finis talium instrumentorum proprie defensionis usum spectet.

Antithesis eorum, qui bella simpliciter improbant.

384. Hactenus nostram confirmavimus sententiam, sequitur ut in antithesi examinemus opinionem et argumenta eorum, qui bellum absolute et simpliciter improbant. 1. *Manichaei* bellum ex natura sua illicitum esse dicebant, ideoque Moysen, Josuam, Davidem et alios V. T. sanctos, qui bella gesserunt, impietatis accusabant, uti refert Augustinus lib. 22. contra Faust. c. 74. et alibi passim. 2. *Quidam ex veteribus* quandoque satis incommode loquuntur. Tertullianus lib. de corona militis post med. c. 11. p. 183. 184: *Credimusne, humanum sacramentum divino superinduci licere et in alium Dominum respondere post Christum? licebit in gladio versari Domino pronuntiante, gladio periturum, qui gladio fuerit usus? et proelio operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniet?* **adde eund. de idololát. c. 19. p. 157. 158. edit. Fran.** Origenes lib. 2. cont. Celsum, *Christum in N. T. omnia bella sustulisse* disputat. Idem hom. 15. in Jos. et citatur c. Nisi etc. caus. 23. q. 1: *Nisi bella ista carnalia figuram spiritualium bellorum gererent, nunquam ut opinor Judaicarum historiarum libri discipulis Christi, qui venit pacem tradere, legendi in ecclesiis ab apostolis fuissent traditi. Quo enim eis bellorum proficeret ista descriptio, quibus dictum a Christo, pacem meam do vobis* etc. Lactantius lib. 6. divin. instit. c. 19. circa med p. 365: *Cum occidere Deus vetat, non tantum latrocinari prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet, sed ea quoque ne fiant, monet, quae apud homines pro* XIV. 260
licitis habentur. Ita neque militare justo licebit, cujus militia est in ipsa justitia, neque vero accusare quenquam crimine capitali, quia nihil distat, utrumne ferro an verbo potius occidas, quoniam occisio ipsa prohibetur. Itaque in hoc Dei praecepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit. Hieronymus in epist. ad Ageruchiam de monogam.: *Olim bellatoribus dicebatur, accinge gladium tuum super femur tuum potentissime, nunc Petro dicitur, converte gladium tuum in vaginam.* Leo in epist. 90. ad Rusticum, et habetur in c. contrar. etc. dist. 5. de poenit.: *Contrarium est ecclesiae regulis post poenitentiae actionem redire ad militiam secularem.* Respicit Leo ad decretum concilii Nicaeni can. 11. *ubi poenitentia iis injungitur, qui militiam, cui renuntiaverant, repetierint.* (Balsamon et Zonaras hunc canonem exponunt de illis, qui cingulum ambiebant, fidem negare parati.) Plura hujusmodi dicta ex patribus adduxit Erasmus in annot. cap. 3. et cap. 22. Luc. quae commoda interpretatione ad bonum sensum revocare conatur Bellarminus lib. 3. de laicis cap. 16. quod an in omnibus fieri possit, merito dubitamus. 3. Nostro seculo *Anabaptistae* cum aliis erroribus contra magistratus officium pugnantibus etiam hunc amplexi sunt, non licere in N. T. bellum gerere,

uti Phil. Melanthon in locis cap. de magistr. Wigandus in Anabapt. et alii referunt. Quanta tamen eorum in Monasteriensi obsidione fuerit crudelitas, describit Sleidanus lib. 10. comment. In libro, quem durante obsidione scripserunt, sub Restitutionis titulo inter cetera docent, *etsi nullum habuerint apostoli mandatum usurpandae jurisdictionis, tamen eos, qui nunc sunt, ecclesiae ministros debere sibi sumere jus gladii perque vim constituere novam rempublicam.*

385. 4. Anabaptistarum vestigiis insistunt *Photiniani.* Socinus in libro quod Evang. Photinianis se adjungere debeant cap. 3. p. 24. inter ea, quae in Evangelicorum religione cum Christi praeceptis pugnant, etiam hoc refert, *quod vim vi repellere ac hominem etiam interficere liceat, si aliter vis repelli nequeat, praesertim vero cum bellum injustum nobis infertur.* Et postea: *Mirum est, quod Evangelici tunc potissimum humanum sanguinem fundere populo Christiano permittunt, vel potius praecipiunt, cum maxime homines vere Christiani non alienum, sed suum sanguinem fundere, idque non armis carnalibus proeliando, sed spiritualibus tantum armis, hoc est fide, patientia, constantia, spe utendo parati esse debent, tunc videlicet, cum divinae veritatis hostes nolunt illis permittere, ut Deum et Christum pure colant, sed vi et armis illos ad impios cultus adigere volunt*, quem vocat maximum et perniciosissimum in Christiana religione errorem. Ostorodus in instit. Germ. cap. 27. num. 4. p. 177: Wir bekennen, daß es eine ſchwere Frage ſei, welche vielen gottesfürchtigen und gelehrten Leuten je und allwege viel zu ſchaffen gemacht, ob der Krieg einem Chriſten frei und erlaubet ſei? Denn es etliche dafür gehalten, daß der Krieg einem Chriſten nicht verboten ſei, etliche aber das Gegenſpiel. Und ob wohl die erſten die meiſten Stimmen haben, ſowohl bei Gelehrten als Ungelehrten, ſo haben doch auch die andern nicht wenig gottesfürchtige und gelehrte Leute gehabt, die ihre Meinung approbirt haben. pag. 178: Wir geben denen Beifall, ſo den Krieg improbiren, nicht für gut halten, ob wir wohl wiſſen, wie viel dieß vor den Kopf ſtoßen wird, die wohl um dieſer einigen Meinung willen die ganze Confession ſelber leichtlich verwerfen ſollten. Denn es wird ſie dünken, daß dieſe unſere Meinung das unterſte zu oben kehre, und allerding eine Confusion anrichte. Was ſollen wir aber thun? Wir können nicht wider unſere conscientiam etwas weder reden noch verſchweigen, ſintemal es um den Gehorſam der Gebote Chriſti und consequenter um die ewige Seligkeit zu
XIV. 261. thun iſt, quae verba posteriora probe sunt notanda, innuunt enim *esse errorem cum periculo salutis conjunctum, si quis asserat, bellum gerere ulla ratione esse licitum*, sed pag. seq. 180. Ostorodus contrarium subjicit: Wir verdammen niemand bald, der dieß anders denn wir verſtehen, meinet. Contra sic infero: Qui propugnat errorem cum obedientia mandatorum Christi pugnantem, is errorem damnabilem amplectitur, siquidem, ex hypothesi Ostorodi, obedientia mandatorum Christi ad salutem simpliciter est necessaria. Evangelici jus belli magistratui asserentes propugnant errorem cum obedientia mandatorum Christi pugnantem ex ejusdem Ostorodi hypothesi. Ergo amplectuntur errorem damnabilem. Schmaltzius contr. Frantz. disp. 6. de rebus civil. p. 393: *Quod bella gerere liceat, negamus et indignum Christiana pietate esse contendimus.* adde eund. contra disp. 7. priorem de bon. operib. p. 243. 5. Photinianorum vestigia premit *Weigelius* Svencfeldianus in postill. in explic. evangel. Dom. XXII. post Trinit. p. 329. ubi itidem bella defensionis ergo suscepta improbat. 6. Quidam ex Pontificiis bella etiam legitima videntur damnasse. **Gregorius VII. pontifex Romanus c. Falsas dist. 5. de poenit: *Illi qui exercent negotium, quod sine peccato non potest exerceri, non sunt capaces poenitentiae, nisi negotio ejusmodi renuntient, ubi exemplum ponitur de milite.*** Erasmus in annot. c. 3. Luc. pag. 126: *Ridiculum est, quod quidam ex verbis Baptistae, Neminem concutiatis* etc. *probare nituntur bellum, quasi Johannes haec dixerit Christianis ac non potius ethnicis aut certe profanissimis Judaeis* etc. *Quis negat, Judaeis permissum fuisse bellum, sed iisdem, quibus permissum fuit odium inimici? Bellabant Judaei, sed jussu Numinis, an ob id volumus Christianos contra Christi jussum belligerari?* in annot. cap. 22. Luc. p. 157: *Augustinus multis locis Christiane bellum detestatur* etc. interim p. 158. quandam correctionem addit: *Neque vero cum haec dico, jus adimo principibus gerendi belli, modo Christiane geratur.* **Danaeus in resp. ad hanc controv. Erasmum excusare conatur, quasi bella Christianorum principum inter se tantum exsecretur, idque probat ex his Erasmi verbis, quae sub finem suae in belligerantes invectivae subjunxit in annat. c. 22. Luc. p. 158: *Neque vero cum haec dico, jus adimo principibus gerendi belli, modo Christiane geratur. Laudantur Ambrosio caesares, qui se pro tuenda Christiana tranquillitate adversus barbaros ceu murum opposuere, et tamen idem negat, hoc esse puritatis evangelicae. Sed quid haec ad nos, qui sacerdotes ipsi sine fine belligeramur, idque pro imperio, pro praeda, pro mundana gloria?* Confer eundem Erasmum in cap. 3. Luc. p. 126. et seqq. apolog. adversus rhapsodias calumniosarum querimoniarum Alberti Pii quondam Carporum principis p. 272. et seq.** Cornel. Agrippa de van. scient. cap. 79. *artem bellandi a Christo prohibitam esse* affirmat. Addit Bellarminus Joh. Ferum, qui lib. 4. comm. in Matth. c. 26. itidem bellum improbet, sed Ferus disertis verbis magistratui jus gladii ibidem concedit, collegit autem id Bellarminus ex illis Feri verbis, in quibus negat, evangelium armis secularibus et humana ope defendendum esse, quod respectu privatorum et ecclesiae ministrorum est omnino verissimum.

An Lutherus bellum contra Turcam gerendum esse negaverit.

386. 7. Bellarminus lib. 3. de laicis c. 16. Luthero tribuit, quod inter alia paradoxa defendere conatus fuerit, *non licere Christianis contra Turcas bellum gerĕre*, idque probat ex art. 34. in Bulla

Leonis damnato, sed respondemus: 1. Bellarminus ipse agnoscit, Lutherum in lib. de visit. Saxon. contrarium docere. *Clamant* (inquit) *aliqui praedicatores temerarie, non resistendum esse Turcae, hic sermo seditiosus est, qui neque ferri, neque permitti debet, tenentur potestates resistere Turcis, qui non solum cupiunt provincias devastare, uxores ac liberos violare et interficere, verum etiam jura provinciae, cultum Dei omnemque ordinationem bonam abrogare ac tollere* etc. Similia passim apud ipsum occurrunt in lib. de bello contra Turcam edit. anno 1528. tom. 4. Jen. Germ. fol. 399: Den Kaiſer
182. und die Fürſten ſollte man vermahnen ihres Amts und ſchuldiger Pflicht, daß ſie gedächten mit Fleiß und Ernſt ihre Unterthanen im Frieden und Schutz handzuhaben wider den Türken, ꝛc, ſie treiben, und ihre Gewiſſen aufs Höchſte beſchweren, wie ſie Gott ſchuldig ſind, ihre Unterthanen nicht ſo jämmerlich laſſen verderben, und wie ſie ſo große treffliche Sünde thun, daß ſie ihr Amt hierinnen nicht bedenken, und denjenigen, ſo mit Leib und Gut unter ihrem Schutz leben ſollen, und mit Eiden und Hulden verbunden ſind, nicht mit Rath und Hülfe erſcheinen nach allem ihren Vermögen. Et postea: Alſo ſollte ein Legat (von Rom) auf dem Reichstage mit den Reichsſtänden handeln, Gottes Gebot vorhalten und eine unvermeidliche Noth daraus machen und ſagen: Lieben Herren Kaiſer und Fürſten, wollt ihr Kaiſer und Fürſten ſein, ſo thut als Kaiſer und Fürſten, oder der Türke wird's euch lehren durch Gottes Zorn und Ungnade. Deutſchland oder Kaiſerthum iſt euch von Gott gegeben und befohlen, daß ihrs ſchützen, regieren, rathen und helfen ſollt, und nicht allein ſollt, ſondern auch müſſet, bei Verlierung eurer Seelen Seligkeit und göttlicher Huld und Gnade. Nun aber ſiehet man wohl, daß euer keinem Ernſt iſt, noch ſolches glaubet, laſſet eure Unterthanen, ſo euch von Gott befohlen, ſo jämmerlich plagen, wegführen, ſchänden, plündern, würgen und verkaufen ꝛc. **Tom. 6. Witeb. p. 585: So iſts auch gewaltiglich genug bewieſen, daß Kriegen und Würgen von Gott eingeſetzet iſt, und was Kriegslauf und Recht mit ſich bringet. Was iſt Krieg anders denn Unrecht und Böſes ſtrafen? Warum krieget man, denn daß man Friede und Gehorſam haben will? Obs wohl nun nicht ſcheinet, daß Würgen und Rauben ein Werk der Liebe iſt, derohalben ein Einfältiger denket, es ſei nicht ein chriſtlich Werk, zieme auch nicht einem Chriſten zu thun, ſo iſts doch in der Wahrheit auch ein Werk der Liebe. Confer tom. 3. Jenens. Germ. in scripto, cui titulus, Ob Kriegsleute in einem ſeligen Stande ſein können? fol. 343. et seqq. tom. 5. Jen. Warnung an ſeine lieben Deutſchen f. 290. b. cum duob. subsequent. scriptis. Tom. 6. Zwei Schriften D. M. L. an Herzog Johanns Churfürſten zu Sachſen, ꝛc. die Gegenwehr belangend, die eine fol. 31. a. die andere f. 325. tom. 7. de eodem argumento f. 386. et seqq. usque ad fol. 395.** 2. Ergo non ipsum bellum, sed belli gerendi modum improbavit Lutherus, quod absque praevia vera et seria poenitentia bellum contra Turcas suscipiatur, quod bullis et indulgentiis papalibus expeditionem susceptūri nimium tribuant, quod sub praetextu belli Turcici Germania a Romanis harpyis expiletur, quod episcopi in aciem procedant etc. sic enim loquitur Ulr. Huttenus in notis ad art. 34. a Leone damnatum, tom. 1. Lat. p. 478: *Vobis quidem pontificibus hoc proeliari contra Turcas saepe jam magno fuit lucro, dum pecuniam exegistis in Germania quantam libuit, qua expeditionem hanc, quod nunquam serio cogitastis, prosequeremini. Nam si semel debellarentur Turcae, quem hostem fingere velletis tantopere oppugnandum?* Lutherus ipse mentem suam clarissime exponit in assert. artic. a Leone damnatorum art. 34. tom. 2. Latin. p. 310. *Tot jam annis* (inquit) *passi sumus, nos deglubi per impostores et legatos Romanos toties ad bellum Turcarum indulgentiis ac facultatibus impudentissime venditis, pecuniam et substantiam nostram devorantes, quam vidimus non solum non venisse, quo mendaces illi et fallaces homines venturam promiserunt, sed etiam in turpissimas eorum libidines et pompas profusam.* Et postea: *Quanto rectius faceremus, si primum orationibus, imo totius vitae mutata ratione Deum propitium faceremus? tum idolo illi Romano caesar et principes modum ponerent tyrannidis, illusionis, perditionis animarum.* Et adhuc clarius in Germanica articulorum damnatorum assertione tom. 1. Jen. Germ. fol. 429. et tom. 7. Witeb. fol. 131: Nun habe ich dieſen Artikel nicht alſo geſetzt, daß wider den Türken nicht zu ſtreiten ſei, wie der H. Ketzermacher der Papſt mir allhier auflegt, ſondern wir ſollten zuvor uns beſſern, und einen gnädigen. Gott machen, nicht hinein plumpen, auf des Papſtes Ablaß verlaſſen, wie er bishero die Chriſten XIV. 263.
verführet, und noch immer verführet. **Tom. 3. Jen. Germ. fol. 359. b. in fine tractatus, cui titulus Ob Kriegsleute auch im ſeligen Stande ſein können? ubi expressam eorum mentionem facit, qui objecerant ipsi verba, quibus bellum contra Turcam dissuasisse videbatur. Adde tom. 7. Germ. Jen. in adhortat. ad preces contra Turcam fol. 445. b. et seqq.** Videatur etiam liber Germanicus de bello contra Turcas tom. 4. Jen. Germ. fol. 391. et tom. 2. Witeb. fol. 524. ubi causas hujus assertionis latius exponit: Solches (daß ich dieſen Artikel ſetze, den der Papſt Leo X. verdammt hat) thät ich ſo viel deſto lieber, daß ich der römiſchen Büberei den Schalkdeckel nehme, denn die Päpſte hattens nie mit Ernſt im Sinn, daß ſie wider den Türken kriegen wollten, ſondern brauchten des türkiſchen Krieges zum Hütlein, darunter ſie ſpielten, und das Geld mit Ablaß aus Deutſchland raubeten, ſo oft ſie es gelüſtet, wie das alle Welt wohl wußte, aber nun auch vergeſſen iſt. Alſo verdammeten ſie meinen Artikel nicht darum, daß er dem türkiſchen Krieg wehret, ſondern daß er ſolche Heläkäpplein abriß, und dem Geld gen Rom die Straße legete, denn wo ſie mit Ernſt wider den Türken hätten wollen kriegen, hatte der Papſt und die Kardinäle ſo viel von den palliis, Annaten und andern unſäglichen Zugang, daß ſie ſolcher Schinderei und Raubens in Deutſchland nicht bedurft hätten ꝛc. So gefiel mir auch das nicht, daß

man ſo trieb, hetzte und reizte die Chriſten und die Fürſten, den Türken anzugreifen und zu überziehen, ehe denn wir ſelbſt uns beſſerten, und als die rechten Chriſten lebten, welche alle beide Stück, und ein jegliches inſonderheit genugſame Urſache iſt, allen Krieg zu widerrathen. fol. 392. ostendit, distincta esse principis et episcopi officia, nec competere episcopis ut gladio corporali contra Turcam pugnent. Reliqua, quae ex Luthero Ungersdorffius in sua gratulatione affert, solide explicat Zeaemannus in refut. maledici illius scripti part. 2. cap. 8. pag. 136. 3. Videat vero Bellarminus, quomodo pontificem Romanum a praepostero erga Turcam favore excusare possit. Adrianus VI. in literis ad proceres imperii Romani Norinbergae congregatos anno 1522. datis, quae exstant tom. 2. Jen. German. Luth. fol. 167. inter cetera sic scribit: Wenn wir gleich vermöchten die fremden Feinde (den Türken) zu bekriegen, ſo würde es doch eine vergebliche Arbeit und Unkoſt, auch unſerer Seelen Heil unnütz ſein, daß man auswendig die Feinde überwinde und daheim mit Ketzereien, Schismaten und Zertrennung beſchweret ſein. (Intelligit autem doctrinam evangelicam, quam exstirpatam prius cupiebat, ut ex praecedentibus apparet.) Reginaldus Polus cardinalis pro unit. eccles. defens. libr. 3. fol. 78. tale consilium profert: *Si Romanus imperator Constantinopoli imminens victoriam in manibus haberet, se tamen ipsum revocaturum atque auctorem ipsi futurum, ut Turcicum semen in Germania exortum prius evelleret.* Testantur historiae, eo tempore, quo Italia instinctu Gregorii III. ab imperatore defecit et divulsum fuit in partes Romanum imperium, Turcarum vires augeri, Christianorum autem imperium labefactari coepisse. Crantzius libr. 8. metropol. cap. 14. refert, Innocentium IV. tanto zelo in Fridericum II. provectum, ut non modo Christianos principes illi opponeret, sed etiam misso nuntio ad soldanum Aegypti illum a familiaritate ejus nisus sit avertere. Eundem Fridericum adversus Saracenos fortiter et feliciter pugnantem Gregorius IX. malitia domum retraxit et praeclarissimam victoriam ei ex manibus eripuit. *Vicarius Christi*, inquit Fridericus apud Matthaeum Paris in Henr. III. p. 484. *praeter impedimenta, quae nobis in Syria praeparavit per nuntios et legatos, qui soldanum literis suis, quas nos captis ipsarum latoribus in testimonium reservamus, ne nobis terram divino cultui et Hierosolymitani regni juribus debitam redderet, monuerunt, regnum nostrum Siciliae violenter intravit* etc. unde item imperator lib. 2.
XIV. 264. epist. 31. scribit: *Revera imperialis felicitas papali semper impugnatur invidia.* Idem Gregorius IX. cruce signatos, qui in auxilium imperatoris in Syriam profecturi erant, ne mare trajicerent, prohibuit et impedivit, teste Aventino in annal. Bojor. quin et Christianos, qui se contra Turcam pugnaturos voverant, adversus imperatoris praesidia pugnare coëgit. Matth. Paris in Henr. III. p. 497. Qua ratione et Christiani inter se commissi et Saraceni omissi et victoria, quae in manibus Christianorum erat, ejus perfidia fuit erepta. **Alexander III. effigiem Friderici Barbarossae sultano Turcico misit, instigans ipsum, ut imperatorem, quem ex transmissa effigie agnoscere possit, captivum duci curaret. Balaeus** et Barnus in Alex. III. Vide librum Germanicum, cujus titulus Papſts Treue Hadriani IV. und Alexandri III. gegen Kaiſer Friedrich Barbaroſſa geübt, quem Lutherus praefatione ornavit tom. 8. Jen. Germ. fol. 230. Schardius lib. 1. de fide pontif. erga imperat. Rom. et Turcopapismum lib. 1. c. 12.

387. Argumenta *Anabaptistarum*, quibus contra bellum pugnant, facilem habent ex illis, quae superius dicta sunt, explicationem. 1. Num. 31, v. 50: *Praefecti exercitus post victoriam a Midianitis reportatam afferunt donaria Domino ad expiandum animas suas. Ergo agnoscunt, se in bello gerendo peccasse.* Respondemus: 1. Deus ipse disertis verbis praeceperat, ut contra Midianitas pugnarent v. 1. quomodo igitur obsequendo huic divino mandato peccarunt? 2. Bellum illud vocatur *ultio Domini* v. 3. 3. Deus miraculosam victoriam ex Midianitis ipsis concesserat. 4. Ideo autem donariis *animas suas expiare* cupiunt, quia ex Moyse intellexerant, *se peccasse vivificando*, hoc est in vita conservando *feminas* Midianiticas v. 15 ergo non solum sacrificia eucharistica propter victoriam impetratam, sed etiam sacrificia pro peccatis offerunt. 2. Deut. 32, v. 35: *Mea est ultio, et ego retribuam eis, quod repetitur.* Eccles. 28, v. 1. Rom. 12, v. 19. Hebr. 10, v. 30. *jam vero bella sunt species vindictae.* Respondemus: 1. non minus in V. quam in N. T. vindictam sibi Deus vendicat, jam vero concedunt Anabaptistae, in V. T. bella fuisse licita. Ergo dictum illud non potest opponi bellis legitimis. 2. Apostolus Mosaicum dictum Rom. 12. repetens sequenti statim c. 13, v. 4. jus gladii magistratui intactum relinquit; jam vero ad jus gladii etiam pertinet belli gerendi potestas, quin imo diserte additur, *quod magistratus sit minister Dei vindex in iram illi, qui malum agit.* 3. Distinguendum igitur inter *vindictam licitam et ordinatam*, quae legibus est concessa, utpote si quis vim manifestam a se suisque repellat, si magistratus ratione officii hostes reipublicae coërceat; *et inter vindictam illicitam et inordinatam*, quae contra leges privata cupiditate exercetur, utpote si quis ab alio laesus non confugiat ad auxilium legum et magistratus, sed irae flammis percitus poenas ab adversario sumat. Illam vocant publicam, hanc vero privatam, ubi tamen notandum, quod *publicam vindictam quandoque etiam privatus exerceat*, quando scilicet in subita violentia et oppressione, ubi magistratus auxilium implorari et haberi nequit, latronem interficit, eo enim in casu leges et jura gladium privato tradunt; et vicissim quod *privatam vindictam quandoque etiam persona publica exerceat*, quando scilicet magistratus praeter et contra leges innocentes opprimit, non Dei judicium exercendo, sed cupiditati suae obsequendo. 4. Invertimus igitur argumentum: Deus vindictam ab hostibus suis quandoque sumit *im-*

Anabaptistarum argumenta. 1. Ex dictis V. 1. Num. 31. v. 5 afferunt praefecti donaria ad expiandas animas.

2. Deut. 32. v. 35 Mea est ultio.

mediate, quandoque vero *mediate* per magistratum, ad quam posteriorem exercendae vindictae speciem etiam pertinent legitima bella. 1. Sam. 15, v. 2: *Haec dicit Dominus exercituum: Recensui quaecunque fecit Amalec Israëli, quomodo restitit ei in via, cum adscenderet de Aegypto.* v. 3. *Nunc ergo vade et percute Amalec et anathema fac universa ejus.* 3. 1. Reg. 6, v. 7. *de exaedificatione templi Hierosolymitani sic habetur: Domus (Domini) cum aedificaretur, de lapidibus perfectis allatis aedificata est, et malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo cum aedificaretur, ubi ἀλληγορικῶς significatum existimant, in ecclesia N. T. armorum strepitum non iri auditum.* Respondemus: 1. ex allegoriis non ducuntur firma et appodictica argumenta, nisi ipsa Scriptura monstret applicationem. 2. Haec allegoria non solum praeter, sed etiam contra Scripturam excogitata est. 3. Si id, quod Anabaptistae volunt, ex hoc loco concludi posset, eadem facilitate ex eo inferre aliquis possit, nec malleos, nec secures, quarum itidem textus meminit, Christianis tractare licere, qua ratione multa opificia interciderent, quae tamen ipsimet tractant. 4. Templum principaliter significabat Christum, in quo *tota plenitudo Deitatis habitat corporaliter* Joh. 2, v. 21. Col. 2, v. 9. Potest igitur ad Christum commode hoc applicari, quod templum corporis in utero B. virginis secreto formatum absque manu vel opera viri, quo respectu etiam comparatur lapidi sine manibus a monte abscisso Dan. 2, v. 45 5. Si ad ecclesiam, quae est corpus Christi mysticum, accommodatio fieri debeat, potest ea juxta fidei analogiam hoc modo institui, quod per malleum legis et securim calamitatis pii in hac vita praeparentur, ut sint domus Dei et aeternum ejus habitaculum, in vita vero aeterna haec omnia cessatura et summam tranquillitatem futuram. In *Hierusalem* coelesti, ubi Christus aedificat templum suum, *vox securis vel mallei non auditur*, hoc est nec poena, nec tribulatio sentitur, quia *lapides*, hoc est sancti, qui sunt materia hujus templi, in hoc mundo per tribulationes dolantur. 4, 1. Paral. 28, v. 3. Deus ad Davidem dixit: *Non aedificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator et sanguinem fuderis. Ergo in Christianis Deus improbat bellorum usum.* Respondemus: 1. bella legitima, quae David gessit, vocantur *bella Domini* 1. Sam. 18, v. 17. cap. 25, v. 28. ac Deus dicitur *docuisse manus eis ad proelium* 1. Sam. 22, v. 35. Psalm. 18, v. 35. Ergo bella Davidis Deus non improbavit, quidam igitur haec verba non de sanguine hostium in bellis justis, sed de Uriae et militum, qui cum eo occisi sunt, injuste effuso sanguine accipienda esse statuunt. 2. Quamvis David ipse non aedificarit templum, tamen omnia ad aedificationem templi necessaria paravit et filio suo reliquit 1. Paral. 29, v. 2. 3. Quod autem Salamoni potius quam Davidi aedificationem templi Dominus committere voluit, ex eo est, quod is, qui templum exstruere debebat, futurus erat in eo opere typus Christi, Zach. 6, v. 12. qui est *princeps pacis* Esa. 9, v. 6. ab omni severitate alienus Esa. 42, v. 2. quique non violente homines ad se trahit, sed populum spontaneum per evangelii praedicationem sibi colligit. 4. Si ad ecclesiam ἀλληγορικῶς id accommodare velimus, juxta fidei analogiam eo modo illud fieri potest, quod ecclesia non armis, sed praedicatione evangelii, quod est verbum pacis Ephes. 6, v. 15. sit propaganda.

5. Esa 2, v. 4: *Convertent gladios suos in vomeres et lanceas suas in falces.* Esa. 11, v. 9. c. 65, v. 25: *Non malefacient nec corrumpent in monte sancto meo. Ergo inter Christianos nulla erunt bella.* Respondemus: 1. quidam secuti Hieronymum hoc accipiunt de statu illius duntaxat temporis, quo Christus natus est, quod a bellicis tumultibus liberum et penitus pacificum fuit Luc. 2, v. 1. illud igitur, quod subjungitur, *non levabit gens contra gentem gladium et non discent ultra bellum*, sic explicant, ut non de perpetuitate, sed longo tempore dictum accipiatur. Sed ostendimus superius, describi in genere statum N. T. 2. Alii respondent, *non militiae prohibitionem, sed pacis praedictionem in propheticis hisce dictis proponi. Non prohibet Esaias bellum* (ait Bellarminus), *si sint hostes, qui nos infestent, sed praedicit futurum, ut nulli sint hostes.* Atqui bellum sine hostibus geri nequit, quodsi ergo vi propheticae praedictionis in ecclesia N. T. nulli futuri sunt hostes, utique etiam bellum in eo non erit gerendum. 3. Sunt qui de *spirituali pace* per evangelii praedicationem inter Judaeos et gentes constituenda vaticinia illa accipiunt, de qua apostolus Ephes. 2, v. 14. 4. Quidam etiam de politica pace interpretantur, sed addunt, eam inter ipsos Christianos et gentes, quae evangelium recepturae erant, futuram praedici, nequaquam interim a propheta negari, quod Christiani ab hostibus externis sint oppugnandi, quibus magistratus officii sui ratione tenetur resistere. 5. Nobis commodissima et textui maxime congrua videtur interpretatio ea, quod modus propagandae ecclesiae in N. T. sine caede et sanguinis profusione hic sit praedictus. Opponuntur enim haec vaticinia praxi V. T. in quo religio vi externa et corporali propagabatur, idololatricis gentibus interfectis et excisis, sed in N. T. propheta ecclesiam sine caede et sanguine longe lateque propagandam esse vaticinatur. Ex eo vero inferri nequit, si ob ecclesiae propagationem non sunt bella in N. T. gerenda, ergo nulla plane ratione licebit bellum gerere, quia a remotione unius causae ad reliquarum omnium remotionem, et sic a negatione speciei ad negationem generis non valet collectio.

6. Zach. 9, v. 10: *Messias evertet currus ex Ephraim et equum de Jerusalem, exterminabit arcum militarem. Ergo bella in N. T. sunt prohibita.* Respondemus: 1. si τὸ ῥητὸν in dicto prophetico stricte urgere velimus, pugnabit illud cum praedictione Christi Matth. 24, v. 6: *Audituri estis proelia et rumores bellorum*, v. 7. *consurget gens adversus gentem et regnum adversus regnum.* 2. Quidam ergo distinguunt inter pacem spiritualem

5. Esa. 2, v. 4. c. 11, v. 9. c. 65, v. 25. non occident in monte meo.

XIV. 286.

6. Zach. 9, v. 10: Evertet currus ex Ephraim.

et politicam. In regno Christi praedicitur pax spiritualis et interna, non autem politica et externa. Matth. 10, v. 34: *Non veni mittere pacem sed gladium.* 3. Simplicissime etiam ad hoc dictum propheticum respondetur, quod loquatur de propagatione regni Christi in N. T. quod non sit carnalibus armis ac cruentis bellis, sed sola evangelii praedicatione ac virtute divina in omnes gentes propagandum, ex eo vero inferri nequit, quod magistratui propter alias justas, sufficientes et necessarias causas non sit gerendum bellum, quia evangelium non abolet politias, nec magistratum, nec magistratus officium, ad quod pertinet subditorum defensio et injustae violentiae propulsatio. Vide Balduinum in comm. c. 14. Zach. p. 594.

2. Ex N. T. 1. Matth. 5, v. 22: Qui fratri irascitur etc.

388. Ex N. T. haec proferunt: 1. Matth. 5, v. 22: *Qui fratri suo irascitur, reus erit judicio. Si non licet fratri irasci, multo minus licebit bello ipsum petere.* Respondemus: 1. in quibusdam Graecis exemplaribus additur particula *εἰκῆ*, temere, sine causa, in Syr. אִיכָא, ubi paraphrastes Graecum *εἰκῆ* suae linguae accommodavit, quae sectio probatur Chrysostomo homil. 16. in Matth. et Laurentio Vallae, sic ergo ira temeraria et injusta duntaxat intelligitur prohibita. 2. Quamvis vero Hieronymus in comm. et Augustinus lib. 1. retract. cap. 19. negent, *in vetustioribus codicibus* particulam illam haberi, res ipsa tamen certa est, videlicet a Christo nequaquam omnem omnino iram prohiberi, cum zelus quidam bonus et sanctus a Spiritu sancto commendetur, sed eam duntaxat, quae ex privatae vindictae cupiditate oritur, quae ob leves offensiones a privatis concipitur, quae modum excedit, quae non Dei gloriam sed privatae vindictae expletionem quaerit. 3. Ergo ut quaedam ira, sic etiam bella quaedam licita sunt, in quibus non temeritas ac levitas, sed aequitas et necessitas spectantur.

2. Matth. 5, v. 39: Ne resistatis malo. XIV. 267.

2. Matth. 5, v. 39: *Ego dico vobis, Ne resistatis malo. Ergo prohibet Christianos belligerari.* Respondemus: ostendimus superius §. 278. hanc Christi concionem non divinae legi, quae publicam magistratus vindictam praecipit, sed Pharisaicis divinae legis corruptelis esse oppositam, id quod etiam ex loco apostolico Rom. 13, v. 4. manifestum: *Magistratus est minister Dei vindex in iram illi, qui malum agit.*

3. Matth. 13, v. 29: Sinite crescere zizania.

3. Matth. 13, v. 29: *Ne eradicetis zizania. Ergo contra hostes non sunt bella gerenda.* Respondemus: monstratum fuit superius §. 320. per zizania haereses et eorum auctores in parabola Christi intelligi, quos ob haeresin trucidandos et sanguinis profusione ecclesiam propagandam esse negamus, sed ex eo nequit inferri, quod ob causas alias justas et necessarias bella geri non possint.

4. Matth. 22, v. 7: Rex ipse mittit exercitum, ut perdat homicidas.

4. Matth. 22, v. 7: *Rex ipse mittit exercitum suum, qui perdat homicidas. Ergo magistratus non puniat, nec bella gerat, sed vindictam Deo relinquat.* Respondemus: 1. parabola proprie loquitur de contemtu verbi et vocationis ad nuptias coelestes, quem gladio et bellis haudquaquam vendicandum esse concedimus. 2. Ad exercitus divinitus immissos pertinent non tantum poenae a Deo immediate vel per angelos inflictae, sed etiam eae, quas per magistratum facinorosis irrogat, quia magistratus est minister Dei vindex in iram. 3. Plerique interpretes illud accipiunt de exercitu imperatoris Romani, per quem una cum aliis gravissimis sceleribus contemtus verbi in Judaeis fuit punitus, qua ratione bella contra subditos rebelles a magistratu gesta potius approbarentur. 5. Matth. 26, v. 52: *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt. Ergo magistratus in bello gladium adversus hostes non debet stringere.* Respondemus: Magistratus non arripit gladium proprio ausu ac privata temeritate, sed divinitus sibi datum gladium non frustra portat, Rom. 13, v. 4. ideo stabilitur potius hoc Christi dicto jus gladii et consequenter etiam jus belli magistratui datum, ut ostendimus superius §. 298. 6. Joh. 14, v. 27: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Rom. 12, v. 18: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete.* 1. Cor. 7, v. 15: *In pace vocavit nos Deus. Jam vero gladius est organon irae. Ergo bella, utpote quae paci sunt adversa et sine gladio geri nequeunt, non sunt gerenda.* Respondemus: 1. Christus de pace conscientiae et spirituali loquitur, quae magistratus officium nequaquam tollit vel impedit, statim enim additur, *non quomodo mundus dat, ego do vobis, non turbetur cor vestrum.* 2. Etiam politicae pacis studium Christianis omnibus adeoque ipsi etiam magistratui maximopere debet esse commendatum, sed cum ob improbitatem et injuriam hostium perpetua pace frui non possimus, ideo magistratus necessitate ita exigente gladio et bello pacem quaerit et sectatur. 3. Bellum legitimum et pax habent se tanquam medium et finis, ideo enim *bellum geritur, ut pax acquiratur*, Augustinus epist. 205. 4. Apostolus diserte addit, *si fieri potest* et *quantum in vobis est, pacem cum omnibus hominibus habete*, innuit igitur, perpetuam et non interruptam pacem in hac vita vix esse sperandam, ideoque necessaria defensione et hostilis violentiae repressione quandoque utendum. 5. Gladius est organon irae, ergo merito a magistratu adversus publicos pacis turbatores usurpatur, cum magistratus sit *minister Dei, vindex in iram illi, qui male agit.* 6. Gladius non irae solum, sed etiam justitiae exercendae organum est, cujus administratio cum magistratui divinitus commendata sit, ideo justa et necessaria bella gerere potest. 7. Rom. 12, v. 5: *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* 1. Cor. 12, v. 12: *Corpus unum est et multa habet membra, jam vero membra unius corporis non debent se mutuo destruere.* Respondemus: 1. unitas corporis mystici recte opponitur bellis intestinis, in quibus Christianus sanguis absque justa et necessaria causa funditur, de quibus recte usurpare possis illud propheticum Esa. 9, v. 20: *Unusquisque carnem brachii sui vocat.* 2. Ex eo vero inferri nequit, adversus hostes externos pacem publicam turbantes non posse arma a magistratu capi, quia hostes illi ex-

terni non sunt membra mystici illius corporis. 3. Quando contra eos, qui Christi fidem verbis profitentur, utpote contra rebelles subditos, contra ecclesiae persecutores et pacis publicae turbatores legitima ac necessaria bella a magistratu geruntur, tunc illi hostium loco merito censentur, quia facto ipso testantur, se non esse Christi et verae ecclesiae membra, quidquid verbis et oris professione praetexunt. 8. 2. Cor. 10, v. 4: *Arma militiae nostrae non sunt carnalia.* Ephes. 6, v. 17: *Assumite gladium Spiritus, quod est verbum Dei. Ergo Christiani non debent externa arma tractare.* Respondemus: 1. in priore loco apostolus loquitur de armis illis, quibus apostoli mundum debellarunt et sub Christi jugum redegerunt, ut constat ex verbis immediate subjectis; ea non fuisse corporalia facile concedimus, quia apostoli jussi erant non vi et manu externa, sed evangelii praedicatione mundum debellare Matth. 28, v. 19. Marc. 16, v. 15. ex eo vero inferri nequit, magistratui non competere jus gladii externi et armorum corporalium. Ut enim vocatio et officium apostolorum non tollit vocationem et officium magistratus, sic arma spiritualia, quibus apostoli pugnarunt, non tollunt arma corporalia, quibus magistratus contra hostes pugnat. 2. In posteriore loco apostolus agit non de hostibus corporalibus ac visibilibus, sed de spiritualibus et invisibilibus hostibus. *Non est nobis colluctatio* (inquit) *adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus κοσμοκράτορας τοῦ σκότους αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις* v. 12. Contra illos facile largimur, non esse expedienda arma corporalia, *non enim moventur ad lanceam arma aut loricam, reputabunt quasi paleas ferrum et quasi lignum putridum aes, pro quisquiliis habentur apud ipsos lapides fundae, quasi stipulam aestimabunt missilia et deridebunt hastam vibrantem* Job. 41, v. 17. 18. 19. et 20. ex eo vero inferri nequit, adversus hostes corporales et visibiles non esse pugnandum etiam corporalibus armis. 3. Quemadmodum enim non sequitur: colluctandum nobis est cum hostibus spiritualibus et invisibilibus, ergo non habemus hostes corporales ac visibiles; ita non sequitur: habemus arma spiritualia, ergo non opus est armis corporalibus. 4. Adversus corporales etiam hostes praecipue spiritualia arma, fidem scilicet et preces, expedienda esse concedimus, *plus enim valet unus justus orando quam innumeri peccatores proeliando;* sed ex eo inferri nequit, ergo unice et tantum spiritualibus armis adversus eos pugnandum, quia principale non tollit minus principale. Cum Israëlitae adversus Amalecitas pugnaturi essent, Moyses adscendit in montem ad orandum, Josua descendebat in vallem ad proeliandum, qua ratione insignem ex hostibus referebant victoriam, Exod. 17, v. 9. et 10. Augustinus epist. 205. ad Bonif.: *Alii pro vobis orando pugnant contra invisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros.* 9. Apoc. 1, v. 16: *Christus Johanni apparens gladium ore gestare visus est. Ergo et nos, qui Christi sumus, non in manu, sed in ore gladium gestemus.* Respondemus: per gladium ex ore Christi procedentem significatur verbum Eph. 6, v. 17. Hebr. 4, v. 12. quod alias vocatur *Spiritus oris Christi* Esa. 11, v. 4. 2. Thess. 2, v. 8. hoc gladio Christus ad regni sui propagationem et Satanae ac falsorum doctorum debellationem utitur, eodem etiam omnes sinceri doctores unice debent uti; interim propterea non tollitur officium magistratus, cui gladius corporalis ad defensionem bonorum et poenam malorum divinitus est datus. Ut enim evangelium Christi non abolet politias, ita gladius verbi in regno Christi non abolet gladium corporalem et externum in politiis et regnis mundanis.

Christus in ore habet gladium. XIV. 289.

389. 3. Ex rationibus. *1. Ecclesia primitiva persecutionem passa est, non bello aut armis contra persecutores sese defendit.* Respondemus: Ecclesia primitiva non habuit reges Christianos, ideo recte fecit, quod gladium e manu eorum non rapuit, sed persecutiones patienter sustinuit; postquam vero reges Christo nomen dederunt, recte iidem faciunt, quod officium suum ad ecclesiae defensionem convertunt, cum ex hostibus ecclesiae facti sint ejusdem nutritii. *2. Bella acceperunt nomen a beluis auctore Festo grammatico. Ergo bella gerere beluinum ac ferinum, non humanum, nedum Christianum censendum.* Respondemus: 1. de etymologia belli nondum convenit inter grammaticos. Quidam *a beluis* dictum putant, quidam κατ' ἀντίφρασιν quasi minime bellum. **Bellum quasi *minime bellum* Tolosanus lib. 11. de republ. cap. 1. num. 5. alii a *beluis*, quod *beluarum sit, non hominum in mutuum saevire exitium*, Lipsius lib. 5. c. 3. n. 3. alii a bono ratione finis, quia comparatum est ad constituendam pacem c. Noli existimare 23. q. 1. c. apud 32. q. 2. alii a Belo denominant, qui primus gladium ferreum invenit, Vegetius de bell. cap. 8. alii a *βέλος, telum*, quia bellum telis geritur, Bocerus de bello cap. 3. num. 2.** Conanus 5. comm. jur. civil. cap. 5. a Graeco *βέλος*, quod telum significat, deducit. Sed Scaliger lib. 3. poët. c. 90. p. 360. *a duello* rectius dictum censet, quia fuit initio duellum a duobus, nam licet multi sint milites, duae tamen partes sunt, et inter duos tantum primum bellum fuit, ac quemadmodum dis bis, duonum, donum, bonum sic duellum bellum. 2. Ab etymologia non ducuntur certa et immota argumenta, quia etymologiae quandoque latiores, quandoque contractiores, quandoque per antiphrasin intelligendae. 3. De bellis injustis, temerariis et non necessariis recte dicitur, quod beluarum potius sint quam hominum.

3. Ex rationibus. 1. A primitivae ecclesiae exemplo. 2. A belli nomine probroso.

Candida pax homines, trux decet ira feras,

inquit Poëta. *Temere in acie versari et manus cum hoste confligere, immane quiddam est et beluarum simile,* ait Cicero lib. offic. *Non feris inter se bella sunt, nec si forent, eadem homines decerent placidum proximumque divino genus,* Seneca lib. 2.

controv. 1. p. 42. Ad quaevis autem bella illud applicari nequit, cum in V. T. Deus ipse bella gerere praecepit, quod ne ipsi quidem adversarii negare possunt.

3. A belli incommodo. *3. Denique urgent pacis commoda, belli vero incommoda multiplicia.* Sed ex illis nihil aliud inferri potest, quam pacem esse studiosissime quaerendam et a bellis non necessariis abstinendum. Sciendum vero, quod sit duplex pax et duplex quoque bellum. Est quaedam pax honesta, liberalis, ingenua et tolerabilis, quae bello semper anteferenda; est vero etiam alia pax turpis. ignominiosa, servilis et intolerabilis, in qua plus mali quam in bello, unde propter eam arma merito capiuntur, *πόλεμος ἔνδοξος εἰρήνης αἰσχρᾶς αἱρετώτερος*, inquit Demosthenes apud Stobaeum serm. 48. bellum honestum turpi paci praeferendum. *Fugienda quidem sunt bella*, inquit Polybius lib. 4. *non ita tamen, ut pessima quaeque, ne suscipiamus bella, perpeti velimus, ut fugam, servitutem ac duriora quam sit ipsum bellum.* Deinde est bellum quoddam justum, necessarium et honestum, quod a magistratu suscipi posse dicimus; est vero etiam aliud bellum injustum, temerarium et iniquum, quod nihil aliud est quam latrocinium, a quo omnino abstinendum esse dicimus. **Bellum sic opponitur paci, ut sit etiam ad eam medium. Bellum injustum opponitur paci bonae et ducit ad pacem malam, ideoque tale bellum est vitiosum; sed bellum justum opponitur paci malae et ducit ad pacem bonam, sicut vulnera chirurgi contraria sunt sanitati malae et imperfectae, quam habent aegroti, sed ad bonam et perfectam tanquam
XIV. 270. ad finem perducunt.** Augustinus lib. 4. de civ. Dei c. 6: *Inferre bella finitimis et inde in cetera procedere ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?*

Argumenta Photinianorum. 1. Ex sanctione divina Gen. 9, v. 6. 390. Photiniani tria potissimum argumenta contra bellum proferunt: *1. ex sanctione divina* Gen. 9, v. 6: *Qui sanguinem humanum fuderit, ejus sanguis fundetur.* Socinus in libro, quod Evang. Photinianis se adjungere debeant cap. 3. p. 24: *Antiquissimum ac severissimum Dei praeceptum humani sanguinis non fundendi*, ut habetur Gen. 9. *nihil in tota Christi et apostolorum ejus doctrina mutatum invenitur, nec de eo quidquam remissum sub evangelio esse, deprehendi ullo pacto potest. Ergo in bello non ita licet vim vi repellere, ut hominem interficiamus.* Respondemus: 1. Si ex hac sanctione divina evidenter colligi posset, bella esse simpliciter prohibita, consequens fuerit, eadem etiam in V. T. omnino prohibita fuisse. Videt hoc Socinus, ideo addit, *diversam esse V. ac N. T. conditionem, in eo enim multis modis Deum declarasse, se tunc temporis bellum non improbare, in hoc vero illud penitus sublatum esse.* Sed petitur hac in re principium, quia defensio est juris naturalis, jam vero evangelium non tollit jus naturae. Quae ad adstruendam diversitatis rationem Socinus affert, suo loco ad examen revocabuntur. *2. Tantum abest, ut ex dicto illo Mosaico*, jus belli penitus sublatum esse probari possit, ut contrarium fortissime ex eodem deducatur. Statuit enim divina majestas, quod sanguis illius, qui sanguinem humanum effuderit, *per hominem*, hoc est per magistratum, iterum sit fundendus, quam esse genuinam hujus *προσδιορισμοῦ* sententiam ostendimus superius. Traditur igitur magistratui *jus gladii*, quo adversus homicidas, latrones et alios pacis publicae turbatores utatur Rom. 13, v. 4. jam vero publici latrones injusto bello pacem et quietem reipublicae turbantes sine bello coërceri quandoque non possunt. Ergo vi hujus divinae sanctionis magistratus gladio illis resistere debet. 3. Sic in parabola Matth. 22, v. 7. dicitur, *quod rex misso exercitu suo perdiderit homicidas*, ut significetur, Deum persecutores et hostes ecclesiae quandoque bellis coërcere ac ad debitam poenam pertrahere. Apoc. 13, v. 10: *Qui in captivitatem ducit, in captivitatem vadit, qui in gladio occiderit, eum gladio occidi oportet.*

391. *2. Ex caritatis regula* Matth. 5, v. 44: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* etc. Socinus d. l.: *Apud Evangelicos conceditur, ita vim vi repellere, ut etiam hominem interficere liceat, si aliter vis repelli nequeat, praesertim vero cum bellum injustum nobis infertur, cum tamen Christus* in cap. 5. Matth. *iis, qui nos affligunt et persequuntur, benefacere jubeat.* Ostorodus in instit. c. 27. p. 179: *Is poterit capere* (nostram de bello simpliciter prohibito doctrinam), *cui verba illa Christi, in quibus causam reddit, cur etiam inimicos diligere debeamus, sapiunt, ut sitis filii patris vestri coelestis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Respondemus: 1. *πρῶτον ψεῦδος* Photinianae detorsionis in eo consistit, quod statuunt, Christum suam doctrinam Matth. 5. ipsi legi divinae opposuisse et perfectiora quaedam mandata tradidisse. Sed ostendimus suo loco, non divinae legi. sed Pharisaicis divinae legis corruptelis concionem illam Christi esse oppositam. 2. Verba illa, *odio habebis inimicum*, quibus Christus opponit dilectionis mandatum, *diligite inimicos vestros*, nuspiam exstant in lege Mosaica, sed potius contrarium Exod. 23, v. 4. Lev. 19, v. 17. Prov. 25, v. 21. etc. Schmaltzius contra 7. disp. Frantz. p. 241. duo regerit: Primo *verba illa potuisse exstare alicubi scripta in libro, qui postea periit;* deinde *jure hoc potuisse Christum dicere, id fuisse in lege dictum, quia sensus eorum verborum in lege erat, siquidem*
tunc non tantum licebat, verum etiam interdum necesse erat hostem odisse et de ipso interficiendo XI
cogitare, quod quomodo cum dilectione inimici conveniat, nae is acutus erit theologus qui docere possit et acuta ejusmodi dilectio est, quae interficere alium permittit et jubet. Atqui prius est vana conjectura non solum omni fundamento destituta, sed etiam scripto verbo contraria; posterius est inanis petitio principii, id enim quaeritur, an bella legitima et supplicia facinorosorum cum mandato dilectionis pugnent, quod falsum esse ex sequentibus constare potest. 3. Sic ergo procedimus. Manda-

tum de diligendo Deo et proximo in lege morali traditum praescribit summum et perfectissimum dilectionis gradum. Jubemur enim *Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus et ex tota mente nostra, ac proximum sicut nos ipsos,* Deut. 6, v. 5. Levit. 19, v. 18. jam vero huic perfectioni nihil fuit additum, nec addi etiam potuit in N. T. sed vetus illud dilectionis mandatum fuit repetitum et inculcatum; proinde si bella legitima et facinorosorum supplicia in V. T. non pugnarunt cum mandato dilectionis, utique etiam in N. T. cum eodem minime pugnant. Sed verum prius, ut constat ex eo, quia Deus praecepit utrumque, videlicet proximum diligere et legitima bella gerere. Ergo etiam posterius. 4. Deus est *ipsa caritas,* 1. Joh. 4, v. 8. nec quisquam potest majorem dilectionem habere quam est ea, qua Deus homines complectitur. Jam vero Deus ipse praecepit bella legitima et necessaria et gladium in manus quasi tradidit Josuae et aliis ducibus ac regibus populi Israëlitici. Quodsi ergo cum perfectissima dilectione Dei minime pugnat bellum praecipere, utique etiam cum mandato dilectionis nequaquam pugnabit bellum gerere. 5. Praeceptum de dilectione inimicorum pertinet ad vitam Christianorum privatam et prohibet, ne vindictam privatam ab illis, qui ipsos laedunt et affligunt, sumere velint, ut ex tota contextus serie perspicuum. Ergo non tollit publicum magistratus officium, quia magistratus non privatos, sed publicos ecclesiae ac reipublicae hostes oppugnat. Ita fere respondet Nazianzenus Juliano Apostatae in orat. 1. adv. ipsum instituta, qui itidem calumniabatur, hoc dilectionis praeceptum tollere magistratus officium et evertere politias. Prohibet Christus, ne injurias nobis illatas privato ausu et arbitrio vendicemus, nuspiam vero prohibet, ne magistratus auxilium et defensionem contra eos, qui nos affligunt, imploremus, quinimo ipse provocavit ad officium magistratus, cum a male feriato servulo contra jus et leges caederetur Joh. 18, v. 23. 6. Loquitur Christus de injuriis privatis, quas aequo animo tolerare debemus, ac si magistratus suo desit officio, novas potius injurias admittere parati simus, quam ut ad privatam vindictam prosilire velimus. Sed quando magistratus bella legitima gerit, tunc non privatas, sed publicas injurias subditis fidei suae commissis illatas vendicat, nec privatam, sed publicam vindictam exercet, qua in re suo satisfacit officio, est enim *minister Dei, vindex in iram ei, qui male agit* Rom. 13, v. 4. 7. Virtutes distinctae non sunt sibi invicem opponendae. Caritas et justitia sunt distinctae virtutes. Ergo non sunt sibi invicem opponendae, sed potius subordinandae. Jam vero bella legitima pertinent ad justitiam et judicium, cujus administratio magistratui est commissa. Ergo bella legitima non pugnant cum mandato caritatis. Certe magistratui diserte dicitur Exod. 23, v. 3. Deut. 7. v. 2. cap. 19, v. 13: *Non misereberis* etc. Rom. 13, v. 4: *Vindex est ad iram.* Augustinus epist. 205. ad Bonif. quibusdam similitudinibus declarare conatur, legitimam vindictam, quae per magistratum exercetur, non pugnare cum mandato dilectionis. *Molestus est medicus* (inquit) *furenti phrenetico et pater indisciplinato filio, ille ligando, hic caedendo, sed ambo diligendi. Si autem illos negligant et perire permittant, ista potius falsa mansuetudo crudelitas est.* Idem contra Faustum: *Phrenetici nolunt ligari et lethargici nolunt excitari, sed perseverat diligentia caritatis phreneticum ligare, lethargicum stimulare, ambos amare. Ambo* XIV. 272. *offenduntur, sed ambo diliguntur, ambo molestari, quamdiu aegri sunt, indignantur, sed ambo sanati gratulantur.* Lutherus hac similitudine utitur: *Immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.* 8. Tantum abest, ut legitima bella pro defensione subditorum a magistratu gesta cum mandato dilectionis pugnent, ut ab eodem potius requirantur. Defensio enim subditorum profluit ex amore, quo magistratus subditos suos amplectitur et amplecti etiam debet, propter defensionem bella suscipiuntur ex vero zelo, in quo duo diversi affectus, justum odium erga hostem et amor erga subditos, conjunguntur. 9. Nimirum ut est praepostera quaedam dilectio, ita etiam sanctum aliquod odium. Si parens ad liberorum peccata connivet, praepostera est dilectio 1. Sam. 3, v. 13. si Dei et humani generis hostes odio prosequimur, illud sanctum est odium, Psalm. 139, v. 21: *Nonne qui oderunt te Domine, oderam et super inimicos tuos tabescebam?* v. 22. *Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Ergo ex mandato dilectionis inferri nequit, quosvis homines, adeoque etiam ipsos Dei inimicos ita diligendos, ut eorum conatibus et proterviae nulla ratione resistatur.

392. *3. Ex N. T natura.* Socinus d. l.: *In V. T.* 3. Ex N. T. natura. *licuit vim hostium etiam cum ipsorum occisione propulsare, quia Deus multis modis declaraverat, se id tunc temporis non improbare. Ut enim alia omittam, inter cetera praemia iis proposita, qui legem servassent, hoc etiam erat, quod si hostes adversus ipsos insurrexissent, caesos ante se illos corruere visuri sint,* Deut. 28, v. 7. *Nec mirum, populo enim suo Deus sub V. T. vel promiserat, vel jam assignarat et dederat terrenum regnum terrenamque possessionem, quam ab ipsis defendi ac conservari volebat, quod fieri non potuisset, si hostes in se irruentes armis propulsare et ad internecionem etiam interdum occidere non licuisset. At sub T. N. nullam suo populo terrenam possessionem Deus dedit, imo terra posthabita coelum eos inquirere jussit, et propterea nulla ratione unquam vel per Christum, vel per ejus apostolos declaravit, se hostium invadentium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam approbare.* Ostorodus d. l.: *Is capiet nostram de bello doctrinam, qui intelligit, Deum Christianis non bona terrena, sicut olim Israëlitis, assignasse et distribuisse, sed contra potius mandasse, ut terrestria contemnant, coelestia vero quaerant* Col. 3, v. 2. *cum non habeant hic manentem civitatem* Hebr. 13, v. 14. *ex quo sequitur, quod Christianus*

non magnopere debeat curare terrestria, quin imo certo statuat, ob defensionem terrenorum non esse ullum alteri nocumentum inferendum, multo minus vitam eidem auferendam, quod tamen in bellis fieri constat. Respondemus: 1. πρῶτον ψεῦδος hujus argumenti in eo consistit, quod Photiniani statuunt, Deum in V. T. nunquam revelasse vel promisisse piis vitam aeternam, sed ejus revelationem ac promissionem tantum per Christum in N. T. manifestandam reservasse. Catech. Racov. pag. 232. Schmaltzius contra disp. 7. Frantz. de bonis operib. p. 220: *Vitam aeternam ante Christum nemini fuisse promissam, in novo demum foedere vitam aeternam aperte revelatam et promissam omnibus in Christum credentibus fuisse contendimus*, qui Anabaptisticus error alibi refellitur. 2. Ut in V. ita quoque in N. T. pietas habet praemia *non solum futurae, sed etiam praesentis vitae* 1. Tim. 4, v. 8. atqui ad promissiones hujus vitae pertinet etiam defensio a violentia et insidiis hostium. Ergo ea non minus in N. quam in V. T. piis est promissa. 3. Falsum est, Deum in N. T. nulla ratione unquam vel per
XIV. 273. Christum vel per ejus apostolos declarasse, quod hostium invadentium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam approbet. Nam Christus et apostoli approbarunt officium magistratus. Jam vero officium magistratus requirit, ut subditos suos defendat ac violentiam hostilem ab illis repellat. Utrumque superius fuit demonstratum. 4. Sane in N. T. non est peculiaris quaedam terra ac regio Christianis promissa, sicut terram Canaan in V. T. Israëlitis promissam fuisse constat; ex eo vero inferri nequit, Deum improbare, si regionis defendendae causa a magistratu bella gerantur, quia ut evangelium non abolet politias, ita quoque non tollit ea, quae ad politiarum conservationem sunt necessaria. 5. Quemadmodum obedientia erga legem moralem non solum ad Israëlitas in V. sed etiam ad Christianos in N. T. pertinet; ita quoque promissiones obedientibus factae ac Deut. 28. propositae non minus ad Christianos in N. quam Israëlitas in V. T. pertinent, salvo tamen discrimine generalium ac specialium promissionum. Quamvis enim specialis quaedam promissio de certa regione piis in N. T. data non sit, tamen generales acceperunt promissiones de pane quotidiano, de pace et tranquillitate, de commodis hujus vitae etc. quae tamen cum exceptione crucis sunt intelligendae. Sic apostolus Eph. 6, v. 3. repetens mandatum de honorandis parentibus promissionem eidem adjectam repetit, sed omittit illud, quod erat V. T. speciale, et in genere dicit: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut bene sit tibi et sis longaevus super terram.* 6. Dicta illa, *quod spretis terrenis coelestia quaerere debeamus*, quodque *hic non habeamus civitatem manentem* etc. non minus ad pios in V. quam in N. T. spectant, unde regius propheta contemtum terrenorum ac desiderium coelestium, quo flagrabat, saepius explicat. Psalm. 4, v. 8: *Dedisti laetitiam in corde meo, etiamsi illi frumento et musto abundent.* Psalm. 39, v. 13: *Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei.* Psalm. 73, v. 25: *Quid mihi est in coelo et a te quid volui super terram?* v. 26. *Deficiat sane caro mea et cor meum, petra cordis mei et pars mea Deus in aeternum.* Quodsi ergo ex dictis illis evinci posset, pro defensione regionis terrestris non esse bella gerenda, utique etiam in V. T. belligerari prohibitum fuisset. Perpetua in argumentis Photinianis est confusio vindictae privatae atque publicae, virtutum privatis praescriptorum et officii magistratui commissi. **Erasmus profert ejusmodi rationem: *Arma ecclesiae sunt gladius verbi Dei, scutum fidei, galea salutis, lorica justitiae, jacula orationum* Eph. 6, v. 11. *Ergo Christiani non debent ferro et armis pugnare.* Respondemus: 1. est ignoratio elenchi. Apostolus describit bellum non contra homines, de quo hoc loco est quaestio, sed contra daemones, ut patet ex v. 12. 2. Fallacia oppositorum. Male opponuntur tanquam contraria arma spiritualia et corporalia, quae sunt subordinata et possunt esse conjuncta, ut exempla Moysis Exod. 17, v. 10. et alia ostendunt.**

393. Ceterum dum bella a nobis probantur, nequaquam existimandum est, quaevis bella adeoque etiam injusta, temeraria, non necessaria etc. a nobis probari, sed ea demum probamus, quae sunt *1. necessaria, 2. justa et legitima.* Quando necessitatem belligerandi salus reipublicae exigit, tunc magistratus, cui salutis publicae cura commissa est, arma merito expedit. *Semper justum bellum, quibus necessarium, semper pia arma, quibus nulla nisi in armis spes vitae posita est, omnibus aliis rebus aequis et justis tentatis et oblatis,* Livius libr. 9. dec. 1. sed quando alia ratione aliisve mediis publicae saluti et tranquillitati consuli potest, a bellis temerariis omnino abstinendum, *1. propter egregium pacis commodum.* Hebraei pacem vocant שָׁלֹם, quo nomine etiam in genere *omnem felicitatem* intelligunt, ut innuatur pacis nomini omnem felicitatem esse inclusam. Iidem in expositione solennis benedictionis Num. 6, v. 23. notant, ideo postremo loco in illa benedictione mentionem fieri XIV.
pacis, quia pax est summum et praecipuum bonum, inter omnia scilicet externa, sicut bellum est praecipuum et summum malum, unde proverbialiter dicunt: *Cum non est pax, nihil est.* Augustinus lib. 19. de civit. Dei cap. 11. circa fin.: *Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri*, in quem locum sic annotat Lud. Vives ex Xenophonte in Hierone: εἰρήνη δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις, πόλεμος μέγα κακόν. Marsilius Patav. in defens. pacis c. 1: *Omni regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua et populi proficiunt et utilitas gentium custoditur. Haec est enim bonarum artium decora mater, haec mortalium genus reparabili successione multiplicans facultates protendit, mores excolit.* In pace floret religio et pie-

Quae a no prob tur.

tas, vigent honestae leges, magistratui sua constat **auctoritas salva**, excoluntur literarum studia, administratur jus et justitia, matrimonio suus tribuitur honos, liberorum erga parentes obedientia, virginum castitas et pudicitia, juniorum erga senes reverentia conservatur, agriculturae opera datur, rei pecuariae vacatur, opificia strenue et commercia secure exercentur, augescunt villae, ditescunt subditi, incrementum capiunt urbes; sed in bello omnia adversa et contraria eveniunt. Pacem Graeci poëtae vocant κουροτρόφον, *juventutis altricem*, Hesiodus in ἔργ. βοτρυόδωρον, *uvarum largitricem*, Aristophanes apud Stob. βαθύπλουτον, *opulentam*, Euripides in Cresc. ὀλβοδοτεῖραν, *divitiarum largitricem*, Euripides in Bacch. ταῖς Μούσαις προσφιλεστάτην, *Musis amicissimam*, idem in Suppl. μακάρων θεῶν καλλίσταν idem in Ctes. *justitiae sororem* et Themidis χρυσέαν παῖδα Pindarus olymp. 13. De pacis commodis pulchre Horatius lib. 4. carm. od. 5.

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres almaque faustitas,
Pacatum volitant per mare navitae,
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos et lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperae,
Culpam poena premit comes.

Sic et Mantuanus libr. 8. sylv.

Gloria pace minor, minor est victoria pace,
Atque aliquid pejus pace triumphus habet,

quod desumsit ex Silio Italico:

— — Pax optima rerum,
Quas homini novisse datum, pax una triumphis
Innumeris potior.

Id ipsum aemulatus Lindebergius de pace sic canit:

Pax mortis vita est, pax est cynosura salutis,
Torrens laetitiae, flos rerum, cura salutis
Et fons virtutum et dulcis nutricula vitae.

Apud Ciceronem plurima exstant pacis encomia. *Ad pacem* (inquit) *hortari non desino, quae vel injusta utilior est quam justissimum bellum*, libr. 7. ad Attic. *Quid tam populare, quam pax, qua non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri laetari videntur*, de leg. agrar. *Dulce est nomen pacis, res vero ipsa tum jucunda, tum salutaris*, 13. Philipp. vide plura ejusmodi apud Stobaeum serm. 53. Intuitu horum commodorum princeps pacem non solum quaerat, sed etiam *sectetur*, 1. Petr. 3, v. 11. quin etiam conditiones pacis duriores et iniquiores recipiat, modo non sint turpes et reipublicae saluti adversae. 2. Reg. 18, v. 15. *Ezechias* Assyriorum regi persolvit tributum ex argento in domo Domini et thesauris regis reperto collectum, ut in pace vitam agere liceat. 2. *Propter multiplex bellorum incommodum.* Inter quadrigam poenarum gravissimarum Spiritus sanctus recenset *gladium* sive bellum Jer. 15, v. 3. Amos 4, v. 10. in bello *ideam omnis mali* conspici, recte dixit Thucydides, siquidem in bello violatur regio, turbatur respublica, franguntur vires, opes consumuntur, innocentia vexatur, alitur improbitas, omnia rapinis, caedibus, stupris commiscentur, laxatis pu- XIV. 275.
doris et verecundiae vinculis, morum sanctitas et castimonia profligatur, impius miles sacra profanis miscet, multa hominum millia injuste trucidantur, stupra virginibus et ingenuis mulieribus per vim inferuntur, liberi homines in servitutem abducuntur, omnia ferro, flamma, vastitate consumuntur. Augustinus lib. 1. de civ. Dei c. 5. allegat orationem Julii Caesaris, in qua belli effectus recensentur apud Sallustium de conjur. Catil. *in eo scilicet rapi virgines et pueros, divelli liberos a complexu parentum, matres familiarum pati, quae victoribus collibuissent, fana ac domos spoliari, caedes et incendia fieri, postremo armis, cadaveribus, cruore ac luctu omnia compleri.* ** Aeneas Sylvius cap. 39. Europae: *Ut multa bella sedantur partium egestate, ita non prius inter hos de pace convenit, nisi postquam exustis agris, attritis villis, abactis pecoribus et agricolis interfectis commeatus ac pecuniae contendentibus defuere.*** Croesus apud Herodotum lib. 1. f. 18. ad Cyrum interrogantem, quis ipsi persuaserit, ut cum exercitu invaderet alienam terram, dicit: *Non est quispiam tam amens, ut bellum quam pacem praeoptet, quia in pace filii patres, in bello patres filios sepeliunt. Leges et judicia esse non possunt sublata pace*, inquit Cicero Phil. 8. *nec inter strepitus armorum potest audiri vox legum*, Plutarchus in apophth. Rom. Vide plur. ejusmodi belli incommoda et vituperia apud Erasmum in chiliad. in prov. *Dulce bellum inexpertis. 3. Propter sumtuum in bello necessariorum cumulum.* Cum Archidamus in bello Peloponnesiaco a sociis interrogaretur, quantum pecuniae ad sumtum belli tribuendum esset, respondisse dicitur, *determinato sumtu non agi.* Wer ſein Geld zählen kann, derſelbe fange keinen Krieg an. Qui sufficientibus pecuniis nondum instructi ad bellum prosiliunt, paucis exactis mensibus vel ad expilationes subditorum confugere, vel magno rerum suarum dispendio pacem inire et hostis arbitrio sese subjicere coguntur. 4. *Propter incertum belli exitum.* Bellum facile suscipitur, sed non ita facile deponitur, neque enim in ejusdem potestate est belli initium et finis, *incipere cuivis etiam ignavo licet, deponere non nisi cum victores volunt*, Sallustius in bell. Jugurth. *Ut pecunia nostro arbitrio aleae exposita illico fit alieni juris, incertum, cui sit cessura; ita magistratus et tota ditio in dubiam sortem eventus moto bello conjicitur*, Ludov. Vives in epist. ad Henr. VIII. Angl. reg. *Ut sylvam si quis accenderit, non amplius ad ipsius arbitrium incendium fertur, sed ventis regitur, et obvia quaeque perdit ac consumit; sic bellum excitatum audacia vel ignorantia non amplius in auctorum est manu, sed a fortuna regitur*, Polybius libr. 2. hist. Mars est ἀλλοπρόσαλλος ait Homerus; *Mars communis est, qui saepe spoliantem jam et exsultantem evertit et perculit ab abjecto*, Cicero

pro Milon. Testantur historiae, bella utrique parti saepius fuisse exitiosa et pugnis draconum ac elephantorum similia. *Draco* referente Plinio lib. 8. nat. hist. c. 11. *elephantem circumflexu ambit et nexu nodi praestringit, elephas moriens et corruens pondere complexum elidit.* Sic in bellis temerariis saepe contingit illud, quod est in Sibyllae Erythraeae oraculo:

Κλαίει νικητής, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν.

Quae requirantur ad justum bellum.

394. Ceterum *ad justa et legitima* bella tria requiri dicunt Scholastici: *1. jurisdictionem indicentis, 2. offensionem patientis, 3. intentionem finis convenientis*, Thomas 2. 2. q. 40. art. 1. ad bellum justum requiritur *legitima auctoritas, causa justa, intentio recta.* Astaxanus addit *moderamen debitum.* Raymundus addit duo, *rem et personam;* sed Biel monet, personam includi *in auctoritate*, rem pro qua bellatur, *in causa*, 4. sent. dist. 15. q. 4. Hostiensis omnia requisita reducit ad solam *auctoritatem.* Panormitanus omnia conjungens dicit quin-
XIV. 276. que requiri ad justum bellum: *1. personam*, ut scilicet sit laicus, non clericus; *2. res*, scilicet recuperandas; *3. causam justam; 4. animam* sive intentionem; *5. auctoritatem.* Nos conditiones belli justi et legitimi ad tria principalia capita revocabimus, utpote 1. ad *causam*, 2. *modum* et *3. finem*, si haec tria recte se habeant, bellum ipsum erit justum ac legitimum. *Causae* nomine tum *efficiens*, tum *impulsiva* intelligitur, ejus igitur respectu in bello le-

1. Conditio justi belli magistratus auctoritas.

gitimo requiritur: *1. magistratus* bellum indicentis ac suscipientis *auctoritas; 2. causae*, propter quam bellum suscipitur, *justitia et aequitas.* Magistratus auctoritatem in bello requiri, constat ex dictis Scripturae, quae privatis gladii usum interdictum, magistratui vero divinitus traditum esse testantur Matth. 26, v. 52. Rom. 13, v. 4. 1. Petr. 2, v. 14. etc. Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 74. et citatur c. Quid culpatur etc. 23. q. 1: *Adversus violentiam resistentium sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere aliquid tale, vel in talibus obedire juste ordo ipse constringit* etc. cap. 75: *Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principem sit, exsequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci salutique communi.* Exstat rescriptum Valentin. et Valent. impp. l. un. C. ut armorum usus etc.: *Nulli prorsus nobis insciis atque inconsultis quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* Cum enim privati jus suum apud magistratum persequi possint, ideo ad belli judicium decurrere non debent, Thomas 2. 2. q. 40. art. 1. addit hanc rationem, quod convocare multitudinem non pertineat ad privatum, quinimo cum principis majestatem subditi violent, si armata manu sibi ipsis jus dicere velint, ideo lege Julia ab eo coërceantur. l. 3. lex duodecim. ff. ad l. Juliam majestatis: ***Lege Julia majestatis tenetur,*** *qui injussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit*, quod congruit cum sententia Platonis, qui in suis legibus lib. 12. diserte praecipit: *Si quis privatim sine publico scito pacem bellum fecerit, capitale esto.* In ipsis castris, *qui rem a duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, etiamsi res bene gesserit.* l. Desertorem 3. §. 15. ff. de re militari. Quo pertinet quod jus gerendi belli ad jura majestatis politici scriptores communiter referunt. ***Justum bellum nemo nisi princeps supremus et populus liber potest gerere*, P. Gregorius de republ. lib. 9. cap. 1. num. 14. *Non enim cuilibet fas est aperire illas belli portas*, Lipsius 5. polit. 4. 1. Bellum pars est vindictae publicae, quae ad potestatem a Deo ordinatam pertinet, Rom. 13, v. 4. 1. Petr. 2, v. 14. 2. Potestas illa omne, quod ad perfectam reipublicae administrationem exigitur, exsequi et potest et debet tam turbato quam pacato statu. *Potest,* quia cura reipublicae ipsi omnis commissa etc.; *debet,* quia ideo jus omne et potestatem suam omnem in eum contulerunt subditi, ut ipse quoque omnium curam et defensionem suscipiat. 3. Jus belli indicendi, exercitum conscribendi, delectum militum faciendi est ex regalibus majoribus, cum saepissime ab exitu belli reipublicae exitium aut salus dependeat.**

395. Porismata hujus requisiti sunt. 1. Si inferior oppugnet superiorem et subditi arma capiant adversus ordinarium magistratum, non esse bellum, sed *seditionem.* Lutherus in lib. an milites sint in statu Christiano, constituit tres gradus personarum inter se dimicantium: *1. Aequalis contra aequalem*; *2. superioris contra inferiorem; 3. inferioris adversus superiorem.* Primum et secundum dicit esse concessum, tertium vero prohibitum, *qui enim potestati resistit, ordinationi divinae resistit* Rom. 13, v. 2. quod tamen cum certa explicatione esse accipiendum, idem docet, et inferius in tractatus hujus parte posteriore de subditis agente demonstrabitur. 2. Si manus aliqua sceleratorum coëat sive in terra, sive in mari et excursiones faciant, etiamsi duces suos habeant, non tamen esse bellum, sed *latrocinium*, l. hostes 24. ff. de captiv. et postliminio. *Hostes sunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano, ceteri latrunculi vel praedones appellantur.* l. 118. ff. de v. signif.: *Hostes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos bellum publice decrevimus, ceteri latrones aut praedones sunt*, ubi Goddaeus in comm. latius hanc differentiam declarat. Item si exsilio mulctatus denuntiat publicas devastationes civitati, e qua ejectus est, non est bellum, sed *seditio. 3. Si feminae* imperii fasces gerunt, ad illas quoque jus belli indicendi pertinere, quia pertinet hoc ad jus majestatis. Nec tamen ipsasmet in acie consistere et in castris versari convenit, nisi sint viragines ac heroinae, qualis *Debora* Jud 4. *Semiramis* apud Justinum lib. 1. *Tomyris* apud Herodotum lib. 1. *Amazones* apud Justinum lib. 2. et aliae apud Plutarchum

Poris[mata] ex ca[usa] effici[ente] ducta

XIV. [...]

in lib. de clar. mulieribus. Plato mulieribus ut exercitia alia, sic bella quoque cum viris voluit esse communia, sed id pudicitiae earum parum convenit. 4. Auctoritatem belli indicendi esse penes quosvis magistratus, superiorem non cognoscentes, sive illi sint monarchici, sive aristocratici, sive democratici. Ergo etiam penes liberas respublicas. 5. Subditos illos, qui arma jubente magistratu suo capiunt et militiae opera exercent, legitimum bellum gerere. Cum enim magistratus portet gladium divinitus sibi datum Rom. 13, v. 4. ideo potest eum dare subditis, ut adversus hostes reipublicae eodem utantur, perinde ut carnifici justitiae ministro gladium tradit, quo facinorosum plectat. Cumque princeps solus non possit rempublicam administrare et vindictam publicam erga paucos exercere, multo minus potest solus bellum gerere, ideo subditos suos ad exercenda militiae opera exigente reipublicae salute ac necessitate recte vocat, atque ipsi salva et illaesa conscientia gladio adversus hostes utuntur. Exod. 32, v. 27. cum Moyses Levitis gladium tradit, ut unusquisque proximum suum interficiat, v. 29. *illi manus suas Domino consecrasse dicuntur.* 1. Petri 2, v. 13. conjunguntur *rex et duces ab eo missi ad vindictam,* inde recte monet Augustinus, eum accipere gladium Matth. 26, v. 52. *qui nulla superiore ac legitima potestate jubente vel concedente feriendi causa gladium usurpat.* Contra vero jussa bella dicuntur, quae a summo magistratu, cui reipublicae cura commissa est, aut ab eo, qui a summo magistratu jus ejusmodi habet, indicuntur. 6. Mercenarios etiam milites, hoc est eos qui certo stipendio a magistratu ad militiam conducti sunt, juste gladium adversus hostes stringere, qua de re in qq. plenius.

396. Contra hoc primum belli legitimi requisitum proferuntur quaedam exempla sanctorum V. T. qui absque magistratus auctoritate gladio fuerunt usi, *1. Abrahamus* erat privatus, armavit tamen suos domesticos ac Lothum liberavit Gen. 14, v. 14. *2. Moyses* cum adhuc privatus esset, occidit Aegyptium, qui injusta violentia opprimebat virum Hebraeum Exod. 2, v. 12. ac propter illud factum laudatur Act. 7, v. 24. 3. *Pinehas,* cum nondum esset in publico officio constitutus, scortatorem confodiebat Num. 25, v. 7. et reputatum est illi ad justitiam Psalm. 106, v. 31. *4. Samuel* regem Amalecitarum Agagum occidit, et quidem contra voluntatem legitimi magistratus, scilicet Saulis 1. Sam. 15, v. 33. *5. Helias* interfecit Baalitas rege Achabo nec jubente nec concedente, imo potius resistente 1. Reg. 18, v. 40. Respondemus: primo in genere non exemplis, sed legibus esse judicandum, sunt enim in sanctis quidam heroici et extraordinarii motus, a peculiari Spiritus sancti instinctu et familiari alloquio profecti, qui non faciunt legem communem nec introducunt generalem aliquam regulam, multo minus praecepta generalia evertunt. In specie dicimus *1. Abrahamus* non fuit mere privatus, quod vel ex eo colligitur, quia foedus percusserat cum Aner, Escol et Mambre, qui viri principes et potentes fuerunt, quorum auspiciis etiam milites suos Abrahamus armavit. XIV 278.
Nec ecclesiasticum duntaxat et oeconomicum, sed etiam politicum munus Abrahamum gessisse colligitur ex eo, quod armat ex familia sua 318 vernaculos, qui ex servorum conjugio divina benedictione ipsi nati erant, quem coetum absque politico quodam imperio regere non potuit. Adde quod non arripiat arma πολιορκητικά, *ad vim inferendam*, sed ἀμυντήρια, *ad injuriam propulsandam*, qualia absque expresso magistratus edicto quandoque suscipi posse paulo post demonstrabitur. Denique si consideremus, quam pavido fuerit Abrahamus animo apud Aegyptios rebus adhuc pacatis et tranquillis, non poterit aliter judicari, quam ipsum peculiari Dei mandato ac promissione excitatum fuisse, ut exigua manu quatuor potentes reges et quidem victores aggrederetur, absque enim verbo et promissione Dei tantum animi robur et virtus tam heroica in ipso non fuisset accensa. 2. De *Moyse* respondet Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 70: *Animae virtutis capaces et fertiles praemittunt saepe vitia, quibus indicent, cui virtuti potissimum sint accommodatae, si fuerint praeceptis excultae. Sicut enim agricolae, quam terram viderint licet inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronuntiant et quem montem oleastris sylvescere adspexerunt, oleis esse utilem cultura accedente non dubitant; sic ille animi motus in Moyse vitiosa quidem, sed magna fertilitatis signa fundebat.* Sed cum Spiritus sanctus Act. 7, v. 25. hoc Moysis factum laudet, ideo vitiis annumerari minime potest. Clemens Alexandr. libr. 1. stromat. respondet, *mystas sentire, quod solo verbo Aegyptium interfecerit, quemadmodum Petrus Ananiam et Sapphiram* Act. 5, v. 5. sed huic opinioni refragatur circumspectio ante factum et cadaveris post factum in arena occultatio. ** *Percutere* insuper non est verbo, sed gladio aliisve armis ferire.** Hilarius l. 5. de Trinit. dicit, *Moysen ex naturae affectu Hebraei injuriam morte Aegyptii ultum esse.* **Non erat tunc praesto judex, qui potuisset injuriam avertere, et injuria erat praesens nec moram temporis patiebatur, unde Moysis erat subvenire. Cajetanus ait, *hosce praefectos operum fuisse publicos hostes et oppressores Hebraeorum, ideoque licuisse Hebraeis eos occidere, si possent, perinde ut in bello justo licet hostem et invasorem ubivis occidere.*** Ambrosius lib. 1. de offic. c. 36. *ex caritatis debito id factum esse statuit. Qui non repellit* (inquit) *a socio injuriam, si potest, tam est in vitio quam ille, qui facit, unde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta imbecillis fortitudinis. Nam cum vidisset Hebraeum ab Aegyptio injuriam accipientem, defendit, ita ut Aegyptium prosterneret, quia Salomon ait, Eripe eum, qui ducit ad mortem.* Sed ex Act. 7, v. 25. verissima et certissima responsio petitur, Moysen divinitus vocatum et excitatum fuisse, ut tirocinium muneris sui ac bellicae fortitudinis ederet. *Existimabat, intelli-*

gere fratres suos, quod Deus per manum suam daret illis salutem, fuit ergo non factum hominis privati ex temeritate carnis vel vitiosa radice privatae cupiditatis profectum, sed vocati ad publicum munus divina auctoritate ex heroico impetu et peculiari Spiritus motu gestum, quod considerans Augustinus quaest. in Exod. q. 2. sententiam corrigit. *Factum Moysis non videtur justificandum, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana societate ordinatam, tamen sicut Stephanus dicit: putabat intelligere fratres suos, quod per eum daret illis Deus salutem, ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, hoc audere potuisse. 3. Pineas* fuit filius summi pontificis, cui juxta legem successio debebatur, ergo non fuit omnino privata persona. Praefuisse autem pontifices etiam politicis judiciis, apparet ex Deut. 17, v. 9. cap. 19, v. 7. nec destitutum fuisse Pineam speciali quadam vocatione ad hoc factum heroicum, colligitur tum ex eventu, quia *reputatum est ipsi ad justitiam*, tum ex phrasi, *zelatus est zelum meum* Num. 25, v. 11. qua de magistratibus Scriptura so-
XIV. 279. let uti. Judicia sunt Dei Deut. 1, v. 17. 2. Par. 19, v. 6. *4. Samuel* et *5. Elias* erant prophetae peculiariter a Deo ad sublime illud munus vocati. Complectebatur autem prophetarum vocatio non solum ministerium docendi, sed etiam politica quaedam officia, quae singulari Dei mandato ipsis injungebantur. Sic ergo Samuel et Elias non ut privatae personae mactarunt sceleratos, sed ut personae publicae prophetico munere fungentes et ex speciali Dei mandato partem illam politicae administrationis attingentes. De Samuele 1. Sam. 7, v. 15. expresse dicitur, *quod judicaverit populum Israëliticum cunctis diebus vitae suae.* Ergo judicis officium non plane deposuerat post Saulis in regem unctionem, cumque exstaret mandatum disertum de rege Amalecitarum interficiendo, quod Saul ex inobedientia fuerat transgressus, ideo Samuel ratione officii eidem sese obsequentem praebuit. Elias in interficiendis prophetis Baal secutus est normam divini mandati Deuter. 13, v. 1. et accessisse consensum regis Achabi, ex descriptione illius historiae haud obscure colligitur, Achabus enim convocavit Baalitas et interfectioni eorum coram adstitit, miraculi igitur magnitudine obstupefactus in hunc Eliae zelum tacite consensit, et quomodo Elias universos prophetas Baal occidisset, Jezebeli uxori suae annuntiavit 1. Reg. 19, v. 1.

Qu. 1. An subditi absque consensu magistratus arma capere possint.

397. Quaeritur hoc loco *1. An subditi in nullo plane casu citra auctoritatem magistratus contra extraneum arma capere possint?* Respondemus: Distinguendum est inter bellum *offensivum et defensivum*. Bellum offensivum, quo alios invadant, sine jussu magistratus subditi non possunt suscipere; quod vero attinet bellum defensivum, quo se suosque defendant, in eo distinguendum inter jussum magistratus *expressum ac tacitum*. Expressum magistratus mandatum in tali bello non semper requiritur, sed sufficit quandoque tacitum. Quemadmodum enim licet homini privato in subita violentia et oppressione adversus latronem gladio se defendere, si vel maxime non accedat expressum magistratus mandatum; ita quoque si urbs aliqua subito ab hoste obsideatur et oppugnetur, ac periculum sit in mora, si principis voluntas prius exploretur, licet omnino subditis adversus hostem sese pro virili defendere, quia magistratus et leges tacite jubent, ut in tali casu se et urbem subditi tueantur, unde Hostiensis dicit, *bella injusta esse, quae suscipiuntur aut non mandante, aut tacite approbante magistratu.* Biel 4. sent. dist. 15. q. 4. distinguit *inter auctoritatem juris ac judicis*, atque alterutram earum ad bellum suscipiendum sufficere dicit, ubi enim jus humanum, vel naturale, vel divinum arma capere jubet, ibi juris auctoritas intervenit, si vel maxime principis voluntas expressa non accedat.

2. An episc bella gerere debe

398. *2. An episcopi bella gerere debeant?* Pontificibus Romanis hoc in more positum esse historiae testantur, unde Palingenius de illis canit:

Pontifices nunc bella juvant, sunt cetera nugae,

et Baptista Mantuanus lib. 1. sylvar.:

Roma quid insanis toties? quid sanguine gaudes?
Quid geris imbelli spicula tanta manu?
Quo vesana ruis studioque armaris inani,
Jam senio lassas debilitante manus?
Nec potes antiquos belli nescire tumultus,
Nec solitam rabiem longa senecta docet;
Si foris arma tacent, tu bella domestica tentas,
Nec feritas requiem ferre superba potest etc.
Romanis pater est Mavors, lupa Martia nutrix,
Haec hominum mores ingeniumque docent.

Hostiensis canonista cum multis probasset, episcopis non competere, ut bellum gerant, tandem addit: XIV.
Dicant leges, statuant canones, clament homines quantum volunt, tamen nostri clerici volunt esse militares. Et sane usque a temporibus Adriani papae, qui Carolum M. vocavit in Italiam, episcopi et cardinales nunquam ab armis destiterunt. Julius II. tot cruenta bella gessit, ut intra septennium ducenties millia hominum in illis fuerint interemta. Causae recus. concil. Trid. p. 227. Idem cum exercitum adversus hostem aliquando educeret eundemque in ponte Tiberino praecederet, claves in Tiberim projecit additis hisce verbis:

Cum Petri nihil efficiant ad proelia claves,
Auxilio Pauli forsitan ensis erit.

Arnold Ferron. in annal Gall. **Hodie baculus Aaronis et gladius Nimrodi una manu regitur et una parte clerici, altera parte belli duces salutari cupiunt, altero pugno codicem, altero ensem gestant. Bernh. Zieritz. de princ. inter ipsor. dignit. praerogativ. Jſt alſo dazu gekommen, daß man den Biſchof und Prälaten auf dem Roß gar nicht kennen, in der Kirchen aber ſelten finden kann. Auct. autonom. part. 3. c. 32. p. 432. Glossa c. 23. q. 1. rubr. in

bellic. armis. *Princeps ecclesiasticus potest bellum indicere.* Biel 4. sent. dist. 15. q. 4. p. 315: *Legitima auctoritas judicis intervenit, quando bellum geritur de mandato ecclesiae;* item: *Sacerdotes vel his, quibus bellandi officia sunt commissa, persuadere vel quibuslibet ut ea accipiant, sua auctoritate valent imperare, ut dicit Gratianus c. 23. q. 8. quicunque ex clero* §. *His ita.* Thomas 2. 2. q. 40. art. 2: *Ad clericos pertinet disponere et inducere alios ad bellandum bella justa.* Confer Reinking. de regim. secul. et eccles. lib. 1. class. 2. c. 34. 5. 7. Warem. ab Ehrenb. de regn. subsid. ** Sed opponimus praeposteris illis bellatoribus *1. Christi et apostolorum interdictum.* Cum Petrus in horto oliveti gladium stringeret, audit a Christo Matth. 26, v. 52: *Converte gladium in locum suum.* Paulus de apostolis et ecclesiae ministris dicit 2. Cor. 10, v. 4: *Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum destruentes omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* 1. Tim. 3, v. 3: *Episcopum non decet esse πλήκτην, percussorem.* 2. Timoth. 2, v. 3: *Labora sicut bonus miles Christi,* v. 4. *nemo militans implicat se negotiis secularibus.* In hisce dictis non corporalia, sed spiritualia duntaxat arma personis ecclesiasticis traduntur, quibus evangelii doctrinam propagent seque adversus persecutores iisdem tueantur. *2. Christi et apostolorum exemplum.* Illi enim corporalibus armis adversus hostes suos nunquam leguntur usi. *Si regnum meum esset de hoc mundo,* inquit Christus Joh. 18, v. 36. *ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis.* Hinc Bruschius in manusc. de episcop. Pataviens. referente Wolffio tom. 2. memorab. pag. 585. cum Alberti II. baronis de Winkel episcopi Pataviensis bellum cum civitate Pataviensi gestum descripsisset, subjungit: *Quis non in apostolicis viris (quales esse volunt) studia haec bellica reprehenderet, quos siti sanguinis fervere omnino, praesertim in negotio religionis, non convenit, cum et Christus ipse episcoporum omnium, sed verorum et piorum, non personatorum antesignanus neminem unquam vel gladio vel igne occiderit, sed simpliciter fateatur, se venisse, non ut perdat animas, sed ut servet. 3. Ministrorum ecclesiae officium.* Illud enim cum a politico dominatu sit Christi voce separatum Luc. 22, v. 25. ut in praecedenti tractatu latius ostendimus, ideo potestatem gladii corporalis, ad quem jus belligerandi pertinet, nequaquam sibi arrogare debent. Ministrorum ecclesiae officium est verbum praedicare, sacramenta administrare, pro populo orare, disciplinam exercere etc. qui hasce muneris sui partes diligenter obeunt, illis ad pugnandum nihil quidquam temporis erit relictum. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. duas affert rationes ex officio clericorum ductas, propter quas non conveniat eis arma tractare. *Primo quia bellica exercitia multum impediunt a contemplatione divinorum et laude Dei et oratione pro populo. Deinde clerici ordinantur ad ministerium altaris, in quo repraesentatur passio Christi, ideo non competit eis occidere, sed magis paratos esse ad sanguinem fundendum.* Richardus Angliae rex cum Philippum Bello-
vacensem episcopum, qui contra exercitum ejus mi- XIV. 281.
litem duxerat, acie captum detineret eumque tanquam filium suum pontifex dimitti juberet, Romam misit arma, quae episcopus in acie gestarat, addens haec verba: *Vide, beatissime pater, num haec sit tunica filii tui,* unde papa ita erubuit, ut gratuitam ejus liberationem non postularet ulterius. Helinsh. in chron. Rich. I. *4. Infelicem talium bellorum exitum.* Jacob. Maierus in chron. Flandriae: *Si sapuissent* (inquit) *Ungari an. 1444. legatum Eugenii pontificis ad gladium Spiritus remisissent, quod est verbum Dei, raro res bellica cedit feliciter, cum se illi intermiscent episcopi, qui non jubentur bellum gerere, sed praedicare verbum Dei, interfectus enim et ille Julianus legatus justo Dei judicio poenas luisse videtur* etc. Lonicerus in hist. Turc. de eadem pugna sic scribit: *Certatum est in pugna Varnensi totos dies noctesque tres diu fortuna ancipiti, sed tanto animorum ardore utrinque tantoque impetu, ut caesorum sanguine campi stagnarint. Victoria tandem ad Christianos inclinare visa est ob primos Turcarum ordines disturbatos atque in fugam dilapsos confuseque palantes et imperatorem ipsum trepidantem ac desperabundo similem, tunc antistites, quos in templis ac scholis quam in acie conspici satius fuerat ac decentius ex statione sua hostem fugientem inconsulto persecuti aditu ad nudatos ordines patefacto victoriam et vitam regis totiusque exercitus ac regni Pannonici, imo Europae salutem hostibus prodiderunt.* ** *Gerholdus episcopus Moguntinensis 15. anno 772. in gratiam regum Galliae propria sponte contra Saxones Thuringiam armata manu occupantes cum copiis suis profectus est immemor officii et ovilis sibi commissi, sed misere a Saxone quodam ense perfossus est, inde Saxones de eo tales conscripserunt rhythmos:*

Biſchof Gerhold focht mit dem Schwerdt,
Durchs Schwerdt kam er auch von der Erd,
Drum ihm viel nützer geweſen wär
Er wär gen Chor gegangen denn ins Heer.

Wolffius in lect. memorab. cent. 16. p. 578.** Idem comprobant expeditiones Leonis IX. Julii II. Philippi episcopi Bellovacensis, archiepiscopi Eboracensis, qui totum exercitum perdidit, quem ex monachis, sacerdotibus et rusticis contra Scotos educebat etc. Vide Aventinum in exhort. de bell. contra Turc. suscip. *5. Patrum suffragium.* Inter canones apostolis attributos can. 28. sic decernitur: *Episcopum aut presbyterum percutientem fideles delinquentes aut infideles inique agentes dejici ab officio praecipimus.* **Chrysostomus hom. 4. de verb. Esai.: *Sacerdotis est populum monere, non movere arma, quia gladium mentis, non Martis tenet. Ipsius enim vita in contemplatione Spiritus, non in actione militari consistit.*** Ambrosius in orat. contra

Auxent. et citatur c. Convenio etc. 23. q. 8: *Adversus arma, milites, Gothos quoque lacrymae meae arma sunt, talia enim sunt munimenta sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.* c. Non licet etc. dist. 86. ex concilio Agathensi: *Non licet episcopo manibus suis aliquem caedere, hoc enim alienum esse debet a sacerdote.* Bernhardus epist. 221: *Pugnabimus pro matre* (ecclesia) *armis, quibus licet, non scutis et gladiis, sed precibus fletibusque ad Deum.* 6. *Quorundam ex ipsis Pontificiis consensum.* Zacharias papa ad episcopos Gallicanos venationibus deditos et in militiam proficisci solitos scribit: *Sacerdoti qui pastor est, arma non ferre, nedum quenquam bello occidere licet.* **c. Clericum dist. 50. *duplex est genus militum, ecclesiae et seculi.* c. Nimium. c. Cum a Judaeis c. Non pila. c. clerici c. *Quicunque* c. Reprehensibile c. Si in mortem. c. Convenior. c. Si quis. c. Si vobis. 23. q. 8. c. Clerici x de vit. et honest. Cleric. c. In audientia. x de sentent. ex commun. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2: *Exercitia bellica repugnant illis officiis, quibus episcopi et clerici deputantur.* Biel 4. sent. dist. 15. q. 4: *Sacerdotes propria manu arripere arma non debent.* Papa Gregorius lib. 11. de republ. c. 1. num. 14: *Inprimis injustum haberetur, si clerici, quibus militia secularis interdicta est, militare cogantur et ita a cultu divino abstrahantur.* Bellarminus lib. 3. de laicis c. 14. §. Objicit autem etc.: *Non Christiano, sed monacho bellum interdictum.* Scriptor anonymus in comm. super Apocalyps. conscripto anno 1390. et a Luthero ann. 1528. edit p. 13: *Cruciatam papae a summo pontifice indictam contra Clementem antipapam et ab aliis episcopis exsecutam damnat fides catholica, cum tam sit horrendum sacerdotes vacare hominum occisioni, quam quod milites terreni usurpent dispensare Domini mensae sacramenta.* Similia passim in eo occurrunt.** Aventinus lib. 3. annal. Bojor.: *Quo pacto* (inquit) *victoriam sperare*
XIV. 282. *ausis eo bello, quo sacerdos simul et manus cruore ac caede polluit, et sacrosanctam hostiam impuris manibus sceleratiore mente contrectat.* Petr. Damianus in epist. ad Firm. episc.: *Numquid hoc legitur vel egisse, vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias a Longobardorum feritate est perpessus? num Ambrosius bellum Arianis se suamque ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? nunquid in arma sanctorum quispiam traditur insurrexisse pontificum?* Erasmus in annot. c. 3. Luc. acriter invehitur *in episcopos bellatores.* Budaeus libr. 5. de asse: *An ejus temporis in mentem non venit, cum Petrus Paulusque et eorum sequaces ecclesiae architecti non armorum splendentium fiducia infecti ad proelia grassabantur, sed innocentia freti cetera inermes ad castra Christi tuenda in tumultu flagrantissimae caritatis classico ciebantur?* c. Reprehensibile etc. 23. q. 8. scribit Nicolaus, *reprehensibile valde esse, quod episcopi sunt una in acie contra piratas, cum militum Christi sit Christo servire, militum vero seculi seculo.* Albertus rex Polonorum cum Creslaus Curo Zuanzius episcopus Vladislaviensis multa apud eum dissereret de revocanda expeditione in Turcam, reprehendit ipsum jubens, *episcopum suarum partium meminisse, quae in sacris faciendis consistant, non in gerendo bello.* Cromerus l. 21. hist. Polon. Quae in contrarium afferuntur, facilem habent explicationem. *1. Moyses cum Levitis idolorum cultores interemit* Exod. 32. Respondemus: Moyses fuit dux populi Israëlitici, qui potuit speciali praesertim Dei mandato intercedente alios ad vindictam armare. 2. Deut. 20, v. 2. Num. 10, v. 9. *sacerdotes jubentur esse in castris et buccinis clangere.* Respondemus: pari ratione adhuc hodie ecclesiarum ministri in castris versantur non pugnandi gratia, nisi subitaneus quidam casus et extrema necessitas id flagitet, sed docendi, exhortandi, consolandi, sacramenta administrandi, orandi et ad preces excitandi causa. Carolomannus Francorum dux anno Christi 702. edictum edidit, in quo inter cetera sic statuit: *Nemo sacris initiatus divinoque ministerio mancipatus arma omnino ferat, aut in bellum, aut in hostem pergat. Unus aut ad summum duo episcopi delecti suffragio cum suis sacerdotibus principem comitentur ad bella sacrificandi comprecandique causa* etc. Aventinus lib. 2. annal. *3. Samuel occidit Agagum,* 1. Sam. 15. *Elias Baalitas* 1. Reg. 18. Respondemus: haec facta sunt singularia et heroica. *4. Maccabaei pontificatum et bella gesserunt.* Respondemus: quibusdam improbatur, quod regnum sibi vendicarint, cum ad tribum Juda illud pertinuerit. Sed illustres victoriae divinam ipsorum vocationem videntur confirmare. Quidquid sit, extraordinaria illa et specialia V. T. exempla non possunt generalem aliquam regulam in N. praesertim T. parere.

3. An subditi teneantur obedire magistratui ad quodvis bellum illos vocanti.

399. Quaeritur 3. *An subditi teneantur obsequi magistratui ad quodvis bellum ipsos vocanti?* Respondemus: ut subditorum conscientiis consulatur, distinguendum est inter bellum *notorie injustum* et illud, *cujus causa est dubia vel occulta.* Si bellum notorie injustum magistratus moveat, subditi ab obedientia absolvuntur per regulam apostolicam Act. 5, v. 29: *Oportet Deo magis obedire quam hominibus.* Sic *cursores Saulem circumstantes* jussi a rege interficere sacerdotem Achimelechum recte fecerunt mandati exsecutionem recusando 1. Sam. 22, v. 17. *obstetrices Aegyptiacae* recte fecerunt obedientiam detrectantes mandato regio de abjiciendis Israëlitarum infantibus in profluentem Exod. 1, v. 17. Si vero causa belli adhuc sit dubia vel occulta, subditi observent regulam vulgatam, *tene certum, relinque* XIV. 283.
incertum. Jam vero certum est, quod subditi obedientiam debeant magistratui non praecipienti manifeste impia et injusta. Ergo non curiose et praepostere in belli causas et consilia magistratus inquirant, sed officii sui debitum expleant. Quodsi vel maxime belli causa non sit omni ex parte sufficiens et legitima, subditi tamen a peccato excusantur mandato sui magistratus arma capientes. Sic peccat judex, qui eum, cujus causa nondum satis cognita et examinata, morti adjudicat, sed carnifex sententiae exse-

cutor non peccat, qui morti adjudicatum occidit. quia obsequitur superiori, cujus sententiam in dubio discutere non tenetur. Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 75: *Ne illud quidem* (bellum), *quod humana cupiditate geritur, non solum incorruptibili Deo, sed nec sanctis ejus obesse aliquid potest, quibus potius ad exercendam patientiam et ad humiliandam animam ferendamque paternam disciplinam etiam prodesse invenitur* etc. *Cum ergo vir justus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte possit illo jubente bellare civicae pacis ordinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ratio serviendi.*

400. Quaeritur 4. *An recte faciant, qui a potestatibus mercede ad militiam se conduci patiuntur?* **Danaeus in orat. Dom. explicat. p. 236. refert, Possidonium in vita Augustini scribere, *eum nunquam orasse pro illis, qui mercenariam et quaestuariam militiam extra patriam exercent.* Sed in Possidonio illud non occurrit.** Mercenarios milites penitus videntur damnare P. Martyr class. 4. loc. comm. c. 16. num. 13. **item class 4. loco. 17. num. 8. p. 1746. Erasmus Roterod. sub adag. Bellum haudquaquam lacrymosum et haud annuntias bellum** et Bucanus in inst. loc. 49 p. 788. 1. Tales milites conjiciunt se in pedicas sine causa. Nam si bellum injustum sit, excusari non possunt, cum non obedientia, sed cupiditate ducantur; 2. nisi isti ita facile accurrerent ad tympana, multa bella nec ita temere susciperentur, nec ita diu producerentur; 3. iidem efficiunt, ut patria sua male audiat et laboret odio aliarum gentium, necesse enim est, ut laesus doleat; 4. prodigi sunt vitae suae, quam oportebat conservare; 5. relinquunt vocationes suas, uxores, liberos, familias et curant aliena; 6. exhauriunt vires patriae suae, neque enim credibile est, eos omnes, qui exeunt, redire domum; 7. res est pessimi exempli, vendunt enim quodammodo vitam suam, non justitiae, sed pecuniae causa. At Abrahamus a rege Sodomorum, cui strenuam navaverat operam, nullam praedae partem accipere voluit; 8. laedunt eos, a quibus nunquam laesi fuerant, quod summae est injustitiae, miseri illi, quorum agros et oppida vastant atque spoliant, clamare possent: quid nos afficitis his injuriis? quid nos de vobis sumus meriti? 9. redeunt domum multo deteriores, quam cum exierint, quaecunque enim vident in aliis nationibus nequiter et libidinose geri, imitantur, et ubi redierint, inficiunt patriam suam; 10. pro pretio fundunt sanguinem innoxium, quod Deus exsecratione et exitio dignos pronuntiat Deut. 27, v. 25. Haec quidem omnia recte opponuntur temerariis illis militibus, qui absque ulla causarum et circumstantiarum praevia consideratione quaevis castra spe praedae et cupiditate lucri illecti sequuntur, quive vocationem suam, quam a Deo habent, turpiter deserunt et relictis uxoribus, liberis, artificiis etc. ex impatientia laborum et aerumnarum in militiam abeunt. Interim tamen mercenariam militiam penitus tollere aut damnare non possunt, contrarium enim ostendunt, *1. Baptistae testimonium.* Milites illi, quibus Johannes Baptista respondet, *contenti estote stipendiis vestris* Luc. 3, v. 14. mercenarios fuisse certum est, illos tamen a statu suo minime revocat, sed recte vivendi regulam illis praescribit. *2. Apostoli dictum* 1. Cor. 9, v. 7: XIV. 284. *Quis unquam militat suis stipendiis?* ubi militiam mercenariam cum agricultura et gregum pastura conjungit, quae non sunt res suo genere malae et damnandae. *3. Priscorum exemplum.* Jud. 11, v. 6. Galaaditae ad Jephtham dicunt: *Veni et esto princeps noster et pugna contra filios Ammon.* 2. Reg. 3, v. 7. rex Israël Joram mittit ad regem Juda Josophatum dicens: *Veni mecum ad proelium contra regem Moab, qui recessit a me;* qui respondit: *adscendam, sicut ego sum, sic tu es.* Et quod proprie huc congruit 2. Paral. 25, v. 6. Amasias rex Juda *mercede conducit de Israël centum millia robustorum centum kikar argenti;* hinc Augustinus ser. 19. de verb. Dom.: *Non militare, sed propter praedam militare est peccatum, ideo quadam providentia militibus stipendia constituta sunt, ne dum sumtus quaeritur, praeda grassetur. 4. Simile quoddam cognatum.* Sicut jurisconsultus ad ordinem judiciorum administrandum operam suam offerre et addicere potest magistratui, cui non est subjectus; ita quoque quia oportet tales esse, qui sint ad proelia eruditi 1. Paral. 5, v. 18. ac norint armis violentiam repellere et pacem tueri, quae militandi peritia donum Dei est, ut superius ostendimus, ideo si causa belli sit justa et legitima, tales bona conscientia stipendio mereri possunt. Notandum tamen, quod mercenarii illi milites ante omnia accurate considerare debeant, an bellum ex illa parte, cui operam suam addicere cogitant, sit justum, neque enim illos perinde ut subditos excusat in dubio obedientia, cum non sint ad militandum obligati, sicut subditi.

401. Alterum justi et legitimi belli requisitum est *causae justitia et aequitas.* Quemadmodum enim magistratus non potest contra quosvis privatos arbitrio gladium stringere, sed accedere oportet grave quoddam delictum capitali supplicio dignum; sic magistratus non habet potestatem quovis tempore et contra quosvis bellum indicendi, sed accedere oportet justam, legitimam ac sufficientem causam. Quemadmodum peccat judex morti adjudicando eum, cujus causa nondum satis est discussa et examinata, sic peccat magistratus bellum indicens, quando causa adhuc dubia est et insufficiens, *nam bellum est actus justitiae et summus gradus vindictae publicae.* Quando ergo reges audiunt, veram et justam militiam Deo probari, nequaquam existiment, libera ipsorum cupiditati, libidini ac iracundiae frena laxari ac liberrimam potestatem movendi bella ipsis concedi, sed solicite expendant prudentissimae feminae Abigaëlis verba ad Davidem pronuntiata 1. Sam. 25, v. 28: *Quia proelia Domini proeliaris, malitia*

2. Causae impulsivae belli justitia et aequitas.

ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitae, hoc est caveas a bello injusto et a sanguine innoxio effundendo. Celebratur San Paulini comitis dictum a Dinotho: *Qui vincere cupit*, *Deum aequitate causae et belli a se suscepti in suis partibus habere studeat.*

Frangit et attollit vires in milite causa,
Quae nisi justa subest, excutit arma pudor,

canit Propertius lib. 4. eleg. 6. *Injusta bella tristes et funestos habere solent exitus*, inquit Herodotus lib. 1. Nunquam ergo bellum suscipiatur, *nisi justa ac necessaria subsit causa*, ut heroice dixit Octavianus Caesar referente Cuspiniano in ipsius vita p. 11.

Causae justi belli tres. 402. **Causae belli spectant vel nos ipsos, vel socios nostros. Ad priorem classem pertinent tres causae: 1. cum vim a nobis nostrisque arcemus et sic patriam, libertatem, parentes armis tegimus; 2. cum res nobis vi ablatas repetimus. Non tamen nisi omni remedio deficiente ad arma deveniendum l. ait praeter §. si debitores ff. de his qui in fraud. credit; 3. cum violatos legatos vendicamus. Ad posteriorem cum socios et nobis foedere junctos ab extraneis oppressos liberamus iisque auxilia nostra implorantibus opem ferimus. ** Possunt autem causae justi et legitimi belli ad tria revocari capita. Prima
XIV. 285. causa est *necessaria defensio; 2. justa vindicatio; 3. legitima ablatorum recuperatio*, quas causas conjungere videtur Augustinus libr. 22. contra Faustum c. 75. hisce verbis: *Bellum quod gerendum, Deo auctore suscipitur, recte suscipi dubitare fas non est, vel ad terrendam, vel ad obterendam, vel ad subjugandam mortalium superbiam.* Duas posteriores causas exprimit quaest. 10. in Jos. et citatur c. Dominus etc. caus. 23. quaest. 2: *Justa bella definiri solent, quae ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quae bello petenda est, vel vendicare neglexit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum.* Primam et tertiam causam complectitur Isidorus lib. 18. etymol. c. 1. et citatur c. Justum etc. caus. 23. quaest. 1: *Bellum recte suscipitur vel de rebus repetendis, vel de injuriis propulsandis.* Scholastici tres causas conjungunt. Thomas 2. 2. q. 40. Biel 4. sent. dist. 15. q. 4: *Causa justi belli reducitur ad tres fontes, qui sunt: defensio legum humanarum ac divinarum, patriae ac hominum; correctio malefactorum et injuriantium ac correctio negligentium; recuperatio injuste ablatorum vel detentorum.* Qui dichotomia delectantur, possunt dicere, bellum aliud esse *defensivum*, cujus causa est *necessaria defensio;* aliud *offensivum*, cujus causa est vel *justa vindicta*, vel rerum *injuste ablatarum repetitio.* Potest etiam hoc modo procedi: *Causa belli justi est* vel *defensoria*, vel *vendicatoria.* Vendicatoria vel ob *injuriam* Deo et reipublicae illatam, vel propter *recuperationem* bonorum ablatorum.

1. Necessaria defensio. 403. 1. *Defensionis* causa justum et legitimum a magistratu suscipi bellum, jure divino, naturali ac humano probatur, *quia vim vi defendere omnes leges omniaque jura permittunt.* l. 45. §. 4. ad leg. Aquil. *Hoc ratio doctis et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possunt, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent*, Cicero pro Milon. Justum ergo et necessarium est bellum, quo religio, patria, parentes, uxores, liberi etc. contra vim illatam defenduntur. Hinc recte Palingenius in zodiaco vitae in capric. p. 262:

Ergo decet sapientem uti ratione et amare
Inprimis pacem, pacem complectier omni
Conatu ac studio, nisi forte aliquando coactus
Pugnet pro patria pro seque suisque tuendis.
Tunc venia est dignus, tunc fit sine crimine bellum,
Nam fas jusque sinunt vim vi propellere, fraudem
Fraude, velut meritum merito pensare decorum est.

Cum enim magistratui subditorum defensio ac tutela divinitus sit commissa, ideo gladium itidem divinitus sibi traditum pro subditorum defensione potest jure ac legitime in bello expedire. Ceterum duplex est defensio, cujus causa bella geruntur: *propria et aliena. Propria*, si a subditis, *aliena*, si a confoederatis et oppressis vis illata repellitur. Sunt enim diversa hominum genera, pro quorum defensione magistratus juste capit arma. 1. *Subditi*, cujus defensionis exemplum habetur 1. Sam. 11, v. 11. ubi *Saul* oppidum Israëliticum Jabes Gilead ab obsidione Ammonitarum liberat; 2. Paral. 20, v. 1. ubi contra *Josaphatum* regem Juda congregantur filii Moab, filii Ammon et habitatores montis Seir sive Edomitae, contra quos in bellum progreditur Josaphatus praemissis prius seriis ad Deum precibus, in quibus de justitia causae suae agit v. 10: *Ecce filii Ammon et Moab et mons Seir, per quos non concessisti Israël ut transirent, quando egrediebantur de Aegypto, sed declinaverunt ab eis et non interfecerunt eos*, v. 11. *e contrario agunt et nituntur nos ejicere de possessione, quam tradidisti nobis.* v. 12. *Deus noster, ergo non judicabis eos?* Sic etiam 1. Macc. 3, v. 20. cum Antiochi exercitus Israëlitas oppugnaret, orat *Judas Maccabaeus*: *Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superbia, ut disperdant nos et uxores nostras et filios nostros et ut spolient nos*, v. 21. *nos vero pugnabimus pro* XIV. 286
animabus nostris. De hoc casu defensionis loquitur etiam Christus Joh. 18, v. 36: *Si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei utique certarent*, hoc est armarem subditos ad mei regni defensionem. 2. *Cognati*, Gen. 14, v. 12. cum quatuor reges Lothum filium fratris Abrahae ejusque substantiam in bello abstulissent, *Abrahamus* Lothum cognatum suum proximum defensurus trecentos et octodecim vernaculos domus suae armat. 3. *Confoederati.* 1. Macc. 8, v. 31. Romani ad Demetrium regem scribunt: *Quare gravasti jugum tuum super amicos nostros et socios Judaeos?* v. 32. *Si iterum adierint nos adversum te, faciemus illis judicium et pugnabimus tecum mari terraque.* Aristoteles in rhet. ad

Alex. c. 37: *Oportet injuriam passos pro se ipsis arma capere, aut pro cognatis et beneficis, itemque sociis injuria affectis auxiliari.* 4. *Dedititii vel clientes*, qui in fidem et clientelam sese dediderunt. Jos. 10, v. 6. Gabaonitae, qui Israëlitis sese subjugarant, mittunt ad *Josuam* dicentes: *Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum, adscende cito et libera nos ferque praesidium, convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorraeorum* etc. quorum precibus Josua obsequitur et insignem, imo miraculosam victoriam ab Amorraeis reportat.

404. Quaeritur hoc loco: *1. An in quovis defensionis casu arma expedienda?* Respondemus: minime vero, sed accurate omnes circumstantiae sunt examinandae tum in propria, tum aliena defensione. In propria, 1. ne *adversus magistratum* culpa nostra offensum defensionem paremus, sed culpam potius humili subjectione deprecemur. Quodsi vel maxime extra culpam simus, tamen contra superiorem magistratum ad arma nequaquam temere prosiliamus, sed modis omnibus animum ipsius exulceratum placare studeamus. 2. Ne adversus eos, *qui justis injuriis lacessiti* bellum nobis inferunt, ad arma properemus, sed primo omnium satisfactionem offeramus et controversum negotium delectis quibusdam arbitris componendum nos commissuros promittamus, quodsi oblatam conditionem hostis acceptare noluerit, tum demum defensioni bellicae locus est relictus, ita tamen ut ad satisfactionem animo semper simus parato. 3. Ne adversus eos, *qui potentia ac viribus nobis longe superiores sunt*, temeraria arma capiamus, nec *ἀντιπνέειν τοῖς ἀνέμοισι* conemur, sed quasvis potius conditiones pacis, etiam duriores et rebus nostris adversas acceptemus, quam de summa rei cum certissimo exitii periculo decertemus. Luc. 14, v. 31: *Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere illi, qui cum viginti millibus ad se venit?* v. 32. *alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea quae pacis sunt.* In aliena defensione cavendum, ne dum aliis inservire studemus, ipsimet consumamur. Quamvis enim recte dictum a Tullio lib. 1. offic. *eum, qui non defendit nec obsistit, si potest, injuriae, tam esse in vitio, quam si parentes aut patriam aut socios deserat*; quamvis etiam pium et humanum sit laborantibus et injuste oppressis opem ferre; tamen virium nostrarum semper habenda est ratio, ne pennas ultra nidum extendamus et bellis non necessariis nos ipsos implicemus.

405. Ex quo facile intelligitur, quid respondendum ad quaestionem 2. quando porro quaeritur, *An oppressis, qui nec cognationis, nec confoederationis jure nos attingunt, nec in nostram potestatem sese dedunt, sed humanitatis jure nostram fidem nostrumque implorant auxilium, suppetiae sint ferendae?* Etenim si injuste illos oppressos esse constet, si hostis victoria et felicitas nobis maximo futura sit incommodo aut periculo, si vires nobis suppetant, si foedera aut causae aliae minime impediant, auxilium ipsis ferendum esse nemo ambigit; sed si vel omnia, vel aliqua modo sese habeant contrario, XIV. 287.
aliena pericula non faciamus nostra. Praestat habere dubium amicum quam hostem certum, si is sit potentior.

406. Quaeritur 3. *An ob religionis defensionem arma capienda?* Respondemus: quandocunque et quacunque de causa subditi injuste ab hoste opprimuntur, sive religionis, sive libertatis, sive alius quidam praetextus quaeratur, magistratus eorum defensionem suscipere debet. In tali enim bello non hoc praecipue quaeritur, an religio in se ac per se armis et vi corporali defendenda, sed an subditi ob religionis professionem injuste oppressi a magistratu contra vim illatam sint defendendi, id quod non licitum solum, sed etiam necessarium esse dicimus. 1. Macc. 3, v. 20. cum Antiochus Israëlitas propter religionem oppugnaret, dicit Judas Maccabaeus: *Ipsi veniunt, ut disperdant nos et uxores nostras et filios nostros;* v. 21. *nos vero pugnabimus pro animabus nostris et pro legibus nostris.* Augustinus epist. 50. ad Bonifac. et citatur c. Maxim. caus. 23. q. 3: *Maximianus episcopus Vagiensis auxilium petiit ab imperatore Christiano* (contra hostes ecclesiae) *non tam sui ulciscendi causa quam tuendae ecclesiae sibi creditae. Quodsi praetermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Neque enim et apostolus Paulus vitae suae transitoriae consulebat, sed ecclesiae Dei, quando contra illos, qui eum occidere conspiraverunt, consilium eorum tribuno, ut proderetur, effecit, unde factum est, ut eum ad locum, quo fuerat producendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateretur insidias.* Idem epist. 164. ad Emeritum, et habetur c. Nostri etc. caus. et quaest. dict.: *Nostri* (Catholici) *adversus privatas et illicitas vestrorum* (Donatistarum) *violentias, quas et vos ibi, qui talia non facitis, doletis et gemitis, a potestatibus ordinatis tuitionem petunt, non qua vos persequantur, sed qua se defendunt.* Proinde si patriam, si libertatem, si fortunas adversus injustam hostium vim defendere licet, quidni etiam religionem defendere liceat, unde pro aris et focis pugnare veteri proverbio dicuntur, qui se suosque justo bello defendunt.

3. An ob religionis defensionem arma capienda.

407. 2. *Vindictae publicae* causa legitimum a magistratu bellum geri, constat ex dicto apostolico Rom. 13, v. 4: *Non frustra portat gladium, sed minister Dei est, vindex in iram illi, qui male agit.* Colliguntur autem ex V. T. duo genera delictorum, propter quae coërcenda ac punienda magistratus bellum suscepit. Unum est *ecclesiasticum*, alterum vero *politicum*. Ecclesiasticum est gentis vel civitatis cujusdam idololatria. Deut. 13, v. 12: *Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, aliquos dicentes:* v. 13. *Egressi sunt filii Belial de medio tui et averterunt habitatores urbis suae ac dixerunt: Eamus et serviamus diis alienis, quos ignoratis.* v. 14.

2. Legitima vindicatio.

Quaere solicite et diligenter rei veritate perspecta, si inveneris certum esse, quod dicitur, et abominationem hanc opere perpetratam in medio tui, v. 15. *statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii ac delebis eam* etc. Idem vero judicium esse debet de hac lege, quale de praecedente in eodem capite, quod pseudopropheta ad idololatriam populum illiciens sit interficiendus, de qua egimus superius. Politica delicta, propter quae bella gesta sunt, inveniuntur complura. *1. Legatorum violatorum.* Cum enim legati jure gentium sint inviolabiles, ideo legatorum violatione jus gentium violatur et summa magistratui leganti ignominia irrogatur, quam armis vendicare jure potest. 2. Sam. 10, v. 4. 1. Paral. 19, v. 4. Hanon rex Ammonitarum Davidis legatos insigni contumelia afficit, quam justa severitate David vendicat. *2. Pactorum violatio.* Cum enim foedera et pacta sint juris gentium, ideo eorum violatione jus gentium violari jure censetur. 2. Reg. 3, v. 6. Mesa
XIV. 258. rex Moabitarum discedit a foedere, quod inierat cum regibus Israëliticis, ideo *Joramus* rex Israël mittit legatos ad Josaphatum regem Juda dicens: *Rex Moab recessit a me, veni mecum in proelium.* 3. *Cum hostibus conjunctio.* 2. Sam. 8, v. 5: *Venit Syria Damasci, ut praesidium ferret Adarezer regi Soba* (Davidis hosti) *et percussit David de Syria viginti duo millia virorum et facta est Syria David.* Qui enim hostibus in bello sese conjungit, eodem cum hostibus loco merito habetur. *4. Publicorum flagitiorum neglecta vindicatio.* Cum enim magistratus divinitus constitutus sit, ut externam disciplinam tueatur et notoria flagitia honestatem et tranquillitatem publicam turbantia puniat, ideo si in hoc officio negligens deprehenditur, divino judicio bellis quandoque involvitur. Jud. 20, v. 13. mittunt *Israëlitae* legatos ad tribum Benjamin et sceleratos homines ad supplicium poscunt, quod cum facere recusarent, bello eos invadunt. Bella, quibus Israëlitae speciali mandato divino intercedente Cananaeos aggressi sunt, fuerunt poenae scelerum et flagitiorum, quibus impia et idololatrica gens fuit immersa. Levit. 18, v. 25: *Visitabo scelera illius gentis, quibus terra est polluta, ut evomat habitatores suos.*

Quaestiones de vindicta. 1. An ob quamvis vindictam bella movenda.

408. Quaeritur hoc loco: *1. An ob quamvis vindictam bella statim movenda?* Respondemus: minime vero, sed 1. si offensae sunt leviores, quae absque publicae salutis et auctoritatis detrimento condonari possunt, tunc praestat poenam remittere. 2. Si offensio a persona una vel altera proficiscatur, propter illam toti regioni vel civitati non statim inferendum bellum, ne innocentes alienam culpam luere cogantur. 3. Si is, qui laesit, viribus est superior, tum praestat injuriam dissimulare quam periculo se et sua exponere. 4. Si is, qui laesit, ad satisfactionem vel legitimum causae cognitionem sese offerat, *in eum enim, qui jure agere et satisfacere paratus est, nefas est bellum sumere tanquam in injurium*, ait Thucydides lib. 1. 5. Si vel maxime hostis non offerat satisfactionem, tamen cum bellum sit medium vindictae grave et periculosum, ideo prius pacifice ab hostibus debita satisfactio petenda est, antequam bellum inferatur.

2. An hoste satisfactionem offerente alter pars desistere bello cessare.

409. *2. An si hostis nolit initio satisfacere, postea tamen bello jam inchoato pacem petat et satisfactionem offerat, alter teneatur a bello cessare?* Cajetanus statuit, quod *ante bellum inchoatum* teneatur quidem satisfactionem acceptare, *post inchoatum* bellum vero nequaquam, sibi enim imputet, quod media et tempus pacis neglexerit. Sed rectius distinguitur inter *strictum justitiae rigorem* et inter *blandum Christianae caritatis fervorem.* Si strictum justitiae rigorem expendere velimus, princeps, qui justam belli causam habet, non tenetur satisfactionem, praesertim post inchoatum bellum, acceptare, quia gerit personam judicis, et vindex scelerum divinitus constitutus est; sed quia bellum est supplicium gravissimum, quo non solum is punitur, qui peccavit, sed etiam multi innocentes simul e medio tolluntur, ideo caritas Christiana exigit, ut a bello cessetur, quando debita satisfactio offertur, nisi bono communi magis expediat, eum, contra quem pugnatur, funditus exstirpari, quales olim erant Cananaei, quos Deus jussit penitus deleri Deut. 20, v. 17. Quodsi princeps obvertere velit, *se jamdum magnos belli sumtus fecisse, ideoque a bello cessare sibi integrum non esse*, audiat quid homo Dei ad regem Amasiam dicat 2. Paral. 25, v. 9. cum enim rex a bello abstinere jussus diceret: *Quid fiet de centum talentis, quae dedi militibus Israël?* respondit illi propheta: *Habet Dominus, unde tibi dare possit multo his plura.*

3. An infideles barbaros XIV. sine c[ausa] bello petere liceat.

410. Quaeritur 3. *An infideles et barbaros populos, qui nulla injuria nos affecerunt, bello invadere liceat?* Notum est, qua crudelitate Hispani Americanos, a quibus nunquam laesi fuerant, tractarint, de qua ex Ludov. Granatensi, Bartholomaeo de la Casa, Lipsio et Acosta diximus in tract. de eccles. §. 188. quibus addendum illud Wilhelmi principis Auraici in apol.: *In Indiis Hispani plusquam vicies centenas myriadas hominum crudelissime necarunt, idque tam portentosa crudelitate, ut omnes omnium temporum crudelitates ac tyrannides, de quibus aut audivimus, aut legimus, ludus jocusque sint prae illorum in Indos immanitate, quemadmodum editis ea de re libris ipsorummet episcopi ac doctores testatum reliquerunt.* Sed opponimus hisce bellis defectum 1. *mandati divini.* In V. T. jusserat Deus Cananaeos gentem idololatricam et impiam bello invadere et exstirpare, sed in N. T. de infidelibus ac barbaris bello oppugnandis nullum habemus Scripturae testimonium. *2. Modi legitimi.* Christus et apostoli religionem non propugnarunt armis, nec armis propagandam docuerunt. *3. Causae justae.* Absunt hic omnia, quae justum ac legitimum bellum faciunt. Nec enim defensionis gratia contra infideles talia bella geruntur, nisi forte vicinorum oppressione viam ad nos affectant, quo in casu merito reprimuntur; nec injurias illis, a quibus infestantur, unquam intulere; neque quidquam, quod

armis recuperandum sit, ipsis eripuere, hic ergo locum habet illud Augustini lib. 4. de civ. Dei cap. 6: *Inferre bella finitimis et inde in cetera procedere ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?* Quae in contrariam partem afferuntur, fallaciam consequentis conjunctam habent omnia. Non enim sequitur, *justum est, ut Christiani utpote meliores imperent ethnicis utpote deterioribus. Ergo hi ab illis armis sunt subigendi. Religio et vita infidelium sunt corrigenda. Ergo armis sunt invadendi. Delicta ipsorum punienda. Ergo nobis licet bello eos invadere.* In consequente semper plus subsumitur, quam antecedens permittit. Refero huc locum ex Bellarmino lib. 3. de laicis c. 15. § Secunda conditio etc. *Princeps* (inquit) *non est judex nisi hominum sibi subditorum, ergo non potest quaecunque peccata aliorum hominum punire, sed solum ea, quae cedunt in detrimentum populi sibi subjecti. Nam etsi non est judex ordinarius aliorum, tamen est defensor suorum et ratione hujus necessitatis efficitur esse quodammodo judex eorum, qui suis injuriam fecerunt, ita ut possit eos gladio punire.* Haec Bellarminus, quae quomodo cum donatione Alexandri VI. qui Lusitanis Indiam orientalem, Hispanis occidentalem bello acquirendam et occupandam mirabili liberalitate donavit, conciliari possint, ipse viderit.

in pter atum reitui ısl- ı bel- ıjuste ıra-

411. Quaeritur 4. *An propter negatum exercitui per terram alienam transitum domino illius terrae juste inferatur bellum?* Affirmat Augustinus q. 44. in Numeros. *Notandum est* (inquit), *quemadmodum justa bella gerebantur, innoxius transitus negabatur, qui jure humanae societatis aequissimo patere debet.* Justitiam ergo belli inter Sihonem Amorraeorum regem et Israëlitas Num. 20. ex negato transitu deducit. Hanc Augustini sententiam glossa juris canonici. c. Notandum etc. caus. 23. q. 2. confirmat ex jure civili. l. in summa. ff. de aq. pluvia coërcenda, ubi permittitur aliquid in agro alieno, modo id fiat sine possessoris nocumento. l. per agrum C. de servitutibus, ubi Maximianus et Diocletianus decernunt, *ut via publica utaris, nemo potest prohibere.* At hoc Israëlitae tantum petebant, ergo repulsi juste bellum susceperunt. Sed justitia hujus belli Israëlitarum cum Sihone ex alio capite rectius deducitur, egressus ipse erat e finibus suis cum exercitu et Israëlitis injuriam inferebat, Jud. 11, v. 20. merito igitur arma adversus ipsum capiebant. Dubium enim adhuc est, an propter transitum negatum recte capiantur arma, cum alia ratio sit *privatorum hominum*, de
. 290. quibus jus civile agit, alia vero *totius exercitus*, sed de his jurisconsulti plenius.

ıbla- ım ıpe- o.

412. *3. Ablatorum et injuste possessorum recuperationem* esse justam belli causam, constat ex jure divino et humano, quod rapinas et injustam alienorum bonorum possessionem prohibet. Id ipsum colligitur ex defensione subditorum et provinciae magistratui demandata. Si enim princeps totum imperium salvum esse velit, non ferat, ut singulae ejus partes sensim decerpantur, quia sublatis partibus tandem etiam totum interit. 1. Sam. 30, v. 16. cum Amalecitae oppidum Sicleg incendissent ac captivas duxissent mulieres, *David* ipsos insequitur et ad internecionem usque caedit. 1. Reg. 22, v. 3. 2. Par. 18, v. 2. *Achabus* rex Israël dicit ad servos suos: *Ignoratis, quod nostra sit Ramoth-Galaad, et negligimus tollere eam de manu regis Syriae?* quod huic bello eventus exoptatus minime respondit, Achabi impietati tribuendum. Notandum tamen, quod ea, quae juste nobis erepta sunt, bello neutiquam reposcenda, quodque cum potentioribus ob recuperationem amissorum temere non sit confligendum, ne dum partem quaerimus, totum interim amittamus.

413. Atque haec dicta sint de justis ac legitimis belli causis, ex quibus facile potest fieri judicium *de injustis et illegitimis causis*, quia verum est sui et obliqui index. Chemnicius ex verbis Johannis Baptistae Luc. 3, v. 14. erudite colligit tria injustorum bellorum genera: *1. ex concussione*, quando quis ideo bellum infert, quia est potentior; *2. ex sycophantia*, quando sine justa causa praetextu quaeritur, vere enim dixit Polybius: *In bellis aliud est αἰτία*, aliud *πρόφασις; 3. propter praedam.* Testantur historiae et comprobat experientia, causas bellorum manifestas, quae exterius praetexuntur, ab occultis, quae intus premuntur, saepius toto coelo dissidere. Ambitio, avaritia, ira, dominandi, habendi et ulciscendi cupiditas multorum bellorum causae sunt, quae ob id raro felici terminantur exitu. Accidit enim plerunque ambitiosis et avaris illis bellatoribus, quod camelo, *qui cornua desiderans etiam aures perdidit.* Princeps quidam Tartarorum regem Rutenorum non necessarium bellum sibi moventem in proelio captum interfecit et ex calvaria ipsius poculum inauratum fieri curavit, cui haec verba inscripsit: *Hic aliena appetendo amisit propria.* Pyrrhum gloriae cupiditas et profunda imperii libido difficillimis bellis implicuit ac tandem perdidit, Plutarchus in Pyrrho. **Illegitimae bellorum causae sunt variae. *1. Ambitio et avaritia.* Scythae ad Alexandrum M. ex ambitione bella moventem: *Si dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, orbis te non caperet, altera manu orientem, altera occidentem attingeres*, Curtius lib. 7. p. 167. *2. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas et libido dominandi.*** Cogitent vero Christiani ac pii principes, serio inquam cogitent, gravissimam Deo reddendam rationem, si bella non necessaria moverint, si populos fidei suae commendatos hostium praedae exposuerint, si illorum sanguinem, pro quibus Christus sanguinem suum fudit, temere profundi curaverint. *Bonus princeps*, inquit Seneca, *alieno sanguini tanquam suo parcit et scit, homini non esse homine prodige utendum.* Ac probe notandum, quod Scholastici recte disputant, *eum, qui injustum movet bellum, non posse bona conscientia possidere, quae bello sunt acquisita, sed teneri ad restitutionem*, qua de re annotabimus quasdam conclusiones ex

Biele 4. sent. dist. 15. q. 4. *In bello*, inquit art. 2. *pro rebus repetendis moto bellantes tenentur restituere, quidquid ultra res recuperandas et damna passa et labores atque expensas ab hostibus acquisivere.* art. 3: *Omnis bellator in bello injusto extra casum praecedentis conclusionis tenetur ad restitutionem ablatorum ac omnium damnorum adversariis ac sibi adhaerentibus illatorum.* art. 5: *Dominus gerens bellum injustum subditis suis cum bona fide*
XIV. 291. *sequentibus tenetur ad restitutionem omnium damnorum eisdem ab adversariis occasione belli illatorum.* art 7: *Subditi in dubio bellantes ex obedientia superioris, postquam cognoverint, bellum injustum fuisse, tenentur omnia quae habent restituere, non autem consumta existente bona fide.* art. 8: *Non subditus veniens ad bellum injustum tenetur ad restitutionem damnorum injuste impugnatis illatorum.* art. 9: *Ad restitutionem tenentur, qui damnificant etiam in bello justo innocentes, qui adversariis nec auxilium, nec favorem praestant.* Haec Biel, quae ex ipsis juris divini fontibus deducta magnates absterrere debent, ne ex ambitione et avaritia non necessarium aliquod bellum moveant. Addenda tamen triplex limitatio: 1. si bellum sit vitiosum ratione intentionis tantum, hoc est si adest auctoritas publica et causa justa, deest autem intentio recta, tum non obligantur bellum gerentes ad restitutionem; 2. si adsit ignorantia invincibilis, non tenentur milites ad restitutionem; 3. si non potest restitutio fieri veris possessoribus, fiat pauperibus.

3. Conditio justi belli modus legitimus.

414. 3. Tertium justi belli requisitum est *modus belli legitimus.* Non enim sufficit, bellum a magistratu ex causa necessaria et justa suscipi, sed oportet etiam legitimo modo illud geri, juxta illud vulgatum: *Quod justum est, juste exsequaris.* Exod. 17, v. 11: *Cum levaret Moyses manum, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec;* ergo non sufficit, ut justa belli sit causa, sed ipsam quoque belli gerendi rationem oportet esse piam et rectam. Jos. 7, v. 4. succumbunt Israëlitae, quamvis ex Dei mandato justissimum bellum contra Cananaeos gererent, quia peccabant, non quidem *in causa* belli, tamen in ipso bello. Jud. 20, v. 18. confidunt Israëlitae suis viribus et causae bonitati, nec a Deo auxilium petunt, ideo aliquoties profligantur. Haec et similia manifeste docent, ad magistratus auctoritatem et causae aequitatem in bello justo oportere etiam modum legitimum accedere. Proponimus autem de modo belli gerendi hunc generalem canonem: *Bellum gerendum est pie, juste, prudenter ac fortiter.*

Ad quem pertinet 1. Pietas.

1. *Pietatem* in bello requiri, colligitur tum ex *generali regula*, quod pietatis omnium actionum nostrarum debeat esse directrix ac norma; tum ex *promissione divina*, quod pietas habeat *praemia praesentis et futurae vitae.* 1. Tim. 4, v. 8. *tum ex sanctione illa divina*, quod *sacerdos* tanquam pietatis magister ac dux *ante aciem stare debeat*, Deut. 20, v. 2. *Cum progressus fueris in bellum adversus hostes*, dicit Dominus ad populum Israël Deut. 23, v. 9. *observa* sive cave tibi מִכֹּל דָּבָר רָע *ab omni re mala*, ab omnibus flagitiis cum lege Dei pugnantibus, ne victoria propter impietatem priveris et hostibus tuis praeda fias.

415. Ceterum pietas illa complectitur 1. *veram et sinceram ad Deum conversionem.* Cum enim bellum in Scripturis passim referatur inter poenas peccatorum *ac divina providentia soleat corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere,* Augustinus lib. 1. de civ. Dei c. 1. ideo primo omnium per veram poenitentiam cum Deo debemus redire in gratiam, quoties belli necessitatem humeris nostris incumbere animadvertimus. Insigne hujus rei exemplum nobis proponitur in Josaphato 2. Paral. 20, v. 3. Cum enim *Josaphatus* audiret: *Venit contra te multitudo magna de his locis, quae trans mare sunt, ipse totis viribus se contulit ad quaerendum Dominum et praedicavit jejunium universo Juda,* ut populus externa illa jejunii paedagogia admonitus in se descenderet, peccata agnosceret et pro aversione poenae ardentius oraret. *Salomon* Prov. 21, v. 31. dicit: *Equus paratur ad proelium, Dominus autem tribuit victoriam*, necesse igitur est, ut ad Deum convertamur et ipsi reconciliemur, alias omnis victoriae spes erit vana ac frustranea. *2. Auxilii divini implorationem.* Dona Dei nonnisi per preces ex poenitente ac fideli corde profectas a nobis obti- XIV. 2
nentur, jam vero victoria est insigne Dei donum, ut superius ostendimus. Ergo precibus a Deo victoria est petenda. Preces illae de justitia causae propter quam bellum suscipitur, etiam nos admonent, quod ita comparata esse debeat, ut non vereamur eam in ipsius Dei conspectu in precibus exponere. Exod. 17, v. 9. cum Josue contra Amalecitas pugnaret, *Moyses* interim manus ad Deum extendit. 1. Sam. 23, v. 2. cum Philistaei Kegilam oppugnarent, *David* consulit Dominum, an in proelium contra eos descendere debeat? idem facit 1. Sam. 30, v. 8. 2. Sam. 5, v. 23. sic per preces *os Domini rogare* convenit, antequam bellum suscipiatur. 1. Par. 5, v. 20: *Traditi sunt Agareni in manus Rubenitarum et Gaditarum etc. quia hi Deum invocaverunt, cum proeliarentur.* 2. Paral. 20, v. 6. cum ab hostibus gravissimum immineret periculum, orat *Josaphatus*: *Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in coelo* etc. v. 12. *in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid facere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus.* v. 13. *omnis autem Juda stabat coram Domino cum parvulis et uxoribus et liberis suis.* Esa. 37, v. 4. cum Sennacherib Hierosolymam obsideret, mittit rex *Ezechias* ad Esaiam dicens: *Leva orationem pro reliquiis, quae repertae sunt*, ipse etiam v. 16. ardenter orat. 1. Maccab. 3, v. 44: *Congregatus est conventus, ut essent parati in proelium et ut orarent et ut peterent misericordiam et miserationes.* v. 53. dicunt, *quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adjuves nos?* Illorum exemplis insistere nos oportet,

si feliciter bellum gerere cupimus. *Armanda mens erit fide et manus prece et vita castis moribus.* Fecerunt id ipsum *Romani* gentilium superstitioni dediti, quibus si quando in hostes eundum esset, *supplicationes publicas* ad deorum templa indicebant. 3. *Fiduciae in solum Deum collocationem.* Quamvis enim causa belli sit justa atque omnia ad bellum necessaria in parato habeantur, tamen non confidendum est bonitati causae nec militum copiae nec humanae prudentiae aut potentiae, sed solius Dei auxilio ac praesidio, quod cum Jud. 20, v. 18. Israëlitae contra Benjaminitas pugnaturi negligerent, aliquoties profligati sunt. De praesentia Dei in bellis legitimis praeclara exstat promissio Deut. 20, v. 4: *Non pertimescat cor vestrum, quia Dominus Deus vester in medio vestri est et pro vobis contra adversarios dimicabit*, illam vera ac firma fide in bello necessario ac legitimo princeps amplectatur, inque solo Dei praesidio omne perfugium habeat constitutum. Psalm. 20, v. 8: *Hi in curribus et in equis confidunt, nos autem nominis Domini Dei nostri recordabimur*, v. 9. *ipsi incurvabuntur et cadent, nos autem stabimus et exaltabimur.* Psalm. 27, v. 1: *Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?* v. 3. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si consurgat adversum me proelium, in hoc ego sperabo.* Psalm. 44, v. 6: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu et in nomine tuo conculcabimus insurgentes contra nos.* 1. Macc. 3, v. 19: *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de coelo fortitudo est* etc. 4. *Pacis oblationem.* Pium est et humanum, omnia prius media pacis tentare quam arma capere. Praecepit hoc Deus ipse populo suo Deut. 20, v. 10: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.* Sihonem regem in Hesbon tradiderat Deus cum tota regione in manum Israëlitarum, interim tamen Moyses *mittit ad eum legatos* דִּבְרֵי שָׁלוֹם, *verbis pacis sive pacificis*, Deut. 2, v. 26. Sic Jud. 11, v. 12. Jephtha mittit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui dicerent: *Quid mihi et tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?* Similia exempla exstant 2. Reg. 14, v. 10. ubi *Joas* rex Israël a rege Juda Amasia ad bellum provocatus respondet: *Sede in domo tua, quare provocas malum, ut cadas tu et Juda tecum?* 2. Paral. 35, v. 21. ubi Nechao Aegypti rex ad *Josiam* regem Juda in occursum sibi procedentem dicit: *Quid mihi et tibi est rex*
93. *Juda? non adversum te hodie venio.* Conjunge 1. Maccab. 15. Bellum est unum ex atrocibus et saevis remediis, quae adhibenda non sunt, nisi summa exigat necessitas, perinde ut medici non urunt aut secant, nisi totius corporis salus periclitetur. *Romani*, inquit Varro libr. 2. de vit. popul. Rom. *bella et tarde et nulla licentia suscipiebant, et quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, priusquam indicerent bellum iis, a quibus injurias factas sciebant, feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, qui si postulata impetrassent, foedus cum iis feriebant; sin minus, re deliberata bellum indicebant.* 5. *Notoriorum flagitiorum in castris prohibitionem.* Quodsi enim Dominum Deum nostrum in castris nobiscum habere desideramus, *ut pro nobis contra adversarios dimicet*, Deut. 20, v. 4. utique castra non debent esse officinae impietatis et asyla flagitiosorum. Jos. 7, v. 12. dicit Dominus: *Non poterit Israël stare ante hostes suos, quia pollutus est anathemate; non ero ultra vobiscum, donec exstirpetis eum, qui hujus sceleris reus est.* Judith 5, v. 22. dicit Achior ad Holofernem: *Si est aliqua iniquitas in conspectu Dei ipsorum, tradet illos Deus ipsorum tibi* etc. In bellis aliquid confert militaris prudentia, maximum vero gratiosa Dei praesentia, quae piis ipsum timentibus et ex fide invocantibus est promissa; quodsi ergo castra sunt tacernacula pietatis, erunt etiam domicilia omnis felicitatis, testantur enim historiae, eosdem exercitus utplurimum et pios et victoriosos fuisse. Exsulent igitur a castris dirae, blasphemiae, libidines etc. in ipsis etiam oppidorum expugnationibus temperandum a sanguine civium, cum de victoria jam certo constet, a saevitia in sexum muliebrem, in decrepitos senes, infantes ac pueros, a stupris et adulteriis, a raptu virginum ac matronarum, quia lex divina, *non moechaberis*, nullam in bellis habet exceptionem. 6. *Post impetratam victoriam gratiarum actionem.* Cum enim victoria ex hostibus sit insigne Dei donum, ideo aequum est, ut gratiae pro eo victori summo agantur debitae. Genes. 14, v. 20. Melchisedecus post reportatam insignem ex hostibus victoriam in Abrahae occursum procedit dicens: *Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Exod. 17, v. 14. cum ex Amalecitis Israëlitae victoriam retulissent, praecipit Deus Moysi: *Scribe hoc in libro pro memoriali. Et aedificavit Moyses altare.* Jud. 5. describitur ἐπινίκιον Deborae. 2. Paralip. 20, v. 26: *Congregati sunt in valle benedictionis, eo quod dedisset illis Deus gaudium de inimicis suis.*

416. 2. *Justitia* requirit 1. ut praecedat *legitima belli denuntiatio*, quam vocant *clarigationem*, cujus vocis originem exponit Taubmannus in Amph. Plaut. act. 1. scen. 1. Fit illa denuntiatio per *fecialem*, qui pro injuria satisfactionem vel ablatorum restitutionem flagitat, eam vero recusantibus bellum indicit. Nititur *jure divino;* Deuter. 20, v. 10: *Offeres primum pacem.* Jud. 12, v. 1. Ephraimitae ad Jephtham dicunt: *Incendemus te et domum tuam. Jure gentium* apud omnes populos recepto, de quo Alexandrinus ab Alexandr. lib. 5. genial. dier. c. 3. Gellius libr. 16. noct. Atticar. capite 4. Livius libro 1. decad. 1. p. 16. Barnab. Brissonius libr. 4. form. etc. *Jure civili*, ut colligitur ex verbo decrevit l. 24. ff. de captiv. et postlimin. l. 118. de verbor. significat.; ac *evidenti ratione.* Aequum enim est bellum prius indicere quam inferre, perinde ut in causis forensibus prius in jus vocamus et litem denuntiamus; stolidum contra armis repetere, quod vel postulationis aequitate vel sola armorum comminatione impetrare possis, hinc Cicero lib. 1. off.: *Nullum bellum justum est, nisi*

2. Justitia.

quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum prius sit et indictum. Tunc solum utile est ad arma concurrere, inquit Cassiodorus, *cum locum apud adversarium justitia non potest invenire*. 2. Ut caveatur eorum, qui non sunt hostium loco, *oppressio ac direptio*. Luc. 3, v. 14: *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris*, ubi prohibentur omnis generis injuriae, quas
XIV. 294. milites inferre solent vi aut fraude, in persona vel in bonis. Quando enim Johannes dicit, *neminem concutiatis*, prohibet injurias, quae a militibus aperta violentia personis inferuntur, utpote cum caedunt rusticos, nisi omnia abunde ipsis suppeditent; quando dicit, *nemini calumniam faciatis*, prohibet injurias, quas milites fraudibus et calumnia inferre solent, ut cum dicunt, aliquem esse proditorem vel hostem, eumque hoc nomine spoliant, vel occidunt, vel ad ducem et praefectos deferunt, quamvis nihil minus sit quam hostis vel proditor; quando dicit, *contenti estote stipendiis vestris*, prohibet injurias, quas non in persona, sed in bonis milites inferunt, utpote cum rapiunt, praedantur, exigunt et extorquent undecunque possunt, Bellarminus libro 3. de laicis cap. 15. Cavent ergo milites tam praesidiarii, quam subsidiarii ac gregarii, ne illis, qui vel transitum ipsis per suam regionem praebent, vel qui socii sunt et confoederati, vel provinciales, quorum defensio ipsis commendata est, rapinis ac direptionibus sint molesti, strenuus canis domesticos suos tuetur, peregrinos vero ac hostes abigit. **Synesius de regno p. 27: *Militibus imperandum, ut civibus et rusticis parcant minimeque molesti sint, eorum laborum memores, quos ipsorum gratia susceperunt. Nam ut civitatis terraeque commoda tueatur rex et propugnat et milites conscribit. Quare qui peregrinum quidem a me hostem propulsat, ipse autem moderate mecum non agit, is a cane mihi non differre videtur, qui lupos propterea longissime abigit, ut per otium gregem commodissime dilaniare possit, cum potius in custodiae mercedem eum lacte satiari oporteat. Quapropter accurata pax est, milites ita comparatos esse, ut inermi plebe tanquam fratribus uti velint solisque iis, quae praefinita sunt, stipendiis contenti sint.*** Num. 20, v. 17. Israëlitae a rege Edom petentes transitum nuntiari ipsi curant: *Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquam de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad sinistram declinantes, nec ad dextram, donec transeamus terminos tuos;* v. 19. *per tritam gradiemur viam et si biberimus aquas tuas, nos et pecora nostra, dabimus, quantum justum est.* Deuter. 2, v. 28: *Cibos emetis ab eis pecunia et comedetis, aquam emtam haurietis et bibetis.* Pulchre Gregorius lib. 6. c. 12: *Non est probabile, feliciter res suas gesturos milites eos, qui maledictiones et lacrymas in exitu suo sumunt ad viaticum.* ***Ἀκολάστου στρατεύματος οὐδὲν ὄφελος*, *impuniti exercitus nullus est usus, Clearchus apud Xenoph. lib. 2. exped. Cyr. p. 290.* Paulus jurisconsultus: *Disciplina militaris Romanis antiquior fuit ipsa liberorum caritate.*** Ac laude dignissima est Aureliani imperatoris apud Vopiscum sententia, qui tribuno militum vicario suo ejusmodi dat mandata: *Si vis tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua quisque contentus sit, de praeda hostis, non de lacrymis provincialium habeat.* Stipendium in balteo, non in popina habeat 3. Ut cesset beluina *rabies et immanis ultio*, nec cum ipsa natura, sed cum hostibus bellum geratur. Deut. 20, v. 19. prohibet Deus, ne in oppugnationibus urbium *succidantur arbores* illae, quae fructus ferunt, nec securibus per circuitum vastetur regio, *quoniam lignum est et non homo, nec potest bellantium contra nos augere numerum.* Xenophon lib. 1. de reb. Graeciae de Anaxilao Spartanorum duce refert, quod accusatus in judicio de Byzantio oppido fidei suae commendato et hostibus ob famem militum praesidiariorum tradito responderit, *se defendisse urbem tamdiu, donec cum hostibus bellum esset, postquam vero vidisset, bellum esse cum natura et fame perire eos, quibus in bello parci solet, judicasse finem bello imponendum*, qua excusatione audita judices ipsum absolverunt. 4. Ne adversus victos exerceatur crudelitas *et atrox insultatio*. Quando hostis pacem petit et in victoris potestatem concedit, servandum est jus supplicum ac dediticiorum. Deut. 20, v. 11: *Si civitas pacem receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, serviet tibi sub tributo.* v. 12. *Sin foedus inire noluerit et coeperit contra te bellum, oppugnabis eam*, v. 13. *cumque* XIV.
tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii v. 14. *absque mulieribus et infantibus* etc. Quodsi ergo in gentibus illis exitio devotis tamen femineo sexui et parvulis Deus parci voluit, quanto magis in bellis Christianorum illud locum habere debet. Ambrosius graviter reprehendit imperatorem Theodosium, quod cum punire vellet Thessalonicenses, sine delectu obvios quosque necari jusserit, Theodoretus lib. 5. hist. eccles. c. 17. Augustinus ep. 205. ad Bonif. comitem: *Ne saevias aut insolescas in supplices, sed misericordia in victos impendatur, quale est illud apud poëtam:*

Parcere subjectis et debellare superbos.

417. 3. *Prudentia* militaris latissime patet ac vix 3. P
dent
potest certis praeceptis includi, nec tam auditione et lectione, quam longo rerum usu et exercitatione comparatur. Si enim ullibi, certe in bellis potissimum requiritur consilium et prudentia, quippe in quibus *semel duntaxat peccare licet*, ut est apud Stobaeum serm. 52. Hinc rex sapiens inquit Prov. 20, v. 18. et c. 24, v. 6: *Consilio gerendum est bellum, et salus erit, ubi multa sunt consilia.* Ad hanc prudentiam bellicam pertinet 1. *ante bellum omnium necessariorum matura praeparatio. Felix civitas, quae pacis tempore de bello cogitat*, quam sententiam lapidi incisam Venetiis in vestibulo armamen-

tarii legere licet. Requiruntur ad bellum *pecuniae* rerum gerendarum nervi, quae ex tributis subditorum et spoliis hostium comparandae, quin et honesta frugalitate in usum futurum comparcendae; requiritur *commeatus*, qui alimenta et vestimenta militum et pabulum equorum complectitur; requiruntur omnis generis *instrumenta bellica*, ad pugnam navalem instructae *classes*, quae omnia ante bellum comparanda, ne illorum defectus necessariae defensioni sit impedimento. *Conscribendi* sunt milites, non quivis praedae spe advolantes, sed corporis et animi dotibus bello aptis, ut et necessariis armis tam φυλακτηρίοις, quam ἀμυντηρίοις probe instructi; eorum instituenda est *lustratio*, cujus exemplum describitur 1. Sam. 29, v. 2. iidem sedulo *exercendi* in tractandis armis, in faciendo opere, in ordine servando etc. eligendi *duces* scientia rei militaris, virtutibus heroicis ac bellicis, auctoritate et felicitate praediti, quos commendet *labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo*, ut Cicero pro leg. Manil. loquitur. Constituendi sunt *senatores* sive consiliarii bellici, qui ingenii celeritate, judicii dexteritate et experientia longo rerum usu confirmata atque auctoritate plurimum polleant etc. *2. In ipso bello loci ac temporis ad pugnandum apti accurata observatio.* Deliberandum enim sedulo, an praestet hostem domi exspectare, an vero belli molem in ejus fines transferre; quo tempore conveniat hostem aggredi, quis proelii locus debeat constitui; qui trepidantem et formidantem exercitum ad pugnam educit, fugere ipsum docet, non vincere. Sic Abraham Gen. 14, v. 15: *Divisis sociis irruit noctu super hostes securos ac nihil tale metuentes.* Jos. 10, v. 9: *Josua repente irruit super hostes tota nocte adscendens. Commoda aciei instructio.* 2. Sam. 10, v. 9. videns Joab, quod esset adversum se proelium et ex adverso, et post tergum, *elegit sibi ex omnibus electis Israël et instruxit aciem contra Syrum*, v. 10. *reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui rexit aciem adversus filios Ammon* etc. Ubi accurate dispiciendum, an et quando conveniat, ipsummet principem in acie stare. 2. Sam. 18, v. 3: *Tu unus solus pro decem millibus computaris. Idonea castrorum metatio*; eorum omnium, quae *nocumentum* ac periculum afferre possunt, *diligens evitatio*, qualia sunt securitas, contemtus hostium, nimia festinatio, ordinum solutio. *Militum ad pugnam animatio*, quae oratione et alacritate ducis obtinetur. *Consiliorum hostilium diligens perscrutatio* etc. *3. Post bellum obtenta jam victoria*
296. *requiritur cauta circumspectio*, ne vel negligentia et incuria, vel nimia fiducia ac temeritate victoria e manibus excutiatur, *saepe enim spoliantem jam et exsultantem Mars evertit et perculit ab abjecto*, Cicero pro Mil.; ne fugienti hosti nimium instemus, male enim pugnatur cum desperatis et spes fugae ademta in furorem et invictam audaciam erumpere consuevit. **Onosander in strategico c. ult.: *Postquam omnia feliciter et ex animi sententia cesserunt, fine bellicis negotiis imposito caveat imperator, ne ob res secundas elatior aut gravior videatur, sed placidus sit et benignus, neve fastum minaci ac truculento vultu prae se ferat, sed civilem et amicabilem benevolentiam comiter omnibus exhibeat, illa enim invidiam et livorem gignunt, ista mutuum amorem conciliant.** In praedae divisione* apud Israëlitas etiam illorum fuit habita ratio, qui supellectilem custodierant, nec in proelium progressi fuerant. Numer. 31, v. 27. Jos. 22, v. 8. 1. Sam. 30, v. 24. Sed de his ac similibus scriptores politici plenius tractant.

418. 4. *Fortitudo* in bellis vel maxime necessaria, sine qua nihil rectum salutare sperari potest. Deut. 20, v. 3. Sacerdos in acie consistens sic alloquebatur populum Israëliticum: *Non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos;* quin et duces audiente exercitu proclamabant v. 8: *Quis est homo formidolosus et corde pavido? vadat et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Exempla exstant Jud. 7, v. 3. 1. Macc. 3, v. 6. Semper in proelio illis maximum est periculum, qui maxime timent. *Audacia pro muro habetur*, inquit Salustius in bell. Jugurth. Quodsi ergo acies in bello inclinari incipiunt, non statim animus despondendus, nec fuga saluti consulendum, sed milites ducis alloquio animandi, *paventibus occurrendum, cedentes retinendi, fugientes revocandi*, Tacitus lib. 3. hist. nec post acceptam cladem animus serviliter abjiciendus, sed vel damna accepta sarcienda, novi delectus habendi, sociorum auxilia quaerenda etc. vel victori cedendum et tempori eventus permittendus.

4. Fortitudo.

419. Quaeritur hoc loco 1. *An bellica stratagemata approbanda sint?* Duo statuuntur a polemicae rei scriptoribus hostis debellandi media, βία sive ὀξὺς χαλκός et δόλος seu ἀπάτη, *vis* seu acutum ferrum et *dolus* seu deceptio, quam etiam vocant στρατηγήματα, quae singulari arte et solertia in hoste tum cavendo, tum opprimendo perficiuntur. De his quaeritur, an sint licita et approbanda? Affirmamus sequentibus permoti argumentis. 1. *ex jure divino*, Jos. 8, v. 2. dixit Deus ad Josuam: *Facies urbi Hai et regi ejus sicut fecisti Jericho et regi illius, pone insidias urbi post eam.* Jud. 20, v. 29. cum Israëlitae mandatum pugnae et promissionem victoriae accepissent, *posuerunt insidias per circuitum urbis Gabaa.* 2. Sam. 5, v. 23. dicit Deus ad Davidem: *Non adscendas contra Philistaeos, sed gyra post tergum eorum et venies ad eos ex adverso pyrorum. 2. A probatis exemplis. Abrahamus* noctis beneficio usus exercitu in turmas diviso partim securos, partim temulentos oppressit Gen. 14, v. 15. *Josuae* et *Davidis* exemplum in aprico positum, cujusmodi plura ex sacris et profanis historiis colligit Zwingerus in theatro libr. 3. Polyaenus et Reusnerus in stratagematographia. *Quod Deus jubet loquens ad Josuam, ut constituat sibi retrorsus insidias, id est insidiantes bellatores ad insidiandum hostibus, hinc admonemur, non in-*

Qu. circa modum belligerandi. 1. An strategemata sint approbanda?

juste fieri ab his, qui justum bellum gerunt, ut nihil homo justus cogitare debeat in his rebus, nisi ut justum bellum suscipiat, cui bellare fas est, non enim omnibus fas est. Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest. Ita colligit Augustinus lib. 6. quaestionum in Jos. q. 10.
XIV. 197. 3. **Confer Hieronymum in c. 17. Ezech. c. Dominus noster 23. q. 2. Masium in comm. Jos. 8. p. 141.** *A consensu omnium gentium. Dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Virg. lib. 2. Aen. *Nullo discrimine virtutis, an doli prosperi omnes bellorum laudantur eventus*, Ammianus Marcel. lib. 17. *Belli furta sunt pulcherrima*, ait Xenophon in Hipparch. Lacedaemonii cum stratagemate hostem superassent, *bovem Marti* sacrificarunt, cum vi aperta *gallum*, cujus rei rationem reddit Plutarchus in institutis Laconicis, quod voluerint assuefacere duces, ut non modo bellicosi essent, sed etiam calliditate, quae in imperatore requiritur, ad stratagemata pollerent. *Summa ducum gloria victoriam sine periculo comparare*, Vegetius lib. 3. c. 9. **Homerus ὀδυσσ. λ.

κτείνῃς ἠὲ δόλῳ ἢ ἀμφαδὸν ὀξέϊ χαλκῷ,

confice sive dolo, seu stricto cominus ense. Est et hoc ejusdem *ἢ δόλῳ ἠὲ βίηφι. Ubi pellis leonina non sufficit, vulpina assumenda*, Lysander ap. Plutarchum in apophth. *τὰ κλέμματα ταῦτα καλλίστην δόξαν ἔχει*, inquit Brasidas ap. Thucydidem lib. 5. *ἃ τὸν πόλεμον μάλιστ' ἄν τις ἀπατήσας, τοὺς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειεν, quibus hostes maxime decipiuntur et amici plurimum juvantur.*** *4. Ex jure civili.* Ulpianus l. Hoc edicto 1. §. non fuit. 3. ff. de dolo malo. Non fuit contentus praetor *dolum* dicere, sed adjecit *malum*, quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant et pro solertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur. *5. A pari.* Sicut nihil interest, *quomodo captivus sit reversus, utrum dimissus, an vi vel fallacia potestatem hostium evaserit.* l. Nihil. 26. ff. de captivis et postlim.; sic nihil refert dolum, an vim in hoste oppugnando adhibeas. Feras partim ferro capimus, partim solertia in laqueos et retia inducimus, ac facinorosi non solum aperta vi, sed etiam lictorum insidiis in vincula pertrahuntur; idem in hostes licere merito censetur. *6. Ab honesto.* Stratagemata sunt species militaris prudentiae, quae laude, non vituperio digna. Prov. 21, v. 22: *Civitatem fortem adscendit sapiens destruxitque robur fiduciae ejus.* Potiora sunt et laudabiliora, quae ratione et mente, quam quae vi et corpore efficiuntur. Spàrtani licet essent bellicosissimi, tamen majores et decentiores hominis putabant esse actiones, quae rationis et prudentiae, quam quae virium et roboris, Plutarchus in Mar. *7. Ab utili. Illa belli furta pulcherrimam consequuntur gloriam, quibus et hostes maxime decipiuntur et amici atque socii plurimum juvantur*, Thucydides lib. 5. ac boni duces *non aperto Marte proelium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, ut integris suis quantum possunt viribus hostes interimant, certe vel terreant*, Vegetius libr. 3. c. 9. Illa quae astu potius quam hasta comparatur victoria, minus est cruenta. *8. A necessario.* Quando hostes sunt potentiores ac vel militum numero, vel apparatu bellico superiores, necessitas injicitur utendi stratagematibus. *9. Ab hostium merito.* Hostem, qui extrema supplicia meritus est, fas est perdere, spoliare, occidere, nec interest, an vi aperta illud fiat, an occulta circumspectione, Plutarchus in Agesil. *Hosti quacunque ratione fieri potest incommodandum, vim inferendo, praedando insidiis, stratagemate grassando*, Cambyses ad Cyrum apud Xenophontem lib. 1. Cyropaed. Quae in contrarium afferuntur argumenta, facilem habent explicationem, si observetur, stratagemata probari ea demum conditione, *1. ne fides data frangatur.* Distinguenda igitur sunt stratagemata a perfidia et foederum violatione. Judic. 9, v. 24: et *fidem fregerunt optimates in Sichem Abimelecho* v. 25. *posueruntque insidias adversus eum in summitate montium. 2. Ne jura belli violentur.* **Ambrosius lib. 1. de offic. c. 29. et lib. 3. c. 10: *Sunt quaedam bellorum jura et foedera etiam inter ipsos hostes servanda.* Thomas 2. 2. quaest. 40. art. 3: *Dupliciter aliquis potest falli ex facto vel dicto alterius, uno modo ex eo, quod ei dicitur falsum, vel non servatur promissum. Istud semper est illicitum, et hoc modo nullus debet hostes fallere. Alio modo ex eo, quia ei propositum aut intellectum non aperimus, hoc autem non semper facere tenemur. Et talis occultatio pertinet ad rationem insidiarum, quibus licitum est uti in bellis justis. Nec proprie hujusmodi insidiae fraudes vocantur, nec justitiae repugnant, nec ordinatae voluntati. Esset enim inordinata voluntas, si aliquis vellet nihil sibi ab aliis occultari.*** Livius lib. 1. dec. 1. f. 24:
Tarquinius superbus Gabios, propinquam urbem, XIV. 1
nequidquam vi adortus cum obsidendi urbem spes pulso a moenibus adempta esset, postremo minime arte Romana, fraude ac dolo aggressus est, nam cum velut posito bello fundamentis templi faciendis aliisque operibus se intentum simularet, Sextus filius transfugit ad Gabios, cujus arte sunt devicti. 3. Ne dignitas victoris labefactetur. Ea demum vera est victoria, inquit Florus libr. 1. c. 12. *quae salva fide et integra dignitate paratur.* Veneno et sicariis immissis hostem pessundare, abjecti animi esse cordati merito censent. 4. *Ne dolus malus admisceatur.* Achaei tantopere abhorrebant a struendis dolis, ut nec hostes suos per fraudem vellent vincere censentes nec splendidam, nec firmam ullam victoriam, nisi quis palam et ex condicto depugnans animos quoque dejecisset adversariorum, Polybius lib. 13. ubi illud vocat *κακομηχανεῖν*, dolos malos machinari.

420. Quaeritur 2. *An exploratoribus in bello uti liceat?* Chrysostomus in comment. c. 2. epist. Gal. exponens verba, *quod essent subingressi falsi fratres ad explorandam nostram libertatem*, munus exploratorum esse dicit *res adversariorum cognoscere, ut sibi ac suis faciliorem aditum parent ad*

2. An ploratoribus liceat

illorum expugnationem aut repulsam. Hebraeis vocantur מְרַגְּלִים a רֶגֶל, quod *pedem* significat, quia exploratores plerumque veniunt pedites et hinc inde discursitant. Graecis *κατάσκοποι* a *considerando* et pervestigando. De hoc exploratorum munere et actione quaestio est, an sit probanda? Gen. 42, v. 9. cum Josephus fratribus suis objiceret, quod essent exploratores, ipsi velut probrum ac crimen aliquod id a se rejecerunt, ex quo videri posset, exploratorum munus neutiquam esse probandum. Sed distinguendum *inter pacis ac belli tempora.* Fratres Josephi tempore pacis ad regionem amicam, a qua beneficium exspectabant, frumenti scilicet venditionem, veniebant, turpe igitur fuisset occasione ea exploratorem agere; alia vero belli ratio est. Proinde de exploratoribus idem statuendum, quod de strategematis, eas scilicet actiones esse licitas, quod probatur 1. *ex causa earum principali.* Num. 13, v. 2. praecipit Deus Moysi, ut mittat *viros, qui considerent terram Canaan, singulos de singulis tribubus ex principibus, ac Josuam et Calebum,* quod demandatas explorationis partes fideliter exsecuti fuerant, praemiis afficit. Numer. 14, v. 38. *2. Ex causa instrumentali. Moyses vir Dei* misit exploratores et quidem *principes ex tribubus*, de quibus Josephus dicit, quod fuerint *optimi geometrae*, quia oportuit eos bene ac perspicue terrae Canaan situm cognoscere. *Josua* Moysis successor mittit duos viros exploratores in abscondito ad urbem Jericho, qui pergentes ingressi sunt in domum Rahab, de qua Jac. 2, v. 25. Rahab *ἡ πόρνη*, *nonne ex operibus justificata est, recipiens nuntios et alia via emittens?* Homerus Ulyssem ac Diomedem heroas illos insignes exploratores facit. *3. Ex definitione.* Explorationis usus pars est militaris prudentiae, per quam ea, quae hostium sunt, inquiruntur, situs scilicet locorum, natura regionis, ducis ingenium, mores exercitus etc. quorum notitia summopere bellatori necessaria et ad victoriam obtinendam momenti habet plurimum. Ut ergo in justo bello vi atque armis licet hostem oppugnare, ita quoque explorandi arte adversus ipsum uti licitum est. *Ut in causa legitima militem, ita quoque exploratorem esse salva conscientia licet*, Gesnerus in c. 42. Gen.

'. 299. An dito- s bello n- n? 421. Quaeritur 3. *An proditoribus in bello utendum?* Differunt proditores ab exploratoribus *tum causa efficiente.* Exploratio fit ab hostibus, proditio a conjunctis, quibus confidimus. Asconius Pedian. in orat. 2. Verrina: *Prodere deterius est quam oppugnare, nam oppugnant inimici, quod eis vitio verti non debet; at produnt, qui amici videri volunt, ac tales erga nos esse deberent, ideoque cum ab officio discedant, longe gravius quam illi peccant. Tum causa impulsiva et finali.* Exploratores, quae sunt hostium perscrutantur, animo bono ac fine non malo, si bellum sit licitum; proditores ea, quae parti adversae videntur nocitura, vel quaestus gratia, vel causa ultionis, vel securitatis ergo clanculum produnt et aperiunt, ex quo facile colligitur, improbandas esse proditiones. 1. Apostolus inter homines *gravissimis sceleribus* corruptos refert *προδότας* 2. Tim. 3, v. 4. 2. Proditores *perjurium* committunt, siquidem ad patriae salutem et defensionem juramento obstricti tenentur. 3. Violant *jus naturae*, quod exigit, ut cives ac subditi patriam ab hostium violentia tueantur, ipsi contra ejus salutem pessundare laborant. Exempla, quae in contrarium afferuntur, non congruunt proditioni vere et proprie sic dictae. 1. *Rahab* Jos. 2, v. 2. non prodit patriam, sed sibi suaeque familiae consulit, cum urbem divino judicio certo perituram nosset. v. 9: *Novi, quod Dominus tradiderit vobis terram* etc. 2. Gibeonitae Jos. 9, v. 24. non sunt proditores, sed cum audivissent terram Canaan Israëlitis divinitus promissam et habitatores ejus disperdendos, hoc consilium inire suisque rebus prospicere voluerunt. 3. *Civis Bethelis* Jud. 1, v. 24. introitum civitatis domui Joseph ostendens in classem proditorum referri vix potest, quia animadvertit, suos concives obstinate adversari populo, cui divinitus possessio illius terrae promissa, quin etiam erat quasi captivus et in manus hostium pervenerat. 4. *Jonathan patris* consilia Davidi aperiens 1. Sam. 20, v. 13. non proditionis, sed dilectionis opus facit. 5. *Chusai* consilium Absolonis Davidi aperiens 2. Sam. 17, v. 16. ad proditorum classes minime transit, erat enim David rex legitimus, quem Absolon injuste ac nefarie e throno regio dejicere nitebatur. Cruenta sceleratorum hominum consilia detegere, ut pii insidias ipsorum evitare possint, non est prodidisse, sed profuisse.

422. Sed porro quaeritur 4. *An proditores, qui sponte sese offerunt, sint recipiendi?* 1. Hieronymus in l. de opt. gen. interpret. ad Pammach. inquit, *proditionem principes recipere quidem, sed proditores damnare*, cum quo convenit illud Augusti imperatoris: *προδοσίαν φιλῶ, προδότας δὲ οὐκ ἐπαινῶ, proditionem amo, proditores non laudo*, Plutarchus in apophth. Itemque illud Antigoni: *Proditores tantisper amo, dum produnt, ast ubi prodiderint, odi.* 2 Videtur etiam *ex re salutis* publicae proditorum monita audire. In obsidione Viennae Turca quidam parentibus Christianis natus ultro se nostratibus dedens indicium fecit de hostium cuniculis subterraneis, de conatu Solymani imperatoris, de numero tormentorum bellicorum etc. quo indice nihil veracius fuit, nihil praesenti periculo securius. Hist. obsid. Vienn. in append. annalium Turcic. Levencl. Contra vero 1. quam actionem ut turpem et illicitam detestamur, ejus quoque auctorem non amare ac recipere, sed repudiare ac detestari debemus; 2. insuper jus naturale requirit, ut *quae quis fieri sibi nolit, ea nec alteri* faciat Matth. 7, v. 12. Luc. 6, v. 31. jam vero nemo est, qui se et sua hostibus prodi velit; 3. qui alienos subditos ad proditionem sollicitat, suos proditionem docet; 4. inde proditoribus pessima quandoque retributa fuere praemia. Lasthenes quidam cum patriam suam Olynthum Macedonibus prodidisset atque ob id se apud eos in honore futurum arbitraretur, ei longe secus accidit, nam

4. An proditores sponte venientes recipiendi?

per castra a militibus passim appellabatur *proditor*, XIV. 300. cumque ea de re apud Philippum regem conquereretur, hoc responsi tulit, *Macedones esse homines admodum rudes et agrestes, qui res alio nomine quam suo ac proprio appellare nescirent, sed scapham scapham vocarent. Camillus* ludi literarii magistrum principum filios inter Faliscos ad se adducentem vinctum pueris et flagris caedendum tradidit et ad hostes remisit, Livius lib. 5. dec. 1. *Pyrrhi medicus*, qui Romanis pollicebatur, se in illorum gratiam regem suum necatum ire, ab ipsis regi est indicatus, ut eo diligentius sibi ab eo caveret. De imperatore *Severo* Herodianus scribit, quod multos duces Nigri aemuli imperii per filios ad prodendas ejus res impulerit, deinde postquam eorum opera abusus esset suaque omnia ex sententia composuisset, ipsos liberosque necaverit. Nam ut pulchre annotat Plutarchus in vita Romuli: *Quicunque improborum aliquo in negotio opera utuntur, omnes eodem adversus eos affecti sunt modo, sicut hi, qui virus aut fel ab aliqua bestia petunt, quippe usum in accipiendo eo gratum cum habeant, malitiam bestiae re peracta oderunt.* Flavius Vopiscus recenset epistolam Aureliani imperatoris de Heraclemone patriae proditore: *Occidi passus sum, cujus quasi beneficio Thyanam recepi. Ego vero proditorem amare non potui et libenter tuli, quod eum milites occiderunt, neque enim mihi fidem servare potuisset, qui patriae non pepercit. Brennus* Galliae rex cum vastando Asiam Ephesum pervenisset, castra ibi metatus praefinitum pugnae diem exspectabat. Interea plebeja quaedam virgo nomine *Daemonice* amore barbari capta prodituram se ipsi Ephesum promisit, sit torques et monilia pro mercede darentur. Ad hanc Brennus in certo loco susceptam subditos duxit, et quidquid haberent auri, in gremium avarae conjicerent, imperavit; qui cum imperium exsequerentur, Daemonice prae auri in se conjecti multitudine et gravitate vivens est obruta. Plura ejusmodi punitae proditionis ac perfidiae exempla recensent Zwingerus in theatro et Camerarius lib. 1. succis. c. 7. Quid ergo statuendum? 1. Eos qui perfide ac scelerate talia deferunt vel pollicentur, quae sine turpitudine et improbitate accipi vel fieri nequeunt, boni principes non admittant. 2. Si justo bello capti hostium consilia et arcana patefaciant, audiri omnino possunt. 1. Samuel. 30, v. 15. servus Amalecitae accepto prius a Davide juramento, *quod ipsum nec occidere, nec in manus Domini sui tradere velit*, ducit Davidem ad Amalecitarum exercitum. 3. Proditoribus non est nimium confidendum, quandoque enim ficte et simulate omnia ab ipsis geruntur ac falsa et nocitura ab ipsis referuntur. Nota est historia Zopyri. 4. Si spes est, hostes nostra integritate et humanitate deliniri posse, proditores ipsis remittendi et perfidia ipsorum manifestanda. Cum Romani Pyrrho medicum proditorem indicarent, pax inter ipsos et regem est consecuta. 5. Proditores, qui nos et patriam nostram hostibus produnt, gravi supplicio digni.

423. Quaeritur 5. *An usus tormenti bellici, quod bombardam vocant, sit probandus?* De inventore illius diversa a diversis traduntur. Polydorus Verg. lib. 2. de rer. invent. c. 6. scribit, bombardam novitium instrumentum esse et a *Germano homine ignobili* repertum, quem id pro mercede accepisse ait, ut nomen ejus perpetuo occultaretur, idque in hunc usque diem ignorari. Quidam contendunt, *inventionem illius esse vetustam*, usum duntaxat renovatum. Majolus in diebus canicul. colloq. 1. p. 20. ex Zonarae tom. 2: *E Tiberini posteris ortus est Amulius homo superbus seque pro deo venditare ausus, qui cum machinis quibusdam tonitrua tonitruis, fulgura fulguribus referret ac fulmina jacularetur, subita inundatione paludis, ad quam habitabat, periit.* De Parthis Tanais rex Scytharum in epistola ad Vexorem Aegyptiorum regem scribit, quod *fragosis vasis in modum et sonitum tonitrui hostes ferire procul consueverint*, Irenicus lib. 4. exeges. German. c. 29. Josephus lib. 3. de bello Jud. c. 9. mentionem facit XIV. 3 quarundam machinarum in oppugnatione Jotapatae urbis Galilaeae adhibitarum, *e quibus emissa saxa murorum minas auferebant, angulos turrium frangebant et viros etiam e longinquo stantes magna violentia prosternabant.* Sed hae atque aliae veterum machinae cognationem forte aliquam cum nostris bombardis habuerunt, nequaquam vero eaedem censendae. Cornel. Kempius de orig. et statu Frisiae libro 2. c. 20. scribit, artem illam bombardarum a *Cimosco Frisiae rege* priscis temporibus circa annum Christi 1354. fuisse inventam. Alii vero, ut Caspar Goldwurm. in libr. mirabil. Matthesius in Sarepta, Bucholzerus in chronol. etc. inventionem ejus tribuunt *cuidam monacho, quem Bartholdum Schwartzium* vocant, quem occasione ea balistarum illud genus excogitasse statuunt. Servabat ille monachus in cella sua in mortario pulverem sulphureum faciendae medicinae causa illudque lapide texerat. Contigit autem, ut dum ignem ex silice in propinquo excuteret, scintilla in pulverem incideret ac subito erumpens flamma lapidem in altum tolleret, cujus rei eventu edoctus ferream fistulam paravit et mortiferam illam machinam reperit. Alii *chymistae cuidam* ejus inventionem vendicant, qui artis suae beneficio pulverem tormentarium et machinam ipsam facile invenire potuerit. *Tempus inventionis* referunt ad annum 1380. imperante Wenceslao; primus ejus usus fuit in bello, quod ad Fossam Clodiam Veneti cum Genuensibus gesserunt. De hisce tormentis bellicis haud injuria dicitur, optandum, ea nunquam fuisse reperta, *1. propter ingentem hominum et aedificiorum*, quam edit, *stragem* Camerarius part. 2. med. hist. c. 28. p. 164. *tantum esse bombardarum impetum experientia* testatur, *ut vix quidquam ab earum violentia tutum consistere possit.* Polydorus Verg. libr. 3. de rer. invent. c. 18: *Haud adduci possum, ut humanum ingenium istud invenisse credam, sed mehercule potius malum quempiam daemonem monstrasse puto, ut homines inter se non modo armis, verum etiam fulminibus pugnarent.* Julius Caesar

5. An usus tormen torum bellico rum p bandu

Scaliger hoc monstrum ad internecionem hominum et destructionem aedificiorum inventum elegantissimis hisce versibus describit:

Tota gula est, tota est porrecto pectore rostrum,
Multipedes pedibus monstra duobus agunt.
Ferrea vox, qualem sibi quondam optavit Homerus,
Si tamen audisset, nollet habere sibi.
Ut ricino nullus postremae est exitus alvi,
Sed saturo, quod non suscipit, ore vomit.

2. Propter *bellicae virtutis interitum ac perniciem.* Archidamus cum novum catapultae genus ex Sicilia advectum olim videret, dixisse fertur: *O Hercules, viri periit virtus,* Plutarchus in Lacon. Id vero longe justius de hoc tormenti genere pronuntiari potest, quippe quo ignavissimus strenuos quosque duces trucidare potest, hinc Ariostus in itin. suo Babyl. c. 67. graviter detestatur hanc machinam, quod *per eam bellica virtus non solum corrupta, sed etiam fere sit sublata, cum omnem rei bene gerendae conatum frangat et successum intercipiat.* Sed enim cum tales machinae in oppugnationibus urbium et commissione proeliorum sint usu receptae, ideo earum etiam beneficio, vel potius maleficio in bello justo legitime adversus hostes uti possumus, cum quovis modo de hoste in bello vindictam sumere liceat, ac in V. quoque T. machinae bellicae ad urbium expugnationem et hostium prostrationem excogitatae et adhibitae legantur, Deuteron. 20, v. 20: *Ligna non pomifera succides, et ex illis machinas conficies.* 2. Par. 26, v. 15: *Ozias in Jerusalem fecit diversi generis machinas artificiose excogitatas, quas in turribus collocavit et in angulis murorum, ut mitterent sagittas et saxa grandia, egressumque est nomen ejus procul, eo quod mirabiliter auxiliaretur illi Dominus et corroborasset illum.* ** *Jampridem reliquiae imperii Romani devoratae essent cum Ungariae regno ab orientali Antichristo, qui multitudine copiarum omnibus terris praevaluisset, nisi bombardarum auxilio divinitus toties repulsus et maxima clade affectus fuisset. Quid enim impetum ejus immanissimum a postrema obsidione Viennensi repressit aliud quam bombardarum fulmina? quibus nihil formidabilius hosti, nihil quod majorem jacturam eidem adferat.* Wimph. in epit. rerum German. c. 64. ** Quomodo pericula, quae
302. ab illis impendent, caute declinanda ac diligenter prospiciendum, ne machinae illae magno aere partae hostibus in praedam cedant, rei militaris scriptores monent, nobis placet illud Forcatuli, qui de imper. Gallorum libro 4. *verisimile sibi videri* dicit, *Deum singulari quodam judicio permisisse, tam perniciosum tormentum recenter reperiri, idque a Christiano homine, ut mutuo terrore affecti mortales, nec viribus ita confidentes, facilius alerent concordiam et bella detestarentur, incerti ac mortiferi ictus timentes aleam.* Itemque illud ἀδήλου:

Τὴν χαλκογραφίην βομβάρδην τ' ἔσχατος αἰὼν
Ἔλλαχε, τὴν ὄφελος μὲν μέγα, τὴνδ' ὄλεθρον,

Cum chalcographia bombardam aetate senecta
Orbis habet, quarum haec quam mala, tam illa bona est.

Vide Camerarium part. 1. medit. histor. c. 76. et p. 2. medit. c. 28. Junium quaest. 74. polit. Patritium libro de regno titul. 6. Reusnerum in arte stratag. libro 1. capit. 20. quaestio 7. etc.

424. Ad *causam belli justam* et *modum ejus legitimum* accedere etiam debet 4. *finis bonus*, videlicet *pacis acquisitio* et *reipublicae conservatio.* Hunc ergo finem in bello sibi princeps habeat propositum, ut bonum commune promoveat ac publicam tranquillitatem procuret, non autem ut imperii fines dilatet, ut aliis nocumentum inferat, ut gloriam nominis sibi comparet etc. Psalm. 68, v. 31: *Dissipa gentes, quae bella volunt.* 2. Reg. 14, v. 10: *Rex Joas* ad Amasiam bellum non necessarium moventem dicit: *Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit se cor tuum, contentus esto gloria, et sede in domo tua, quare provocas malum?* 1. Maccab. 5, v. 57: *Faciamus et ipsi nobis nomen et eamus pugnare adversus gentes.* De legitimo belli fine multae exstant sententiae apud Augustinum. In epistol. ad Bonifac. circa med. (est ad calcem libri ep. adjecta al. ep. 207.): *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus a necessitate et conservet in pace. Non enim pax quaeritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Est ergo etiam bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.* lib. 22. contra Faustum c. 74. in princ.: *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi et si qua similia haec sunt, quae in bellis jure culpantur, quae plerunque ita culpantur, ut etiam jure puniantur.* Sermon. 19. de verb. Dom. in princ.: *Apud veros Dei cultores etiam ipsa bella pacata sunt, quae non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coërceantur et boni subleventur.*

4. Conditio justi belli finis bonus.

425. Atque haec dicta sint de *virtutibus* et *officio* boni principis, quomodo se *domi* ac *foris, pacis bellive* tempore *erga Deum et homines, erga amicos et hostes* gerere debeat, quae omnia brevibus complectitur Augustinus, quando libro 5. de civitate Dei capite 24. scribit: *Felices dicimus imperatores, si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerunt, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, majestati ejus famulam faciunt, si Deum timent, diligunt, colunt, si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes, si tardius vendicant, facile ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendae tuendaeque reipublicae, non pro saturandis inimicitiarum odiis exserunt, si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis* XIV. 303.
indulgent, si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiae lenitate et beneficiorum largitate

Epilogus eorum, quae de magistratus officio dicta sunt.

compensant, si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior, si malunt cupiditatibus pravis quam quibuslibet gentibus imperare, et si haec omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriae, sed propter caritatem felicitatis aeternae, si pro suis peccatis humilitatis et miserationis et orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Idem Augustinus (vel quisquis alius auctor) de duod. abusionum gradibus grad 9. in princ.: *Regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet, inde in semet ipso nominis sui dignitatem custodire debet, nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, si iniqui sint, non corrigit? quoniam in justitia regis exaltatur solium et in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Justitia vero regis est neminem injuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum in virum et proximum suum judicare, advenis et pupillis et viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos et histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas et pejerantes vivere non sinere, ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere, magorum et hariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam suam differre, patriam fortiter et juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus non elevare animum, cuncta adversa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. Haec regni prosperitatem in praesenti faciunt et regem ad coelestia regna meliora perducunt.*

Collatio boni ac mali principis.

426. Proderit etiam in *collationem boni ac mali principis*, quam Julius Pollux Commodo Caesari praescripsit, velut in speculum quoddam principem quotidie intueri. Regis sive boni principis laudes, *ἔπαινοι τοῦ βασιλέως*, sic habent: *Πατὴρ, ἤπιος, πρᾶος, ἥμερος, προνοητικὸς, ἐπιεικὴς, φιλάνθρωπος, μεγαλόφρων, ἐλεύθερος, χρημάτων κρείττων, ἔξω παθῶν, ἑαυτοῦ κρατῶν, ἄρχων ἡδονῶν, λογισμῷ χρώμενος, ὀξὺς, ἀγχίνους, περιεσκεμμένος, εὔβουλος, δίκαιος, σώφρων, θεοῦ ἐπιμελητὴς, ἀνθρώπων κηδεμὼν, στάσιμος, βέβαιος, ἀνεξαπάτητος, μεγαλογνώμων, ἰσχυρογνώμων, ἐνεργὸς, τελεσιουργὸς, φροντιστὴς τῶν ἀρχομένων, σωτὴρ, πρόχειρος εἰς εὐεργεσίαν, βραδὺς εἰς τιμωρίαν, ἀσφαλὴς, ἀπλανὴς, ἀμφιβέστερος πρὸς δίκην, εὐπροσήγορος, εὐέντευκτος, μειλίχιος, προσηνὴς, ἐπιμελητὴς τῶν ὑπηκόων, φιλοστρατιώτης, πολεμικὸς μὲν, οὐ φιλοπόλεμος δὲ, εἰρηνικὸς, εἰρηνοποιὸς, εἰρηνοφύλαξ, παιδευτικὸς, ἀρχηγὸς καὶ ἀρχικὸς, νομοθετικὸς, εὐποιεῖν πεφυκὼς, θεοειδὴς, πολλὰ δέ ἐστιν, ἃ λόγῳ τις ἂν εἰπεῖν ἔχοι, οὐκ ὀνόματι. Pater, placidus, mansuetus, mitis, providus, aequus, humanus, magnanimus, liber, pecuniae contemtor, affectibus major, sui ipsius victor, imperans voluptatibus, ratione utens, acuti judicii, ingeniosus, circumspectus, valens consilio, justus, modestus, curans religionem, procurator hominum, stabilis, constans, infallibilis, animo excelso, propositi tenax (in re bona ac justa), efficax in agendo, perfector operum (in re probe deliberata), curam agens subditorum, servator, paratus ad benefaciendum, tardus ad poenam, securus (sine metu, quo tyranni torquentur), non vagus, propensus ad justitiam, facilis accessu, facile admittens interpellantes (audiens supplicantes), blandus, lenis, curans subditos, amans suorum militum, strenuus bellator quidem, sed belli minime cupidus, pacificus, pacis auctor, pacis custos, emendator morum populi (assertor disciplinae), vere dux et princeps, legumlator, natus ad bene merendum, divina specie. Multa sunt autem, quae* XIV
oratione dici possunt, singulis autem vocabulis exprimi nequeunt. Tyranni vituperium, *ὁ ψέγος τοῦ τυράννου*, sic exprimitur: *Τυραννικὸς, ὠμὸς, θηριώδης, βίαιος, πλεονεκτικὸς, φιλοχρήματος καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος ἐρασιχρήματος, ἅρπαξ καὶ τὸ τοῦ Ὁμήρου δημοβόρος, ὑπερόπτης, ὑπερήφανος, δυσπρόσιτος, δυσπρόσοδος, δυσπροσήγορος, δυσέντευκτος, δυσόργητος, δύσθυμος, ἔμπληκτος, ταραχώδης, ἡδονῶν ἥττων, ἀκρατὴς, ἀκράτωρ, ἀλόγιστος, μισάνθρωπος, ἄδικος, ἄβουλος, ἄνισος, ἀνόσιος, νοῦ κενὸς, εὔκολος, εὐμετάβολος, εὐεξαπάτητος, ῥᾴδιος, ἀνήμερος, ἐπιθυμίαις ἐνδιδοὺς, ἀκόλαστος, ὑβριστὴς, πολεμοποιὸς, βαρὺς, ἐπαχθὴς, ἀκάθεκτος, ἀφόρητος. Tyrannicus, crudelis, ferinus, violentus, avarus (semper plus habere desiderans), amator pecuniae, rapax, populi devorator, superbus, elatus, difficilis aditu, ferox in accessu, parum salutans, paucos audiens, iracundus, tristis, stupidus, austerus, voluptatibus minor (serviens), incontinens, immoderatus, ratione non utens, inhumanus, injustus, consilii inops, iniquus, impius, mente carens, levis, inconstans, facile deceptibilis, praeceps, immitis, deditus cupiditatibus, incorrigibilis, injuriosus, auctor bellorum, gravis, molestus, effrenis, intolerabilis.* Exstat etiam libellus Ferrandi ecclesiae Carthaginensis diaconi, qui Fulgentii *σύγχρονος* fuit, in quo principi Christiano hae traduntur regulae: *1. Te sine Dei gratia et auxilio nihil posse statue et omnia ad gloriam Dei refer; 2. vita tua sit speculum subditis; 3. non praeesse tantum velis, sed praesis tum per te ipsum, tum per alios, nec praeferas honorem privatum publico commodo; 4. dilige rempublicam sicut te ipsum; 5. humanis divina praeponito; 6. noli esse nimium justus et sapiens; 7. memento, te esse Christianum.*

Pr bo po ma gis ex da

427. Quodsi juxta praescriptum harum regularum principes imperium fidei suae concreditum administrent ac constantem recte ac juste imperandi proaeresin foveant, erit id Deo gratum, ipsis non solum honorificum, sed et salutare, reipublicae utile atque commodum, unde Ferrandus regulis suis subjungit: *Sic et in hac et in aeterna vita ages feliciter, ubi ducibus Christianis dabitur perpetuus principatus.* Sin vero tyrannorum mores imitari, suis cupiditatibus unice servire et subditorum curam

abjicere malint, cedet hoc tum in reipublicae, tum vel maxime in ipsorummet principum perniciem atque exitium. Pulchre Agapetus in exposit. paraenet. tom. 1. orthodoxogr. p. 184: *Sicut fit apud navigantes, quando nauta errat, modicum affert navigantibus nocumentum, cum vero ipse gubernator, totius efficit navigii perniciem; sic et in civitatibus, si quis ex subditis peccat, non tam rempublicam, quam se ipsum laedit, sed si ipse princeps, universae infert reipublicae detrimentum*, quinimo tyranni se ipsos etiam exitio involvunt sempiterno. *Qui enim in hoc seculo bene imperant, sine fine in perpetuum regnant et de gloria hujus seculi ad aeternam gloriam transeunt. Qui vero prave regnum exercent, post vestem fulgentem lapillorumque nitorem et nudi, et miseri ad infernum torquendi descendunt*, ait Isidorus lib. 3. de summ. bon. c. 48. Esa. 30, v. 33: *Praeparata est ab heri Topheth, pro rege* (Assyrio tyranno et idololatra pessimo), *praeparata, profunda et dilatata, habitatio ejus ignis et ligna multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendit eam.* Cogitent principes, citissime praeterlabi, imo praetervolare vitae hujus gloriam, felicitatem et honorem, proinde mature cogitent de statione et gloria aeterna. Illius fugacitatis hypotyposin egregiam proponit Augustinus (sive quis alius auctor) serm. 48. ad fratr. in eremo post med.: *Cum Romae essemus apud ostia Tiberina* etc. *ductus sum cum ceteris ad videndum cadaver Caesaris in sepulcro et vidi, quod omnino esset livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus diruptum et vermium per illum catervas transeuntes prospexi;*
XIV. 305. *duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur, crines ejus non adhaerebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumtis et revelatum erat narium fundamentum. Et intuens matrem Christianissimam dixi: Ubinam est Caesaris corpus praeclarum, ubi magnitudo divitiarum, ubi apparatus deliciarum, ubi multitudo dominorum, ubi caterva baronum, ubi acies militum, ubi canes venatici, ubi equi veloces, ubi aves cantantes, ubi thalamus pictus, ubi lectus eburneus, ubi thorus regalis, ubi thronus imperialis, ubi mutatoria vestimentorum, ubi capilli solares, ubi facies decora, ubi omnia, quae sub coelo sunt? te namque verebantur homines, te timebant principes, te colebant urbes, te timebant omnes, ubinam, quaeso, haec sunt omnia, a quo recessit tanta jactantia? quo ivit tua magnificentia? Et respondit mater pietate plena: Fili, omnia sibi pariter defecerunt, quando defecit spiritus ejus, et reliquerunt eum captivatum in sepulcro trium brachiorum plenum foetore et putredine* etc. Merito igitur laudatur Maximilianus, qui aliquot annis ante obitum sandapilam, quocunque profectus est, secum circumferri voluit, ut ejus intuitu de mortalitate et reddenda imperii a se gesti ratione admonitus partes officii sibi demandati eo diligentius perficeret. Hos. 10, v. 7: *Transire fecit Samaria regem suum sicut spumam super faciem aquae.* Sicut bullae in aqua celerrime evanescunt; sic regum splendor et potentia citissime interit. Sicut bullae in aqua subinde aliae aliis succedunt, sed tandem omnes dissolvuntur; sic reges in potestate alii alios ordine sequuntur, sed omnes tandem intereunt. Proinde ut Philippus Macedonum rex per puerum sibi quotidie acclamari curabat: *Memento, te esse hominem*, ita pius princeps quotidie sibi occinat illud: *Memento, te esse bullam.*

CAPUT VII.

DE ADJUNCTIS MAGISTRATUS.

428. Diximus hactenus de *efficiente, materia, forma, fine et officio magistratus*, restat, ut ad explicationem *adjunctorum* transitum faciamus. Ad hanc *προσκειμένων* sive adjacentium classem referri possunt: *1. Virtutes et qualitates*, quibus magistratus instructos esse convenit, quales sunt verus Dei timor, prudentiae splendor, justitiae amor, fidelitatis fervor etc. sed de illis superius in descriptione personarum ad officium magistratus evehendarum late fuit dictum. 2. *Difficultas muneris hujus*, quo magistratus fungitur, quae conspicitur: *ex officii illius dignitate et eminentia*, sunt enim dii terrestres, Deum igitur sanctitate in vita et moribus referre ac penitus exprimere debent, quod in hac carnis infirmitate difficillimum. *Ex virtutum ac qualitatum, quae in magistratu requiruntur, praecellentia, ex periculorum*, quibus circumvallantur, *varietate ac frequentia; qui regit, est tanquam signum aliquod, in quod sua jacula Satan ac mundus dirigunt.* Lutherus tom. 3. p. 365. **Jud. 9, v. 9. dicit oliva in parabola Jothami: *Numquid derelinquam pinguedinem meam et vadam* לָנוּעַ, *ut movear multis*, scilicet curis et molestiis, עַל *propter ligna*, Pagninus reddidit *ut promovear super ligna*, scilicet in regem. Lutherus tom. 4. Isleb. fol. 376: Wen Gott will zu einem Märtyrer machen, den ſetzet er an einen Ort, da er irgend regieren muß, und wenn ein ſolcher das Regiment mit gutem Gewiſſen führen und ſeine Seele verwahren will, dem darf man die Teufel nicht über die Thür malen, noch zu Haus bitten, er wird ſie eher finden, als er gemeint hätte.** *Ex occasionum, quae ad peccandum ipsis offeruntur, multitudine ac copia*, qui enim possunt plurimum, omnia sibi licere arbitrantur. *Ex gravissima, quae* XIV. 306.
illorum lapsus consequi solet, ruina, etenim *quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.* 2. Sam. 24, v. 13. *Ex negotiorum ac rerum in imperio* expediendarum *multiplici cura*, quae itidem non potest non varias ipsis afferre solicitudines ac molestias, cum levissimus etiam error multorum malorum quandoque possit esse causa. *Necesse est*, inquit Agrippa ad Augustum imperii continuationem eidem dissuasurus, *ut qui imperium gerat, multis curis ac timoribus conficiatur, voluptates minime percipiat, molestissima quaeque identidem et videat, et audiat, et sentiat. Ex fortunae*, cui non minus, si non etiam magis sunt subjecti quam plebei, *lubricitate*

Adjuncta magistratus.

atque inconstantia, loquuntur enim historiae et testatur experientia, plurimos e sede regia deturbatos fortunae ludos fecisse, quin et tragicos quorundam magistratuum exitus fuisse. *Ex ratione* imperii administrati olim reddenda plusquam accurata. Sap. 6, v. 4. etc. *3. Cognatio hujus status cum ministerio ecclesiastico* et ordine oeconomico, mutuas enim sibi operas tres illae hierarchiae tradunt et ad salutem generis humani omnes institutae sunt, ut ostendimus de minist. §. 2. 4. *Honestae recreationes* magistratui permissae. Cum enim gravissima imperii moles, quod profecto est onus Aetna gravius, gubernatorum humeris incumbat, ideo permissum ipsis est, ut liberalibus, honestis ac moderatis recreationibus difficultates illas temperent ac vires animi atque corporis laboribus gubernationis exhaustas reparent. Ut arcum ac lyram remittimus, quo melius tendi possint; sic animus liberalibus exercitiis recreandus, ut ad labores postmodum sit vegetior. Tales recreationes sunt complures, utpote 1. *Historiarum lectio*. Esth. 6, v. 1: *Noctem illam duxit rex insomnem jussitque sibi adferri historias et annales priorum temporum, qui ipso praesente legerentur*. Ex illa lectione princeps non solum honestam voluptatem, sed etiam maximam utilitatem percipere poterit, hinc Demetrius Phalereus teste Plutarcho in apophth. monuit Ptolemaeum regem, *ut commentarios de regno ac scriptores historicos sibi compararet atque evolveret, nam quae amici regibus subjicere non audent, ea in commentariis describi*. Alphonsus dicere solebat, *optimos consiliarios esse mortuos*, libros intelligens, qui semper adsint vocati, nihil occultent, nihil adulentur. *Quid magis salubre ac frugiferum*, inquit Livius in praef. oper. *quam omnis te exempli documenta in illustri positum intueri, ut inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere, capias, inde foedum incepto, foedum exitu, quod vites*. *2. Operum naturae investigatio*. De Salomone constat, quod regii muneris molestias rerum naturalium investigatione discusserit 1. Reg. 4, v. 33: *Disputavit super lignis a cedro, quae in Libano, usque ad hyssopum, quae egreditur de pariete, et disseruit de jumentis et volucribus et reptilibus et piscibus*. Cavebit tamen princeps, ne imponi sibi patiatur ab illis ciniflonibus, pseudochymicis, qui metallorum in aurum transformationem pollicentur, cum ipsi extrema aeris et argenti inopia laborent, de quorum fraudibus in peculari tractatu Germanico egimus. *3. Musices oblectatio*. Propheta regius gubernationis laboribus defatigatus citharam arripit ac laudes Deo canit. 4. *Venatio*, de qua paulo post uberius dicetur, *ludi militares*, *exercitia equestria* et quae sunt hujus generis complura, in quibus omnibus et singulis cavebit princeps, ne ἡδύσματα fiant ἐδέσματα, neve recreationes degenerent in exercitia quotidiana, cumprimis vero, ne administratione divinitus sibi commissa in consiliariorum humeros penitus rejecta ipse interim voluptatibus et recreationibus sese totum tradat.

Qu. 1. An venationes in principibus probandae.

429. Quaeritur hoc loco 1. *An venationes sint recreationum honestarum loco habendae et in principibus viris probandae.* Multa contra venatores ac venationes ex effectis vitiosis afferuntur. ** Dis- XIV. 307.
putant contra nimium venationis studium Heig. p. 1. q. 15 n. 8. P. Gregorius de republ. lib. 10. c. 6. Franc. Petrarcha de remed. utriusque fort. dialog. 32. Paris de Puteo in tract. de syndic. in pr. c. 1. numer. 39. et sequentibus. Eam in se consideratam inter res indifferentes poni atque ita ex tempore, loco, persona, modo et causa licitam et honestam modo illicitam et inhonestam haberi posse, recte statuunt Lutherus in comment. ad c. 25. Genes. fol. 339. Heig. d. l. Tiraquell. de nobil. c. 37. nu. 148. ** Rationes improbantium sunt, quia 1. Venationes ad *crudelitatem et saevitiam* assuefaciunt. Ut enim Domitianus tyrannidem suam a muscarum transfixione auspicabatur; sic qui ferarum sanguine gaudent, humano etiam delectari incipiunt. *Per venationes animo in saevitiam ab humanitate degenerante homines a ferarum morte quotidiana in ipsos quoque homines saevire audent*, Pet. Gregorius in syntag. art. mirab. libr. 29. capit. 1. inde Aristoteles lib. 1. pol. cap. 8. duo isthaec studia, *venaticam et praedatoriam*, conjungit. *Venatores*, inquit Agrippa de vanit. scient. c. 77. *abjecta humanitate ipsi ferae efficiuntur morumque prodigiosa perversitate tanquam Actaeon mutantur in beluas*, quo pertinet rhythmus vetustus Germanicus:

> Wer ſich dem Jagen gar ergeit,
> Wird gleich den Thieren mit der Zeit.

In daemone venat. Spangenberg. venator sic describitur, quod *sit bestia sedens super bestiam, manu tenens bestiam, secum ducens bestiam et insequens bestiam*. 2. Venationes *docent calliditatem* ingenuo et liberali animo indignam. Multas insidiarum species venatorem nosse oportet, qui feras persequitur, quibus animus semel imbutus vix ab insidiis proximorum sibi temperat. Petr. Gregorius d. l. 3. Venatores *injurias irrogant* agrorum et sylvarum dominis, vinearum fructibus, satis ac novellis plantis. *4. Exactiones et onera maxima subditis imponunt*, sive canes sint alendi, sive pabulum feris praebendum, sive vigilandum in media hieme ad retia, sive posthabitis operis rusticis venatoria instrumenta in alium locum transferenda. *5. Periculis longe maximis sese exponunt*, dum per montes et valles ac per praerupta viarum errabunda ferarum sequuntur vestigia. *Adrianus imperator* inter venandum fregit humerum et crus paene contrivit. *Basilius imperator* a cervo in cornua sublatus ad terram non nisi mortuus rediisset, nisi discisso balteo a quodam apparitorum liberatus fuisset. Quid *Francisco I.* Galliae regi, *Maximiliano II.* imperatori et aliis dynastis in venatione obtigerit, in vulgus notum est. Exponunt etiam sese insidiis hostium, dum non satis spectatae fidei hominibus se immiscent, ac per sylvas saltusque et per deserta ferarum soli quandoque vagantur. Vide Spangenberg. im Jagdteufel. *6. Bona fisci principalis et subditorum sudores in*

homines leves et venatoria instrumenta, quorum ad venandum magnus necessarius est apparatus, *inutiliter profundunt*, cum sumtus in hanc artem factos lucrum nunquam exaequet, nedum superet, quo referunt Fulgentius in libro tertio mythol. et Palaephatus de non cred. fab. narrat. libro 1. capit. 3. fabulam *Actaeonis*, qui a canibus suis devoratus, id est omnibus opibus in canes consumtis, tandem suo studio periit. 7. Inde pii veteres contra venationem satis dura proferunt. Hieronymus in Psalm. 90. et citatur c. Esau etc. distinct. 86: *Esau venator erat, quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.* Augustinus in Psalm. 102. et citatur c. Qui venatoribus etc. dist. eadem: *Qui venatoribus donant, non homini donant, sed arti nequissimae. Nam si homo tantum esset et venator non esset, non donares, honoras in eo vitium, non naturam.* Ibid.: *Qui venatori donant, hoc in illo amant, in quo est nequissimus, hoc in illo pascunt, hoc in illo vestiunt, ipsam nequitiam publicant spectaculis omnium.* Idem in Psalm. 147. et cit. c. Vident etc. dist. ead.: *Vident homines venatorem*
. 308. *et delectantur, vae miseris, si non se correxerint. Qui enim vident venatorem et delectantur, videbunt Salvatorem et contristabuntur.* (Glossa tamen non de quavis, sed de arenaria venatione illud accipiendum esse docet, in qua cogebantur homines cum bestiis in arenam descendere, de qua Cassiodorus libr. 5. capit. 42. et Cassanus part. 11. glor. mund. c. 49. **illa a Moschis adhuc frequentatur test. L. B. ab Herbenstein in descript. Moscov.**) 8. Et venatorum nomine in Scripturis quandoque *tyranni*, quandoque *diabolus* significatur Gen. 10, v. 9. Psalm. 91, v. 3. Thren. 3, v. 52. etc.

430. Atque haec recte opponuntur illis, qui venationibus nimium indulgent, qui κυνηγετικομανίᾳ quadam correpti vitam atque aetatem omnem in illis consumunt, sicut de Mithridate Pontico Patrit. libro 3. de regn. tit. 6. scribit, quod *annos septem neque urbis, neque ruris tecto usus inter sylvas quasi errabundus vagatus fuerit*, qui majorem voluptatis, quam ex venationibus percipiunt, quam officii sui, quam reipublicae, quam subditorum habent rationem, qui primo diluculo *non ad ecclesiam vigilant, sed surgentes congregant servulos, disponunt retia, canes producunt, sylvas saltusque perlustrant, servulos, inquam, secum pertrahunt, fortasse magis ad ecclesiam festinantes, et voluptatibus suis peccata accumulant aliena*, ut ex Ambrosio hom. 33. de quadrag. loquitur c. An putatis etc. dist. 86. *qui misellis rusticis plagas inferunt, sata laeta boumque labores diruunt, qui inter cervorum greges, quasi essent ex numero ipsorum, obambulantes id tantum ab iis differunt, quod lineamenta hominis gestent*, ut de Hagide Curetum rege loquitur Justinus libr. 44. etc. quorum

Tunc etiam, defessa thoro cum membra reponunt,
Mens tamen ad silvas et sua lustra redit,

ut Th. Morus canit; quibus merito occinitur illa episcopi Florentini admonitio, qua referente Rein. Reineccio in chron. marchionem Brandenburgensem, qui eximiae magnitudinis aprum nimis avide insecutus, noctem in silvis agere coactus multis spectris et illusionibus Satanae territus fuerat, a nimio venationis studio abstrâhere voluit. *Periclitari scilicet rempublicam, conculcari querelas viduarum et orphanorum, negligi justitiam, corrumpi magistratus, dum princeps officii sui immemor a medio foro se subtrahit et per solitaria nemora feras confodit bestias.* Interim moderatus venationis usus recreationis ergo adhibitus in principibus improbari penitus non potest. **Pro venatione disputant Sebast. Medic. in tract. de venat. part. 2. q. 42. Tiraq. de nobil. c. 37. n. 139. Gail. 2. observ. 67. n. 1. Petr. Gregorius 39. synt. c. 10. n. 8. *Legislatores venatoribus eo quod commeatui et annonae consulant, certas immunitates et a gravioribus muneribus vacationem concesserunt.* l. ult. ff. de jur. immun. ** *Venatica* (inquit Sarisberiensis in suo policratico de nug. curial. lib. 1. c. 4.) *immoderato voluptatis incursu virilem animum concutit et fundamentum rationis subvertit, utilis autem et honesta esse potest ex loco, tempore, modo, persona et causa.* 1. Deus ipse leges venationis praescribit. Levit. 17, v. 13: *Qui venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus et operiat illum terra.* 2. *Isaacus* mandat Esavo filio suo, ut egressus in campum ferinam capiat Genes. 27, v. 3. *Simson* cum leonis catulo Jud. 14, v. 5. *David* cum leone et urso 1. Samuel. 17, v. 34. divinis auspiciis congressi feras istas debellarunt. *Salomon* venatione cervorum, caprearum ac bubalorum mensam regiam ferina instruxit 1. Regum 4, v. 23. *Benajas* unus ex heroibus in aula Davidis interfecit leonem in media cisterna tempore nivis 1. Paralip. 11, v. 22. 3. Spiritus sanctus petitas ex venationibus *similitudines* ad res mysticas accommodat, Psalm. 42, v. 1. Cant. 2, v. 15. Jerem. 16, v. 16. *4. Fortissimi heroes et laudatissimi principes* venationibus delectati sunt. *M. Antoninus* Philosophus imperator a gravioribus
reipublicae curis animum remittens in venationem XIV. 309.
perrexit, Jul. Capitolinus in vita ipsius; *Alexander Severus* reipublicae alioquin vel maxime intentus quandoque venabatur, Lampridius in ips. vit. *Alexander Magnus* post prandium saepe diem venatu consumebat, et ubi ab armis atque acie quies erat, assidua venatione oblectabatur, Plutarchus in Alexand. 5. Venatio praestat *utilitates* non contemnendas. Julius Pollux monet imperatorem Commodum, ut venatione quandoque utatur, quod hoc sit *studium heroicum conferens ad corporis animique virtutem. Optimi principes*, inquit Dion, *venationem exercent, ut rem saluberrimam, unde corpus robustius atque anima fortior efficitur, quippe in qua bellica omnia exercentur. Nam in ea equitare et currere, et atroces feras excipere et aestum frigusque perferre, saepe famem pati necesse est.* Xenophon libro 1. Cyrop. inquit, *venationis exercitium plurimum simile esse*

militari labori, ideoque qui ad bellum assuefaciendi sunt, illos primis statim annis venationibus esse exercendos, quod et Platonis libro 7. de legibus est consilium, cum quo congruit illud Philonis libro 1. de vita Moysis fol. 393: *Bellica ingenia praeexercere se debent in venationibus, siquidem eae efficiunt hominem robustum, celerem, laboriosum.* 6. Ipsa quoque *necessitas* venationem quodammodo commendat, ne scilicet ferarum copia nimis aucta subditis damnum inferat, neve principes nihil agendo male agere discant. ** Laudes venationis exstant apud Xenophontem libro de venat. et libro 8. Cyropaed. apud Athenaeum libr. 1. Dipnosophistarum capite 20. apud Olaum Magnum libro 18. capite 41. apud Livium libro 5. decad. 1. Julium Caesarem libro 6. comment. Homerum libro 6. Odyss. Ranzovius libro de sanitat. tuenda capit. 9: *Venatio non solum universas corporis vires et partes ex aequo exercet, sed etiam animum mira voluptate afficit.* Lutherus tomo 6. Witeberg. pagin. 369: *Venatio per se non est mala et potest ejus studium pium et bonum esse* etc. *Finis venationis est, ut bestiae crudeliores, lupi, ursi, apri arceantur et homines ac jumenta in tuto sint. Talis sit venatio, qua defendantur oves et aliae bestiae innoxiae* etc. *deinde etiam honesta voluptas est et oblectatio concessa his, qui utuntur ea sine injuria et pernicie subditorum. Sin aliter fit, res pessima et noxia est venatio.* Ranzovius eam sic descripsit:

Laudibus eximiis ars est decoranda Dianae,
Si non exsuperat cum feritate modum.
Reddit enim timidos proceres ad praelia fortes,
Anxia laetificans corda dolore gravi.
Mollitiem pellit saevique cupidinis arcus,
Languida jucundo membra labore levat.
Sternit apros cervosque premit, qui damna colonis
Tristia dant rudibus, dum male farra terunt.
Suppeditatque dapes nigraeque alimenta culinae,
Pellibus hirsutis corpora nuda tegit.
Ergo venandi ne tu contemne laborem,
*Hic tibi quandoquidem commoda dicta feret.***

2. An principes venationes sibi solis jure vendicent.

431. Quaeritur 2. *An principes venationes sibi solis jure vendicent?* Videtur id prima specie pugnare *1. cum jure divino*, quia Deus ab initio dominium ferarum non solum principibus, sed universo hominum generi subjecit Genes. 1, v. 28. ac post diluvium hanc constitutionem suam repetivit Gen. 9, v. 2. Lactantius lib. de ira Dei c. 13. ante med.: *Intelligimus, animantia ad usum hominis a Deo facta partim ad cibos, partim ad vestitum, partim ad operis auxilia, ut clarum sit, divinam providentiam rerum et copiarum abundantia hominem instruere atque ornare voluisse, ob eamque causam et aërem volucribus et mare piscibus et terram quadrupedibus implevit.* Hinc *Esavus* in illa terra, in qua nihil habebat proprii, venationes instituit Gen. 27, v. 5. Actor. 7, v. 5. ac longo tempore post diluvium promiscua ferarum venatio duravit. *2. Cum jure naturali.* Aristoteles lib. 1. polit. c. 8: *Plantae sunt animalium gratia, cetera animalia hominum causa, mansueta quidem propter utilitatem et cibum, fera vero propter cibum et alia adjumenta, ut et vestis, et cetera instrumenta ex iis fiant.* Cicero lib. 2. de nat. deor.: *Terrenorum commodorum naturalis est in homine dominatus, nos campis, nos montibus fruimur, nostri sunt amnes, nostri lacus.* Jam vero quae sunt juris divini ac naturalis, ea sunt firma et immutabilia, §. sed naturalia instit. XIV. 1
de J. N. G. et C. ut nec princeps ea tollere possit can. 1. dist. 5. 3. *Cum jure gentium*, quod diu usu receptum nationes plurimae coluerunt. De *Germanis* refert Tacitus in lib. de morib. Germ. quod *omnis ipsorum vita in venationibus ac studiis rei militaris fuerit consumta*; Xenophon l. 1. Cyrop. de *Persis* dicit, quod publicam operam venationi dederint; de *Indis* idem testatur Bohemius libr. 2. de moribus gent. c. 9. de *Graecis* Xenophon libro de venat. etc. 4. *Cum jure civili* l. injuriarum 13. §. ult. ff. de injuriis, ubi dicitur, *non posse aliquem prohiberi, vel in mari piscari, vel in quodam fundo aucupari*, quod de venationibus etiam dicendum, quippe quae cum piscationibus et aucupiis sunt ejusdem juris et conditionis l. item si fundi 9. §. aucupiorum l. usufructuar. 62. in princip. ff. de usufruct. Sic etiam §. ferae institut. de rer. divis. statuitur: *Ferae bestiae et volucres et pisces et omnia animalia, quae mari, coelo et terra nascuntur, simulatque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt, quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, nec interest, utrum feras bestias et volucres in suo fundo quis capiat, an in alieno.* l. quod in littore 14. ff. de acquir. rerum dominio: *Ferae simulac apprehensae sunt, sine dubio ejus, in cujus potestatem pervenerunt, dominii fiunt.* **Theodor. Marcell. ad §. 12. institut. de R. D. vocat illud jus *usurpativum*, quod quidem majoris mali evitandi causa toleretur, argument. l. 13. §. ultim. ff. de injur. *ineptire autem eos* censet, *qui hoc juri consentaneum esse asserunt. Inutiliter hac de re disputari, cum facti magis sit quam juris*, ait Wehner. in pract. observ. verbo Forſtrecht.**

432. Sed argumenta ista non sunt tanti roboris aestimanda, ut venationes principibus adimere possint, siquidem eas possident 1. *jure dominii superioritatis ac traditae gubernationis.* Cum enim olim consensu populi quidam in reges ac principes eligerentur, eo ipso traditum ac concessum ipsis fuit jus venandi, quo ob molestias, quas in imperio gerendo perferunt, recreationis causa uterentur. Osiander in comment. c. 24. Jobi. Saltus et nemora, in quibus ferae vagantur, sunt loca publica, quo igitur jure loca publica ad principes pertinent, eodem etiam jus venandi in locis publicis ad ipsos spectat. Ex 1. Regum 4. v. 23. haud obscure colligitur, jamdum tempore Salomonis venationes mensae regiae ferina instruendae serviisse ac proinde hominibus privatis ademtas fuisse. Jerem. 27, v. 6. et 28, v. 14. de rege Nabuchodonosor dicit Dominus: *Bestias terrae sive agri dedi ei, ut serviant illi.* Dan. 2,

v. 38: ***Bestias agri et volucres coeli dedit Dominus in manu regis*** etc. *2. Jure occupationis.* Quae jure naturali sunt communia omnium, ea occupatione unius alicujus fieri possunt, l. 3. in princip. ff. de acquir. rer. domin..: *Quod proprietate nullius est, sed usu omnium commune, id ratione naturali occupanti conceditur*, quocirca etiam jus venandi, licet primitus omnium hominum fuerit commune, attamen occupatione principum aliorumque primatum fieri potuit proprium. Sic littoris usus, quamvis omnium hominum jure naturali communis sit §. littorum quoque usus. institut. de rer. divis. littoris tamen dominium aliquis occupando suum alicubi facere potest l. quod in littore 13. ff. de acquirend. rer. domin. Cur ergo non aeque jus venandi, quod similiter cum omnibus gentibus fuit commune, occupando principes aliique primores in suis territoriis suo dominio potuissent adjicere? Bozerus de regalibus capite 1. numer. 59. Sic pleraque jurisdictione privata ac propria sunt facta, quae naturali jure sunt communia, ut de piscibus, gemmis et aliis nos docet experientia, Heigius in quaest. juris quaestio. 15. **Competit etiam eis *jure compensationis,* quia populus id, quo ipse quoque uti poterat, lubens cessit principi in compensationem laborum ac vigiliarum, quas princeps habet pro populo.** Confirmat hanc occupationem a principibus factam *utilitas*
311. *publica.* Etenim *primo* indifferens venationum usus maximum discordiarum esset fomentum, cum *communio soleat parere discordiam*, l. cum pater 77. §. dulcissimis 20. ff. de legibus l. in re communi 26. ff. de serv. praed. urban. *Secundo* interdictus est privatis armorum usus t. t. codic. ut armorum usus; jam vero absque illis venatio vix perfici potest. *Tertio* permissio venationis indifferens foret illecebra otii ac avocamentum ab agricultura et operis rusticis, ab artificiis vitae humanae necessariis etc. **Constitut. Ludovici ducis Wirtenberg. anno 1588: So bald ſie ſich dem Wildpretſchießen ergeben, werden ſie werklos und Faullenzer.** *Quarto* per eandem daretur occasio latrociniis, quibus alias nemora solent esse infesta et obnoxia. *Quinto* si cunctis indiscriminatim concessus esset venationis usus, brevi temporis spatio ferarum genus ad internecionem usque debellaretur, quas tamen servari publice interest. Tiraq. de nobil. c. 37. n. 150. *3. Jure praescriptionis.* Fridericus imperator juris venandi olim communis usum quadantenus coarctavit et subditis praesertim rusticis illud ademit §. si quis rusticus in verb. nemo retia. de pac. tenend. in us. feud. id postea consuetudine receptum, et quia longa subditorum patientia approbatum, vel ex hac ipsa patientia principes ejusmodi jura praescripserunt. Wesenbekius in parat. de acquir. rer. domin. n. 7. Jus piscandi in fluminibus publicis jure gentium omnibus est commune §. Flumina. institut. de rerum divis. si tamen quispiam in fluminis publici diverticulo solus pluribus annis piscatus sit, alterum eodem jure uti prohibere potest l. si quisquam 7. ff. de divers. temporal. praescription. l. praescriptio 45. ff. de usurp. et usucap. Jam vero quod de jure piscandi dicitur, exaudiri quoque debet de jure venandi, ut ostensum fuit superius. Quare cum principes pluribus annis venandi jure soli sint usi, integrum est ipsis ab eodem jure alios prohibere, ac si vel maxime de jure occupationis dubitatio quaedam superesset, tamen temporis, quod hominum memoriam excedit, praescriptio jus illud venandi principibus conservaret, praesertim cum nec titulo, nec bona fide destituantur, ut ostendunt Bocerus d. l. num. 63. Heigius lib. 1. quaestion. juris q. 15. n. 50. Fachin. lib. 1. controv. c. 1. Zoanet. in tract. de dupl. venat. n. 79. et alii complures.

433. Ex his facile apparet, quid ad argumenta in contrarium adducta respondendum sit. 1. Distinguendum enim *inter jus naturale primaevum et secundarium:* illud est, quod primitus ingenitum humano generi; hoc, quod postea naturalis ratio inter homines constituit. Quae juris naturalis primaevi sunt, semper firma atque immutabilia permanent; quae vero sunt juris secundarii, ad quae etiam pertinet jus venandi, illa saepe mutantur. 2. Distinguendum inter *jus naturale et gentium consideratum in suo genere*, qua ratione semper manet firmum ac immutabile, et *consideratum in subjectis individuis*, qua ratione ex justa causa si non penitus tolli, tamen minui potest ac temperari. 3. Distinguendum *inter jus venandi ante occupationem et citra praescriptionem consideratum, atque idem jus, quatenus occupatione ac praescriptione a quibusdam est acquisitum.* Non ferae solum, sed et mansueta animalia ac reliqua omnia initio fuere communia, quae tamen subsecuto jure gentium occupata et in certa dominia distincta fuerunt. ***Non tam de jure quaerendo quam quaesito custodiendo hodie disceptandum.* Knichen. *de Saxon. non prov. jur. verbo ducum Saxon* c. 5. in princ.** 4. Distinguendum *inter id, quod permittitur et quod imperatur.* Jure naturae permissum est, omnia esse communia, nemo tamen dixerit, juri naturali repugnare dominiorum distinctionem. Sic jure naturae permissum est omnibus venari, sed non sequitur, ergo illud non potest quibusdam prohiberi. 5. Thom. 1. 2. q. 94. art. 5. sic distinguit, *feras esse jure naturali communes non affirmative vel positive, sed negative,*
hoc est juxta explicationem Covarruviae, *non sunt* XIV. 312.
in bonis vel porprietate omnium, quod est affirmative commune, sed quia ad nullius res pertinent, idcirco dicuntur communes.

434. Caveant tamen principes, ne hoc jure venandi ad subditorum perniciem abutantur, quod multis modis contingere potest, 1. si *feras nimium multiplicari* permittant ac tantam illis indemnitatem procurent, ut armentis sese intermisceant, nec sint amplius, quod dicuntur ferae, sed domestica animantia. **Lutherus in c. 25. Gen. f. 339. de electore Saxoniae Friderico III. memorat, quod ita venatus fuerit, ut nemini obesset, pluribus prodesset magis. *Si quando vel exiguum damnum datum intelligebat, solvebat id duplo. Saepe etiam rusti-*

*cis aliquot modios frumenti distribuebat, ut esset quod ferae depascerent.*** 2. Si prohibeant subditis, ne *feras* ex suis agris et vineis stantibus adhuc fructibus *abigere* et molossos ad eam rem habere, vel etiam sepibus fundos suos munire possint, id quod publicae utilitati directe adversatur, publice enim interest, sata et frumenta ad sustentationem hominis nata a feris non devastari. 3. Si in ipso venandi exercitio possessoribus agrorum ac vinearum *plurimum damni* inferant, laetas segetes conculcent et lacrimis agricolarum suas voluptates irrigent, quos Dominicus a Soto lib. 4. de just. et jure q. 6. art. 4. recte statuit ad *refusionem damnorum in foro conscientiae obstrictos* teneri. 4. Si *capitali supplicio* in eos animadvertere velint, qui feram unam vel alteram debellarint. Quamvis enim non damnemus principum constitutiones, in quibus sub poena mortis venationes subditis prohibentur, ac jurisconsultis discutiendum relinquamus, an is, qui non casu nec ex necessitate coactus, scilicet vel defensione, vel paupertate, nec ex voluptate feram occiderit, sed ex contemtu legis etiam tertia vice, adeoque saepius contra tale principis sui edictum, cui capitalis poenae comminatio diserte est adjecta, venatui pertinaciter indulserit et ex ferinae venditione magnum sibi lucrum acquisivit, non tam propter ipsam ferarum capturam, quam propter pertinacem edicti principalis contemtum et extremam proterviam capitis poena affici possit; tamen piis principibus auctores sumus, ne in exsecutione poenarum ad hanc severitatem descendant, sed mulcta pecuniaria, carcere, relegatione aliisve poenis sint contenti, ut enim monet Arnisaeus lib. 3. de jur. majest. c. 4. num. 3: *Cum jus venandi olim ad subditos pertinuerit ac tituli illi principum, ex quibus illud sibi solis vendicant, non nimis firmis nitantur rationibus, ideo in eos, qui feras naturali sua libertate vagantes capiendo jus illud repetunt, crudeliter saevire non debent*, ac moderatiores jurisconsulti dicunt, nimis durum ac rationi dissentaneum videri, pro belua aliqua capta hominem ad imaginem Dei factum et Christi sanguine redemtum morte mulctari et capite protinus plecti, Zoanet. de dupl. venat. num. 99. Wesenbekius in parat. ff. de acquir. rer. dom. num. 7. Jure Saxonico veteri expresse prohibitum, capitali supplicio ferarum captores afficere lib. 2. Landrecht art. 61. da Gott den Menschen schuf, gab er ihm Gewalt über Vögel, Fische und alle wilde Thiere, darum haben wir die eine Urkunde von Gott, daß niemand sein Leben an diesen dreien verwirken kann. Detestatione igitur dignum est, quod Galeatius Sfortia coëgit colonum ut leporem, quem ceperat, crudum cum pelle devoraret, ex quo mortuus est, Corius vol. 6. histor. Mediol. Quodque adhuc hodie aliqui majoris aestimant vitam alicujus ferae quam hominis, quibus Sarisbeirensis in policrat. lib. 1. c. 4. *summam* tribuit *vesaniam*. *In tantam* (inquit) *quosdam vanitatis venatoriae instinctu videmus erupisse vesaniam, ut hostes naturae fierent, conditionis suae immemores, divini judicii contemtores, dum in vindictam ferarum imaginem Dei exquisitis subjugant suppliciis.*

CAPUT VIII

XIV

DE CONTRARIIS MAGISTRATUI ADVERSANTIBUS.

435. Ad contraria sive pugnantia referimus 1. *ἑτεροδοξίαν*, *errores ac furores eorum*, qui pote- Pugn tia et
statem et officium magistratus labefactant, quos magi
superius suo loco enumeravimus; 2. *ἀναρχίαν καὶ* stratu
ἀπείθειαν, *seditiones ac rebellionem subditorum*, qui divinae ordinationi magistratus resistunt et obedientiae vinculum, quo obstricti tenentur, nefarie dissolvunt; 3. *κολακίαν*, *adulationem eorum*, qui principum potestatem immoderate extollunt, licentiam quidvis faciendi ipsis concessam esse statuunt et gnathonicis suis vocibus tyrannidi occasionem praebent; 4 *ἀκαταστασίαν*, *eversiones et conversiones rerumpublicarum*, de quarum speciebus ac causis late disputant Philosophus libro 5. polit. Bodinus libro 4. polit. capit. 1. Tolosanus libro 21. et sequentib. de republic. Patricius lib. 6. de instit. reipubl. cap. 5. Lipsius libr. 4. polit. cap. 10. et 11. Arnisaeus lib. 2. polit. cap. 2. et seqq. Junius part. 1. quaest. 5. Schönborn. libr. 7. polit. et alii complures. **Tria autem regnorum exitia *ἀσέβεια*, *ἀδικία*, *ἀσέλγεια*, statuuntur a plerisque.**

436. Mutationes rerumpublicarum Bodinus d. l. ad tria revocat capita: 1. est *ἀλλοίωσις*, alteratio, quando respublica sic mutatur, ut prior ejus forma non desinat nec nova succedat, ut si aliae ferantur leges, si mutetur religionis status, si civitas in alium locum transferatur; 2. *μεταβολή*, conversio, qua reipublicae forma in aliam mutatur, ut si monarchia degenerat in tyrannidem vel democratiam; 3. *πανωλεθρία*, interitus ac abolitio, qua respublica penitus deletur. Causas mutationum plerique reducunt ad tres classes, videlicet *divinam*, *naturales et humanas*. *Divinae* causae appellatione intelligunt Dei providentiam et decretum de periodis regnorum; *naturales* sunt vel *remotiores*, ut vis stellarum et corporum coelestium, vel *propiores*, ut temperamenta locorum, et qui ab his fere oriuntur, mores hominum; causae *humanae* vel sunt *exteriores*, vel *interiores*. *Exteriores* sunt alienae respublicae, quae potentiores te vicinis inimicae; *interiores* in ipsis reipublicae visceribus haerentes sunt vel generales omnibus reipublicae statibus atque ordinibus communes, vel *speciales* in ordine ecclesiastico, politico et oeconomico, quodsi enim idololatria, contemtus verbi, securitas, impietas, injustitia, libidines, luxuria ac similia delicta in omnibus vel aliquibus reipublicae ordinibus invalescunt, conversiones et eversiones rerumpublicarum earum sequi consueverunt. Vide quaestion. politic. decad. 10. quaest. 1. 2. et 3. *Scriptura sacra* de-

ducit nos ad *causam principem* unam, *Dei* scilicet *providentiam* ac dispositionem. Dan. 2, v. 21: *Deus removet reges et constituit reges.* c. 4, v. 22: *Donec scias, quod dominetur excelsus super regnum hominum, et cuicunque voluerit, det illud.* Actorum 17, v. 26: *Definit statuta tempora et terminos habitationis eorum*; tum ad causas *inferiores* complures, quae sunt *peccata* vel *magistratus*, vel *subditorum*, vel *utrorumque*; contra primam ac secundam decalogi tabulam commissa, quae eversionibus rerumpublicarum Deus punire solet, qualia sunt: idololatria, Jud. 3, v. 6. cum *Israëlitae obliviscerentur Dei sui servientes Baalim et lucis, vendidit eos Deus in manus Mesopotamiae*; inobedientia, 1. Samuel. 15, v. 26: *Projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus, ne sis rex super Israël;* contemtus verbi, 2. Paralip. 36, v. 16: *Israëlitae subsannabant nuntios Dei et irridebant sermones ejus, illudebantque prophetis, adduxit ergo super eos regem Chaldaeorum;* vagae libidines, Levit. 18, v. 27: *Omnes exsecrationes istas fecerunt accolae terrae, quae fuerunt ante vos, unde terra eos evomuit;* injustitia, Eccles. 10, v. 8: *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias et injurias et contumelias et diversos dolos;* oppressiones subditorum, 1. Regum. 12, v. 16: *Videns populus, quod noluisset eos rex audire, defecit a domo David* etc.

. 314

PARS POSTERIOR

HUJUS TRACTATUS DE SUBDITIS.

437. Dictum fuit hactenus περὶ τῶν ἀρχόντων, *de illis, qui imperant*, qui potiorem ac praestantiorem politiae partem constituunt; restat, ut porro disseramus περὶ τῶν ἀρχομένων, *de illis, qui parent*, qui numerosiorem ac copiosiorem politiae coetum absolvunt, semper enim eorum, qui parent in politiis, major est numerus quam eorum, qui imperant, id quod ex singulis politiarum speciebus, monarchia, aristocratia et democratia, probari potest. *Subditorum* nomine intelligitur multitudo hominum, quae regitur, ac comprehenduntur hoc nomine omnes ac singuli, qui sunt in illa civitate, provincia ac regione, cui magistratus praeest, cujuscunque sint status vel conditionis. Quotquot enim ad rempublicam aliquam pertinent, illos ad alterutram ejusdem partem, videlicet vel *ad magistratum*, vel *ad subditos*, referri oportet, unde consequitur, subditi nomen generalius esse quam civis specifice et proprie sic dicti. Qui enim honorum ac dignitatum publicarum una cum aliis particeps est, is proprie *civis* est, sed qui onerum duntaxat, non vero honorum ac dignitatum particeps est, ille in ea, in qua degit, republica non est civis, sed *subditus*. Ἀντιστροφα haec sunt, non ἀντιστρέφοντα, omnis quidem civis est etiam subditus, sed non omnis subditus est civis. Accedit insuper diversus respectus. Civis dicitur respectu reipublicae patriae, in qua natus, vel cui asscriptus est; subditus respectu magistratus, cui paret.

438. Subditos fieri dicunt duplici modo, *1. origine sive nativitate, 2. domicilio sive habitatione.* Quod origo ac nativitas faciat subditum, probatur ex l. assumtio 6. §. 1. ff. ad municip.: *Filius civitatem, ex qua pater ejus originem ducit, non domicilium sequitur. Si quis ex diversarum civitatum parentibus natus sit, patris, non matris conditionem sequitur.* l. Municipem 1. §. 2. ff. eodem; nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur, tunc enim maternae originis erit municeps. Vulgo quaesitus matris conditionem sequitur. Domicilium, in quo quis fortunarum suarum sedem figit, subditum constituit, quantum vero temporis spatium ad contrahendum domicilium requiratur, interpretes juris variant, qua in re cujusque reipublicae leges ac mores respiciendos esse, non absurde statuitur. Congruit cum hac jurisconsultorum distinctione, qua subditi dicuntur fieri *obligatione* vel *naturali*, vel *voluntaria. Naturali obligatione* subditus est, qui sub jurisdictione et dominio magistratus illius, cui subest, natus est; *voluntaria obligatione* subditus est, qui magistratui alicui ultro ac sponte sese subjicit et pro superiore eum recognoscit, etiamsi sub ejus dominio non sit natus. Addi autem potest tertia species, quia subditi etiam fiunt *debellatione*, quando scilicet in justo bello magistratus suae potestati ac jurisdictioni quosdam subjicit.

Quot modis fiant?

439. Ceterum subditi in duplici sunt differentia. Quidam enim *sunt mere subditi*, qui nullam partem potestatis obtinent, sed superiori potestati simpliciter sunt subjecti; quidam vero sunt *mixti subditi*, qui vel ex legibus fundamentalibus, vel ex pacto, vel consuetudine in partem potestatis sunt recepti, ideoque eandem in superiore magistratu quodammodo limitant ac restringunt. Sic electores in imperio Romano quasi ephori quidam constituti sunt ac custodes juramenti, quod imperator ante solennem inaugurationem imperio praestat. Antequam enim ad summum illud imperialis potestatis fastigium princeps evehatur, leges in capitulatione comprehensas juramento interposito recipit ac fidem dat electoribus scripta cautione, quod ab iis nullo modo velit recedere. *Capitulatio* illa est lex Germanorum regia, qua populi Germanici summum imperium in imperatorem designatum certis conditionibus transfertur, proinde imperatoris potestas non ex antiqua Romanorum, sed ex hodierna sub Henrico IV. nata et sub Carolo IV. inprimis confirmata lege regia definienda est, ex qua constat, quod non sit absoluta et omnimoda potestas, sed legibus imperii fundamentalibus adstricta, quibus velut ex pacto et conventione obligatur. Hortlederus in q. ex Sleid. n. 5. et seqq.

Quotuplices subditi? XIV. 315.

440. Quaeritur hoc loco, *An personae ecclesiasticae a potestate civilis magistratus, etiam Christiani sint exemtae?* Pontificii absolute et ἀδιακρίτως affirmant, nos **(praemisso hoc, quod *libertas* illa

Qu. An personae ecclesiasticae a potestate magi-

stratus sint exemtae?

sive immunitas spectetur vel in personis sive *clericis ipsis*, vel in eorum *bonis*. Personarum immunitas consideratur respectu negotiorum sive causarum, quae sunt vel ecclesiasticae, vel politicae. Illae sunt, quae ad conscientiam pertinent et non nisi ex verbo Dei legitime definiri possunt. Suntque ejusmodi controversiae de fide et de disciplina ecclesiae. Hae vero quae ad res civiles et oeconomicas pertinent et ex legibus magistratus politici legitime decidi possunt et solent in judicio civili. Bonorum clericalium immunitas consideratur praecipue vel in tributis, quae solvuntur ex agris, praediis aliisve possessionibus immobilibus ac mobilibus, imo in ipsis personis et capitibus (quod tamen potius est onus personale quam reale); vel in vectigalibus, quae penduntur pro mercibus exportandis et importandis sive ordinarie, quae jussu legum semper numerari solent, sive extraordinarie, quae tantum ad praesentem aliquam necessitatem exiguntur et postea desinunt)** distincte respondendum censemus. 1. In personis ecclesiasticis sive clericis duo consideranda sunt. Primo *ecclesiasticum* quod gerunt *officium* in verbi praedicatione, sacramentorum administratione, disciplinae ecclesiasticae conservatione etc. occupatum; deinde *politicum*, quo civili societati obstricti sunt, *vinculum*. Illius ratione in actibus ecclesiasticis ac spiritualibus ad potestatem ecclesiasticam internam pertinentibus magistratui non sunt subjecti, neque enim magistratus potest, nec debet illis praescribere aliam docendi, errores et peccata arguendi, sacramenta administrandi etc. formam, quam est in verbo ipsis divinitus praescripta, quin potius magistratus Christianus tanquam membrum ecclesiae ad episcopum ac verbi praeconem habet se tanquam ovis ad pastorem, ideoque peccata sua ex verbo argui et taxari, inique ferre neutiquam debet. Quod attinet *vocationem* ministrorum eorundemque si vel erronea doctrina, vel impia vita scandalo sit, *remotionem*, Item *legum ecclesiasticarum promulgationem*, *ceremoniarum institutionem* atque obligationem, quae ad potestatem ecclesiasticam externam pertinent, in illis, an aliqua et qualis potestas Christiano magistratui competat, superius fuit expositum, cujus potestatis limites neutiquam transgredi, nec ea, quae vel cum tota ecclesia, vel cum presbyterio communia habet, sibi soli vendicare debet. 2. Sed praeter hoc ecclesiasticum officium civili etiam societati eaedem personae tenentur obstrictae, sunt enim non solum ministri ecclesiae, sed etiam membra ac partes reipublicae. quo respectu duo in illis spectanda sunt, *personae* et *fortunae* sive facultates temporales. Personarum suarum respectu magistratui civili sunt subjecti, cum enim sint partes reipublicae, oportet eos vel ad magistratus vel subditorum ordinem referri, jam vero civilem magistratum nec gerunt, nec gerere debent, ad subditorum igitur classem hoc respectu pertinent. Proinde ut reliqua membra reipublicae legibus honestis ad civilem societatem pertinentibus obligantur; ita quoque iisdem personae ecclesiasticae obstrictae tenentur. Ut legum transgressores incurrunt poenas a magistratu in legibus definitas; ita quoque easdem personae ecclesiasticae effugere non poterunt propter obedientiae vinculum, quo magistratui et legibus sunt obligatae. 3. Distinguendum tamen inter *delicta clericorum*. Etenim si *in officio suo* delinquant, tum cognitio et poena illius delicti utpote ecclesiastici non pertinet ad so- XIV. 3 lum magistratum Christianum, sed ad totam ecclesiam, vel ad illos, qui publico ecclesiae nomine hoc officio funguntur, ad senatum scilicet ecclesiasticum. Sed si committant delicta *civilem societatem turbantia*, eaque vel *capitalia*, vel *non capitalia*, tum cognitio et poena illius delicti pertinet ad magistratum civilem. 4. Distinguendum etiam inter magistratum civilem *summum et inferiores*. Non enim sequitur, clerici in temporalibus subjecti sunt magistratui, ergo cuivis etiam inferiori magistratui sunt subjecti, ita ut consul oppidanus ac praetor paganus potestatem habeat ecclesiae ministrum in jus vocandi, vel etiam in vincula conjiciendi. Pro diversitate enim ordinum diversa etiam sunt dicasteria, ita ut sub uno supremo magistratu aliud sit tribunal civium, aliud nobilium, aliud verbi ministrorum. Sic in ecclesiis reformatis, quamvis per pacificationem Passaviensem jurisdictio episcopalis in principes evangelicos sit translata, tamen recte et competenter illi faciunt, quod non immediate nec per consiliarios politici regiminis eandem exercent, sed praefecerunt pastoribus superintendentes, et instituerunt consistoria ecclesiastica, in quibus et ecclesiasticae, et politicae personae praesident, quibus in clericos certa determinatione, ordine ac modo jurisdictio est attributa. Sic Paulus 1. Timoth. 5, v. 19. accusationes contra presbyteros institutas ad Timotheum episcopum deferri voluit. 5. Distinguendum inter *actiones personales et reales*, quam distinctionem petimus ex constitut. eccl. electoris Augusti in c. de immunitatibus ecclesiae ministrorum p. 106. cujus verba sic habent: Wenn die Kirchendiener gleich anderen unſerer Unterthanen in Sachen ihre Perſon belanget in actionibus personalibus vor den Gerichten, da ſie der Kirche dienen, zu Recht ſtehen ſollten, ihnen und ihrem Amt dadurch Verkleinerung erfolgen möchte, ſo ordnen und wollen wir demnach, wenn ſich zwiſchen unſeren Amtleuten und einem oder mehreren unſerer Unterthanen gegen einen Pfarrherrn, Prediger, Diacon oder Subdiacon, Speen oder Widerwillen zutrüge, daß anfänglich die Sachen und Parteien durch den Superintendenten deſſelbigen Orts neben dem Amtmann, Gerichtsherrn oder Collatorn, wofern derſelbe nicht Parth oder ſonſt der Sache verwandt iſt, oder auch zwei Schöppen oder Kirchenvätern gütlich verhört, auch unterſtanden werde, ſie mit wiſſenden und billigen Dingen zu vereinigen. Da aber über ſolche Unterhandlungen und angewendeten Fleiß ſie einander rechtliche Forderung nicht erlaſſen wollten, ſoll der Superintendent mit dem Amtmann, Erb- oder Gerichtsherren an unſer Consistorium gelangen laſſen, was ſie zwiſchen ihnen gehandelt, wie auch alle Sachen geſchaffen und an wem die Gütligkeit erwunden, daſelbſt durch ſie, unſere Conſiſtorialen, der Partheien Zwietracht und Sachen, ſo viel

als möglich, gütlich und ohne Weitläufigkeit, auch wenn die Güte nicht ſtatt fände, durch Recht, doch ohne langen Prozeß, ſummariſcher Weiſe entſchieden werden ſollen. Was aber ihre und ihrer Weiber angefallene oder erkaufte eigenthümliche Erbgüter und dergleichen actiones reales, dingliche Sprüche und Forderungen betrifft, ſollen unſere Kirchendiener an Orten, wo andere unſerer Unterthanen ſchuldig ſind Recht zu nehmen und zu geben, deren Austrag gewarten. 6. Pari ratione distinguendum *inter onera personalia et realia. Personalia* ministris ecclesiae non sunt imponenda, ne officii auctoritati et otio ad ejus administrationem necessario quippiam decedat, inde l. generaliter et l. Presbyteros C. de episc. et cler. Justinianus statuit, *ut presbyteri a muneribus personalibus, quae obeuntur industria et opera adhibita immunes essent,* si enim ad illa adstringerentur, fieri non posset, quin a suo munere abstraherentur ac confunderetur dignitas sacerdotis, ut dicitur l. nec honore C. eod. l. fin. C. de excus. muner. Sic ergo ecclesiae ministri cogendi non sunt, ut in acie versentur (nisi sacrorum causa), ut vigilum munus una cum aliis subeant etc. ubi tamen quidam addunt limitationem, si patria in extremo versetur discrimine ac prae-
317. sentissimum sit periculum, ne in manus hostium veniat, tum personas ecclesiasticas, si sint numero plures et armorum peritae, teneri, ut reipublicae perituræ opem ferant. 7. *Onera realia* quod attinet, distinguendum *inter bona*, quae ecclesiastici possident. Vel enim sunt *sacra et ecclesiae consecrata,* vel *non sunt sacra,* sed ab ipsis per emtiones, hereditates, jura connubiorum aliave media acquisita. De his posterioribus si sunt tributaria, magistratui solvendum, quod debetur, Rom. 13, v. 6. res enim transit cum onere, ac *onera realia res et quoscunque possessores sequuntur* l. Imperatores 7. ff. de publ. et vectig. c. Si quis laicus etc. 16. q. 1. Quodsi vero ecclesiae ministri non possideant bona aliqua propria, sed tantum ex bonis sacris sive ecclesiasticis vivant, ad tributa solvenda cogi nequeunt, hinc Lutherus tom. 7. Jen. f. 449. ad concionatorem aulicum scribens graviter improbat, quod tributum contra Turcam a pastoribus exigatur; inter cetera sic loquitur: Wovon ſollen es die Kirchendiener geben', ſo ſie nichts eigenes haben, und eben ſo viel iſt, als nehme man es von dem Kirchengut, das iſt von Almoſen, oder wie man ſpricht, von unſeres Herrn Chriſti Füßen. 8. Circa bona sacra et ecclesiastica distinguendum inter ea, quae a magistratu vel subditis ab omni vectigalium et *tributorum onere prius soluta atque libera* ecclesiae sunt consecrata, et inter ea, *quae non sunt libera, sed pensiones annuas magistratui semper hactenus solverunt.* Priora merito utuntur hac libertate, nec imponuntur illis onera tributorum; sic ager Aegyptiis sacerdotibus assignatus a pensione annua quintae partis fructuum fuit immunis Gen. 47, v. 22. Levitis, cantoribus, janitoribus, Nathinaeis vectigalia, tributa et annonae non fuerunt impositae Esdr. 7, v. 24. Posteriora per ipsam consecrationem non fiunt a tributis libera, nisi accedat magistratus consensus. 9. In ipsis etiam ecclesiasticis bonis plane liberis distinguendum inter tributa *ordinaria et extraordinaria.* Ab ordinariis quidem tributis bona illa sunt libera, interim si ecclesiae ac reipublicae salus extraordinariae contributionis necessitatem requirat, si captivi redimendi, si hosti potentissimo pro religione ac libertate conservanda tributum persolvendum, tunc ex illis etiam bonis tributum exigi potest, nimirum si ecclesiastici non ea tantum obtineant, quae ad necessitatem et ordinis dignitatem faciunt, sed etiam ea, quae ad abundantiam, ut in papatu cuivis obviam. Sic Ezechias 2. Reg. 18, v. 15. thesauros Deo consecratos Sennacheribo pacis redimendae causa persolvit. Quod ergo Honor. et Theodos. l. placet C. de sacros. eccl. ab extraordinariis contributionibus clericos exemerunt, id intelligendum excepto casu *necessitatis et publicae utilitatis,* ut colligitur ex l. jubemus C. eod. quo pertinet dictum Hugonis l. 2. de sacram. part. 2. c. 7: *Nunquam possessiones a regia potestate ita elongari possunt, quin si ratio postulaverit et necessitas, et illis ipsa potestas debeat patrocinium et illi ipsae possessiones debeant in necessitate obsequium.* Non tamen debet esse ficta, sed vera necessitas reipublicae salutem concernens. 10. Denique distinguendum inter *immunitatem* et exemtionem clericorum *generalem, totalem et indeterminatam,* quae sit *juris divini,* qualem tam *personarum* quam *rerum* ratione Pontificii clericis tribuunt, et inter *immunitatem* et exemtionem clericorum *specialem, partialem et limitatam,* quae est *juris humani,* ex principum piorum beneficio ac privilegio in ordinem ecclesiasticum descendens, qua certis quibusdam in casibus respectu personarum, vel rerum a publicis oneribus ac subditorum officiis eximuntur. Priorem tantum, non autem posteriorem impugnamus, hic enim itidem locum habet vulgatum illud: *Utrumque malum immoderata libertas et immoderata servitus.*

Argumenta nostrae sententiae 1. a generali obedientiae mandato.

441. Producimus igitur contra Pontificios haec argumenta: 1. *a generali obedientiae mandato.* Ubicunque homines jubentur magistratui obedire, ibi in genere omnes absque ulla limitatione vel determinatione ad obedientiam praestandam invitantur. XIV. 318.
Matth. 22, v. 21. Marc. 12, v. 17. Christus ad Pharisaeos, qui ad clerum pertinebant, dicit: *Date caesari, quae sunt caesaris:* Bernhardus epist. 42: *Quod hic ore locutus est, mox opere implere curavit. Conditor caesaris caesari non cunctatus est censum reddere. Exemplum enim dedit vobis* (clericis, quia scribit ad archiepisc. Senon.), *ut et vos ita faciatis.* Tit. 3, v. 1: *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse et dicto obedire.* 1. Petr. 2, v. 13: *Subjecti estote omni humanae creaturae, sive regi tanquam praecellenti, sive praefectis ab eo missis, quia sic est voluntas.* Cum primis huc pertinet insignis locus apostoli Rom. 13, v. 1: *Omnis anima potestatibus supereminentibus sit subdita* etc. in quem locum sic commentatur Chrysostomus hom. 13. in ep. Rom. in princ.: *Ostendit*

apostolus, *quod ista imperentur omnibus et sacerdotibus, et monachis, non solum secularibus, id quod statim in ipso exordio declarat*, *cum dicit: Omnis anima potestatibus supereminentibus sit subdita, etiamsi apostolus sis*, *si evangelista*, *si propheta, sive quisquis tandem fueris*, *neque enim pietatem subvertit ista subjectio. Et non simpliciter dicit, obediat*, *sed subdita sit.* Theophylactus in comm. hoc loco f. 374: *Apostolus erudit et instituit omnem animam, sive sacerdos quispiam fuerit, vel monachus, vel apostolus*, *subjici potestatibus*, *ipsa enim subjectio non invertit pietatem.* Bernhardus ep. 42. ad archiepisc. Senon.: *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita. Si omnis, et vestra. Qui vos excepit ab universitate? si quis tentat excipere, conatur decipere.* Idem ep. 170: *Etiamsi totus terrarum orbis adversus me conjuraret*, *ut aliquid moliar adversus regiam majestatem, ego tamen Deum timerem et ordinatum ab ipso regem offendere temere non auderem, memor ejus*: *Qui potestati resistit*, *Dei ordinationi resistit.* Eundem locum urget contra Adrianum II. Carolus Calvus Galliae rex in epist. ad pontificem, quae exstat in catal. test. verit. p. 942. §. Unde sicut etc. Sic ergo concludimus. Qui dicit omne, nihil excludit. Apostolus omnes homines potestatibus sublimioribus sive magistratui jubet esse subjectos. Ergo non excludit ecclesiae ministros, quin imo cum scribat ad omnes, qui sunt Romae, *dilectos Dei, vocatos sanctos* Rom. 1, v. 7. inter quos etiam locum habuerunt ecclesiae illius ministri, utique etiam eos magistratui obedire jubet. Excipit 1. Bellarminus lib. de cler. c. 28. prop. 3. *quamvis jure divino sit omnis anima sublimioribus potestatibus subjecta, ac per hoc etiam regibus*, *dum sublimiores potestates sunt*, *tamen fieri posse, ut qui nunc est sublimior potestas, paulo post non sit*, *ut si ipse subjiciat alteri partem sui regni*, *vel jure belli*, *aut alio justo titulo regnum vel regni partem amittat. Quoniam ergo clericos partim ipsi principes subjecerunt in omnibus causis etiam temporalibus et civilibus episcopis suis*, *et summus pontifex clericos omnes exemit a subjectione principum secularium*, *sequitur ut respectu clericorum principes non sint superiores potestates.* Respondemus: petit Bellarminus principium, id enim in quaestione est, an principes clericos a sua potestate exemerint vel eximere debuerint, et an pontifex Romanus eos ex principum potestate eximere potuerit. Si exemtio illa descendit ex principum indulgentia et privilegio, non descendet ex jure divino, quia concessio privilegii est voluntatis, sed juris divini sanctio est strictae necessitatis. Nec potuit vel potest pontifex contra jus divinum aliquid statuere, jam vero clerici ex jure divino obligantur ad obedientiam magistratui civili praestandam. Ergo pontifex non potuit illos ab obedientia eximere. Frustra alibi Bellarminus excipit, *reges et principes in sua ad Christianismum conversione sceptra sua Christo*, hoc est, *Christi in terris vicario*, *Romano scilicet pontifici*, *subjicere*, *proinde etiam pontificem ab eorum potestate clericos eximere potuisse*, aliud enim est Christo, aliud pontifici se subjicere. Quodsi principes Christo fidem dantes eo ipso amittunt jurisdictionem civilem in clericos, tum privantur suo jure absque ulla culpa, quod est absurdum. 2. Idem XIV. c. 30. §. quarto etc. aliter excipit, *sententias apostolorum Rom. 13. 1. Petr. 2. esse generales. Quamvis enim nominatim in iis fiat mentio regum*, *quoniam eo tempore valde necessarium erat diligenter monere Christianos*, *ut regibus obedirent*, *ne fidei praedicatio impediretur*, *tamen absolute verba illa tam Petri*, *quam Pauli nihil aliud significant*, *nisi debere omnes homines suis legitimis superioribus debitam obedientiam exhibere*, *quare non potest ex his testimoniis apostolicis probari*, *clericos principibus seculi vel ipsorum legibus obtemperare debere, nisi prius probetur*, *principes ac reges seculi esse legitimos superiores et judices clericorum.* Eandem exceptionem adducit lib. 2. de Rom. pont. c. 29. resp. ad 3. eamque repetit in resp. ad 8. propos. in caus. Venet. et contra Barclai. c. 3. Respondemus: Scopus apostoli est redarguere eos, qui praetextu libertatis Christianae homines abducebant ab obedientia magistratui etiam infideli et ethnico in civilibus praestanda, ut Chrysostomus in comment. observat et suo loco demonstratum fuit. Ergo in specie agit de magistratu politico. Praeterea de tali potestate loquitur apostolus, quae *gladium portat* et cui praestantur tributa. Ea vero non est ecclesiastica, sed politica. ***Nulla tunc temporis alia quam politica et temporalis potestas vulgo ab hominibus agnoscebatur. Et apostolus ita suas epistolas conscripsit*, *ut non solum conversos ad fidem erudiret suique officii admoneret*, *ne existimarent*, *se ita Christi sanguine redemtos*, *ut nulli amplius potestati seculari obedire tenerentur*, *sed etiam ut ethnicis et infidelibus crederet*, *legem Christianam nulli jus suum auferre*, *nec esse ullo modo temporali regum et imperatorum auctoritati et potestati contrariam.* Barclaius de potest. pap.** Sed demus, apostolum de quibusvis superioribus loqui, nihilo tamen minus manet illud, quibus in rebus aliquis praeest, in iis reliquos ipsi obsequi debere ac proinde etiam ecclesiasticos principibus, qui in rebus temporalibus praesunt, obsequium debere, quemadmodum in spiritualibus parendum est episcopis ab omnibus ac proinde etiam ab ipsis principibus, quatenus scilicet potestate sua juxta verbi limites utuntur. Quod Bellarminus dicit, *in quaestione adhuc esse*, *an reges seculi sint legitimi superiores clericorum*, id ex textu apostolico firmiter probari dicimus. Apostolus enim generaliter loquitur, quod *omnis anima potestatibus sublimioribus debeat esse subjecta*, et profert argumenta generalia, quae ipsos etiam clericos concernunt, videlicet quia magistratus est *Dei ordinatio*, *cui qui resistit*, *Dei ordinationi resistit*, quia contemtus et inobedientia trahit secum poenas, obsequium vero laudem habet, quia obedientia erga magistratum necessaria est non tantum propter *iram* sive poenam fugiendam,

sed etiam propter *conscientiam*, quia tributa magistratui solvimus. Jam vero hae rationes sunt generales, et Christus etiam Pharisaeis jussit tributa caesari dare, quin ipse etiam tributum pro se et Petro solvere voluit, ut postea dicetur. Ergo etiam clericorum respectu principes sunt sublimiores potestates. 3. Alii excipiunt, *per animam intelligendos esse homines animales et carnales, qui sint distinguendi a spiritualibus*, quo accommodant Origenis interpretationem. Respondemus: *anima* phrasi Hebraea ponitur pro homine per synecdochen usitatam, Gen. 14, v. 21. c. 46, v. 27. Ezech. 18, v. 20. Act. 2, v. 41. 1. Petr. 3, v. 20. etc. omnis ergo anima notat omnes omnino homines, ut recte monet Chrysostomus et ex scopo et circumstantiis textus est manifestissimum. Origenes se ipsum satis explicat, sic enim addit: *Petrus et Johannes nihil habebant, quod caesari redderent, dixit enim Petrus, aurum et argentum non habeo. Qui hoc non habet, nec caesari habet, quod reddat, nec unde sublimioribus subjaceat potestatibus. Qui vero habet pecuniam aut possessiones, aut aliquid in hoc seculo, audiat, omnis autem anima potestatibus sublimioribus subjaceat.* Jam vero episcopi, praelati, abbates et sacerdotes habent pecuniam et possessiones. Ergo potestatibus sublimioribus debent subjacere. Digni certe sunt illi spirituales, qui eo migrent, ubi solis
V. 320. spiritibus est locus, si unam cum illis, qui anima et corpore constant, rempublicam constituere ejusque legibus sese obsequentes praebere nolunt. 4. Mandatum Christi de caesari dandis, quae sunt caesaris, Matth. 22, v. 21. Jacobus de Terano Urbani VI. cubicularius sic accipiendum esse statuit, quod *non nisi usque ad adscensionem ejus praecepti vim habuerit, sed post adscensionem omnia imperia a caesare et regibus ad Christi vicarium fuisse transferenda, probat* ex Johan. 12, v. 32. Sed hoc recitasse est refutasse, cum Petrus, quem primum Christi in terris vicarium fuisse volunt, etiam post Christi adscensionem subjectionem erga principes terrenos ob omnibus requirat.

A sacerdotum in V. T. exemplo.

442. *A sacerdotum in V. T. exemplo.* Si V. T. sacerdotes fuerunt potestati magistratus politici subjecti, utique idem de ministris ecclesiae in N. T. dicendum. Connexio probatur, quia ut Bellarminus ipse scribit prop. 5: *Constat, id nunc esse in ecclesia clericos, quod erant Levitae in T. V.* Jam vero sacerdotes V. T. fuerunt potestati magistratus politici subjecti, ut constat exemplo illorum regum ac ducum, qui in sacerdotes exercuerunt jurisdictionem politicam; *Moyses* praeficitur Aaroni in Deum Exod. 4, v. 16. et in peccatum prolapsum eundem corrigit, Exod. 32, v. 21. *Levitae* non solum Aaroni, sed etiam Moysi, qui erat princeps civilis totius populi, fuerunt subjecti; *David ex regali unctione sacerdotibus et prophetis praefuit in causis seculi*, ut loquitur Gratianus; *Salomon* propter crimen laesae majestatis Abjatharem pontificem non tantum sacerdotio exuit, sed et morte mulctavit, quamvis gratiam ipsi fecerat propter merita, quibus parentem sibi devincierat 1. Regum 2, v. 26. *Levitae* juxta mandatum regis Ezechiae instituunt reformationem 2. Par. 29, v. 15. etc. Excipit 1. Bellarminus de cleric. c. 30. in resp. ad argumenta Medinae, *Moysen non solum principem civilem totius populi, sed etiam summum sacerdotem fuisse et Aarone majorem, quamvis extraordinaria potestate*, quo refert locum Ps. 98. *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, item consecrationem Aaronis a Moyse peractam.* Respondemus: imo vero unicus tantum quovis tempore fuit summus sacerdos in V. T. ad exprimendum typum Christi unici illius in N. T. ἀρχιερέως. Inauguratio et consecratio Aaronis ac filiorum ejus fuit extraordinarium opus peculiari Dei praecepto Moysi demandatum, quo peracto nullam muneris sacerdotalis partem postmodum attigit, sed ducis ac legislatoris partes obivit. In Psalmo habetur vox כהנים quae generalis est, virum *primarium ac principem* in ecclesiastico vel politico ordine constitutum significans, ut superius ostendimus. 2. Ad exemplum Salomonis excipit contra Barcl. c. 15. *factum Salomonis narrari tantum, non probari.* Sed quia idem obverti potest omnibus exemplis, quae pro stabilienda sua opinione Bellarminus ex V. T. adducit in prop. 5. hujus libri de clericis, et cumprimis quia manifeste constat, Abjatharem cum Adonia conspirasse ac crimen laesae majesatis commisisse 1. Reg. 2, v. 22, atque hac ratione in poenam magistratus incidisse (quia rex divino mandato constitutus fuit custos utriusque decalogi tabulae Deut. 17, v. 18. qui ergo in earum alterutram offendebat, in poenas ejus jure ac merito incurrebat); ideo aliter excipit libr. 2. de Rom. pont. c. 26. arg. 4. *Salomonem non ut regem, sed ut prophetam et executorem divinae justitiae deposuisse Abjathar surrogato Sadoco.* Respondemus: haec posterior exceptio repugnat priori. Si enim Salomon in hoc facto ut propheta et divinae justitiae executor egit, utique factum illud non solum narratur, sed etiam probatur, absit enim, ut statuamus, Deum per prophetas suos quaedam agere, quae probari non possint. Sed negamus, Salomonem hic egisse ut prophetam et non ut regem, quia ad jus regium pertinebat illa superioritas et jurisdictio, quam Salomon in hac depositione exercuit, quo referri possunt similia exempla, in quibus summi sacerdotes a regibus fuere instituti et correcti. 1. Par. XIV. 321.
23, v. 27. *juxta praecepta David supputabantur Levitae et certa ministeria illis ordinabantur.* 2. Paral. 17, v. 8. *mittit Josaphatus Levitas et sacerdotes, qui docerent populum Juda et reformationem cultus instituerent.* 2. Paral. 29, v. 30. *praecepit Ezechias Levitis, ut hymnos canerent et sacrificia Deo offerrent. Josias et Judas* Maccabaeus idololatricis cultibus abolitis per sacerdotes reformationes instituerunt 2. Par. 34. 1. Macc. 4. etc. *Joas* sacerdotum et Jojadae pontificis negligentiam arguit 2. Par. 24, v. 6. Bellarminus quidem ex verbis, *ut impleretur sermo Domini*, immediate subjectis 1. Reg. 2, v. 27. demonstrare nititur, Salomo-

nem inspiratione prophetica, non autem potestate regia Abjatherem deposuisse. Sed constat ex N. T. formulam illam saepius usurpari, etiam de illis factis et eventibus, ad quae non accedit peculiare aliquod mandatum. Matth. 27, v. 35. Marc. 14, v. 49. Joh. 19, v. 24. etc. Nec est, quod regerat, *juxta fontes Hebraicos de Salomone dici, quod impleverit sermonem Dei*, ex eo enim nondum colligi potest, quod Salomon ut propheta et non ut rex eum sermonem impleverit, quemadmodum enim duplici modo Deus exercet vindictam, ordinarie per magistratum, qui dicitur *minister Dei vindex ad iram*, et extraordinarie per se ipsum; ita quoque sermonem suum implet, tum per ordinariam magistratus potestatem, tum per extraordinaria prophetarum facta.

3. A Christi in N. T. exemplo. 443. *3. A Christi in N. T. exemplo.* Christus ad apostolos et ipsorum successores dicit, *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis ita et vos faciatis* Johan. 13, v. 15. ac *sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos* Joh. 20, v. 21. item *discite a me* Matth. 11, v. 29. Jam vero Christus tum in *personalibus*, tum in *realibus* obedientiam praestitit civili magistratui. Ergo Christi ministri eandem praestare debent. Prior pars assumtionis confirmatur ex Johan. 19, v. 11. ubi Christus ad Pilatum dicit: *Non haberes potestatem super me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, in quem locum sic scribit Bernhardus epist. 42. ad. archiep. Senon.: *Quid secularitatem contemnitis? nemo secularior Pilato, cui Dominus adstitit judicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi desuper tibi esset datum, jam tunc pro se loquebatur et in se experiebatur, quod per apostolos clamavit in ecclesiis, Non est potestas nisi a Deo.* Ibid.: *Dicite, si audetis, sui praesulis Deum ordinationem nescire, cum Romani praesidis potestatem Christus super se quoque fateatur fuisse coelitus ordinatam.* Et ante Bernhardum Augustinus in hoc loco aperte docet, *potestatem Pilati in Christum fuisse a Deo juxta illud apostoli: Non est potestas nisi a Deo.* Posterius probatur ex Matth. 17, v. 27. ubi pro *se et Petro* censum solvit, addita ratione, *ne scandalum praeberet.* Fuit sane Christus dominus omnium, ideo ex necessitate non solvit illud tributum, interim scandali vitandi ergo solvere voluit, ne quis scilicet ipsius exemplo libertatis jus sibi arrogaret. Quodsi ergo Christus hoc fecit, multo magis ipsius ministri illud facere tenentur. Si pro Petro Christus voluit censum dari, utique pontifices, qui se Petri successores vocant, magistratui censum dare non recusent. Irenaeus lib. 5. adv. haeres. c. 24: *Dominus tributorum exactoribus jubet pro se et pro Petro dare tributum, quoniam ministri Dei in hoc ipsum deservientes.* Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 206: *Suo nomine staterem dare praecepit, utpote homo effectus atque omnibus conditionibus nostris subjectus, nec imperatori cum ea imperat, quae minime noxia et perniciosa sunt, obluctari permittens ac divinae potentiae vim ac facultatem ostendens.* Hieronymus, qui nihil ulla ex parte simile illi immunitati, qua hodie clerici papales fruuntur, suis temporibus viderat, clericos propter illam principum libertatem, qua jam tum fruebantur, infelices pronuntiat, videns dubio procul, quantum ecclesia adiret periculum, ne ditata corrumperetur. *Dominus noster* (scribit in comm. hoc loco) *tributa quasi regum filius non debeat, sed qui humilitatem carnis assumserat, debuit adimplere omnem justitiam. Nos infelices, qui censemur nomine et nihil dignum tanta facimus majestate, nos pro illius honore tributa non reddimus et quasi filii regis ac vectigalibus immunes sumus.* Excipit Bellarminus de cler. c. 30. §. Sed ad haec etc., *Christum subjectum fuisse Pilato de facto, non de jure, et potestatem desuper datam, quam Christus in Pilato agnoscit, non fuisse potestatem judiciariam, sed permissionem.* Respondemus: concedimus hoc, interim tamen manet illud, quod Christus non restiterit potestati praesidis, sed eidem sese subjecerit, exemplum obedientiae et patientiae nobis hac in re exhibens: *Si regnum meum esset de hoc mundo*, inquit, *ministri mei certarent, ne traderer tibi.* Quemadmodum igitur Christus non arripuit mundanum regnum, nec armis externis magistratui etiam abutenti potestate sua restitit; sic ecclesiae ministri non arripiant dominium temporale, nec de solio deturbent politicum magistratum, sed patienter eidem sese submittant, etiamsi potestate sua quandoque abutantur. Pontifex contrario modo procedit, is se et clericos suos a potestate civili penitus eximit, subditos a juramento absolvit, principes de solio deturbat, si non ad ipsius nutum ac placitum regimen politicum administrant. Et quid? num de facto tantum Christus agnoscit caesarem superiorem, quando ipsi tributum dare jubet atque ipsemet illud persolvit? Ad locum igitur Matth. 17. excipit c. 28. §. objicit etc., *Christum solvisse tributum, quia voluit, non quia debuit*, addit enim *ergo liberi sunt filii.* Respondemus: concedimus, Christum non ex jure necessitatis solvisse tributum, sed ex arbitrio spontaneae subjectionis ac voluntatis ob causam, quam ipse exprimit, videlicet ne scandalum daret, sed potius ad obedientiam magistratui praestandam suo exemplo alios invitaret, quae ratio cum sit generalis, ipsos etiam clericos tangens, ideo ex hoc contra exemtionem clericorum recte ducitur argumentum. Addit ibid. Bellarminus *Hieronymi interpretationem*, qui verba Domini de tributo, quod caesari solvebatur, exponit, *minus probabilem sibi videri, quia tributum, quod solvebatur caesari, tempore Christi non erat didrachmum, sed denarius* Matth. 22. ideo praefert expositionem Hilarii, qui exponit *de tributo, quod imposuerat Deus filiis Israël in usum templi*, Exod. 30. quam sententiam amplectitur etiam Baronius tom. 1. annal. an. 33. nu. 31. nec improbat Casaubonus exerc. 15. sect. 19. Respondemus: ex circumstantiis textus colligitur, tributum illud pro caesare fuisse exactum et collectum, quia Christus *de regibus terrae* expresse postea quaerit et Pompejus jam olim Hierosolymam ac totam Judaeam in Romanorum potestatem re-

dactam ipsis fecerat tributariam Jos. l. 14. antiq. c. 8. Quod Bellarminus ex lib. 7. Josephi de bello Judaico c. 26. probare conatur, *post eversum demum templum a Vespasiano institutum fuisse ut tributum didrachmi, quod Judaei omnes singulis annis solvebant, deinceps in capitolium deferretur*, id non est eo sensu accipiendum, quasi ante Vespasianum Judaea non fuerit tributaria, ac quasi siclus ille non fuerit jam ante etiam fisco caesaris illatus, sed quod Vespasianus Judaeis, *ubicunque degerent*, ut notanter loquitur Josephus, hoc stipendium indixerit, sic ergo tributum, quod jam ante a multis annis Judaeis terram patriam inhabitantibus impositum fuerat, etiam iis, qui extra Judaeam viverent, a Vespasiano impositum fuit. Lyser. in harm. evang. c. 91. p. 473. Confirmat hanc expositionem Jansenius c. 69. harm. p. 521: *Hilarii sententiam* (inquit) *non esse veram, sequentia docent, ex quibus satis patet didrachma haec non exigi secundum legem* (Exod. 30.), *sed secundum praeceptum Romanorum, quibus Judaei jam erant facti tributarii. Quaerit enim Dominus a Petro, a quibus reges terrae acciperent tributum vel censum, quo manifeste significatur, didrachma haec exacta fuisse pro tributo et censu Romanis debito. Nam et Matthaeus utitur dictione Romana κῆνσος*, hoc est *census*. Postea ad locum Josephi eodem modo respondet, Vespasianum scilicet non
. 323. omnino novum tributum Judaeis imposuisse, sed quod Judaeis inhabitantibus Judaeam impositum fuerat, etiam aliis extra Judaeam degentibus fuisse ab ipso indictum. Idem statuit Barradius lib. 10. harm. c. 32. p. 717: *Non recipitur* (inquit) *Hilarii sententia. Etenim hoc tributum, quod a Christo petebatur, non Deo, sed Romanorum imperatori vel Herodi solvebatur, ut ex illis verbis Christi colligitur: Simon, reges terrae a quibus accipiunt tributa?* Et postea: *Probabilius puto, tributum illud non a sacerdotibus in templi sumtus, sed a publicanis in impensas imperatoris Tiberii, vel tetrarchae Herodis fuisse exactum.* Paulo ante solvit argumentum Bellarmini: *Numisma tributi imperatoribus dari soliti fuit denarius, non didrachmum*, Matth. 22. *Ergo hoc loco non potest intelligi tale tributum.* Respondet Barradius, *denarium numisma census appellari, quod pars esset tributi, duo enim denarii solvebantur, vel dici potest, tributum a Romanis indictum fuisse denarium, numisma census ob id dictum, tributum vero Herodis, qui civitati Capernaum imperabat, fuisse didrachmum.* Salmeron. tom. 6. tract. 37. pag. 238. idem statuit et praeter argumenta jam allata etiam haec urget: *Si in usus tabernaculi colligeretur hoc didrachmum, non in Capernaum, sed in templo Hierosolymorum acciperetur, nec pro duobus Christo et Petro, sed pro omnibus et singulis apostolis, qui excederent annum vigesimum* etc. cum illis ergo Bellarminus transigat.

Pauli stoli o. 444. 4. *A Pauli apostoli facto.* Is Act. 25, v. 10. a synedrio Hierosolymitano appellat ad caesarem. *Ad tribunal caesaris sto*, inquit, *ubi me oportet judicari.* A quo et coram quo se oportere judicari apostolus asserit, illum agnoscit judicem competentem ac legitimum. Atqui a caesare et coram caesare sese judicari oportere asserit. Ergo caesarem agnoscit judicem competentem ac legitimum. Item, ad cujus tribunal aliquis appellat, ejus potestati sese submittit. Paulus appellat ad tribunal caesaris. Ergo caesaris potestati sese submittit. Quodsi ergo tantus apostolus caesarem agnovit superiorem ejusdemque potestati sese subjecit, utique ejus in ministerio successores caesari, hoc est politico magistratui, sese subjectos esse agnoscant. Excipit Bellarminus c. 30. de cler. in resp. ad. 3. arg. Covarruv. *Paulum coactum fuisse appellare caesarem, quia oppressus fuerit calumniis Judaeorum et injustitia praesidis Romani, qui solum caesarem agnoscebant superiorem. Itaque ipsum de facto solum, non de jure caesarem judicem agnoscere debuisse, nec sine risu exceptum fuisse, si Petri supremi principis ac judicis sui coram Judaeis vel gentilibus mentionem facere voluisset.* Respondemus: imo vero apostolus non de facto solum, sed etiam de jure loquitur, expresse enim dicit, *coram caesare δεῖ, oportet, me judicari.* Provocat apostolus ad jus Romanae civitatis Act 16, v. 37. c. 22, v. 25. cui adhaeret provocatio ad caesarem, summum Romanorum magistratum. Quodsi jure divino apostolus sese a jurisdictione caesaris exemtum statuisset, non potuisset beneficio provocationis sive appellationis ad caesarem uti, quin imo secundum canonistas graviter peccasset, quia *clericus, qui se potestati seculari subjicit, secundum ipsos graviter peccat*, c. significasti etc. c. si diligenti de for. compet. Deinde si *Paulus non sine risu exceptus fuisset, si Petri supremi sui principis et judicis mentionem facere voluisset*, Bellarminus etiam risu excipiendus erit, quod Petro monarchicum in ecclesiam dominatum tribuit, in quo ne umbra quidem monarchicae illius potestatis conspicitur. lib. 2. de Rom. pont. c. 29. resp. ad 2. Bellarminus eandem exceptionem ponit, *caesarem scilicet de facto fuisse Pauli judicem, non autem de jure*, sed firmitati ejusdem diffisus subjicit, *melius dici posse, discrimen esse inter principes Christianos et ethnicos. Nam quo tempore principes erant ethnici, non erat pontifex illorum judex, sed e contrario illis subjectus erat in civilibus omnibus causis non minus quam ceteri homines. Merito itaque Paulus caesarem appellavit eumque judicem agnovit, cum accusaretur seditionis et tumultus in populo excitati. At cum principes Christiani facti sunt, continuo se tanquam oves et membra capiti subjecerunt praesidi* XIV. 324.
ecclesiasticae hierarchiae. Respondemus: Evangelium non abolet politias et, ut Bellarminus ipse hic loquitur, *lex Christiana neminem privat suo jure.* Ergo etiam imperator et principes per suam ad fidem Christi conversionem nullam jurisdictionis ac potestatis suae partem amiserunt. Si enim potestatem, quam in clericos habebant, per suam ad Christianismum conversionem amisissent, utique lex Christiana parte aliqua juris ipsos privasset, quod absurdum,

quia *quod meum est, sine mea culpa a me auferri nequit* l. 11. de. R. J. Subjecerunt se quidem praesidi ecclesiastico tanquam oves pastoribus, non absolute ac simpliciter, sed in spiritualibus, nam in temporalibus ut suum statum atque officium, in quo divinitus constituti sunt, ita quoque potestatem officii sui sartam tectam retinuerunt. Vidit Bellarminus hanc difficultatem, ideo contra Barclajum de pot. pap. 34. addit limitationem: *Lex Christiana neminem privat suo jure ac dominio, nisi quis sua culpa privari mereatur.* At quam culpam committunt principes, quando relicto ethnicismo ad Christum convertuntur? c. 3. contra Barcl. urget hoc, *quod quaestio, de qua Paulus accusabatur, non pertinuerit ad magistratum politicum, ideoque non jus, sed factum duntaxat ex hoc loco colligi.* Respondemus: non ob religionem duntaxat apostolus accusabatur, sed etiam aliorum criminum peragebatur reus, ut colligitur ex ipsius verbis v. 8: *Neque in legem Judaeorum, neque in templum, neque in caesarem quidquam peccavi*, ac v. 7. Judaei dicuntur *πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιώματα ipsi objecisse.*

5. Ex rationum momento 1. a clericorum statu.

445. *5. Ex rationum pondere ac momento.* Prima petitur a *clericorum conditione ac statu.* Quicunque sunt cives ac partes reipublicae, illi nisi sint cum imperio, subjecti esse debent civili magistratui. Connexio probatur, quia duae tantum sunt integrantes reipublicae partes, *magistratus* scilicet ac *subditi.* Sed clerici sunt cives et partes reipublicae, in qua vivunt. Ergo subjecti esse debent civili magistratui. Assumtum probat Dominicus a Soto l. 4. dist. 25. q. 2. art. 2. ac constat ex dicto Optati Milevitani libro 3. contra Parmen. quod *respublica non sit in ecclesia, sed ecclesia in republica.* Bellarminus ipse l. de cleric. c. 28. prop. 2: *Clerici praeterquam quod clerici sunt, sunt etiam cives et partes quaedam reipublicae politicae, igitur ut tales oportet eos obedire reipublicae legibus ac magistratui, quia non decet, ut membra a capite discrepent ac contraria gerant*, ait Victor c. celebritatem etc. dist. 3. de consecrat. *ac turpis omnis pars toti suo non congruens* c. Quae contra etc. dist. 8. *omne membrum debet esse subjectum suo capiti*, inquit Bellarminus lib. de monach. c. 19. Clerici sunt membra reipublicae. Ergo etiam subjecti esse debent capiti reipublicae, civili scilicet magistratui. Joh. Medina Pontificius in C. de restit. q. 15. argumentum sic informat: *Non repugnat rationi, ut homines addicti obsequio Dei et spiritualibus functionibus subsint in rebus temporalibus ac civilibus magistratui seculari. Nam sicut princeps secularis ut Christianus et in rebus spiritualibus est ovis et filius sacerdotum; ita e contrario sacerdotes ut cives et in rebus temporalibus dici possunt oves et quasi filii principum secularium.* Item: *Quia unum est tantum ecclesia continens clericos et laicos, et ecclesiae caput est summus pontifex, ideo subsunt omnes eidem summo pontifici, tum clerici, tum laici, igitur eodem modo, quoniam una est civitas continens laicos et clericos et civitatis caput est princeps secularis, ideo subjecti esse debent omnes, tam laici, quam clerici in iis, quae pertinent ad bonum regimen civitatis.* Est, qui tali similitudine rem declarat: Quemadmodum cum in navi vehuntur et *remiges*, quibus gubernator, et *milites*, quibus tribunus praeest, utrumque hoc genus hominum tribuno in militaribus imperiis, utrumque vicissim gubernatori in iis, quae ad rem nauticam pertinent, paret; sic in Christianae reipublicae navi alii curant res ecclesiasticas, qui vulgo appellantur clerici, alii politicas, qui laici dicuntur. XIV. 8 Illis praesunt episcopi, his principes. Quemadmodum igitur in rebus ad Christi regnum directe pertinentibus utrosque episcopis tanquam Dei legatis parere convenit; ita in iis, quae ad hanc terrenam vitam pertinent, utrosque principis imperio subjectos esse par est. Excipit Bellarminus ad Medinae argumentum libr. de clericis c. 30. resp. ad ultim. object. *1. Principem quidem ovem ac filium spiritualem sacerdotis esse, sed sacerdotem nullo modo ovem ac filium principis dici posse.* Respondemus: imo vero hoc requirit natura relatorum. Principes sunt *pastores* Esai. 44, v. 28. Jerem. 49, v. 19. Zach. 10, v. 2. ac *patres* 1. Sam. 24, v. 12. Job. 29, v. 16. totius reipublicae atque omnium civium. Quodsi ergo clerici sunt cives et partes reipublicae, utique princeps eorum etiam pater ac pastor erit, et ipsi erunt ejus oves ac filii. Unde igitur probat Bellarminus, hoc esse absurdum? *Quia*, inquit, *sacerdotes et omnes clerici suum habent principem spiritualem, a quo non in spiritualibus solum, sed etiam in temporalibus reguntur, nec fieri potest, ut duos agnoscant principes in rebus temporalibus, cum juxta evangelium nemo possit duobus dominis servire.* Respondemus: Bellarminus principium petit ac sibi ipsi contradicit. Prius patet, id enim in quaestione adhuc est, an clerici debeant habere talem principem proprium, a quo regantur in temporalibus, contrarium ex V. et N. T. demonstrari potest. Posterius itidem in aprico est. Si enim princeps ille, quem clerici habent, est spiritualis, utique in spiritualibus tantum, non autem in temporalibus ab eo regi debent, alias non erit tantum spiritualis, sed etiam terrenus princeps ac dominus. *2. Ecclesiam vere tantum unam esse et nullo modo duas, civitatem autem unam esse materialiter et duas formaliter, quia coetus clericorum et coetus laicorum formaliter duae civitates dici possunt, quoniam in ipsis etiam temporalibus rebus diversas leges habent, diversum principem, diversa tribunalia, et tamen materialiter unam quoque civitatem faciunt, quia unam urbem inhabitant et sub ejusdem principis protectione vivunt, qui sicut pro labore ac solicitudine, quam pro communi bono suscipit, a laicis tributa recipit, ita recipit a clericis auxilia longe majora publicarum precum ac sacrificiorum ad Deum.* Respondemus: Si clerici sunt cives ac partes reipublicae, utique coetus clericorum ac coetus laicorum non constituent duas civitates formaliter distinctas, quia pars nunquam absolvit totum; quando ergo utrumque Bellarminus asserit, turpiter sibi

contradicit. Vicissim si clerici habent in ipsis etiam temporalibus diversas leges, diversum principem, diversa tribunalia, ac velut Appius ad tribunum dicebat, si peculiarem patriam ac peculiarem rempublicam sibi constituerunt, utique non sunt nec dici possunt cives ac partes reipublicae, quia unitas reipublicae in communione legum, in recognitione ejusdem magistratus, in usu eorundem tribunalium sive judiciorum. Ulterius si clerici unam urbem cum laicis inhabitare et sub unius ejusdemque principis protectione cum ipsis vivere cupiunt, utique etiam debitam obedientiam illi principi praestent, quia protectionis beneficium aliquam omnino subjectionem requirit. De oneribus ac tributis, quae nostra sit sententia, constare potest ex superioribus. Omnimodam et absolutam immunitatem ex jure divino descendentem nunquam ex eo probabit Bellarminus, quod clerici auxilia precum publicarum et sacrificiorum magistratui conferant, quia ad easdem preces pro magistratu fundendas etiam laici obstricti tenentur ac nihilominus sua eidem solvunt tributa. Absurdum est, si clerici in favorabilibus pro membris reipublicae se venditare velint, in iis autem, quae ad conservandam rempublicam contribui debent, extraneorum locum velint subire, inquit Sebast. Medic. tract. d. ll. et statut. part. 4. q. 6. n. 5.

446. Secunda ratio petitur *ab incommodo. Plenaria illa exemtione personarum et bonorum*, inquit Arnisaeus lib. de sub. et exemt. cleric. c. 2. n. 1. *nihil potest excogitari perniciosius, nihil iniquius. Quae enim major iniquitas, quam florem bonorum reipublicae iis depascendum dari, qui non tantum onera non ferant, nec rempublicam juvent ex iis bonis, unde suam salutem sperare habent, sed ne eam agnoscant quidem benefactricem, a qua omnia sua prius emendicarunt, et quae tenetur ne mortis quidem discrimen effugere, ut ipsi tuti sint. Quae major pestis, quam in medio sinu habere, non tantum contra quos, si te omni affecerint injuria, mutire non audeas, sed etiam qui alienae potestati fidem dederint, hoc est qui teneantur ad nutum alterius arma in te sumere, nec ut maxime velint abnuente externa potestate, quidquam pro salute tua facere ausint. Jam vero tales sunt clerici Pontificii, qui ad nutum pontificis sui contra ipsam, in qua degunt, rempublicam insurgere non verentur, ejus enim unius summum agnoscunt imperium, ipsi soli tenentur fidelitatis obstricti, ipsius forum unice agnoscunt. Quodsi ergo pontifex classicum canat, tot quaelibet respublica contra se expertura est hostium exercitus, quot in sinu suo alit coenobia monachorum, quot conventus sacerdotum, quot collegia canonicorum. Peregrini sunt, qui in republica versantur, cui non sunt subjecti, a quibus reipublicae maxime timendum esse, dicit Philosophus libr. 5. polit. c. 3. unde nomen hostis, quod olim peregrinum significabat, in odium tandem abiit. Quodsi ergo clerici nolunt esse subjecti reipublicae, in qua degunt, non alio haberi possunt loco, quam peregrini, nec minus ab iis timendum, imo tanto magis, quanto arctius suo superiori pontifici, scilicet Romano, obstringuntur et quanto intimius in reipublicae arcana penetrare possunt.* Haec ille. Adde, quod plenaria illa ac totalis exemtio in omnibus causis ac rebus animum peccandi addit, cum spem impunitatis sibi propositam sciant atque a legum severitate sibi nihil timendum esse noverint.

447. Tertia ratio peti potest *a caritatis* praescripto. Lex caritatis non patitur, ut cum clerici agros, fundos et bona plurima possideant, tributis et oneribus contra magistratus voluntatem sese subtrahant et universam molem tributorum propter salutem reipublicae magistratui persolvendorum in alios cives rejiciant, hac enim ratione aliis omnibus est *angustia*, ipsis vero solis *relaxatio* 2. Corinth. 8, v. 13. Qui cum aliis sentit beneficium, aequum est, ut is quoque sentiat ex parte incommodum. Inde leges ferendum esse negant, ut *qui lucrum amplectitur, onus subire recuset.* l. unic. §. pro secundo de caduc. toll. Quarta ratio desumitur *ex immunitatis illius variatione.* Lex divina est immutabilis apud eos cumprimis, qui recte eam intelligunt. Sed immunitas ecclesiastica tam rerum, quam bonorum, postquam clericis fuit concessa, tot ac tam varias diversis temporibus subiit mutationes, ut nec ipsi canonistae certas regulas de ea possint tradere. Ergo non descendit ex jure divino. Quintam rationem Medina sic format: *Lex evangelica, baptismus et ordo clericalis non liberant jure divino a debitis antea contractis, ut a debito servitutis, a debito pecuniario, a debito conjugali, ergo nec a debito subjectionis et obedientiae civilis. Jam vero clerici ante clericatum subjecti erant potestati et jurisdictioni principum secularium. Ergo non sunt liberi jure divino ab eadem potestate post clericatum.* Excipit Bellarminus de cler. c. 30. *esse majus vinculum inter creditorem et debitorem, dominum et servum, virum et uxorem, quam inter magistratum et subditos;* item *aliam esse rationem legis evangelicae et baptismi quam clericatus, illa enim non excludunt, sed potius necessarium esse volunt principatum civilem; hic vero non posset suo munere recte fungi, nisi liber esset et immunis a jurisdictione civili.* Sed haec omnia principium petunt, cum enim tam congruum sit juri divino, clericos esse magistratui subjectos, quam servos domino, debitorem creditori et conjuges sibi invicem esse obstrictos, ut ante fuit demonstratum, ideo nulla diversitatis ratio inveniri potest, nec ulla verisimili ratione probatur, clericos non posse munere suo recte fungi, nisi a jurisdictione civili sint plane immunes ac liberi. Urgemus igitur hoc Medinae argumentum, quod etiam Barclajus repetit, de pot. papae c. 34: *Lex divina neminem privat suo jure et dominio, privaret autem, si per eam jus temporale, quod principes antequam fierent Christiani in clericos habebant, invitis auferretur.* Regerit Bellarminus, *nullam fieri principibus injuriam, si vel maxime inviti suo jure priventur, quia qui jure suo utitur,*

3. A caritatis praescripto.

4. Ab immunitatis illius variatione.

5. A legis evangelicae conditione.

XIV. 327.

nullam facit injuriam, utitur autem jure suo, qui eligit statum, quem sibi magis convenientem esse censet, quamvis per accidens sequatur, ut princeps subdito suo privetur. Nam etsi quis justa de causa domicilium suum in aliam civitatem vel provinciam transferat, desinet subditus esse priori principi, nec tamen injuriam illi fecisse videbitur. Respondemus: est dispar ratio, qui domicilium suum in aliam civitatem vel provinciam transfert, is desinit esse pars ac civis prioris reipublicae; sed clerici papales ex hypothesi Bellarmini nihilominus volunt esse partes ac cives reipublicae, a cujus jurisdictione se exemtos esse statuunt; illi et oneribus et beneficiis reipublicae frui desinunt, hi rejectis oneribus beneficia tantum sibi vendicant; illorum renuntiatio plerunque fit cum consensu magistratus et cum quodam onere secundum cujusque loci consuetudinem, ut nimirum de bonis suis aliquid magistratui pensitent, quod vocant Nachſteuer entrichten, hi vero pro libitu etiam invitis magistratibus plenariam exemtionem sibi vendicant. c. 34. cont. Barcl. aliter excipit: *Sicut rex subtrahit comiti subditum eumque constituens principem jurisdictione comitis eximit; ita papa ad altiorem gradum evehendo laicos potest eos eximere jurisdictione temporali;* idem declarat exemplis, *quod mulier conversa liberetur ab imperio mariti infidelis, quod votum solvat promissa matrimonialia, quod filius episcopus exeat potestate patria* etc. Respondemus: Papa non est dominus regum, ut rex est dominus comitis, exempla sunt partim falsa, partim Bellarmini scopo contraria. Quemadmodum enim mulier fidelis non liberatur a vinculo conjugali, quo marito infideli obstricta tenetur, 1. Cor. 7, v. 12. sed in causa religionis duntaxat ab obedientia liberatur; sic clericus non eximitur a jurisdictione magistratus, nisi in iis, quae juxta praescriptum verbi in suo officio agit.

6. Ex imperatorum statuto. 448. *6. Ex imperatorum statuto.* Imperatores clericos politicis legibus subjecerunt, ut constat ex codice et authenticis Justiniani et ex capitularibus constitutionibus Caroli 1. Decernimus 26. C. de episc. et cler.: *Decernimus, ut posthac neque monachi, neque quicunque alii cujuscunque status atqua fortunae in aedes publicas vel in quaecunque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem et sanctorum martyrum reliquias illicite inferre conentur* etc. *ideo patientiam et modestiam suam, quam leges naturae et publica disciplina et ipsorum monachorum nomen exposcit, studiose unusquisque tam monachus, quam ulterius, cujuslibet alterius professionis retineat.* l. Omnes 10. C. de legib. et constit. princ.: *Omnes secundum leges vivant, etiamsi ad divinam domum pertineant.* Novell. 123. c. 8.: *Nullus episcopus invitus trahatur ad secularem, nisi princeps jusserit* (quae verba posteriora, ut et verbum invitus, quia supremam potestatem imperatori reservant, Gratianus studiose omisit c. Nullus etc. 11. q. 1). Huc refer l. addictos 6. l. si quis ex consensu 7. et t. t. C. de episc. audient. Novel. 3. in princ. Nov. 6. c. 8. et in epil. Nov. 9. Nov. 86. c. 1. Nov 123. Nov. 22. in princ. et c. 6. prooem. edict. Justin. ad archiepis. et patriarchas script. ex quibus constat, Justinianum licet episcopis *audientiam* concesserit, tamen *cognitionem et appellationem* supremam sibi reservasse. Imperator Valentinianus in epist. ad episcopos Asiae, quam refert XIV.
Theodoretus l. 4. hist. c. 7. scribit, *probos episcopos non solum Dei, sed etiam regum legibus obtemperare.* Inde Ferrariensis in form. libr. 8. conf. gl. 7. verb. plenam et omnimodam nu. 3. ex Innoc. *naturaliter et a principio mundi omnes clericos fuisse sub jurisdictione et potestate imperatorum, dulcedine autem et benignitate imperatorum dimissos sub potestatem papae, quod beneficium ii, ut ingrati, male agnoscant,* asserit. Idem in form. lib. quo agit ex substit. gloss. 9. numer. 4. et seqq. optat *imperatorem, qui clericis jurisdictionem concessam adimat, et dicant omnes, Fiat pax in virtute tua et abundantia in turribus tuis.* Et clarius in form. resp. rei convent. gl. 7. num. 13. et sequentib. Quinimo constat, ex ipso jure canonico imperatores olim habuisse potestatem coërcendi pontifices ac clericos, ut probat Jacobus rex Britanniae in praefat. monitor. ad principes Christianos, et cives Veneti in resp. ad paraenesin Baronii ipsum remittunt ad tomum 7. annal. ann. 556. §. 5. Ac testantur historiae, Christianos imperatores saepius judicasse ac deposuisse pontifices. *Constantius* in exsilium misit Liberium, *Justinianus* Sylverium, *Otto* I. Johannem XII. deposuit et in ejus locum Leonem VIII. substituit, *Henricus III.* Gregorium VI. deposuit et Clementem II. ordinari jussit. Athanasio de morte Arsenii accusato *Constantius* imperator judices dedit, Socrates libr. 1. cap. 20. *Aurelianus* Paulum Samosatenum removit; legati *Constantis* imperatoris Stephanum Antiochenum episcopum de vi publ. et l. Cornel. de sicar. reum egerunt ac in palatio damnarunt, Theodoretus lib. cap. 11. Excipit Bellarminus de cler. cap. 30. resp. ad 2. *leges illas imperatorum procedere de facto, non de jure et toleratas aliquando a summis pontificibus, nunquam autem approbatas.* lib. 2. de Rom. pontif. cap. 29. resp. ad 4. excipit, *haec quidem facta sunt ab imperatoribus, sed quo jure ipsi viderint.* Atqui leges illas ecclesiasticas tulerunt et pontifices haereticos atque impios pii imperatores loco moverunt consentientibus atque approbantibus praecipuis illorum temporum ecclesiae doctoribus, quin imo ipsimet pontifices imperatoribus se subjectos esse confessi fuerunt et auxilium imperatorum imploraverunt, hoc loco notare jubemus verba Bellarmini, quibus trepidantem suam conscientiam prodit lib. 2. de R. P. c. 29: *Ab Ottone I. satis constat bono zelo, sed non secundum scientiam depositum esse Johannem XII. fuit enim Johannes iste omnium pontificum fere deterrimus, atque ideo non mirum, si pius imperator, qualis fuit Otto I. sed minus peritus rerum ecclesiasticarum judicaverit, eum potuisse deponi, praesertim cum multi doctores* (nota) *idem senserint.* Idem contra Barcl. c. 34. excipit, *piis principibus nondum*

satis notam et explicatam fuisse exemtionem, quam clerici jure divino habebant, sanctos autem patres paulatim eam explicare atque introducere nisos. At Christus et apostoli jus illud divinum nuspiam explicarunt nec patribus hanc laudem praeripuerunt. Et quanta haec fuerit omnium imperatorum ac regum ante Hildebrandi adventum inscitia, quod clericos suae potestati subjectos existimarunt, a qua tamen divino jure sint exemti!

x pa- a et co- am ano- suf- io.

449. 7. *Ex patrum et episcoporum Romanorum antiquorum suffragio.* Gregorius cum Romanus episcopus esset, tamen imperatorem *dominum suum* agnoscit lib. 3. ep. 61. imperatoris indignum *se* vocat *servum*, ibidemque *obedientiam se ei debere* fatetur; lib. 4. ep. 31: *Sacerdotibus non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat*, ubi Gregorius se inter eos numerat, quibus asserit imperatorem dominari; lib. 2. ep. 65. fatetur, *principi datam potestatem non tantum super milites, sed et sacerdotes.* Excipit Bellarminus libr. 2. de Rom. pont. cap. 28. *Gregorium partim ex humilitate, partim ex necessitate se imperatori*
329. *subjecisse, quia eo tempore imperator dominium temporale in urbem Romanam obtinebat, et Gregorius ejus ope ac amicitia vehementer indigebat, ut tam ipse, quam bona temporalia ecclesiae et populus Romanus a Longobardorum gladiis et furore defenderetur.* Respondemus: humilitas illa fuisset hypocritica et adulatoria, nisi Gregorius vere et ex animo statuisset, se imperatori esse in temporalibus subjectum, perinde ut hodie pontifices se appellant *servos servorum*, atque interim dominos dominorum se esse gloriantur. Quam vero absurdum est, quod Bellarminus Gregorio tribuit, ipsum ideo tam humiliter ad imperatorem scripsisse, quia *ejus ope et amicitia indigebat!* Ergone Gregorius fuit ex eorum numero, de quibus Poëta canit:

Vulgus amicitias utilitate probat?

ergone aulicum adulatorem episcopus ille egit? Neque quidquam obstat, quod Bellarminus urget, *Gregorium voluisse reverentiam ab imperatoribus exhiberi sacerdotibus, quod est inferioris, non superioris.* Haec enim duo nequaquam invicem pugnant, imperatori a sacerdotibus deberi obedientiam et sacerdotibus exhibendam esse ab imperatore reverentiam, illud enim respectu temporalium, hoc vero respectu spiritualium rerum accipiendum. Sic Gelasius in epist. ad Anastasium imperatorem vocat *filium* et praesulibus rerum divinarum subditum, eundem tamen ibidem dicit *generi humano praesidere.*

450. Praeter Gregorium etiam alii ex Romanis episcopis imperatori sese subjectos fassi fuere. Nicolaus I. pontifex Romanus ad imperatorem Michaelem scribit, *Deum divisisse Pontificiam auctoritatem ab imperiali potestate, ut et Christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret incursibus et ideo militans Deo minime se negotiis secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis praesidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus* c. cum ad verum etc. dist. 96. Leo IV. Lothario imperatori scripsit, ut habetur in c. 9. dist. 10: *De capitulis vel praeceptis imperialibus vestris vestrorumque pontificum praedecessorum irrefragabiliter custodiendis et conservandis, quantum valuimus et valemus Christo propitio, nunc et in aevum nos conservaturos modis omnibus profitemur.* c. Adrianus etc. dist. 63. *Adrianus tradidit Carolo potestatem eligendi pontificem et ordinandi apostolicam sedem, dignitatem quoque patriarchatus ei concessit, insuper archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit.* Idem jus Leo confirmavit Ottoni, c. in synodo etc. dist. ead. Leo IV. ab imperatore Ludovico petit judices et eorum sententiae se pariturum promittit c. Nos si etc. caus. 2. q. 7: *Nos si incompetenter aliquid egimus et subditis justae legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio* etc. Similia exstant complura. Excipit Bellarminus lib. 2. de Rom. pont. c. 20. resp. ad 6. *Leonem subjecisse se judicio imperatoris discretivo, non coactivo.* Sed verba intelligenda sunt cum effectu, quorsum enim legatos ab imperatore peteret, si cognitionem duntaxat, non autem definitionem et executionem illi tribueret? Adde, quod verba ipsa Leonis contrarium manifeste testentur. *Omnia*, inquit, *negotia ita eorum legitimo terminentur examine, quatenus in posterum nihil sit, quod ab eis indiscussum vel indiffinitum remaneat*, ubi discussionem et definitionem conjungit. Ad Hadriani et Leonis constitutiones respondet, *eos tantum confirmationem vel infirmationem electionis imperatori concessisse, ac privilegia illa propter istorum temporum schismata et hostes Longobardos ac Graecos imperatoribus data, fuisse postea revocata.* Respondemus: si jure divino pontifex exemtus est ab omni potestate civilis magistratus, nec Hadrianus, nec Leo imperatoribus illud jus concedere debuissent. Falsum autem est, quod de XIV. 330.
confirmatione duntaxat electionis Bellarminus addit, verba enim capituli sic habent: *Hadrianus papa cum universa synodo tradiderunt Carolo potestatem eligendi pontificem et ordinandi apostolicam sedem.* Idem: *Ego Leo episcopus cum toto clero ac populo Romano constituimus et confirmamus et largimur Ottoni ejusque successoribus hujus regni Italiae in perpetuum facultatem eligendi successorem atque summae sedis apostolicae pontificem ordinandi* etc. de revocatione illorum privilegiorum usurpamus illud Bellarmini, haec quidem a pontificibus successoribus fuisse facta, quod imperatorem ab electione plane exclusum voluerint, *sed quo jure ipsi viderint.*

451. 8. *Ex ipsorum adversariorum calculo.* 8. Ex adversariorum calculo.
Gratianus §. Item cum Balaam caus. 2. quaest. 7: *Duae sunt personae, quibus mundus iste regitur,*

regalis videlicet et sacerdotalis. Sicut reges praesunt in causis seculi, ita sacerdotes in causis Dei. Regum est corporalem irrogare poenam, sacerdotum spiritualem inferre vindictam. David ergo etsi ex regali unctione sacerdotibus et prophetis praeerat in causis seculi, tamen suberat eis in causis Dei. (jam vero ex hypothesi Bellarmini, quod *fuerunt Levitae in V. id hodie sunt clerici in N. T.)* Testimonium Ferrariensis adduximus superius. Ex Pontificiis huc referimus etiam eos, qui docent, clericos in ecclesiasticis quidem et spiritualibus jure divino esse a potestate seculari liberos, in aliis vero *non nisi jure humano.* Ita docent Franc. Victoria de potest. eccl. relect. 1. q. ult. Dominicus a Soto in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. et (quos prae reliquis auctoribus *liberius locutos fuisse* Bellarminus dicit, ipsosque eo nomine refellit l. de cler. c. 30.) Johan. Medina in cod. de restit. q. 15. et Didacus Covarruvias Hispan. in l. practicar. quaestion. c. 31. et libr. 1. var. resolut. c. 17. n. 2. quibus addendi ex jurisconsultis Molinaeus in addit. ad consil. Alex. 8. lib. 1. Alciatus in c. cum non ab homine de jud. ex theologis Palatius 4. dist. 25. disp. 3. Salon. 2. 2. q. 67. art. 1. controv. 1. et Bannes ibid. Albert. Piggius lib. 5. eccl. hierarch. c. 7. Jansenius c. 69. harmon. Henriquezius libr. 7. de indulg. c. 24. qui omnes docent, *nullam adduci posse legem divinam, quae clericos e civili potestate exemtos firmiter probet.* Quinimo Marsilius de Padua et Joh. de Janduno eo abierunt, ut statuerent, *ipsum etiam Christum non fuisse liberum a solvendis tributis*, et quod fecit Matth. 17. cum tributum solvit, *id fecisse non voluntate sed necessitate*, referente Joh. Turrecremata lib. 4. summae de ecclesia part. 2. c. 37. qui ibidem addit *sententiam Paduani a Johanne XXII. ut haereticam fuisse damnatam.* Ex quo facile intelligitur, quo consilio Bellarminus lib. de cleric. c. 28. Paduani illius sententiam cum nostra conjungere inque unam classem referre voluerit, cum ab illius opinione nostra confessio toto coelo distet, ut ex superioribus constare potest. Widringt. in apol. Bellarm. *veritati magis consonum esse* dicit, *clericos jure divino non esse a potestate seculari exemtos.* **Joh. Major Scot. in hist. Scot. lib. 3. c. 15: *De jure divino est, ut clericus sit a laico judicandus*, Claudius episcopus Espencaeus in comm. epist. ad Tit. 3. digress. 10. *exemtionem* tribuit *fastuosis ac seditiosis spiritibus, qui dominationes contemnunt* etc. ac laudat dictum Bernhardi ep. 42. f. 168: *Si omnis anima subdita esse debet, tum et vestra. Quis vos excepit ex universitate? si quis tentat excipere, tentat decipere.*** Barclajus ex professo hoc argumentum contra Bellarminum tractavit et apologia in publicum edita contra Bellarmini refutationem sese defendit. Richardus archiepiscopus Cantuariensis in epist. Petri Blesens. epist. 75. ad Richardum Vinctoniensem, Gaufridum Eliensem et Johannem Norwicensem episcopos de omnimoda illa clericorum, etiam in criminalibus exem-
XIV. 331. tione sic scribit: *Clerici vel episcopi occisores Romam mittuntur euntesque in deliciis cum plenitudine apostolicae gratiae et majore delinquendi audacia revertuntur. Talium vindictam excessuum Dominus rex* (Angliae) *sibi vendicat, sed nos eam damnabiliter nobis reservamus atque ob liberam praesentis immunitatis materiam in fauces nostras laicorum gladios provocamus. Ignominiosum est, quod pro capra vel ovicula gravior, pro sacerdote occiso poena remissior irrogatur. Sed his et durioribus digni sumus, qui jurisdictionem alienam et nobis omnino indebitam ambitione temeraria usurpamus. Nam in corpore decretorum et in epistola ad Romanos haec verba legisse meminimus: Sunt quaedam enormia flagitia, quae potius per mundi judices quam per rectores et judices ecclesiasticos vendicantur, sicut est, cum quis interfecit pontificem, apostolicum presbyterum sive diaconum, hujus criminis reos reges et principes mundi damnant. Omnis equidem justitia ideo exercetur, ut debita quiete gaudeant innocentes et malignantium temeritas refrenetur, veruntamen in hac jurisdictione maledicta, quam ambitiose et superbe praesumimus, Deum offendimus et dominum regem viamque clericis malignandi tutissimam aperimus.* Tandem sic concludit: *Reddentes igitur Deo, quae sunt Dei, caesari, quae sunt caesaris, juxta petitionem domini regis et tantorum vindictam excessuum relinquamus.* Archiepiscopi et episcopi in regno Galliae juramentum fidelitatis praestant regi referente Anton. Arnoldo in orat. contra Jesuitium apud Fr. Jun. sub. fin. operum pag. 1550.

452. Atque haec pro confirmatione nostrae sen- Antithesis adversarum.
sentiae dicta sufficiant. Pontificii statuunt, *clericos a potestate civili esse simpliciter et absolute exemtos, tam in temporalibus quam spiritualibus, tam in personalibus quam in realibus, tam in criminalibus quam civilibus, et quidem jure divino*, quam esse communem sententiam tradunt canonistae. Bonifacius VIII. in c. quanquam de censibus et ibi doctores: *Jure divino et humano clerici et eorum bona libera sunt a seculari potestate.* Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 9: *Cum a jure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes et singulas constitutiones*, etc. Concil. Tridentin. sess. 25. c. 20: *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione et sanctionibus canonicis est instituta.* Unde etiam porro statuunt, *clericos in rebellione contra principes seculares non posse committere crimen laesae majestatis*, Emanuel a Saa in aphorismis confessorum in voce Clericus, quam esse communem opinionem testantur cardinalis Alex. in c. Inprimis §. de perso. col. 5. v. non obest opin. 2. q. 3. Gomezius in §. rursus etc. num. 24. instit. de actionibus. Cumprimis vero de hac clericorum exemtione late disputat Soarius in defens. fidei cathol. adv. Anglic. sect. errores libr. 4. toto, in quo statuit, *clericos omni jure divino et humano a potestate principum secularium esse exemtos, non solum in spiritualibus et ecclesiasticis causis* cap. 2.

sed etiam in rebus et causis temporalibus cap. 3. *summum pontificem omni jure divino et humano ab omni jurisdictione secularium principum esse exemtum* cap. 4. *adeo ut non possit se judicio humano submittere* cap. 7. *clericos omnes sub pontifice existentes a jurisdictione temporalium principum jure divino esse exemtos* cap. 8. *in causis civilibus* cap. 14. *in causis criminalibus* cap. 15. *privilegium illud fori includere exemtionem a legibus civilibus* cap. 16. *a tributis et oneribus* cap. 17. *tam personalibus* cap. 22. *quam realibus* cap. 25. etc. **Becanus in respons. ad aphorism. Calvinist. pag. 74: *Exemtio clericorum non solum jure canonico et civili, sed communi consensu principum, regum, imperatorum ac totius orbis Christiani stabilita et confirmata est.* pag. 75: *Sunt autem tribus modis exemti clerici a potestate principum secularium, 1. quoad personas suas, quia si delinquant contra leges civiles aut ecclesiasticas, non possunt puniri a magistratu civili, sed tantum ab ecclesiastico; 2. quoad bona temporalia sive ecclesiastica, sive hereditaria, quia illa libera sunt a tributis et oneribus civilibus; 3. quoad causas seu controversias tam civiles quam ecclesiasticas, quia illae non trahuntur ad tribunal seculare. Haec triplex exemtio partim divini, partim humani juris est.***

32. 453. Nobis cum Bellarmino res erit, is lib. de cler. cap. 28. tres producit sententias. Primam dicit esse *haereticorum*, qui contendunt, *omnes clericos jure subjectos esse debere seculari potestati, tum in solvendis tributis, tum in judiciis et causis tam ecclesiasticis quam politicis;* secundam tribuit *quibusdam Catholicis*, qui censent, *jure divino liberos esse clericos et eorum bona a potestate principum secularium;* tertiam, quae est quasi intermedia, dicit esse *aliorum Catholicorum*, qui existimant, *clericos liberos partim esse jure divino, partim jure humano*, id est *in causis ecclesiasticis et spiritualibus jure divino, in aliis jure humano.* Notandum vero 1. Bellarminum nostram sententiam non referre integram, neque enim absolutam clericorum subjectionem in causis tam ecclesiasticis quam politicis statuimus, sed certis utimur distinctionibus superius expositis; 2. argumentum nobis exhiberi consensus inter Romanae ecclesiae doctores, quem tantopere solent praedicare. Soarius enim dict. libr. cap. 8. in princ. expresse dicit: *In hoc puncto duae sunt opiniones contrariae et valde communes. Prima absolute negat, hanc immunitatem esse de jure divino, quam tenent multi doctores catholici* etc. Bellarminus etiam cap. 30. ex professo refellit Didacum Covarruviam celebrem canonistam et Johannem Medinam jurisconsultum.

454. Suam vero opinionem Bellarminus includit certis propositionibus. Prima propositio haec est: *In causis ecclesiasticis liberi sunt clerici jure divino a potestate principum secularium. Causas ecclesiasticas* vocari dicit, quarum cognitio non pendet a legibus civilibus, sed ab evangelio, vel a canonibus pontificum aut conciliorum, quales sunt controversiae de fide, de sacramentis et id genus aliae. Hanc propositionem probat primo *ex sacris literis*, quae docent, regimen ecclesiasticum distinctum esse a politico, et illo etiam sublimius ac totam auctoritatem regendi ecclesiam commissam a Christo esse apostolis et praecipue Petro. Secundo ex *concilio Milevitano* can. 13. et *Matisconensi* can. 8. ubi clerici puniuntur, si causam ecclesiae ad imperatoris terreni judicium deferant. Tertio *ex patribus*, ubi adducit Martinum et Augustinum ep. 78. et 162. qui reprehendunt eos, a quibus causae ecclesiae terrenis judicibus exponuntur. Quarto ex *apostolorum exemplo*, qui causas ecclesiae non detulerunt ad principes. Denique *ex Nov. 83. Justin.* Respondemus: an et qualis potestas magistratui in ecclesiasticis competat, superius late exposuimus, hoc loco breviter monemus, distinguendum esse 1. inter *magistratum Christianum, qualis est nostro tempore, et ethnicum*, qualis erat apostolorum temporibus; 2. inter *potestatem ecclesiasticam internam*, quae praedicationem verbi, sacramentorum administrationem, clavium ecclesiae usurpationem etc. complectitur, et inter *potestatem ecclesiasticam externam*, quae in externa εὐταξίας et εὐσχημοσύνης in ecclesia constitutione ac legum ecclesiasticarum promulgatione consistit; 3. inter *salutarem externae illius potestatis usum*, quo magistratus una cum presbyterio et ecclesia eam exercet, et inter *vitiosum ejusdem abusum*, quo sibi soli excluso plane presbyterio et ecclesia eam vendicat; 4. inter *causas ecclesiasticas sive spirituales proprie sic dictas*, et inter *causas ecclesiasticas sensu Pontificio latissime acceptas.* Si enim causarum ecclesiasticarum nomine accipiendae sunt omnes illae, de quibus ex canonibus pontificum est judicandum, nullae superstites manebunt causae seculares sive politicae, quia pontificum canones de omnibus omnino clericorum causis disponunt. Nimirum Pontificii causarum ecclesiasticarum nomine intelligunt non solum eas, quae vere et proprie tales, sed multas insuper alias, quae a foro conscientiae et jurisdictione ecclesiae sunt alienae. 5. Distinguendi sunt *diversi respectus.* Ministerium sive, ut Bellarminus loquitur, *regimen ecclesiasticum superius est et inferius* politico respectu diverso. Superius est *quoad spiritualia*, et in ordine ad vitam aeternam, inferius *quoad politica*, et in ordine ad externam reipublicae tranquillitatem et salutem. Denique 6. Bellarminus ipse agnoscit lib. de cleric. cap. 30. §. 2. *Christianos imperatores a causis ecclesiasticis non fuisse plane exclusos. Constat*, inquit, *non solum ex codice et authenticis, sed multo magis ex nomocanone Photii, non paucas leges Justiniani de rebus plane ecclesiasticis et spiritualibus disponere.*

Principum secularium.

XIV. 333.

455. Secunda Bellarmini propositio haec est: *Non sunt exemti clerici ab obligatione legum civilium, quae non repugnant sacris canonibus vel officio clericali.* Leges politicas vocat eas, quae dirigunt actiones humanas in commerciis temporalibus. Videri cuidam posset, clericos aliquo duntaxat modo,

Secunda propositio. Non sunt exemti clerici ab obligatione legum civilium.

respectu scilicet obedientiae legibus politicis praestandae seculari potestati ex Bellarmini sententia esse subjectos, quia potestas νομοθετική est pars civilis potestatis magistratui divinitus concessae, et cui magistratus potest leges praescribere, ille etiam magistratui eo respectu est subjectus. Sed fumos verborum Bellarminus vendit ac quod dextra porrigit, mox sinistra eripit, sic enim statim addit: *Nec volumus dicere, his legibus teneri clericos obligatione coactiva, sed solum directiva, nisi eaedem leges ab ecclesia approbatae fuerint, quodsi de iisdem temporalibus rebus disposuisset etiam lex ecclesiastica, eam sequi deberent clerici, et tunc legem civilem directive quidem observare tenentur.* Atqui si ecclesiae, hoc est pontifici, competit suprema potestas leges civiles vel approbandi, vel abrogandi, utique etiam in temporalibus et civilibus clerici non civili magistratui, sed pontifici suo parere coguntur. Si *directive* solum, non autem *coactive* ad observationem legum civilium clerici tenentur, re ipsa non obligantur, quia obligatio proprie sic dicta affert necessitatem obtemperandi propter potestatem et dominium superioris, ac inane nomen est obligatio sine potestate cogendi in superiore et sine necessitate parendi in inferiore. Jam vero Bellarminus talem necessitatem parendi per hanc distinctionem inter obligationem coactivam ac directivam plane tollit, id quod manifestius constat ex distinctionis illius explicatione, quam tradit Becanus part. 2. theolog. scholast. tract. 3. c. 6. q. 11. p. 329. *Non tenentur* (inquit) *clerici ex obedientia ipsarum legum, sed ex conformitate partium cum toto. Nam clerici non sunt subjecti principibus secularibus, cum ab eis puniri non possint, ergo id quod legibus principum secularium praecipitur, non tenentur praestare ratione obedientiae et subjectionis, sed ut toti reipublicae sint conformes.* Et postea: *Etiamsi clerici teneantur servare leges civiles, non tamen incurrunt poenas legibus illis statutas, nec possunt puniri a magistratu seculari, etiamsi leges non observent, quia clerici sunt exemti a jurisdictione seculari.* At qualis haec est obligatio, quae non habet conjunctam obligationem ad poenam transgressoribus legis constitutam? Opponimus igitur Bellarmino et Becano praecepta apostolica Rom. 13, v. 5: *Necessitate subditi estote.* 1. Pet. 2, v. 13: *Subjecti estote omni humanae creaturae;* ex quibus locis recte colligit Chrysostomus hom. 23. in epist. Roman. *etiam clericos debere politicis legibus magistratus parere,* quod Chrysostomum asserere cum Bellarminus hoc loco agnoscat, negare non debet etiam coactiva obligatione ad earum observationem clericos teneri, quia de tali obligatione apostoli diserte loquuntur.

Tertia propositio. Non possunt clerici a judice seculari judicari. XIV. 284.

456. Tertia proposito sic habet: *Non possunt clerici a judice seculari judicari, etiamsi leges civiles non servent.* Illud probat 1. *ex concilio Chalcedonensi* can. 9: *Si clericus adversus clericum habet negotium, non relinquat episcopum suum et ad secularia judicia non recurrat;* concilio Agathensi can. 32: *Clericum nullus praesumat apud secularem judicem episcopo non permittente pulsare.* Idem haberi dicit in concilio *Carthaginensi* 3. can. 8. *Toletano* 3. can. 13. *Matisconensi* can. 8. Respondemus: 1. Exemtio illa clericorum statuitur juris divini, ergo ex tabulis divini juris proferenda erant exemtionis illius privilegia. 2. Concilia episcoporum non possunt praejudicare juri magistratus divinitus ipsi tradito et confirmato. Episcopi in conciliis illis congregati nequaquam debuissent ex immoderata libertatis cupiditate sibi ipsis jus dicere, aut personas ecclesiasticas potestati civili, cui Deus in verbo suo eas subjecit, penitus eximere. 3. Conciliorum istorum canones de privatis controversiis inter clericos per episcopum componendis, nequaquam vero de universali et totali exemtione clericorum loquuntur, nec praejudicium aliquod creant laico, si causam habeat contra clericum. 4. Concilia illa ad dignitatem ecclesiasticarum personarum asserendam voluerunt, eorum lites prius apud episcopum audiri, quam ad tribunal politici magistratus provocaretur, quod ipsum etiam Justinianus constituit, *ne ante latam ab episcopo sententiam ad judicem percurratur,* sed nunquam ab antiquorum conciliorum canonibus prohibita fuit provocatio ad judicem secularem. Sic concilium Constant. can. 6. prohibet, *ne spretis episcopis provinciae regiae aures obtundantur, antequam causa audita sit in ecclesia, ne videlicet ecclesia videatur sperni, et ne injuria inferatur canonibus aut ordo ecclesiasticus perturbetur.* Concilium Carthagin. 3. can. 9. prohibet, *si quis derelicto ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, siquidem cui ad eligendos judices undique patet auctoritas, vile ecclesiae consortium judicat, qui de universa ecclesia male sentiendo de judice seculari poscit auxilium.* Concilii Chalcedon. can. 9. statuitur non simpliciter, ne quis clericus adversus clericum habens actionem ad secularia provocet judicia, sed additur, *prius actio ventiletur apud episcopum proprium,* scilicet priusquam secularia adeat judicia. Concilium Antioch. can. 11: *Ne quis praeter concilium vel literas eorum episcoporum, qui sunt intra provinciam, maxime metropolitani, ad imperatorem pergat.*

457. *2. Ex imperatorum constitutionibus. Justinianus clericos et monachos a seculari judicio eximit* nov. 79. 83. et 123. Respondemus: 1. Justinianus leges non paucas de rebus plane ecclesiasticis et spiritualibus in cod. et novell. promulgavit, fatente ipsomet Bellarmino, quomodo igitur ex Justiniani constitutionibus omnimoda exemtio probari potest? 2. Si ex concessione et privilegio principum immunitatem illam clerici sunt consecuti, utique non jure divino, sed humano eam obtinent. 3. Si a principibus privilegia acceperunt episcopi, utique ad jurisdictionem principum pertinuerunt, quia privilegium ab alio accipiens eundem superiorem recognoscit. 4. Distinguendum inter *omnimodam exemtionem ac certa quaedam privilegia ecclesiasticis benignitate principum concessa.* Justiniani

constitutio non loquitur de omnimoda et universali exemtione, sed in civilibus tantum causis ordinat, ut clerici primum conveniant episcopum, ne ab officiis suis abstrahantur, nec a suis ecclesiis ob actionem in foro abesse cogantur; in criminalibus autem publicis imperii judiciis eos subjicit, ut ex illis ipsis *νεαραῖς* constat. **In criminalibus causis subjecti sunt clerici magistratui politico, nec jurisdictioni ejus exemti l. 10. C. de mandat. princip. l. Presbyteri C. de episcop. Nov. 83. praefat. Ipsi pontifices, quorum illa sunt decreta, subjecti fuerunt civili potestati, ideo alios ab ea eximere non potuerunt, cum nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habeat.** Vidit hoc Bellarminus, ideo addidit, *quod lex canonica simpliciter exemerit clericos in omnibus causis tum civilibus, tum criminalibus.* Sed in quaestione adhuc versatur, quo jure illud factum sit. Pontifices Christum et apostolos imitari, non autem a potestatis civilis ordinatione divinitus constituta sese subtrahere ac in
35. propria causa judicium ferre debuissent. 5. Justinianus episcopis *audientiam* in causis ecclesiasticis concessit, supremum tamen jus et cognitionem sibi reservavit, ita enim episcoporum sententiam executioni tradi jubet, si utraque pars iis, quae judicata sunt, acquieverit, nov. 123. c. 21. in omnibus enim privilegiis praesupponitur, quod princeps summum jus sibi conservarit, quippe quod in alium conferre non potest, unde jurisconsulti docent, *in generali locutione personam loquentis videri exceptam* c. Quisquis de praebend. et sim. ex quo fundamento Barclajus de potest. pap. c. 33. scribit, *nullibi reperiri clericos exemptos a potestate suprema principum, licet a judicum et magistratuum judiciis ex illorum indulgentia absoluti inveniantur.* 6. Principes divina auctoritate *gladium portant* Rom. 13, v. 2. 4. ac interest reipublicae, crimina non manere impunita c. Praeterea etc. 23. q. 8. ergo non debuerunt nec potuerunt totalem a seculari potestate exemtionem, etiam in criminalibus, concedere clericis, sed jure divinitus sibi concesso quosvis cives ac quaslibet reipublicae politicae partes legibus et imperio inobedientes coërcere et possunt, et debent, ut reipublicae tranquillitas conservetur et divinae ordinationi satisfiat. Sicut pater non potest ab honore et obedientia absolvere filium, quia liberi jure divino ad honorem parentum obligantur; sic nec magistratus a subjectione totaliter et universaliter clericos eximere potuit, quippe ad quam Dei ordinatione sunt obstricti. 7. Juri consentaneum est, *ut privilegium perdat, eo qui abutitur* c. privilegium etc. caus. 11. q. 3. D. Rauchb. lib. 2. quaestion. juris civ. et Saxon. q. 11. nu. 80. Jam vero publice constat et in vulgus quoque notum est, clericos papales privilegiis illis ad varia flagitia fuisse abusos ac potestatem pontifici in secularibus datam in Antichristianam plane tyrannidem degenerasse. Ergo per abusum eisdem privari jamdudum sunt promeriti. Praeter has Justiniani constitutiones urgent etiam authenticam Friderici II. l. cassa C. de sacr. eccl. et auth. item nulla C. de episp. et cler.; sed ea 1. post longas concertationes ab Honorio III. tandem vi expressa fuit; 2. explicationem ab aliis imperatoris sanctionibus, ad quas respicit, accipere potest; 3. non extenditur ultra Italiam; 4. recipit limitationem ex mente legislatoris, qui per privilegium non praesumitur se voluisse suo jure privare, nec unius ordinis plenaria exemtione reliquos deprimere; 5. novissimo jure per recessus imperii ann. 1594. 1598. 1603. est antiquata. Arnisaeus de exemt. cleric. c. 4. num. 11.

458. *3. Ex ratione. Absurdum est, ut ovis pastorem suum judicare praesumat. Jam vero clerici sunt pastores, principes et magistratus sunt oves.* Respondemus: 1. distinguendum inter *oves brutas* proprie sic dictas et inter *oves rationales* figurate sic appellatas. Magistratus sunt oves, non autem brutae ac proprie sic dictae, sed rationales, quibus cum Christus tribuat, quod *vocem pastoris sui audiant*, alienum *autem non sequantur*, Joh. 10, v. 14. ergo absurdum non est, tales oves judicare suum pastorem. 2. Diverso respectu magistratus est *ovis et pastor*, ut superius ostendimus. In spiritualibus magistratus est ovis, sed in politicis est pastor. Ut ergo in spiritualibus magistratus debet obedire pastoribus, quia in illis et illorum respectu est ovis; ita in politicis ministri ecclesiarum debent obedire magistratui, quia in illis et illorum respectu ipsi quoque sunt oves. Princeps quatenus princeps divina ordinatione est caput reipublicae, qua Christianus est membrum ecclesiae ac societatis ecclesiasticae vindex. **Superior debet praeesse inferiori in iis, in quibus est superior, subesse autem in iis, in quibus est inferior. Jam vero regimen ecclesiasticum etsi sublimius sit politico in iis, quae ad proprium munus, hoc est ad praedicationem verbi divini et administrationem sacramentorum spectant, est tamen inferius in iis, quae ad jus civitatis et civilem subjectionem ac facultates spectant. Principes igitur debent subesse et parere ecclesiae in fide et pietate communi, non vero in illis, quae sunt civilis potestatis propria.** 3. Hanc respectuum diversitatem ex ipso Bellarmino probamus. Cum enim Barclajus lib. de pot. pap. c. 32 adduxisset auctori- XIV. 336.
tatem Caroli V. qui teste Surio in comm. ann. 1542. Hermannum Coloniensem archiepiscopum ad tribunal suùm advocaverat, Bellarminus c. 35. contra Barclajum respondet, *distinguendum esse principatum ab archiepiscopatu, ac Hermannum in jus vocatum* dicit, *quatenus erat princeps imperii, mansisse autem sub jurisdictione papae quatenus archiepiscopus.* Si ergo propter diversos respectus una et eadem persona ad diversa pertinet fora et omnis principatus imperii subjacet legibus ac jurisdictioni imperii, ergo ex eadem causa, quod seculare ac terrenum clerici obtinent, ejus ratione seculari ac terreno imperio sunt et manent subjecti. 4. Probamus eandem ex ipsius pontificis rescripto. Sic enim loquitur Nicolaus I. in epist. ad Michaelem imperatorem c. Quoniam dist. 10. et c. cum ad verum dist. 96: *Quoniam Christus sic actibus propriis et dignitati-*

bus distinctis officia potestatis utriusque (sacerdotalis et imperialis) *discrevit propria, volens medicinali humilitate hominum corda sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et Christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur.* Si imperatores recte subjiciuntur pontificibus, quia pro aeterna vita illis indigent, etiam pontifices subjecti sunt imperatoribus, quia pro cursu rerum temporalium eorum legibus utuntur. Quo pertinet illud Augustini in explic. quarund. propos. epist. Rom.: *Cum anima constemus et corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus et rebus temporalibus ad subsidium degendae hujus vitae utimur, oportet nos ex ea parte, quae ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est hominibus res humanas cum aliquo ordine administrantibus.* 5. Invertimus igitur Bellarmini argumentum. Quemadmodum rex non potest se subtrahere in spiritualibus ab obedientia erga pastorem sub praetextu eo, quod sit pater ac pastor in republica; sic clericus non potest se subtrahere in politicis ab obedientia erga regem sub eo praetextu, quod sit pater ac pastor in ecclesia, quod ipsum si rectum observasset Thomas archiepiscopus Cantuariensis, non detrectasset obedire legibus regni. Jussus enim a rege causam dicere respondit: *Quia ego sum pater vester spiritualis, et pater non debet respondere in judicio filii, ideo non teneor obedire,* Matth. Paris in Henr. II.

459. 4. *Ex Constantini responso. Ruffinus* lib. 10. hist. c. 2. et post eum *Gregorius* lib. 4. epist. 75. *non sine magna laude referunt vocem illam Constantini ad episcopos: Vos dii estis a summo Deo constituti, aequum non est, ut homo judicet deos.* Respondemus: 1. Constantinus nequaquam ab omni plane jurisdictione secularis potestatis episcopos exemit, sed in ipsis etiam episcoporum causis judicium exercuit ac suae in illos jurisdictionis satis evidens documentum dedit, quando ad Nicaenam synodum publico edicto ipsos convocavit. In epist. ad Celsum vicarium Africae scribit: *Scias, quod tam super plebe, quam super clericis his, qui primi sunt, sum diligentissime quaesiturus, idque judicaturus, quod verissimum et religiosissimum esse manifestum est.* Ergo immunitas a Constantino clericis concessa non fuit omnimoda exemtio a seculari jurisdictione. Prohibet, illos novis collationibus obligari, concedit, liberos esse ab hostibus excipiendis, removet ab ipsis indebitae conventionis injuriam et iniquae exactionis improbitatem, extraordinariorum munerum necessitatem, parangariarum praestationem, nisi habeant possessiones l. juxta. l. omnis l. de his C. de episcop. et cler., sed de universali et omnimoda eorum exemtione nihil addit. 2. Ruffinus ibid. addit, *episcopos in illo concilio sua negotia ad imperatorem detulisse ipsumque a singulis frequenter fuisse interpellatum.* Ergo controversiarum suarum judicem ipsum agnoverunt. 3. Constantinus ad episcopos dixit, quod *solius Dei debeant exspectare judicium et jurgia, quaecunque sunt, ad divinum illud reservare examen,* teste Ruffino d. l. Ergo non remisit episcopos ad tribunal aliorum episcoporum vel pontificis Romani, quod tamen ex Bellarmini hypothesi facere debuisset. Ac in genere dixit imperator: *Vos non potestis ab hominibus judicari,* quodsi ergo litera urgeatur, consequens erit, episcopos non solum a foro politico, sed ab omni judicio humano et sic etiam a Romani pontificis jurisdictione esse exemtos. 4. In Scripturis magistratus, non autem episcopi vocantur *dii,* ergo si alii debent esse diis subditi, episcopi etiam magistratibus debent esse subjecti, Psalm. 82, v. 6. Joh. 10, v. 34. etc. 5. Socrates lib. 1. hist. eccl. c. 5. eandem describens historiam nullam facit horum verborum a Constantino prolatorum mentionem, sed illam solum ab imperatore adjectam esse ait sententiam, *Christum praecepisse, ut qui veniam impetrare contendat, fratri ipse veniam concedat.* Ac Bellarminus ipse Ruffini auctoritatem repudiat lib. 2. de pont. Rom. cap. 13. 6. Scopus imperatoris fuit non tradere quandam legem, qua episcopi a civili jurisdictione penitus eximerentur, sed ad condonationem injuriarum et pacem colendam episcopos in concilio praesentes hortari, ut conciliatis animis ad controversiam principalem, cujus causa synodus convocata erat, eo citius pervenirent. Rejicit ergo a se judicium de illis injuriis, quas supplicibus libellis oblatis ipsi exposuerint, tum quod sint episcopi, qui aliis vitae exemplo praelucere debeant, tum quod sint injuriae privatae oblivioni potius tradendae et magno judicii diei reservandae, tum quod ipse homo sit, qui unus omnium illarum causarum cognitionem suscipere et cordium arcana introspicere nequeat, tum quod conventus propter privatas illas injurias componendas non sit institutus. Sozomenus lib. 1. hist. c. 16. 7. Quidam ex ipsis Pontificiis negant, haec Constantini verba in jus canonicum relata c. futuram 12. q. 1. c. continuam. 11. q. 1. exemtionem illam clericorum, de qua quaeritur, probare. Ludov. Molina interpretatur omnia *de rebus mere spiritualibus,* argumento ductus eo, quod imperator addat: *Petitis a me judicium, cum ipse ego Christum judicem exspectem.* Item, *ad Dei solius judicium reservamini.* Ventur. Vinc. in cons. Venet. c. 8. existimat, *verba ea excidisse Constantino, ut majorem suam erga episcopos observantiam et humilitatem declararet, quod autem gratiose alicui conceditur, id non debere trahi in exemplum,* c. quod alicui etc. de reg. jur. in 6. 8. Quidquid sit, unica Constantini vocula non potest haberi pro jure divino, nec universalem ac perpetuam in ecclesia legem constituere.

460. Quarta Bellarmini propositio talis est: *Bona clericorum tam ecclesiastica, quam secularia libera sunt ac merito esse debent a tributis principum secularium.* Probat hoc de facto *ex jure canonico et civili.* Respondemus: 1. distinguendum inter *certa quaedam privilegia* ac beneficia libertatis ex principum beneficio clericorum bonis collata,

et inter *totalem clericorum exemtionem* tam *personarum*, quam *bonorum* ratione ex jure divino descendentem. Hanc distinctionem approbat ipse Thomas de Aquino in comm. c. 13. Rom. Non de illis privilegiis ac beneficiis, sed de hac omnimoda exemtione clericis jure divino debita inter nos et Bellarminum quaeritur. 2. Bellarminus ipse fatetur, ante Justiniani tempora legibus priorum principum immunes fuisse clericos a tributis personalibus, non tamen fuisse liberos a tributis, quae pendi solent ratione possessionum, quod recte colligit ex Ambrosio in orat. de tradendis Basilicis, ubi dicit: *Agri ecclesiae solvunt tributum*, et ex Theodoreto lib. 4. hist. c. 7. ubi scribit, *Valentinianum Seniorem in epist. ad episcopos Asiae illa verba posuisse: Boni episcopi tributa pensitant regibus.* Ergo plenaria ac totalis illa immunitas non fuit perpetua ac necessaria ex jure quodam divino descendens.

461. Quinta denique propositio haec est: *Exemtio clericorum in rebus politicis, tum quoad personas, tum quoad bona introducta est jure* humano pariter et divino. Antequam eam probet, observare jubet per jus divinum hic non intelligi *praeceptum Dei proprie sic dictum*, quod expresse in sacris literis exstet, sed *quod ab exemplis vel testimoniis T. V. vel N. per quandam similitudinem deduci possit*, qua distinctione existimat conciliari posse catholicos scriptores, quorum aliqui affirmant, alii vero negant, exemtionem illam esse juris divini. Sed pervertit illorum sententiam, qui negant, eam niti jure divino, illi enim non in Scripturis, sed in canonico et civili jure ejus originem quaerunt, unde Salmeron. ea potius conciliatione uti voluit, quod *qui affirmant, hanc exemtionem esse juris divini et humani, per jus divinum intelligunt canonicum, per jus humanum civile.* Hanc conciliationem Bellarminus et Soarius ex professo refellunt, quod argumentum est consensus catholici. Atqui debebat omnino ex Scripturis afferri praeceptum aliquod divinum proprie sic dictum ad stabiliendam illam thesin, quod clericorum exemtio sit juris divini, quia *non congruam tantum, sed etiam necessariam et immutabilem illam exemtionem esse statuunt, adeo ut invitis etiam principibus immunitatem ac libertatem illam clerici sibi vendicare potuerint ac possint, ut magistratus omnes nec abrogare, nec immutare illam libertatem possint, etsi simul conjungantur, utque privilegium illud nec per revocationem, nec per renuntiationem, nec per contrariam consuetudinem destrui possit.* Soarius lib. 4. apolog. contra Angl. c. 30. et seqq. Bellarminus de cler. c. 29. quam immunitatem et exemtionem praeceptum aliquod divinum expressum et proprium requiri, cuivis est manifestum. Videamus tamen illa Scripturae dicta, ex quibus per similitudinem quandam Bellarminus jus divinum probat. 1. Primo loco adducit exemplum *Josephi patriarchae*, qui exemit sacerdotes Aegyptiorum Gen. 47. et *Artaxerxis regis Persarum*, qui exemit sacerdotes Israëliticos 1. Esdr. 7. *Jam vero non decet, ecclesiam Dei minus liberam esse tempore principum Christianorum, quam fuerit tempore Pharaonis, ut inquit Alexander pontifex in conc. Lateranensi, et exstat cap. Non minus de immunit. eccles.* etc. Respondemus: 1. exemplis quibusdam particularibus non probatur jus perpetuum, universale ac immutabile. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. 1. de clericis c. 7. resp. ad arg. 7: *Exempla Scripturarum non faciunt, rem esse de jure divino, sed praecepta Dei sunt, quae hoc faciunt.* 2. Ex certis et determinatis principum beneficiis non potest omnimoda clericorum in personalibus et realibus exemtio jure divino introducta probari. 3. Immunitas illa non fuit ab ipsis sacerdotibus usurpata, sed principum beneficio illis concessa. In principum ergo arbitrio ac potestate situm, quosnam a tributo liberare velint, nequaquam vero in sacerdotum manu positum, quam immunitatem sibi arrogare velint. Sic in primitiva ecclesia non episcopi, sed imperatores de hac immunitate leges tulerunt, ut constat ex codice et novellis. 4. Locus Gen. 47. diversimode exponitur. Quidam eum intelligunt de praefectis politicis et ministris aulicis, sed Chaldaicus interpres vocem כהנים, quae generalis est, exposuit per כמוריא, hierophantas. Alii statuunt de idololatricis sacerdotibus Aegypti eum accipiendum, atque auctorem illius privilegii non fuisse Josephum, qui idololatriam non tantopere voluerit promotam, sed Pharaonem, proindeque ex ethnicorum superstitione Christianos non debere legem mutuari. Sed quia Psalm. 105, v. 22. de Josepho dicitur, quod *erudierit principes Aegypti in anima sua et senes ejus sapientiam docuerit*, ideo cum Macero statuimus, pleroque sacerdotes Aegyptios ad veri Dei cognitionem a Josepho fuisse perductos, ideo recte ex hoc exemplo colligitur, quod principes de necessaria et honesta sustentatione ecclesiae ministris prospicere ac a quibusdam oneribus eos immunes praestare debeant, sed ex eo nondum inferri potest omnimoda et universalis ab ipsa jurisdictione in rebus politicis exemtio. 5. Demensum illud, quod Josephus pendebat sacerdotibus, non XIV. 380.
fuit perpetuum, quia agri illis erant assignati, unde vivere possent, sed cum tempore famis ex agris non possent ad vitam tuendam solitos fructus percipere, ideo regis auctoritate pensionem extra ordinem illis constituit, quamdiu scilicet fames vigeret, ut sic agros illos Pharaoni non cogerentur vendere. Sed nec potuit Pharao terras sacerdotum eodem onere gravare, quo reliquorum subditorum terras gravabat, eas enim Joseph regi emerat et ex gratia illos reddebat reservata fisco quinta proventuum annuorum parte, sed sacerdotum terras, quae erant publicae et ex liberalitate regis ipsis assignatae, cum non coëmisset, ideo nec onus illud quintationis eis imponere potuit. 6. Immunitas a tributis et vectigalibus ab Artaxerxe ministris templi ad petitionem Esdrae concessa non potest probare universalem exemtionem, quod enim precario impetratum, non potest trahi ad necessariam consequentiam, nec ultra mentem concedentis extendi.

2. Num. 3. Levitae donati fuere Aaroni. 462. 2. Num. 3. *Deus aliquoties repetit, Levitas proprie suos esse, atque eos sibi ex omni populo delegisse, et in eodem loco dono dari jubet omnes Levitas Aaroni et filiis ejus, hoc est summo sacerdoti et successoribus ejus. Quos enim sibi ipse delegit ad ministerium templi rerumque sacrarum, soli pontifici, qui locum Dei in terris repraesentabat, subjectos esse voluit ac per hoc a jurisdictione terrenorum principum liberavit. Constat autem id nunc esse in ecclesia clericos, quod erant Levitae in V. T. et pontificem Christianorum non minoris esse auctoritatis, sed longe majoris, quam fuerit Aaron in synagoga Judaeorum.* Respondemus: 1. ostendimus superius, Levitas a jurisdictione regum ac civilis magistratus non fuisse omnimode exemtos. 2. Pontificem Romanum longe majoris auctoritatis esse, quam summum sacerdotem V. T. gratis dicitur, hic enim divina ordinatione atque institutione gaudet, qua ille penitus destituitur. 3. Levitae in V. T. *nec agros, nec fundos possederunt*, sed ex oblationibus filiorum Israël sese sustentarunt, ideo a tributis et oneribus merito fuerunt liberi. Sed papales clerici tertiam fere partem bonorum hujus mundi ad se transtulerunt, ut Jacobus rex Angliae ac senatus Venetus in suis apologiis testantur. Est ergo hic dispar ratio. 4. Si a Levitis V. T. ad sacerdotes N. T. argumentari licet, poterimus contra Bellarminum sic inferre. Sacerdotibus V. T. licuit in conjugio vivere. Ergo idem licet ministris ecclesiae in Novo. 5. Ex eadem hypothesi sic poterimus concludere. Sacerdotibus non licebat possessionem habere, quia *Dominus ipsorum possessio*, Num. 18, v. 20. et 23. Ergo idem non licet sacerdotibus in N. T. qua ratione pontifex et episcopi magnam terrarum ac provinciarum suarum facient jacturam. Sulpitius Severus lib. 1. hist. sac.: *Levitis in sacerdotium assumtis nulla portio data, quo liberius servirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus praeterierim legendumque ministris ecclesiae libenter ingesserim. Etenim praecepti hujus non solum immemores, sed etiam ignari mihi videntur, tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit, inhiant possessionibus, praedia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quaestui per omnia student.* Sic longe aliter exemplum Levitarum a sacerdotibus papalibus considerari jubet Sulpitius.

3. Matth. 17. liberi sunt filii. 463. 3. Matth. 17: *Ergo liberi sunt filii. Cum enim filii regum a tributis eximuntur, non ipsorum personae tantum, sed etiam servi et ministri, atque adeo ipsorum familiae a tributis eximuntur. Certum autem est, clericos omnes proprie ad familiam Christi, qui est filius regis regum, pertinere. Atque id videtur Dominus significare voluisse, cum ait Petro, ut autem non scandalizemus eos, sumens staterem, da illis pro me et pro te, q. d. et se et familiam suam, cujus praefectus erat Petrus, liberos a tributis esse debere.* Respondemus: 1. invertimus argumentum. Quia Christus pro se et Petro
XIV. 340. didrachmum solvit, ideo exemplum ejus clerici imitentur. 2. Non agitur ibi de totali exemtione ab omni jurisdictione, sed de didrachmi solutione. 3. Bellarminus in verbis praecedentibus Hilarii expositionem amplectitur, qui docet, agi hoc loco de tributo in usum templi collecto, qua ratione hic locus a quaestione est alienus. 4. Christus a filiis regum terrenorum argumentatur ad se ipsum seque a didrachmi solutione liberum esse evincit. Augustinus l. 1. q. evang. q. 23: *Quod dixit, liberi sunt filii, in omni regno intelligendum est, liberos esse regni filios, id est non esse vectigales; multo ergo magis liberi esse debent in regno terreno filii illius regis, sub quo sunt omnia regna terrae.* Hieronymus in comm.: *Dominus noster secundum carnem et secundum spiritum filius regis erat, vel ex Davidis stirpe generatus, vel omnipotentis Patris Verbum, ergo tributa quasi regum filius non debebat.* Bellarminus in verbis praeced. hujus cap.: *Christus non fuit ullius tributi debitor, quamvis enim non esset filius caesaris, qui tributum exigebat, erat tamen filius Dei, cujus ministri sunt omnes reges et principes terrae, neque debent ministri regis a filio regis tributum petere. Praeterea tributa solvuntur regibus ratione vitae hujus corporalis timoribus et periculis obnoxiae, at Christus non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus liber erat, nec redemtionem, sed solam resurrectionem corporis exspectabat, neque periculis aut injuriis obnoxius erat, neque ullius regis defensione indigebat.* Sed immane quantum in his omnibus a Christo clerici papales distant! num enim etiam ipsi regum, vel etiam Dei ipsius sunt filii naturales? num ipsorum vita corporalis non amplius timoribus ac periculis est obnoxia? num illi etiam non redemtionem, sed solam resurrectionem corporis exspectant? num nullius defensione indigent? 5. Si ad spiritualem in Dei filios et Christi regnum adoptionem confugere velint, breviter respondemus, eam clericis cum omnibus vere piis esse communem, quodsi ergo propter eam clerici a solvendis tributis sunt divino jure liberi, omnes vere pii libertatis illius participes erant faciendi, ut nihil dicam de eo, quod privilegium spiritualis libertatis in regno Christi non importat privilegium exemtionis ab obedientia in regnis hujus seculi. 6. Cajetanus quidem in comm. per filios regis intelligendos esse dicit *episcopos, presbyteros et clericos*, eo quod tales praesint in regno Dei, tanquam filii regis constituti, ab ipso ad regnum suum gubernandum, quem Bellarminus hoc loco sequitur, sed a Cajetano discedunt Jansenius in c. 69. harm. evang. p. 522. et Salmeron. tom. 6. tr. 37. p. 240. ac statuunt, verius ac solidius dici posse, *Christus quando dicit filios supremi regis liberos esse, loqui de filiis naturalibus*, addunt etiam rationem evidentem: *Si Christus loquitur de his, qui quovis modo sunt filii Dei, omnes homines asseruisset liberos, cum omnes aliquo modo, saltem ratione creationis, sint filii Dei.* 7. Nec obstat, quod *Christus in plurali loquitur, ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, vade* etc. quasi videatur Petrus non nisi scandali vitandi causa pro se censum per-

solvere debuisse, nec fuisse debitorem nisi, ratione scandali. Nam ut recte notant Jansenius et Salmeron. d. l.: *Christus de se solo in plurali numero loquitur, quod ergo de pluribus dicit, id tantum locum habet in Christo habiturum etiam in pluribus, si plures essent filii naturales; adde, quod scandalum Christi non pendentis censum in Petrum recideret, ut qui ejus negotii administer fuisset.*

464. Quae ex conciliis *Tridentino*, *Lateranensi et Coloniensi* proximo seculo habitis et ex constitutione *Bonifacii VIII.* in c. Quanquam de censibus in 6. Bellarminus producit, ea parum roboris apud nos obtinent, qui didicimus, non spectandum quid Romae fiat, sed quid fieri debeat. Videamus ergo, quae a Bellarmino alibi vel ab aliis Pontificiis afferantur Scripturae dicta pro exemtione illa clericorum stabilienda. 1. Bellarminus contra Barclajum c. 3. adducit vaticinium Psalm. 45, v. 17.: *Principes terrarum constitues eos loco patrum super omnem terram.* Respondemus: loquitur psaltes de spirituali principatu, per quem omnes vere credentes dominantur Satanae, mundo ac carni, quo respectu etiam dicuntur *reges* Apoc. 1, v. 6. 1. Petr. 2, v. 9. quod tam certum est, ut Bellarminus ipse vi veritatis coactus subjungat: *Quamvis principatus ille spiritualis esset, tamen verus principatus erat temporali principatu longe nobilior.* At non est hoc loco quaestio de dignitate vel nobilitate ecclesiastici ministerii, sed de ejusdem potestate in politicis ac temporalibus. 2. Baldus in c. Clericus de pac. tenend. et alii allegant illud Psalm. 105, v. 15: *Nolite tangere christos meos*, quod sic exponunt, *vos potestates laicae, nolite homines consecratos ullo modo vobis subjicere.* Respondemus: loquitur psaltes non de clericis N., sed de prophetis V. T. non de legitima potestate, sed de injuriis illicitis, non ad magistratus Christianos, sed ad reges ethnicos, qui Israëliticam ecclesiam persequebantur. 3. Bonifacius VIII. in c. Unam sanctam extra de major. et obed. affert locum apostolicum 1. Cor. 2, v. 15: *Spiritualis homo omnia judicat, ipse vero a nemine judicatur.* Respondemus: 1. Clerici papales nihil minus sunt quam spirituales, cum carnalibus concupiscentiis plurimi serviant. 2. Omnes vere credentes sunt *spirituales* Gal. 6, v. 1. *aguntur enim Dei spiritu* Rom. 8, v. 14. nec uspiam in N. T. spiritualium nomen peculiariter et εἰδικῶς ecclesiae ministris tribuitur. Quodsi ergo absolute ac simpliciter accipiendum apostoli dictum, omnes vere credentes a judiciis secularium magistratuum erunt exemti. 3. Si spirituales, id est ecclesiastici, a nemine judicantur, ergo nec a pontifice Romano. Sic ergo non solum a foro caesaris, sed etiam pontificis clerici erunt exemti. 4. Bonifacius ex dicto apostolico colligit, quod suprema potestas ecclesiastica in Romano pontifice residens sit exemta omni judicio humano. Atqui apostolus loquitur generaliter de omni homine spirituali, consequens igitur fuerit, non solum spiritualem summum, sed etiam spiritualem minorem a nemine debere judicari, cujus contrarium ibid. Bonifacius habet, quod *spiritualis minor judicetur a suo superiore.* 5. Apostolus non agit de judicio forensi, sed ecclesiastico et discretivo, quo fidei dogmata in ecclesia probantur. Judicium illud tribuit homini spirituali, id est illi, qui per gratiam Spiritus sancti est renatus et illuminatus, reliquis vero animalibus et Spiritus sancti luce destitutis illud derogat. 6. Apostolus agit de rebus ad internum conscientiae tribunal pertinentibus, Bonifacius id accommodat ad res terrenas, quae ad externum et civile magistratus judicium spectant.

465. Neque vero divino tantum *jure positivo*, sed etiam *jure naturali* hanc omnimodam clericorum exemtionem niti, probare conatur Bellarminus c. 29. ubi primo distinguit *tres gradus* juris naturalis. *Primus praeceptorum naturalium gradus est* (inquit) *eorum, quae ita perspicue sunt impressa in cordibus hominum, ut solo lumine rationis sine ulla disciplina vel arte, imo sine novo discursu rationis judicentur ab omnibus justa; talia sunt prima quaedam principia, ut bonum esse appetendum, malum fugiendum, vitam cibo et potu conservandam. Secundus gradus est eorum, quae deducuntur ex illis primis principiis tanquam conclusiones proximae et quasi naturaliter fluentes per facilem, evidentem et necessariam consequentiam, ut non sit opus arte vel disciplina, sed simplici discursu, qualem omnes habere possunt, talia sunt omnia decalogi praecepta, nam ex illo principio in corde omnium impresso, Deum esse colendum, sequitur continuo, non esse colenda idola, neque esse pejerandum; ex illo altero principio: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, sequitur, non esse occidendum, non moechandum etc.* XIV. 342. *Tertius gradus praeceptorum naturalium est eorum, quae deducuntur quidem ex principiis juris naturae, sed per consequentiam non absolute necessariam nec omnino evidentem, et ideo egent humana constitutione, quae theologi referunt ad jus gentium.* His praemissis statuit, *exemtionem ecclesiasticorum non ad primum nec secundum, sed ad tertium gradum praeceptorum juris naturae pertinere.* Respondemus: aliquam ecclesiasticorum immunitatem ab oneribus et tributis ex lumine juris naturae deduci concedimus, sed de omnimoda et universali ab omni jurisdictione civilis magistratus exemtione id negamus. Videamus ergo, quomodo illam plenam et omnimodam libertatem, vel potius licentiam juri naturali, ac rationi conformem esse Bellarminus probet. 1. Adducit *consuetudinem omnium gentium.* Exemti fuerunt *Levitae* apud Hebraeos Exod. 30. *sacerdotes apud Aegyptios* Gen. 47. sacerdotes *gentiles* teste Aristotele l. 2. oecon. Caesare l. 6. de bell. Gall. Plutarcho in Camill. et *Constantinus, qui primus fuit imperator aperte Christianus; continuo natura docente ecclesiasticos immunes a communibus reipublicae oneribus declaravit, quod idem multi alii imperatores fecerunt.* Respondemus: 1. Sacerdotes apud omnes fere gentes a quibusdam oneribus ac tributis immunes fuisse concedimus, sed ab omni jurisdictione magistratus exemtos fuisse διαῤῥήδην negamus ac contrarium illis ipsis, quae Bellarminus adducit, exemplis demonstrari potest. 2. Distinguendum inter *dignitatem et potestatem*; communi

An exemtio clericorum nitatur jure naturali.

Affirm. Bellarm. probat l. a consuetudine omnium gentium.

omnium gentium opinione summam sacerdotibus deferri solitam fuisse dignitatem concedimus, sed quod summam in politicis ac temporalibus potestatem obtinuerint, negamus, unde etiam Gelasius c. duo sunt dist. 96. *auctoritatem sacram pontificibus*, *regalem potestatem principibus* tribuit, quod Bonifacius VIII. postea plane invertit, *potestatem pontificum*, *auctoritatem regum* esse dicens. Atqui pontifices dignitate et potestate in spiritualibus oportebat esse contentos, nequaquam vero summam etiam in temporalibus potestatem sibi arrogare. 3. Si exemtio illa totalis est rationi et juri naturali congrua, unde factum, ut principum constitutionibus primum fuerit introducenda? Jus naturale apud omnes et omni tempore idem est nec indiget novis constitutionibus. 4. Concedit Bellarminus, *ante leges Constantini et aliorum principum*, ex quorum liberalitate et indulgentia sancita est clericis immunitas, *praedia ecclesiasticorum juris communis fuisse*. Hoc si contra jus divinum ac naturale fuisset, sine dubio ubi primum exstitit imperator Christianus, statim in principio jus illud sublatum esset tanquam impium. Atqui non statim a Constantino, sed variis temporibus a variis imperatoribus jura immunitatis sunt concessa, et qui illa accipiebant, liberalitati principum semper tulerunt accepta, notante Casaubono exerc. 15. cont. Baron. sect. 19. unde cum Bonifacius VIII. in Galliam jus sibi quaereret, Philippus Pulcher conventu indicto Parisiis episcopos rogavit, *a quo suarum ecclesiarum praedia ac proventus accepissent?* quibus respondentibus: *regio jure se isthaec tenere et tueri*, subjecit rex: *ergo Bonifacius injuria vos et omne regnum Francorum sibi subjicere laborat.*

2. A similitudine.

466. 2. Alterum argumentum ducitur *a similitudine*, quam potestas ecclesiastica et politica habent cum anima et corpore humano. *Potestas ecclesiastica ad secularem eo modo se habet, quo se habet in homine spiritus ad carnem. Spiritus autem ita se habet ad carnem, ut quamvis non impediat ejus actiones, cum bene se habent, eam tamen regat et moderetur et aliquando cohibeat, aliquando excitet, prout ad finem suum expedire judicat. Contra vero caro nullum habet imperium in spiritum, neque eum ulla in re dirigere vel judicare vel coërcere potest. Sic ergo potestas ecclesiastica, quae spiritualis est ac per hoc naturaliter seculari superior, secularem potestatem, cum opus est, dirigere,*
XIV. 343. *judicare et coërcere potest, ipsam vero a seculari dirigi vel judicari vel coërceri nulla ratione permittitur*. Respondemus: de hac comparatione dictum fuit in proxime praecedente tractatu §. 306. hoc loco addimus paucula, 1. ipse Bellarminus l. 2. de conc. c. 19. resp. ad arg. 2. argumentationem a corpore naturali ad mysticum rejicit, *aliud*, inquit, *est judicium de corpore ecclesiae quam de corporibus naturalibus*. 2. Comparatio non est extendenda ultra tertium, in quo instituitur. Sicut spiritus dirigit corpus, ita in spiritualibus dirigi debet politica potestas ab ecclesiastica, sed ex eo non potest inferri, quod in temporalibus etiam politica potestas ecclesiasticae sit subjecta. Civilis potestas spirituali potestati, id est verbo Dei, quod a ministris praedicatur, est subjecta, sed ex eo nequit inferri, quod potestas spiritualis etiam in temporalibus ac civilibus summam potestatem et jurisdictionem sibi arrogare debeat. 3. Anima est *actus corporis* definiente Aristotele, ideo corpus humanum essentialem habet in agendo dependentiam ab anima; sed civilis potestas non pendet ab ecclesiastica potestate insolidum et essentialiter, cum possit esse respublica absque ecclesiastica potestate. *Christus actibus propriis et dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis discrevit propria*, inquit Nicolaus I. c. cum ad verum dist. 69. 4. Invertimus Bellarmini simile. Ut anima non corrigit corpus alia ratione quam spiritualiter, neque enim digitum vel brachium abscindit, sed modo spirituali corpus coërcet; sic potestas spiritualis non nisi spiritualibus mediis ac remediis civilem potestatem debet coërcere, nequaquam vero armis corporalibus, depositione e solio regali, absolutione subditorum a juramento fidelitatis.

467. *3. A clericorum nomine.* Sacerdotes vocantur *patres et pastores*. Jam vero *natura docet, ut filii parentibus obediant atque ab iis se corrigi patiantur, non autem ipsi parentes corrigere vel judicare velint. Duce et magistra natura oves a pastoribus gubernantur, non autem pastores ab ovibus*. Respondemus: huic argumento satisfactum fuit superius. *4. A clericorum statu. Clerici ad obsequium solius Dei sunt consecrati. Jam vero lumen rationis ostendit, in ea, quae sunt Deo consecrata, nullum jus habere posse seculi principes.* Respondemus: ratione officii clerici Deo sunt consecrati, interim manent personae ratione partes reipublicae et possident terrena bona, quo respectu terrenis principibus subjecti maneant. *Dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos dominis carnalibus subjacere*, inquit Thomas lect. 1. in c. 13. Rom. 5. *A judicio divino. Basilius imperator Graecorum apud Balsamonem in nomocanone Photii causam omnium calamitatum ejus temporis refert in legem quandam Nicephori Phocae contra ecclesiae libertatem latam.* Respondemus: in nomocanone illo Photii habentur plurimae leges Justiniani de personis et rebus ecclesiasticis latae, quod Bellarminus de facto, non de jure esse dicit. Nicephorus Phocas, si contra ecclesiasticam libertatem verbo Dei et rectae rationi conformem quippiam sancivit, ad nos minime pertinet, ex eventu autem actiones aestimari debere negamus. Atque haec dicta sint de *clericorum exemtione*, de qua tractant Marsilius Patavinus in defens. pacis p. 2. c. 3. Jacobus Angliae rex et Veneti in script. cont. Bellarm. et Baronium, Barclajus lib. de potest. pap. Arnisaeus de exemt. cler. c. 2. et 3. Johannes episcopus Roffensis in l. de potest. pap. c. 15. edit. Londin. Meisnerus lib. 4. de legib. sect. 2. q. 6. Eckardus de magistr. p. 3. p. 153. ** Paraeus in comm. c. 13. Rom. Joach. Stephani de jurisd. lib. 4. c. 2. Scipio Gentilis lib. 2. c. 14. Hunnius jurisconsultus in resol. Treutl. vol. 1. disp. 12. lit. B. ** Mich. Wendland. in disc. de pace et cura relig. quos adire poterit, cui haec non sufficiunt.

344. 468. Quaeritur ulterius, *an cum magistratui certa ratione subjecti sint ecclesiae ministri, idem juramentum fidelitatis ab illis exigere possit?* Si jus suum magistratus stricte urgere voluerit, ecclesiae minister juramentum fidelitatis a magistratu sibi impositum recusare minime potest, nisi quippiam contineat, quod legibus officii in verbo Dei praescriptis sit contrarium. Etenim 1. si ecclesiae ministri in temporalibus jurisdictioni magistratus politici sunt subjecti, utique etiam *juramentum fidelitatis*, quod in signum subjectionis exigitur, subterfugere non poterunt. 2. Si juramentum testimonii, purgationis etc. magistratus in causis politicis imponere potest ecclesiae ministro, quidni etiam juramentum fidelitatis? 3. Si magistratus auctoritati ac dignitati ex eo nihil decedit, quod in leges regni fundamentales et capitulationem imperii jurat, utique nec ministro ecclesiae quidquam auctoritatis vel dignitatis derogare censendum, si magistratui juramentum fidelitatis praestat. 4. Jacobus patriarcha filium suum Josephum in regali dignitate constitutum juramento obstringit, ut in terra Canaan ipsius corpus sepeliat Gen. 47, v. 31. neque Josephus exceptione dignitatis suae usus legitur, quo minus patri juramentum illud praestaret. Jam vero magistratus est *pater patriae*, quodsi ergo legitimum a ministris ecclesiae juramentum exigit, illi exceptione officii ac dignitatis in eo recusando uti nequeunt; quinimo juravit Deus Israëlitarum majoribus, quod terram Canaan ipsis dare velit, neque quidquam ex eo divinae ejus majestati decessit Gen. 22, v. 16. c. 50, v. 24. Exod. 13, v. 5. etc. 5. Regi Joas etiam Levitae jurant 2. Paral. 23, v. 2: *Centuriones ex mandato Jojadae congregant Levitas de cunctis urbibus Israël et principes familiarum Israël veneruntque in Jerusalem*; v. 3. *iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege.* Interim tamen rectius fecerit pius et Christianus magistratus, si stricto jure non utatur, sed ecclesiae ministris juramentum non imponat, sed simplici obedientiae promisso sit contentus. 1. Etenim si suam ac subditorum animas ipsorum curae et fidei committit, eccur de fidelitate ipsorum in politicis et temporalibus dubitare velit? Bonorum verba singula sunt juramenta. 2. Magistratus illi, qui absolutam et *αὐτοκρατορικὴν* potestatem in ministerium ecclesiasticum sibi vendicant, hoc juramento fidelitatis facile abuti poterunt et in ecclesiasticis simplicem et absolutam subjectionem ab ecclesiae ministris exigere. 3. Apud auditores ministerii ecclesiastici dignitati atque auctoritati id fraudi esse facile potest, cum ipsis certi illius juramenti limites sint ignoti. 4. In ecclesiis et rebuspublicis bene constitutis ille mos exigendi juramentum ab ecclesiae ministris nondum obtinuit, ideoque in eas minime introducendus; Argentinae quid fiat, notum est, id vero cum diuturna consuetudine usurpatum sit, non potest nec debet aliis rebuspublicis et ecclesiis, in quibus mos ille nondum inolevit, nihil quidquam praejudicare.

469. His ita praemissis descendimus *ad virtutes et officia subditorum.* Quaerit Philosophus l. 3. polit. c. 3. et lib. 5. ethic. c. 2. *an eaedem sint virtutes magistratuum ac subditorum?* Itemque *an eaedem virtutes sint boni viri ac boni civis?* Ad utramque respondet negative ac ratione prioris quaestionis distinguit inter virtutes *ἄρχοντος καὶ ἀρχομένου*, illas vocat *ἀρχικάς*, has vero *πειθαρχικάς*. Alia principis, alia privati est institutio, ergo etiam diversa utriusque virtus. Alia requiruntur a magistratu, alia a subditis. Illius est bene imperare, horum vero obedienter parere. Notandum tamen, quod non tam specie, quam gradibus, non tam habitu, quam actibus, non tam interna forma, quam externis objectis et circumstantiis virtutes magistratus ac subditorum distinguantur, cum eandem habeant normam ac formam, licet objectis et actionibus distinguantur. Sic eadem justitia est principis ac civis, interim illa in publicis occupatur, haec in privatis, illa majori praefulget lumine, haec vero est obscurior. Circa posteriorem quaestionem distinguendum inter rempublicam Christianam optimis legibus constantem et eam, quae ab hoc statu deflectit. In Christiana et optima republica non multum a se invicem absunt civis bonus ac vir bonus, sed in aberrantibus rebuspublicis plurimum differunt. Deinde in optima etiam republica haec manet inter bonum civem ac bonum virum differentia, quod ille actiones duntaxat exteriores moderetur et legibus reipublicae externam obedientiam praestet, hic vero etiam interiores animi motus rectae rationis freno coërceat. Ad civem bonum sufficit obedientia erga leges patrias, sed ad virum bonum requiritur *καλοκἀγαθία* et omnium virtutum complexus.

magistratus et subditorum. — XIV. 345.

470. Officia subditorum distingui possunt *ratione objectorum*, quod alia respiciant *magistratum*, alia *rempublicam*, alia *concives*. Magistratui quid debeant, postea explicabitur. Reipublicae debent *amorem*, concivibus *φιλησυχίαν et concordiam*. Plato dicebat, *nos esse natos, ut patriae prosimus.* Prodesse autem illi possumus quinque modis: *1. laborando pro ipsius honore ac laude*, si tales esse ac permanere studeamus, qui patriae olim honori simus, ut ipsa a nobis laudem et honorem adipiscatur; 2. *instruendo eam consilio* et prudentia, si opus fuerit 2. Sam. 20, v. 16; 3. *commodis ipsius inserviendo*, ut illi tanquam matri, quae nos genuit, aluit ac sinu suo complexa est, gratos nos exhibeamus; 4. *defendendo eam* vel viribus corporis, vel animi prudentia, prout res postulat Hebr. 11, v. 34; 5. *pro ea mortem obeundo*, si aliter fieri nequeat, de qua morte Horatius canit: *Dulce et decorum est pro patria mori. Cari sunt parentes*, ait Tullius lib. 1. off. *cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitat mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Si tranquillitas ac felicitas reipublicae debet esse diuturna, necesse est, ut non solum magistratus, sed etiam subditi ament praesentem ejus statum, quia *κόρος, satietas prima solet esse mutationis et interitus causa* teste Pythagora apud Stobaeum serm. 42. Ut autem boni civis est patriam amare, ita quoque ipsi convenit cum concivibus concordiam alere. Ut

Officia subditorum. — *Erga patriam.* — *Erga concives.*

in corpore humano membra invicem amice consentiunt et commodis suis omni ex parte serviunt; sic in republica inter cives oportet esse communicationem officiorum et mutuae concordiae studium. *Civem oportet aequo et pari jure cum ceteris vivere, neque submissum et abjectum, neque se efferentem, tum in republica ea velle, quae tranquilla et honesta sunt,* Cicero lib. 1. offic.

Erga magistratum. 471. Officia subditorum erga magistratum variis modis enumerantur; decalogus una voce honoris, Augustana confessio art. 16. uno nomine obedientiae officium subditorum erga magistratum complectitur. Nos secuti ductum apostoli Rom. 13, v. 1. et seqq. ac 1. Tim. 2, v. 2. ad quatuor capita ea omnia reducimus. Subditi enim debent magistratui suo *1. honorem et reverentiam*, *2. subjectionem et obedientiam*, *3. census et tributa*, *4. preces et vota*; in hisce omnibus magistratui praestandis si subditi recte sese gesserint, suo perfuncti satis sunt officio.

1. Honor et reverentia. Primo diximus magistratui a subditis deberi *honorem ac reverentiam.* Docet hoc apostolus in propria hujus articuli sede Roman. 13. ubi postquam de statu et officio magistratus dixisset, subjungit v. 7: *Vos subditi reddite honorem, cui honorem scilicet debetis.* Sic et Petrus 1. epist. 2, v. 17: *Deum timete, regem honorificate, τὸν βασιλέα τιμᾶτε. Deo* honorem debemus Malach. 1, v. 6. Act. 12, v. 23. jam vero magistratus est Dei in terris vicarius. Ergo etiam honorem magistratui debemus. *Parentibus*
XIV. 346. debetur honor a liberis Exod. 20, v. 12. Deut. 5, v. 16. jam vero principes sunt patriae patres. Ergo illis debetur honor a subditis. Qui in sublimitate et fastigio dignitatis constituti sunt, illis honor exhibendus; jam vero magistratus in sublimitate divinitus sunt constituti 1. Tim. 2, v. 2. Ergo etc. Servi *dominos* suos omni honore dignos arbitrentur 1. Tim. 6, v. 1. jam vero magistratus sunt domini. Ergo omni honore digni judicentur. Ad hunc honorem magistratui debitum pertinet: 1. *divinae ordinationis agnitio*, ut ex verbo Dei agnoscamus et firmiter statuamus, ordinem politicum divinitus a Deo institutum esse et adhuc conservari, nec casu aut fortuito, sed Dei voluntate in thronum majestatis quosdam evehi, quibus reverentiam et obedientiam exhiberi velit. Rom. 13, v. 1: *Non est potestas nisi a Deo.* v. 4. *Dei minister est tibi in bonum.* 1. Petr. 2, v. 13: *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum. 2. Honesta de magistratu existimatio*, ut intueamur eos tanquam *deos terrenos* Psalm. 82, v. 6. tanquam Dei vicarios et ministros, nec tam personas, quam divinum quod gerunt officium considerandum nobis proponamus ac honorifice de illis in corde sentiamus. Augustinus in libr. qq. V. ac N. T. quaest. 35: *Imaginem Dei rex gestat, idcirco colendus et amandus est, si non propter se, saltem vocationis et functionis suae causa. 3. Honorifica magistratus compellatio*, ut honorem, quem interius in corde magistratui exhibemus, etiam verbis manifestum faciamus, *quia ex abundantia cordis os loquitur* Matth. 12, v. 34. Sic mulier Thecuitis ad Davidem inquit 2. Sam. 14, v. 17: *Sicut angelus Domini, sic est Dominus meus rex, ut audiat bonum et malum.* Eodem modo regem compellat Mephiboseth 2. Sam. 19, v. 27: *Tu domine, mi rex, sicut angelus Dei es.* Cavendae tamen voces adulatoriae et immodica praeconia. Act. 12, v. 21. cum Herodes admitteret adulantium voces, quibus ipsi acclamabant, *vox Dei et non hominis*, nec daret gloriam Deo, percussus ab angelo ob illum fastum factus est σκωληκόβρωτος. *4. Honorifica coram magistratu inclinatio*, ut exterioribus etiam gestibus testemur, nos de magistratu honorifice in corde sentire. Genes. 42, v. 6. Josephum *adorant* fratres *faciebus suis ad terram.* 1. Reg. 1, v. 23. cum propheta Nathan introisset in conspectum regis Salomonis, *adoravit eum pronus in terram*, quod facit etiam mater regis Bathsabea v. 31. ubi adorationis nomine genuflexio et corporis inclinatio intelligitur. Conjunge 2. Sam. 14, v. 4. 5. *Infirmitatum condonatio*, ut candore et ἐπιεικείᾳ naevos magistratus toleremus, in partem meliorem eos interpretemur ac prudenti dissimulatione tegamus, ac si ratione officii illorum emendatio nobis incumbat, moderatis consiliis et admonitionibus illud tentemus. Quod enim filiis dictum Sirac. 3, v. 9: *In opere, sermone et omni patientia honora patrem tuum*, idem etiam subditi sibi dictum esse existiment. Quod servis dictum 1. Petr. 2, v. 18. *ut ferant in omni timore dominos, non tantum bonos et modestos* sive lenes, sed etiam σκολιοὺς ac δυσκόλους, idem sibi quoque dictum esse subditi statuant. *6. Detractionum vitatio.* Caveant subditi, ne magistratui suo in corde maledicant nec ore ei detrahant, sed honorifice de eo et sentiant et loquantur. Exod. 22, v. 28: *Diis non detrahes et principi populi tui non maledices*, quod repetit apostolus Act. 23, v. 5. Eccles. 10, v. 20: *Etiam in cogitatione regi ne maledicas et in secreto cubiculi tui ne vilipendas divitem, quia avis coelorum ire faciet vocem et habens alas annuntiabit verbum.*

472. 2. *Subjectionem et obedientiam* magistratui a subditis deberi disertis verbis testatur apostolus Rom. 13, v. 1: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo.* v. 2. *Itaque qui resistit, Dei ordinationi resistit.* v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Huic conjugenda sunt similia dicta. Genes. 41, v. 40. cum Josephus Aegypti prorex constitueretur, Pharao ad eum dicit: *Cunctus populus obediet tibi.* Deut. 17, XI
v. 12: *Qui noluerit obedire sacerdoti aut judici, moriatur vir ille.* Jos. 1, v. 17. dicunt Israëlitae ad Josuam ducem: *Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi.* v. 18. *Qui rebellarit ori tuo et non obedierit cunctis sermonibus, quos praeceperis ei, morte moriatur.* Tit. 3, v. 1: *Admone illos* (ὑπομίμνησκε, suggere illis, quod jam ante a me audiverunt) *principatibus ac potestatibus subditos esse, dicto obedire, πειθαρχεῖν.* Cumprimis vero dictum apostolicum 1. Petr. 2, v. 13: *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.* Ad

2. Subjectio et obedientia.

hanc obedientiam magistratui praestandam subditos invitare debet: *1. mandatum divinum sive Dei voluntas, 2. magistratus dignitas.* Quia enim in sublimitatem et potestatem divinitus sunt evecti, ideo debetur eis subjectio. *3. Magistratus utilitas.* Si quis enim beneficia illa, quae a magistratu in subditos descendunt, recte aestimare didicerit, is debitam subjectionem magistratui non denegabit. *4. Obedientiae necessitas. Necessitate subditi estote,* inquit apostolus, *propter conscientiam. Qui enim resistit, Dei ordinationi resistit,* proinde gravat conscientiam et magno se involvit delicto. 5. *Poenarum,* quae seditiosos et inobedientes comitari solent, *gravitas. Subditi estote propter iram,* inquit apostolus. Proverb. 24, v. 21: *Time dominum, fili mi, et regem, et cum irrequietis ne commiscearis,* v. 22. *quoniam repente consurget perditio eorum, et ruinam utriusque quis novit?* Exempla punitae rebellionis proponuntur *in Core, Dathan et Abiram* Num. 16. *in Sichemitis* Jud. 9. *in Theuda et Juda Galilaeo* Actor 5, v. 36. et 37.

473. Pertinent vero ad hanc obedientiam magistratui debitam: *1. Promtitudo voluntatis interior,* qua nos ultra ac sponte sincero studio magistratui tanquam divinae ordinationi subjicimus non tantum *propter iram,* hoc est ut caveamus poenas, sed etiam *propter conscientiam,* ut Dei mandato pareamus. 2. *Sincerus amor,* quo paternam magistratus curam et affectum grato animo agnoscimus, filiali reverentia et amore reciproco eum complectimur et omni officiorum genere animum nostrum declaramus. Sic *Esaias* pestilentiali ulceri regis Ezechiae imponit emplastrum 2. Reg. 20, v. 7. *David* erat acceptus in oculis universi populi 1. Sam. 18, v. 5. *Patres patriae* sunt pii principes, ergo subditi filialem amorem ipsis debent ac subjectio et obedientia ipsorum ex filiali amore, non servili timore proficisci debet. 3. *Filialis timor,* ut potestatem magistratui divinitus datam reveriti humiliter eidem nos subjiciamus ac sedulo caveamus, ne justam magistratus iram ac poenas nobis inobedientia attrahamus, quemadmodum Coecias ad se trahit nubes. 1. Reg. 3, v. 28: *Omnis Israël timuit Salomonem.* Prov. 24, v. 21: *Time Deum et regem.* Rom. 13, v. 7: *Reddite timorem, cui timorem debetis.* v. 3. *Principes non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem, bonum fac;* v. 4. *si autem malum feceris, time.* 4. *Fidelitas,* ut in timore et obedientia magistratui praestanda simus constantes atque omni, quo possumus, studio personam, famam, dignitatem, vitam et salutem magistratus tueamur. 1. Sam. 22, v. 14. dicit Abimelech ad Saulem regem: *Quis in omnibus servis tuis sicut David fidelis, pergens ad imperium tuum?* 5. *Omnia officia externa* honestis legibus conformia tam pacis, quam belli tempore praestanda. Genes. 41, v. 44: *Ad oris tui imperium cunctus populus obediet,* in Hebr. est. יִשַּׁק, Chaldaeus vertit יִתְּזַן *ad verbum tuum armabitur omnis populus.* Radix נשק significat osculari, obedire, arma sumere, quae significationes omnes huic loco congruunt, subditi enim debent reipublicae defensionem, magistratui amorem et reverentiam, subjectionem et obedientiam, quae armorum usurpatione declaratur, jam vero tam amoris quam subjectionis signum est osculum Psalm. 2, v. 12. 1. Samuel. 10, v. 1. etc. 6. Ἀπολυπραγμοσύνη, ne subditi in partes magistratus irrumpant, sed ad cognitionem ejus deferant, in quo injuria affecti videntur, nec privata vindicta utantur, sed magistratus defensionem et auxilium implorent. XIV. 348.

474. Ceterum haec obedientia magistratui a subditis debita certos ac determinatos habet limites. Quamvis enim in omnibus etiam durioribus edictis magistratui parendum sit, tamen in illis, quae sunt contra pietatem, verae religionis confessionem et conscientiae libertatem, adeoque contra divinam legem, non tenentur subditi magistratui obedire. *1. Propter expressa Scripturae interdicta.* Matth. 22, v. 21: *Date quae sunt caesaris caesari et quae sunt Dei Deo,* ubi in priore membro diserte exprimitur, quid caesari dandum sit, videlicet quod est caesaris, ac posterius membrum limitat prius, ita dandum est caesari, quod est caesaris, ut tamen quod Dei est, Deo relinquatur. Quodsi ergo caesar ea, quae Dei sunt, sibi arrogat, hoc est quando contra Deum vel pietatem vel honestatem aliquid praecipit, non est ei parendum. *Extra territorium jus dicenti impune non paretur,* dicunt jurisconsulti; Act. 5, v. 29: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Huc pertinet mandatum Dei Bileamo datum Num. 22, v. 12: *Noli ire cum eis, neque maledicas populo.* 2. *Propter probata piorum exempla* ad imitandum nobis in hoc casu proposita. Exod. 1, v. 17. obstetrices Aegyptiacae *timuerunt Deum et non fecerunt juxta praeceptum regis,* ut projicerent Israëlitarum infantes in profluentem. Exod. 2, v. 2. parentes Moysis *infantulum absconduut* tribus mensibus, id quod fidei tribuit epist. ad Heb. c. 11, v. 23: *Fide Moyses natus occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem et non timuerunt edictum regis,* hoc est credebant, Deum et ipsos, et infantulum conservaturum, ideoque una cum puero periclitari, quam in Deum et puerum peccare maluerunt. 1. Sam. 22, v. 17: *Servi Saulis noluerunt extendere manus in sacerdotes Domini.* Dan. 3, v. 18. Sadrach, Mesach et Abednego Nabuchodonosori dicunt: *Notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus et statuam tuam auream, quam erexisti, non adoramus.* c. 6, v. 10. *Daniel* contra edictum regis Darii apertis fenestris orat. Act. 4, v. 18. *apostoli* in Christi nomine loqui ac docere a synedrio Hierosolymitano prohibiti respondent: *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate.* Mulier Hebraea una cum septem liberis mori maluit, quam jussu Antiochi contra legem divinam carne suilla vesci 2. Macc. 7. Referenda huc exempla omnium martyrum, qui exquisitissima supplicia maluerunt subire quam a veritatis confessione discedere. 3. *Propter divina praemia,* quibus affecti sunt, qui in talibus magistratuum edictis Deo magis obedire voluerunt quam hominibus. Exod. 1, v. 21: *Quia*

timuerunt obstetrices Deum, aedificavit illis domos, hoc est benedixit familiae et oeconomiae ipsarum; Dan. 3, v. 19. *socii Danielis in fornace ignea vivi conservantur*; Tob. 2, v. 9. *Tobias plus timebat Dominum quam regem ac sepeliebat corpora mortuorum*, quod officium caritatis *etiam in hac vita* ipsi divinitus remuneratum. *4. Propter obedientiae illius reprehensionem.* Num. 22, v. 32. dicit angelus ad Balaamum regis Balac mandato contra Dei interdictum parentem: *Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua mihique contraria.* 2. Petr. 2, v. 16: *Balaam correptionem habuit suae iniquitatis, quod subjugale mutum in hominis voce loquens prohibuit prophetae insipientiam.* 1. Reg. 12, v. 30. damnantur *Israëlitae*, quod edicto Jeroboami *in colendis vitulis aureis* obsecuti fuerint. Huc pertinent poenae, quibus Deus praeposteram illam inobedientiam affecit. Num. 31, v. 8. *Balaam gladio interficitur*, quod ad maledicendum Israëlitis se conduci passus fuerat. Dan. 3, v. 22. viros illos, qui miserant Sadrach, Mesach et Abednego in fornacem jussionem regis secuti, interfecit flamma ignis. *5. Propter alieni muneris usurpationem*, quam in talibus mandatis magistratus sibi arrogat. *Magistratus est sub Deo* Gen. 50, v. 19. ergo non debet se efferre supra Deum; re ipsa autem sese supra
XIV. 349. Deum effert, quando mandata sua divinis praeceptis contraria servari jubet, quod injustum esse apostoli pronuntiant, Act. 5, v. 29. Magistratus non est Dominus divinae legis constitutus, sed ejus minister ac custos. Ergo non debet aliquid praecipere, quod divinae legi adversetur, vel si tale quid praecipiat, subditi non tenentur obedire. ' Magistratui non competit imperium in hominum animas ac conscientias, sed mentium rex Deus est. Ergo non debet talia decreta promulgare, quibus conscientiae subditorum graventur. Magistratus est *minister Dei in bonum* Rom. 13, v. 4. At si contraria verbo Dei praecipiat, tum non est Dei minister in bonum. Magistratui obtemperamus propter Deum 1. Petr. 2, v. 13. ergo Deo magis obediendum quam magistratui, quia propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale. Proverb. 24, v. 21: *Time Dominum et regem.* Ergo timor Dei praeluceat obedientiae magistratus. *6. Propter paritatis rationem.* Praecepit Deus honorare parentes Exod. 20, v. 12. sed si contra Patris coelestis voluntatem quippiam praecipiant, audiendi non sunt, sed audiendus Christus, qui Matth. 10, v. 37. inquit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Luc. 14, v. 26: *Si quis venit ad me et non odit patrem suum aut matrem suam, non potest esse meus discipulus. Amandus est generator, sed praeponendus creator*, Tertullianus de idololat. c. 12. *nec debet plus amari beneficium quam benefactor*, Ambrosius in c. 12. Luc. p. 111. Idem de magistratibus, *qui sunt patres patriae*, dicendum. Obedire illis oportet, *sed in Domino*, non contra Dominum Ephes. 6, v. 1. 7. Huc pertinent *dicta piorum veterum*: Polycarpus in epist. ad Smyrnens.: *Omnis honor magistratui est praestandus, quatenus salva conscientia fieri potest.* Ignatius in epist. ad Antioch.: *Caesari subjecti estote in iis, in quibus subdi nullum animae periculum est.* Justinus in orat. ad Antonin.: *Nos solum Deum adoramus et vobis in rebus aliis laeti inservimus, imperatores ac principes hominum esse profitentes et simul precantes, ut cum imperiali potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Tertullianus de idololatr. c. 15. circa med.: *Reddenda sunt caesari, quae sunt caesaris; bene, quod apposuit et quae sunt Dei Deo. Quae ergo sunt caesaris? scilicet de quibus tunc consultatio movebatur, praestandumne esset caesari census, an non? ideo et monetam ostendi sibi Dominus postulavit et de imagine, cujus esset, requisivit. Et cum audisset caesaris, reddite, ait, quae sunt caesaris caesari et quae sunt Dei Deo, id est imaginem caesaris caesari, quae in nummo est, et imaginem Dei Deo, quae in homine est, ut caesari quidem pecuniam reddas, Deo temet ipsum, alioquin quid erit Dei, si omnia caesaris?* Idem de coron. milit. c. 12. sub finem: *Tu miles ac servus alterius es, et si duorum, caesaris ac Dei, certe tunc non caesaris, cum te Deo debes, etiam in communibus credo potiori.* Cyprianus libr. 4. epist. 6: *Ille metuendus est, cujus iram nemo poterit evadere.* Hieronymus in c. 13. Rom. tom. 8. p. 186: *Dicendo, minister est tibi* (magistratus) *boni causa, ostendit in his, quae recta sunt, judicibus obediendum, non in illis, quae religioni contraria sunt.* Ambrosius epist. 33. ad Marcellinam sororem et habetur c. Convenior etc. 23, q. 8: *Ea quae divina sunt, imperatoriae potestati non sunt subjecta.* Id. cont. Auxent.: *Prius est, ut animam mihi quam fidem auferat imperator. Tributum caesaris est, non negatur, ecclesia Dei est, caesari utique non debet adjici, quia jus caesaris esse non potest templum Dei.* Ruffinus lib. 2. hist. eccles. c. 16: *Imperialia decreta mandantur dictanda Benevolo tunc memoriae scriniis praesidenti. Sed ille, cui ab incunabulis sacra fides et venerabilis fuit, abnegat, se impia verba posse proferre et contra Deum loqui. Cumque celsior ei honor promitteretur, si impleret injuncta, ille qui nobilior in fide esse, quam in honoribus cuperet, respondit: Quid mihi pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? hunc ipsum, quem habeo, tollite, tantum mihi conscientia fidei duret illaesa. Haec dicens ante pedes impia praecipientium cingulum abjecit.*
Augustinus in enarr. Psalm. 124. super verba: Non XI
derelinquet virgam peccatorum super sortem justorum: *Julianus exstitit infidelis imperator. Nonne exstitit apostata, iniquus idololatra? Milites Christiani servierunt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in coelo erat; quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, praeponebant illi Deum; quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperarunt. Distinguebant Dominum aeternum a domino temporali et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam domino temporali.* Chrysostomus homil. 71. in Matth.: *Cum audis, reddenda esse caesari, quae ipsius sunt, illa solum*

dici non dubita, quae pietati ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidei ac virtuti obest, non caesaris, sed diaboli tributum ac vectigal est. Apud Josephum l. 8. antiq. c. 11 Petronio praesidi dicunt Judaei: *Feremus fortunam quamlibet, dummodo patriae legis religio maneat incolumis.* Vide etiam Lombardum 2. sent. dist. 44. lit. C. 7. gentiles *ex lumine naturae* idem cognoverunt. Socrates apud Platonem dicit: πείσομαι τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν, *obediam Deo magis quam vobis.* Achilles apud Homerum dicit: *Ego Atridis obtemperabo, sed honesta et justa imperantibus.* Apud Euripidem in Phoenissis Creontis verba sunt: *An jussa non est principum fas exsequi?* cui respondet Antigone: *Non, si impia, injusta et male imperata sunt.* ** De obedientia in causa religionis magistratui deneganda multa exstant in jure canonico dist. 9. 10. 11.**

ma. 475. Porisma hujus assertionis est, *quod illis subditis, qui mandatis sui magistratus de capessenda religione falsa non obtemperant, crimen laesae majestatis jure objici nequeat.* 1. Quia contra inferiorem magistratum non committitur laesae majestatis crimen; si diversum praecipiat magistratus superior, in mandatis inferioris semper intelligitur exceptum jus superioris. Jam vero Deus est *rex regum et dominus dominantium* 1. Tim. 6, v. 15. Ergo si illius mandata inferiorum magistratuum mandatis praeferantur, crimen laesae majestatis neutiquam committitur. Augustinus de verb. Domini serm. 6. circa med.: *Si potestas illud jubeat, quod non debeas facere, hic sane contemne potestatem timendo potestatem. Ipsos humanarum rerum gradus advertite, si aliquid jusserit procurator, nonne faciendum est? tamen si contra proconsul jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Nec hinc debet minor irasci, si major praelata est. Rursum si aliquid proconsul jubeat et aliud jubeat imperator, numquid dubitatur illo contemto illi esse serviendum? ergo si aliud imperator et aliud Deus, quid judicatis? Da veniam, tu carcerem minaris, ille gehennam.* 2. Quia non est in potestate magistratus religionem falsam imperare, vel ad eam cogere, ut superius fuit demonstratum. Ergo si magistratus talem potestatem sibi arrogat, alienos invadit fines, nec ad obedientiam quempiam constringit. 3. Quia idem Danieli et ipsius sociis, apostolis et aliis piis in primitiva ecclesia objici potuisset.

Jussum est principis ore Gallieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes,
Aeternum colo principem dierum,
Factorem dominumque Gallieni,

canit Prudentius hymn. 6. de martyrio Fructuosi episcopi. 4. Quia crimen laesae majestatis divinae committeretur, si magistratui ad falsam religionem cogenti subditi obtemperarent. *Etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, tamen manum omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam,* inquit Eleazarus ad apostasiam solicitatus 2. Macc. 6, v. 26.

476. 3. *Census ac tributa* magistratui a subditis XIV. 551. 3. Census ac tributa.
deberi, disertis verbis docet apostolus Rom. 13, v. 6: *Ideo etiam tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes;* v. 7. *reddite ergo omnibus debita, cui tributum*, φόρον, *tributum;* cui *vectigal*, τέλος, *vectigal*. φόρος proprie est *tributum*, quod penditur de rebus terra nascentibus, ἀπὸ τοῦ φέρειν. τέλος est *vectigal*, quod solvitur pro rebus quae transvehuntur et permutantur in contractibus, ἀπὸ τοῦ τελεῖν. Strabo libr. 17. εἰσαγωγικὰ καὶ ἐξαγωγικὰ τέλη vocat, quae pro importatis et exportatis penduntur sive τελοῦνται. Tributum veteribus dicebatur etiam tributus teste Gellio lib. 13. noct. Att. c. 19. quidam deducunt *a tribu*, quod pecunia per singulas tribus pro ratione census exigeretur. Valla lib. 4. de ling. Lat. rectius *a tribuendo*, quod ex privato in publicum tribuatur; olim imponebatur personis, sicut vectigal *praediis*, l. 2. §. si quid de hered. vel act. vend. Alii vectigal dictum existimant, quod ex vectura, hoc est pro importatis vel exportatis mercibus, pendatur, sed ipsum nomen latius patet pro omnis generis reditibus in fiscum collatis. Estque *urbanum* vel *rusticum*, *privatum* vel *publicum*, Cicero lib. 3. offic. et act. 5. in Verr. Jurisconsulti dicunt, tributum principi vel fisco solvi pro *bonis immobilibus* l. 2. C. de annon. et tribut. vectigal *pro bonis mobilibus* l. universi C. de vectigal. Distinguunt etiam tributum a collecta. *Tributum* habet certam formam et est ordinarium; *collecta* non habet certam formam et est extraordinaria. Species tributi est *capitatio*, qua pro capite cujusque civis aliquid exigitur, quae sublata est in imperio Romano a Constantino l. un. C. de cap. civ. cens. exim. *Redituum* nomen generalius est, ut et vectigalia, et tributa comprehendat. Varia tributorum et vectigalium genera enumerat Bodinus lib. 6. de republ. c. 2. plura recenset Warem. ab Ehrenberg. (Eberhardus a Weihe) in tractat. de reg. subsid. et oneribus. subdit. cap. 4. et seqq. sed necdum species omnes certum habent nomen, cum quotidie plures excogitentur, omnes tamen revocari possunt ad generalem illam divisionem, quod quaedam exigantur *de personis*, quaedam *de rebus*, quaedam *de actionibus*. Idem quod quaedam sunt *ordinaria*, quaedam *extraordinaria*.

477. Tenentur autem subditi magistratui tributa solvere: 1. *propter mandatum divinum* Matth. 22, v. 21. Rom. 13, v. 7. 2. *propter reipublicae necessitatem.* In tributis illis *nervos reipublicae* consistere nemini dubium esse potest. Ulpianus in l. 1. in criminibus. §. 20. ff. de quaestionib. Tributa illa sunt *ornamenta pacis, subsidia belli et nervi reipublicae* inquit Cicero orat. pro l. Manil. *Impossibile est, ut sacris tributis non illatis alioqui respublica conservetur,* ait imperator nov. 149. c. Ac sane. Unde enim persolventur a magistratu ecclesiarum et scholarum ministris, consiliariis et ministris aulicis salaria, militibus pro patriae salute pugnantibus stipendia, bene meritis honoraria, pauperculis subsidia, quomodo aedificia nova poterunt excitari ac vetera reparari, viae publicae sterni,

pontibus ripae fluminum conjungi, xenodochia, ptochotrophia excitari, quomodo in futuram reipublicae necessitatem thesauri colligi ac recondi, nisi tributa fisco magistratus inferantur? Menenius Agrippa apud Livium lib. 2. p. 78. pulcherrimo apologo Romanos docuit: *Quemadmodum totum corpus alimentis ventriculo denegatis ad tabem redigi necesse est*; *ita tributis magistratui denegatis extremam reipublicae perniciem impendere. Nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi possunt*, inquit Tacitus lib. 4. histor. *3. Propter aequitatem. Dignus est operarius mercede sua* Luc. 10, v. 7. jam vero magistratus gravissimas curas et labores pro subditorum incolumitate sustinet, aequum igitur est, ut qualiscunque mercedis loco talia tributa persolvantur. 1. Cor. 9, v. 7. Qui suis consiliis suisque laboribus
XIV. 352. pro toto orbe terrarum diu noctuque laborant, quare non habeant dignam sua praerogativa fortunam? inquit Justinianus l. bene a Zenone C. de quadr. praescript. **Chrysostomus serm. 23. in epist. Rom.: *Cur vectigalia regi damus, an non tanquam prospicienti? an non tanquam praesidenti curae tuitionisque mercedem solventes? atqui nihil illi solvissemus, nisi ab initio utilem nobis talem fuisse praefecturam cognovissemus. Verum propterea ab antiquis temporibus communi omnium sententia principes debere a nobis sustentari visum est, ob id, quod sua ipsorum negligentes communes res curant, universumque suum otium ad ea impendunt, quibus non solum ipsi, sed et quae nostra sunt salva fiunt.* Augustinus serm. 19. de verb. Domin. secundum Matth.: *Intelligimus, quod apud Deum non tam exactio quam iniqua exactio damnatur, dicit enim Dominus: Reddite quae Dei sunt Deo et caesari, quae caesaris.*** Debentur magistratui tributa *ratione laboris, ratione gubernationis et ratione defensionis.* 4. Inde *omni tempore* a primis imperiorum incunabulis et apud omnes gentes subditi magistratibus aliquid pendere consueverunt. Matth 17, v. 25: *Reges terrae a quibus accipiunt tributum vel censum, a filiis suis, an ab alienis?* 1. Sam. 8, v. 9: *Hoc est jus regis*, v. 15. *segetes vestras et vinearum reditus addecimabit.* 2. Sam. 8, v. 2: *Factus est Moab David serviens adferendo ei munera.* 1. Reg. 4, v. 6: *Salomon constituerat Adoniram filium Abda super tributa.* **Christophorus Schaplerus docuit, *magistratui non esse tributa pendenda*, quia ann. 1525. inter duodecim articulos de libertate Christiana scriptos istum velut praecipuum tradidit recitante Carione in chron. lib. 4. Clerici in papatu ab omni tributo immunes esse volunt, con. Trid. sess. 25. c. 20.**

478. Caveant autem pii principes, ne exactiones pro libitu augeant sine ulla reipublicae necessitate, tantum ut suppetat profusionibus, luxui et voluptatibus, sed cogitent, gravem sibi aliquando reddendam rationem, tum qualia a subditis exegerint tributa, tum in quem usum eadem collocarint. Ezech. 45, v. 9: *Haec dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis, principes Israël, iniquitatem et rapinas intermittite, desinite exturbare populum meum.* Ejusmodi sanguisugarum subditos expilantium elegans hypotyposis proponitur Mich. 3, v. 2: *Audite principes Jacob et duces domus Israël, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis et carnem eorum desuper ossibus eorum.* v. 3. *Qui comederunt carnem populi mei et pellem eorum desuper excoriaverunt et ossa eorum confregerunt et conciderunt sicut in lebete et quasi carnem in medio ollae.* Theodoricus rex admonuit Marcellum, *ne plus tribueret fisco quam justitiae*, Cassidorus lib. 1. epist. 22. Tiberius imperator dicebat: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* Suetonius in Tib.. **Hebraeis *tributum* dicitur מס a rad. מָסַס liquefacere, dissolvere, quia tributis nimium auctis bona subditorum liquefiunt ac dissolvuntur, Wolffius cent. 16. p. 144.** Modus tributorum certus determinatus praescribi nequit, sed pietati ac prudentiae magistratus relinquitur aestimandus respectu habito tum *ad reipublicae necessitatem*, tum *ad subditorum facultatem.* Hybreas Antonio tributum in uno anno bis exigenti dicebat: *Si potes uno anno bis tributum exigere, duas etiam aestates ac duos autumnos nobis effice*, Plutarchus in Anton. p. 128. Sane respublica tam non potest servari incolumis sine tributis, quam corpus humanum sine cibis; sed quemadmodum ex cibi potusve abundantia infinita morborum genera oriuntur, sic ex multiplicatis tributorum oneribus et conversiones et eversiones rerumpublicarum oriri consueverunt. *Tributum acerbum movet subditos ad rebellionem et seditionem*, Tacitus lib. 3. annal. imo vix ex ulla causa alia frequentius oriuntur seditiones, quam ex nimia tributorum exactione. Ostendit id exemplum Roboami, qui cum subditis denuntiari curaret, *Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro*, 1. Reg. 12, v. 14. decem tribuum defectionem intueri est coactus. Ac si vel maxime subditi absque ulla rebellione, quae omnino prohibita, expilationes illas perferre cogantur, ipsi tamen principes conscientiam suam graviter vulnerant et propter XIV
pauperum sudores ac lacrymas violenter expressas Dei iram et subditorum odia incurrunt. Mahomet Turcicus imperator in extremis constitutus, teste Cominaeo, nihil magis deploravit, *quam quod supra debitum ac legitimum modum tributa auxisset.* Darius cum provinciarum pensiones auctiores reddidisset, a Persis iniquo animo id ferentibus audire coactus est, *Cyrum fuisse regni patrem, Cambysem dominum, Darium vero institorem.* Hanc igitur pietatem, prudentiam animique moderationem circa exigenda tributa princeps adhibeat: 1. ut prodigalitatem, luxuriam et erogationem sumtuum in res voluptuosas, inutiles, non necessarias etc. fugiat, ne ad tributa extraordinaria subditis imponenda descendere cogatur. Qui multum profundit, sanguinem populi postmodum plerumque exsugit. 2. Ne aures aperiat adulatoribus, qui novas tributi exigendi vias monstrant et suae potius cupiditati quam reipublicae utilitati serviunt. Rebuffus in comment. ad l. Eum de V. S. scribit, *eos qui principibus consulunt*, ut

nova tributa et vectigalia sine evidenti necessitate imponant, tartareis poenis in inferno cruciandos esse. 3. Ut illis rebus potissimum tributa imponat, quae ad corrumpendos civium mores, ad luxum, ad delicias, ad libidines spectant, quod est consilium Bodini lib 6. de republ. c. 2. atque earum rerum vectigalia potius augeat, quibus carere sine magno incommodo possunt subditi, quam illarum, quibus nullus ac ne pauperculus quidem carere potest. 4. Ut personarum et circumstantiarum ratione habita tributa quibusdam subditis, cumprimis ecclesiarum et scholarum ministris, remittat vel certe minuat.

. Preces t vota. 479. 4. Quartum, quod magistratui debetur a subditis, sunt *preces et vota*, 1. Tim. 2, v. 1: *Hortor igitur fieri obsecrationes*, *orationes* etc. v. 2. *pro regibus et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus.* Huc referenda sunt similia Scripturae dicta et exempla, Gen. 47, v. 7. Jacobus patriarcha *benedicit Pharaoni* regi, hoc est fausta illi precatus est et seriis precibus ipsius ac regni incolumitatem Deo commendavit. Jer. 29, v. 7: *Quaerite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Baruch. 1, v. 11: *Orate pro vita Nabuchodonosoris regis Babylonis et pro vita Balthasar filii ejus, ut sint dies eorum sicut dies coeli super terram.* Dan. 6, v. 21: *Rex in aeternum vive.* Quo pertinent votivae illae acclamationes, quibus reges noviter electos Israëlitae accipere consueverunt, *Vivat rex*, eae enim nihil aliud sunt quam vota et preces pro salute regis facta. Tertullianus in apolog. c. 30. in princ. de Christianis in primitiva ecclesia sic scribit: *Nos pro salute imperatorum Deum invocamus aeternum, Deum verum, Deum vivum, quem et ipsi imperatores propitium sibi praeter ceteros malunt* etc. *Precantes sumus semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quaecunque hominis et caesaris vota sunt.* Interest enim reipublicae ac subditorum, principes esse pios et Deum timentes, siquidem delicta principum quandoque Deus in subditis punit. Justin. in qq. et resp. ad orth. q. 138. p. 376: *Sicut homo constat ex anima et corpore, ita regnum ex rege et illis, qui reguntur, coagmentatur. Quemadmodum igitur si homo manibus peccatum committens tergo poenas pendat, non inique, qui in eum animadvertit, agit; ita non injuste Deus facit principum delicta populi poena coërcens* etc. esse eosdem felices, tranquillos et pacificos, denique eosdem esse *μακροβίους* et longaevos. *Vae principatui sepelienti dominos suos*, dicunt magistri Hebraeorum referente Salomone Jario in comm. Hos. 1, v. 1. et Drusio lib. 9. observ. c. 6. quia crebrae mutationes principum regnis ac civitatibus solent esse exitiosae. *Propter peccata terrae multi principes* ejus, ait rex sapiens Prov. 28, v. 2. Valerius libr. 6. memo-
XIV. 384. rab. c. 2. refert, anum quandam in Sicilia pro Dionysii, cujus interitum omnes alii avidis votis expetebant, salute quotidie vota fecisse ac rogatam, cur id contra totius civitatis vota faceret, respondisse, ne *si hic absumtus fuerit, deterior in ejus locum succedat. Bonis enim saepe mali, raro meliores succedunt.* Merito igitur celebratur et subditis inculcatur dictum Bugenhagii Pomerani: *Si tam promti essemus ad preces pro magistratibus fundendas, quam parati sumus ad detrahendum ac maledicendum ipsis, nae res nostrae melius haberent.*

480. Quaeritur hoc loco, *1. An etiam infideli et haeretico magistratui officiis illis subditi Christiani et orthodoxi teneantur obstricti?* Pontificii negant, sic enim disserit Bellarminus lib. 5. de pontifice c. 7. rat. 3: *Non licet Christianis tolerare regem infidelem aut haereticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam haeresin vel infidelitatem.* Et postea: *Ejusdem periculi et damni est eligere non Christianum et non deponere non Christianum. At prohibentur Christiani eligere regem non Christianum. Ergo tenentur Christiani non pati super se regem non Christianum, si ille conetur populum avertere a fide. Addo autem istam conditionalem* (inquit) *propter eos principes infideles, qui habuerunt dominium super populum suum, antequam populus converteretur ad fidem. Si enim tales principes non conentur fideles a fide avertere, non existimo posse eos privari suo dominio, quanquam contrarium sentit* Thomas 2. 2. q. 10. art. 10. *At si isti iidem principes conentur avertere populum a fide, omnium consensu possunt et debent privari suo dominio.* Postea addit conditionem, *si scilicet subditi sufficientibus viribus ad deponendum magistratum sint instructi.* Quod Christiani olim non deposuerunt Neronem et Diocletianum et Julianum Apostatam ac Valentem Arianum et similes, id (inquit) fuit, quia *deerant vires temporales Christianis.* ** Becanus in resp. ad aphorismos Jesuitarum aph. 10. p. 105. *Quae Bellarminus lib. 5. de Rom. pont. c. 7. docet, verissima sunt p. 107. Quaero ex Calvinistis: Si rex Angliae catholicam et Romanam fidem amplecteretur et vellet omnes Calvinistas, quotquot in Anglia sunt, eandem fidem palam profiteri et pontifici Romano fidelitatem praestare, quid consilii caperent? an sequerentur suum regem? non essent hoc facturi, sat scio. Quid ergo? Regem potius abdicarent et suum Calvinismum sartum tectum conservarent. Quare? quia praestat regem quam reformatam fidem amittere. Simili modo argumentatur Bellarminus.* ** Ex conditione a Bellarmino paullo ante adjecta notabilem conclusionem deducit Dominicus Bannes Salmanticens. acad. prof. in commentariis ad Thomam 2. 2. q. 12. art. 2: *Post latam sententiam declarativam de crimine haereseos injuste princeps possidet regnum et principatum et exercet jurisdictionem in subditos, tenenturque subditi eximere se ab ejus obedientia et bellum gerere contra illum, si vires suppetant. Ex hac conclusione* (inquit) *sequitur, primo excusandos esse Anglicanos et Saxonicos fideles, qui non se eximunt a potestate superiorum nec bellum contra*

Qu. 1. etiam fideli haeret magis tui de beatui obedi tia.

illos gerunt, quoniam communiter non habent facultatem ad haec bella gerenda contra principes et imminent illis gravia pericula. Hinc Romanus pontifex, quando imperatores, reges et principes propter haeresin excommunicat, subditos a juramento fidelitatis absolvit, Gregorius VII. in synodo Romana et habetur c. Nos sanctorum c. 15. q. 6: *Nos sanctorum praedecessorum nostrorum statuta tenentes eos, qui excommunicatis fidelitatis juramento constricti sunt, apostolica auctoritate juramento absolvimus, et ne eis fidelitatem observent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant*, quae verba posteriora in manusc. Vaticano non fuisse in edit. Gregoriana notatur. Honorius III. ad archidiac. Suession. in c. Gravem etc. x de poenis: *Si comes post commonitionem non paruerit, fideles ipsius, quamdiu in excommunicatione perstiterit, ab ejus fidelitatis juramento de-*
XIV. 355. *nuntietis penitus absolutos.* Innocentius IV. in concilio Lugdunensi et habetur c. pro humani. de homicidio in 6: *Sacri approbatione concilii statuimus, ut quicunque princeps quempiam Christianorum per assassinos interfici fecerit, aut eos receptaverit, vel defenderit seu occultarit, excommunicationis et depositionis a dignitate, honore, ordine, officio et beneficio incurrat sententias et illa libere aliis conferantur.* Vide bullam Pauli III. contra Henricum VIII. Angliae regem et Sixti V. contra regem Navarrae et principem Condaeum, ex quibus constat, quod pontifex subditos bullis suis excommunicatoriis a sacramento fidelitatis magistratui haeretico praestito et quocunque alio debito soleat absolvere, regum liberos jure successionis privare ac infames pronuntiare, subditos ad arma capessenda contra principes concitare ac cuivis potestatem dare absque ulla alia belli denuntiatione aut insidiis aut aperto Marte illos persequendi, capiendi vel etiam jure trucidandi. Quod thema latius explicant Thom. Bozius lib. de ruinis gentium adv. impios politicos, Rossaeus de vind. reipubl. Christ. adv. reges impios et haereticos etc.

481. Nos in illis, quae religionem et conscientiam concernunt, subditos ab obedientia in edictis magistratus infidelis vel haeretici liberos esse concedimus, interim in reliquis, quae temporalia et externa concernunt, ad obedientiam et reliqua officia superius exposita eidem obstrictos esse profitemur, id quod demonstramus 1. *ex illis fundamentis*, quae ostendunt etiam ethnicum magistratum esse a Deo, quae enumeravimus superius cap. 3. sect. 1. q. 1. Quodsi enim magistratus etiam ethnicus est a Deo et divinitus ad imperium evectus, utique etiam ipsi obedientia a subditis debetur, quando scilicet nihil contra Deum ac Dei verbum praecipiunt. *2. Ex generalibus illis Scripturae dictis*, quae obedientiam magistratui praestandam a subditis exigunt citra ullam exceptionem vel limitationem, an magistratus sit ethnicus vel Christianus, haereticus vel orthodoxus. Rom. 13, v. 1: *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subjecta, non enim est potestas nisi a Deo.* 1. Petr. 2, v. 13: *Subjecti estote omni humanae ordinationi propter Dominum. 3. Ex dictis specialibus*, quae ethnico et haeretico etiam magistratui subditos debere esse subjectos testantur. Jer. 29, v. 7. Baruch 1, v. 11. jubentur Israëlitae *pro vita et salute Nabuchodonosoris orare*, jam vero Nabuchodonosor erat idololatra. Matth. 22, v. 21: *Date caesari, quae sunt caesaris*, jam vero eo tempore caesarem agebat Tiberius ethnicus. Quando apostoli Rom. 13, v. 1. 1. Petr. 2, v. 13. subditos ad obedientiam hortantur, nulli alii erant nisi ethnici magistratus. *4. Ex probatis piorum exemplis. Pharao* rex Aegypti erat gentilium superstitioni immersus, nihilo tamen minus Jacobus cum suis filiis et nepotibus reverenter se illi subjicit. *Salomon* ad idololatriam deficiebat 1. Reg. 11, v. 5. nec tamen subditi contra ipsum rebellabant. *Amasias* 2. Par. 25. v. 14. *Manasses* 2. Paral. 33, v. 2. *Ammon* ibid. v. 22. et alii reges Israëlitici in idololatriam fuere prolapsi, neque tamen quisquam prophetarum auctor populo exstitit, ut propterea ab ipsis deficerent. Christus Matth. 17, v. 27. etiam ethnico magistratui tributum persolvit, Paulus Actor. 25, v. 11. ad caesarem ethnicum provocat. *5. Ex primitivae ecclesiae praxi.* Christiani in primitiva ecclesia non gladium sed patientiae scutum et arma precum spiritualia contra ethnicos imperatores assumserunt. Nullus apostolorum, nullus orthodoxorum patrum imperatores aut alios inferiores magistratus a dignitatis solio removit vel Christianis subditis, ut tale quid tentarent, auctor exstitit, quin potius cum Andreas apostolus ab Aegea Achaiae praetore ad mortem raperetur et populus ea de causa tumultum excitare pararet, manu et verbis gliscentem seditionem repressit. Polycarpus in epist. ad Philipp. referente Eusebio lib. 3. hist. cap. 33. et Nicephoro lib. 3. cap. 19. scribit: *Obsecro vos cunctos, ut magistratui obedientes sitis* (ad martyrium pro fide Christiana subeundum vos deposcenti) *omnemque patientiam exerceatis.* Idem cum paulo ante martyrium XIV. 35
coram proconsule ethnico staret apud Eusebium lib. 4. hist. cap. 15. inter cetera sic dixit: *Nos* (Christiani) *sic instituti sumus, ut principatibus ac potestatibus a Deo ordinatis honorem, qui eis competat*, nobis obsit, *exhibeamus.* Tertullianus laudi Christianorum accenset, *quod nunquam inter seditiosos inventi* fuerint licet ethnico magistratui subjecti, libr. ad Scapul.: *Circa majestatem imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani vel Cassiani* (qui seditionem contra Severum imperatorem excitarant) *inveniri potuerunt.* in Apol. c. 33: *Sed quid ego amplius de religione atque pietate Christiana in imperatorem, quem necesse est suspiciamus ut eum, quem Dominus noster elegit, ut merito dixerim, noster est magis caesar, ut a nostro Deo constitutus, itaque ut meo plus ego illi operor in salutem.* Fulgentius lib. 1. de myst. med. Chr. ad Thrasim. *etiam Arianos reges* ab orthodoxorum rebellione tutos esse docet ex loco apostolico 1. Pet. 2, v. 18. Frivolum est, quod Bellarminus regerit, *ideo non fuisse Neronem, Julianum, Valentem* etc. *a Christianis depositos, quod viribus temporalibus ad*

id peragendum fuerint destituti. Si enim ab imperiali solio ob gentilismum fuissent dejiciendi, Christus tales ac tantos vires suo vicario pontifici Romano concessisset, quin et parva Christianorum manu divina virtute accedente ethnici illi imperatores debellari potuissent. Falsum etiam est, Christianis vires temporales defuisse. Tertullianus in apol. c. 1: *Obsessam vociferantur civitatem, in agris, in castellis, in insulis Christianos, omnem sexum, aetatem, conditionem et dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento moerent.* cap. 37: *Externi sumus et viam omnia implevimus urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatia, senatum, forum* etc. Maximinus apud Euseb. lib. 9. hist. cap. 9. *etiam ante Constantini imperium omnes fere mortales deorum cultu relicto Christianorum genti se commiscuisse* testatur. Plenae erant omnes imperii terrae Christianis tempore Juliani Apostatae, nihilo tamen minus Nazianzenus orat. 1. in Julian. inquit, *Christianos nullum aliud contra persecutorem habuisse remedium quam lacrymas.* Nec solum de inermibus Christianis hoc accipiendum, ut Bellarminus contra Barclaium excipit, sed etiam ipsa castra Christianis erant plena. Cum enim Jovianus Juliani Apostatae successor apprehensus ad suscipienda imperii traheretur insignia, ad exercitum Juliani sacrilegiis profanatum dicitur proclamasse, *non se posse iis imperare, quia esset Christianus,* tum omnes pari eademque voce respondisse perhibentur: *Et nos Christiani sumus!* Ruffinus libr. 2. hist. eccl. c. 1. Theodoretus lib. 4. hist. cap. 1. Praeterea si Christiani in primitiva ecclesia judicassent, non licere ethnicos magistratus tolerare, ac proinde vigore mandati divini ad illos deponendos esse obstrictos, utique totis viribus illis restitissent et quaevis extrema potius subiissent, quam ut contra conscientiam eos tolerando egissent. Denique quid opus fuisset ad ethnicos imperatores debellandos viribus et violentia, cum ex hypothesi Jesuitarum Hildebrandinae sectae addictorum insidiis etiam adversus reges haereticos uti liceat ac veneno vel per sicarios e medio eos tollere? Sed haec doctrina ignota fuit piis ecclesiae primitivae doctoribus, qui tantum abfuit, ut seditionis concitandae vel insidiarum magistratui ethnico struendarum subditis auctores fuerint, ut solicite potius caverint, ne tale quippiam ab illis tentaretur. Ambrosius epist. 33. ad Marcell.: *Non ego me* (contra tribunos imperatoris) *vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Horrebam quippe animo, cum armatos ad basilicam ecclesiae occupandam missos cognoscerem, ne dum basilicam vendicant, aliqua strages fieret, quae in perniciem totius vergeret civitatis; orabam, ne tantae urbis vel potius totius Italiae busto superviverem.* Theodoretus lib. 4. hist. eccles. c. 14. Valens imperator Arianus Eusebio episcopo Samosatensi per legatum indixerat exsilium, Eusebius
57. legatum, qui sub crepusculum vespertinum advenerat, silere et dissimulare causam adventus sui jubet, *nam si cognoverit multitudo a prima institutione, divino fervore praedita, in flumen te* (inquit) *demerget et a me postea exigetur poena mortis tuae.* Haec locutus et de more vespertino munere suo functus, incipientis somni tempore, fide habita uni servorum solus egreditur senex pedes, sequebatur et servus cum cervicali et libro, cumque venisset ad ripas fluvii Euphratis conscendit navigium et remiges Zeugma versus cursum tenere jubet. Cum fugientem confertim populus secutus lamentis ac gemitibus adeoque fontibus lacrymarum profusis conaretur illi persuadere, ut maneret neque pecudes lupis proderet, non est illis obsecutus, sed apostolicam legem illis proposuit, quae plane juberet magistratibus et potentibus subjici. *6. Ex suffragio saniorum ex ipsis adversariis.* In concilio Constant. sess. 15. assertio illa, *quod reges et principes in haeresin et apostasian lapsi vel in haeresi nati sint regno depellendi,* tanquam erronea in fide et in moribus scandalosa, ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones atque perjuria viam dans fuit omnino reprobata. Stapletonus Domin. XXII. post. pentec. in promt. mor.: *Cum jure gentium et naturae dubium hoc nemini esset, docent apostoli Rom. 13. 1. Petr. 2. etiam hanc Dei voluntatem esse, ut regibus etiam ethnicis atque infidelibus, neque enim alii tunc erant, ipsi pii et fideles obtemperarent. Sic Christus Caesari, Petrus Neroni obediendum docent.* Bodinus lib. 1. de republ. cap. 9: *Nullus propheta unquam docuit propter solam idololatriam aut haeresin contra magistratus arma capere debere.*

482. Quae in contrarium Bellarminus affert, facilem habent explicationem 1. Deut. 17. *prohibetur populus eligere eum, qui non sit de fratribus suis, hoc est non Judaeum, ne videlicet pertrahat Judaeos ad idololatriam. Ergo etiam Christiani prohibentur eligere regem non Christianum. Rursum ejusdem periculi est et damni eligere non Christianum, et non deponere non Christianum.* Respondemus: distinguendum est inter non eligere et electum deponere. Concedimus, eum, qui non est Christianus et orthodoxus, in regem a Christianis non esse facile eligendum, nisi scilicet jure quodam speciali ad certam familiam electio sit restricta, tunc enim propter religionis diversitatem talis non est privandus suo jure, ut ostendimus superius cap. 4. q. 1. sed alia ratio est illius, qui imperium legitimis modis ac mediis jamtum obtinuit, is enim si vel maxime postmodum a vera religione deficiat, tamen a subditis propterea non est deponendus, quia *quae ab initio fuerunt liberae voluntatis, ea postmodum fiunt strictae necessitatis,* ac quod *semel placuit, postea displicere non potest.* Impius princeps eligi non debet, interim electus postea est tolerandus. Cum a Valentiniano imperatore milites postularent, ut socium imperii constitueret, hoc responsi ab eo tulerunt: *Ut me ad imperium vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate. At postquam me jam elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi vero quae facienda sunt cogitare.* Sozomenus lib. 6.

hist. eccles. cap. 6. Nicephorus lib. 11. c. 1. Sic non est facile contrahendum matrimonium cum conjuge diversae religioni addicta, interim si jam contractum sit et consummatum, propter religionis diversitatem non est dissolvendum. Multa impediunt matrimonium contrahendum, quae non dirimunt contractum. Declarabimus id exemplis ab ipso Bellarmino concessis. Cardinales eligunt pontificem, neque tamen permittet ipsis Bellarminus, ut pontificem propter haeresin iterum deponant. Liberi non debent citra consensum parentum matrimonium contrahere, neque tamen illud irritum pronuntiat Bellarminus, si fuerit contractum. Et quid multis? ostendunt exempla Salomonis, Manassis, Ammonis et aliorum regum idololatricorum a subditis toleratorum, hanc ratiocinationem Bellarminianam ex lege Mosaica deductam nunquam ipsis in mentem venisse,
XIV. 358. ac si quid roboris huic argutiae inesset, Christus et apostoli minus recte fecissent tolerando imperatores ethnicos. *2. Paulus* 1. Cor. 6. *jubet, constitui novos judices a Christianis temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram judice Christi persecutore. Sicut ergo novi judices constitui potuerunt, ita et novi reges et principes propter eandem causam, si vires adfuissent.* Respondemus: non simpliciter et absolute improbat apostolus praesidio et defensione magistratus ethnici uti, cum ipse ad caesarem provocaverit, sed comparate loquitur, quod satius sit privatas injurias tolerare, quam coram ethnicis judicibus maximo cum scandalo propter eas accusationem contra fratrem instituere, nec de publicis judicibus loco movendis, sed privatis arbitris eligendis loquitur. Quae vero a libera arbitrorum electione ad violentam ordinarii magistratus depositionem est consequentia? *3. Tolerare regem infidelem vel haereticum est exponere religionem praesentissimo periculo, quia qualis est rector civitatis, tales sunt habitantes in ea, Eccl. 10. quia Jerobeam rex idololatra fuit, maxima etiam regni pars continuo idola colere coepit*, 1. Reg. 12. Respondemus: quidam reges infideles ac haeretici veram religionem ejusque confessores in suis provinciis tolerant, quidam vero hostiliter eandem persequuntur. Prioribus obedientiam in aliis esse praestandam constat ex iis, quae jam dicta sunt; posterioribus an et quomodo resistendum sit, inferius dispiciemus. Res eo redit, respiciat quilibet suam vocationem, mere privati ac subditi non habent potestatem deponendi regem absoluta potestate et integra majestate instructum, frustra igitur seditionibus suis religionis curam praetexunt. Non est, quod Bellarminus regerat, *ecclesiam manere sine efficaci remedio humano, si magistratui superiori ab illis, qui mere sunt subditi, non liceat armis resistere atque ab eo deficere;* opponimus enim ipsi, quod scribit lib. 2. de conc. cap. 19. §. at inquiunt, ubi ad argumentum: *Si pontifici malo nemo potest resistere; ergo ecclesia manet sine remedio, si habet malum pontificem*, respondet hoc modo: *Non est mirum, si manet ecclesia sine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur salus ejus praecipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus rex sit Deus. Itaque etiamsi ecclesia non possit deponere pontificem, tamen potest ac debet Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat, et certum est, Deo fore curae ejus salutem, qui talem pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam ecclesiam destruat.* Nimirum ecclesia non regitur humanis consiliis nec defenditur humanis viribus vel instar sylvae caeduae amputata altior exit et sub ipsis persecutionibus crescit, adeoque ut Vigilius loquitur libr. 1. contra Eutych. in princ.: *Triumphum de contrariis et immobilitatem sortitur de adversis. 4. Cur non potest liberari populus fidelis a jugo regis infidelis et pertrahentis ad infidelitatem, si conjux fidelis liber est ab obligatione manendi cum conjuge infideli, quando illa non vult manere cum conjuge Christiana sine injuria fidei* 1. Cor. 7. Respondemus: Apostolus nequaquam infidelem conjugem statim repudiandam, sed potius retinendam docet v. 12. et 13. quodsi vero pars infidelis se ipsam separet et divortii initium faciat, malitiose fidelem partem deserendo, tum demum fidelem liberam esse pronuntiat, verba enim illa, *si infidelis discedit, discedat* v. 15. non sunt *praecepti*, quod conjugem infidelem fidelis necessario teneatur repudiare, sed *consilii* in desertione malitiosa innocenti parti praescripti, hoc ipsum si applicetur ad magistratum ethnicum et subditos Christianos scopo Bellarmini adversatur, quia tum demum locum haberet apostoli consilium, quando princeps haereticus vel infidelis sponte se officio abdicaret.

483. Quaeritur 2. *Quid faciendum subditis, si magistratus infidelis vel haereticus ad impia sacra et falsam religionem eos cogere velit?* Respondemus: 1. ex superioribus constat, impiis illis edictis *non esse obediendum*, quia *Deo magis obedire oportet quam hominibus* Act. 5, v. 29. atque ita dandum est *caesari, quod caesaris est*, ut quod Dei est relinquatur Deo Matth. 22, v. 21. 2. Nec tamen vi armata magistratui superiori, qui absolutam et nullis pactis limitatam potestatem obtinet ab illis, qui sunt mere subditi, resistendum. 1. Quia bellum nisi geratur auctoritate superioris, non est legitimum, ut ostendimus superius, jam vero subditi in magistratum nullam habent auctoritatem vel potestatem. 2. Gladium accipientibus minatur Deus, quod gladio sint perituri Matth. 26, v. 52. jam vero subditis non est datus gladius contra magistratum, ergo gladium accipiunt et per consequens metuendum ipsis, ne gladio pereant. *3. Qui resistit potestati, ordinationi divinae resistit, qui autem resistunt, sibi ipsis judicium acquirunt* Rom. 13, v. 2. *4. Exempla sanctorum* in V. ac N. T. contrarium testantur, *nec prophetae, nec apostoli* gladium tradiderunt subditis, quo sese in persecutionibus contra magistratum proprium tuerentur, sed scutum patientiae et arma precum, quinimo *civem illum Nicomediensem*, qui Diocletiani et Maximini edictum contra Christianos promulgatum conscerpserat, capitis supplicio jure affectum primitiva ecclesia censuit, Eusebius lib. 7.

2. Quid faciendum subditis, cogantur ad falsam religionem. XIV. 3.. nem.

histor. eccles. cap. 5. 5. Si in persecutionibus privata auctoritate liceret gladium arripere, obstrueretur aditus ad coronam martyrii acquirendam. 6. Testes sunt historiae, subditis male cessisse, si quando contra proprium magistratum insurgere et carnalibus armis religionem defendere voluerunt. Matthesius im Unterricht anno 1567. edit. wie sich Unterthanen zur Zeit der Verfolgung verhalten sollen, wer über sich hauet, dem fallen die Splitter in die Augen, cum quo congruit illud Scaligeri: *Reverenter habe, quos superi dant superiores. In se spuit is, qui adversus Olympum.* Ergo. *3. Supplicandum* Deo piis precibus, ut saniorem mentem magistratui concedat et salutaria consilia ipsorum cordibus suggerat. Esth. 4, v. 16. cum Ahasverus edictum de Judaeorum internecione proposuisset, ipsi *ad preces et jejunia* mandante et praeeunte Esthera sese convertunt. Dan. 3, v. 24. Sadrach, Mesach et Abednego in fornacem igneam propter denegatum statuae idololatricum cultum conjecti *ad preces* convertuntur. Act. 4. v. 24. apostoli de Christo silere jussi ad Deum *per preces* levant vocem. **Pharao Israëlitis concedere noluit, ut cultui divino inservirent, Exod. 6. v. 1. c. 7. v. 13. 22. cap. 8. v. 15. 19. 32. c. 9. v. 7. 12. 34. 35. c. 10. v. 3. sed propterea non arripuerunt arma nec constituerunt praefectos imperii. In captivitate Babylonica pro rege Nabuchodonosor orarunt, Jerem. 29. tempore Ahasveri non armis corporalibus, sed spiritualibus, precibus scilicet et jejuniis pugnabant, Esth. 1. in primis seculis Christiani horribiles persecutiones passi sunt, sed non restiterunt imperatoribus, Nazianzenus orat. 2. in Julian. *Nobis non sunt alia arma quam preces,* Basilius epist. 71. Imperator Gallienus permisit liberum Christianae religionis exercitium, Eusebius lib. 7. histor. eccles. cap. 12. p. 91. successores hanc libertatem sustulerunt, sed Christiani vi et armata manu resistere noluerunt. Constantinus magnas immunitates et privilegia Christianis concessit, Constantius successor eosdem persecutus est, neque tamen vim magistratui intulerunt.** Cyprianus epist 56: *Incumbamus gemitibus assiduis et deprecationibus crebris. Haec enim sunt munimenta spiritualia et tela divina, quae protegunt.* Nec carebunt tales preces, si ex poenitente et fideli corde proficiscantur, suo fructu, Deus enim ut omnium hominum, ita quoque *regum corda in manu sua habet* Ps. 33, v. 15. Prov. 21, v. 1: *Sicut rivi aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Ruffinus lib. 2. cap. 16.: *Ambrosius adversum reginae* (Arianae Justinae) *furorem non se manu defensabat aut telo, sed jejuniis continuatisque vigiliis sub altari positus, per obsecrationes defensorem sibi atque ecclesiae parabat Deum. Dumque haec in longum diversis machinis et oppugnationibus Justina moliretur, Maximus datis literis impium protestatur inceptum, fidem Dei impugnari et statuta catholicae ecclesiae subrui, et inter haec appropinquare Italiae coepit. Quo Justina comperto, hoste simul atque impietatis con-*
380. *scientia perurgente, in fugam versa cum filio exsilia, quae Dei sacerdotibus praeparabat, prima sortitur.* Sozomenus libr. 2. hist. cap. 28. *cum imperator Arium in communionem recipere mandaret, Alexander Constantinopolitanus episcopus ad basin altaris procidens totam noctem pronus humi jacens Deum enixe precatus, ut obstaret, quominus conatus adversarii ad exitum perducerentur, impetravit, ut foeda morte interiret. 4. Fidei confessio exponenda*, calumniae adversariorum diluendae et supplicibus libellis mitigandus persecutoris animus. Sic Justinus philosophus et martyr scripsit apologiam pro Christianis ad Antonium imperatorem, Tertullianus apologeticum adversus gentes, Athenagoras orationem pro Christianis etc. 5. Si magistratus persecutionem inferens superiorem aliquem recognoscit, ad illius tribunal *provocandum.* Sic Paulus a tribunali inferiore ad superius tribunal caesaris provocat. *6. Aliorum intercessionibus utendum.* Sic *Ebedmelech* eunuchus, qui erat in domo regis Sedeciae, intercedit pro Jeremia, ut ex carcere liberetur, Jerem. 38, v. 8. quae intercessio non caruit suo fructu. *Esther* supplicat Ahasvero pro populo Israëlitico Esth. 4. *praefectus Edessenus* jussus a Valente imperatore Ariano Christianorum coetus dejicere non tantum de imminente periculo populum praemonuit, ut quilibet locum destinatum lanienae vitaret, sed etiam constantiam Christianorum ad martyrium properantium animadvertens ad imperatorem dixit: *Frustra haec caedes perpetrabitur, ex qua infamiam nos quidem decerpemus, nec tamen promtitudinem illorum expugnabimus,* qua intercessione furorem imperatoris a populo avertit, Theodoretus lib. 4. histor. cap. 17. Ruffinus lib. 2. c. 5. Anno 1541. *Protestantium ordines* apud Franciscum I. Galliae regem missis Ratisbona literis pro iis, qui ob doctrinae confessionem partim in vinculis, partim in exsilio erant, intercesserunt, Sleidanus lib. 13. comm. p. 381. Plura exempla adduximus superius §. 211. 7. Si precibus et intercessionibus nihil obtineri potest, *fugiendum*, Matth. 10, v 23: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Cyprianus epist. 56: *Gaudere et exsultare nos voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronae fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent coeli* etc. *Solus non est, cui Christus in fuga comes est, solus non est, qui templum Dei servans, ubicunque fuerit, sine Deo non est.* Nazianzenus in serm. de se ipso in agrum reverso: *Si de civitate depellent et effugabunt, numquid et de coelesti urbe Hierusalem, quae est mater omnium nostrum, depellere nos poterunt vel effugere.* Athanasius in apol. fugam suam excusans adducit exempla piorum ac magnorum virorum, qui fugae beneficio vitae ac salutis suae consuluerunt, *Jacobi*, qui fugit fratrem Esau Gen. 27. v. 43. *Moysis*, qui Pharaonis potentiam reveritus fugit in Midian Exod. 2, v. 15. *Davidis*, qui a facie Saulis se abdidit in speluncam 1. Sam. 22, v. 1. *Eliae*, qui Jesabelis minas fugiens in desertum abiit 1. Reg. 19, v. 3. *ipsius etiam Christi*, qui Herodis et Judaeorum furores fugiendo

saepius elusit Matth. 2, v. 14. cap. 12, v. 15. Joh. 8, v. 59. etc. Ejusmodi exempla plura occurrunt 1. Reg. 18, v. 4. Jerem. 26, v. 21. Act. 9, v. 25. 2. Cor. 11, v. 33. etc. Sic in pacificatione Passaviensi *beneficium emigrationis* conceditur illis, qui a magistratu ad religionis mutationem coguntur. 8. Quodsi nec fugae locus patet, quidvis potius *tolerandum* quam contra Dei verbum et conscientiam aliquid agendum ac vitae potius quam Deo renuntiandum, Matth. 10, v. 39: *Qui perdit animam suam propter me, inveniet eam.* Act. 21, v. 13. dicit apostolus: *Non solum alligari, sed etiam mori paratus sum propter nomen Domini Jesu.* Eandem spiritus-*προθυμίαν* animadvertimus in Ignatio, qui epist. 14. ad Tarsenses p. 19. inquit: *ἕτοιμός εἰμι πρὸς πῦρ, πρὸς θηρία, πρὸς ξίφος, πρὸς σταυρὸν, μόνον ἵνα Χριστὸν ἴδω τὸν σωτῆρά μου καὶ θεὸν ὑπὲρ ἐμοῦ ἀποθανόντα.* et in epist. 12. ad Roman. pag. 68: *πῦρ καὶ σταυρὸς, θηρίων τε συστάσεις, ἀνατομαὶ, διαιρέσεις, σκορπισμοὶ ὀστέων, συγκοπαὶ μελῶν, ἀλυσμοὶ ὅλου τοῦ σώματος καὶ κόλασις τοῦ*
XIV. 361. *διαβόλου ἐπ' ἐμὲ ἐρχέσθω, μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. Καλὸν ἐμοὶ ἀποθανεῖν διὰ Ἰησοῦν Χριστὸν ἢ βασιλεύειν τῶν περάτων τῆς γῆς.* Eusebius lib. 4. hist. cap. 15. ex epistola ecclesiae Smyrnensis de Polycarpo refert, quod ad proconsulem ethnicum bestiarum immissionem minantem dixerit: *Voca eas, est enim nobis fixum, a potioribus non esse per poenitentiam ad pejora transeundum, sed honestum ducimus a malis ad ea transire, quae justa sunt.* Cum proconsul diceret: *Si bestias contemnis, igne te compescam,* respondit Polycarpus: *Ignem minaris ad horam arsurum ac paulo post extinguendum, ignoras enim ignem illum futuri judicii et aeterni supplicii impiis reservatum. Sed quid tardas? infer quidquid lubet.* De Germanico ibidem commemoratur, quod *cum proconsul aetatis eum admoneret atque obsecraret, ut quoniam admodum juvenis et in flore esset, sui ipsius misereretur,* incunctanter et sponte in se bestiam illexerit et tantum non coëgerit et provocarit, ut *quam velocissime ab iniqua hac et injusta vita liberaretur.* Ruffinus lib. 2. hist. cap. 5. et Theodoretus libr. 4. hist. c. 17. de femina quadam Edessena referunt, quod audiens, jussu Valentis imperatoris Christianos esse in loco conventus publici a praefecto opprimendos, *adeo festina ac propera domo sua proruperit, ut nec clauderet ostium, nec operire se, ut mulierum habitu decet, diligentius potuisset, infantem quoque parvulum secum traxerit cursuque rapido, irrupto etiam officii praefectum comitantis agmine festinaverit.* Perducta ad praefectum ab eoque quaesita, quo tam festina properaret? *ad campum* dixit, *quo Catholicorum populus convenit. Et non,* inquit praefectus, *audisti, quod omnes interficiendi sint illic inventi? audivi,* inquit, *et ideo festino, ut ibi inveniar.* Rogata denuo, *quo parvulum illum secum traheret? ut et ipse,* respondit, *martyrium consequi mereatur.* Addit Theodoretus cap. 16: *Ardens enim divino fervore animus nullo tangitur humano metu, sed terrores tales pro risu ac joco habet,* qua Edessenae mulieris ac reliquorum concivium confertim ad locum martyrii properantium constantia imperator permotus a furore et vesania sua remisit. Josephus lib. 18. antiq. cap. 11. de Judaeis memorat, quod audientes, Petronium praesidem Roma a Cajo imperatore mitti, ut ejus statuam in templo ponat, eidem nondum regionem ingresso Ptolemaidem primum, mox etiam Tiberiadem occurrerent, suppliciter rogantes, *ne se ad eam necessitatem adigeret, neve sacratam urbem vetitis imaginibus pollueret, cumque iis objiceret: An igitur bellum geretis cum imperatore? Nequaquam,* dicebant, *pugnabimus, sed moriemur citius, quam a legibus Dei discedamus,* simulque procumbentes nudatis jugulis paratos se dicebant ad excipiendos gladios; qua constantia apud Petronium obtinuerunt, ut ad imperatorem scriberet et abrogationem decreti interveniente Agrippae intercessione obtineret. Talis constantiae exempla in historia sacra et ecclesiastica occurrunt longe plurima, qua persecutorum furor longe melius quam ferri acie retunditur.

484. Quaeritur 3. *An pravo et impio magistratui a subditis sit resistendum ejusque imperium excutiendum?* Respondemus: mere subditis, de quibus hoc loco agimus, id neutiquam licet, ut ex superioribus facile colligitur. 1. Si enim etiam impius magistratus *est a Deo* et Dei ordinatio, utique imperium ejus tolerandum, sed prius demonstratum fuit superius cap. 3. sect. 1. q. 2. manet ergo posterius. 2. Si *propter idololatriam et haeresin* non licet magistratui legitimo resistere, multo minus propter alia quaedam delicta minora id licebit. Sed prius demonstratum fuit in proxime praecedentibus. 3. Dicta Scripturae sunt *generalia,* sine improbitatis ac vitiosae qualitatis exceptione obedientiam erga magistratum a subditis requirunt. *4. Sancti Dei homines* docuerunt, etiam impio magistratui debita officia praestanda. *Samuelis filii* supra tribus Israëliticas constituti erant impii et avari, nihilo minus cum populus pristini regiminis pertaesus regem postularet, Dominus ad Samuelem dicit, *non te, sed* XIV. 3
me rejecerunt 1. Sam. 8, v. 7. *Nabuchodonosor* erat ecclesiae persecutor et impius rex, nihilo tamen minus Jeremias pro eo orandum, non autem rebellandum docet, Jer. 29, v. 7. *Tiberius* erat crudelis parricida, adulter, omnis nequitiae et flagitii artifex, nihilominus Christus tributum ei dandum esse jubet Matth. 22, v. 21. *Neronem* apostolus appellat leonem 2. Tim. 4. eidem tamen subjectionem Dei ordinatione deberi docet Rom. 13, v. 2. *Asiae reges* crudelitatis ac facinorum plurimorum reos fuisse, Buchanan in dial. de regn. Scot. memorat, nihilominus tamen Petrus ad Christianos in Ponto, Bithynia, Cappadocia etc. scribens *omni humanae ordinationi subjectos* ipsos esse jubet 1. epist. 2, v. 13. *5. Exemplis sanctorum* idem probatur. *Saul* erat impius et inobediens, interim non deturbatur a solio regali, nec a subditis, nec a Davide, qui divinitus erat in successorem electus; *Achab, Ammon et alii reges Israëlitici* erant projectae impietatis, nec tamen subditi illis restiterunt. *Cajus Caligula* teste

3. An prave impie magi- tui re- stend

Josepho lib. 19. antiq. c. 2. erat maleficus, voluptatibus deditus, sanguinarius, unicum fructum potentiae existimans, si abuteretur ea contra immeritos etc. neque tamen apostoli auctores fuerunt Christianis, ut ab imperio eum removere tentarent. 6. Idem ostendit *rationis paritas*. *Servi* jubentur obedire etiam δυσκόλοις, *duris*, *ac difficilibus dominis* 1. Petr. 2, v. 18. *liberi austeris et morosis parentibus*, *uxores duris maritis*, quidni etiam subditi iniquo magistratui? 7. Licentia subditis data magistratui pravo resistendi *exitio est reipublicae*, quod probat Gerson in cens. errorum assertorum per Johannem Parvum, qui caedem ducis Aurelianensis excusatum iverat. *Per hanc assertionem* (inquit) *aperiretur via ad homicidia regum ac principum quorumcunque ad violationem fidei et juramenti, si liceret impune eos propria auctoritate necare, aut in eos fraudes moliri*, *daretur et occasio subditis rebellandi et contemnendi principes. Nemo enim ambitiosus aut a principe castigatus non fingeret in eum ingentia crimina, ut eum populo exosum redderet*, *nulla esset imperandi securitas.* Subditi ergo, quibus magistratus impius obtigit, *non murmurent* adversus Deum vel magistratum, *sed adversus peccata sua*, Thren. 3, v. 39. quippe quibus promeriti sunt illud Domini flagellum, ut enim in bono magistratu Dei φιλανθρωπία, ita in malo τιμωρία agnoscenda est, humilient se coram Deo, agant poenitentiam, patienter tolerent impositum jugum ac divinam liberationem vel mitigationem fide exspectent.

485. Quaeritur 4. *an tyranno resistere ejusque jugum vi armata subditi excutere possint?* Distinguunt politici scriptores 1. inter tyrannum *in titulo*, qui illicitis mediis regnum sibi acquisivit, et inter tyrannum *in exercitio*, qui regnum legitime acquisitum tyrannice administrat. Illum licite repelli posse statuunt, quia non obtinet legitimam potestatem, sed ad iniquam servitutem subditos contra jus et fas cogit. Sic judices divinitus excitati ab externorum hostium et tyrannorum jugo Israëliticum populum liberarunt, ut historia judicum testatur. Matathias injustam Antiochi oppressionem bello repulit 1. Macc. 3. Tyrannus *in titulo* duplex iterum constitui potest, vel enim *occupatione tantum* tyrannus est, non administratione, quando imperium illegitimis modis adeptum legitime administrare studet, sicut Pelopidas Alexandrum Pheraeum tyrannum in justum principem mutare nitebatur, Plutarchus in Pelop.; vel *occupatione et administratione simul* tyrannus est, qui omnium pessimus. *2. Inter principes majestatis integrae et potestatis absolutae*, qui absolutum in subditos imperium obtinent, nec tenentur certis quibusdam pactis conventis vel legibus regni fundamentalibus expressa promissione obstricti, et *inter principes potestatis limitatae et pactis conventis* inter ipsos et proceres regni initis *circumscriptae*, cui distinctioni respondet ea, quae statuitur *inter subditos meros et mixtos. 3. Inter offensionem et defensionem.* Principibus, quorum potestas est limitata ab illis, qui non sunt mere subditi, ab ordinibus scilicet regni resisti ac violentiam eorum armata manu repelli posse disputant, id quod sequentibus confirmari posset argumentis. *1. a magistratus officio.* Magistratui incumbit subditos contra injustam oppressionem tueri, ut superius fuit demonstratum. Jam vero ordines regni in regno electivo, ad quod non nisi certis conditionibus caput aliquod est evectum, sunt loco magistratus. Non enim sunt mere et absolute subditi, sed partem potestatis in electione summi capitis sibi reservarunt. *2. A juris naturalis praescripto.* Defensio sui omni jure, divino scilicet naturali et civili, est concessa. Ergo licet ordinibus regni contra injustam oppressionem se et subditos defendere. ** Ut potestas talis principis non est absoluta, ita quoque obedientia subditorum non debet esse absoluta, alias tyrannorum stabilietur licentia ac subditorum periclitabitur libertas et conscientia. ** *3. Ex mutuae obligationis modo.* Ex contractibus nascitur mutua et reciproca obligatio. Jam vero inter principem potestatis restrictae et ordines regni electivi talis contractus fuit initus, ut princeps in leges regni fundamentales prius juraverit, antequam ordines regni nomine omnium subditorum fidem ipsi darent. Quodsi ergo princeps ab hoc contractu discedit, ordines regni ab obedientiae promissione ipso jure absolvuntur. *4. Ex axiomate theologico*, quod evangelium non aboleat politias. Jam vero ad statuta et jura politica hoc ipsum pertinet, quod ordines regni vi contractus initi magistratui libere electo et contra promissionem ac fidem datam agenti resistere possint. Vide Lutherum in Bedenken von der Gegenwehr, tom. 7. Germ. Jen. f. 389. *5. A paritatis judicio.* Sicut principes aberrantes ministri ecclesiae verbo possunt arguere, consiliarii sanis consiliis in vias eos revocare, sic ordines regni, quibus datus a Deo gladius, vi armata ipsius conatibus possunt resistere. *6. Ex probatorum exemplorum testimonio.* 2. Reg. 11. Jojadas deponit Athaliam 1. Macc. 2. et seqq. ** Jeroboam Rehabeamo, Jehu et socri Joramo, Jojada et principes Judae Athaliae, Maccabaei Antiocho aliisque regibus Macedonicis restitere. Si dicas, factum hoc esse mandato Dei expresso vel peculiari Numinis divini instinctu vel aliis justis ex causis, respondemus: salva res est, hinc enim constat, dicta de obedientia magistratui praestanda certas habere exceptiones. ** Judas et reliqui Maccabaei resistunt Antiocho; Constantinus oppugnavit Licinium collegam in imperio Christianos persequentem. Lutherus in scripto ad pastorem tom. 7. German. Jenens. fol. 386. addit duo alia exempla, quod populus restiterit Sauli Jonathanem interficere cupienti 1. Sam. 14. quodque Ahikam et alii principes Israëlitici restiterint regi Jojakim Jeremiam ad internecionem quaerenti. ** Chemnicius part. 2. loc. comm. p. 26. edit. ann. 1591: *Quia Deus voluit, gradus esse in imperiis, ut sint aliqui superiores ordines privatis, qui sint pars consilii publici et gubernationis*, 1. Petr. 2, v. 13. 14: *Sive regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis*, 1. Tim. 2, v. 2: *Regibus et omnibus, qui in sublimitate constituti sunt; illi igitur superiores or-*

dines, quia ex officio debent consilia et operas conferre ad defensionem disciplinae et communem salutem, non satisfaciunt suo officio tolerando tam injustam saevitiam, sed debent improbare et suo loco resistere. Hunnius disp. de magistr. thes. 96. 97. tom. 5: *Interim officio suo non deerunt, si qui sunt populares magistratus ad reprimendam regni tyrannidem constituti, ut violenta imperia, quoad fieri potest, ad justam redigantur moderationem, quod nisi fecerint, ut patriae proditores perfidiae suae rationem Deo sunt reddituri.* Protestantium responsum in bello Schmalcaldico, quod recitatur a Sleidano p. 542: *Quod si pactis stetisset* (caesar) *atque decretis, nos etiam nostrum eramus officium facturi, sed quoniam ea violavit et vere praecipua Deo debetur obedientia, sibi culpam ipse tribuat. Etenim quia religioni molitur exitium atque libertati, causam praebet, cur ipse impugnetur bona conscientia. Cum enim in eum casum res devenerit, licet resistere, sicut et sacris et profanis historiis demonstrari posset. Nam injusta vis minime Deum auctorem habet, nec alia ratione sumus ei devincti, quam si conditiones, quibus est creatus caesar, impleat.* Vide literas Mauritii Saxonici electoris et Alberti Brandenburgici apud Sleidanum lib. 24. histor. pag. 753.** 7. *Ex consequente absurdo.* Si ordinibus regni denegaretur potestas contra injustam violentiam se ac suos defendendi, consequens foret, XIV. 384. non esse discrimen inter principes, qui absolutam et integram obtinent potestatem, et inter eos, quorum potestas est limitata et circumscripta; nec esse discrimen inter mere subditos et eos, qui sunt in partem potestatis recepti, ac quibus cura boni publici ex parte adhuc incumbit; promissionem illam, quam princeps ante evectionem ad regnum ordinibus praestat, nullius esse momenti, cum pro arbitrio ab ea discedere, nec ad impletionem ejusdem cogi possit; electionem principis intuitu boni publici susceptam in extremum regni detrimentum vergere, cum libidini ejus nemo plane possit resistere etc. *8. Ex theologorum et jurisconsultorum suffragio.* Lutherus, Bugenhagius, Justus Jonas, Nicol. Amsdorffius, Georgius Spalatinus, Philipp. Melanchthon, Caspar Cruciger, Georgius Major, Justus Menius, Christ. Hoffmannus et alii theologi, jurisconsulti Witebergenses ann. 1531. Basilius Monnerus et alii ex politicis defensionem sui ordinibus regni licitam et concessam esse censuerunt, ut constat ex scriptis ab Hortledero collectis tom. 2. lib. 2. de causis belli Germanici etc. **Becanus in resp. ad aphorism. Calvinistarum aph. 9. pag. 100: *Qui est tyrannus tantum administratione, non potest a subditis interfici, ut definitum est in conc. Constant. sess. 15. quia verus et legitimus princeps, etsi tyrannice regat, manet tamen superior. Ergo subditi debent illi obtemperare et non interficere, nisi forte ob necessariam vitae defensionem.* Bodinus lib. 2. de republ. c. 5: *Quanquam qui theologorum eruditissimi habentur* (in margine notatur Mart. Luherus, Calvinus in Joh. et in instit. lib. 4. cap. 31. Sleidanus in histor.) *non modo non licere putant subditis principes tyrannidis specie occidere, sed ne verbo quidem violare fas esse, nisi singulari Dei oraculo jubeantur, sicut Jehu, qui Dei jussu ad regnum Israëliticum vocatus est, ut regis Achabi liberos ac posteritatem a stirpe deleret.* Ac postea: *Et quidem cum Germanorum principes pro suscepta religione pugnare et adversus Carolum V. arma capere decrevissent, Martinum Lutherum consuluerunt, num id jure divino liceret, ille negavit, neque tamen principibus id persuasit. Itaque funestum bellum reique publicae calamitosum susceptum est cum ingenti principum et civium strage* etc. **Sed gravissimae hujus quaestionis decisionem theologorum et jurisconsultorum collegiis committendam, neque quidquam temere pronuntiandum esse ducimus.

486. Si ulterius quaeritur de talibus principibus, qui sunt liberae et absolutae potestatis, qui vel per successionem imperium obtinent, vel per electionem absque tali limitatione et stipulatione praevia rerum potiuntur, si illi postmodum in tyrannos degenerent, an subditi eis resistere possint, ibi varia opinionum divortia sese offerunt. *Pontificii*, praesertim Jesuitae, tyrannum aestimant ex haeresi, ideo omnes illos reges ac principes tyrannorum loco habendos esse et a quovis subdito e medio tolli posse statuunt, qui a Romana ecclesia secessionem faciunt, si vel maxime legitime imperium acquisiverint ac legitime illud administrent. Sed de hoc sanguinario theoremate superius fuit dictum. Alii talem definitionem tyranni proponunt, quae pravo cuique principi convenit, ideoque existimant, subditos non solum tyranno, sed etiam cuivis impio magistratui resistere et ab imperii solio eum deturbare posse, *1. quia ut subditi foedus ineunt cum magistratu, per quod eidem sunt obstricti, sic magistratus et subditi simul ineunt foedus cum Deo, per quod utrique Deo ad officii partes recte obeundas obligantur, proinde si pars alterutra, videlicet magistratus, non obsequatur promissis Deo factis, subditi tanquam correi eum possunt in ordinem redigere.* Brutus in vindic. quaest. 1. *2. Princeps ex populi beneficio rex est et ex ipsius manibus potestatem suam accipit,* quod argumentum pontifex Zacharias suggessit Francis, cum de Childerici abdicatione consulerent, apud Aventinum libr. 3. annal. *Princeps*, inquit, *populo, cujus beneficio regnum possidet, obnoxius est, quaecunque enim habet, potentiam, honorem, divitias, gloriam, dignitatem, a populo accipit, plebi eadem accepta referat. Regem plebs constituit, eundem et destituere potest.* Cui conforme etiam illud: *Populus nunquam ita suam potestatem in regem transfert, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu ad se recipere possit,* quod urget Bellarminus in recogn. lib. de laicis. *3. Inter prin-* XIV. 3 *cipem et subditos est reciproca obligatio, si non expressa, tamen tacita. Subditi obligantur magistratui ad obedientiam, magistratus ad defensionem, justitiae administrationem, verae religionis conservationem* etc. *Ut ergo magistratus potest subditos*

ad obedientiam vi illius obligationis cogere, ita subditi a magistratu possunt deficere eique resistere, si capita illius foederis transgrediatur, quod argumentum urgebat Gregorius VII. cum Romanos ab obedientia Henrici IV. abducere vellet. *Quemadmodum* (dicebat) *militem ignavum imperator potest exauctorare; ita militi ducem injustum licet deserere*, Aventinus lib. 5. annal. 4. *Princeps est reipublicae tutor, ut ergo pupillus potest contra tutorem accusationem suspecti instituere et potestate ejus exire; ita idem subditis contra magistratum licet*, quod urget Rossaeus in l. de justa reip. in princ. potest. c. 2.

487. Sed totam horum et similium argumentorum structuram uno impetu dejicit apostolus, quando expertis verbis pronuntiat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subjecta, non enim est potestas nisi a Deo, quae autem sunt potestates, a Deo ordinatae sunt; quicunque ergo potestati resistit, divinae ordinationi resistit; qui autem resistunt, judicium sibi ipsis acquirunt.* Ad argumenta Bruti, Rossaei, Bucherii etc. solide respondent Barclajus in lib. cont. monarchomachos, Albericus Gentilis in lib. de vi in principes semper injusta, Cuner. in lib. de off. princip. Christ. et Arnisaeus in lib. de auctorit. princ. in populum semper inviolabili. 1. Si princeps absolutae potestatis et integrae majestatis transgrediatur promissum Deo factum, non subditorum, sed Dei poenas incurrit, neque enim subditis in principem competit jurisdictio, sed soli Deo. 2. Potestas principis absoluti non est ipsi tantum a populo *delegata*, sed in eum penitus *translata*, ergo populus non potest revocare, quod a se in principem transtulit, nisi expressis pactis id cautum fuerit. Potestas eorum, qui beneficio successionis reges nascuntur, vel per electionem absolutam ac nullis conditionibus circumscriptam in solium regale vehuntur, non pendet ex arbitrio populi, sed ex ordinatione ipsius Dei. 3. Si princeps absolutus officium suum negligat, non pôtest a mere subditis coërceri, quia subditi hac in parte destituuntur tum *mandato divino*, tum *superiore potestate*, sed divino relinquendus est impius princeps judicio, quod ob id ipsum gravius aliquando experietur, quia humano judicio non potuit coërceri. *Cum enim juxta apostolum omni mortali horrendum sit incidere in manus Dei viventis, regibus tamen, qui nullum praeter ipsum Deum supra se habent, quem metuant, eo erit horribilius, quod ipsi soli Deo peccent, si peccaverit vir in virum, placari illi potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* ut ex 1. Sam. 2, v. 25. colligit Otto Frisingensis in epist. ad Frideric. 4. Princeps non solum *tutor*, sed etiam *pater* est reipublicae, ut ergo filio quatenus tali non competit potestas in patrem, ita nec subditis in magistratum. Sed nec pupillus sibi ipsi jus dicere et propria auctoritate tutorem ab officio removere potest, verum ad id requiritur auctoritas judicis; pari ergo ratione subditi non possunt nec debent sibi ipsis jus dicere et proprio arbitrio principem e solio deturbare, sed summo et unico magistratus judici, Deo scilicet, id omne committant. *Tolerandum est patienter*, inquit Aeneas Sylvius in lib. de ort. et auctor. imper. Rom. c. 16. *quidquid princeps facit inique, expectandaque est vel successoris emendatio, vel superni judicis correctio, qui violentias atque injurias non sinit esse perpetuas.*

488. Quidam tandem tyrannum describendum esse rectius censent non *ex crudelitate et saevitia in quosdam subditos*, nec *ex nimia severitate in tributis exigendis* et vectigalibus imponendis, *nec ex vitiis privatis*; *sed ex supino officii publici neglectu* et ex *reipublicae destructione*, ut enim princeps ad *publicum*, ita tyrannus ad *privatum commodum* omnia refert, Aristoteles 4. pol. c. 10. ac in talem XIV. 366.
tyrannum subditos exsurgere eumque oppugnare posse existimant, 1. quia tyrannis non est legitima potestas, sed merum latrocinium. 2. Subditi non sunt Dei mandato tyranno obligati, quia Deus non obligat ad illegitima, injusta et inhonesta. 3. Sicut adulterium solvit vinculum conjugale, quia directe adversatur conjugii legibus; sic tyrannis liberat subditos ab obedientiae vinculo, quia imperii legibus ex adverso repugnat. 4. Tyrannis est plane contra naturam, cum enim tyrannus utpote ad privatum commodum omnia referens sit pessimus, non potest nisi melioribus aut aequalibus dominari, jam vero contra naturam est meliores subjici deterioribus. 5. Respublica eo fine principi tradita est, ut illi praesit ad salutem omnium, a quo si prorsus desciverit, etiam de potestate cadit, quippe quam non alio fine sibi commissam obtinet. 6. Patriae salus et boni publici cura pluris facienda quam unius insana libido. *Princeps est propter rempublicam ac proinde republica minor*, inquit Plinius in paneg. Trajan. potior igitur haberi debet reipublicae salus, qua omnium subditorum incolumitas continetur, quam insana unius hominis furiosi libido. 7. Defensionem contra tyrannum prohibere est jus naturae rescindere, quippe quod unicuique suam suorumve defensionem praescribit. 8. Tyranni comparantur *leonibus* rugientibus et *ursis* esurientibus Prov. 28, v. 15. 2. Tim. 4, v. 17. *lupis* rapientibus praedam Ezech. 22, v. 27. etc. at feris illis resistere easque debellare licitum. Sed negatur 1. cum inter *tyrannum* et eum, qui quaedam *tyrannice agit*, accurate sit distinguendum, (non enim is statim tyrannus est, qui quosdam ex subditis injuria afficit ac quaedam tyrannidis speciem prae se ferentia agit, sed qui religionem, leges, libertatem tollit, totam rempublicam pessundat, in bona et corpora subditorum libere grassatur, nec patientia vel precibus vel cohortationibus ulla ex parte sese emendari patitur). 2. Cum in Christiana republica vix possint pejores dari principes, quam quales fuerunt Tiberius, *Caligula et Nero*, quos tamen Christus, apostoli et primitivae ecclesiae doctores a solio dejiciendos esse nuspiam docuerunt, sed potius ad obedientiam subditos cohortati sunt. 3. Cum raro *illa moles convelli sine convellentium exitio possit,*

ut loquitur Tacitus l. 4. annal. *ac minore ut plurimum periculo tyrannus toleretur quam ejiciatur.* 4. Cum ejecto uno tyranno novus plerumque succedat priore deterior. 5. Cum satius sit, a subditis hic peccari in defectu quam excessu, ac durissima quaevis ab illis tolerari, quam praetextu defensionis principem, de quo emendationis spes est, et solio dejici; ideo theologus rectius fecerit, si populum Christianum sub jugo tyrannico laborantem ad poenitentiam ac patientiam hortetur, quam si vim armatam contra vindicis Dei flagella adhibendam esse doceat. *Non existimo negandum* (scribit Brentius in comm. 1. Sam. 24.), *quin Davidi in regem divinitus electo Saulem tyrannidem exercentem tam oportune in spelunca oblatum interficere licuerit. Sed David maluit sequi, quod aedificaret, quam quod impune liceret* etc. Et postea: *Quod David pepercit Sauli, magna laude dignum est et docet, multo honestius et utilius esse, ut ad evitanda offendicula de jure nostro aliquid remittamus, quam summum jus prosequamur.* Regula generalis eademque ut certissima, ita tutissima est illa apostolica: *Qui resistit, divinae ordinationi resistit*; an vero ab ea in hoc vel illo casu detur quaedam exceptio, non est temere pronuntiandum, sed omnes circumstantiae accurate considerandae. Frustra contra tyrannum capiuntur arma, nisi subditorum peccata, quae tyranni imperium meruerunt, prius emendentur; contra vero sola ad Deum conversione et piis precibus liberatio a tyranno saepius fuit obtenta absque ullo armorum usu. Proinde si in privatis, multo magis in publicis injuriis a magistratu illatis locum habere debet illud: *Satius est ferre injuriam quam inferre.*

XVI. 287.
CONCLUSIO GENERALIS.

489. Atque haec dicta sint de *ordine politico* ejusdemque integrantibus partibus, *magistratu* scilicet et *subditis*, quorum omnium salutaris usus statui potest duplex, *generalis et specialis*. Generalis est διδασκαλικός et ἐλεγκτικός, videlicet ut ὀρθοδοξίαν in hoc articulo ex verbo Dei cognitam amemus et contra quasvis corruptelas asseramus. *Specialis vel ad magistratum, vel ad subditos* pertinet. *Magistratui* prodest haec doctrina 1. ad διδασκαλίαν, ut intelligat, se vivere in tali statu, in quo possit Deo placere et bona conscientia eidem servire; 2. ad παιδείαν, ut partes officii divinitus sibi demandati diligenter curet, veram religionem tueatur, justitiam administret, subditos defendat etc. 3. ad παράκλησιν, ut in omnibus periculis et adversis, quae reipublicae causa sustinet, in omnibus etiam laboribus, quos boni publici causa suscipit, soletur atque erigat se divinis promissionibus de praesentia, auxilio, liberatione ac largissima remuneratione; 4. ad ἐπανόρθωσιν, ut intelligat, non esse sibi datam licentiam quidvis pro lubitu agenti, sed reddendam aliquando Deo et vitae actae et imperii gesti administrationem. *Subditis* haec doctrina usum multiplicem praestat, 1. διδασκαλίαν, ut in magistratus constitutione ac conservatione divinam providentiam, sapientiam, justitiam, potentiam ac bonitatem reverenter agnoscere et admirari discant; 2. παιδείαν, ut divinae huic ordinationi sponte et ex animo sese subjiciant, debitum honorem et obedientiam magistratui praestent, pro salute illius quotidiana vota ex animo faciant, tributa promte solvant, nec solum propter poenam, sed etiam propter conscientiam subjectionem magistratui a se deberi agnoscant; 3. ἐπανόρθωσιν, ut limites ac terminos obedientiae, qua magistratui tenentur obstricti, recte percipiant, ut caesari, quod caesaris est, ita persolvant, ne quod Dei est, Deo eripiatur.

490. Ordo politicus in genere sic definiri potest, quod sit *status a Deo ordinatus magistratu ac subditis certis officiorum generibus sibi invicem devinctis constans, ob tranquillitatem et salutem humani generis institutus.* Magistratus in abstracto ex loco apostolico Rom. 13. et 1. Tim. 2. sic definiri potest, quod sit *potestas supereminens a Deo ordinata, non frustra gladium portans, sed ut sit terrori male, et laudi bene agentibus, cui oportet honorem, timorem, tributa, preces et subjectionem a subditis exhiberi non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut placidam et quietam vitam agant cum omni pietate et honestate;* vel, *magistratus est potestas a Deo ordinata, gladio armata, ut sit custos divinae legis ac aliarum honestarum constitutionum ad conservandam pacem in genere humano et reipublicae salutem obtinendam.* In concreto talis traditur definitio: *Magistratus est persona divinitus vocata, potestate ferendi leges civiles, judicia publica juxta eas instituendi et poenas transgressoribus istarum legum irrogandi instructa atque ob id gladio armata, ut externa delicta coërceantur, justitia administretur ac tranquillitas reipublicae conservetur.* Deus, qui solus est rex omnium regum et dominus omnium dominantium, qui stabilit et transfert regna, concedat benignissime, ut oculus videat et auris audiat, hoc est ut εὐαρχίαν magistratus, εὐπείθειαν subditi sibi habeant unice commendatam, atque ex politia hac terrena aliquando transferamur in coelestem, in qua evacuato omni principatu et potestate et virtute Deus erit omnia in omnibus, cui sit laus, honor et gloria in seculum. Amen.

CONSPECTUS SEXTI TOMI.

LOCUS XXIII. DE MINISTERIO ECCLESIASTICO p. 1—265.

PROOEMIUM p. 1.

CAP. I. Ὀνομαιολογία vocabuli ministerii p. 3.

CAP. II. Τὸ ὅτι pertractatur, an scilicet detur ministerium ecclesiasticum p. 25.

CAP. III. De causa efficiente ministerii ecclesiastici p. 31.

SECT. I. An peculiaris vocatio requiratur ad ministerium ecclesiasticum obeundum p. 33.

SECT. II. Quotuplex sit vocatio ad ministerium p. 47.

SECT. III. De vocatione immediata in specie p. 50.

SECT. IV. De vocatione mediata p. 52.

SECT. V. De jure episcopali et jure patronatus p. 76.

SECT. VI. De illis, quae in ministrorum vocatione et electione cavenda sunt p. 79.

SECT. VII. De controversiis ac dubiis quibusdam quaestionibus ac casibus, qui in negotio vocationis incidere solent p. 80.

SECT. VIII. De vocatione beati Lutheri p. 83.

SECT. IX. De vocatione ministrorum in ecclesiis quas vocant evangelicis p. 90.

SECT. X. De vocatione episcoporum in ecclesia Pontificia p. 91.

SECT. XI. De gradu doctoratus, an sit vocatio ad ministerium p. 95.

SECT. XII. De ordinatione p. 97.

SECT. XIII. De examine ordinationi praemittendo p. 112.

SECT. XIV. De investitura ministrorum p. 114.

SECT. XV. De translatione ministrorum p. 115.

SECT. XVI. De remotione ministrorum p. 117.

CAP. IV. De causa materiali ministerii p. 121.

SECT. PRIOR. De materia in qua ministerii p. 121.

SECT. POSTERIOR. De materia circa quam ministerii p. 128.

CAP. V. De forma ministerii p. 129.

SECT. PRIOR. De potestate ecclesiastica p. 129.

SECT. POSTERIOR. De gradibus et ordinibus ministrorum ecclesiae p. 136.

CAP. VI. De fine et effectu ministerii ac ministrorum p. 164.

SECT. PRIOR. De fine et effectu ministerii ecclesiastici in abstracto p. 164.

SECT. POSTERIOR. De officiis ministrorum ecclesiae p. 177.

CAP. VII. De adjunctis ministerii p. 215.

SECT PRIOR. De stipendiis ministrorum ecclesiae p. 215.

SECT. POSTERIOR. De conjugio ministrorum ecclesiae p. 220.

CAP. VIII. De pugnantibus cum ministerio p. 260.

CAP. IX. De usu hujus loci p. 264.

CAP. X. Definitio ministerii ecclesiastici p. 265.

LOCUS XXIV. DE MAGISTRATU POLITICO p. 266—562.

PROOEMIUM p. 266.

PARS PRIOR de magistratu p. 267.

CAP. I. De ὀνομαιολογίᾳ hujus articuli p. 267.

CAP. II. Τὸ ὅτι pertractatur, an scilicet detur magistratus politicus p. 275.

CAP. III. De causa efficiente magistratus politici p. 278.

SECT. PRIOR. De causa efficiente principali magistratus p. 279.

SECT. POSTERIOR. De causa instrumentali magistratus p. 301.

CAP. IV. De causa materiali magistratus p. 310.

CAP. V. De causa formali magistratus p. 318.

SECT. I. De potestate politica, qua divinitus instructus est magistratus p. 318.
SECT. II. De variis speciebus magistratus p. 322.
SECT. III. De variis rerum publicarum formis ac generibus p. 325.
CAP. VI. De fine et effectu magistratus p. 329.
SECT. I. Quomodo magistratus erga Deum sese gerere debeat p. 330.
SECT. II. Quomodo magistratus sese debeat gerere erga se ipsum p. 332.
SECT. III. Quomodo magistratus recte se gerere debeat erga familiares et domesticos p. 334.
SECT. IV. Quomodo magistratus erga aequales, vicinos scilicet populos et magistratus alios sese gerere debeat p. 336.
SECT. V. Quomodo magistratus erga subditos sese gerere debeat p. 340.
MEMBRUM I. Quomodo pietatem ejusque fundamentum, veram scilicet religionem magistratus apud subditos promovere debeat p. 342.
MEMBRUM II. Quomodo magistratus apud subditos obtinere possit, ut honestatem et justitiam colant p. 373.
ARTICULUS I. De legibus politicis p. 374.
ARTICULUS II. De judiciis p. 411.
ARTICULUS. III. De suppliciis p. 425.
SECT. VI. Quomodo magistratus erga hostes sese gerere debeat p. 478.
MEMBRUM III. Quomodo de vita quieta et tranquilla magistratus subditis suis providere debeat p. 478.
CAP. VII. De adjunctis magistratus p. 521.
CAP. VIII. De contrariis magistratui adversantibus p. 526.
PARS POSTERIOR, de subditis p. 527.
Conclusio generalis p. 562.

FINIS SEXTI TOMI.

Altenburgi, ex typographeo aulico. (H. A. Pierer.)

3 2044 069 586 774

H

Gerhard, Johann
Loci theologici cum pro adstruenda veritate ...

BT
70
.G4
1863
v.6